










H 3: 10

Del Medico Ignazio [illegible].

1780.

pag. 4.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBUS MEDICINAE TETRABIBLOS,

hoc est, quaternio, siue libri uniuersales quatuor, singuli quatuor sermones complectentes, ut sint in summa quatuor sermonum quaterniones, id est, Sermones sedecim, per Ianum Cornarium Medicum Physicum Latinè conscripti.



Accesserunt in duos priores libros (quos de Simplicibus scripsit) Scholia, rei medicæ studiosis plurimũ profutura, per Hugonem Solerium Sanionensem, Medicũ, nunc primum in lucem edita.



anno 1723

LVGDVNI,
EX OFFICINA GODEFRIDI
ET MARCELLI BERINGORVM FRATRVM,
M. D. XLIX.



AMPLISSIMIS AC PRVDENTISSIMIS HONESTISSIMISQVE VIRIS, SENATVI, POPVLOQVE IMPERIALIS VRBIS FRANCFORDEN. IANVS CORNARIVS MEDICVS PHYSICVS S. D.

*



AETIVM medicum Græcum iam decennium quum uertendum suscepissem, multum operæprecij mox ab initio facere mihi uisus sum. Tametsi enim fragmentum tantum, uenerandæ tamen illud uetustatis, mihi obtigisset, attamen ex eo ipso colligebam non uulgare aliquod consilium illi uiro fuisse, sed institutum penitus optimum, & ab omnibus approbandum, totam uidelicet medicinam in breues quasdam summas contrahendi. Erat autem tum mihi, sicut plerisq; omnibus autor ignotus, nisi quòd Asulanorum apud Venetos familia, Græci exemplaris editionem pollicita erat, ante Hippocratis, & Galeni operum editionem. Itaq; etiamsi fragmentum illud meum sex sermonum, ab octauo usq; ad decimumtertium, contemptibile uideri poterat, ut in publicum ederetur: & incertum esset ad quot libros uniuersales, aut sermones partiales, autor opus ipsum extendisset: tamen neutiquam supprimendum ratus inuentum thesaurum (sic enim tum mihi placebam) sex illos sermones in Latinam linguam à me conuersos edidi. Neq; malè successit. Nam nouum & incognitum opus studiosi benigne exceperunt, per omnem adeò Europam, ut etiam Italiæ uisum sit, non paruum esse incommodum, totum illum autorem non ad Latinos translatum extare. præsertim quum totum Græcum opus in aliquot exemplaribus in Italia superesset. Et tum sanè excitatus est quorundã magnorum & rectis studijs beneuolentiũ Heroum stimulis Baptista Montanus, non incelebris apud Veronenses medicus, qui exemplarium illorum copia cõfisus, & priores, & posteriores, quos ego non habueram sermones, fragmento meæ translationis adiecit: & sic translationem meam suæ apud Venetos editioni inseruit. Et quia candore quodam hoc à se factum esse, in præfatione testatus est, ego uicissim illi hoc talionis uice rependam, quòd studiosis cognoscendum propono: hactenus translationem illius, unà cum mea lucem ferre potuisse. nam in posterum non erit, qui me iudice, uel meam priorem, uel illius conuersionem per omnia sequi debeat. Discipulus est prioris posterior dies. Honestissimum est certamen, non solum alios, sed etiam seipsum superare. Proinde totum opus Aëtij etiam nos adepti, illud denuò ex toto conuertendum suscepimus, non tantum quòd uideam, dum exemplaria alia plus, alia minus adscripta habent, unum aliquod certum sequendum esse: sed etiam ut ne amplius sit styli diuersorum interpretum in uno opere pugna. Et hoc meum consilium si Montano sequi uisum fuerit, adeò non improbabo, ut ingentis candoris loco id habiturus sim, si etiam ipse totum Aëtij opus ex sua interpretatione legendum edet. Quapropter meam operam non aliter studiosis approbare uolo, quàm ut putent me nulla quàm publici commodi causa commotum, huc progressum esse, & sincerè optimum medicum emendatissimum, ac optime Latinum factum (quantum eius per me fieri potuit) inuulgasse. Tantumq; abest ut in præsens eius translationem, propter meæ editionem, superfluam uideri uelim, ut uehementer expetam etiam illum, totum opus de suo denuò publicare. Et nisi fallor, hæc res non tam ad illius gloriam spectat, quàm publicam studiosorum utilitatem: præsertim eorum qui Latinam linguam solum nouerunt. Continget enim ipsis ex utriusque translationis collatione, ut ueram senten-

tiam assequantur. Atq; utinam etiam hi qui ex Hispanis altas de montibus umbras nobis utrisq; offundunt, & in alienis libris ingeniosi sunt, huc incumberent: ut similem, aut potiorem (qualem ostentant) operam præstarent: plenis buccis studium hominum collaudarem. Iam quod illos facere iuuat, nemini prodesse uideo. Et reuera in quatuor uersibus, si quando aliquid è suo exemplari, uelut potiore citat ille, plures errores in conuertendo admittit, quàm in integro sermone prioris editionis inueniuntur. Deinde leuissima quæque & nullius momenti notat. Verùm ubi nodus aliquis incidit, ibi transilit uelut angue conspecto, & nihil hic secat Tenedia ipsius bipennis. Sed huc progredi nolebam. Hoc uolebam, expetendum mihi uideri, ut & ex Hispanis Latina Aëtij translatio extaret: quò sic studiosi medici, uel auctã, uel decurtatam, aut etiam corruptam lectionem diuersorum Græcorum exemplarium cognoscerent. Hispani suum in hac parte ducem, itemq; Itali suum haberent. Profectò mihi satis est, si Germanis meis mea & placent, & prosunt. Iam uerò eiusmodi cauillationibus nihil proficitur, & in talibus annotationibus utcunq; ueri inueniendi studium prætexitur: tamen hæ sunt ipsissimæ maligni ac morbidi ingenij notæ. Facile est aliorum errores indicare: sed teipsum inculpabilem præstes, si quid simile tentes, aut etiam in his annotandis, hic opus hic labor est. Et cognosco pennas ex corpore commentariorum meorum medicorum in Galeni κατὰ τόπους libros conscriptorum, extractas, & sagittis illius adaptatas: ut uehementiore impetu in me ferrentur. Non enim non uidebam ipse quæ mihi in mea translatione displicerent. Verùm ea, quia potioris, aut alterius exemplaris copia deerat, interim ferri posse sperabam, donec clare à meipso iudicarentur: id quod factum est mox in relatorum commentariorum editione: in quibus potissimos locos prioris meæ in Aëtio translationis indicaui ac retractaui. Et iam amplius fiet in huius repetitæ meæ translationis editione, quam ad duo exemplaria præuia à me conscriptam, & ad Galeni, ac Pauli lectionem collatam, in omnibus sequendam puto. Neq; curandum arbitror, si alicubi aliam exemplaria plura, uel pauciora habent, aut etiam ordine immutato. Hoc enim in eiusmodi autoribus peculiariter contingere potest, ut certi loci ab alijs atq; alijs augeantur, aut imminuantur, dum quisq; postea uel sibi approbata addit, aut superflua iudicata detrahit. Quod ipsum fortassis etiã ab ipsis iustis scriptorum autoribus aliquando fieri contingit. Hanc ipsam operam meam in urbe uestra, Viri Francforden. à me perfectam, uobis inscriptam ac dicatam esse uolui. Nam quum aliàs hoc inscribendi libros magnis principibus, ac urbibus munus, publice receptum sit: ego qui apud uos iam in quartum annum medicum Physicum ago, neutiquam committere debui, ut ex scriptis meis nõ eximium aliquod specimẽ (quale sanè hoc Aëtij à me Latine conscripti opus esse iudico) urbi uestræ peculiariter à me destinaretur: quò uestro grauissimo iudicio approbatum, maiore gratia ac autoritate in publicum exiret. Atq; haud scio an post ullas alias imperij Romani urbes, uestra respublica numerari debeat, tot insignibus ornamentis præ cæteris clara. Primum enim quid præclarius urbi alicui contingere possit, quàm quod urbs uestra iam per multorum annorum successionem habet, aureæ etiam appellatæ bullæ sacramento roboratum? Quòd uidelicet Romanus futurus rex in sola uestra urbe, excitis è sedibus suis Romani imperij electoribus, tanquam ad rem orbi terrarum imprimis, uelut etiam est, necessariam eligitur, proclamatur, & ex urbe orbi rex & imperator suus innotescit? Quòd si priscos historicos omnes diligentissimos in hoc exquirendo, describendoq; esse uidemus, ut regum ac magnorum principum ortus, ubicunque tandem contigerunt, tanquam locis in quibus contigerunt clarioribus inde futuris, exacte prodant ac conscribant: & hodie in annales principum referre mos est natales ipsorum locos: quod monumentum satis amplum urbi uestræ statui potest? Ad quam non unus aliquis magnus princeps, sed tam multi, tot uoluentibus annorum seculis orbis imperatores, ueri ortus sui primordia referunt: maximè qui non fortuito, ac incerta

nascendi

nascendi sorte ipsis contigit: uerùm septem sacramento adiuratis principibus, totius Germaniæ supremis, ob hoc Electorib. imperij appellatis, eius gratia conuenientibus, & summa fide, incorruptißimis iudicijs, firmißimaq; autoritate, noui regis Romani atq; orbis domini futuri, imò clementißimi imperatoris, ortum ac natiuitatem, hoc est electionem, orbi uniuerso salutarem pronunciantibus. At uerò, ut maximum est hoc urbis uestræ, uiri Francforden. decus, sic non minus ornamentum ex nobilißimo emporio uobis accedit, quod omnium totius Germaniæ emporiorum maximum esse cōstat. Poßint fortaßis alijs alia quædam emporia, aut ob mercium quarundam pleniorem ubertatem, aut uiliorem annonam, aut perpetuum emporij statum præferenda uideri. uerum ob mercium omnium æqualem apud uos copiam, mihi quidem nullum emporio uestro maius uidetur: præsertim quum duobus statis anni temporibus celebretur, quibus quisq; & sua commode aduehere ac diuendere, & aliena comparare potest, non dubito quin maiore utrinq; lucro, quàm si perpetuus emporij status apud uos extet. Quanquam si quis adeò extra statam duorum temporum oportunitatem uos adeat, reperire tamen poßit & emptorem & uenditorem quarundam mercium ab ipso expetitarum. Quantæ uerò commoditatis res sit, talia emporia esse ac celebrari, uel inde palàm fit, quòd egentißimi sunt populi ad quos nihil peregrinarum mercium inuehitur: ut & hoc nomine insigniter celebris uestra urbs sit, quòd hanc commoditatem ex se in uniuersam ferme Europam deriuet. Atque sint hæc quidem præcipua duo uestræ urbis præconia. Mihi uerò neque hoc leuiter ad laudem uestram pertinere uidetur, quòd mechanicarum artium opifices per omnem Germaniam, morum, consuetudinum & rituum, unicuique arti peculiarium præscripta ac rationes, ex uestra republica uelut optime instituta, aut primum petunt, aut si prius habent, ex uestris emendant, ac confirmant. Quid uerò an non prædicandum uel imprimis erat, quòd artis gladiatoriæ apud Græcos ac Romanos olim celeberrimæ, hodie uerò ubique exoletæ ac interceptæ, nulla totius orbis parte tam insignia uestigia restant? Quum enim gymnastices partes pleræque omnes hodie sublatæ sint. Nam neque in usu sunt tam frequentia & priscis adeò quotidiana balnea. Neque defrictiones ex oleo quotidianas, aut ullas aliquas ualetudinis conseruandæ gratia hodie corporibus adhibemus. Et palæstra ferè tota intercidit, ut etiam strigmentorum ex balneis, & palæstra ueteribus medicis petitorum, æque materia atq; usu careamus: gladiatoria ars apud uos non tantum præclare exercetur, sed eam exercentibus etiam præmia constituta sunt: & in ea præcellentes gladiatoriæ artis magistri publicè creantur. At uerò quàm utilis res sit humanis corporibus, imò etiam animis gymnastice, cuius pars est & ipsa gladiatoria: uel maximè ab ipso omnium studiorum doctißimo Galeno, in libris salubrium, siue de sanitatis tutela declaratur. Quin idem ad Thrasibulum scribens dubitare audet, num ad medicinam, aut gymnasticen pertineat sanitatis tutela: in tantum uidelicet commodat apta corporum exercitatio, ut non minima pars artis tutelaris sanitatis ipsa gymnastice existat. Atq; hoc sane modo, idem fuerit optimus medicus, qui optimus corporis exercitator, ad sanitatem uidelicet conseruandam: quem Græci significantißime non medicum, sed ὑγιεινὸν, hoc est, sanitatis tutorem appellant. Quare minus mirum mihi uidetur, fuisse semper, & esse adhuc honoratißimam apud uos artem medicam curatiuam: quum uideam etiam superesse apud uos ferè solos, aut certe non alios quàm qui à uobis transumpserunt, artem medicam sanitatis tutelarem. Hæ enim duæ maximæ ac principalißimæ sunt partes medicinæ, quarum altera ὑγιεινὸν, altera θεραπευτικὸν μόριον appellatur. Quanquam autem in hoc diligentia uestra omnibus admirationi sit, ut bonos apud uos medicos semper habeatis, tamen nescio quo malo fato id fiat, ut uulgus æque apud uos, uelut nunc ubiq; gentium, ferme peßimos sequatur, hoc est, ut ego puto, sui similimos. An autem hoc ex reipublicæ utilitate sit, indiscriminatim quosuis ad medicinam publice exercendam admittere, id quod apud uos

uelut

uelut in libera urbe, omnibus liberum est, ampliore consideratione opus habet. Illud certe magna laude præ omnibus Germaniæ urbibus facitis, quòd tot medicos, quot nulla alia, publico salario alitis. Par est, aut etiam amplius, studium uestrum in conseruandis bonarum literarum, ac artium studijs. Nec desunt uobis præceptores, uel maximis scholis pares. Quin & celeberrimos multos respublica uestra habet Iurisconsultos, quibus omnibus tum in iure dicendo, tum etiam priuatim quibusuis ad consulendum publicis constitutis stipendijs utimini. Quod uerò maximum est, pietatis studia, & renascentem ueræ Christianæ religionis cultum tanta prouehitis moderatione, ut etiam ipsis ueræ pietatis aduersarijs admirationi sitis, dum uident, ac audiunt populum à uerbi ministris ac doctoribus placate edoceri, & sedatis animis populum de sacris concionibus ad suas functiones obeundas abire, & à neutra parte tumultus cieri. Quæ res summam magistratus prudentiam declarat. Vulgo dicitur, Qualis princeps, talis populus. Sed egregie dixit poëta ille: Mobile mutatur semper cum principe uulgus. Quare amplissimi senatus imaginem, uel in ipso populo spectare apud uos licet. Sed heu cladem ingentem illam, ex quo magno illo, reipublicæ uestræ principe orbati estis PHILIPPO Forstenbergero, in omnibus bonis studijs, ac uirtuosis actionibus uiro admirando. Cuius ego priuatus priuatim, & amore, & admiratione adhuc ita afficior, ut eius sine suspirijs nunquam, sæpissime etiam lacrymis obortis, mentionem facere possim. Quanto magis putandum est uos uestrum uulnus sentire, à quorum corpore ille resectus est? Erat uir eius ætatis, ut recte immatura morte ereptus dici posit, sexagenario propior quàm quinquagenario. Sed corpus uegetum aderat, ac animus uiuidus, ingenium acre, iudicium exactum, mores mansueti, sermo suauis. Et in summa, natura ad benefaciendum omnibus, neminem lædendum nata, quod quò rarius est, eò maiorem laudem in magistratu meretur. Vtranq; insuper callebat linguam, Græcam supra mediocritatem, Latinam, ut cum magnis professoribus certare potuisset: quod aliquot ipsius ad me scriptæ epistolæ testantur. Et quum tota uestra respublica ex eo penderet, & perpetuis senatus curis grauaretur, tamen quantum succisiui temporis suffurari poterat, id totum conuertebat ad optimorum autorum lectionem. Et hoc tempore præter reliqua, totum Homerum Græcum perlegendum, ac conferendum susceperat. Hæc facientem superioris æstatis inauditus Germanis æstus corripuit, & ardentissima febris abripuit: quam eodem tempore in me sæuientem summa difficultate ego uix à me reieci. At siue bonorum usum nobis non fauent inuida fata, uelut poëtis quibusdam placuit: siue ostendit deus magis quàm tradit optimarum rerum fruitionem: profecto uestrum luctum priuatus meus dolor proferre coëgit: quo optimi, ac sapientissimi uiri obitus reuera reipublicæ uestræ immaturus, à me publice deplangeretur. Videor tamen mihi aliquanto leuius ferre illius ad meliorem uitam translationem, quum considero qualia reipub. decora post se reliquit, generos suos, uirum omnibus bonis studijs fouendis, ac prouehendis natum Iustinianum ab Holtzhusen. Et soceri uestigijs innitentes, ex ueteri familia ad Iuuenes appellata, Orthonem, ac Danielem. Nec desunt alij egregij uobis uiri, qui certatim conentur, ut sincera pietas uigeat, & literarum, ac bonorum studiorum honos perstet, ac conseruetur. Sed quorsum tandem hæc omnia? Nimirum quum in urbe uestra uiuo tot insignibus decoris celebri, ut uidear uirtutis uestræ aliquam rationem habuisse, dum & grauissimis iudicijs uestris approbatam hanc operam meam uideri uolo, & uicissim meam erga uos uoluntatem declarare cupio: quò utraque re cognita, studiosi rerum medicarum hoc Aetij opus à me Latine conscriptum, alacrius excipiant, auidius perlegant, studiosius sequantur, & medicando de humano genere bene mereantur. Quod ubi continget, non dubito quia intelligent hoc uestrum uiri Francforden. beneficium esse, quòd tantum autorem, insignem medicum, in publicum usum editum habent. Crede mihi quisquis es

rerum

rerum medicarum studiose, si totum Galenum contractum, si totum Oribasium explicatum, si Paulum ampliatum, si omnes ueterum speciales, tum per phramaca, tum per chirurgiam aggressiones, ad omnes affectiones, insumma habere uoles, Aëtium habes, unde totum hoc petere, ac ferre potes. Neque refert an sit Aëtius ille Hæresiarcha, aut alius quispiam Amidenus Opsicij comes, uelut quædam exemplaria præscriptum habent. Certè Aëtium hæresiarcham uarijs artibus instructum fuisse, & philosophicis Aristotelicis ratiocinationibus ingeniũ exercitatum habuisse, D. Epiphanius abunde declarat, in opere contra Octoaginta hæreses, quod item recens in Latinam linguam transtulimus, ut fieri potuerit, eum etiam medicinam tractasse. Nam quòd comitis dignitas recentior sit, quàm ut Aëtio hæresiarchæ competat, penitus falsum est. Habet enim, iam citatus à me D. Epiphanius, Comitum appellationẽ ac dignitatem sub ipso Constantino Magno receptã. Et Iosephum quendam è Iudæo Christianum factum, ea dignitate à Constantino Magno donatum tradit. Potuit igitur fieri, ut aurifaber usq; ad perfectam ætatem Aëtius, & postea ad Aristotelicæ philosophiæ studia progressus, & deinceps à Georgio Alexãdrino Diaconus constitutus, tandem per principem aliquem Opsicij comes factus sit, & ut uir philosophiæ doctus, hoc opus ex ueteribus Medicis collegerit. Sed nihil pronuncio, neque quicquam refert. Cæterũ quod ad operis totius diuisionẽ attinet, manu scriptum exemplar meum habuit τετραβίβλου inscriptionem, ante aliquot sermones partiales. Velut uerbi causa, ante nonum sermonem, Ἀρχὴ τοῦ θ. λόγου Ἀετίου, πρώτου τῆς τρίτης τετραβίβλου. Et ante sermonem XIII. Ἀρχὴ τοῦ ιγ. λόγου Ἀετίου, πρώτου τῆς τετάρτης τετραβίβλου. Quam rationem sequutus, totum opus in quatuor Tetrabiblos, hoc est quaterniones uniuersales, singulos quatuor sermones siue libros partiales continentes distinxi, uelut autorem ipsum ab initio fecisse apparet. Porrò quod superest precor, ut & uobis, uiri Francforden. ex huius operis editione merita gloria, & studiosis lectionis ac imitationis fructus contingat. Mihi satis est, si in huius Dramatis actu nõ penitus (quæ quorundã malignorũ ingeniorũ improbitas est) fuero ex scena ac theatro explosus. Valete. Francfordiæ, Calend. Nouembrib. Anno Christi M. D. X L I.

Errata in Annotationibus.

In Acoro, penultima capitis linea, flabe, lege, flambe.
In Aconito, linea 49. complicatis, lege, complicatas.
In Dipsaco, δίψακος, legendum.
In Thapsia, linea 8. hapsiam, lege, thapsiam.
In Cymino, linea ultima, appellatus, lege, appellatur.
In Cypero, linea 12. ab ullo, lege, ab illo.
In Ligustico, linea 6. oleus, lege, olens.
In Malua, linea 5. quãm, lege, quàm.
In Rhu, linea 2. sumachi, lege, sumach.
In capite 26. libri 2. semriglio, lege, sineriglio.
Cap. 143. lin. 4. Delphinis, lege, Delphinus.
Cap. 172. lin. 31. dysoria, lege, dysuria.
Cap. 183. De cochleari, lege, cochlea.

CLARISSIMO ATQ-

PRVDENTISSIMO VIRO, DO-

MINO HIERONYMO MONTVO, CHRISTIA-
nißimi Galliarum Regis Henrici secundi, medico eruditißimo & acceptißimo, Hugo Solerius medicus.

S. P. D.

*



EDICINAM *à ueteribus Græcis copiosißimè traditam atq; illustratã fuisse, norunt omnes: à Græcis manasse in Arabas, qui postremã eius partem, ut diligenter excoluerunt, sic, neglectis Græcorum remedijs alijsq; mitioribus inuentis, nouas sibi medicaminum formulas condiderunt: quorum usum posterior ætas retinuit, approbauit, & nonnulla inuenit: quibusq;, penè dixerim, solis contenta fuisse, & adhuc nunc esse uidetur. Cumq;, sic ferente rerum omnium insigni uicißitudine, ab annis, plus minus, quinquaginta priorem suã maiestatem remumere, ac ueterem cultum induere cœperit: tantosq; sibi neruos ac robur nostro æuo cõpararit, ut nullo tempore celebrior magisq; culta fuisse uideri poßit: mirum profectò nulli non esse debet, cur Græcorum remediorum usus, penè solus, reparata medicinæ antiquioris maiestate, tanquam despicatus & inutilis exoleuerit. Quod cùm ego diligentius perpenderem, ac sedulò contemplarer, duas causas præcipuas fuisse comperio: inueteratum ac contumacem usum alteram: alteram simplicium craßam ac pudendam ignorationem: è quibus ille meticulosos miterum: alteram ... lanusq; audentes (nullo rerum habito discrimine) & antiquitatis studiosos: hæc negligentes laborumq; ac disciplinarum contemptores homines facit. Huius itaq; calamitatis ego atq; indibignitatis sedulus æstimator, cùm exploratum haberem hunc uetustæ dignitatis neglectum, aut dißimulari omnino, aut à quàm plurimis saltem fieri minimi: cœpi cogitare, num arte quadã ac uiæ certitudine fieri poßet, ut cuiuis medicinæ studioso iudicare non eßet difficile, an scilicet ueterum Græcorum formulæ in usum (si id exigeret neceßitas) uocari poßent: aut omnino, ob simplicium tum inopiam, tum ignorationem negligendæ uenirent. Eam igitur ob causam consilij mei fuit, quendam è Græcis autoribus deligere, qui morbos omnis generis, à summo capitis uertice usque ad calcem, fuißet accuratißimè, iuxta ueterum normam ac traditionem, complexus: eumque, si id quidem fieri poßet, tam diligenter illustrare, & modis omnibus ornare, ut hac ratione priscæ medicinæ autoritas illucesceret, & antiqua claritudine ac celebritate tandem donaretur. Ex ijs itaque unus Aetius dignior mihi uisus est, qui reliquis omnibus, (iuniores dico) hac in parte anteponi iure optimo debuerit. is siquidem medicinam omnem ita ex ueterum libris in unum uelut corpus ac uolumen contraxit: suoq; singula loco tam appositè collocauit & accuratè distinxit, ut ingentia Galeni & aliorum uolumina hoc quasi breuiario comprehensa & disertißimè explicata uideantur. Quam ob rem, ut huic tam funestæ ac deplorandæ calamitati tandem pro uiribus reluctarer, &, inducta rebus ipsis noua luce, depulsaque ignorantiæ caligine, uiam quandam ad simplicia, tum nobiliora, tum cognitu (si absit qui demonstret) ualde difficilia, studiosis pararem ac uelut sternerem: è mei instituti dignitate, reiq; publicæ literariæ utilitate esse putaui, breues, ac, quantum per maximam diligentiam liceret, perspicuas in singula simplicium eius capita adnotatiunculas (& eas quidem Græcis, Latinis, officinarum ac herbariorum, Italicis, Gallicis, Delphinaticis, ac nostratium uulgatis nomenclationibus: necnon soli natalitij plantarum inuentu difficilium*

A a indica-

indicatione, illustres) conscribere: quarum ope ac familiaritate nouus lector adiutus, caligare in expendendis & ad uiuum dijudicãdis priscorũ remedijs, posthac desineret, & quasi manu ad grauiorũ πολυχρήστων τῶν λογίων autorum duceretur. In quibus si quid minus tersum, minus elegans, minus eruditũ, minusq; comptũ à Zoilis alieniq; cũ laboris, tum industriæ sapidis uellicatoribus iudicatũ fuerit, curatũ tamẽ religiosissimè est, ne diligẽtia ac fides alicubi nobis deesset. Quapropter admonitos uelim exactiores istos, seuerorisq; notæ censores, ut terq; quaterq; nostra scripta sedulò prius expendant, quàm de re, fortasse illis parùm exactè cognita, temerariam sententiam ferre. Accedit tum ex Galeno Aetioq;, tum alijs non postremæ classis ac nominis autoribus, ea nos simplicia adnotasse, ac, quasi digito, cõmõstrasse, quæ ueterum quorundam inopiam sarcirent, & eorum loco in usum medicum admitterentur. Cæterùm, ut in pauca tandem rem omnem contraham, nullis laboribus, nullis uigilijs, nulli deniq; rei familiaris iacturæ, cum in conquirendis ac peruestigandis simplicibus, tum in hisce conscribendis & solertiore cura elimandis scholijs, pepercimus, quò νέος φιλίατρος promoueretur, faciliorаq; omnia ac expedita magis haberet. Unde, opinor, erit, quòd medicinæ studiosa iuuẽtus (eruditis enim & grauibus uiris hæc non scribuntur) nobis pro tot susceptis laboribus, cùm se mirum in modum adiutam senserit, aliquam se gratiam debere ingenuè fateatur: cùm nimirum multa nostris hisce (absit interim uerbo temeritas) scholijs luculenter ac dilucidè explicentur, quæ è recentioribus nemo adhuc satis disertè ac pro dignitate monimentis literarũ mandauit. Quamobrem cùm tam multorum hominum iudicia mihi sustinenda uiderem: puderétq; tam multos, tamq; uiriles & publicæ rei minimè obfuturos labores, priùs quàm in aliquod discrimen uentum esset, supprimere: anceps quid agundum esset, tantisper animo fui, dum, superata omni suspitione, deuoratoq; inani metu, satius fore duxi, aliquid studioso homine dignum, etiã cum periculo, audere, quàm domi, sine fruge ac laude, segniter delitescere. In lucem igitur, quanquàm ancipiti marte, prodire statuimus: tibiq; idcirco, doctissime Hieronyme, has nostrarum lucubrationum primitias consecrãdas existimauimus, quòd his regionibus nemo hoc, exiguo quidem, at non usquequaq; contemnendo, munusculo, dignior te uno uisus fuerit: tum, quòd tutandis, & à sugillatorum grunnitu uendicandis nobis, aptior, uigilantior, disertior, doctiorq́ue quisquam, uix in orbe Christiano, nedum hic, etiam graui doctorum testimonio, inueniri queat. Cæterum quem, obsecro, magis decent celebrium medicorum congressus, studiosorumq; medicinæ fauor, quàm eũ qui doctissimus medicus sit: suaq; apud reges ac principes autoritate plurimum possit: & ad studiosos omnes promouendos, officiosissimus ac natura propensissimus iudicetur? quiq; uanos lacessentium insultus compescere, clauumq; clauo, si opus siet, retundere diligentissimè norit? Accipe igitur fronte serena benignoq; uultu tenelli huius nostri partus, ac primogeniti opusculi patrocinium. Is enim, quanquàm uiribus adhuc, ob ætatem & exiguam corporis molem, imbecillis uideatur: quocunq; tamen ire perrexeris, dum modò benignam adiutricemq; manum non deneges, satis (quæ est προθυμότερου παιδὸς animositas) expeditè sequetur. Vale. Lugduni,

Calendis Maij,

1549.

HVGONIS SOLERII
MEDICI IN II. PRIORES
AETII LIBROS
SCHOLIA.

*

ἀβρότονον, Abrotonum.


BROTONVM Græcis iuxtà ac Latinis idem nomen seruat. Duûm est generum: mas & fœmina. mas officinis nomen retinet: Gallis aurone, aut de la guarde robbe: Italis, abrotono & ueronica: Delphinatibus, de la gabiouse: nostratibus belambroys: fœmina uerò Gallis, Delphinatibus, & nostris, du cypres: Italis cipresso & santolina nominatur: officinis crispula. off. ē parthenius

ἄγνος, Vitex.

Ἄγνος Græcis, Latinis uitex: officinis, copulata tum Græca, tum Latina uoce, agnus castus dicitur: Italis agno casto: Delphinatibus, nostratibus, & Aquitanis pebrier, quòd eius semen piperis modo acre sit, appellatur. Duo uiticis genera: altera ex purpura, candicantibus floribus, quæ & notior: purpureis altera, eaq; minus nota.

ἄγρωστις, Gramen.

Ἄγρωστις Græcis, gramen Latinis nominatur. Officinæ, Delphinates, nostrates & Aquitani Latinum nomen retinuerunt. Galli autem eam herbam, dent à chien, Itali gramina uocitant. Duo rum est generũ, uulgare & parnasiũ. Quod pro parnasio uulgo monstratur, plerisq; Fuchsij centum morbia putatur. & similius ueri est, parnasium gramen hisce orbis tractibus ignotum esse.

ἄγχουσα, Anchusa.

Ἄγχουσα Græcis: anchusa Latinis. Multa anchusarũ genera: Onochelos Gallis orcannete. Lycopsis officinarum cynoglossum censeri potest, & Gallorum bage. reliquæ species notæ sunt, & ex delineationibus petendæ.

ἀγαρικόν, Agaricum.

Idem nomen Græcis, Latinis, & officinis habet. Galli, Delphinates, & nostrates de l'agaric, Itali agarico appellant. duo eius genera, mas, fœmina, uulgaris tamen ambo notitiæ.

ἀγήρατον, Ageratum.

Græcis & Latinis idem nomen seruat: officinis & uulgo ignotũ: Italiæ anonymon. nostræ tamen officinæ herbam sanctæ Mariæ nominant. Nam in nostra prouincia quasi ubiq; luxuriat: sed præcipuè non procul ab Aquis sextijs in uuidis & argillosis locis.

ἀδίαντον, Adiantum.

Duo adianti genera: πολύτριχον, quod Theophrasto adiantum album: Gazæ Theophrasti interpreti, & officinis capillus Veneris, Italis capel uénere. τριχομανὲς, quod in duo genera distribuitur. Siquidem alterum Theophrasto adiantum nigrum, uulgo autem & officinis falsò polytrichũ nominatur: alterum uerò folijs filici effigie proximis, & uulgò simpliciter adiantũ nominari solet. Ad quartum adianti genus saluiam cognomento uitam referri quidam autumant: quidam Dioscoridis empetrum uolunt. ut ut tamen res habeat, constat eam multarum ac magnarũ uirium esse, ut in nostra simplicium historia, deo bene nostris cœptis fauente, dicetur.

ἀείζωον, Aezoon.

Ἀείζωον tum apud Græcos, tum apud Latinos dicitur. etsi Latini id quoq; sedũ uocent. Multa eius statuuntur genera. maius quod officinis semper uiua, nostris semper uiue: Gallis iou barbe: Italis sempre uiuo. minus Gallis de la trippe madame: nostratibus cacachet, Italis nunc uermicularia, nunc herba grassa, nũc granellosa, nominatur. Ad tertium genus referri potest officinarum uermicularis.

αἰγίλωψ, Aegylops.

Syluestris auena est, nostrisq; siuado fero, Italis squala, nominat.

αἶρα, Lolium.

Officinis nomẽ retinet, loglio & giolio Tuscis, alijs orzo di topi dicitur. Galli autem iurée, quòd se comedentes uelut inebriet: nostrates uero iueil, nominant. uulgaris est apud omnes notitiæ.

αἴγειρος, Populus nigra.

Latinum nomẽ officinis retinet: Gallis peuplier: Italis oppi: Longobardis pioppe: Delphinatibus un piuou: nostratibus pibóulo, quasi populus, dici solet. uulgo nota arbor est.

ἀκακία, Acacia.

Verã acaciam desyderat Europa: atq; idcirco eã nunc ex pruno syluestri colligunt officinæ.

ἀκαλήφη ἢ κνίδη, Vrtica.

Duûm est urtica generũ: syluestris, quę Gallis ortie grieche, aut græche: Tuscis ortica saluatica: nostratibus ortigo barbarano, id est barbara ac syluestris: altera mitior, nomenq; citra adiunctionem seruat. Officinæ Latinum nomen retinuerunt. Ambæ notæ sunt.

ἄκανθα, Acantha.

Officinarum est branca ursina: Italorum branca orsina. in locis maritimis copiosissima, ut & in Gallia, prouenit. Delphinatibꝰ inuẽtu rara, apud quos nusquã, nisi in hortis quibusdã uisitur.

ἄκανθα λευκή, Spina alba.

Existimatur à multis, etiam uiris doctis, ea esse herba, quam officinæ carduũ beatæ Mariæ nominant: quæ, inquam, ubiq; circa urbium fossas ac rudera pinguibus locis adolescit, affatimq; luxuriat: folijs amplis, candicantibus maculis conspersis, caule breui. Dioscoridis autem spina alba folijs constat, quàm albus chamæleon, angustioribus, caule procero, capite oblongo, echinato, & in montibus prouenit. Quæ rationes satis couincunt, uulgatum officinarum carduum Mariæ (qui Italis cardo di santa maria, & herba del latte, à lacteis maculis, nominatur) spinam Dioscoridis albã nõ esse. Vidi ego in montibus Delphinatus & in ipsis alpibus, locis asperis, cardui genꝰ, qui Dioscorideæ albæ spinæ imaginem prorsus referret. Folia enim angusta erant, candida, profundis diuisuris incisa, spinosa. Caulis cubito longior, molli incanaq; lanugine intectus: intus cauus, supremo quasi loco ramosus: caput echinatum, spinis ualde horridum, oblongum, oui gallinacei magnitudine: flores, ut plurimum, candidi, nonnunquàm purpurei. Radix digitalis crassitudinis, longa, foris ex flauo pallida, intus candida, gustus non insuauis, tantillum tamen adstringentis. Semen, quia nondum maturum tum esset, non obseruaui. Ex quibus notis certum est, eam plantam, ad spinam albam plurimũ accedere: non tamẽ ausim affirmare, donec res exploratior mihi fuerit.

ἄκανθα αἰγυπτία, Acantha Aegyptia.

His regionibus desideratur, Aegypto nimirum & Asiæ familiaris: Arabibus suchaa.

ἄκορον, Acorum.

Ad ueterum acorum reuocãt ex doctis quamplurimi galangam minorem officinarum: Alij contrà, nõ galangam (quæ illis cyperus Babylonicus est) sed officinarum calamum aromaticũ, ueterum acorum esse, multis ac ualidis argumentis affirmant: adeo ut hæc sentẽtiarum uarietas difficultate minimè careat. Verùm si gustum saporum (ut oculus est colorum, & reliquæ formæ) certissimum iudicem, consulamus: dubium non est, quin officinarum calamũ aromaticum, ueterum acorum esse existimemus. Is siquidem non calamus est, sed radix candicãs, odorata, plena, geniculis multis intercepta, gustꝰ acris, admixta (id quod Galenus lib. 6. simpl. in uero acoro requirit) tantilla amaritudine. Galanga autem minor quasi rubra spectatur, gustu, quàm sit aromaticus calamus officinarũ, acriore, citra amaritudinem, geniculis uidua. Quæ omnia conuincunt, nõ galangam quidem, sed calamum aromaticum officinarũ, esse ueterum acorum. Accedit calamum ex Lituania Ponti regione, non procul à Galatia, afferri, barbarorumq; lingua tattarschi zelij, id est, tartaricam herbam uocari: galanga uerò nõ ex Ponto, sed ex Syria Alexandriam, Alexandria Venetias, Genuam ac Massiliam ad nos importari. Postremò cõspici nonnunquã apud solidarios, calamum cum siccis folijs, quæ iridis folijs omnino respondeant. E' quibus colligere nõ sit difficile, calamum aromaticum officinarum esse ueterum acorum: ueterum autem calamum aromaticum adhuc ignotari (quòd ex India ad nos nõ adferatur) eiusq; loco sphagnũ, id est, arborum muscum, ex Galeni Pauliq; succidaneis, posse substitui. Plura de acoro & calamo odorato lege apud Petrum Andreã Matthiolum uirum apprimè eruditum, suis in Dioscoridẽ cõmentarijs. Habent officinæ suum acorum à ueterum acoro uiribus longè dissimile: radicibus purpureis, intortis, nodo-

sis, gustu, sine calfactiōe, ualde adstringēti, caule & folio iridis, sed folio angustiore, flore luteo. floret ineunte æstate. Nascitur ubiq; aquosis locis, & Gallis flabe bastarde, & glaieul d'eaue: nostris blaniou iaulne, quasi gladiolus luteus, nominat.

ἀκόνιτον, Aconitum.

Ἀκόνιτον Græcis: Aconitum Latinis. Duo sunt præcipua aconiti summa fastigia. Pardaliaches, quod, quorundam opinione, officinis uua uersa nominatur. Id uulgò anonymum est: heremitis tamen syluæ Gallicę quæ de liury nuncupatur, nec procul à Lutetia Parrhisiorum uersus orientem solem est, lachryma Iob dici solet. Alterū est lycoctonon, à perimendis lupis sic nominatum. Huius tria extant genera: duo ad luporum & aliarum ferarū uenationes nata: tertiū, quo ad purgationes, uomitu & deiectione moliendas, utuntur alpium rustici. Ea ipsa species eorum lingua nunc antónno, nūc antólo dicitur: Lyguribus autem & rusticis terrę cognomento nouę (quę agrum Delphinaticum & Pedemontanum interiacet, & usq; ad mediterraneū mare, inter nostrā prouinciam & Lyguriā protenditur) anthoro, & practicis nonnullis anthora nominatur. Illi folia insunt platano similia, minora tamen, nigriora, profundè per ambitū incisa: caulis palmū aut cubitum altus: radices geminæ, oblongę, utrinq; obtusæ & continuæ magnitudinis, id est, in neutra parte aut maiores aut minores: foris ex fusco colore subflauę, intus candidæ: ubi siccatæ fuerint, fractu satis difficiles, friabiles tamen. Vtriuslibet radicis ad fabæ magnitudinem in iusculo aut uino derasam propinant, ad largas duriorū corporū per superna & inferna purgationes. Debilioribus autē pro uirium ratione exhiberi à iam cōmemoratis rusticis, scimus. Secundum lycoctoni genus herbarijs itidem anthora: Lyguribus anthoro & thoro: alpinis Delphinatibus de la thoro nominatur. Hoc radices quoq; geminas, uerum unam ex altera appendicis modo nascentem habet, ima parte ualde acutas, supernè crassas, quatuor circiter digitos longas, foris nigras, intus ex terreo cineritias, napi modo turbinatas, eiq; effigie simillimas, actoto bulbo atris ferméque capillaribus radiculis uestitas. Caulis uerò bicubitalis, folia platani, subscabra, frequentibus ac profundis diuisuris incisa, nigricantia. Flos ex purpura cæruleus, lamij floribus haud absimilis. Semen in triangularibus tricuspidibusq; siliquulis exiguum, cnico quadantenus proximum, sed multò minus, uermiculorum exemplo rugosum, ima parte sessile, altera acutum. Hanc lycoctoni speciem esse officinarum napellum (ob eximiam similitudinem, quam eius radices cum napo habere, uel aspectu iudice, depræhenduntur) existimare quis possit: quanquàm ex Auicenna, intra terram, iuxta napellum talpam inueniri, eius radicibus uictitantem, quidam existiment, seq; uidisse affirment: id quod ego, fateor, non tam curiosè obseruaui (etsi reliqua omnia in defossis & euulsis plantis sæpissimè fuerim in alpibus ad unguem contemplatus) ut musculum illum inuenerim. Quartū aconitum, quod & ipsum lycoctoni quoq; tertia species est, uitigineis uel plataninis cōstat folijs, minus profundè, quàm aliorum sint folia, incisis, suppallidis: flore ex luteo pallido, secundi lycoctoni flori (ut semen triangularibus siliquulis contentum) effigie prorsus æmulo. Radice longa, crassa, multos in ramos siue appēdices inter se complicatis, diducta, ab aliorum radicibus ualde dissimili, ut quæ nullo pacto bulbi imaginē referat. omnes tamē, & pręcipuè duæ lycoctoni posteriores, species gustus horrēdi, supraq; modū abominabilis. Hæc postrema est herbariorum luparia, uenatoribus haudquaquā ignota: uulgo Delphinatium nota quidem, sed tamen anonyma: Italis autem luparia, & herba de la uolpe. Florent omnes mense Iunio & Iulij initio. Semen maturescit circa finem septembris. Prima species in syluis ubiq; prouenit. Reliquæ mōtibus altis delectantur, & in umbrosis apricisq; nasci gaudent. Hæc tam multa de aconito literis mandanda duximus, non ut plantam alioqui uenenosam, & maxima religione uitandam (præter primā lycoctoni speciem anthoram uerè dictam, quæ usurpari à doctis & prudētibus adhibito iudicio potest) omnibus cognobilē redderemus: sed ut, historia accuratè distincta, studiosum lectorē admoneremus, ne posthac sibi, ab imperitis quibusdam tum herbarijs, tū pharmacopæis, temerario nimis ausu, lycoctoni secundi generis radices, nigri ellebori radicum (quibus nulla ex parte respōdent) uice, in usum medicum uocantibus, imponi, suo dedecore, & mortalium irreparabili danno, sineret.

ἀκτή, Sambucus: χαμαιάκτη, Ebulum.

Ἀκτή Græcis: sambucus Latinis. Duo eius genera: maior qui ἀκτή: & minor, qui χαμαιάκτη Græcis nominatur. Maioris duæ nobis cognitæ sunt species: uulgata ac omnibus nota, quam fœminam appellauimus: & alia in excelsis frigidisq; mōtibus nascēs, omnibus herbariæ rei scriptoribus indicta, & paucis medicis cognita, quam certioris discriminis gratiâ, maris titulo insigniuimus. Vulgatior maioris sambuci species officinis omnibus Latinum nomen seruat: Gallis du sus: Italis sambuco: Delphinatibus, ut & sambucus mas, du sus, aut sur: nostratibus sambuc aut sambucquier & samicquier dicitur. Ebuli nomen tū Latinis, tum officinis est cōmune: Galli uerò yeble, Delphinates & nostrates ougue, Itali ebulo appellant.

ἅλιμον, Halimum.

Inter doctos ambigitur quid sit. Existimant quidam esse Gallorum blanche putain, quam nostrates tatine, & Delphinates tatoulier appellant. Verùm descriptio illi parùm conuenit, ut tutius inter adhuc ignotas plantas sit reponendum.

ἀλόη, Aloë.

Visitur herba apud Gallias eò aliunde importata, uulgòq; du perrocquet, ab insigni uirore: Italis, ut & succus, aloë appellatur. Succus ipsius, herbæ nomen retinet.

ἄλυσσον, Alyssum.

Si, ut autori ex aliorum sententia placet, syderitis heraclea est, multorū peritiam haudquaquam effugit. Quorundā opinione ad alysson referri potest uulgaris cauda uulpina. Nos autem alyssum relegandū existimamus inter ignotas nostro æuo plātas: quanquam spes est maxima excitatū iri præclara ingenia, quæ in illius & aliorū, quæ adhuc latent, peruestigationē pertinacissimè incumbāt, ac tandem multa tum difficilia, tum ignota, uulgatissima, mortalium omnium bono, uel maximo, sint reddituta.

ἀλσίνη, Alsine.

Ἀλσίνη Græcis: alsine, & auricula muris tum Latinis, tum officinis dicitur: Gallis autem, Delphinatibus & nostratibus du moron: Tuscis centone appellatur.

ἀμάρακον, Amaracum.

Amaracū autori & Galeno idē est cū Dioscoridis parthenio: qui partheniū ipsum amaracū uocari à nōnullis, quēadmodū sampsychum à Cyzicenis & Siculis amaracū quoq; nominari, cōmemorat. Magna est doctorū in amaraco, quod est Dioscoridis partheniū, controuersia. Quidā officinarū matricariā esse uolunt: alij cotulā fœtidā, quę Tuscis cota, Ferrariensibus brusciaculo, nostris, detractis tātum duobus de ueteri nomenclatione elemētis, amarō nominatur. Matricaria autē officinarū Italis amarella, Gallis anonyma, Delphinatibus de blancheto, nostris l'herbo de nostro damo uocatur: ut hinc manifestum liceat agnoscere inter illos discrimē. Verū si Dioscorides rectè cōsulatur, parthenij delineamēta cotulę fœtidę multò magis fauebūt, quàm matricarię: nā dodrātalis aut pedalis herba est (matricaria plerūq; bicubitalis) folijs coriandrinis, non (ut quidā peruersè calumniantur) fœniculaceis (matricaria multò amplioribus) odore graui ac tetro (matricaria nō item) sapore amaro, matricarię cōmuni, ut & flos intus melinus, per ambitū albus. Accedit cotulā fœtidā adhuc à nostrate plebe, amarō nominari. Quę omnia efficiūt, ut ipse cotulā fœtidā, nostris amarō dictā, uerū Dioscoridis parthenium esse existimē. Suum tamen, aliter cogitandi, iudicium cuiq; liberum relinqui uolo.

ἀμβροσία, Ambrosia.

Ignota herba est: quanquàm immeritò apud Gallias herbam quādam pro ambrosia ostentent: cui sanè tam cōuenit descriptio, quàm ruta similis est quercui.

ἄμι, Ami.

Latini & officinæ omnes Græcā nomenclationem retinuerunt. Lutetiæ notissima ac uulgatissima plāta, adeo ut uulgò ammi uocari iā cœperit: hic tamen & apud nostrates, quāquā inuentu nō difficilis, pharmacopolarū tamē desidiā, crassę ignorātię magistrā, ignota delitescit, etsi quotidie illius semen in usum medicum uocent. Quidam uolunt ignotam plantam esse.

ἀμάρανθον, Amaranthum.

Autor Galenum secutus amarāthi nomine eius plātæ uires exprimit, quam Dioscorides elichryson appellat: quamq; officinæ omnes stœchadem citrinū nomināt. Delphinatibus ioye dieu appellatione notissimum. Est & aliud amaranthū, flore purpureo, quod uulgus Gallorum, Delphinatium & nostratiū passe ueloux, appellitat: Itali autem fiore uelluto.

ἀμόργη, Amurca.

Amurca fex est olei oliuarum, quę in fundo uasorum residet: nostris crappe d'huyle, Italis morca & morchia uocatur.

ἀμπελόπρασον, Ampeloprassum.

Latini Gręcā nomenclationē in usum suum uerterunt. Sic dictū est, quòd uitium familiaritate oblectetur. Largus siquidem est illius in uineis prouentus, atq; ob id porrū uineale, cepa canina ab ipso uulgo: Tuscis autem porandello dicitur.

ἄμπελος λευκή, Ampelos leuce, Vitis alba.

Officinarū bryonia est, quę presertim apud Delphinates, pudēdo errore uitē syluestrē (quā Galli uiorne, nostrates aūt redorto,

quasi

quasi retortã, q arboribus uehemẽter implicet, nominãt) uitis albæ appellatiõe accipiũt. Galli uitẽ albã colourée: nostrates cocordier de serpẽt: Itali uerò zucca saluatica uocitãt. Ad uitẽ nigrã referri cõtendũt: alij flãmulã, sed falso, q ea clematidis altera species sit: alij sigillũ beatę mariæ, cui9 delineatio illi nõ illepide quadrat, quorũ certè sentẽtia nobis donec melior in mediũ adducta fuerit, pbat. Italis uitis nigra tamaro dici solet.

ἀμύγδαλα, Amygdala.

Græci, Latini ac officinæ idem nomen usurpant. Duûm præcipuè sunt generum, dulcia, & amara. Ex dulcibus quædam molli fragiliq; cortice integũtur, ac ob id nostratibus Græcum idioma sequutis abalanos, quasi ἀβάλανα, id est, cortice glandis destituta, & Delphinatibus metathesi syllabarũ alauanes dicta fuerũt. Quędã internũ corticẽ duriorẽ habent, & absolutè cõmuni nomine insigniuntur. Gallis enim ac Delphinatibus amẽdres, Italis mandole, nostris aũt amendos & amelos dicũtur.

ἀμμωνιακόν, Ammoniacum.

Officinis Græcas uoces ignorantia partim, partim desidia adulterantibus, armoniacum dicitur.

ἄμωμον, Amomum.

Desyderatur uerum amomum.

ἀναγαλλίς, Anagallis.

Latini Græcũ nomen usurparunt. Officinis morsus gallinę: Gallis morgelline, & petit morron. Duo anagallidis genera: flore cæruleo fœmina: phœniceo mas insignitur.

ἀνδράχνη, Portulaca.

Ἀνδράχνη Gręcis: Latinis & officinis portulaca: Gallis poulle pied, & pourpie: Delphinatibus pourchalle, nostris portolaigo, Tuscis procchacia: alijs Italiæ populis procellana nominatur. Duûm est generum, syluestris & hortulana: ambæ tamen uulgaris notitiæ.

ἀνεμώνη, Anemone.

Duûm est generum: syluestre unum: alterum in cultis nascens. Syluestris folio est fœniculaceo, flore ex uiolaceo, suppurpureo, magno, qui flantibus uentis patefit, atq; ob id herba uenti est appellata: (quanquã herbæ uenti appellatione parietariam helxinen usurpent officinæ) Gallis des coqueloúrdes. Hæc primo uere erumpit, floret, ac pòst paulum flos ipse uanescit in pappos. syluis Galliæ familiaris. Apud Delphinates in nemore Rosillionensi, & montibus Tincto oppido proximis inuenitur, nec non in agro Lugdunensi, ubi eius flos à rusticis des flascons nominatur. Quę uerò cultis locis prouenit, folijs est coriandrinis, puniceo flore, capitello rhœadis, frumentaceis agris familiaris. Gallicum nomẽ flori est des asphlenons, aut des rubis: alibi des passefleurs. Tertia florem lacteum aut purpureum edit, & ferè est ignota, nisi ea sit, quam passim Lutetiæ pro argemone ostentant. nam descriptio ei non ineptè conuenit, & penè tota adstipulatur.

ἄνηθον, Anethum,

Latini & officinæ Græcum nomen usurparunt. uulgus tum Gallorum, tum Delphinatium, tum nostratium de l'aneth appellat: Itali anetho.

ἄνθεμις ἢ χαμαίμηλον, Anthemis, Chamæmelum.

Chamæmeli nomen Latinis, officinis & uulgo Gallico, Delphinatico, & nostrati celebre est: illis enim camomille: Italis autẽ camamilla uocatur. Tria statuũtur anthemidis siue chamęmeli genera: leucanthemon chamæmelũ, chrysanthemon, & eranthemon: Ex quibus leucanthemon toti Galliæ notissimum, & usu multo clarissimum est: reliqua genera non item. Vult Fuchsius eranthemon consolidam regalem dici. Syluio præceptori nostro, Fuchsius erãthemi nomine cornuetam pingit, quam nonnulli ad edysarum referunt. Chrysanthemon chamæmelum hic inuentu rarum, & paucis notum.

ἄνησον, Anisum.

Officinis nomen retinet, uulgus Galliæ uniuersæ de l'anis: Italia autem aniso appellat.

ἀπαρίνη, Aparine.

Officinis rebulus & spargulum: Gallis du gratteron: Italis speronella. Philanthropi nomen ideò sibi adoptauit, quòd pertranseuntium uestibus adhærescat: omphalocarpi autẽ, quòd humani umbilici effigie semen eius sit æmulum.

ἄπιος, Pirus.

Varia ac penè innumera sunt pirorũ genera: Gallis des poires, Delphinatibus poires & perus, nostris de peros, Italis pera dicuntur. Arbor poyrier Gallis, & perier nostris.

ἀχράδες, Pira syluestria.

Notiora sunt pira syluestria, quàm ut explicari debeant.

ἀριστολοχία, Aristolochia.

In tria genera fastigiatur, longam, rotũdam, & clematitim. Longa officinis nomen retinet: Arabibus fausel, nostratibus fauterlo, & Delphinatibus de blousons, nominatur: Gallis iam aristolochie dici cœpit. Rotunda suam quoq; nomenclatiõnẽ seruat. nostris autem fellayo ab amaritudine, quasi fellago, dicitur. utraq; officinis notissima, & quotidiano usu clarissima. Italię ambę anonymæ. Clematitis autem, quantũ equidem iudico, adhuc ignota delitescit.

ἄρακος, Aracus.

Cicerculæ effigie autori similis est, ut possit cicercula syluestris censeri.

ἄρκευθος, Iuniperus.

Iuniperi duo genera: maior & minor. Volũt quidã maiorẽ iuniperum cade uulgo appellari: minorem autem genefure: nostrates tamen utramq; speciem una appellatione, cade nimirum, complectuntur. Iuniperus maior Gallis infrequens, Delphinatibus inuenitur, apud nos autem copiosissime fruticat, & plerunq;, calidioribus syluis, in arboream proceritatem assurgit. ambo ginepro Italis dicuntur.

ἀρνόγλωσσον, Plantago.

Duo plantaginis genera: maior & minor. maior officinis nomẽ retinet: minor quinquenervia aut lanceolata nominatur. Est & altera maioris plantaginis species, quæ priuatim officinis arnoglossum dicitur, rotundioribus folijs, lanuginosis & sessilibus, usuq; multo clarissima. Omnes uulgo notæ. nã Gallis & Delphinatibus du plantain, nostris plantage: Italis autem piantagine & centinerbia appellatur.

ἄρον, Aron.

Officinis iarrus, & pes uituli: Italis gigaro. Flos autẽ, q in uirilis pudendi speciem assurgit, Gallis uit de prebstre nuncupatur.

ἀρτεμισία, Artemisia.

Artemisia Græcis, Latinis & officinis, Gallis armoyse: Delphinatibus & nostris arcemise. Duûm est generũ: multicaulis, & unicaulis. Multicaulis in maiorem ac minorem diuiditur. Maior iam dictis nominibus appellatur. Minor quorundã sententia est uulgaris matricaria, quæ Italis amarella, Delphinatibus blancheto, nostris l'herbo de nostro damo nominatur. Aliorum non item, ut qui eam ad parthenium commodissimè referri putẽt. Tertiam artemisię speciem monoclonon dictam, ignorari est certissimum: ideòq; falli eos qui tanacetum officinarũ athanasiam, Gallorũ thanasie, Italorũ danéa, Delphinatiũ thanéo, & nostratiũ thanarido, artemisiæ speciem, præcipuè tertiã esse statuunt, ut quæ sit multicaulis, & grauissimũ spiret odorem: monoclonos contrà unicaulis, & suaue olens.

ἄσαρον, Asarum.

Officinæ antiquum nomen seruant: Gallis du cabaret: Italis bacchara dicitur.

ἀσπάλαθος, Aspalatus.

Desyderatur ueterum aspalatus: cuius loco suffici potest uiticis semen, ex Galeni succidaneis.

ἀσπάραγος, Asparagus.

Latini & officinæ Græca nomẽclatione utũtur. Duo asparagi genera. Altilis, & syluestris. Altilis ubiq; Galliarũ des asparges: Italis autẽ asparago. Syluestris qui & petræus, & myacãthinus Græcis dicitur, Delphinatibus rouge cõniz: nostratibus (apud quos copiosissimus ubiq; puenit) romieu conieu, quòd cuniculis annuũ pabulũ suppeditet, nominatur. Apud Delphinates nusq, nisi in hortis, uisit. Gallia asparago syluestri caret, nisi eò aliũde importetur. Illius radices magni sunt in medicina usus.

ἀστὴρ ἀττικός, Aster Atticus.

Quid fuerit aster Atticus, hacten9 dubitatũ à doctis penè omnibus est. Nos tamẽ, multis laboribus & uigilijs huic disciplinæ insumptis, dei beneficio uerũ asterẽ Atticum in gratiã tãdem cũ suo Dioscoride primi (quod equidẽ sciam) in Galliã superiore anno reuocauimus. Ea siquidem plãta est, quã nostrates officinæ Christi oculũ appellãt: Galliæ ignota, Delphinatibus inuentu rarissima: apud nos ubiq; tam frequens & copiosa, ut nusquã nõ pedibus, si uel tantillum in agros uel itinerũ margines diuerteris, conculcetur, ut alibi copiosius dicetur. In Italia frequens, sed uulgato nomine destitutus.

ἀσταφίς, Vua passa.

Vulgaris est ubiq; gẽtium notitiæ. Galli de la panse, ou raisin de panse, Itali uua passa, Delphinates raisins cõfitz, nostrates agibisses nominant.

ἀσταφὶς ἀγρία, Astaphis agria.

Officinis staphis agria. Semẽ enim sub plantę appellatione usurpant. Planta his locis non ita familiaris. Apud Gallias in hortis frequens. Gallis, Delphinatibus & nostratibus de la graine de l'esparuier dicitur. In Italia anonyma.

ἀσφόδελος, Asphodelus.

Officinis aphrodilus. Apud Pictauios freqũs, & alendis suibus accommodus. hic rarus. Apud nos copiosissimus nascitur, & uulgò de porraches, à similitudine foliorum porri, appellatur

latur: in Italia uerò amphodillo.

ἀτρακτυλίς, Atractylis.

Ἀτρακτυλὶς Graecis: Atractylis Latinis: officinis & uulgo ignota. Nam cnici generibus, & acarna candidior à Theophrasto cap. 4. lib. 6. hist. plāt. pingitur: cuius foliū peculiare hoc habet, ut uulsum, & carni admotum sanguineum succum remittat. unde sanguinis cruentæ'ue nomen herbæ inditum. graui est præterea & maligno odore. Semen tardè perficit, autumno nimirum. Quæ notæ satis sunt ad improbandam eorum sententiam, qui syluestrem cnicum primi generis, atractylidem esse autumant: ut taceam ea omnia atractylidi parum aptè assignari, quæ Theophrastus loco iam commemorato, manifestis uerbis de cnico pronunciauit. Sit igitur atractylis ex earum plantarum genere, quæ adhuc parum cognitæ sunt: & putata atractylis, atq; carduus benedictus (ex Theophrasti sententia) syluestris cnici species: hic, posterior: illa, prior, ut in in cnico dicetur.

ἀτράφαξις, Atriplex.

Latinis & officinis idem obtinet nomen: Gallis nunc bonne dame: nunc prude femme: nunc des arroches: Italis autem trepese, & reppese uocatur.

ἀψίνθιον, Absinthium.

Quatuor absinthij sunt genera. Ponticum, quod officinæ Romanum appellant. Santonicum officinis propè omnibus ignotum: eius tamen semen santonicæ aut seminis contra (uulgus Gallorum id mort à uers, & cum nostratibus, barboutine uocat) appellatione celebratissimum: quanquam non desint, qui absinthij marini semen id esse existiment. Seriphium seu marinum, tum officinis, tum medicorum non paucis incognitum, maritimis tractibus familiare ac copiosissimum. Et uulgare, quo solo, maximo tum errore, tum mortalium detrimento, utuntur omnes fermè officinæ: tanta est earum cæca ignorantia, & uirtutis inimica, desidia. Omnia absinthij genera Lutetiæ Parrhisiorum uisuntur, præter marinum, quod ipsi Tholone, & alibi passim maritimis locis millies uidimus. Ponticum in hortis Lugdunensibus copiosum diligentia Claudij Milleti, medici doctissimi, & rei herbariæ peritissimi iam luxuriat. Vulgare absinthium Lutetiæ de l'aloine: Belgis & Delphinatibus du fort, nostratibus d'eyssensis quasi d'absinthium, Italis assenzo nominatur. Reliqua genera, uulgata, quod sciā, nomenclatione carent.

βάλανος μυρεψική, Glans unguentaria.

Glans unguentaria Dioscoridi fructus est arboris myricæ similis, in Aethiopia, Aegypto, Arabia, & Petra secus Iudeam. Is Arabibus ben dicitur. Duūm est Mesuæ generum: maior & minor. Maior auellanæ magnitudine spectatur, triangularis quodammodo, superiore sui parte uetricosior, inferiore tenuior, & nonnunquam sessilis, interdum subacutus: & (quæ est naturæ in rebus fingendis uarietas) quandoq; multangulus, proq; sua magnitudine ponderosus: cortice pistacij, læui, sed fragiliore ac subfusco: intus carnosus, carne oleosa, leni ac pingui, quæ paulò diutius mansa nauseam prouocat. Hic fructus copiosissimus nostra ætate in Hispania prouenit: iamq; inde Venetias portatur: solidarijs non ignotus: suffumigatoribus ben nomine notissimus. Est & minor myrobalanus, ciceris magnitudine, niger, malus: qui Mesuæ, si ex nigro albescit, & medulla est alba, leni, pingui, & uetus, est innocentior. Hic ambo inueniuntur. Minorem tamen nondum uidi. Maioris glādes habeo plures uiginti, quæ ueterum tum Græcorum, tum Arabū descriptioni tam elegāter conueniunt, ut certissimum sit ben suffumigatorum & solidariorum esse Græcorum balanon myrepsicam, & Arabum ben.

βάλανος, Glans quercina.

Glandis quercinæ, ut & quercus ipsius, uaria sunt genera: nota tamen, & speciei appellationem retinentia, ut de quercu dicetur.

βάλσαμον, Balsamum.

Nomine tenus cognita sunt tū liquor, tum fructus, tū lignum: tametsi uidere est apud solidarios & pharmacopolas fructum & lignum res plane à carpobalsamo & xylobalsamo diuersas. Ex Galeni tamen succidaneis opobalsami loco substitui potest myrrha stacte, quæ est purissima totius liquoris portio, &, doctorum sententia, styracis liquidi nomine cognita: aut oleum irinum, aut odoratissimæ iridis radix: aut xylobalsamum oleo ueteri incoctum, Manardo. Alijs aliæ misturæ, quas in recentiorum libris inuenies. Xylobalsami autem inopiam emendant, albæ uiolæ radices. Carpobalsamo nullum succidaneum est, ut tutius sit à uulgaris carpobalsami usu abstinere.

βαλαύστιον, κύτινος, Balaustium, Cytinus.

Hoc discriminis inter se duntaxat habent, quòd illud syluestris, hic hortensis punici mali flos sit. Ambo uulgaris notitiæ. Nomen enim apud officinas retinent.

βάτος, Rubus.

Bati nomen communiorem nobis appellationem sortitur, buysson scilicet, qui ad omnem spinosum fruticem se extendit. Rubus autem magis propriè accipitur ronse: nobis roumi: Italis rouo. Rubi duo genera, maior qui & celsus barbaris dicitur: minor qui bassi nomen ijsdem obtinuit: humilior enim est, humi fermè ubique repens, & in medicos usus accommodatior.

βατράχιον, Ranunculus.

In quatuor fastigia distribuitur. Vulgare flore luteo, uineis familiare, cuius flores Galli des bassins appellant: herbam, hic piepou. Lacteo flore insignitum, in syluis Galliæ & Delphinaticis copiosissimum. Vulgatum apium risus, in stagnantibus, aut pigro lapsu repentibus aquis frequētissimum. Purpureū, nobis non adeo familiare: quanquàm id ad pedem corui referri quidam uelint. Rari sunt his temporibus in medicina usus. Ranunculi Italis pie coruino, & pie di gallo nominantur.

βδέλλιον, Bdellium.

Officinæ, uocum adulterio gaudentes, bedelium uocant.

βλῆτον, Blitum.

Betacei generis olus est, Gallis du bleti, Italis biedoni.

βολβὸς, Bulbus.

Bulbus: alius esculentus, qui Gallis des appetitz, quòd sit uelut quoddam gulæ cibos fastidientis iritamentum, appellatur: aut etiam oignonet, à forma cepę, quam repræsentat. Vomitorius alius, mihi ignotus. Non desunt tamen, qui utrunque bulbum ignotum esse uelint.

βούγλωσσον, Buglossum.

Vulgaris borago est. Cuius duæ sunt species: hortensis, quæ Italis borragine: toti Gallię borrache: nostris borrayo: & erratica. Quæ uerò herba passim pro buglosso in usum medicum trahitur, ad Dioscoridis circium doctorum omnium consensu est referenda.

βούφθαλμον, Buphthalmum.

Cotula officinarum non fœtida est. Nam uulgarem cotulam fœtidam uerum Dioscoridis parthenium esse, eius delineatio demonstrat, ut suo loco, in amaraco uidelicet, diximus.

βούνιον, Bunium.

Gallis nauet, aut naueau: Italis nagoni. Semen eius de la nauette: Delphinates & nostrates etiam naueau appellant: nostri tamen, frequentius rabo nominant, buniadis ac rapi nomenclationem confundentes.

βράθυ, Sabina.

Officinis sauina: Gallis du sauinier: Delphinatibus & nostris sauine: Italis sauina. Duo sabinæ genera: unum folijs cupressi, notum: Alterum tamarisci, non ita multis cognitum. Facit Dioscorides sabinam herbam arborē coactæ breuitatis, quod ut plurimum accidit. nos tamen anno superiore duas apud Delphinates sabinæ plantas uidimus, quarum altera quatuordecim, altera duūm supra uiginti pedum altitudinem excederet, ac superaret.

βρεταννική, Bretanica.

Doctorum penè omnium iudicio, officinarum & herbariorum bistorta est: Galliæ & huius gentis montibus præcipuè familiaris: quidam tamen bretanicam ignotam putant.

βρῶμος, Auena.

Vulgaris est notitiæ: officinæ nomen Latinum usurparunt: Gallis & Delphinatibus auoine: nostris siuado: Italis uena, & biaua.

βρύον θαλάττιον, Marinus muscus.

Officinis corallina. Inuentu facilimus in mari, unà cum corallio, cum quo euellitur, & ab eo nomen sumpsit.

βρύον, Muscus arborum.

Is est, qui arborum caudicibus adhæret. duūm generum est: Procerior & prominentibus barbis adsimilis: umbrosarum syluarum & uallium arboribus adnascens: hic rarus est, & ueluti per floccos sparsus ac distributus: Alius breuior, densus & crassior roborum caudicibus agglutinatus: uterque uulgò de la mousse, officinis usnea, Italis mosco appellatur.

βρυωνία, Bryonia.

De bryonia in uite alba dictum est.

βουβώνιον, Bubonium.

De bubonio suprà in astere Attico diximus: copiosissimè eius historiam alibi exaraturi, si domino ita uisum fuerit.

γεντιανή, Gentiana.

Officinis nomen retinet: Gallis de la gentiane: Delphinatibus (apud quos, si usquam gentium, copiosissima progerminat) & nostratibus de genssano: Italis gentiana uocatur. In ore est

est omnibus. radix plurimis cognita, planta non ita multis. excelsis enim montibus, eorúmque planiciebus delectatur. Nec facile est gentianam calidiore solo, sponte natam, inuenire. Faciunt nonnulli & minorem gentianam, quæ alibi rarò quàm in montibus inuenitur, gustu amarissimo, folio quasi saponariæ, flore cæruleo, radice digitali, caule dodrantali, nodoso, læui. Eam sæpius uidi in montibus, argillosis præsertim in locis. Floret æstate. Semen uix maturescit. Aiunt eam quibusdã Italiæ populis uulgo petimborsa nominari: maximarúmq; ac nobilissimarum uiriũ esse. Ea Fuchsio cruciata nominatur.

γίγαρτα, Vinacea.

Officinis arilli, Gallis des pepins, nostris des grignõs, ac si dicas granula, appellantur: uulgaris sunt notitiæ.

γιγγίδιον, Gingidium.

Officinarum est chærepholiũ, uulgus item Gallorũ, Delphinatium & nostratiũ du cerphueilz nominat, nulli matronæ olitoríue incognitum. quanquàm sunt qui contendant uerum gingidium in his regionibus ignotum esse.

γλαύκιον, Glaucium.

Quidam, & quidem doctiores, putant apud seplasias memithæ nomine haberi: alij ignotum esse contendunt. Nos eam litem alijs dirimendam relinquimus. Constat tamen certumq; est, multas remediorum formulas parari posse, si memitha glaucium sit, quæ alioqui nequaquàm parabuntur.

γλήχων, Pulegium.

Officinæ nomen seruant: uulgo du polieu aut poliot: Italis pulegio.

γλοιός, Balnearum sordes.

Balnearum quasi obsoleuit usus, præterquàm in Italia: atq; ob id sordes huiusmodi ad usus medicos non expetuntur.

γλυκύῤῥιζα, Radix dulcis.

Officinis corruptè liquiritia pro glycyrhiza: Gallis reglice: Delphinatibus & nostratibus regalice: Italis regolitia. Radix maximi in medicina usus. planta non ita multis cognita. Succi autem glycyrhizæ inopia ut sarciatur habes cap. 52. lib. 8.

γλυκυσίδη, Pæonia.

Officinæ nomen retinent. Duũm est generũ: mas folijs iuglandis, fœmina latioribus, rotundioribus, & insigniter dentatis, adq; smyrnij folia proximè accedentibus. Vtraq; species Lutetiæ in hortis inuenitur. Fœmina his locis copiosissima. Galli utranq; speciem una appellatione complectuntur: nã pæoniæ flores des roses nostre dame nominant: hic, quod sciam, anonyma est. Nostrates de piouno uocant.

γναφάλιον, Gnaphalium.

Putatur uulgaris officinarum cotonaria: quibusdam tamẽ ignotum est.

γογγυλίς, Rapum.

Latinis & officinis idem nomen seruat. Gallis & Delphinatibus des raues: Italis rape: nostris rabes: quanquàm hac appellatione buniada quoque, id est, napum complectantur. Galli itidem ea uoce raue rhaphanum hortensem plerunque nominant.

Δαμασώνιον, Damasonium.

Ad damasonium referunt docti herbariorũ plantaginem aquaticam, cuius penuriam sarcit eryngium cap. 29. lib. II.

Δαυκος, Daucus.

Officinæ nomẽ quidem retinent: At suspicio est uel maxima, primam dauci speciem his regionibus ignotam esse. Ad secundã reuocat Manardus lebysticũ officinarũ, quod sanè assentiẽte multorum doctorũ uirorũ iudicio ac testimonio smyrnion Dioscoridis est. Sed tamen ad secundum genus nõ ineptè referrentur saxifragæ uulgares, etsi eas quidam sui generis herbas existiment. Tertium genus uulgaris est notitiæ, & solum apud officinas, dauci nomine, in usu creberrimo.

Δάφνη, Laurus.

Officinis nomen seruat. lauri baccæ in usu sunt frequentissimo: planta rarissimo. Gallis, Delphinatibus, & nostris laurier, Italis lauro.

δίκταμνον, ψευδοδίκταμνον, Dictamnum, Pseudodictamnum.

Officinæ diptamum appellant. Verum dictamnon ex Creta insula (cuius unius soboles est) Venetias: Venetijs Lugdunũ importatur: quo loco id mihi, sed siccum, uidere contigit: rarum tamen negotiatorum incuria hic est. Pseudodictamnon in Hispania copiosissimum: hic ignotum.

δίψακος, Veneris labrum.

Officinis & herbarijs uirga pastoris. Duo eius genera: hortensis, Gallis chardon à bonetier, Italis cardo: syluestris nostratibus de brustis, id est, scopa uestibus emundandis dicata, nominatur.

δορύκνιον, Dorycnium.

Ignoratur.

δόλιχοι, Dolichi.

Vulgo nostratium phaioulx rouges, Italis fagiuli turcheschi nominantur: maritimis præsertim locis assiduo cultu nobiles, & cibis propè quotidianis expetiti.

Δρακόντιον, Dracontion.

Tria sunt eius genera: primum uidit Plinius in Hispania, nostris temporibus ignotũ: alterum est uulgaris serpentaria maior: tertium, minor, seu uirile sacerdotis. Dracontiõ Italis dragõcello & serpẽtaria. Ruellio placet hoc caput apud Dioscoridẽ ascititium esse, quod simile ueri non est. Nam id Galenus silentio minimè erat prætermissurus, quem constat lib 6. simpl. satis amplam de dracontio mentionem fecisse.

Δρῦς, Quercus.

Δρῦς Grẹcis: Quercus Latinis & officinis: Gallis & Delphinatibus chaisne: Italis quercia: nostris roure. Ad quercum multæ glãdiferę arbores referuntur: ἰλὲξ, Latinis ilex, quæ duorũ præcipuẽ est generũ. Pumilla, quę post coccũ baphicum rubrum (nostri, apud quos plurimus colligitur, uermilhon appellant) glandẽ de se promit. Procera, quæ nostro sermone eulse, Italico elice dicitur. Est & tertia ilicis species aquifolia cognominata. Huius duo quoq; genera. Mas pumilla, quæ fructũ ex croceo purpureũ, pisi magnitudine, & effigie racemosum, autũno inclinãte ad hyemem, profert. In agro Delphinatico & Lugdunensi copiosissima. Fœmina procerior, arborq; iustæ magnitudinis, naturâ sterilis, folijs latioribus & magis aculeatis, quam Galli du houx, nostri greu uocant: ex cuius cortice uiscũ optimũ cõficiũt aucupes. Ad quãtã ilicis speciẽ iure optimo suber referri potest: cuius cortex Gallis du liege: nobis tũ arbor, tũ cortex suue, Italis souero nominaẗ. Maritimis (quod Plinius minimè existimauit) nostrę puincię locis, circa Forũ Iulij, & Grassã, urbes nõ incelebres, familiare. Ilicis species oẽs perpetua fronde uirẽt, & robustissima sunt materie. Quercuum generi à quibusdã assignatur fagus, quæ Gallis fausteau: Italis faggio: nostris faus. eius fructus Gallis des faines: nostris fayo: Italis ghianda di faggio nominatur. Is triãgularis est, & rusticis, instãte fame, in cibis, ob dulcedinem, expetitus: præcipuumq; ursorum pabulum.

ἰβίσκος ἢ ἀλθαία, Ebiscus, Althęa.

Nobilissima, quãquàm syluestris, species maluæ est, & usu medico celebris: uulgo officinarũ & herbariorum bismalua, ab eius prestãtia, Gallis guimaulue, Italis malua uisco, nostris maulue blãche dicitur. Est & alcea herbarijs herba symeonis, Italis nũc bismalua, nuc malua saluatica, interdum buon uischio, & malna uischio nominata.

ἔβενος, Ebenus.

Autori lignũ est. Dioscorides indeterminatã eius generis, lignũ ne esset, an aliud, nomenclationẽ reliquit. Pausaniæ, in Attica historia, radix cẽsetur, qui, ex herbarij cuiusdã cyprij sentẽtia, hęc de ebeno scriptis mandauit. Equidẽ audiui Cyprium quendã, qui herbarum genera omnia ad medicandos homines optimè dignoscere sciebat: is ebenum folia producere negat, neq; ullum fructum ex ea existere: deniq; sub sole nusquam apparere, sed esse radices subterraneas, quas Aethyopes fodiant, apud quos sint qui ebenum reperire sciant. hæc ille. Ex quibus colligi potest, quid sit ebenus. Apud doctos nomen retinet: Italis de l'ebeno, officinis ignotus. De hebeno plura lege apud Solinum cap. 65. ad hæc apud Plinium, & Theophrastum.

ἐλαία, Olea.

Ἐλαία Græcis: Latinis olea. Duũm est generum, urbana & syluestris: urbana Gallis, Delphinatibus & nostris oliuier, Italis oliuo: fructus oliue nominatur: arborq; est omnibus nota. Syluestris autẽ officinis, medicorum plurimis, & Gallis incognita: nostris & Delphinatibus nostrę prouincię (nã frigida loca horret & calidis delectatur) conterminis alauerd, ac si dicatur olea uiridis, & d'alauerd, Italis oliuo saluatico nominatur. Folia enim quàm domestica uirentiora, minora, breuioraq; habet, & per ambitum molliter crenata. In syluis frequens nascitur, unde sibi apud Græcos id cognomentũ adoptauit. Apud nos copiosissima inuenitur.

ἐλαφόβοσκον, Elaphoboscum.

Officinarum & herbariorum gratia dei est, iam cognitu facilis: Gallis quibusdam de la phalouse. Lutetiæ innominatum, ut & Italiæ.

ἑλένιον, Helenium.

Vulgaris iam est notitiæ. Officinis & herbarijs enula campana: uulgo Gallorum, Delphinatium & nostratium, de la campane, Tuscis lella, alijs enola, & enoa, usu multo celebris.

ἐλλέβορος, Veratrum.

Veratri duo summa fastigia: album & nigrum. Album Gallis de l'ellebore: Italis elleboro bianco: rusticis alpium de uerare & de uararou: nostris uerayre nominatur. In excelsiorum montium pratis luxuriat, humidioribusq; præsertim locis (in quibus non rarò cãdidi ueratri caulem, tricubitalem implere longitudinem conspexi) delectatur. Frequens ac copiosum apud Delphinatiũ mõtes, & in alpibus prouenit, nulli è plebe ignotum. Nigrũ officinis nomen, ut & candidũ, seruat: quanquàm inter doctos non constat, an ea planta, quæ nigri ellebori nomine celebratur, & in medicos usus admittitur, nigrum ueratrũ sit. Scio plerosq; pharmacopolas ualde deceptos lycoctoni secundi generis radices inconsultò pro nigro ueratro in suis tabernis uenales habere, eisq;, quoties nigrum ueratrum expetitur, pudore omni deposito, uti. Fuchsio, placet consiliginem Plinij & Columellæ (quæ Gallis poumelée: Delphinatibus marsitre: nostris pomolueyo, quasi polmoniero, id enim nomen iam dictis autoribus quoq; habuit, nominatur) nigrũ elleborum uocandam, &, alterius inopia, in usum uocandam esse. Alij, etiam uiri celebres, tria nigri ueratri genera in Italia nasci contendunt: primum, cui purpurei: alterum, cui candidi: postremum, cui herbidi insint flores. E quibus nos duo priora, lycoctoni aconiti species: postremum, Columellæ ac Plinij consiliginem esse existimamus. Siquidem Alpini Delphinates radicibus primi aconiti lycoctoni generis utuntur ad mouendas utrinq; purgationes: eorúmq; lingua antonno & anthoulo, Lygurum uerò anthoro dicitur: duas posteriores species ad luporum & aliarũ ferarum uenationes ac perniciem reliquas faciũt. Postremum, id est Columellæ ac Plinij consiligo, Fuchsio, ut dictum est, elleborus niger adulterinus: Gallis poumelée, Delphinatibus marsitre, nostris pomolueyo nominatur, maximarũmque uiriũ est contra omnis generis inflationes, maximè uenenosas: contra ellebori albi, ouillũ pecus malè habentis, uiolentiam: contra pestilentiæ contagia, ut quotidiana miréque salubria rusticorum experimenta testantur. Siquidem oues quæ pullulascentem candidũ elleborum, unà cũ reliquo pabulo, deuorarint, statim totæ intumescunt tantoperè, ut minimũ absit, quin præ immodica tensione disrumpantur, uomuntq; assiduè ac magnis conatibus. Vnde opiliones, nõ ignorata tã perniciosi alimenti inclemẽtia, cognitoq; salutari remedio, consiliginis ramis aliquot arreptis, malè affectarũ & de uita periclitantiũ pecudũ terga, uentrẽ, lateráque eis tandiu percutiũt, (eas obambulare cogentes) donec totus immodicúsq; ille tumor euaporarit, & uomitus sedat⁹ fuerit: id quod duabus tribúsue, ad summũ, horis perficitur. Ad hæc scio nostræ prouinciæ rura, ad quãuis pecoris contagionem, trunco cõsiliginis uti, perforatis ferro animaliũ auribus, truncóq;, ad extirpandũ uenenũ, foraminibus impacto. Quamobrem simile ueri non est, consiliginẽ, cùm ueratri candidi uitia emendet, eiúsq; malignitati aduersetur, nigrũ elleborũ esse: nihilq; mirũ uideri, si uiri docti, magno successu, primi generis lycoctono aconito, & Plinij consiligine, ad melancholicas affectiones utantur. Cæterũ si quis cõmemoratarũ iam plantarum radices diligenter expendat, nihil illas cum nigri ueratri radicibus (quæ teste Dioscoride, cepę modo bulbosæ sunt, erumpentibus ab imo earum bulbo multis radiculis) cõmune habere multò euidentius cõperiet, quàm ut pluribus demonstrari nunc debeat. Taceo nullam ex his plantis, dum uelluntur, capitis dolorẽ, ob uaporũ halitum, cõcitare, ut ipse millies sum expertus. Id qđ in nigri ueratri euulsione testatur Dioscorides: citissimè, ad uitãdos dolores, euellendũ esse. Ex his igiť cõstat, nullã harũ triũ plãtarũ, ad nigrũ ueratrũ satis aptè posse reduci, qn duas priores, aconiti lycoctoni postremas species esse: postremã herbam sui generis: difficiléq; his in regionib. nigrũ ueratrũ inueniri, sed nomine ten⁹ cognitũ esse.

ἑλξίνη, Helxine parietaria.

Officinarum parietaria est. Delphinatibus de l'esparge: nostris spargoulo: Gallis paritoire: Italis uetriola.

ἔλυμος, Panicum.

Panicum nomen officinis & Gallis, du panicum appellantibus, retinet: Italis panico, & panizzo.

ἔμπετρον, Empetrum siue epipetrum.

Vulgatam cretam marinam ad empetrũ referri quidam uolunt, sed nequicquam: nam ignota his regionibus herba adhuc est. Epipetri tamen inopiam sarcit scammonium pari põdere cap. 76. lib. 3. Est & Fuchsio suum empetrum seu saxifragium, quod officinæ saluiam uitam: & Delphinates sauue uie appellant: quodq; dominus Iacobus Sylvius præceptor meus longè doctissimus, ad quartum adianti genus reducit: quæ herba à ueterum empetro siue epipetro longè diuersissima, tum delineamẽtis, tũ facultatibus est, quẽadmodũ alibi suo loco dicemus.

ἐπίθυμον, Epithymum.

Officinis nomẽ retinet, omnibúsq; in ore est: thymo & satureiæ adnascitur. usus est in medicina celebris, & multi.

ἐρέβινθος, Cicer.

Officinæ Latino nomine utuntur. Gallis pois ciches: Delphinatibus & nostris ceses, Italis cece. Duo ciceris genera, album & nigrũ, quod arietinum uocatur, inq; medicinam recipitur, & officinis cicer rubrum nominatur. Album, aliud maius, aliud minus. Maius fabas sua fermè magnitudine æquat: coctionem paucam sustinet, & cibum palato suauissimum prẽstat: meis Sanionensibus familiare, qui, à magnitudine sumptâ appellatione, gros cese nominant: minus omnibus notum.

ἕρπυλλος, Serpyllum.

Nomen officina seruat. Gallis & Delphinatibus du serpoulet, Italis serpillo, nostris serpoulhet dicitur.

ἐρύσιμον, Irio.

Eruca nobilis herbarijs: Gallis noble roquette: officinis ignotũ. Italię anonymon. Erucæ species est. urbium fossis & itinerum marginibus familiare. Luteum florem promit.

ἐρυθρόδανον, Rubia.

Duo erythrodani genera, maius quod rubia maior, aut rubia tinctorum: minus rubia minor officinis & herbarijs dicitur. maior autem rubia Gallis de la guarence: nostris autem rouio, & Italis robbia, nuncupatur.

εὔζωμον, Eruca.

Officinis nomen seruat. ubique Galliarum de la rocquette, Italiæ ruccheta. omnibus nota.

εὐπατόριον, Eupatorium.

Officinarum est, & Italorum, agrimonia: Gallorum agrimoine: nostratum agrimoni. Quod autem officinæ eupatorium appellant, hydropiperi Dioscoridis maximè respondet.

εὐφόρβιον, Euphorbium.

Habetur, & nomen retinet. Si recens non adsit, ueteris duplum substituitur. cap. 31. lib. 12. Sin omnino desit, sulphur aut castorium eius loco admittitur, cap. 27. lib. 14.

ζεία, Zea.

Est uulgaris Italorum spelta. Gallis, Delphinatibus & nostratibus espeulte.

ζιγγίβερι, Zingiber.

Officinis gingiber, Gallis du gingembre, Delphinatibus & nostris gingibre, Italis giengeuo. Officinis duplex habetur: albũ à uulgo magis expetitum, & minus præstans, ob adulterium dolò contractum: flauum, aut penè terreum: ambo notissima.

ζῦθος, Zythus.

Potus genus est, ex ordeo aqua tãdiu macerato, donec in liquorem uino similem resoluatur.

ζύμη, Zyma, Fermentum.

Officinis fermentum: Gallis du leuain: Delphinatibus leuam: nostratibus leuame.

ἡδύοσμον, Menta.

Mentæ duo genera: satiua, & syluestris, quę mentastrum Latinis, nobis mentastre, Italis menta saluatica appellatur. Satiua in quatuor species distribuitur, quę nõ ita multũ à sese differunt. nomen omnes retinẽt, excepta una specie quæ balsami nomẽ sibi apud uulgus adoptauit. Nã du baulme passim oĩbus uocať.

ἡδύσαρον, Securidaca.

Ruellio placet edysarum, de la graue, quòd frumentis sit molestũ, Gallis nominari: alijs des cornuettes diciť, à similitudine quam siliquæ cũ corniculis habent. Hanc, cornuettã inquam, Fuchsius, ut Sylvius noster annotauit, eranthemi chamæmeli nomine depinxit, quẽadmodum in Anthemide diximus. officinis q̃ sit ignoratur. In Italia autẽ freqũes est, sed anonymon.

ἡμεροκαλλίς, Emerocallis.

Quid sit, non ita inter doctos constat. quidam lilium, cui flos est croceus, hemerocallim putant uocari: quidam adhuc inconsultiùs, ne ineptiùs dicam, genus quoddã satyrij flore pallido aut subalbido hemerocallim faciunt. Italis autem giglio saluatico nominatur. Memoria teneo me, anno domini 1547. mense Maio, non procul à Lugduno herbam quandã uidisse, cui notæ hemerocallis omnes magno cõsensu adstipulentur. Siquidem bulbosam habet radicem, satis magnã, tuniculis ceparũ exemplo intertextam, cãdidã, succosam: caulem rectum, teretem, caulis lilij aut asphodeli æmulum: per singulos exortus, uersus caulis summum, flores exiguos, suppallidos, florem lilij figura omnino repræsentãtes: folia porracea, non numerosa, humi strata, & alia omnia, quæ eam plantam hemerocallim esse apertè conuincant. Copiosissima nascitur in monticulo, seu uerius colle terreno quodam, qui planitiem, quã Lugduno Viennam Allobrogum iter est, terminat. Floret mense Maio. Quod illi sit uulgatum nomẽ, me ignorare ingenuè fateor: in ea tamen sum sententia, ut eam quam depinxi herbam

bam hemerocallim esse certò existimem.

ἠριγέρων, Senecio.

Officinis nomen retinet: Gallis du seneçon: Delphinatibus, & nostris de seniçon: Italis cardoncello & spelicciosa. herba est uulgo nota, & magni Aëtio in hepatis affectibus, momenti.

ἠρύγγιον, Eryngium.

Officinis iringus: herbarijs centum capita: Delphinatibus panchault: nostris panicaut: Gallis (ut & Italis) nullũ, quod sciam, apud uulgus nomen obtinuit, ut alibi fusius annotauimus.

θαψία, Thapsia.

Θαψία Græcis iuxtà ac Latinis: officinis prope omnibus, Gallis & Delphinatibus ignota. Musæ Brassauolo in quibusdam Italiæ mõtibus prouenit, & à rusticis crassegnana uulgo nũcupatur. In nostræ quoq; prouinciæ mõticulis quibusdã, prope Pertusiũ celebre oppidũ, quos uocãt Les troys freres, nascitur, pharmacopolis eius urbis cognita, uulgo ignota. plurima quoq; in Apulia luxuriat: uulgo tamen anonyma. Nec hoc loci id est de thapsia silentio obliterandũ. Si quis spiràtibus uentis: hpasiam (media existente inter illũ & aurã herba) fossorio rastro euulserit, tã molestos illico pudendorũ experietur pruritus, ut præ scabendi assiduitate ac pertinacia, absit quàm minimùm, quin sibi uirile membrũ euellat. Id enim ab ijs q̃ periculũ fecerunt, nuper intelleximus: ut inde facilè sit obseruationẽ cõfirmare, quam in eruenda thapsia præcipit Dioscorides.

θέρμος, Lupinus.

Officinis nomen seruat, uulgo ubiq; Galliarum des lupins, Italis lupino. Duorum est generum, satiuus & erraticus.

θλάσπι, Thlaspi.

Capsella & scandulaceũ Latinis: officinis ac herbarijs nasturtium tectorũ, & sinapi rusticum. Duo thlaspios genera, maius & minus: utrũq; lapidosis & uineis delectatur, herbariæ rei studiosis iam notissimum, uulgo ignotum.

θρίδαξ, Lactuca.

Lactuca alia crispa: rotũda alia: alia capitata: officinis nomen retinet. Gallis & Delphinatibus laictue: nostris lachugo: Italis lattuga: omnes uulgo notæ.

θύμος, Thymus.

Latinis & officinis nomen retinet: Gallis du thym: Italis thimo: Delphinatibus & nostratibus frigoulo: tã ubiq; notus, ut ne trimum puellum eum ignorare existimem.

θύμβρα, Satureia.

Satureia Latinis & officinis: Gallis de la thymbre ou sariette: Tuscis coniella, in alijs Italię locis sauoreggia & peuerella. Delphinatibus de sauourée: nostratibus seiruegno. Duo eius summa fastigia: syluestris, quæ præstantior: & domestica, maximi in hybernis iusculis apud Delphinates usus. Iusculi genus appellant de la pouruólo, aut pouruora.

ἴντυβοι, Intybi.

Σέρις Græcis: intybus Latinis. Duo summa seridis genera: syluestris & satiua. Satiua seris bifariam distribuitur: In unam quę latiore constat folio, lactucæ similior: Hetruriæ corrupta ab intybo appellatione endiuia: officinis itidem hæc pro uera endiuia est usurpanda, longè ualere iussa illarum endinia, quę est syluestris lactuca: Gallis endyue: nostris endyuio. Delphinatibus cichorée. Alterã angustioribus folijs, & gustu subamaro. Hęc quadã uocum diminutione seriola dicitur, quam corrumpentes recentiores, scariolam dixerunt: ea Gallis scariole etiã nominatur, & officinis scariola, Lugduni passim cichorée, qua in acetarijs hyeme tota, maxima palati suauitate, utuntur. Syluestris item in duas species diuiditur. Alteram quæ ab insigni amaritudine πικρὶς ἢ κιχόριον, Latinis ambubeia, herbarijs & officinis cichorea: Gallis, & nostratibus cichorée: Delphinatibus cichorée bouschasse. Alteram, quæ hedypnois nomen à somno conciliando, aut ab eleganti inter serides odoris suauitate, sibi adoptauit. Hæc dens leonis, aut rostrum porcinum officinis, Gallis pisse en lict, Italis piscia al letto appellatur.

ἰξός, Viscum.

Latinis & officinis uiscũ, nostris & Delphinatibus de uisch, Italis uischio: Gallis guis de chesne. Varijs in arboribus gignitur, & omnium rarissime in quercu, quanquam id solum ad medicos usus celebrari & expeti uideatur.

ἴον, Viola.

Hoc loci, uiolę noĩe, martiam appellatam uiolã intelligit. Huius duo inueniuntur genera, cãdida & purpurea. Cãdida folio est minore, nigriore, quàm purpurea, subhirsuto. In hortis Lugdunẽsibus, & syluis uicinis passim inuenitur. Purpurea duũ est generũ. Siqdẽ alterius flores, quinque: alterius uerò, quatuordecim folijs cõstãt. Hũc uiolette double: illum simpliciter uiolette uulgus totius Galliæ appellat. Ambo in Italia uiole mãmole dicũtur. De reliquis autem uiolę generibus in leucoïo agetur.

ἵππουρις, Equisetum.

Herbarijs & officinis cauda equina: Gallis de la prele: Delphinatibus, ab eius asperitate, d'aspprette: nostris, à cõsolidandis glutinandisq; uulneribus, consaulde nominatur. Trium est generũ, sed omnes notæ, & idem nomen retinent. In Italia tamen minor asprella, maior coda di cauallo dicitur.

ἰσάτις, Isatis.

Officinis ignota. Duũm est generum. Satiua Gallis du guesde: Tuscis guado: Aquitanis, apud quos mercimonię nomine celebratissima est, ac nostratibus de pastel, nominatur. Syluestris, quanquàm doctis non ignota, nullum tamen, quod expiscari saltem potuerim, uulgatum sibi nomen adoptauit.

ἰτέα, Salix.

Officinis nomen seruat. Tria salicis genera, nigra omnium maximè procera, Gallis du saulx aut saule: Delphinatibus & nostris saulse, Italis salice. Candida, quæ mediæ est altitudinis, nostratibus uege dicitur, fluminũ ripis familiaris. Viminalis, quæ in satiuam & erraticã distribuitur. Erratica rursus bifariam partitur: in pumillã omnium tenuissimã & ruberrimam, & aliã prociorem, quę nigrã salicẽ quodammodo æmulatur ac mẽtitur. Viminales omnes sub amerinæ nomine intelligũtur & cõprehẽdũtur, quæ Gallis ousier: nostratibus amarinier: Delphinatibus armarinier, & stolones aut sectę uiticulę nobis amarinos, illis armarines, Italis uẽchi nominãtur. Aliam habes salicis diuisionẽ apud Fuchsiũ ex Theophrasto, Plinio & Lucio Columella. Nos hãc sumus amplexi, ut qui has oẽs salicis species exactè cognitas habemus, quarũq; historiã alibi copiosè tractabimus.

καλαμίνθη, Calaminthe.

Tria eius genera. Primum officinis nomẽ retinet: Italis calamẽto. Alterũ pulegij regalis (quod uerius clynopodium Dioscoridis est) nomẽ sibi asciuit. Tertiũ putatur herbariorũ & officinarum herba catti. Gallis, Delphinatibus & nostris l'herbe au chat. Nepeta Italis nipotella: nec desunt (quod est uerò similius) qui herbam catti calamenti speciem esse negent.

κάλαμος ἀρωματικός, Calamus aromaticus.

Ostẽtant officinæ radicẽ quãdam, quam calami aromatici nomine uenditãt: quamq; nonnulli ad acorũ referendã putẽt: quorũ nimirũ sentẽtia ueterũ odoratus calamus desyderet. Substitui calami, cuius laboramus inopia, potest arborũ muscus.

κάλαμος φραγμίτης, Calamus phragmites.

Arundo: uulgaris est notitiæ: Gallis du rouseau: Delphinatibus & nostris de cannos: Italis canna.

κάνναβις, Cannabis.

Officinis nomen retinet: Gallis chanure: Delphinatibus channeuou: nostris cánnebe, & carbe: Italis canape. In satiuã & syluestrẽ diuiditur. Satiua in marẽ & fœminã, quę ad lineos usus est accommodatior: sed sterilis mas semen profert. Syluestris multorũ ingenia torsit, nec tamẽ adhuc satis cognita est, quanquam non me latet herba, quã pro syluestri cannabi ostentant.

κάπνιον, Fumaria.

Fumus terrę officinis, Gallis, nostratibus, & Delphinatibus fume terre: Italis fumária & fumo tere, omnibus nota est, & frequentis in medicina usus.

κάππαρις, Capparys.

Latini & officinæ Græcam appellationem usurparunt. Maritimis locis delectatur hic frutex. Lutetiæ quoq; in horto diuæ Mariæ uisitur. Fructus Gallis & Delphinatibus des cappres: Italis cappari: nostris, dictionẽ tantillum immutantibus tapperos nominãt. in nostra prouincia freques, maritimis pręsertim locis.

κάρδαμον, Nasturtium.

Κάρδαμον Græcis: Nasturtium Latinis & officinis. Duo sunt nasturtij genera: hortense, & syluestre, quod quibusdam lepidiũ minus, alijs iberis nominatur: & seorsim ab autoribus pingitur. Hortense in duo quoq; genera distribuitur. Alteri siquidẽ folia sunt coriandrinis quadantenus proxima, subalbida: caulis rectus, cubitalis, lęuis, teres, iunci crassitudine: flos exiguus lactei cãdoris. Hoc Gallis craiscon halenoys: Italis agretto: Delphinatibus anitour: nostris nastours dicitur. Alterũ uerò folia habet sisymbrij cardamines, aliquanto maiora, herbacea, caulẽ rectũ, cubitũ altum, crassiusculũ, striatum: in cuius summo flos insidet luteus, aspectu gratus, alterius flore maior, & ei dissimilis. Hoc Lugdunensibus Frãciscanis, in quorũ horto tantũ hactenus uidere nobis licuit, anitour nominãt. Alterũ enim illi ipsi cresçõ des iardins discriminis gratia appellãt. Ambobus insignis acrimonia: sed ĩ eo cui flores sunt lutei, aliquãto maior.

καρδάμωμον, Cardamomum.

Duplex est cardamomũ: maius & minus. utrũq; triãgularibus siliquulis continetur. Verum in minori flauiores sunt siliquę, breuiores, multoq; magis articulatę: tunicę autẽ siliquarũ tenues sunt, flauę, colore & cõsistentia maci officinarũ similes. E maiori cardamomo eruitur uulgaris grana paradisi: è minori aũt

 uulgatum

uulgatū cardamomū minutis acinis, colore ex terreo flauis, & ita inter se compactis, ut sua effigie muscerdam ualde imitentur. Maioris semina multágula sunt, colore fusca, uinaceis minora, gustus acerrimi, sine ulla adstrictione, cuius, quáquàm exiguę, uidetur particeps esse minoris cardamomi fructus: & gustus est cum acrimonia minimè insuauis atq; tantillum aromatici. Quibusdam placet officinarum hoc cardamomum, nō quidem Gręcorum, sed Arabum esse cardamomum: alijs neutrorum, sed aliquid tertium. Alij piper Indicum, quibusdam Plinij siliquastrum existimatum, ad cardamomum reuocare contendunt: sed quàm apposité uiderint ipsi.

κάρων, Caron.

Officinis carui. montibus huius gétis herba familiaris, macilentis locis dodrantalis, caule anguloso, non usquequaq;, ut Fuchsio placet, quadrangulo, lætioribus & riguis bipedali, plurimum brachiato, flore albo, aut in purpura candido, in summis cauliculis semē angulosum ac copiosum. Folia staphylini, subalbida. Radix cādida, intorta, gustu aromatico. floret æstate. nascitur, ut dictum est, in montium pratis, uulgoq; cheruy nominari ab indigenis solet. Nam illi eius seminis assiduo esu corpora ab hybernis frigoribus tutantur.

κασία, Casia.

Vulgaris canella est. officinis falso cinamomum dicitur. Nam uerum cinamomum desyderatur. cuius tamen loco optimæ casiæ duplum capitur cap. 91. & 101. lib. 13.

κάρυα, Caria nux arbor, nux iuglans siue regia, nux parua, pontica, auellana.

Nux iuglans siue regia, uulgò Gallorum Delphinatiumq; noyer: nostris noguyer: fructus illis noix, nobis nose aut noye: Italis noci. Huius innumera penè sunt genera. Auellanæ nucis duo genera. Nā altera edomita, altera syluestris statuit. Syluestris Gallis couldrier: nobis & Delphinatib⁹ oulagnier: fructus oulagne: domestica auellanier: fructus utriusq; Gallis auellaine aut noisette: nobis & Delphinatibus auellane: Italis auellana, nocella aut nociuolla. Sūt & Indicæ nuces, nomicæ, metel, & anacardi, de quibus recētiores multi abundè scripserunt: ad quos te remitto.

καστανία, Castanea.

Castanea tum Latinis, tum officinis dicitur: Gallis & Delphinatibus des chastaignes: nostris castagnos: Italis castania: multorū sunt generum. Nam alię syluestres, alię domesticæ: aliæ maiores, minores aliæ: alię gustui suauiores, alię min⁹ suaues. Quæ maiores & suauiores sunt, Lutetię marons de Lyon appellantur. Maximus hic apud Delphinates castanearum omnis generis prouentus. In Gallia rarus: apud nos nullus, aut saltem minimus. Pedemontanorum quoq; ac Lygurū ager castanearum feracissimus est, nec non & Aruernorum.

κέγχρος, Milium.

Officinis nomē seruat: Gallis & Delphinatibus dū milhet, & Delphinatibus iuxtà ac nostratibus etiam de melh, Italis autem miglio, uocatur.

κέδρος, Cedrus.

Cedri duo genera: maior, & minor. Maior his regionibus nomine tenus cognita. minor ea planta est, quam nostrates ormin appellant, folijs cupressinis, baccis iuniperi maioris, rotūdis, pisorum magnitudinē æquantibus, subflauis, gustu acri & aromatico. Planta huiusmodi ulnarū duarū, triūmue, aut ad summum quatuor (in tantā enim proceritatē assurgere interdum apud nos uidetur, quanquàm rarissimè) longitudinem, & uirilis tibiæ magnitudinē non excedit, materie dura est, uenis quibusdā santalinis intercursantibus distincta, suauiter spirās, fronde sempiterna, cortice rimoso, non supra modum duro. Nascitur in mōtibus, saxosis præsertim locis, calidisq; duntaxat regionibus. Cedria liquor cedri est, qui primus, dū pix ex cedro fit, ui ignis elicitur. eo liquore his regionibus carem⁹.

κενταύριον μέγα, Centaurium maius.

In Gallia infrequens. Lutetiæ tamē in hortis quibusdam uisitur. Audio à familiaribus rei herbariæ peritis, in alpibus nasci, in mōte qui cameraco Sabaudorum metropoli ad septentriones adiacet: tum à docto quodam herbario apud Hispaniam, in montibus ei urbi finitimis, quam uulgò nostram dominam de finibus terræ nominant. Doctorum penè omnium consensu radix, quā officinæ rhapōtici nomine uenditāt, centaurij maioris radix est. Explodendus igitur officinarū de cētaurio maiore absurdissimus error: admonendiq; sunt, ut doctos de simplicibus medicamentis consulant, desinantq; tam impudenter in tempus reliquùm delirare.

κενταύριον μικρόν, Centaurium minus.

Vulgò herbariorū & officinarum cētaurea minor: Gallis du saccotin: Delphinatibus de repairet: Italis biondella. Vbique frequēs. Duo huius inueniūtur genera: uulgatū, & aliud montanū, humilius, flore cæruleo, calathi aut campanulę effigiē repræsentante, caule item quadrangulo, gustu amarissimo. monticolis gentis Delphinaticæ uulgò repairet etiam nominatur. Sed de his aliàs copiosius agemus.

κέρασος, Cerasus.

Multa cerasi genera. Nā aliæ acidū fructū, aliæ dulcem ferūt. quę acidum fructū edūt, Gallis cerisiers, fructus cerises: nostris & Delphinatibus agriottiers, fructus agriottes, Italis ciregie. Huius duo genera. Dulces in multas species distribuūtur. Nā alia duracina, quę Gallis & Delphinatibus des cœurs, nostris grassions. Alia nigra quæ Italis corbine: nostris ceyrieros negros. Alia ex albo rubroq; mixta spectātur. hæc Gallis des guines: Delphinatibus & nostris cerises appellantur. Præstātius cerasi genus officinæ agriottā nominat. De cerasi generibus uide plura apud doctissimum Ruellium cap. 64. libr. 1. suæ de stirpium natura historiæ: & Matthiolum cap. de ceraso.

κερατωνία, Siliqua.

Ea planta est, quam recentiores Græci ξυλοκέρατα καὶ χαρρόβια appellarunt, nostrates de carrhubios: Italis carobe, & carobole. Lyguribus maritimis familiaris, & tam frequens, ut apud nos in prouerbiū abierit, carrhubia auenā esse asinorū Lygurū. Rarò in nostra prouincia inuenitur, apud Niceā & Villā cognomēto Francā, passim. Saxosis enim asperisq; locis delectatur.

κέστρον, Betonica.

Duæ betonicæ species. Prior officinis nomen retinet: Gallis de la betoine: Delphinatibus & nostris betoni: Italis betonica. Altera bifariam diuiditur, in altilem & syluestrē. Altilis Gallis oilhet: Delphinatibus giroflée: nostris girouflado. Syluestris officinis tunicis, Gallis des æmeris. Inuenitur & in syluis altera agrestis betonica flore suppallido, mirè eleganti, quam Delphinates giroflée boschasse appellant.

κηκίς, Galla omphacitis.

Galla duplex habetur. Alia ab oriētis partibus ad nos inuehitur, & uulgò galle de romanie appellatur: in Italia autē galla. Alia hic è quercu nascēs nobis familiaris, quæ simpliciter gallæ nomen retinet.

κηρός, Cera.

Officinis nomē seruat, uulgò de la cire. Ceræ species notiores, quàm ut in his explicandis immorandum existimem.

κιβώριον, Ciborium.

Pocilli genus est, ex Aegyptia faba conflati.

κινάρα, Cinara.

Cogitāti mihi ac memoria repetēti, quàm incerta sit & obscura carduorū nostra ętate cognitio: uix succurrit quid de illis, pro re ꝓbabili, nedū certa, sit pronūciandū. Nā, ut agrestes omittamus, duo fecit Theophrastus, cap. 4. lib. 6. hist. plāt. cardui genera: alterū, cui scolymi: alterū, cui cacti nomē insit. Scolymō hoc sibi peculiare uēdicasse, ꝙ radicē tum crudā, tum coctam, uescēdā subministret: sed cibo gratissimā, cùm florescit. Cùm solstitiū agitur, eius florē erūpere. Eundē senescētem in pappos fathiscere: partū oblōgū esse, nec spinosū. Eius quoq; folia spinis carēre, quāuis plāta ipsa acani speciē gerat. Cactō uerò statim à radice caules humi reptātes ꝓducere, quos uocent cactos, & foliū spinosum. Desquamatos eos esculētos esse, tātillūq; subamaros, & in muria seruari. Emittere præterea alterum caulē rectū, quē uocēt pternicē: esculētū & ipsum quoq;, at uetustatis impatiētē. Seminis inuolucrū, forma quidē spinosum: qd', detractis lanuginosis seminibus, uescum sit, & palmæ cerebro persimile. Dioscoridi autē scholymos chamæleonis folia obtinet, aut albæ spinæ, nigriora & crassiora: caulē lōgū, foliosum: spinosum caput: radicē nigrā & crassam. Ex quibus liceat, inter Theophrasti, & Dioscoridis scolymō, manifestū agnoscere discrimē. Accedit, Galenū lib. 2. de facultatib. alimet. Paulū, cap. 74. lib. primi, & Aëtiū hoc loco, cinarā à scolymo (de quo in simpliciū cēsu meminerūt) distinxisse. Cinarā aūt Atheneo, lib. 2. Dipnosophistarū, nihil aliud esse, quàm Siculorū cacton, quæ à Romanis eorū uicinis, leui quadā literarum mutatione, carduus nominet. Vnde ex illorū scriptis hoc colligi possit, cinarā & scolymon, plantas quidē congeneres: sed huc (præcipuè Dioscorideū) erraticū: illā, hortēsem esse: quæ, inquā, à Siculorū cacto diuersa planta non sit. Ad cacton igit reuocari posset cardui genus illud, quē Itali cardone: Galli autē cardon & carde nomināt. Siquidem radice est crassa, candida, folijs amplis, in ambitu profundè incisis, multis ac rigētibus aculeis armatis: caule recto, nō admodū procero: capite satis amplo, spinis horrido: flore purpurascente: semine uario, id est, ex cæsio, fusco, & nigro mixto, oblongo, cnici hortēsis magnitudine, læui nec anguloso. Verū in hac planta, radices crudæ ac coctæ in usum ciborum ueniunt: & inflexi deorsumq; nutātes caules, cacti dicti (nisi cactorum nomine foliorum pediculi ueniant, qui quasi humi reptant, uesci sunt, &

modicè

modicè amari) desyderātur. Vt inde colligi posʃit eā, aut non uerā cacton, ſed quandā eius ſpeciē eſſe: quanquàm urbanam, & lautioribus mēſis expetitā: aut, ſi uera cactos ſit, ob regionū & cultus uarietatē, aliqua nūc deeſſe, quæ in ea olim uidebantur: & adeſſe alia (ueſca radix ſcilicet, tū cocta, tū cruda, & foliorū pediculi, ſed cocti) quæ olim ignota fuerint. Ad ſcolymon aūt Theophraſti, Italorū carcioffi, q Lōgobardis archichiochi: noſtris carchofles: Gallis & Delphinatibus artichault dicuntur: quanq̄ omnia illa nomina corruptā quandā cacti nomenclationē teſtent. Huic radix eſt craſſa, cādida, folia ampla, multò minus, quàm priora, in ambitu inciſa, nullis ſpinis horrida, molli lanugine incana: dorſum pediculi foliorū ꝓminēs, ac ualde ſtriatū: caulis procerus: caput in cacumine ex rotunditate oblongū, nucis pineæ quaſi æmulū: flos nūc purpureus, nunc ex purpura cādidus: Semē cnici, alterius ſemine breuius, craſſius, & minus nigrū. Huius pręſertim eſculentū eſt pomū. Radices (quas in ſcolymo eſculentas facit Theophraſtus) & reliquæ eius partes, uelut amariores, à mēſis abdicātur. Prioris autē pomū, pediculi foliorū, & radices expetuntur. Verùm foliorū coſtæ minus, ob tantillā amaritudinē. Audio in Italia ſecundi huius generis, ſcolymi uidelicet, quoſdā ſpinoſos eſſe: ut inde elici poſſit cardui genus illud, quod Dioſcoridis ſcolymo reſpōdet: niſi Italorū preſura, & Gallorū chardonnette (ex cuius florib⁹ lac cogitur, unde ab Italis inditū nomē) quę ſcolymos ſylueſtris eſt, ad Dioſcorideū ſcolymon referatur. Radicē enim craſſam ac nigrā habet: caulē rectū, longū, folioſum, ſpinoſumq́; : in cuius ſummo inſidet caput multis ſpinis horridū: flores cęrulei, aut ex cęruleo purpurei: Semē reliquis min⁹: folia quaſi albæ ſpinę aut chamæleonis, nigriora & craſſiora. Hæc ſunt q̄ de ſcolymo, cacto, & cinara, ex ꝓbatiorū autorum lectione teligere ac depromere potuimus, adhibita interim plātarū noſtri temporis oculari fide. Aequū tamē ac beneuolū lectorem optamus meliora in mediū adducere, ſi ueri ſimiliora, & lecturis utiliora apud eoſdem inuenerit.

κίκι, Ricinus.

Ricinus herbarijs & officinis palma Chriſti, Gallis & nobis paulme Chriſt: quibuſdā tamē officinis cataputia maior nominat.

κίσθος, Ciſthus.

Aquitanicis officinis præſertim Monſpeſſulanis cognitus: Gallicis ignotus: uulgò Gallorū, ut quibuſdā placet, garriues aut englentier. Duo eius genera: mas flore rubro: fœmina pallido: ambobus roſeo effigie. Altitudo fruticis cubitalis, rami multi, folia numeroſa, ramorū ſummitatē ueſtientia, rotūda, hirſuta. Frequēs uterq; in noſtra prouincia, & in Aquitania, ſyluoſis, aridis & aſperis locis prouenit. Vulgatum illi quod inſit apud eoſdem nomen, adhuc me latet. Fœmina ciſthus apud Delphinates & in Gallia quoque multis locis inuenitur.

κίσθος ἢ λάδανον, Ciſthus ſiue Ladanum.

Officinis lapdanum.

Κισσος, Hedera.

Κισσος Gręcis: hedera Latinis, officinis & Italis: practicis quibuſdā cuſſus, ineptè pro κισσος: Gallis hierre: Delphinatibus ere: noſtris heurre. Tria Dioſcoridi hederæ præcipua genera: Candida, nigra, helix. Cādida, candidū fructū parit. Nigra, nigrum aut croci æmulū, quā Dioſcoridis ætate, uulgus Dionyſiā nominabat. Helix fructū nō gignit, ſed tenues emittit uiticulas, folia parua, anguloſa, rubra. Hæ oēs ſpecies notæ hodie ſūt, & generis nomen retinēt. Longè plures hederæ ſpecies fecerūt Theophraſtus cap. 18. lib. 3. hiſt. plant. & Plinius cap. 34. lib. 16. nat. hiſt. ad quos autores breuitatis ſtudio te remitto.

Κνῆκος, Cnecus.

Κνῆκος Græcis, Cnecus Latinis. Duo ei⁹, autore Theophraſto cap. 4. lib. 6. hiſt. plāt. genera: urbana, & agreſtis. Satiua officinis carthamus: Italis zaffarano ſaracineſco: Gallis & noſtris, à crocatis floribus, ſaffran baſtard. Sylueſtris duūm itē generū. Altera hortēſi cneco ſimilis, ſed caule magis recto, quo antiquæ mulieres colus uice utebātur. fructū edit nigrū, magnū, amarum. Altera ſpecies hirſuta, caulibusq́; ſoncho proximis, qui ob foliorū mollitiem terrā uerſus inclinētur, & humi quaſi reptare cogātur. Semen profert amarū, hirſutū. Hę duę ſpecies ſylueſtris cnici tā apertè putatā atractylidem & carduum officinarū benedictū (q Italis cardo benedetto, cardo ſanto, & herba turca: Gallis chardō benict: Delphinatib⁹ l'herbo dau uerin: noſtris cardū benict nominat) exprimūt, ut ſignificātius nō poſſint. Vnde mirari ſubit, Pliniū & alios quoſdā Latinos ſcriptores eum ſequutos, ea uni atractylidi attribuiſſe, quæ cneco dilucidè adſcribit Theophraſtus. Sed inde, opinor, ſuæ argumētum ſentētiæ deprompſerūt, quòd eadē Theophraſtus primæ cneci ſylueſtris (qđ ad colus rationē attinet) ſpeciei penè adſcripſerit, q̄ atractylidi Dioſcorides: nec ineptè quidē, niſi (interſerta acarnæ hiſtoria) atractylidis ilicò meminiſſet. Ex cui⁹ delineamētis non minus prōptū ſit colligere, uerā atractylidē eſſe adhuc ignotā: aut, ſi cognita ſit, ſine honore iacere. Nō eſt interim hoc ſilētio obliterandū, ſylueſtrē cnicū ſecundi generis, noſtra ętate in hortis coli, & cultus māgonio, depoſita feritate, in domeſticam cōſuetudinem iam tranſiſſe. Quamquàm ſcio quoſdam leuibus argumentis permotos, nolle carduum benedictum, ad ſylueſtris cnici ſpeciem alteram reuocari: quaſi tātula in una aut altera nota diſsimilitudo, reliquis omnibus exactè conſentientibus, herbæ ſpeciem poſsit immutare.

Κόκκος κνίδιος, Coccus cnidius.

Coccus cnidius ſemen thymeleæ eſt. Thymelæa autē officinarū mezereō, & herbariorū leo terræ. Ea folio eſt hortēſis lini, flagellis cubitalibus, multis ab una radice cōſurgētibus, rotūdis, folioſis: fuſco colore: flore albo, copioſo: ſemine myrti penè magnitudine, primò uiridi, ubi maturuerit rubro. Floret ineūte æſtate. Semē matureſcit circa mēſem auguſti. In noſtra prouincia ubiq; inuenitur, ſed pręcipuè apud Aquas ſextias urbē clariſsimā, & quà inde Maſsiliā itur, in locis ſaxoſis, aridis, & penè ſterilibus: facilisq; uel hac nota inuētu eſſe poteſt, quòd nullā pede uno aut altero, prope ſe uirentē herbam patiatur, quin omnes ſua pernicioſa natura interimit, ut nō immeritò leo terræ fuerit ab herbarijs cognominata. Inopiā interim radicum thymeleæ ſarcit chamelæa cap. 78. 79. lib. 16.

κόκκος βαφική, Coccus tinctorius.

Noſtratibus & Gallis du uermilhon: Italis grana, fructus eſt arbuſti ilicei generis apud nos frequentis, ut ſuprà in quercus mētione annotauimus.

κοκκυμηλέα, Prunus.

Varia prunorum genera, ſed quæ in duo præcipua reducūtur. Sylueſtre & ſatiuū. Satiuo adſcribuntur nigra multiplicia, alba, cerea, & rubentia: quorum item plures ſunt ſpecies, ut alibi ſuo loco à nobis dicetur. Sylueſtria Aſianis προῦμνα, & Galen. lib. 2. facult. aliment. ἀγριοκοκκυμηλέα: Gallis autem, Delphinatibus & noſtris prunes: Italis Tuſcis ſuccine dici ſolent.

κολοκάσιον, Colocaſion.

Radix eſt Aegyptiæ fabæ.

κολοκύνθη, Cucurbita.

Multa cucurbitæ ſunt genera, ſed quę omnes nomē generis ſeruēt: Gallis de courges: Delphinatibus & noſtris coucourdes: Italis zucca. Eſt & colocynthis in uſu frequens: Gallis colocynthe: officinis colocynthidos, aut colocynthida.

κόμαρος, Arbutus.

Κόμαρος Græcis, arbutus & unedo Latinis, incolis Corſicæ inſulę àrbyto: Italis àlbatro: Delphinatib⁹ & noſtris arboux, & d'erbouſsiere: eius fruct⁹ d'arbouſſos, q Gręcis, teſte Dioſcoride, μιμαίκυλον nominatur. Arbor eſt coactæ breuitatis, cotoneæ malo ſimilis, folio numeroſo, lauri figurā, ꝑ ſumma tamē obtuſiore, & in ambitu lentè fimbriato: flore ſubherbaceo: fructu è lōgis pediculis inęqualiter depēdēte, pruni aut gallę (aliquādo tamē parui mali arācij) magnitudine, rotundo, fragum ſua effigie penitus exprimente, primū uiridi, ubi maturuit ex ſaturata purpura fuluefcēte, guſtu cū quadā acerbitate dulci, largioreq́; eſu nauſeā proritante, intus granuloſo, qui autumno matureſcit. Plurimus naſcitur in Corſica ac noſtra Prouincia maritimis locis: & apud Delphinates in ſyluis: in quibuſdā itē Sabaudię mōtibus, ubi d'arbeſſes noīatur. Gallię infrequēs & parum cognitus. Lugduni, Valētię, & Tournone in hortis q̄buſdam plantatus uiſitur. Dioſcoridi nullius eſt in medicina uſus. Noſtrā tamē memoriā à quibuſdā fructus maturus in capitellum conijcitur, liquorq́; qui inde ui ignis elicitur, recondito, aut prorſus ignoto multis experimento, ad renum & ueſicæ calculos atterendos, felciſsimè uſurpatur.

κόμμι, Gummi.

Gummi nomine Arabicum puto intelligi: quod quidem habetur, & officinis nomen ſeruat, uulgo gomme.

κονία, Lixiuium.

Officinis nomen retinet. Gallis du lexif. Delphinatibus lexieu noſtris leixieu.

κόνυζα, Conyza.

Pumicaria, & cimicaria, & herba ſancti Rochi dicitur, Gallis l'herbe aux pulces: Italis pulicaria. Duūm eſt generum, maior & minor. ambę notę: officinis herba pulicaris. Tertium addit Dioſcorides, hodie aut ignotum prorſus, aut paucis cognitum.

κορίαννον, Coriandrum,

Vulgaris eſt notitię. Ab oīb⁹ coriādre: Italis coriādroli nominat.

κόλλα, Colla, glutinum.

Galli, Delphinates & noſtrates Græcū nomē retinēt, de la colle.

κορωνοπόδιον, Pes cornicis.

Doctorū propè omnium ſententiā cornu cerui officinarum eſt. Gallis corne de cerf: Italis herba ſtella. Ad coronopodium reuocari poteſt herba, quam Galli uocant du targon.

Κόστος, Coſtus.

Coſti unicū genus Dioſcoridi fuit: uerū colore, cōſiſtentia ac re-

gionibꝰ distinctũ. Arabicũ em̃ candidũ facit, leuẽ, eximia odoris suauitate pditũ. Secundũ locũ tribuit Indico, leui, uberi, & ferulę modo nigro. Postremã sedẽ assignat Syriaco graui, q colore buxeus sit, & odore feriens. Galenus aũt costũ modicè amarũ dicit. Arabũ scholæ duo costi genera faciunt: dulcẽ & amarũ. Dulcis sapore quadãtenus mẽtit glycyrrhizã, colore fusco, gustu acri, substãtia radicis solida & põderosa. Amarus ex flauo pallidus est, leuis, lignosus, dulci crassior, minimè acrimoniæ particeps. Ex qbus intelligit Arabũ utrũq; costũ à Grecorũ costo alienũ esse. Vnde tutius sit ex Galeni succidaneis ammoniacũ, aut helenij radicẽ costi inopia usurpare. Aiũt docti nõnulli ueterũ costũ Venetijs iam haberi. Habet & uulgus suũ costũ qui Gallis Delphinatibus du coq: nostris cost: Italis piperella dicit. Radice numerosa, implicata, multis hinc & inde adnatis appẽdicibꝰ, exigua: caule cubitali: flore in cacumine luteo, flori uulgaris athanasiæ simili: folijs maioris lepidij, candidis, minimè crassis, in ambitu serratis, gustu feruido, sapore aromatico ac grato. In hortis ubiq; inuenit. quidã putãt costũ uulgarẽ ad Plinij siliquastrũ aut piperitim reuocãdũ. Alij nõnulli pter omnẽ rationẽ ad Pauli & Plinij lepidiũ, quasi uulgaris costus odore sit & sapore nasturtij: unde constat lepidium Græcis, agriocardamon & cardamanticẽ fuisse uocatum. Verùm in lepidij mentione, hac de re pluribus agemus.

κοτυληδών, Vmbilicus Veneris.

Officinis & Gallis ignotus: apud nos freques uulgóq; aureilhetos nominat, quod, meo iudicio, quadãtenus humanas aures sua effigie ęmuletur. Delphinatibꝰ de bloudo: Italis cuptiuola.

κράμβη, Brassica.

Duûm est generũ, Satiua, cuius plurimæ sunt species: & syluestris quæ officinis soldana aut soldanella nominatur, Aquitaniæ & nostræ prouinciæ maritimis præsertim locis familiaris. Satiua, ab insigni ac penè arboreo caule, Gallis & Delphinatibus chou: Tuscis caulo: Longobardis uerza: nostris caulet nomen obtinuit.

κρῆθμον, Crethmum.

Batis duo genera: syluestris, cuiꝰ meminerũt antiqui, & crethmũ appellarunt, quod officinarum creta marina, Gallorum crethe marine est. id Romanis finocchio marino: alijs quibusdã Italiæ populis herba di san pietro nominatur. Hortensianã batin neglexerunt ueteres Græci. Eius mentionẽ fecit Columella. Ea Italis baticula, Gallis bacilles: nostris tum basilhes, tum basigues, maximè à maritima plebe, dicitur.

κριθή, Ordeum.

Officinis nomẽ seruat: Gallis & Delphinatibus orge: Italis orzo: nostris orge & ordi. Diuidit in polystichũ, & distichũ, quòd aliud in duos, aliud in plures uersus siue ordines distribuatur.

κρίνον, Lilium.

Κρίνον ἢ λείριον Grecis: lilium & rosa iunonia Latinis: officinis liliũ. Tria habentur præcipua lilij genera, candidũ, purpurascens & croceum. Candidũ in hortulanũ & syluaticum diuiditur. Syluaticum à nemine hactenus depictũ. Constat autẽ radice candida, succosa, in manus effigiem conformata, radiculis oblongis, radicibus albi ueratri æmulis, nõ numerosis, caule dodrãtali aut proceriore, folio porri aut narcisci, lõgo, angusto, flore hortẽsis lilij, minore, in summis cauliculis prodeũnte. floret mense Iulio. Nascitur apud Delphinates in mõtibus altis, pręcipuè in mõtis cuiusdã pratis, qui eorum lingua Chironno appellatur. Situs est autem ad septentriones ei urbi quæ Die uulgò dicitur. Croceũ & purpurascens Fuchsio cognita, distincta & depicta: Gallis hominibus nondum exactè cognita. Nos omnium historiam seorsum exarauimus. Sed ad rem. Lilium officinis nomẽ seruat: Gallis du lys, Delphinatibus ile, nostris yeli & ili: Italis giglio. Croceũ, purpurascens & candidũ syluestre, quia montibus sunt peculiaria, ideo uulgò ignorãtur: purpureũ tamẽ, ut quidã uolunt, Italis martagon dicitur. Croceum autẽ & purpurascens iam in hortis quibusdam maximè Lugdunensibus haberi cœperunt. Cœleste uerò officinarum lilium, iris Dioscoridis est.

κροκοδείλιον, Crocodilium.

Spinosa plãta, in aquatilibus syluarũ pratis nascens pro crocodilio ostẽdit: de qua tamẽ statui certi, meo iudicio, nihil potest.

κρόκος, Crocus.

Officinis crocus: Gallis, Delphinatibꝰ & nostris, Mauritana imitatione saffram, quasi zaffaram, Italis zaffarano nominatur.

κρόμμυον, Cepa.

Ceparũ duo pręcipua genera: Albæ mitiores, minorisq; acrimoniæ participes, ac, ut plurimũ, maiores. Rubescentes, acriores, & sensum gustus magis ferientes. hæ Gallis & Delphinatibus oignon: nostris, Latinum nomen tantillum uitiantibus, cebo: Italis cipólla. Habentur ceparum species quædam perexiguæ, & in cibis magis expetitæ, quas Galli ciboules appellant, alij ciues.

κύαμος, Faba.

Vulgaris est notitiæ: Gallis fæue: Delphinatibus & nostris faue: Italis faua.

κυκλάμινος, Cyclaminus.

Duûm est generum: prior officinis cyclamen & panis porcinus: herbarijs panis porcinus: uulgò Gallico pan porcin: Italico autẽ pan porcino. Hec species copiosa nascitur apud Diuũ Claudium nõ procul à finibus Heluetiorũ, & in montibus Aruerniæ, & alibi multis in locis. Altera species quæ sit, nondũ doctis compertũ est. Ruellius tamen contendit esse Gallicarum officinarum sigillum Mariæ, quo nomine Delphinaticæ polygonatum intelligunt.

κύμινον, Cyminum.

Aliud Aethyopicũ, nobis ignotum. Aliud his regionibus nascẽs, quod officinis nomẽ seruat: Gallis & Delphinatibus du commin: nostris cumin: Italis cimino appellatus.

κυπάρισσος, Cupressus.

Vbiq; Galliarum cypres: In Italia cipresso. arbor est notissima.

κύπειρος, Cyperus.

Cyperus officinis nomẽ retinet: Gallis du souchet. Dioscorides cyperi radices oliuarũ tuberculo facit tumẽtes, inter se cõmissas, nigro colore, iucũdè spirãtes. Inueniunt tamẽ nõnullis in locis oblõgæ, nec à prioribus gustu differẽtes. Cypero caulis nũc triãgulus, nũc quadrãgulꝰ, ut ob id angulosus Dioscoridi fuerit dictus. Herba est notissima, ubiq; in paludosis & humidis nascẽs. Est & cyperus Indicus zingiberi similis, gustu leuiter, aut nihil prorsus, amaro, qui cõmanducatus croceũ remittit colorẽ: & pilosis partibꝰ illitus, psilothron efficacissimũ est. Hic assentiente descriptione, & doctorũ omniũ iudicio, nihil aliud est, quàm radix illa, quę ex India cum zingibere affertur, uixq; ab ullo, nisi à peritis, discernitur, quam Italicæ officinæ curcumã (non quidẽ radicem maioris chelidonij, quæ in Serapiõis codicibus curcuma corruptè pro chelidonia legitur) Gallicæ terram meritam nominant. Tertium cyperi genus herbarum coniectores fecerunt eam radicem, quæ officinis & medicis recentioribus, galanga dicitur: quòd subrubra sit, geniculis scatens, surculosa, in quosdam nodos crassiores ex interuallis intorta, sapore acerrimo, linguã admodũ uellicante, odore quadantenus cyperum imitante. Hanc cyperũ Babylonicum cognominarunt. Quidam contendunt eam esse ueterum acorum. Verùm multæ notæ repugnant, quo minus galanga dici acorum ueterum possit, ut in acori mentione dictum est.

κύπρος, Ligustrum.

Officinis alkanna, Gallis du troyne: Delphinatibus & nostris oliuier sauluaige. Tuscis guistrico, alijs quibusdã Italię locis oliuetta, alijs oliuella, alijs nõnullis chẽbrossene, nominatur. Nec me mouet, quòd Fuchsius cyprum plãtã peregrinã ex Plinio esse uelit. Nã multa plerunq; è lõginquo petũtur, quæ domi citra magnum negocium inueniri possunt. Siquidem plãtæ nõ paucæ his in regionibus affatim luxuriant, quas antiqui soli, pene dixerim, Cretę peculiares existimarũt, ut de tordylio apparet, quod ipsemet Fuchsius copiosissimum nasci in Germania prodit: quodq; in huius Delphinaticæ gentis montibus, & alpibus ipsis, uel ad nauseam usq; luxuriare certò scimus, quẽadmodum alibi copiosius dicemus.

κύτισον, Cytisum.

Κύτισον Grecis: Cytisum Latinis: officinis & uulgò ignotum. Antiquis tum medicis, tum rei rusticæ scriptoribus celebratũ fuit, & in precio habitũ. Nostris temporibus à paucissimis notum. Hic tamen Lugduni in horto Franciscanorum habetur frutex quidam, qui cytiso antiquorũ omni ex parte respõdet. Spectatur autem hac forma. Frutex est sesquiulnæ altitudinem petens, nulla ligni gratia, brachio minus crassus, flagellis exiguis, oblongis, aspectu incano, folio sempiterno, folij fœnigræci aut loti trifoliæ æmulo, dorso medio prominente, supernè herbaceo, infernè candicante, quod digitis confractum erucam olet, commanducatum uerò, ciceris recentis gustum resipit. Flore quasi pisi luteo, nigricantibus uelut punctis maculoso: quo decusso semen in siliquis, spartij Dioscoridei siliquis, aut anagyridos (quæ uera Theophrasti cap. 17. libr. 3. hist. plant. colutea, & Plinij cap. 18. lib. 16. laburnum est) corniculis non absimilibus, recondit. Floret hyeme tota & usq; ad uernum æquinoctium, aut etiam mensem Maium: sed urgente hyemis inclementia, magis: appetente æquinoctio, minus: Maio uerò, minimum: quo nimirum tempore non tam multi sanè flores apparent. Exin sensim æstate siliquatur, ac tandem Autumno, in siliquis sparti Dioscoridei, aut coluteæ Theophrasti, quæ Dioscoridi anagyris est, & Plinio laburnum, siliquis non dissimilibus maturum semen recondit. Rarissima planta in Gallia est, & crediderim unica, ut quæ ante annos aliquot Roma à perito quopiam medico huc

huc allata fuerit. Olim iuxta aluearia serebatur,tum in Italia,tum in Hispania. Verùm Plinij ætate(ut ipse testis est cap. 24,lib.13)iam in Italia erat rarissima. Nostris temporibus aut nulla,aut(si Virgilio Marcello credimus)ignota sine honore iacet. Vnde mirari subit eorum sententiam, qui cytisum faciũt plantam toti Italiæ notissimam, quódq; patrio ipsi sermone trifoglio di cauallo & tribolo nominari dicant: & Fuchsio(ut ipsi dicunt)trifolium aspaltion inconsultò existimari. Verùm an ruta capraria herbariorum, quę nostris l'herbo de la cabriero, & Fuchsio odoratum trifolium dicitur, trifolium illud sit, an cytisum, capite de trifolio exactius in examen adducemus. Nunc autem, quoniam in coluteæ mentionem inciderimus, minimè alienum ab instituto nostro fuerit, huic orationi pauca de illa subnectere. κολουτέα, Theophrasto: ἀνάγυρις, Dioscoridi: laburnum, Plinio: quibusdam Italiæ populis, eghelo: Delphinatibus, Sabaudis, & terrę nouæ incolis, metathesi quadam literarum à Latina nomenclatione minimum uariantibus, albour & aulbour nominatur. Arbor est fruticosa frutexue arborescens, in quatuor nimirum ulnarum altitudinem assurgens, caudice non admodum crasso, ramis hinc & inde diffusis. Aut nonnunquam(quia plerunq; cæditur, & coryli modo ab imo caudice regerminat) fruticosa spectatur, stolones numerosos ab una radice fundens, longos, rectos, ex uiridi candicãtes, agni uirgis similes: è quibus per certa interualla erumpunt folia terna, longo pediculo nitentia, fœnigræci folijs effigie ac numero similia, maiora tamen adq; uiticis folia plurimum accedentia, læuia, supernè uiridia, infernè candicantia. E ramis ipsis prope foliorum pediculos emergunt flores lutei, ut flores genistæ aut brassicæ, è longis pediculis inæqualiter dependentes, rarioreq; illa ac prælonga textura cubitalem æquantes longitudinem, olentes grauiter, atq; ob id, profectò, apibus ingrati. Floribus decussis prælonga succedũt cornicula siliquæue, nõ prætumidæ quidem, & multo spiritu distentæ, sed pisorum hortensium siliquis adsimiles, aliquanto tamen breuiores ac presiores, fractu contumaces, in medio interdum inanes ac compressæ. In extremis autẽ ac nonnunquã intermedijs spatijs cõtinetur semen lentis magnitudinem æquans, ex latitudine subrotundum: imo loco, quà siliquę per petiolum hęret, tantillũ excauatum, renis prorsus æmulũ: quod, antè quàm maturuerit, uiret: post maturitatẽ uarium est, durũ, & ob læuorẽ splẽdidũ. Floret mẽse Maio & Iunij initio, dein sensim siliquatur æstate, ac tandẽ durescit maturescente uua, & circa calend. Octob. integrè perficitur. Nascitur in alpibus & montibus ferme omnibus Delphinatus, Sabaudię, & terrę cognomento nouæ, umbrosis & syluosis locis humidisq;, & nonnunquã siccis, aque eorum locorũ indigenis albour & aulbour nominatur. Ex quibus notis constat Dioscoridem, Theophrastum ac Plinium unam & eandem plantam uarijs nominibus descripsisse. Verùm obijciet aliquis: Si Laburnum Plinij & Dioscoridis(id quod negari nõ potest)anagyris cẽseri hæc plãta debet, q fieri potest, ut de anagyride seorsim Plinius tractarit? Sed his respõderi potest, Plinium anagyrin è Græcorum libris, ut pleraq; alia, transtulisse: & laburni historiam, qualem auditione à rusticis alpium cognouerat, aut fortè etiã plantam uiderat, summatim cõscripsisse: argumẽto inde sumpto, quòd nunquam Theophrastus, nunquã Dioscorides laburni meminerit: ut interim taceam illum, cap.34.lib.16. eadem de hedera: quæ cap.10.lib. 24. de cistho: & alibi de marrhubio, quæ de porro dicenda erant, tradidisse. Cęterũ, ne longior sim, certò(præter reliquã historiæ similitudinẽ) ac indubitatò scio, laburni alpinorũ corticem siccatum, in pollinem redactum, & drachma plus minus una, ex quopiã liquore potui exhibitũ, maximas uacuationes moliri. uerum diuersa ratione. quandoquidẽ, si ab infernis ad superna procedendo corticem euulsum porrigas, uomitũ: sin uerò à supernis ad inferna descendendo, deiectiones uel insignes mouebis. Quę omnia fidẽ faciũt Plinij laburnũ à Dioscoridis anagyri, quę est Theophrasto colutea, nulla in re differre: eosdemq; autores unam eandemq; plantam uarijs nominibus expressisse & adumbrasse. Esto igitur, ut tãdem huic disputationi finem imponamus, Theophrasti κωλυτία, eadem ipsa planta, quę Dioscoridis anagyris, & Plinij laburnum: quæ, inquam, Italis quibusdam eghelo: incolis terræ nouę, Delphinatibus & Sabaudis albour & aulbour uulgo nominatur. Sena autem officinarum Arabum magis inuẽtum est existimanda: quã quàm coluteæ cõgenerem, & ab eius uiribus non usquequaq; abhorrentem, defendere quidam uoluerint. Verum de his alibi latius ac pluribus(si opus fuerit) agetur.

κώνειον, Cicuta.

Officinis nomen retinet: Gallis de la cigue: Aquitanis cegudo: Italis cicuta: nostris de fenoilhas aut fenolh de serp nominaĩ.

κῶνος κάρπος, Nux pinea, Cocalus, Strobilus.

Officinis nux pinea: Gallis & nostris pomme de pin: fructus ipse id est nucleus nostris, præsertim in maritima prouincia, de pignons: Italis pinochi & pignoli appellatur.

κυγκάνου ῥίζα, Cancani radix.

Quidam putant esse carui syluestre.

καυκαλίς, Caucalis.

Gallis, ex Ruellij sententia, persilh bastard: Senis Italiæ urbe petrosello saluatico. Verùm domino Ioanni Vassæo, medico doctori Parrhisiensi peritissimo, placet caucalidem eam esse herbam, quæ Gallis l'herbe aux gouttes appellatur. Eius namq; uidendæ copiã nobis fecit anno domini 1543. cũ adhuc Lutitiæ essemus. Nam tum unicam illius plantam in suo horto studiosè, unà cum maiore centaurio(quod itidem ibi uidimus) colebat.

καρπήσιον, Carpesium.

Officinis cubebe: nomen ex Arabum disciplina obtinuit. Quidã negant cubebas carpesiũ esse, quòd eę fructus sint: carpesiũ autem caulis aut radix: cuius inopia augeri uolunt phu, aut ueram casiam minui.

λάθυροι, Cicerculæ.

Officinis ignotæ. Gallis, Delphinatibus & nostris iaysses.

λαθυρὶς, Lathyris.

Officinis cataputia minor: Gallis & Delphinatibus de l'espurge: nostris, officinarum nomen usurpantibus cassapuce: Longobardis cacapuzza uocatur.

λαμψάνη, Lampsana.

Herba est officinis ignota. nostri à Græca nomenclatione tantillum euariantes, de lassenos: Itali lassana: Galli des armoiries appellant. In frumentaceis agris ubiq; copiosissima nascitur.

λάπαθον, Rumex, Oxylapathum.

Oxylapathum officinæ lapatium acutum, Galli de la parelle, aut de la patience: Itali rombice. Secundũ genus ea herba est, quã omnes hodie rheubarbe & putant & nominant. Tertiũ syluestre lapathũ est, exiguum, ubiq; copiosissimũ, & nostris lapas, Gallis & Delphinatibus du lapais dictũ. Quartũ oxalis dicitur: cuius duo sunt genera, syluestris & hortensis. Hortensis etiam bifariam distribuitur: in eam, quæ oblongis & nigricantibus folijs: & eam, quæ albicantibus & rotundiusculis constat. Est & syluestris oxalis omnium minima, & in medicos usus, plusquam cætera lapathi genera, expetita. Officinis & Italis acetosa: Gallis oxaille: Delphinatibus & nostris aigretto, Lugdunensibus sallette: tum hæc, tum reliquæ oxalidis species dicũtur.

λειμώνιον, Limonium.

Latinis beta syluestris, limonium, terrę tintinabulum, quibusdam pyrola: Gallis, nostris, Delphinatibus, & officinis ignotum.

λειχὴν, Lichen.

Officinis hepatica: ubiq; in locis riguis frequens.

In calce huius libri habes Leontopodij & Lepidij capita, quæ hîc per imprudentiam omissa sunt.

λευκόϊον, Leucoium.

Tria leucoij genera colore inter se disparata. Nã aliud luteum, quod keiri officinis nominatur: Aliud candidũ: & tertiũ quod purpureum florem emittit. Gallis & Delphinatibus des giroflées aut uiolettes: Italis uiola bianca: plante des uioliers: nostris de garranos, sumptã, ni fallor, à Mauritanis nomenclatione, quasi keiranes, appellantur. Luteũ leucoion aliud spõte naturæ prouenit, aliud in hortis studiosè à mulierculis colitur. Cętera hortensia sunt. Cæterùm nostra memoria haberi cœpit planta, quæ radicibus constat exiguis, confibratis: caule cubitali, rotundo, molliter uilloso, folioso: folijs nigris, oblongis, folijs lysimachiæ proximis, acutioribus tamen, in ambitu lętè & ex interuallis fimbriatis: flore in cacumine albo, exiguo, agglomerato, barbulis prius quàm aperiatur molliter hispido, copioso, leucoij floris æmulo(ubi id nominis sibi apud uulgus adoptauit. Nam maxima ex parte uiolier d'espaigne, aut uiolier muscat appellatur) odoris suauitate præstanti, & à styrace calamitide minimè alieno. Floret uerno tempore. In hortis ubiq; iam inuenitur. Violæ Hispanicæ aut moschatæ(aptius tamen styracina uiola diceretur) nomenclationem cum uulgo retinuimus, quòd ex Hispania primum huc allata fuit, &, re uera, species uiolæ censeri possit. Nullum tamen eius in medicina usum nouimus: etsi ex odore constet herbam esse uiribus ac dignitate præstantem, & ad multa utilem.

λεύκη, Populus alba.

Officinis populus alba: Gallis du tremble & peuplier: Delphinatibus piuou: Italis alberi: nostris piboulo & aulbero nominatur.

λιβανωτὸς, Thus.

Vulgaris est notitiæ: uulgus encens: Italia incenso, quòd passim in templis, & alibi incendatur, appellat.

λιβανωτίδες, Rosmarinus.

Coronaria rosmarinus ubiq; & frequẽs & cognita: Gallis & Delphinatib⁹ du romanin: nostris romain: Italis rosmarino. Reliq

eius species non item. Maximi usus olim fuit in medicina primæ rorismarini speciei semen, quod canchry dicit, eiusq; mẽtione scatent ueterum medicorum formulæ. Verùm tamen eius inopiã substitui potest tantundem pyrethri cap. 5. lib. 12. seu pyrethrum aut astaphis agria cap. 65. lib. 8. & cap. 34. lib. 9. Audio tamen Venetijs in quibusdam hortis primã rorismarini speciẽ inueniri, & doctorũ studio ac diligentia coli.

λιγύς, **Fuligo.**

Variæ sunt fuliginis species.

λιγυστικόν, **Ligusticum.**

Verum ligusticũ adhuc desyderatur. Brassauolus nequicquã conatur herbariorũ & officinarũ imperatoriã, quæ est Delphinatium alegros, & Dioscoridis laserpitiũ, ad ligusticũ reuocare, argumẽto inde uel firmissimo sumpto, ꝙ imperatoriæ semen oblongũ nõ est, subnigrũ, fœniculaceo maius, acre, & aromaticum oleus (quę sunt uerę ligustici seminis notæ) sed latum lenticulæ modo, membrana in ambitu cinctũ, & admodum pressum, quemadmodum alibi copiosius dicemus. Quidam docti affirmant se in montibus Lyguriæ uerũ ligusticũ uidisse: nomẽ tamen genti peculiare illius plantæ non exprimunt, ut ex illorũ scriptis quod sit, cognosci posit, & postmodum haberi.

λινόσπερμον, **Lini semen.**

Officinis nomen seruat, & usu multo clarum est. uulgo semence aut graine du lin. Italis seme di lino.

λοβοί, **Lobi.**

Sunt dolichi, nostris phaioulx. de quibus in dolichis iã dictũ est.

λινόζωστις, **Mercurialis.**

Officinis mercurialis: Gallis de la mercuriale: Delphinatibus panareaulx & uignolane: nostris corruptè marturiau pro mercuriale: Italis mercorella dicitur. Duûm est generum, mas & fœmina: ambæ notę.

λογχῖτις, **Lonchitis.**

Ignoratur.

λύκιον, **Lycium.**

Verum lycium his regionibus desyderatur: ut factitium haberi posit. uide cap. 63. lib. 8.

λυσιμάχιον, **Lysimachium.**

Herbarij corneolã uocãt: Galli poulse aut pelle bosse, ꝙ paulò suprà pestilẽtes tumores adalligata eius folia, præsens remediũ laborãtib⁹ suppeditẽt. Duo statuũt eius genera: alterũ flore luteo, qđ habem⁹, nã caule cõstat iũceo, lõgo, nodoso, folijs salignis ut plurimũ ternis, gustu ualde adstringentibus, flore in cacumine luteo, specioso, radice purpurascẽte, copiosa. Nascitur in pratis humidis, & iuxta alueorum margines ubiq;. Alterum purpureo, adhuc ignotum.

λωτός, **Trifolium.**

Officinis andacoca, & corona regia.

λωτὸς τὸ δένδρον, **Lotus arbor.**

Officinis ignota: Gallis alisier: nostris aliguier dici solet. Italis quibusdam balogaro: alijs perlaro.

μάκιρ, **Macer.**

Macer ueterum desyderatur: in usum tamen eius loco uenit cortex nucis moschatæ, quem macis officinæ appellant.

μαλαβάθρου φύλλον, **Malabathri folium.**

Veterum malabathrum non amplius extat. foliũ autem quo nũc utimur, inuentum Arabum est.

μαλάχη, **Malua.**

Maluæ tria genera. uulgaris siue domestica, quæ officinis Latinũ nomẽ seruat. & uulgo maulue dicit: syluestris, quæ althęa siue ebiscus nũcupatur: officinis bismalua: Gallis & Delphinatibus guimaulue. Italis maluauisco: nostris maulue blanche. Tertia alcæa est, folijs quàm reliquæ articulatiorib⁹, caule procero & lignoso: officinis incognita: herbarijs herba symeonis: doctis nõ ignota. Est & arborescens malua, quã opinor antiquis hortulanam fuisse, caule quaternûm quinûmue cubitorum, folio amplo, circinnatæ rotũditatis, flore albo aut purpureo, inodoro. Hæc passim in hortis inuenitur.

μανδραγόρας, **Mandragoras.**

Duo eius genera. mas, mihi cognitus: & fœmina, quẽ nõdũ uidi. Officinis nomẽ seruat: uulgo mãdragore: Galli tamẽ metathesi quadã syllabarũ mõt de gloire, ꝑ mãdragore nominãt. Aiũt qui se uidisse testãt, marẽ mãdragorã, uirilis: fœminã, fœminei pudẽdi imaginẽ ĩ radice habere: eosdẽ meli⁹ adolescere, & fœcundiores esse, si mas iuxta fœminã, plãtẽt, & cõtrà: alioqui steriles esse. Mãdragoras hic in multis hortis inuenit: & satu facilimẽ prouenit. Quidã mala insana, quæ uulgo pommes d'amours uocãtur, ad mãdragorã referri debere cõtẽdũt. Si desint poma mãdragorę, cortex radicũ ei⁹ usurpat cap. 107. lib. 7.

μάραθρον, **Fœniculum.**

Duũ est generũ: domesticũ, & syluestre, quod hippomarathrum, idest, magnũ fœniculũ. Domesticũ aliud satiuũ dulcius & humilius: uulgare acrius. officinis Græcum nomen insedit: uulgò fenoilh: Italis finocchio.

μαστίχη, **Mastiche.**

Duo mastiches genera: Aegyptia nigra, inuẽtu rarior: cuius inopiã chia usurpari debet, cap. 14. lib. 15. Est & chia mastiche, mastix officinis, & Gallis du mastic appellata, candida, usu celebris, & uulgo nota. Hoc tamẽ silẽtio prætereũdũ nõ duxi, mastiche uires deijciẽdæ alui ab antiquis nũquã attributas fuisse. Aëtius autẽ mastichen scrupulorum nouem pondere aluũ moueré, scriptis mandauit cap. 67. lib. 8. & cap. ultimo eiusdẽ: eandemq; duodecim scriptulorum pondere alui excrementa deijcere, cap. 117. & 155. lib. 3.

μελάνθιον, **Melanthium.**

Officinis nigella Romana: Gallis de la poiurette: Delphinatibus de barbues: nostris fenoilh de sainct Ieã: Italis niella. Est & syluestre melãthiũ, qđ quibusdã officinis temerè pro uero usurpatur, & à Fuchsio nõ multo cõsultiùs pro lolio Græcorũ accipitur. Gallis de la noyelle: Delphinatibus & nostris nielle. Habetur quoq; iam passim Lutetię aliud ueri melãthij genus, semine subflauo aut rufo, quàm ipsum nigrũ sit, odoratiore.

μελίλωτος, **Melilotum.**

Latinis sertula cãpana, & corona regia: officinis Græcũ nomẽ insedit: Gallis du melilot. Tria hodie inueniunt meliloti genera. Primũ odore suauissimo præditum, folio fœnigræci, lentẽ fimbriato, flagellis oblõgis, flore luteo, auenæ fere exẽplo spicato. Id à doctis penè oĩbus uerũ Dioscoridis melilotũ existimat. Quidã id luteã saxifragã malũt appellari. Alterũ aspectu incano, folijs minutis, crocato flore. Id pro uero meliloto in hæc usq; tẽpora usurpatũ ab officinis fuit. Tertiũ Italicũ, qđ nõnullis uerũ melilotũ putatur. Primi, id est, ueri generis duæ sunt species, solo floris colore distinctæ. Siquidem unius flos, luteus: alterius, cãdidus est. In cæteris, caule nimirũ, radice, folio, floris effigie, & pẽdulo semine plantæ omnino similes: adeo, ut si saxifragæ titulo insigniri debuit, nihilo secius saxifraga alba, ꝙ lutea appellari poterat: cũ uidelicet plurimis nostræ ꝓuinciæ locis, uberior sit albi meliloti, ꝙ lutei ꝓuentus.

μέλι, **Mel.**

Præstantius Atticum, nostrũ & Narbonense uiribus & præstantia Attico respondet. Reliqua quę frigidioribus locis proueniũt, inferiora sunt. Officinis nomen retinet: Gallis & Delphinatibus du miel: Italis melle: nostris meu & miel dicitur.

μελισσόφυλλον, **Melissophyllum.**

Officinis melissa: Gallis de la melisse: Delphinatibus & nostris melize: Italis cedronella & mellissa.

μήκων, **Papauer.**

Quinq; præcipua cõperiũtur papaueris genera: albũ, nigrũ, purpureũ, rei herbariæ scriptoribus intactũ, & de quo abudẽ alias suo loco. Rhœas, cui⁹ duo genera: mas, cui flos purpure⁹: fœmina, cui pallidulus: & cornutũ. Prima genera officinis nomẽ retinẽt: Gallis du pauot: nobis paparri: Italis papauero. Purpureũ autẽ officinis ignotũ. Rhœas officinis papauer rubrũ: Gallis du ponceau aut coquelicoc: nostris, corruptã Gręcã nomẽclatione, rhoẽllo: Italis papauero saluatico. Cornutũ officinis nomen seruat: Gallis & nostris anonymum, quod sciam, est.

μέσπιλον, **Mespilum.**

Latinis & officinis Græcũ nomen insedit: Gallis meslier & neflier, Delphinatibus nespoulier, nostris nesplier: Italis nespolo. fructus Gallis mesles aut nesles, Delphinatibus nespoulos, nostris nésplos. Duo mespili genera facit Dioscorides. Primum quod à quibusdã aronium dici cõmemorat. Id, ut autor est Manardus epist. 1. lib. 10. uulgò in Italia azarolo nominat. Alterũ quod in Italia nascit, & à quibusdã setaniũ, ab alijs epimelis uocatur. Theophrastus autem, cap. 12. lib. 3. histo. plant. & Plinius cap. 20. lib. 15. nat. hist. tria mespili genera fecerũt, anthedona, setaneã, & Gallicã: ad quos autores breuitatis studio te remitto. De epimelide uaria est doctorũ sentẽtia. Nam Dioscoridi mespili: Galeno arbuti genus esse uidetur: quãuis ipsi Galeno lib. 2. aliment. idẽ sit amamelis quod Dioscoridi epimelis: in censu autẽ simpliciũ epimelida arbuti genus esse dicat, quæ Græcis κόμαρος uocetur: adeo, ut, in tãta sententiarum ambiguitate, quid certi pronũciari posit, sit prorsus difficile. Sed siue mespili Dioscoridi species sit epimelis, siue arbuti rusticis Italię, Galeno & Paulo autoribus, unedo, & Gręcis κόμαρος nominata, non est huius loci cõsyderare. Verùm in præsentia hoc tantũ addidisse sat fuerit, mespilorum apud Gallias duo haberi fastigia: maius, quod & mitius: minus, horridius. De comaro autem quibus nominibus uocetur, quibusq; in locis proueniat, abundè suo loco diximus.

μηλέα περσική, **Malus persica.**

Persicæ mali genera non pauca. Quædam enim duracina uocantur, & sanguinolenta sunt, nucleoque tenacissimè adhærescunt. Quædam nucleum deserunt, & hæc duûm sunt generũ. nã ficciora alia, friabili & solidiore carne, non postremæ inter persica

persica dignitatis: alia humidiora, omnibus uulgatissima. Corbelliana Lutetiæ in magno sunt honore. Officinis omnia nomẽ retinent: Gallis & Delphinatibus pesches: nostris perseges, ac si dicas persica: Italis pesche: quæ autem multum lutea sunt, pesche cotogne appellantur.

μηλέα ἀρμενιακή, Malus armeniaca.

Romanis Galeni sæculo præcocia dicebantur: unde, opinor, Galli ac Delphinates, deprauatã priscorũ appellatione, abricotz: Itali autẽ bacoche & moniache, appellãt: nostri auant perses, quòd nimirum sint persicorum malorum uelut anteambulones quidam, ac præcursores. Varia his regionibus spectantur armeniacorum genera. Nam quædam hic habentur, quæ gallinacei oui magnitudinem æquent, subfulua, carnosa, & palato gratissima. Alia minora sunt, & multo minus suauia.

μηλέα μηδική, Malus medica seu citrea.

Ab insigni fructuũ, tã in colore, sapore, quàm forma ac uarietate arbores horum feraces appellationẽ sibi cõpararunt: quanquã congeneres, & ita inter se similes sint, ut distingui, nisi magna difficultate, nequeant. Mala igitur fulgoris auri æmula, aurenges Gallis: Delphinatibus & nostris aranges: Italis arãci, pares uulgò aurengier, & arangier. Quæ ex uiridi in luteum langue scunt, uulgo citrõs, Italis cedri & citroni: arbor citronier. Herbaceo uirentia colore, limons: Italis limoni: arbor limonier. Prægrãdia instar melonum, orbiculataq; facie turgentia, poncires dicuntur: arbores ponciriers. De his plura apud Ruelliũ cap. 69. lib. 1. Et nos quoq; singulorũ tum fructuum, tũ arborũ mali medicæ faciem tuis oculis scripto aliquando ita subijciemus, ut etiam absens, quasi præsens, de illis iudicare possis.

μηλέα, Malus omnis.

Pomorũ infinita genera, sed quę in tria quatuórve pręcipua reduci possint: austera nimirum, acida, acidodulcia, & dulcia. Nomẽ retinent officinis, Gallis, & nostris: priuatas tamẽ nomenclationes, aut à locis, aut ab imponentium arbitrio acceperũt, ut aliàs explicabitur.

μῆον, Meon.

Officinis fœniculus tortuosus: uulgo ignotum. Locis calidis gaudet. Inueuitur hic in agro Valentino: & in Gallia non procul à Lutetia copiosissimum apud nostrates prouenit: uulgo tamen nostrati, anonymum.

μορέα, Mora.

Mora duũm sunt generum, alba & nigra officinis mora: Gallis & Delphinatibus des meures: nostris amouros: Italis more: arbor illis meurier: nobis amourier: tum arbor, tum fructus, uulgaris sunt notitiæ.

μύκητες, Fungus.

Fungi Gallis des champignons: Delphinatibus bracoules: Italis prignoli: nostris bourigóulos: nullius in medicina usus. Alia multa sunt fungorum genera, sed planè inutilia ac perniciosa.

μυὸς ὦτις, Auricula muris.

Officinis auricula muris: uulgo du morron. Italis anonyma.

μυρίκη, Tamarix.

Officinis tamariscus: uulgo du tamarix. Italis tamarigio: Copiosa nascitur in Narbonensi Gallia, apud nos passim in hortis: apud Delphinates in sylua Gratianopoli ad orientem posita. Adhęc in quibusdam Rhodani insulis.

μυῤῥίνη, Myrtus.

Officinis myrtus: Gallis, Delphinatibus & nostris de la nerte: Italis myrto. Duo myrti genera: maior, cui maris nomen: minor, cui fœmina discriminis gratia adaptari potest. Plurima Lutetię uisitur in fictilibus uasis. In nostræ prouinciæ maritimis tractibus uberrimè luxuriat.

μῶλυ, Moly.

Quid sit syluestris ruta, nisi ea cẽseatur, quę passim in agris, tum apud nos, tum alibi inuenitur, nescio. Scio tamẽ eam herbam, quam Lutetiæ syluestris rutæ nomine ostentant, moly non esse. Audio tamen Plinianum moly (nam Dioscorideũ ignotũ est) in Cãpania Italiæ inueniri, radicibus eius pedum triginta longitudinem ęquantibus. nasci saxosis locis.

ναρδόσταχυ, Nardi spica.

Officinis Græcũ nomẽ insedit: quãquã illis nõ infrequẽter turpiter imponitur. Nã institores quidã ac callidi nebulones hoc adulterio nardi spicã mẽtiuntur. Accipiũt enim superiorẽ radicis seseleos cretici (quod Delphinates ceitre, Lygures staminibus uulgò appellãt) partem siccis ac uelut comantibus staminibus refertam, truncoq; caulis & inferioris radicis amputatis, macerant, aut modicã aquã, in qua dissoluta est rubiæ maioris radix, respergũt: dein cinamomi decocto aromatisant, sicq; diligẽter siccatam pro nardi spica dãt uenum. Nam hunc fucum mihi nuper detexit quidam, qui eodem ipso quotidie multorum detrimento uteretur. Volunt docti nonnulli nardi spicam officinarum, non Indicam, sed Syriacam nardum esse.

νάρδος κελτική, Nardus Celtica.

Si doctis creditur, à paucis hodie nota est. quanquam non desunt, qui Gallorum & nostrorũ aspic ad Celticam nardũ referendũ putent, pseudonardũ uulgarem lauandulam esse uolũt: uerùm nardus celtica in alpiũ summitatibus prouenit, & à rusticis aspic adhuc nominatur. Et pseudonardi duo sunt genera: mas Italis spigo: Gallis & nostris aspic: fœmina omnibus Gallię populis lauande: Italis lauanda.

νάρθηξ, Ferula.

His regionibus ignorat. In Apulia frequẽs ac copiosa prouenit: uulgatũ tamẽ gẽtis nomẽ nullũ ex autoribus scire potuimus.

νάπυ, Sinapi.

Officinis sinapi: uulgo moustarde, aut uerius, graine de moustarde. Italis senape & mostarda.

νάρκισσος, Narcissus.

Νάρκισσος Græcis: narcissus Latinis: officinis ignotus. Duo præcipua narcissi genera: Cãdidus & luteus: Cãdidus in marẽ distribui potest & fœminã. utriq; flos est cãdidus: sed mari in medio purpureus: fœminæ uerò, croceus. adhæc in mari narcisso maiora sunt oĩa, flos, caulis, folia, radix: in fœmina, minora. Ambobus tamẽ idẽ nomẽ. Nã flos Gallis des narcis: Lugduni des ieãnettes: Alpinis Delphinatibus (nã in alpiũ pratis copiosissimus luxuriat) nunc fleur d'oye, nũc gonnette, nũc donnette: nostris courbo donno, quòd, more decrepitarum mulierũ, caput deorsum inclinet: Aquis sextijs tamen, Massiliæ, & alijs nostræ prouinciæ tractibus maritimis, de iuyeufues, id est, iudeæ, aut iudaicus flos nominatur. Hæc species ubiq; in pratis uuidis tempore uerno florere inuenitur. In alpibus autẽ floret mensibus Iunio & Iulio. Obseruatione interim dignũ est, ab uno candidi narcissi, præcipuè fœminæ, cauliculo eodemq; loco sępe duos, nonnunquã tres simul flores erumpere: id quod ego ualde, mehercle, sum, paucis ab hinc diebus, admiratus. Luteus narcissus in maiorẽ & minorẽ diducitur. Maior paucis medicis cognitus: officinis prorsus ignotus. Lugduni & locis circum uicinis, uulgo notissimus. Nam quibusdam illorum des ieannettes, alijs des campanettes, alijs des coculz, nominatur. Radice, caule, & folio cãdido simillimus est. flos euariat. Siquidem longus est, media sui parte calathi effigiẽ repręsentans, crispatim in ambitu fimbriatus, appendicibusq; septẽ in eius medio inclusis. in ambitu autem folia sex obtinet, stellæ modo radiata, molliter acuta, ab ipsoq; floris calatho, paulò infra medium, prodeuntia, suppallida. Floret statim primo uere, nondumq; bene exacta hyemis inclemẽtia: adeo, ut huius flores tum maximẽ appareat, cũ candidi narcissi folia è terra erũpere cœperint. Reliqua omnia illi simillima habet. Minori luteo narcisso folia croci insunt: cauliculus quaternũ digitorũ. Radix bulbosa, nucis auellanæ magnitudine, foris nigra, intus candida & succosa. flosculus aurei penitus fulgoris, cãdidi narcissi floribus effigie omnino similis: semẽ atrũ, exiguis siliquulis cõtentũ. floret mẽse Martio, & Aprilis initio. Nascit dũtaxat, ꝙ equidẽ explorare hactenus potuerim, in nostra ꝓuincia, apud Aptã Iuliã, saxosis locis ad occidẽtẽ urbi adiacetib⁹: quos patria lingua, ꝙ cauernosi sint, les baumos appellant: in quib⁹ terebinthus idæa, cedrus humilis, meon, thymus, clematis utraq;, onitis origanos, asterq; atticus maximẽ luxuriant.

νήριον ἢ ῥοδοδάφνη, Nerium aut Rhododaphne.

Quid sit his regionibus ignoratur. Fuchsio placet nerium in Germaniæ locis quibusdã inueniri. Audio Italię familiare esse, & uulgo oleãdro nominari. notum quoq; iam est in Aquitania.

νυμφαία, Nymphea.

Officinis nenuphar. Duo eius genera: alia candido, alia luteo flore. ambæ notæ.

ξάνθιον, Xanthium.

Lappa minor officinis: Italis lappola minore dicitur. uulgo anonymum: frequẽs ubiq; in ruderibus, urbium fossis, lacunosis ac stercoratis locis prouenit.

ξίφιον, Gladiolus.

Officinis spatula segetalis: uulgo Gallorum des espées: flos, Tuscis monacuccie.

οἶνος, Vinum.

Varia ac penè infinita sunt uini genera, sed nota.

ὄξος, Acetum.

Aliud album, aliud rubrum. uulgo du uin aigre. Italiæ aceto.

ὀπὸς, Laser, succus cyrenaicus.

Verus cyrenaicus ueterũ succus, uix habetur. Syriacus officinarũ beniuin aut belzuin: Italorum belgioino: si doctis creditur, est qui laseris purior ac nobilior portio uidetur. Est & officinis asa cognomento fœtida, purioris illius recrementum: aut certè laser è Media Syriáue allatum, Dioscoridi olens grauiter, & putorem resipiens. Aëtio tamen laser à cyrenaico lacte separatur, siue quia laser succus ipse sylphij, non lac esset, siue, quia

siue, quia laseris appellatione persicum aut medicum, ut eo-gnobiliora, & uiribus ac dignitate posteriora, non cyrenaicũ, uenirent: argumento inde sumpto, quòd cyrenaici succi inopiam emendari tradit laseris duplo cap. 40. lib. 8. & cap. 18. lib. 13. Vnde constat laser cyrenaico succo uiribus infirmius esse (quanquàm congener sit) & ob id duplum illius, alterius inopia, ad usus medicos desyderari.

ὀρίγανον, Origanon.

ὀρίγανον Græcis ἢ ὀρίγανος: origanum Latinis. Tria sunt origani genera: heracleoticum, onitis, & syluestre. Heracleoticũ origanon officinis generis nomen seruat: Gallis (ut nonnulli uolunt) mariolaine d'angleterre: Delphinatib. ouriam: nostris l'herbo de nostro damo, nominatur. Quod in his regionibus adolescit, non usquequaq; uiribus ipsi ab antiquis adscriptis, respondet. Quare onitis origanos aut satureia cõmodius eius loco usurparetur. Onitis autem officinis omnibus ignota: paucis adhuc medicis cognita: nostrati uulgo notissima. Appellatur enim in nostra prouincia pebre d'ase, id est, asini piper: seruato nimirum Græco cognomento, assumptoq;, ab acrimonia, piperis nomine. Herba est pedalis altitudinis, radice capillari, nigra, inutili, numerosis ramulis ab eadem erumpẽtibus: folio hyssopi, aliquanto angustiore: flore ex dilutissima purpura cãdido, semine exiguo, nigro. tota herba gustus est feruidi, unde sibi piperis nomen adoptauit, odore suaui, fragranti & ualde aromatico. floret quasi æstate tota. Nascitur in asperis, aridis & sitientibus ubiq; in nostra prouincia & alijs calidis regionibus. in frigidis enim nusquam sponte natum inuenitur. Syluestre origanum quod sit, nondum mihi est compertum. Tragoriganum esse uolunt eam herbam, quã Galli l'herbe du mastic appellant.

ὀξύσχοινος, Iuncus acutus.

Iuncus alius holoschœnus, mollissimus & ad uitilia utilissimus, qui Latinis marisca, Ruellio autore, dicitur: alius nobis acutus, Græcis ὀξύσχοινος: tertius melancranis, quasi atriceps, fructum gerens uuarum coherẽtium modo. Hoc nihil in uliginosis locis occurrit frequentius. uulgo ionc: Italis seruato generis nomine giunco.

ὄροβος, Eruum.

Officinis Græcum nomen insedit: nostris erre.

ὀροβάγχη, Orobanche.

Cuscuta quibusdã est: rusticis Galliç tigne: Italis herba lupa, & coda di leone: alijs herba tora. nomẽ à strangulãdo lino sumpsit.

ὄρυζα, Oryza.

Officinis nomen retinet. practicis non paucis ryzum: uulgo du ryz: Italis riso.

ὄρχις, ἢ κυνὸς ὄρχις, Testiculus canis.

Officinis testiculus canis, & nonnunquã satyrium, quanquàm id minus propriè: Gallis, maximè Parisinis, du satyrium. Italis anonymos.

ὄρχις σεράπιας, Testiculus serapias.

Triorchis à triplici radice dicitur. Huius duo genera. mas flore purpureo: fœmina uariegato. officinis ignoti, aut saltem anonymi. in montium pratis copiosissimi. Testiculi præterea species sunt illæ plantæ, quas Fuchsius satyrij basilici nomine describit. nam satyriũ radice est bulbosa: illæ radices habẽt multifidas, ut aptius inter testiculares numerentur.

ὄσυρις, Osyris.

Est officinarum & Italorum linaria. uulgo ignota: frequens tamen ubiq; prouenit.

πανκράτιον, Pancratium.

Radix est scillæ similis, quam scillam maioricam uocant: multorum tamen sententia uulgaris scilla uerum pancration est. Italis scilla minore.

παλίουρος, Paliurus.

Ambigitur inter doctos de paliuro. Quidã Gallorum aulbe spine paliurum putant: quidam diuersum sentiunt, quòd nimirũ uulgaris illa alba spina semẽ in siliquis minimè recondat. Verũ, si ueteris ac clarissimi autoris Theophrasti de paliuro scripta pauló accuratius in examen adducantur, facilimè ueritas erui, horumque componi discordiæ poterunt. Siquidem ex capite 17. lib. 3. de plant. hist. nulli non manifestum ac perspicuum existit, plures Theophrastũ paliuri species nouisse, sed duas præcipuè: Alteram cuius semen in siliquis contineatur, quam ignotam existimamus: Alteram uerò (ut ipsemet autor est cap. 4. lib. 4. eiusdem historiæ) cui semen rotundũ, rubrũ, cedridum magnitudine, aut pauló minus: nucleum habens nõ mandendum, modo acinorum punici mali: & hæc est uulgata Gallorũ aulbe spine, & nostratium aubrespin. Accedit Dioscoridem fructui paliuri uires exterendi uesicæ calculi assignare: quæ quidem uires tam manifestis experimentis in albæ spinæ uulgaris semine inueniuntur, ut inde uel liquido cõstet, eam à Dioscorideo paliuro diuersam plantam nõ esse. Sunto igitur duo paliuri genera: Alterum quod semen in siliquis recondit, idq; adhuc ignotum, & Dioscoridi intactum: Alterũ uulgaris alba spina, cuius fructum Galli & Delphinates poyres sainct Martin nominant: nostris autem generis, id est, seminis nomenclationem seruat. Meminit & Plutarchus cuiusdam paliuri, ab his longè diuersi: sed is nobis ignotus.

πάνακες ἡράκλειον, Panaces herculeum.

Quid sit, non ita constat. Nam huic conuenit (delineamentis saltem, si non uiribus) ea planta, quam sphondilij nomine Lutetiæ uulgò ostentant: quámq; Gallica plebs panaie appellat. Ea, inquam, ubique locis pinguibus & humidis uberrimè luxuriat. Inuenitur quædam herba in maritima nostra prouincia, cuius notæ herculeo panaci omnes responderent, si eius caulis lanugine quadam incanesceret. Nam folia humi strata iacent, aspera, oblonga, à ficulneis non multum abhorrentia. Caulis rectus, cubitum excedẽs, infernè candidus, supernè luteus, læuis. Flos illi luteus, sphæricæ rotunditatis. Radix candida, longa, succo prægnans, gustu feruida. Floret mẽse maio. plura nõ obseruaui. Nascitur in asperis & sitientibus soleq; illustratis locis. Hæc interim nõ ineptè ad Peloponnense seseli reuocaretur, ut suo loco dicet. Herculeus panax in Apulia & in Apennino plurimus nascit, sed anonymus apud uulgus est. Reliqua panacis genera ignorantur. Quæ uero Lutetiæ chironij panacis appellatione falsò ostenditur, syluestre sisarum, quod & cheruilla herbarijs, officinis baucias, Delphinatibus chiroulo: nostris giroulho dicitur, est.

πεντάφυλλον, Quinquefolium.

Ad pentaphyllum uulgarem tormẽtillam (quæ Gallis & Delphinatibus tomentille dicitur: nostris autem penè ignota est) ferè omnes referunt. Quidam tormẽtillam herbam sui generis faciunt, quòd septem, non quinq; folia habere oculorum iudicio eam constet. uolunt tamen pentaphylli inopia in usum tormentillã uocari. Alij pentaphyllon in Italia nasci cõtendunt, sed uulgo anonymon: & uulgarẽ saniculam pentaphylli speciem quartam faciunt.

πέπλιον, Peplium.

Πέπλιον Aëtio cũ Hippocrate: πέπλις Dioscoridi: utrumq; Latinis: officinis herba incognita. Nascitur in quibusdam maritimis nostræ puinciæ locis, sed in eo præcipuè, qui uulgo Istres dicitur. in faucibus enim amplissimi, & nobilissimi lacus maritimi est, qui nostro sermone le Mártegue appellatur, stadijs plus minus sexaginta, à Massilia urbe antiquissima & clarissima, uersus occidentẽ solẽ. Herba est pumilla, portulacæ similis, folijs supernè uirẽtibus, infernè suppurpureis, à domestica portulaca minimum absimilibus. Officinis quibusdam nostratibus egregiè nota: quibus, ob similitudinem domesticæ, portulaca marina nominat. Est & peplos herba, appellatiõe ab hac nõ omnino dissimilis, quã officinæ esulam rotũdã appellant.

πέπων, Pepon.

Cucumerum generi assignãtur pepones: Italis meloni & peponi dicti: quorum uaria genera existunt: de quibus lege Ruellium & Fuchsium. officinis nomen retinent. uulgo pompon.

πέπερι, Piper.

Tria piperis habentur genera: album, nigrum, & longum. omnia nota, Gallis poiure: Delphinatibus peure: nostris pebre: Italis pepe. Admonendus est mihi lector, haberi Lutetiæ in plerisq; hortis frutices quosdam, quinũm plus minus cubitorum altitudinis, caudicosos, ramis plurimis illustres, folio mori, aut rubi idæi (ribes officinæ appellant) non amplo, fructu iulorũ modo à ramulis per pediculos propendente, ex herbaceo candido, quod piper appellent: fruticibus nimirum eo iam pridẽ ex peregrinis admodum regionibus importatis. Lõgi interim piperis inopiam sarcit album, & albi nigrum cap. 24. lib. 9.

περιστερεών, Verbenaca.

Duo summa uerbenacæ fastigia tradũtur, officinis nota, ut apud quas nomen seruẽt. uulgo ueruene: Tuscis uerminolaca: alijs Italiæ populis berbena.

περσέα, Persea.

Ignota his regionibus arbor est, Aegypto familiaris.

περδίκιας, Perdicias.

Officinarũ parietaria est. Gallis paritoire: Delphinatibus esparge: nostris espargoulo: Italis uetriuola: de qua suprà in helxine dictum est.

παιωνία, Pæonia.

Duo eius genera: mas & fœmina: illius flores Gallis roses nostre dame appellantur. officinis herba, pæonia: nostris piouno nominatur. nam copiosissimus est pæoniæ prouentus, in finibus nostræ prouinciæ & huius Delphinaticæ gentis, in montibus ignobilis uici, qui nostra lingua les Amergues dicitur: in Galliæ hortis multa quoq; inuenitur.

πετροσέλινον

πετροσέλινον, Petroselinum.

Selini multa genera. Hortēſe: quod Latini apiū: officinæ petroſelinon: Itali petroſello: Galli perſilh: Delphinates pereſeilh: noſtri iuuerd, nomināt. Hippoſelinon Latinis equapiū & olus atrū: officinis apiū: Gallis & Delphinatibus ache: noſtris api. Oreoſelinō & eleoſelinō officinis ignota. Eſt & aliud ſelini genus, magnū quidē & amplū, quod officinæ petroſelinon macedonicon uocant: cui nulla prorſus ex parte conuenit deſcriptio. Apud Delphinates in hortis quibuſdā uiſitur herba, cui petroſelini macedonici hiſtoria, quāquàm breuis admodum, mirè adſtipulatur. Ea uulgo l'herbo de la grauello nominatur. Radicem habet digitalem, non longam, radicis apij æmulam, uerùm duram, lignoſamq; (plantā nimirū ad ſeminis maturitatem appropinquante) odoratā, guſtu acrem, quiq; diu linguam uellicet, ſuauem tamen, & ad cheruillæ hortenſis guſtum nonnihil accedentem. A' radice erumpit caulis cubitalis, aut procerior, teres, geniculat⁹, inanis, intus medullaceus, læuis, uirens, multis alarum ſinibus concauus: ramulis è ſingulis geniculis erumpentibus, inq; alios etiam ramulos diductis. in quorū omniū ſummitatibus flos inſidet albus, minutulus, ſparſus, nulla umbellæ aut muſcarij ſeruata ratione. Florē illicò ſubſequitur ipſum ſemen, duobus granulis inter ſe cohærentibus, ſemini ameos uulgaris ſimilimum, odoratius tamē, initiò uirens, poſt maturitatem ex flauitie pallidulum, acre, aroma olens, diuq; os ipſum guſtantis mira odoris ſuauitate comendans. folia quæ è ſingulis caulis erumpunt alis, magna ſunt, hortenſis cheruillæ folijs ſimilia, aliquoties utrinq; pinnata, & in ambitu ſerrata: & quo magis ad ſuum caulem accedit, eo minora ſunt. quæ uerò è ramulorū finibus exeunt, parua ſunt, folijs hortenſis apij effigie ſimilia, pinnata ſemper, & per ambitum ſerrata. Cæterùm quæ è ſummis exiliūt, minutiſſima ſunt, & quaſi fœniculacea, niſi plana eſſent, & ut ceruinū cornu uulgare, perpetuo dentata. floret æſtate. Semen matureſcit circa autumni initia. Inuenitur in paucis Delphinatiū hortis (& iam hic quoq; noſtra cura, ut terebinthus idæa ac macedonica, philyra, phillyrea, lotus arbor, cedrus humilis, & rhamni tertia ſpecies) diligentiq; matronarum ſtudio, & ſeruatur ad exterendos renum calculos. Nam conſtat modicam eius ſeminis portionem tritam, & ex albo uino potui datam, magnam uim arenularum per urinas exigere. Vnde ab effectis uulgus eam l'herbe de la grauelle nominare cōſueuit. Adhæc certum eſt huius herbæ ſemina è Macedonia, ſuperioribus annis fuiſſe allata: ut uel hinc probari poſsit, illam è genere ſelini macedonici eſſe.

πευκέδανον, Peucedanum.

Ad peucedanum meo iudicio reuocari poteſt ea herba, quæ paſſim Lutetiæ, Maſsilienſis ſeſeleos nomine, oſtenditur: cuiuſq; maximus eſt prouentus in prato Gentilitio propter Lutetiam: necnon in tota Gallia: nam ſi (ut Ruellio, & alijs doctis placet) officinarum ſiler cognomento montanum, Maſsilienſe ſeſeli exiſtimandum ſit, è duobus alterum erit neceſſarium, aut duo Maſsilienſis ſeſeleos ſtatuere genera, aut alteram è plantis illis (quod ueri ſimilius eſt) ſeſeli Maſsilienſe nō eſſe. Accedit, quòd ea planta à multarum gentium officinis peucedani nomine in uſum medicum uocatur. Succo peucedani uſi ſunt ueteres medici: atq; idcirco, ſi illius copia non adſit, tantum ſiccæ herbæ, & dimidium ſagapeni conijciendum monent, cap. 47. lib. 12.

πήγανον, Ruta.

Officinæ & Itali Latinum nomen uſurparunt. Galli & Delphinates da la rue: noſtri rudo nominant. Duo rutæ genera: hortenſis, & ſylueſtris. Sylueſtris apud nos calidis ſiccisq; locis copioſiſsimè prouenit: quæ autem planta Lutetiæ ſylueſtris rutæ loco oſtenditur, ruta ſylueſtris, ſaltim ueterum, non eſt. Satiua ubiq; in hortis inuenitur.

πίσσα, Pix.

Officinis nomen ſeruat: Gallis de la poix: Delphinatibus peio: noſtris pego: Italis pece. Multa picis genera, liquida, arida, brutia, cedria, & ſimiles, de quibus copioſiſsimè ac doctiſsimè Ruellius cap. 113. lib. 1. ſui operis de ſtirpium natura.

πιστάκιον, Piſtacium.

Arbor eſt peregrina, folijs rotundis, capparinis proximis, odoratis, guſtu aromatico. Lutetiæ uiſitur in horto diuæ Mariæ. Fructus Græcis & Latinis piſtacia: officinis fiſtica: Italis piſtachi dicuntur.

πιτυίδες, Pityides, nux pinea, nux picea.

Nomen ſeruant officinis. uulgo pomme de pin.

πίτυος, ὁ φλοιός, Pini cortex.

Officinis Latinum nomen inſedit. Gallis eſcorce de pin: Delphinatibus rusche de pin: noſtris ruſco de pin. Hic cortex loti arboris cortici ſubſtituitur, ſi ille deſit, cap. 48. lib. 9.

πλάτανος, Platanus.

πλάτανος Græcis: Platanus Latinis: officinis ignotus. Duo eius ſtatui poſſunt genera. fertilis & ſterilis, qui pſeudoplatanus diſcriminis gratia dicetur. Ferax platanus Gallorum paucisſimis cognitus: Delphinatibus & noſtris ignotus. Hic Lugduni hac forma in horto quopiam ſpectatur. Arbor eſt adhuc non procera, trium aut quatuor ulnarum longitudine, caudice uirilis tibiæ magnitudine, candida ligni materie, cortice craſſo, ſpadicei coloris, ramis oblongis, à pſeudoplatano non abſimilibus: fronde uitiginea, longo eoq; purpureo pediculo nitente: flore racemoſo, ex luteo pallido, ſemidodrantem longo, la bruſcæ magnitudine, multis appendicibus, ex pallido in luteū langueſcentibus, ornato. In ſummis illis petiolis mox oriuntur ſiliquulæ, breues, triangulares, membranoſis & preſsis uelut corniculis, in tripodis formam, ſingulis eius angulis adnatis. Floret uere: fructus exin ſenſim increſcit: ac tandem matureſcit ad autumnum. Florem ipſi uidimus: & plantam totam. Fructum uerò cernere nondum licuit: uerùm quæ de eo ſcriptis mandamus, ab œconomo intelleximus. Audio in Sabaudiæ montibus inueniri, áque indigenis platain nominari: id quod à ueritate alienum non uidetur, cùm ea planta quæ hic uiſitur à Pictauijs Galliæ populis huc fuerit allata. Habetur & apud Neapolim in hortis quibuſdam. Pſeudoplatanus autem ubiq; luxuriat, & Gallis du plan: Delphinatibus playe: noſtris blaye: Sabaudis uerò planou uocatur. Huic folia quoq; uitis inſunt, ligni candida materia, cortex craſſus, ſpadiceus, ut ob ſimilitudinem pſeudoplatanus non ineptè appellari poſsit.

πολύγονον, Polygonum.

Duo polygoni genera: mas & fœmina. mas Latinis ſanguinaria: officinis centinodia, corrigiola, lingua paſſerina: Apuleio pro ſerpinaca: Pariſinis autem herba ſancti Innocentis (quòd frequens ac copioſum in eo cœmiterio luxuriet) nominatur. uulgo anonymum. Fœmina officinis ignota. Quòd autē in aquis ſtagnātibus aut pigro lapſu repentibus adoleſcat, idcirco Gallis pin d'eaue dicitur.

πολεμώνιον, Polemonium.

Πολεμώνιον Græcis, Latinis polemonium: officinis planè ignotū, niſi ea planta ſit, quam herbarij boſci ſaluiam, & quædam Galliæ officinæ ambroſiam nominant. Verùm non auſim affirmare boſci ſaluiam, ideſt, ſyluaticam ſaluiam polemonium eſſe. Quidam ſe id noſſe prædicant, quorum ſententiam nec probo, nec improbo. Quibuſdam alijs ruta herbariorum cognomento capraria polemonion exiſtimatur: uerùm parùm probabiliter. quando quidem omnes illius notæ, ne minima quidem reclamante, aſphaltiti trifolio tam adſtipulantur, ut abſurdiſsimum putem eam ad aliud genus reuocare. Sit igitur polemonion ex earum plantarum numero, quæ parùm adhuc exactè cognitæ ſunt.

πόλιον, Polium.

Duûm eſt generum: montanum, quod officinis uomen retinet: alterum fruticoſius, minus notum.

ποταμογείτων, Potamogeton.

Paludibus & ſtagnis familiaris: officinis & uulgo ignotus.

πολυπόδιον, Polypodium.

Latinis filicula: officinis polypodium. Quercinum laudant, quo rarò, herbariorum incuria, utuntur.

πράσιον, Marrubium.

Duo praſij genera: album, officinis praſium album: Gallis, Latinā nomenclationem uſurpantibus, du marrubium iam dici cœpit: Italis marrhubio: Delphinatibus & noſtris corrupta uoce lapſuq; facili bon robin, pro eo quod eſt marrubium, nominatur. Nigrum officinis praſium fœtidum, balote Dioſcoridis eſt, uulgo ignotum. Habēt & praſium officinæ, cui uiridis nomen indiderunt, albo congener, & uiribus eiſdem præditum.

πράσον, Porrum.

Officinæ Latinum nomen ſeruarunt. Gallis porreau: Delphinatibus porreau & por: noſtris porre: Italis porro. Duo eius genera: hortenſe, & uineale. ambo nota.

πρόπολις, Propolis.

Quid propoleos nomine accipiendum ſit, ambigitur. Scribonio Largo cera uirginea dicitur. Alijs tamen rudis eſt & craſſa materia in apum officinis nondum cera, odore graui, qua pro galbano ueteres utebantur. Emendari poteſt eius teneræ inopia, ſi terebinthinæ, aut, deficiente terebinthina ipſa, picis brutiæ par pondus ſubſtituatur, cap. 42. lib. 12.

πτελέα, Vlmus.

Officinis ulmus: Gallis & Delphinatibus orme: Italis olmo: noſtris oume. Duo faciunt ulmi genera, domeſticum & montanum. Italia, ut Ruellio placet, quatuor ulmi faſtigia habet. Eſt & apud nos arbor montana, quam uulgus noſtrum, quaſi ulmo congenerem putet, oume teilh appellat. Ea ſpecies tiliæ

Latinorum est. De tilia autem arbore uariatum sententijs ab antiquis fuit. Dioscoridis nanq; φιλλυρέα, quam nostri tiliam uerterunt, longè diuersa à Theophrasti (cap.10.lib.3. de plantarum historia) φιλυρα, quæ item nostris tiliæ nomen sibi adoptauit, uel sensu iudice, est. Nam Dioscoridis φιλλυρέα, id est, tilia, dubio procul, si notæ omnes diligenter expendantur, ea arbor est, quam nostri patrio sermone amelanchyer, fructus autem amelancos nominant. φιλυρα uerò, hoc, est tilia Theophrasti, lōgo ab illa interuallo dissidere, cuiuis, uel mediocriter oculato, comperietur. Siquidem φιλυρας Theophrasti duo summa statuuntur genera: fœcundum, & sterile: fœcunda tilia fœminæ appellatione dotatur: officinis ignota: Gallis anonyma: Delphinatibus, præsertim montanis, notissima: Eam enim uulgata eorum lingua terlier, eius autem fructus terlis appellant. Sterilis tilia maris nomen obtinuit, Gallis tillet: Delphinatibus teilh: nostris, ut dictum prius est, oume theilh uocatur. Accedit tiliæ Dioscorideæ (quam nostris amelancquier nominari diximus) fructus nigros racematim cōgestos ac gustu subdulces: tiliæ autem fœminæ Theophrasti (quę huius gentis hominibus terlier dicitur) sorborum colore & figura penè æmulos, gustu (quanquàm ad summam maturitatem peruenerint) austeros, intus granulosos, semine, ut solanum halycacabum, copioso prægnantes esse. Quæ omnia etiamsi reliqua silentio prætereātur, manifestum inter has plantas discrimen ostendere possunt. Sed harum prolixiorem atq; exactiorem, ne longior sim, tractationem in aliud tempus differendam institui. Nunc ad ea quæ sequuntur properemus.

πτέρις, Filix.

Duo filicis genera: mas, officinis osmunda regalis: Gallis osmunde. Fœmina officinis nomen seruat: Gallis & Delphinatibus de la feugiere: nostris faugiere: Italis felce dicitur.

πύρεθρον, Pyrethrum.

Pyrethri planta his occiduis regionibus desyderatur. Radix in usu frequentissimo est, & nomen officinis retinet: Gallis pied d'alexandre. Habent & herbarij suum syluestre pyrethrum, quod doctorum fermè omnium sentētia, ad Dioscoridis ptarmicam referri debet.

πυρὸς, Triticum: ἄμυλον, Amylum.

Tritici uaria genera: quanquam eius communi nomine omnia semina, quæ in panificium assumuntur, complecti uidentur. Vulgus Gallorum & Delphinatium froment: Tusci grano: Lōgobardi formento: nostri blad & annono appellant. Amylum officinis, & uulgò amydum, ideo hoc nomen obtinuit, quòd citra molæ usum ac operam fieri soleat.

ῥάμνος, Rhamnus.

Trium est generum. Prima species mihi adhuc ignota. Secunda exigua copia prouenit apud Geruanum Delphinatium propè Tinctum ignobilem uicum in sepibus, ubi ab indigenis l'espine de nostre Seigneur nominatur. Tertia, quæ fructum uerticillo similem gestat, & in ambitu menbranosum, copiosissima luxuriat in nostra prouincia ubiq;, maximè apud Aptā Iuliam, & quà Apta Iulia Auenionē & Caballionem itur: & uulgò ab omnibus arnaueau: Italis autem marruche nominatur.

ῥαφανὶς, Raphanis.

Duūm est rhaphanus generum. Satiuus, qui Gallis raue: nostris & Delphinatibus raiffort: Italis quibusdam radice: alijs rauanello. Syluestris etiā non rari est in medicina usus: quanquam inuentu non usquequaque facilis. officinis Græcum nomen seruatur. Italis ramoraci.

ῥῆον ποντικόν, Rheon ponticum, Rha.

Verum rha ponticum occiduis hisce regionibus desyderatur. Quæ uerò radix à seplasiarijs rhapontici appellatione ostēditur, centaurij magni radicem esse, longè plura argumenta conuincunt, quàm ut pluribus demonstrari nunc debeat. Ruellio & Manardo rha cognomento barbaricum siue sceniticū eiusdem generis & uirium cū pōtico statuitur. discrimen tantùm in odore est, quòd hoc, id est, ponticum inodorum sit: illud autem, præsertim tritum, grauem spiret odorem. Rha pontici si quando non adfuerit copia, centaurij magni radix in usum uocari potest, cap.57.lib.8.

ῥητίναι πᾶσαι, Resinæ omnes.

Resinarum multæ species. Terebinthina, abietina, laricea, picea, pinea, lentiscina, cui mastiche nomen est, iuniperina, cedria. Terebinthina è Cypro & Rhodo Venetias aduehitur: Venetijs in Galliam transmittitur, apud quam terebinthinæ Venetę nomen inuenit. Apud nos quoq; mensibus augusto & septembri uera terebinthina sudare ac stillare conspicitur, neglectaq; plebeiorum & aliorū ignorātia, adhuc manet. Abietina multa in alpibus colligitur, & occiduis his regionibus terebinthinæ nomine ostenditur & usurpatur. Vulgus alpinorum appellat biiouin: officinæ terebinthinam: plebs tormentine. Lariceam cum abietina permisceri suspicor ab his, qui omnia dolo uitiant. Picea huc adfertur in calathis è corticibus arborum (ut fraga reponi solent) contextis. Lentiscina mastiche est. Pinea calidis in locis uisitur, ut & iuniperina. Hanc postremam officinæ Arabas secutæ sandaracham nominant, quam à Græcorum sandaracha (quæ chymistarum auripigmentum rubrum est) diuersissimam esse constat. Resina igitur iuniperi officinis sandaracha & uernix dicitur. Vulgo autem du uernix aut de la glasse. Cedria his locis ignota. Plura de resinis lege apud Ruellium cap.113.lib.1.

ῥόδον, Rosa.

Rosarum tria præcipua genera: Rubræ, candidæ, & ex rubro dilutæ. Hæ postremæ uulgo incarnades, quòd floridum uiuidæ carnis colorē repręsentent, dicuntur. Rubrę nostris rosos encros: Italis rose rosse uocantur: officinis singulæ suum seruant nomen. Vidi ego admodum adolescens apud Saltum prouinciæ nostræ oppidum bifera roseta. Nam nihilo minor rosarum prouentus autumno in illis habebatur, atq; uerno tempore solet. Habentur & damascenæ rosæ, odore suauissimo ac fragrātissimo præditæ, aliæ albæ, aliæ rubræ: quæ Tuscis damaschine: alijs moschette uocantur. Hic roses de damasc.

ῥοδοδάφνη, Rhododaphne.

De rhododaphne suprà in nerio dictum iam est. Dissimulandum tamen hoc loco nequaquam est, maritimis nostræ prouinciæ tractibus copiosissimum nasci fruticem, cui folia sint amygdalinis effigie proxima, gustu insigniter dulcia, cū salsugine quadam, foliorum saluiæ modo aspera, glutinosa adeo, ut pressa tenaciter digitis hæreant. Flores edit caninis rosis adsimiles, ex rubro dilutos. Floribus succedit semen nigrum, melanthij semini non dissimile, colore nimirum, figurā & magnitudine, pilulis, aut, si mauis, corniculis quibusdam auellanarum magnitudinem æquantibus conclusum, collectis hinc inde tegminis asseribus, & in unum (ut in pæoniæ fœminæ nucibus apparet) coēuntibus. Frutici binūm ternūmue cubitorū altitudo inest, rami multi, lignosi, cortex asper atq; horridulus. Radix lignosa, acuta, longa. Plura nondum obseruaui. Ex his tute iudicato, num hæc planta ad rhododaphnen possit reduci: quod ipse nolim affirmare. Verum, ut te ad eius apud ueteres inuestigationē incitarem, historiā apposui. Plurima Tholone & Areis, & tota maritima prouincia inuenitur. Floret ineunte æstate, ac subinde semen profert.

ῥόα, Malum punicum.

Malum punicum triplex: dulce: acidum, &, inter ea medium, acidodulce, officinæ malum granatum, à granorum siue acinorū multitudine: Galli des grenades: nostri migranos: Itali pomi granati appellant. Inueniuntur & syluestria punica mala.

ῥοῦς, Rhus.

Planta quæ sit, à paucis scitur. Fructus seu semen in usu frequentissimo est. officinis sumachi.

ῥύπος, Sordes.

Sordium hodie nullus usus, atq; ob id, in Gallia præsertim, minimi habentur, nec inueniuntur omnino, quòd balnearum usus apud nos penè obsoleuerit.

Σαγάπηνον, Sagapenum.

Officinis corruptè, ut pleraq; alia, serapinum dicitur.

Σάμψυχον, Sampsuchum.

Latinis & officinis maiorana: Gallis & Delphinatibus de la mariolaine: nostris maiorano: Tuscis persa: alijs Italiæ populis maiorana: uulgaris apud omnes notitiæ.

Σαπρότης ξύλων, Caries lignorum.

Caries illiusmodi nostris coucrosson: Italis tarlatura di legno, dicitur: Cariem experiri courcossar: Delphinates chironnar.

Σαρκοκόλλα, Sarcocolla.

Officinis & Gallis nomen retinet.

Σατύριον, Satyrium.

Duplex est satyrium: trifolium & erythronium: neutrum officinis satis notum, ut quæ testiculi canis speciebus, quem satyrium abusiuè uocant, loco satyrij utantur. Addunt recentiores genus tertium, quod basilicum cognominant. Exiguum, flore saturata purpura nitente, cauliculo quaternūm digitorum, aut paulo altiore, radice in manus effigiem conformata: unde Auicennæ digiti citrini: officinis autē palmæ Christi accepit: quāquàm palmę Christi appellatiōe ricinus herba uulgo intelligatur. Huius duo genera. Purpureum, quod iam diximus, minus, quod mas dici potest: & uariegatum, aliquanto maius, fœmina. In classes tamen testicularium aptius relegabuntur, ob dissimilitudinem quam habent cum uero satyrio. Hoc montes præcipuè amat, alpium indigenis minimè ignotum. Vidi

tum. Vidi ego postremis annis uerum satyrium in montibus Delphinatium: radice bulbosa, oui gallinacei ferè magnitudine, foris russa, intus candidissima, succosa, gustus suauis ac prędulcis: folijs lilij, caule dodrante altiore, læui, terete: flore pyramidali ac penè rotundo, ex saturata purpura candicante, qui tamen calatho dem uulgaris lilij effigiem non repræsentaret. Floret mēsibus Iunio & Iulio. Semen, quia maturū tum haudquaquam esset, non obseruaui. Copiosissimum adolescit in alpibus: & in eo Delphinatus monte, qui ex omnibus, quos unquàm uidi, herbarum medicarum feracissimus est: patria eorū lingua Chironno uocatur, nec procul à Dia urbe ad septētriones est. Nam, præter satyria, illic uidentur testiculares omnes, gentiana utraq;, seseli tum Massiliense, tum Creticum, aconita: lilium purpurascens, & candidum syluestre, lunaria minor (quæ eorum lingua l'herbo de la routo nominatur) chamæleones, asarum, carui, petasites, narcissus candidus, centauriū minus utrumq;, bistorta, oxyacantha, anagyris, & alia innumera quæ recensere longissimum esset. Distat & ab hoc monte uersus orientem solem milliaribus circiter octo, planities amplitudinis admirandæ, aquis abundans, monte excelsissimo ab oriente: locis præruptis & plane inaccessis à septentrionibus & occasu, saxosa uero planitie à meridie circunscripta: cuius angustissimum ingressum elegantissimus fons exornat. Ea priuata gentis lingua les pres de cheuallieres nominatur, & monti inaccesso (quem rustici indigenæ l'aigulle appellant) admodum uicina est. In quam, inquam, planitiem si quis studio simplicium adductus, concesserit: illi simplicium (& maximè seseleos Cretici, quod illic, si usquā gentium aut locorū, copiosissimum & pulcherrimum luxuriat) copiam, uarietatē, nobilitatem, raritatem, & in his diuinam prouidentiam admirari licebit: quæ loca tam deserta, tam inuia, & quasi mortalibus inaccessa, tanta herbarum preciosissimarum uarietate atq; ubertate locupletarit.

σέλινον, Apium.

De apio suprà in petroselino diximus.

σέρις, Seris.

De seride copiosissimè in cichorio dictum iam est.

σέσελι, Seseli.

σέσελι Græcis: Seseli Latinis. Quatuor sunt & inueniuntur seseleos genera. Massiliēse Stœchadibus insulis, & maritimis nostræ prouinciæ tractibus familiare: necnon in alpibus, & omnibus Delphinatium nostrisq; montibus frequens ac copiosum: officinis siler montanum: uulgo alpinorum sire mōtan. Quod Fuchsio Aethyopici seseleos nomine pingitur, iam dictis in montibus, alpibus nimirum, copiosum prouenit: inuentu & cognitu (si quis uigilantior fuerit) non difficile. Aut uerius Aethyopicum (quia in alio multæ notæ reclamant) seseli eam plantam dixerim, quam Lutetiæ, in hortis quibusdam, parùm consultò, pro terebintho ostentant. Cuius, inquam, largissimus est prouentus, propter Druentiam, rapacissimum nostræ prouinciæ flumen, saxosis locis, iuxta Orgonum Caballioni proximum oppidum. Siquidem delineatio uniuersa illi fauet, nullā reclamāte notā. Nam frutex est binûm ternûmue cubitorum, caudice digitali, flagellis cubito lōgioribus, iuncoq; crassioribus ac lignosis, folio demesticæ oleæ, nigriore, molliore, & ad periclymeni folia satis accedente. Flos in ramorum cacuminibus insidet luteus, speciosus, circinnatæ (ut cepæ porriue flores) rotunditatis. Semen fœniculo crassius, nigricans, densum, solidum, & feruentis gustus. Radices ualidæ, in profundum actæ. Vulgatum nomen mihi nondum scire licuit. Floret mense Iunio & Iulio. Semen maturescit Autumno. Nascitur Orgone & Celone, oppidis nostrę prouinciæ, aridis, saxosis, & macilentis locis. Peloponnense, in maritimis nostræ prouinciæ luxuriat, folio cicutæ latiore, crassiore, subaspero & contrectatu ingrato, nullis tamen spinis horrido, humi strato. Caulis illi inest rectus, cubitalis, aut procerior, fœniculaceus, prope terram candicans, à medio sursum uersus auri fulgore nitens, læuis ac depilis, tereti forma. Summo cauli insidet umbella, orbiculatæ planè rotunditatis, floris Aethyopici æmula, flos luteus. Radix subest longa, recta, crassitudine digitali, teres, succo prægnans, candida. Floret mensibus Maio & Iunio. Plura nondum uidi. Nascitur in montibus & collibus terrenis mari propinquis, & aliquantum remotioribus, calidis tamen & sitientibus locis, & in humidis nonnunquàm. Tutò interim hanc plantam inuenies in agro ignobilis cuiusdam uici nostræ prouinciæ, qui uulgo Meunos appellatur: secusq; uiam est, quæ Tholone urbe maritima Sanctū Maximinū ducit. Vulgi nomenclationem non didici. Ex iam dictis itaq; tibi constare potest, hanc quā depinxi plantam, uerum seseli Peloponense esse. Quartum est Creticum, quibusdam tordylium, Paulo gordylium: officinis, & medicis fermè omnibus ignotum: Fuchsio cognitū & bellè depictū. Hoc Lygures & Hispani ceistre: alpini Delphinates, Sabaudi, & qui agro Pedemōtano sunt uicini, de la ceitro nominant. Herba fruticosa est, dodrantalis Dioscoridi (nos tamē pinguibus locis cubitalem frequētissimè in alpibus uidimus) radice crassa, longa, buxea aut ex buxeo candida, omnium maxime aromatica, gustu acri ac suauissimo: folio fœniculi, tenuiore tamen & fermè capillari. Caulis rectus est, palmo, aut cubito nonnunquàm longior, in summo brachiatus: umbella coriandri: flos lactei candoris. Semen primò ex rotunditate oblongum, & quadantenus angulosum, quod, ubi exactè maturuit, in duo ueluti scutula scinditur, gustu feruidum est, odoratum ac iucundum. floret æstate. Semen maturescit, in alpibus, circa finem Augusti. Herba tota tantæ profectò suauitatis, ut si æstiuis ardoribus euellatur, & cōfracta manibus attrectetur, uix aliud sis multo tempore palpaturus, quod tibi Cretici seseleos insuetā, & uix satis explicabilem, suauitatem non resipiat: id quod ipsi frequentissimè sumus experti. Nascitur, ut dictum est, in alpibus ubiq;, nulli non è plebe notissimum.

σήσαμον, Sesamum.

Sesami planta non ita multis nota est. semen officinis sisamum dicitur. Italiæ anonymon.

σιδηρῖτις, Sideritis.

Sideritidis tres species Dioscoridi statuūtur: ex quibus prima tātùm cognita est, & officinis tetrahil aut herba Iudaica nuncupatur: reliquæ species ignotæ: quanquàm non desint qui uulgarem carpentariam, Gallis mieulx uault qu'or, dictam, ad sideritin referendam putent, quorum sententia explodenda prorsus uenit.

σίκυα, Cucumeres.

Cucumeris satiui multæ species. officinis nomen seruant. uulgo concombres: Tuscis cedriuoli: Longobardis cocomeri.

σίκυος ἄγριος, Cucumis syluestris.

Cucumis syluestris Latinis nomen seruat: officinis cucumer asininus: Gallis concombre sauluage: Italis cocomero saluatico: nostris cocourmasso. Succus eius Græcis, Latinis & officinis elaterij nomen inuenit.

σίλφιον, Laserpitium.

Quorundam opinione officinis & uulgo osteritium: quibus nequaquàm probatur eorum sententia, qui herbam quæ ab herbarijs, nunc imperatoria, nunc angelica, nunc sancti spiritus radix nūcupatur, eandem cum laserpitio existimarunt: ut quæ foliorum effigie à sylphio diuersissima, uel sensuum iudicio ac testimonio appareat. quando quidem hoc folia uulgaris apij, ex pallido in luteum languescentia, caulem ferulaceum habet: illi autē subnigra folia, per ambitum serrata insint: caulis concauus, flos ex purpura candidus (his tamē regionibus candidissimus). Veruntamen, cum in floribus, semine, caule, radicibus, &, quod omnium præcipuum est, facultatibus ipsis, tam inter se consentiant hæ plantæ, ut nullum, aut minimum saltē, statui discrimen possit: non erat, meo quidem iudicio, cur ob tantillam foliorum diuersitatem, plantæ inter se alioqui simillimæ disiungerētur, notamq; tanti discriminis subirent. Nam si radix utrique foris nigra intus candida, aut uerius buxei coloris, semen latum, foliaceum, flos candidus, facultates omnino eædem: quî, obsecro, exigua illa foliorum uarietas, & dissimilis utcumq; effigies, congeneres plantas, genere diuersissimas efficere potuerit? quid? nónne utriq; folia sunt in ambitu serrata? nónne oblonga? sed illi quadantenus nigricantia, & septipartitò diuisa: (nam medius pediculus folium in tria dissectum: laterales singuli singula in duo distributa folia sustinent) huic ex luteo suppallida, & (nisi tergiuersari consilium est) in septenarium quoque numerum quodammodo dispensata. Sunto igitur duo Europei laserpitij summa fastigia: alterum, cui apud uulgus & Germanicas officinas osteritij nomen insit: alterum uerò quod Gallicis officinis & herbarijs imperatoria, angelica aut sancti spiritus herba: uulgo autem Delphinatium alpinorum alegros nuncupetur. Vtraque species Parisijs in hortis uisitur: prior tamen in alpibus inuentu rarior: posterior nullibi gentium aut locorum copiosior. Sed hæc alio loco accuratiùs demonstrabuntur. Nā quia hic specierum diuisionem omisit: ille plantas genere easdem, diuersas esse uoluit: nos generis (ut ita dixerim) idētitate seruata, speciebusq; exactè distinctis, eorū discordias cōponemus.

Impatoria [illegible]
Angelica

σίνων, Sinon.

Ignoratur.

σίον, Lauer.

Officinis berula. uulgò de la berle. Sic enim metathesi syllabarum pronunciatur.

σισύμβριον, Sisymbrium.

Sisymbrij duo genera. prius officinis balsamita: uulgò du cresçon: Italis crescione. Alterum, quod & cardamines, à nasturtij odore, cognomentum accepit, officinis nasturtium aquaticum, Senis autem Italiæ urbe gorgolestro dicitur.

σκάνδιξ, Scandix.

Quidam uolunt Romanis aciculam dictam fuisse. Quid tamen sit ignoratur. Dioscoridea enim breuitas eam nobis ignotam reddidit.

σκίλλα, Scilla.

Officinis squilla marina, quanquàm & pseudoscilla alibi passim inuenitur. uulgò nostratium cebo marino. Italis scilla.

σκόλυμος, Carduus.

Scolymi meminit Theophrastus cap. 4. libr. 6. hist. plāt. meminit & Dioscorides. Ex quorum scriptis uix aliud elicere posis, quàm Theophrastū de hortensi (q Italis carciofi: Longobardis archichiochi: nostris carchoffles: Gallis & Delphinatib⁹ artichaultz, nominatur:) Dioscoridem uerò de erratico (qui Italis, à ui cogendi lactis, presura: Gallis autem chardonnette, dicitur) fuisse locutum: ut in cinaræ mentione dictum fuit.

σκόρδιον, Scordium.

Officinæ seruata Græca nomenclatione, multis sæculis pudendo nimis errore ophioscorodon rudi plebeculæ obtruserunt. Nunc iam tamen uerum scordium nosci cœpit: In hortis siquidem Parisinis frequens inuenitur. Adhæc propter Gratianopolim Allobrogum ab occidente, & in nostra prouincia passim, maximè Tholone iuxta mare, luxuriat.

σκόροδον, Allium.

Duûm est generum, hortense, & syluestre. Syluestris duo genera. Nam aliud est folio latiore, oblongo, molli, uirentissimo, flore albo, capitello paucioribus glebis conformato: radice non admodum bulbosa, candida: syluis umbrosis gaudet, & Plinio atque herbarijs allium ursinum dicitur. Aliud in excelsis ac nudis montibus luxuriat, ab aquilone, hortensi simile, nisi minus. nomen seruat. Gallis ailh: nostris alhet.

σμύρνα, Myrrha.

Officinis myrrha: uulgò de la myrrhe.

σμύρνιον, Smyrnium.

σμύρνιον Græcè: Smyrniū Latinè. Duo eius ex Galeni lib. 8. simpl. sententia genera: Alterum, quod à quibusdam agreste hipposelinon uocari commemorat: non autem, ut quidam perperam interpretantur, hipposelinon syluestre à quibusdam uocari smyrnion. Id officinis lybisticum: Gallis leueche: alpinis Delphinatibus, nostra etiam memoria, api, nominatur. Est & aliud smyrnion Amano monti familiare, quod olim Cilices petroselinon cognominabant. Id in Italia copiosum inuenitur: uulgóque (ut autor est Manardus epist. 24. lib. 9.) alexandrum, quasi olusatrum (sic enim Romæ Galeni ætate uocabatur smyrnium, ut ipse testis est lib. 2. de aliment. facult.) & Florentinis macerones, appellatur. Ea quoque species iam hic Lugduni, & apud Delphinates, omnibus nota: uerùm illic alexandre & alexandrine: hic macerons à quibuslibet uocatur. Ambæ plantæ in hortis habentur, & iamdictis nominibus uulgò cognitæ sunt.

σόγχος, Cicerbita.

Officinis rostrum porcinum, & pastus leporis: nostris de cardellos: Gallis, à lactis, quam reddit, copia, laicteron: Delphinatibus lacheiron: Italis cicerbita, nominatur.

σπάρτον, Genista.

Spartium quod à Dioscoride pingitur, genista est: sed ea, quam Galli genest, nostri genesto fero, Lugdunenses geneste de florence, Itali genestra, appellant. Est & iuncus quidam Hispanicus, qui, quia funibus, rudentibus ac ficarijs corbibus cōficiundis sit accommodus, à quibusdam ad sparti genus alterum reuocatur: uulgò autem sport, & ficariæ corbes ex eo conflatæ sportins, quasi spartins, dici solent.

στακτή, Stacte.

Doctorum sententia officinarum styrax liquidus, ueterum stacte est.

σταφυλῖνος, Pastinaca, Daucus.

Duo pastinacæ genera: hortensis, quæ officinis pastinaca: Gallis carrote: Delphinatibus pastenade & pastenaiye: nostris pastenargo: Syluestris quæ & daucus appellatur, de quo suo loco dictum iam est. quorundam tamen sententia pastinaca satiua candida: erratica autem carne est purpurea.

στοιχάς, Stœchas.

Officinis stœchas Arabicus: plebi nostræ maritimæ morranilh. Citrinus officinarū stœchas elychryssum Dioscoridis & Galeni amaranthum à doctis penè omnibus censetur, ut in amarantho dictum est.

στρούθιον, Struthium.

Latinis radicula & herba lanaria dicitur. putatur esse officinarum saponaria. Alij uolunt esse ignotum.

στύραξ, Styrax.

Officinis, mutata unà litera, storax dicitur. Duo faciunt styracis genera: Liquidum, qui doctorum opinione myrrha stacte est: Siccum, cui calamitæ nomen indiderunt, & is uerus styrax existimandus est. Siquidem Arabes duûm styracis generum, Græci autem unius duntaxat meminerunt.

σταφυλή, Vua.

Vuarum innumeræ species, quæ ab imponentium arbitrio uaria nomina acceperunt. officinis nomen retinent. uulgò raisin. Italis uua. Vnde nostri principis & innocentioris uuarum speciei emphasticon nomen semper retinuerunt, eam uni aut unio, id est, uuam appellantes: Eam speciem Delphinates pachurelle nominant.

σῦκα, Ficus.

Ficuum ex uarijs antiquorum scriptis infinita genera obseruauit & annotauit Ruellius, ad quem breuitatis studio te remitto. officinis Latinum nomen insedit. uulgò figues.

σύμφυτον πετραῖον, Symphitum petræum.

Herbarijs bugla: Gallis du bugle, nuncupatur: quamquàm in hæc usq; tempora non defuerint, qui herbam Fuchsio prunellam dictam, ad petræum symphytum referendam, nec id satis consultò, existimarint. Est & symphytum magnum, quod officinis consolida maior dicitur. huic flos est albus, & ex purpura dilutus. Symphytum medium est officinarum consolida media, uulgo des marguerites. Restat minimum, quod & bellis dicitur, consolida minor: uulgo Gallorum des pasquetes: Delphinatium & nostratium de marguerites.

συκόμορα, Sycomora.

Fructus sunt Aegyptiæ ficus, si Theophrasto credimus. his regionibus non habentur.

σχῖνος ἢ θάμνος, Lentiscus.

σχῖνος Græcis: lentiscus Romanis & officinis: Gallis & Delphinatibus ignotus: nostris lentiscle: Italis lentisco. Plurimus in maritimis nostræ prouinciæ tractib⁹ adolescit, frigida loca naturâ horret. E lentisco resudat mastiche, sed apud Chium, Rhodum, Cyprum, Cycladas insulas, Aegyptium, aliaque calidiora loca. Apud nos enim nulla colligitur, quòd locus ob remissiorem (si cum prædictis conferatur) calorem resudationibus, quàm illa, minus sit aptus.

σχοίνου ἄνθος, Iunci odorati flos.

Officinis corruptè omnia pronunciantibus squinantum dicitur.

σχοῖνος λεία, Iuncus leuis.

De iunci speciebus suprà dictum est.

τερμίνθος, Terebinthus.

τερέβινθος, ἢ τερμίνθος Græcis: terebinthus Latinis: officinis & Gallis ignota. Tria sunt Theophrasto & Plinio terebinthi genera. Syriaca mascula ac procera, Idæa & Macedonica breues. Syriaca his regionibus ignota est. Idæa ac Macedonica, quæ breues sunt & fœminæ, multis sunt notæ. Alteri enim fructus inest lentis magnitudine & figura, & folium propè cappari simile, uerùm longè maius. Alteri uerò racemosus, piperis magnitudine, primò uiridis, dein rubens, postremò nigricans, resinosus furfurosusue, folia angusta, oblonga, lauri æmula, in uersus, ut sorbus, digesta, cui apud nos petelin uulgatum inest nomen: prior autem à rhus Latina seminis appellatione Rhous nominatur. Frequens utraque apud nos luxuriat, & iam dictis appellationibus uulgo est notissima. Quæ autem planta Lutetiæ Parrhisiorum inconsultò pro terebintho ostenditur, non terebinthus, sed seseli Aethyopicum est.

τεῦτλον, Beta.

Vulgaris est notitiæ. officinis Latinum nomen insedit: Gallis de la poyrée: Delphinatibus de reparàs: nostris bledo: Italis bietola, nuncupatur.

τέφρα, Cinis omnis.

Nomen retinet, uulgo cendre.

τῆλις, Fœnum Græcum.

Officinis fœnugræcum. uulgo du senegræc corruptè pro fœnogræc.

τιθύμαλλοι, Tithymalli.

Septem tithymalli genera. Characias, qui hodie passim ab herbariæ rei studiosis amygdaloides: quibusdam espurge: Gallis reueille matin, dicitur: eiusque in syluis largissimus est prouentus. Paralios peculiariter reueille matin. Cyparissias passim inuenitur, & officinis tithymallus coronatus: Italis herba mora, nominat. Reliquæ species nō ita cuiuis notæ. Tithymallorum

lorũ genera nota Delphinatibus thymonet: uulgo nostratiũ de chouscło, à lactis dum franguntur eiaculatu, uocantur: qua appellatione lathyrides plerunq; comprehendunt.

τραγάκανθος, Tragacanthus.

Officinæ uitiosis pronuntiationibus assuetæ dragaganthum, aut adhuc ineptius draganthum appellant.

τρίβολος, Tribulus.

Duo tribuli genera. Palustris, officinis ignotus: Galliæ rusticis chastaigne d'eaue. Terrestris, qui esse putatur herbariorum calcitrappa: Gallorum chauchetrappe: nostratium caucotreppo, aut auruolo.

τρίφυλλον, Trifolium.

Τρίφυλλον ἡ ἀσφάλτειον Græcis: trifolium Latinis & officinis. Duorum habetur generum. Pratense officinis trifolium: Gallis tresfle: Delphinatibus & nostris triolet. Odoratum siue aspaltite, paucis adhuc medicis notum, Fuchsio cognitum & eleganter depictum: officinis, ut quidam uolunt, trifolium odoratum, quanquàm illis ignotum suspicor: Italis, quantum coniectare licet, lauanese & galega: herbarijs ruta capraria: nostris l'herbo de la cabriero, nominatur: ut hinc constet rutam caprariam herbariorum uerum trifolium odoratum esse. Nam eius folia, dum primum erumpunt, rutam olent: ubi uerò adoleuerint & æstate grauem ac uiolentum bituminis odorem spirant: maximè, si digitis atterantur, aut uulsæ herbæ inter lapides cõfringantur. Accedit notas trifolij aspaltitis omnes tam apte nostratium capraríæ respondere, ut nulla ita in contrarium adduci posit, quin perpetuò, adstipulantibus eisdem omnibus, capraria nostræ prouinciæ uerum trifolium aspalite existimanda sit. Siquidem nostratium capraria supra cubiti altitudinem attollitur, uirgas habens tenues, iunceas & nigras, unde ramulares nascuntur appendiculæ: in quibus singulis terna exeunt folia loto trifoliæ aut meliloto similia. Ijs recenter enatis rutæ odor inest: adultis autem, bituminis, idest, odor grauis, fortis ac sua acrimonia sensum feriẽs. Florem edit purpureum aut ex purpureo cæruleum, agglomeratum. Semen quadantenus latum, subhirsutum, ex altera extremitate exertum. Radix tenuis, longa, ualida. Ex quibus notis est perspicuum nostratium caprariam esse odoratum ueterum trifolium. floret ineunte æstate. Semen maturescit augusto, & septembri decidit. Nascitur ubique in nostra prouincia, uulgoq́ue l'herbo de la cabriero dicitur: & in alijs regionibus calidis. in frigidis autem nusquàm sponte naturæ nasci constat.

τρύχνον, Solanum.

Solani multa genera. Hortẽse, officinis solatrum & morella: cuius duo genera faciunt: candidius alterum: alterum ad nigredinem magis tendens. Halycacabum, cuius duo genera habentur. nam aliud simpliciter nomen retinet: & officinis alkekẽgi: Gallis (communi cum alijs rebus multis appellatione) baguenauldes & cocrette: Delphinatibus bonne bue: nostris de bons hommes nominatur. Alterum recentis notitiæ, quod discriminis gratiâ peregrini nomen obtinuit. uulgo parisino pois de merueilles, ob elegantiam illius fructus dici cœpit. Habetur iam & his regionibus multis locis in hortis. Tertium somniferum, paucis adhuc notum: tractibus maritimis tum mediterraneis, tum occiduis frequens. Nam apud Niceã prouinciæ nostræ conterminam, maximum eius prouentum saxosis locis uidere est: tum in Gallia apud Turonenses & Rochellanos. Est & manicum, de quo inter doctos ambigitur. Quidam enim uolunt eam plantam esse, quam hodie Lutetiæ solani manici nomine ostendunt: quidam contrariam sententiam tuentur. utcumque tamen res habeat, negari non potest, quin ea ipsa herba solani (crediderim autem ego somniferi) species quæpiam sit. Quod autem solani lignosi nomine uulgo ostenditur, circæa Dioscoridis existimatur. Quidam tamẽ solani genus esse uolunt. ea planta Italis herba bella donna nominatur.

ὑάκινθος, Hyacynthus.

Ὑάκινθος Græcis: Hyacynthus Latinis: officinis ignotus. Tria sunt hyacynthi summa fastigia. Purpureus, cæruleus, ex cãdido pallidus. Purpurei Dioscorides meminit, reliquis duobus intactis. Cæruleũ agnoscunt rei herbariæ studiosi. Is Gallis oignõs des boys & uasiel nominatur. Cæruleum hyacynthum esse, confirmatur ex Philostrati lib. 3. de uita Apollonij, his uerbis. Arbor Indica lauro similis, filiquam calycis instar formatam, mali punici magnitudine, profert. Siliquæ autem pomum inest colore cæruleum, ac ueluti pulcherrimus hyacynthus: gustatu uerò suauißimum omnium, quæ in illo monte nascuntur. Hæc ille. Ex quibus colligitur esse & hyacynthum, cuius flores cærulei sint coloris. Est & tertium eius genus floribus pallidis, & in singulis foliorum floris summitatibus ex cãdido pallidóue herbidis, ut macula lentis magnitudine unicuiq; insculpta uideatur. Omnibus folium inest porri, minus tamen, radix bulbosa, candida, succo prægnans. Primum genus crediderim parum notum esse. uolunt tamen nonnulli cepam caninam, quæ Italis cepola dicitur, esse primam hyacynthi speciem. Quorum sententiæ (etsi reliqua omnia non malè conueniant) reluctari uidetur, quòd eius flores, nostris coculz dicti, nunquàm pendere deorsum appareant, quod in hyacyntho cumprimis requirit Dioscorides. Secũdum in syluis frequẽs: in quibus, uerno tempore: & in admodũ umbrosis locis, æstate, cæruleos flores emittit. Postremum in hortis Lugdunẽsibus uisitur, & uulgò (communi cum alijs multis floribus nomenclatione) des campanettes, nominatur. Primus hic florũ, post ingentia hyemis frigora, erumpit, odoris non insuauis: qui tamen promptißimè marcescit, & minimum temporis durat: quanquàm siccatus (expertus loquor) longo tempore insitam ac uerè suauem odoris gratiam seruat.

ὕδνα, Tubera.

Gallis des truffes: Italis tartuffi: Delphinatibus & nostris tartifles. nullibi gentium, opinor, eorum maior uberióue prouentus, quàm apud Delphinates.

ὑδροπέπερι, Hydropiper.

Officinis eupatorij nomen falsò multis sæculis obtinuit. doctis hodie cognitum, & nomen seruat.

ὑοσκύαμος, Hyoscyamus.

Tria hyoscyami genera. album, flauescens, & nigrum. officinis iusquiamus: Gallis hannebane. Primi generis usus frequens. reliquæ species improbantur.

ὑπερικόν, Hypericum.

Duo eius genera. terrestre, omnibus notum. officinis hypericum, & Italis perforata, Gallis mille pertuis: Delphinatib⁹ trucheran: nostris herbe de la sainct Iean. Aquaticum caule quadrãgulo, crassiusculo, cetera terrestri simile, in alueorum marginibus frequens: officinis & uulgo ignotum.

ὕσσωπον, Hyssopum.

Duo hyssopi genera, hortense & montanum. Hortense officinis hyssopum: uulgo hyssop: Italis hissopo. montanum in regionibus calidis frequens, & odore fragrantißimo præditum, nostrisq; uulgata appellatione meirarmo nominatur.

φακοί, Lentes.

Duũm sunt generum: maiores & minores. officinis lentes. uulgo lentilhes: Italis lenticie. Apud nostros Græcæ lentis appellationis scomma in hodiernũ usque diem est relictum. Appellant enim ineptum & nullius precij momentiue hominem phacquin, id est hebetem, ineptum ac lentis pabulo dignum.

φακός, Lens palustris.

Officinis lenticula aquæ nominatur. inuentu ubique facilis.

φασηλοί, Phaseli.

Dioscoridi hortensis smilax appellantur. nostris phaioulx: Italis fagiuli.

φλῶμος, Verbascum.

Multa habentur uerbasci genera. Album cui fœminæ: nigrum cui masculi nomen inest. Vtrumque officinis tapsus barbatus. Candidum autem Gallis du boulhon blãc, nostris de torchos. Hæc duo uulgo nota sunt. Est & tertium uerbascum angustis folijs, oblongis, fragilibus, ex herbaceo nigricantibus, flore albo, aut pallido, calathi formam repræsentante, caule recto, folioso, cubitali aut ampliore, in syluis frequens, anonymum adhuc, & officinis ignotum. Quartum illud genus, quod marrhubio simile facit, uulgaris stachys esset, nisi ea subrubro flore prædita spectaretur. Triallis siue lychnitis, quæ sit, ignoratur. Ad phlomides referunt uulgarem herbam, quæ quibusdam herba sancti Petri, alijs herba paralysis, omnibus simul primula ueris (quanquàm, primulæ ueris appellatione, scio bellides, id est, primo uere erumpentes margaritas, quę sunt Gallorum pasquetes, intelligi à quibusdam & uocari) nominatur, tum eam quæ odorata est, tum quæ odore caret. Putant etiam nonnulli ad phlomides referendam eam herbam, quã Fuchsius ueronicæ fœminę nomine depinxit: quam, inquam, nostrates corruolo blanco nominant, quæque nulli ex uulnerarijs herbis est dignitate secunda,

φοίνιξ, Palma.

Arbor est transmarina, saltem quæ fructum parit: cuiusq; fructus ad nos importatur. Is officinis dactylus: uulgo dates solet nominari. Quæ autem in Italia, Lyguria & nostra prouincia adolescit, sterilis est, palmaq; uulgo nuncupatur.

φοῦ Phu.

Doctorum omnium testimonio officinarum ualeriana est, quæ in maiorem & minorem distribui solet. In Gallia & Delphinatu frequens. Apud nostrates in hortis tantùm inuenitur. Vnde eam minus calentibus delectari, & in eis sponte nasci constat. Vulgus iam ualeriane eam appellat.

φύκος, Alga, Fucus.

Maritima prouincia aulgo nominat, eaq; stercorandis uineis pro fimo utitur. Italia alga.

χαλβάνη, Galbanum.

Officinis galbanum. Vulgo garbane, nostris bon gaume.

χαμαίδρυς, Trixago.

Officinis Græcum nomen insedit. Gallis & nostris germandrée: Delphinatibus gelimandry: practicis non paucis germandrea. Italis calamandrina.

χαμαιλέα, Chamælea.

Χαμαιλέα Græcis: Latinis chamælea: recentioribus, ut autor est Ruellius, oliuella: officinis mezereon Arabum more dicitur. Sed interim non est hoc loco silentio dissimulandum, quasdam officinas ausu, me hercle, parùm sobrio thymæleam pro chamælea usurpare. Nam chamælea (cuius ramum Viennæ Allobrogum, apud doctissimum Guidobaldum, medicum, illi ex Italia allatum, uidi) folijs est oleæ domesticæ, minoribus tamen aliquanto, & aspectu incano aut subcineritio. Mezereon autem, quo utuntur officinæ, folijs constat angustis, oblongis, foliorum lini hortensis æmulis, numerosis, crassiusculis, summos ramos præsertim uestientibus, gustu uiscoso gummosoq;, ac non uulgariter acri: flagellis cubitalibus aut longioribus, multis ab una radice erumpentibus: flore exiguo, candido, copioso: fructu primum uiridi, cum autem maturuit, rubro, myrti ferè magnitudine. Quæ notæ omnes satis arguunt eam plantam, id est, officinarum mezereon, non chamæleam, sed thymæleam esse. Floret mense Maïo. Semen maturescit mense Iulio & Augusto. Copiosissima nascitur, in nostra prouincia ubiq;, maximè apud Aquas sextias in montosis, asperis, calidis ac sitientibus locis. Quo uerò apud eos nomine uulgato nuncupetur, nondum mihi compertum esse, fateor. In quibusdam Italiæ locis fructus tam chameleæ quàm thymeleæ pepe montano nominatur.

χαμαιλεύκη, Chamæleuce.

Latinis farranum aut farfugium: herbarijs populago. Herba est rotundis folijs molliter per ambitum serratis, uulgari alliariæ effigie proximis: cauliculo recto, herbacei coloris, rotundo, pedali altitudine aut ampliori: flore luteo aut candicante, radice fibrosa, inutili: floret æstate. Humidis ac uliginosis locis, maximè pratis, gaudet. Toti Galliæ familiaris. Vulgo, si non ignota, saltem anonyma. Quidam tussilaginem chameleuce congenerem putant: in qua sententia fuisse autorem uerisimile est, ut qui de becchio nobili herba nusquam anteà meminerit. Accedit becchium barbaris farfar appellari: officinis ungulam caballinam. Gallis pas d'asne: Delphinatibus de la pate: nostris unglo cauallino. Chamæleuces interim penuriam sarcit conyza parua aut capparis cortex cap. 56. lib. 8.

χαμαιλέων, Chamæleo.

Albus ubiq; frequens: doctis non ignotus: officinis & uulgo carlina. Niger montibus fere delectatur, latoq; eius flos ambitu circumscribitur, qui ædium liminibus, ad arcendas fascinationes, clauo affigi, à plebeijs, solet.

χαμαιπίτυς, Chamæpitys.

Tres eius sunt species, è quibus una desyderatur. Ex his quæ habentur, altera iua muschata: altera iua arthetica & chamæpitys officinis dicitur: nostris iuo: Italis iua.

χελιδόνιον, Chelidonium.

Duo chelidonij genera: maius, & minus. Maius officinis chelidonia: alchymistis donum cæli: Gallis de l'esclaire. Delphinatibus soulongne, apud quos certissimo experimento constat, eius radices, si dentibus affricentur, aut manducentur, eos putrefacere, & ore, corruptos, euocare: tantum abest, ut eorum dolores, cum Dioscoride, finiant. Minus chelidonium officinis & herbarijs scrofularia. Parisijs uulgo l'herbe saincte geneuiefue. Tuscis fanoscello. Nec est silentio prætereundum minoris chelidonij radices salutari experimento duriorum corporum hernias sanare, si earum succus ex albo uino extractus, sesquicyathi mensurâ, supinis in lecto reclinatis herniosis, diebus circiter duodecim, ieiuno uentriculo, propinetur.

χονδρίλλη, Chondrilla.

Seridis species est, de qua in intybo dictum est.

ψύλλιον, Psyllium.

Officinis nomen retinet: nostrati uulgo de badassos. ubiq; in macilentis & arenosis prouenit.

ὤκιμον βασιλικόν, Ocymum regale.

Duo ocymi genera: maius, & minus, cui caryophyllati nomen officinæ indiderunt. Antiquis ocymum duntaxat dictum fuit: posteriores Græci basilicum, id est, regium addiderunt, unde euenit, ut basilici nomen apud uulgus obtinuerit. Nam Gallis du basil: nostris basilicoc aut basieli: Italis basilico gentile, nominatur.

Quia suis sedibus exciderant Leontopetali & Lepidij annotationes, eas hic attexendas duximus, ne forte prætermissas à scholiaste arbitrere.

λεοντοπόδιον, Leontopodium, siue Leontopetalon.

Ambiguum est quid sit. Nam Ruellio placet esse patam leonis officinarum, quam Galli poumelée, Delphinates marsitre, nostri poumouleyo nominant. Eandem rursus cum Plinij consiligine confundit, non nominibus quidem, sed re ipsa, si diligenter consideretur. Fuchsius, ne ambagibus implicaretur, eam plantam leonis patam officinarum uidelicet ad elleborum nigrum adulterinum syluestrem relegauit. Verùm siue consiligo Plinij, siue leontopetalon Dioscoridis, siue adulterinus Fuchsij elleborus censeri debeat, iam in ellebori mentione diximus. Hoc tamen nunc addere præter rem ac institutum non erit, uulgarem officinarum patam leonis (quam Gallis poumelée, Delphinatibus, marsitre, nostris pomouleyo nominari diximus) tantillum attritam, horisq; aliquot aqua maceratam, præcipuo ad omnis generis inflationes, præsertim uenenosas, remedio esse, si ex ea aqua cyathi tres aut quatuor ipsis inflatis ieiuno stomacho diebus aliquot continuis propinentur.

λεπίδιον, Lepidium.

Lepidium Galeno, cap. 2. lib. 10. compos. pharm. part. ea herba est, quam Damocrates in Clinico (ut Archigenes apud Aëtium cap. penult. lib. 3.) iberidem siue cardamanticen nominauit, ac nasturtio per omnia fecit similimam. Paulus item cap. 77. lib. 3. ex Galeni sententia: & lib. 7. iberidem syluestre nasturtium Græcis siue cardamanticam appellari commemorat: eandemq; genere cum Lepidio esse affirmat. Verùm Græcorum lepidio folia lauri ascribit, multò tamen ampliora ac molliora. Quinetiam Paulo assentitur Plinius, cap. 8. lib. 19. lepidiũ, inquiens, in cubitalem exire altitudinem, folijs esse laurinis, sed mollibus. Ex quibus liceat duo lepidij genera statuere: maius scilicet & minus. Maiori radix satis longa, candida, intorta, crassitudine digitali, gustus acris ac feruida, nasturtium redolens. Caules in cubitalem, aut paulò ampliorem, exeunt longitudinem, iunco crassiores, læues, per summa brachiati, ex candido cæsij ac tantillum per autumnum rubescentes. Folia longa, hortensis uulgarisque costi folijs similia, laurinis multò ampliora ac molliora, primùm uiridia, dein suppallida, aut quasi cineritia, nasturtium redolentia. Flos summis uirgis insidet albus, racemosus oliuæ modo. Semen copiosum, minutulum, gustu feruens. Minus autem lepidium ternos, quaternos, plures aut pauciores cauliculos ab una radice fundit, teretes, rectos, cubitales, sæpe breuiores, ramosos, folia nasturtij, gustus acris, nasturtij sapore, gustu, & odore. Florem lacteum, copiosum. Semen exiguum, teres, oblongum, folliculo lanceæ cuspidi simili geminatim contentum. Radix candida est, oblonga, minimi digiti crassitudine, feruentis gustus, odore nasturtij. Floret utrumq; æstate. Semen maturescit autumno. Minus in uiarum marginibus, sepibus, ruderibus, iuxta parietes ac murorum ruinas, apricis & soli expositis locis luxuriat. Maius in uuidis humentibúsque, & in siccis nonnunquàm ubique, potissimùm in nostra prouincia. Hoc à gustus acrimonia nostris bon rhaphy, id est, bonus rhaphanus, dicitur: Gallis anonymum. Minus officinis & uulgò adhuc ignotum. Ruellio tamen & Hermolao raræ eruditionis uiris, Rhaphanus officinarum ueterum lepidium existimatur. Verùm si rhaphani nomine eam plantam intellexerint, quæ prælongis, latis, in dorsum, ubi adoleuerint, quadàtenus recuruis, herbaceisq; constat folijs, radice crassa, acri, caule cubito longiore, flore quasi brassicæ, & in hortis inuenitur: certum est illos cum sibi, tum alijs imponere. Sin uerò eam notent, quæ nostris bon Rhaphy nominatur, repræhensione omnino carere debent. Nam quòd maius lepidium nostræ prouinciæ uulgò bon rhaphy appelletur: ueri simile est, eam nomenclationem ab herbarijs in uulgus nostrum manasse: ut inde duo rhaphani genera subindicari uideantur: Alterum laurinis folijs, gustu & sapore nasturtij, & id uerùm lepidium maius esse: Alterum helenij aut uerbasci folijs, gustu acri quidem, sed uulgaris rhaphani, quod non lepidium, sed rhaphani species existimandum sit. Non desunt alij qui uulgarem piperellam lepidium maius esse putent, sentẽtia minimè probanda, nisi aliud Italis (quod magis suspicor) aliud Gallis piperitidis piperelleue nomine intelligatur. Nam quæ harum gentium officinis piperitis dici solet, Gallico & Delphinatico uulgò du coq, nostris cost uocitatur: folijsq; spectatur laurinis, multò tamen

amplioribus,

amplioribus, minimè crassis, in ambitu serratis, gustu cum quadã amaritudine acri ac suaui: caule cubitali: flore luteo, speciosio, athanasiæ, aut fœminæ abrotoni floribus æmulo: radice numerosa, candida, acri. Quæ notæ si conferantur cum ijs, quas nostratium bon rhaphy inesse diximus: conspicuum, ni fallor, inter ambas plantas agnoscent discrimen: cùm alterius flos candidus sit, racemosus, folia incana, læuia, pinguiuscula, gustus feruidi, & nasturtium, omnibus suis partibus, prorsum redolentis: quam ob id à Græcis cardamanticam & agriocardamon nominatam fuisse, constare, uel cuiuis mediocriter erudito, potest. Quare, ne longiùs excurrat oratio, in ea ipse sum sententia, ut nostratium bon rhaphy ueterum lepidium maius certò existimem. Nec obstat, quòd in pinguibus & humidis locis folia quæ radicibus propiora sunt, maiora aliquãto, quàm à Paulo Pliniòque picta fuerint, nõnunquàm uisantur: Alioqui eadem ratione, ea rutæ planta, quæ in Herodio Iudeæ nobilissima atque munitissima arce, ingentem ficum arborem sua cum proceritate, tum magnitudine æquabat, (ut est autor Iosephus libris de bello Iudaico) ruta non erit, quòd in magnitudinem & altitudinem prorsus inusitatam adoleuerit: Nec ueratrum album, Dioscoridi pedalis altitudinis, ueratrum erit, quòd illud tricubitalem implere lõgitudinem, in alpibus, umbrosis & uuidis locis, oculis nostris sæpe (non tamen citra admirationem) uiderimus: Nec item sabinæ plãta una pedum duûm supra uiginti, alia quatuordecim longitudinis (quas ipsi superiore anno apud Delphinates conspeximus) sabina erit, quòd Dioscoridi arbor sit coactæ breuitatis.

FINIS LIBRI I.

HVGONIS SOLERII SANIONENSIS, MEDICI, IN II. AETII LIBRVM SCHOLIA.

*

Σφράγις λημνία, Sigillum lemnium. Cap. 4.



HODIE ut plurimum desyderatur. Vendītant tamen officinæ factitiam terram, quam uocant sigillatã, pro lemnia terra: cuius uiribus & delineamentis parum respondet. Euenit tamen nonnunquàm, ut propter cõmercia, adulterina lemnia Constantinopoli in Gallias importetur. Siquidem affirmant docti bolum armeniam orientalem cognominatam esse, uerã lemniam terram, nullo sigillo impresso. Quæ uerò sigillata uisitur auaritia negotiatorum adulterata est.

μίλτος, Rubrica. Cap. 5.

Vera desyderatur, quanquam est & Gallis rubricæ genus quod sinople appellent, fabris lignarijs egregiè cognita, quam nostras uulgus aucano nominat.

Σαμία γῆ, Samia terra. Cap. 6.

Ignoratur. putat tamen Musa Brassauolus officinis talchum appellari.

γῆ σελινουσία καὶ χία, Terra Selinusia & Chia. Cap. 7.

Non habetur.

κιμωλία, Cimolia terra. Cap. 8.

Vera desyderatur. figulina tamen eius uiribus respondet: atque ob id, quando cimoliæ inopia premit, usurpari in usus medicos potest.

ἀμπελῖτις, Ampelitis. Cap. 9.

His regionibus desyderatur. quanquàm si etymon spectes, ubiq; inueniri poterit.

κρητική, Cretica. Cap. 10.

Putant eam esse, quam Galli de la croye nominant. uerùm uulgaris croye lapis est cãdidissimus, friabilis, & è fodinis erut⁹.

βῶλος τῆς ἀρμενίας, Armenius bolus. Cap. 12.

Factitius tantum his in regionibus habetur. Is attamen præparatus contra pestilentię contagia usurpari felici successu à multis solet: propinata nimirum ipsius præparati drachma una, ex stillatitij liquoris oxallydis cyathis tribus, diebus sex aut septem in aurora. Eruitur hodie è monticulis quibusdam propè cœnobium Montis maioris, nõ procul ab Arelatis urbe nobilissima & antiquissima nostræ prouinciæ, & uulgò boli armeni dicitur. quę autem terra boli armeniæ orientalis uenditur uerissima, Galeni terra lemnia est.

λίθος αἱματίτης, Hæmatites lapis. Cap. 13.

Quibusdam sanguinarius dicitur: quod nomen ambiguum est: officinis hæmatistes, sic ideo dictus, quòd in aqua dissolutus colorem sanguineum reddat. Est & alius hæmatites, qui coti attritus, colorem quendam sanguini non absimilem remittit.

σχιστός, γαλακτίτης, μελιτίτης. Scistus, Galactites, Melitites. Cap. 14.

Schistus est officinarum & lapidariorum specularis. In gypsarijs inuenitur. reliqui duo ignorantur. uolunt tamen nonnulli eũ ignotũ esse: sed quòd hæmatitis uiribus respondeat, hæmatitem eius loco substitui.

λευκογραφὶς ἢ μόροξος, Leucographis aut Moroxus. Cap. 16.

Dioscoridi morochthus & galaxias dicitur: quis autem sit ignoratur.

γαλακτίτης, Galactites. Cap. 17.

Aëtio duo galactitis genera, sed ambo nostris temporibus sunt ignota.

θυΐτης, Thyites. Cap. 18.

Lapis mortariorum alioqui dicitur, ignotus tamen est.

τηκόλιθος, Tecolithus. Cap. 19.

Galeno Iudaicus dicitur, eóque nomine officinis cognitus est.

πυρίτης, Pyrites. Cap. 20.

Officinarum & solidariorum marchasitam utramq; ad ueterum pyriten referri uolunt: Mesuæ stellatus lapis dicitur. Est & silicis quoddã genus igni excutiendo efficacissimum, quod nostrates peyrart, corruptâ tantillum pyritis nomenclatione, appellant: quod an ad pyriten reuocari possit, pluribus non contendo. Molaris tamen pyriti substituitur cap. 4. lib. 15.

φρύγιος, Phrygius. Cap. 21.

Ignoratur.

ἀγήρατος, Ageratus. Cap. 22.

Desyderatur.

ἄσσιος, Assius. Cap. 23.

Assius lapis, & ipsius flos desyderantur. lapidis tamen loco substituitur pyrites, capit. 34. lib. 15. floris autem inopiam emendat sal ammoniacus ustus pari ad florem pondere, cap. 45. lib. 12.

γαγάτης, Gagates. Cap. 24.

Officinis ignotus. Gallis du geet: Delphinatibus, nostris & Aquitanis iayet, ex quo texuntur preculæ mulierum. Extant nobilissimæ gagate lapidis fodinæ in montibus Pyreneis, è quibus maximæ glebæ eruuntur, & in uaria utensilium genera tũ scalpro, tum torno ab indigenis conformantur. nomen priuatum genti est la conté de foys.

μαγνήτης, Magnetes. Cap. 25.

Vulgo de l'aymant: Marinarijs autem calamita.

Σμιρίς, Smiris, Pumex. Cap. 26.

Smiris uulgo esmeri: Italis semriglio. Pumex, pierre ponce.

λίθοι ἐν τοῖς σπόγγοις, Lapides in spongijs. Cap. 27.

Nom en retinent, & uulgo pharmacopolarum notissimi sunt.

ὀστρακίτης, γεώδης, Ostracites, Geodes. Cap. 28.

Ostracites lapis durus est, quo marmora poliuntur: geodes autem sic, quòd terram in medio sui corporis contineat, dicitur. An habeatur, nécne, compertum nondum mihi est. E^t cote naxia lapis uulgò un acueur: mola est qua rasorij gladij acuuntur, nostrisq; molo dicitur.

ὀφίτης, Ophites. Cap. 29.

Coloris propè terrei est, serpentinæ cutis æmulus, punctis creberrimis ac minutissimis notatus. uulgus lapidariorum serpentine appellat.

ἱερακίτης, καὶ ἰνδικός, Hieracites & Indicus. Cap. 30.

Ignorantur, aut saltem alijs longè diuersis nominibus uenduntur.

ὕαλος, Vitrum. Cap. 31.

Nomen retinet. Gallis uerre. nostris ueyre.

ἀετίτης, Aëtites. Cap. 32.

Duo eius genera, colore, magnitudine ac forma inter se distincta. Nam quidam maiores sunt, subrotundi, coloris penè terrei aut ex terreo pallidi, tuberculis quibusdam inęquales, ouo Gallinaceo magnitudine pares, interdum maiores. Alij rubiginoso colore, oblõgi, amigdalæ aut oui figura, quodammodo pressi, & subasperi. Officinis lapis aquilæ: lapidarijs & uulgò pierre d'aigle nominatur.

ἀλαβανδινός, Alabandinus, Cap. 33.

Quis sit ignoratur.

ἤλεκτρον ἢ λυγγούριον, Succinum seu Lincurium, Cap. 34.

Electri nomen à solis colore sortita est hæc lacryma. Vulgus & rura ambram citrinam appellant, ambre: officinæ autem charabe, more Arabum. Diuersa tamen res est à recẽtiorum ambaro seu amparo: cuius tria habentur genera: fuluum & præpingue, suppallidum, & nigrum, quod è piscium uentribus erui prædicant: cuiũs que portio, quæ dorsi spinæ adhæsit, ambra grysea nominatur. Tradunt recentiores Græci fontes quosdam esse, qui ambarum, ut sulphur, bitumen, & picem eructent, multisque in locis scaturire. De his tamẽ plura apud doctissimum Ruelliũ legito cap. 27. libr. 1. & cap. 29. eiusdem.

ἴασπις, Iaspis. Cap. 35.

Tria hic statuit Aëtius iaspidis genera: uiridem, subuiridem, & iaspachatem. Duo priora genera habẽtur, & nomen retinent: Iaspe: Italis diaspro. Iaspachatem facilè crediderim esse eum lapidem, quem nonnulli magna religione uelut thesaurum preciosum seruant, uocantq; agathe. Aiunt enim eum lapidem pestilentibus carbunculis admotum ægrotantes à pernicie uendicare: uiridem autem Iaspidem collo appensum sanguinis è naribus profluuia sedare.

σάπφειρος, Saphirus. Cap. 38.

Habetur, nomenq; retinet, sapphyr. Italiæ saphyro.

σμάραγδος, Smaragdus. Cap. 39.

Nomen retinet: esmerauld e. maximæ nobilitatis est, & uulgatæ notitiæ. Sunt & alij multi lapides non contemnendæ autoritatis, Aëtio & uetustioribus medicis aut incogniti, aut indicti, ut granatus, chalcedonius, turcicus, & alij cõplures: quos, quia de illis autor nullam fecit mentionem, silentio præterimus.

ἀδάρκης, Adarces, Cap. 41.

Spuma est, ut quidam uolunt, lacustrium harundinum, in alarum cauis concreta, spongijs non absimilis. Inuenitur æstiuis solibus, exiccatis, ob ardores, stagnorum, palustriũmue locorum aquis. Facilè ubique haberi potest. officinis ignotus.

ἀλκυόνιον, Alcyonium. Cap. 42.

Quinque Dioscoridi Alcyonij genera. Si, ut quidam uolunt, alcyonium est maris spuma in corpus spongiosum concreta, atque in littus ui undarum & perpetui motus eiecta, duo priora genera in littore mediterranei maris passim inueniuntur, reliqua minus nota sunt, etsi quidam uolunt quatuor alcyonij species inueniri. Brassauolo placet maris spumam, quam Ferrarienses officinæ dant uenum, uerum alcyonium esse.

ἅλες, Sales. Cap. 43.

Sal fossitius, qui mineralis est, officinis sal gemmæ nuncupatur. Armeniacus officinarum factitius est: uerus antiquorum, ut & Cappadocius, ignoratur: ueri tamen Armeniaci loco usurpatur communis albissimus, lotus, & exiccatus, cap. 97. lib. 13. Indus olim excidebatur è monte Oromeno Indiæ. Est tamen sal Indus Arabũ sacchari candum naturale: cuius loco nos cando factitio utimur. Factitius duplex est, ex aquis nimirũ, ut mari: puteis, ut in Hispania: fõtibus, ut in Burgũdia: è nitrosorũ lignorũ cineribus. Nã è quercu aut corylo adustis, donec carbo appareat segregatus, deinde pfusã aquã interdũ salsã, interdum dulci, sal fit. Siquidem cinis ille qui posteà relinquitur, cõsumptis penè carbonibus, sal est. Verùm sal omnis è stirpium materia factus nigrescit. Salis flos ignoratur. Salis spuma haberi maritimis locis potest.

ἀρμενιακόν, Armeniacum pictorum. Cap. 47.

Desyderatur, nisi sit officinarum lapis lazuli, quem docti cæruleum Dioscoridis lapidem uolunt. Is ad melancholicas affectiones accommodatur, ut pictorum armeniacum: adstipulatur & color, qui, Dioscoride teste, cęruleus in armeniaco expetitur ac cõmendatur. Quidã uolunt, nos armeniaco lapide carere. Color tamen & facultates conuincunt aliquid esse, quod cæruleo (qui lapis lazuli transmarinus nominatus est) lapidi uiribus respõdeat. Quibusdam placet lapidem inueniri in fodinis metallicis, qui armeniaco ueterum respondeat. Is uerdasur nominatur.

ἀρσενικόν, Auripigmentum. Cap. 48.

Arsenicum officinis nomen retinet. Vulgo de l'arsenic. Vocatur & auripigmentum: Gallis de l'orpin, du realgar, aut risagal. Sublimatum enim ab arsenico diuersum est. Est & apud officinas auripigmentum rubrum, quod putatur ueterum sandaracha. Aduertendum est recentiores chymistas arsenici nomine tria intelligere, auripigmentum rubrum scilicet, risagalum, & quod peculiari nomine arsenicum uocatur. Nam chymistarum nomina hæc sunt. Arsenicum croceum, quod est auripigmentum: arsenicum rubrum, quod est sandaracha: & arsenicum album, quod priuata appellatione sic uulgo dicitur. Discrimen hoc faciunt docti nonnulli inter auripigmentum & sandaracham ueterum: quòd sandaracha, magis: auripigmentum, minus in terræ uisceribus coctum est, & idcirco minus rubicundum uideri.

ἄσφαλτος, Asphaltus, bitumen. Cap. 49.

Officinis omnibus bitumen iudaicum nominatur. Duo iudaici bituminis genera: liquidũ, quod Musa officinis petroleum dici putat, & stercus dæmonis. Liquidi bituminis fontem admirandum esse aiunt in Aruernia: siccus idem uult officinarum & uulgi mummiam censeri. Alij uolunt mummiam esse ueterum pissasphaltum.

ἀφρόνιτρον, Aphronitrum, & Nitri spuma. Cap. 50.

Nitrum, aphronitrum, & nitri spuma obsoleuerunt, & in tantam uenerunt desuetudinem, ut, quid nunc fient, penitus ignoretur. Horum loco supponunt officinæ salem petræ purgatum, in panes coactum. Id, inquit Syluius præceptor meus, mentiri satius esset cineribus betæ, brassicæ, & aliorum nitrosorum. Aliorum quorundam sententia baurach nitri loco à pharmacopolis substituitur: mentiri tamen posse sale, uini fæce, aut aceti fæce torrefactis. Aëtius cap. 56. lib. 2. uult salis fossilis (quem gemmam appellari diximus) inopiam pari nitri pondere emendari. Quòd si illius loco hoc substituatur: pari ratione, ille huius penuriam supplere poterit. Sal quoq; nitri loco sufficitur cap. 66. lib. 8.

γύψος, Gypsum. Cap. 51.

Latinis & officinis idem nomen seruat. Gallis & Delphinatibus du plastre: nostris de gyp. Musæ Brassauolo gypsum nondum coctum alumen scaiole officinarum est: cum uerò decoquitur, id alumen in gypsi naturam transit.

διφρυγής, Diphryges. Cap. 52.

Nisi sit scoria lota fusi ęris, ignoratur. Quidam se uidisse in fodinis Tridentinis aiunt, nullum tamen uulgi nomen afferunt.

διαφανής, Lapis specularis. Cap. 53.

Habetur hodie specularis lapis, in gypsarijs inuentus, quem tamen ad scisthum lapidem referri contendunt.

θεῖον, Sulphur. Cap. 54.

Duo sulphuris genera: uiuum, & ex uiuo fractitium uulgatissimum, ambo nota. officinis nomen retinent. Vulgo du soulphre. Italiæ solfo.

ἰὸς ξυστός, Aerugo rasa. Cap. 55.

Viride æris à recentioribus appellatur: uulgo du uerdet: Italiæ uerde rame. Vermiculata autem duplex est: naturalis, & factitia, ambæ tamen ignotæ.

καδμεία, Cadmia. Cap. 57.

Barbaris catimia: officinis climia nuncupatur. Contendunt tamen multis argumentis docti quidam. ueram cadmiam esse officinarum tutiam.

κύανος,

κύανος, Cyanus. Cap.58.

Dioscoridi cæruleus: officinis & barbaris lapis lazuli (unde sunt Mesuæ catapotia de lapide lazulo tam celebria ad melan cholicas affectiones): uulgo da l'azur. Agricola tamen, libello, quem de metallis edidit, putat lazulum lapidem cæruleæ argillæ speciem esse. Nos, cum ex scriptis ueterum constet eas dem penè uires inesse huic lazulo atq; antiquorum armeniaco pictorum, suspicamur lazulum armeniaco congenerem esse, liberum interim suum cuiq; iudicium relinquentes.

λεπὶς, Squama æris ac ferri. Cap.59.

Obsoleuit utraq;, quamquam haberi, si opus fuerit, potest.

λιθάργυρος, Argenti spuma. Cap.60.

Arabibus merdasengi: officinis lithargyrus: uulgo du litharge. fuit & auri plumbiq; spuma quædam, quam antiqui impropriè lithargyri nomine appellarunt: officinis siquidem hæc nomina seruantur, litargyri auri, & litargyri argenti.

Νίτρον, Nitrum. Cap.61.

Galeno & antiquioribus nitrum: nostris temporibus nomine tenus cognitum. Quid autē litri loco substituat officinæ, quidq; aptius suffici posit, dictum est in aphrolitro.

μελαντηρία, Melanteria. Cap.62.

Atramentū metallicum dicitur. Scribonio Largo medicorum Latinorū antiquissimo, & Galeno celebratissimo, sutoria creta est. Agricola argentum quoddam rude esse in fodinis ait. Hodie Parisijs ostenditur quidam lapis colore uehementer atro, denigrandisq; calceis aptissimo, quem uulgo de la pierre noyre: fabri autem ferrarij de l'armarie nominant: qui an ad ueterum melanteriam referri possit, aut debeat, non contendo. Nonnulli se uidisse melanteriam in fodinis Tridentinis affirmant. nec tamen quæ, qualisq; sit explicant.

μέλαν γραφικὸν, Atramentum scriptorium. Cap.63.

Habetur. Sed an idem sit cum atramento ueterum, iudicari non potest. Dioscorides de eo satis abundè tractat cap. ult. lib. 5. Deq; fuligine Vitruuius cap.10. lib.7.

μύσι, σῶρι, χαλκῖτις, Mysi, sori, chalcitis. Cap. 64.

Pro ueterum mysi uitriolum Romanum in usum uocatur: quod uulgus coupe rose appellat. Serapioni zeg uiride dicitur: Sori autem eidem zeg rubrum. ueterum sori, ut & chalcitis ignoratur.

μολύβδαινα, Plumbago. Cap.65.

Duplex est: alia flaua: alia plumbea. Plumbea uidetur is pharmacopolarum lapis, quem pro minio ostēdunt: qui quidē molybdæna non est: nam ea funditur ac colliquatur: hic autem nequaquam, nec ex eo conflari potest argentum aut plumbum, sed minium duntaxat. De molybdæna tamen uide Plinium cap.6. lib.33. cap.16. lib.34. & cap.18. lib.24.

μόλυβδος, Plumbum. Cap.66.

Habetur, nomenq; retinet uulgo du plomb.

πομφόλυξ, Pompholyx. Cap.67.

Officinis thutia nominatur: Germanis (ut Manardus epistola 5. lib.12. est autor) uulgo nil. Alij negant tutiam pompholygem esse, sed ueram cadmiā eam multis argumentis esse affirmant:

Σανδαράχη, Sandaracha. Cap.69.

Galeno lib.9. simpl. σανδαράχη, id est, sandaraca. Alia est ueterum, alia recentiorum, siue Arabum sandaracha. Ad ueterum sandaracham referunt docti auripigmentum rubrum. Arabum autem sandaracha gummi siue resina iuniperi est, quæ alio nomine officinis uernix dici solet: uulgus autem eam du uernix aut de la glasse appellat.

σάνδιξ, Sandix. Cap.70.

De sandice agetur in cerussa.

Σκωρία, Scoria. Cap.71.

Recrementum metallorum est. officinis generis nomen seruat, Ferri recrementū uulgo mache fer, quasi magma ferri dicitur. Plumbago, si desit argenti recrementum, eius loco admittitur. cap.38. lib.15.

Στίμι, Stibium. Cap.72.

Syluio nostro, & reliquis doctis penè omnibus, officinarum antimonium est.

Σπογγὸς, Spongia. Cap.73.

Nomen retinet uulgo esponge.

Στυπτηρία, Alumen. Cap.74.

Tria aluminis genera: rotundum, quod habetur, & aluminis nomine uenum datur: liquidum, quod alumen rochæ: scissile quod alumen plumæ officinis dicitur: quamquam non desint, qui alumē plumæ ad amianthū lapidem referri uelint, qui amianthus lapis uulgo Gallorum meche sans fin nominatur, & propè solus pro alumine scissili magno errore uenditur.

τίτανος, Calx. Cap.75.

Officinis Latinum nomen insedit: Gallis de la chaulx: nostris de caulx: Italis calcina. Viuæ autem calcis præparatio dilucidè explicatur Dioscoridi cap.80. lib.5.

φῦκος, Fucus. Cap.76.

De fuco infrà in cerussa agetur.

χάλκανθος, Atramentum sutorium. Cap.77.

Colchotar Arabum est. Pro tribus chalcanthi generibus ostendunt officinæ tria uitriolorum genera. Candicans, quod uulgo coupe rose blanche: uiride uersus cæruleum, quod uitriolum romanum: tertium solidius, & partibus quibusdam uiride aut æruginosum, quod citrium appellant. Ad quartum genus potest referri officinarum colchotar, quódq; zegis & dragantum nominant. Nonnulli tamē uolunt duo chalcāthi genera haberi: naturale, coppa rosa dictum: & arte factum quod uitriolum nominetur.

χαλκῖτις, Chalcitis. Cap.77.

Volunt cholcotar Serapioni dici. Vera tamen ueterum chalcitis desyderatur. uerùm cupam rosam candidam (quæ uitrioli species est) eius loco usurpare solent.

χαλκὸς κεκαυμένος, Aes ustum. Cap.79.

Officinæ, & reliqua barbarismi familia, chalecumenon, pro eo quod est χαλκὸς κεκαυμένος, id est, æs ustum nominant.

χαλκοῦ ἄνθος, Flos æris. Cap.80.

Vulgo Gallorum du uerd de gris: fiore del rame Italis.

χρυσοκόλλα, Chrysocolla. Cap.81.

Putat Musa Brassauolus boracem officinarum ad chrysocollam referri. Omnium tamen fermè doctorum sententia ignota his temporibus est. Potest tamen haberi facticia, ut fusissimè docet Plinius cap.5. lib.33. & Vitruuius. cap. ult. lib.7.

ψιμμύθιον, Cerussa. Cap.82.

Officinis cerusa: Gallis du fard aut ceruse: Delphinatibus & nostris ceruso. usta pura cerussa in syricum, quod medicis sandyx nuncupatur, transit. Vt autē fiant cerussa, ęrugo, & sandaraca, lege Vitruuium cap.12. lib. 7.

METALLICIS absolutis pauca de piscibus, & alijs hoc libro secundo complexis sunt addenda, quò, quæ nouo lectori negocium facessere poterant, quàm fieri poterit breuissimè ac facilimè explicentur. Nam, ut sanis medico non est opus: sic, nec doctis, & his qui longè plura & accuratius elaborata præstare possunt, hæc scribuntur: quamquam nostram hanc diligentiam, & propensam in omnes studiosos uoluntatem, doctis quoq; (modò æquos se iudices præbeant) acceptam fore, ut spero, sic non dubito.

De cephalo seu mugile. Cap.137.

Mugil nomen retinet. nostris muiou.

Lupus, Trigla. Cap.139.

Ignorantur, aut reuera alijs nominibus cognoscuntur.

De petrosis piscibus. Cap.140.

Scarus ignotus est: nisi sit Italorum zaphyrus. Merula Gallis ung merlang, aut merlan: atq; idcirco falluntur qui putāt esse uulgarem merlus. Turdus incognitus est. Iuliæ, quanquām sint merulæ similes, uulgato tamen nomine carent. Perca Gallis esperlenge. duorum sunt generum: marinæ, & fluuiatiles, marinis bonitate longè inferiores.

Gobius. Cap.141.

Gobij apud Gallos uocantur des gourgerons.

De piscibus mollis carnis. Cap.142.

Aselli sunt uulgares merlus, qui ijdem cum merulis essent, nisi carnem haberent duriorem. Sub passerum autē genere tria piscium genera continentur. Rhombus, qui Gallis un turbot: nostris un rhomb nominatur. Solea uulgo cognita, une sole, sic à soleæ pedis similitudine appellata: quamque quidam eam ligulam, & Græci βούγλωσσον, id est, bouis linguam appellarunt. Qui uerò tertio loco complectuntur pisces, generis nomen sibi adoptarunt. passeres enim dicūtur: qui, si magni sint, Gallis une plye: sin parui, ung carrelet dicitur. Est & apud Gallos piscis quidam barbue nominatus, qui toto corpore, & carnis duritie ad rhombum proximè accedit. Inter mollis carnis pisces etiam hi Galeno adnumerantur: hamia, quam uulgarem truttam esse uolunt. uulgo truitte. Iecorarius, Gallis aiglefin: cytharus Gallis roussete: umbræ, une umbre.

De piscibus duræ carnis. Cap.143.

Pelamides nomen retinent: nostris palamidos. Hi autem ex Galeno accedunt: galexia olim Romanis dicta, quam putant uulgarem lampetram esse, ea Gallis, & Delphinatibus lamproye,

nostris lampreso uocatur. Delphinis Gallis marsuyn. Nostrates appellãt daulphins, pisces è cetaceorum genere, magnos, oblongo rostro, dorso, ut cameli, multum protuberante: totóque corpore quasi in cemicirculi figuram conformato. Sardini pisces, des sardines: Iberici des enchoyes. reliqui sunt ignoti.

De crustatis. Cap. 145.

Gammari Gallis hommar & hammar. Locustæ nostris langousto de mar.

Molles. Cap. 146.

Polypus un pourpre. Sepia nomen retinet: Gallis seiche: Delphinatibus une seypo. nostris sepo, aut sipio. Loligines Gallis calamartz.

Echini marini. Cap. 148.

Gallis erissons: maritima nostra plebs orsins de mar nominat. Italia riccio marino.

De garo. Cap. 150.

Garum sanies est salitorum piscium, siue liquamen, quod ex piscibus aut carnibus sale maceratis defluit. Varias garorũ compositiones habes cap. ultimo lib. 20. Dionysij Vticẽsis de agri cultura, qui, autoris suppresso nomine, Constantino imperatori attributi ac dicati fuerunt.

Adeps, Pinguedo, Seuum. Cap. 152.

Adipis, pinguedinis ac seui uariæ sunt differentiæ, pro animaliũ, è quibus extrahuntur, uarietate: quorum uicissitudines annotare necessarium instituto nostro duximus, quo nouum medicinæ tyronem rerum inopia non perturbaret, & à cœptis curationibus nõnunquã auocaret. Vrsini igitur aut uulpini adipis loco, si hi desint, suffici potest caprinus, taurinus, equinus, aut butyrum recens, cap. 125. lib. 13. Anserini inopia, gallinaceus aut phasianin⁹, cap. 118. lib. 5. Gallinace⁹ quoq; anserino, & gallinaceo porcinus succedit, cap. 4. libr. 15. Vrsino itẽ Vulpinus: amborum penuria taurinus, cap. 123. lib. 13. Adipum autem recentium gallinæ, anseris, phasiani, aut butyri, in infusis anodynis, inopiam emendat fœnogræcum, & althææ radices oleo incoctæ, cap. 5. lib. 11.

Medulla. Cap. 153.

Vitulina medulla ceruinæ inopiam sarcit æquo pondere, cap. 1. lib. 13. & cap. 83. lib. 16. Adhæc ceruinus adeps, ceruinæ medullæ penuriam reparat, cap. 42 lib. 12.

Succidæ lanæ. Cap. 159.

Lana succida deficiente, quæcunque alia usurpatur. cap. secund. libr. 15.

De terræ intestinis. Cap. 168.

Intestina terræ, ut autor est Aëtius cap. 6. lib. 4. sunt lumbrici piscatorum, qui in limo fluminũ inueniuntur. Hæc cocta, cumq; myrrha trita, ac ex passo sumpta icterum sanant, cap. 18. lib. 10. aquas hydropicorum ducunt, cap. 25. eiusdẽ. diabeten sanant, cap. 1. lib. 11. renum calculos comminuunt, cap. 5. lib. 11. uesicę calculos atterunt, & urinam mouent, cap. 10. & 22. eiusdẽ. suppressas item urinas mouent ex hydromelite pota, cap. 23. eiusdem. podagricis opitulantur, cap. 35. lib. 12. mammarũ profundas duritias sanant, cap. 37. lib. 16. earundem abscessibus, opitulantur, cap. 39. eiusdem. uberibus illita lac promouent, cap. 142. lib. 3. & lumbricos ducunt, cap. 156. lib. eiusdem. sumpta lac augent, cap. 6. lib. 4. Aurium inflammationes mulcent cum rosaceo cocta, & instillato deinde oleo, cap. 12. lib. eiusdẽ. earúmque dolores leniunt eodem modo parata, cap. 120. lib. 5. Trita autem, & dolenti tempori adhibita, hemicranicos dolores mirè leniunt, cap. 49. & 50. lib. 6. Auriúmque dolores instillata mitigant, cap. 80. lib. 6. & externas aurium affectiones imposita sanant, cap. 88. lib. eiusdem. in testa autẽ usta, trita, & præeuulsis pilis superspersa, eos renasci prohibent, cap. 67. lib. 7. Oculorum fluxiones & albugines sanant, cap. 99. lib. eiusdem. Dolores dentium mitigant, cap. 27. & 33. lib. 8. eosdémque dolentes citra doloris sensum extrahunt, cap. 34. libri eiusdem. Ad alia item multa utilia sunt, ut ex autoris contextu habere potes.

Draco marinus. Cap. 169.

In littore Græco *δρακαῖνα*: Neapoli trachæna: Massiliæ aragno de mar. Hunc uolunt nonnulli esse Gallorum uiue. Draconem marinum uidere est Viennę Allobrogum, in ædibus doctissimi Guidobaldi, medici: cuius uidendi ac tractandi copiam mihi fecit anno superiore.

Vipera. Cap. 170.

Vipera accuratè autori describitur, cap. 21. & 90. libr. 13. & Galeno in libr. de Theriaca ad Pisonem. Iam in Italia recognosci cœpit, & à serpentarijs marasso nominatur.

Erinaceus marinus. Cap. 171.

Supra in echino marino dictum est, eum à nostris uocari oursin de mar. Pisciculus est magnitudine oui gallinacei, fusco colore, circinnatæ rotunditatis, spiculis quamplurimis horridus, qua uerò parte humi hæret, tantillũ pressus. (nã ea parte humi pronus decumbit, & alimentũ capessit) caruncula intus humida, incundi cum salsugine quadam saporis, intercursantibus intus subrubẽtibus, per certa interualla, mẽbranis. Crudus coctúsue estur, deiectámq; mirè excitat appetẽtiã. Frequẽs inuenitur in littore mediterranei maris ubiq;: saxosis præsertim locis: præcipuè in saxis Bergansonis arcis loci natura munitissimæ, tribus circiter miliaribus à Stœchadibus insulis, quas uulgò les isles d'yeres nominant.

Erinaceus Terrestris. Cap. 172.

Vulgò Erisson. animal omnibus notum, armentis boum, pecorum gregibus, & non rarò ipsis mulieribus infestum ac noxium. Tradunt enim rustici (id quod experientia superioribus annis confirmauit (uaccam, ouem aut simile fœminei sexus animal, si herbas aut fructus, super quos genitale semen erinaceus effuderit, fortè fortuna pauerit ac deuorarit, erinaceum concipere, gestare, tandemq; parere, aut (si id ob spicula non possit) emori. Paucis enim ab hinc annis id compertum fuit in uacca, & oue (dissectis post mortem earum corporibus, & erinaceo in matrice inuento) in eo Delphinatus tractu, quem uulgò Royans appellant, non procul ab Isara flumine amplissimo, & antiquis scriptoribus celebratissimo. Fidem hisce rebus abrogandam censerem, nisi adhuc oculati ac fide dignissimi testes extarent, qui idipsum in mulieribus hic accidisse, uel iureiurando affirment. Nam uisæ sunt mulieres aliquot, quę erinaceos multos, cum diu uterum gestassent, pepererint. Alia quæpiam nobilis genere in monte Cemeno (is enim est, qui Lugduno Belicadrum usq; ab occidente Rhodanum comitatur) cum aluus mẽsibus iam nouem intumuisset, sperans egregiam se marito sobolem parituram, quatuor cuniculos infantis loco est enixa. Alia quę scrophulã animal (sic enim uocant animalculum quod æstate in algidioribus fontibus inuenitur: oblongum est & gracile, semicirculare, multis pedibus præditum, colore quasi millepedum, quæ in hydrijs stabulantur) quæ cubitum longitudine, & brachium magnitudine æquaret, edidit. Alia postremò (dictu mirum & horrendum uisu) monstrum peperit triceps, cubitale, capitibus domestici felis, corpore lacertæ, colore uario, brachijs ac tibijs orbum, cauda breui. Nec item quæ sequuntur sua carent admiratione. Refert Plutarchus grauissimus autor cap. 9. lib. 8. symposiacõn, quendam in dysoria hordeaceum culmum, geniculis aliquot cinctum, cum urinis expulisse. Alium uerò quendam hospitem ephebum Athenis bestiolam hirsutam, multisq; pedibus uelociter ambulantem, unà cum multo semine excreuisse. Noui præterea ego, apud Aptam cognomento Iuliam, quendam è primatibus urbis Bertrandum Rizium, qui deuoratis intempesta nocte, ad aluum largiter solicitandam catapotijs, uenereo: quodam furore percitus, mox cum uxore rem habuit: undè accidit, ut, ui purgantis medicamenti cum uirili semine in uterum coniectã, indeq; per uniuersum mulieris corpus transfusã, illa plus minus decies aluum, intra horas pauciores septem, exonerarit: uir autem, qui catapotia deuorauerat, nihil omnino excreuerit. Id enim à medico primũ: dein à uiro: postremò ab ipsa muliere, maximo risu simul & admiratione, anno abhinc quarto, didici. Quinetiam noui Aruernam quendam iureconsultum, ætatis mediæ, claris ortum parentibus, qui, ob quendam infimorũ intestinorum morbum, ab annis iam pluribus quatuor, nihil prorsus per sedem excreuerit. Verùm præcluso inferiori meatu, immutatoq; naturæ ordine, quoties fecalibus excremẽtis grauatur, ea putria omnino & olentia grauiter, per os quasi uomitu expellit. Audio pręterea quendam alium (id enim accepi ab ijs qui frequenter uiderunt) mensibus singulis, fœminarum more, largam sanguinis copiam per genitale membrum excernere cosuesse. Quæ iamdicta omnia ideo adnotare & scriptis mandare uolui, partim quia rara aut inaudita: partim ut mecum discat beneuolus lector, multa quotidie in rerum euenire natura, quæ humanæ sagacitatis captum excedunt, fidemq; omnem superant.

Hippocampi marini. Cap. 173.

Hippocampus Massiliæ cheual de mar dicitur, quòd capite & collo sit equino, rostro oblongo, fronte, ut equus, comosa, pilosa ceruice, cauda draconis: gallis une chenille.

Cantharides. Cap. 174.

Nomen ubiq; uulgo retinent cantharides.

Cancri

Cancri fluuiales. Cap. 175.

Gallis escreuices: nostris chambres.

Locustæ. Cap. 176.

Locusta alia terrestris: marina alia. Terrestris multę sunt species, magnitudine & paruitate distinctæ. uulgo langoustes aut saulterelles. Marina nostris langousto de mar.

De castoris testibus. Cap. 177.

Κάστωρ Græcis & medicis: Latinis fiber: Delphinatibus uibre. Ancipitis uitę animal, lutræ simile, crassum, longum, pilo ceruicino, crassiore tamen & asperiore: capite breui, rotundiusculo, rostro simo, dentibus binis, tum superiorem, tum inferiorem maxillam armantibus, oblongis, robustis, & aliquantum incuruis, auribus contractis, rotundis, breuibus: tibijs anterioribus dodrantis longitudinem æquantibus, pedibus simiæ ursiúæ æmulis: posterioribus autē breuioribus, & pedibus anserinis: cauda lōga, satis lata, densa, soleæ piscis æmula, squamosa, aspera, &, ubi prouectioris ætatis fuerit animal, pilis quibusdā breuibus (presertim uersus eius summum) munita: testibus (quod falsò est à plerisq; putatum) nusquam foris prominentibus, quin potius ita retractis, ut egerrimè tractari (tantum abest, ut periculo urgente eius dētibus amputari) possint, corpore uniuerso graueolente. Mirum est, castorem nocturno tēpore, relictis fluminum ripis, in uicinos locos concedere: & arbores omnis generis, maxime salices (quia teneriores opinor) duobus supra terram pedibus, adeo circumrodere, ut breui temporis interuallo eas excindat, & in miserabilē ruinam adigat. Hominum tamen cōspectum & strepitum ualde pertimescit: atq; ob id, repente, si quid insidiarum sibi moliri suspicetur, in uicina flumina se recipiens, saluti fuga cōsulit. Inuenitur in Sabaudia: in Isaræ & Rhodani fluminū ripis, maximè in ea Rodani insula, quæ uulgo la Camargo dicitur: uicina enim est mari, & Arelatis urbi nostrę prouincię antiquissimæ & nobilissimę. Multi de castore multa fabulantur: nos quæ uidimus, ea tibi bona fide liberoq; animo explicam⁹. De fibro uide Aristotelē cap. 5. lib. 8. de historia animaliū, Pliniū cap. 30. lib. 8. & cap. 3. lib. 32. & Solinum eiusq; enarratorem Camertem cap. 24.

De buccinorum testis ustis. Cap. 181.

Bij cornuti buccina uocantur in Gallia: in Hispanico mari thelamonas purpuras appellant. Apud officinas duo genera inueniuntur: dentale, quod quorundam opinione, os est buccinorum, ut entale purpurarum: Syluio tamen entale uox & res barbara est.

De galerita uolucre. Cap. 182.

Κορύδαλος Gręcis: Latinis galerita, est ea auicula, quā Galli aloëte aut cochenix, nostri coculhado, quasi cuculatam, uocant. Meminit etiam Aëtius cap. 11. lib. 11. passerculi cuiusdam, cuius caro elidendis deturbandisq; renum calculis sit præcipuæ dignitatis: qui, inquam passerculus, quantum ex delineamentis colligere possum, nostris lardeyreto: Delphinatibus lardeno nominatur: quanquàm multorum opinione ea est auicula, quam nostri gingno quouo: Galli branle queue appellant. Verùm nō multum refert utranuis in usus medicos admittas. Congeneres enim inter se uidentur, nisi huic tremula, illi firma cauda inesset. Ego tamen re uera priorem anteponendam ducerem: & posteriorem, prioris inopia, in usum uocarem.

De cochleari terrestri. Cap. 183.

Eius multa genera. Alia enim oui gallinacei magnitudinem implent, rotundæq; sunt, subcandidæ, syluis & aquaticis locis familiares. Aliæ depressæ: Aliæ candidæ, in uineis & uepribus degentes, omnium delicatissimæ. Aliæ rotundæ quidem, sed magnitudinis mediæ, ac uulgares. Gallis limaces & escaragotz: Delphinatibus & nostris limaces.

De mænulis. Cap. 184.

Mænulæ uulgò de bogues. Mænularum item nomine complectūtur, omnes pisciculi, qui Gallis de la menuyse, nostris menudalho dicuntur.

Torpedo. Cap. 185.

Piscis est Gallicę plyæ similis, maior tamē, & laterib⁹ magis pinnatis, pressus, latus & penè circinnatæ rotunditatis, suo attrectatu totus egelidus, naturalem eam uim habēs, ut stuporem repentinum manibus & toti brachio afferat, quemadmodum experiētia me, in mari Lygustico, docuit. Massilię un tourpilhon, quibusdā tremorsa, quòd suo contactu tremorē inducat. Nautæ tamen qui mecum tum erant (erant autem Frontinianenses, patria Aquitani) gallino de mar, nisi me fallit memoria, appellabant. Venetijs autem tremolo: Romę batti potta & fotterigia nominatur.

Asellus. Cap. 186.

Vulgaris est merlus.

De ostreorum & purpurarum testis.
Cap. 187. & 188.

Ostreorum testæ sunt uulgares cocquilles. Testæ autem purpurarum uix inueniuntur.

Squatina. Cap. 189.

Ignoratur.

Scincus. Cap. 191.

Duo scinci genera: maior ignotus: minor officinis stincus.

Cicadæ. Cap. 193

Vulgares sunt cigales. frigida loca horrent, calidis delectantur, æstiuis ardoribus prætereūtium aures suis clamoribus ac garrulitate obtundentes. Hoc interim notatu indignum nō fuerit, cicadas in partu mori, discisso in fœtus exitu parentis uentre, ut de uipera memoriæ proditum est. Id enim obseruatione multa ac longa cognouimus.

Hyæna. Cap. 194.

Quod qualéque sit animal tradit Aristoteles cap. 5. lib. 8. de historia animalium. Hodie, his saltem regionibus, ignoratur. Illius stercus olim in usu fuit, quo deficiente, suillum usurpari debet, cap. 6. lib. 13.

Hirundines. Cap. 195.

Nomen retinent. Gallis & Delphinatibus hirundelles: nostris dindoletos.

Scholiorum in loca difficiliora libri secundi Aëtij finis.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI PRIMAE SERMO PRIMVS, PER IANVM CORNARIVM MEDICVM PHYSICVM LATINE CONSCRIPTVS.

*

De simplicibus pharmacis ex plantis, iuxta ordinem literarum Græcarum. Item de multorum oleorum præparatione.

*

DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORVM VIRIBVS.



DIFFERENTIAE particularum actionũ in singulis pharmacis fiũt, ex eo quòd singula ex ipsis ad tantam caliditatem, aut frigiditatem, aut siccitatẽ, aut humiditatem, aut partium tenuitatem, aut earũdem crassitudinem accedant. At uero ad quantã tandem accedant singula, enarrari non potest iuxta exactam sanè ueritatem. Sed nos tamẽ etiam hoc ipsum manifestis, & ad artis usum sufficientibus distinctionibus compræhendere tẽtauimus, unum quidem genus esse demonstrando, quod ad simile corporibus nostris temperamentum perueniat, ubi à caliditate quæ ipsis corporibus inest, transmutationis & alterationis principium quoddam assumpsit. Alterum uero calidius fieri quàm pro nostro temperamento. Atq; huius quatuor ordines facere mihi uisum est. Primũ qui adhuc ad sensum obscurus est, ut ratione depræhendere oporteat. Alterũ ab eo secundum, qui iam ad sensum manifestus est. Tertiũ qui fortiter calfaciat, nondũ tamen urat. Post hũc quartum & ultimum qui ustorius sit. Sic & frigesacientium primum ordinem eorũ quæ ratione indigent ad demonstrandum quòd frigefaciant. Secundum eorum quæ sensibiliter frigefaciunt. Tertium fortiter frigefacientium, nondũ tamen mortificantium. Quartum mortificantium. Iuxta eandẽ proportionem etiam humectantium & siccãtium. Fiat autem clarioris doctrinæ gratia harum distantiarum à tẽperamento ordo, ita ut frigidorũ primus sit, in quo quis locauerit rosaceũ oleum, aut ipsam rosam. Secundus ab eo sequens proximè, in quo rosæ succus. Deinde tertius & quartus, donec ad frigidissima perueniamus, cicutã & papaueris succum, & mandragoram, & hyoscyamum. Rursus in calidis anethum & fœnum græcum primo ordine ponamus. In secundo quæ secunda apparent: ita & tertia & quarta, donec ad ustoria deueniamus. Iuxta eũdem modũ in humectantibus ac siccantibus medicamentis, initio rursus à temperatis sumpto, ordines conse quenter usq; ad summa faciemus. huiusmodi enim cognitio non parum ad medendi methodũ confert. Conuenit porrò præexercitatũ esse in sensu gustus, & proprietatem unicuiusq; qualitatis saporum in memoria habere, uelut uerbi caussa: Quum corpus aliquod linguæ admotũ uehementer siccat, & constringit, ipsamq; ad multã profunditatẽ exasperat, uelut pira syluestria immatura, & corna, ac similia: omne tale Acerbum nominatur, hoc est intense austerum. Quæcunq; uero in contactu linguæ, ipsam non constringunt, neq; cõtrahunt, uelut adstringẽtia solent, sed contrarium facere uidentur, extergereq; & eluere, talia omnia Salsa appellamus. Quæ autem his adhuc amplius extergent, simulq; moleste exasperant, Amara uocantur. Quę uero mordẽt & cum ualida caliditate erodunt, Acria. Quæ uero absq; caliditate mordent, Acida dicuntur. Habẽtq; præterea uim fermentandi terram si ad ipsam effundantur. Quæcunque autem uelut sublinunt & replent & sedant exasperatas & quasi erosas linguæ partes, ipsas cum manifesta iucunditate contingentia, Dulcia nominantur. si uero sine manifesta iucũditate id faciant, Pinguia appellantur. Si quidẽ igitur Acrimoniam manifeste percipere uelis, in allio & cępis ac similibus frequẽter degustatis ac diu cõmanducatis disces, ita ut affectus ex his sensum diligenter memoriæ commendes. Si uero adstringẽdi uim palàm percipere uoles, in Galla & Rhoë ac similibus assequere. si Amaritudinem, nitri ac fellis gustu. si Dulcedinem, sapæ ac mellis. Præterea siue qualitatis expers, siue qualitate ad gustũ mediũ cognoscere uelis, aquam accipe, eiusq; gustum diligẽter in memoria retine, & maxime purissimæ aquę, & nullam prædictarum qualitatũ resipientis, neq; dulcedinem, neq; acrimoniam, neq; acorem, neque amaritudinem, insuperq; neque multum calidę, neque nimium frigidæ. Inde enim progressus, promptus ad obscurorum saporum cognitionem peruenies, & eorum quos ego mediocriter dulces, alij aquosos uocare malunt, qualis est harundinum uiridiũ & graminis succus, itẽ tritici & ordei, & aliorum multorum moderate dulcium. & qualis est aqua qualitatis penitus expers, inter caliditatem ac frigiditatem manifestam, mediam quantũ eius fieri potest constitutionem habens, aut etiam paululum ad frigiditatem declinans. Quòd si quid eiusmodi sapore præditum, non liquidam sed siccam compagem habeat, id ipsum necesse est terreum esse, & citra mordacitatem siccare. Nominantur autem talia Emplastica Græcis, hoc est meatus obducentia, uelut est amylum, & plurima ex metallicis diligenter lota, pomphilyx, cerussa, Cadmia, terra Cimolia, Samius Aster, & similia. Quædã uero ex ipsis non solum terrea, sed etiam aquosa natura sunt, aliqua

etiam aërem non modicum intra se habent, uiscosa quidem hæc, & ob id meatus oblinētia. Duplex est enim medicamentorum meatus obducentium natura. Altera terrea exacte & sicca, altera uiscosa penitus, uerum mixta ex aqua & terra, & plerunque etiam aëre, uelut oleum dulce. At uero candidū oui simile quidem quodāmodo est, uerum magis terreum quàm oleum. Caseosum etiā in lacte meatus obducit, & pinguedo suis. Tauri equidem & hirci pinguedo siue adeps, acris & magis terrea quàm suis pinguedo est. Anseris autē & galli calidior quidem & siccior quàm suum est, sed tenuiū partiū, & nequaquā terrea. Itaq; pinguedines si non acrimoniam aliquam habent, meatus obducunt, & magis sicciores, & amplius terreæ. Talis est & cera probe lota. Et talia quidem sunt medicamenta Emplastica appellata. Quæ uero adstringūt terrea sunt, & crassarum partiū cōpagis suę mole, frigida autē qualitate. At uero Arida tenuiū partiū corporibus sunt, frigida autē similiter ut adstringētia. Quæcunq; autē in sapore terreas partes repræsentant, quę colliquatæ & contrahunt & resiccant humectiores sensiles linguæ partes, siquidē asperiora sunt, Acerba dicūtur: minus uero aspera, Austera: & recte taliū saporum tēperamentū Frigidū dicemus. Quādoquidē autem inæqualiter resiccant, hoc est enim exasperare, fuerint utique omnino etiam terrea. Omne enim aquosum æqualiter permeat corpora, & diuulsum rursus facile unitur. Terreum uero diuellitur quidem, non tamen facile rursum coit. Et sanè si sensus proprietatem in utraq; affectione in memoriā reuocaueris, ijsdem testimonium præbebis. Etenim Acidorum saporū transitus, uelox est in sensilibus partibus: Acerborum autem, tardus. Et Acida per profundum corporū actionem suam magis ostendūt, Acerba uero in superficie. Cæterum ubi experiri uoles sinceræ acerbitatis actionē, si quidem eadē res gustanti tibi apparuerit acerba simulq; mordens, hanc speciem me monente relinques, & acerbum absq; mordacitate requires, & quod neq; acidum, neq; dulce, neq; amarum est, sed quātum eius maxime fieri potest, nullam omnino qualitatē & uim adstrictioni permixtam habēs. Superuacuum enim & uanum est, tale pharmacū experiri. Incertū namq; est an ob adstrictionem, siue aliam quādam ei permixtam qualitatem, siue per utrasq;, circa corpus cui admotum est, efficax fuerit. Chalcitis igitur & misy, atramentū sutorium, & squama æris, sori, & Armeniacum pictorium, argentū uiuum, & innumera alia adstringentia, simulq; mordētia, iuxta utrasq; qualitates in singula corpora quibus adhibentur agunt. & tamen impossibile sit docere palàm, num per adstrictionem, an per acrimoniam, urendi uim habeant. Nam si intra corpus sumātur talia crassarum partium existentia, & uiribus magis calida, & propterea temporis progressu in permutatione intra animalis corpus ignescentia, ad cādefacti igne lapidis aut ferri similitudinem exulcerant & urunt uētris partes, & neq; distribui in corpus possunt, ob grauitatem. Præstabilius igitur est plura alia consequenter degustare, ac diligenter cōsiderare sincerā adstrictionem seorsim per se, quantum eius fieri potest, atq; ubi talē repereris, iam tandem ad iudicandum illud medicamentū iuxta prędictā methodum progredere. Velut si gustanti tibi balaustium, aut gallam, aut cytinum, aut hypocystidem, aut acaciam, aut rhoëm, aut aliud quid eiusmodi, appareat exacte acerbum esse, ita ut palàm sit nullam aliam qualitatem habere, in eiusmodi iam expendere ac explorare adstrictionis actionē oportet. Acerbum itaq; corpus terreum est & frigidum. Resoluetur autē necessario tripliciter, aut calescens, aut humescens, aut utrumque simul perpetiens. Si igitur calescat solū, non euadet neq; humidius, neq; mollius, sed durius existens dulcedinem acquiret: quemadmodū quercinæ glandes, & præsertim quę castaneæ nominantur. Si uero humescat solum, & humiditas crassarum partiū ac aquosa existat, austerum euadet. Nam acerbū exolutum, austerū producit saporem. Omnis enim saporis uim aquosa humiditas hebetat. Si uero humiditas tenuium partiū & aërea accedat, Acidū reddetur. Frigiditas enim tenuium partium existens, acidam qualitatem efficit. At uero si humescat simulq; calescat, cū aquosa quidem humiditate, in dulcedinem transibit, cum aërea uero in pinguitudinem. Etenim arborum fructus qui natura iā facti dulces nobis apparent, acerbam primum & siccam compagem habent, singuli iuxta arboris suæ naturā, progressu uero temporis fiunt quidem humidiores. uerum aliqui aciditatem insuper ad acerbitatem assumunt, quam paulatim deponentes, rursus dulces euadunt maturitatē adepti. Quidam neq; in arboribus, sed decerpti post tēpus aliquod dulcedinem acquirunt. Alij quidam neq; media interueniente aciditate, sed statim ab acerbitate in dulcedinem transeunt, quemadmodum oleæ fructus. Cęterum calore maturi fiunt omnes, qui duplex natura existit: Alter proprius & singulis à natura insitus: Alter forinsecus à sole allatus. Atqui si ab initio quidē acerbiores sunt, maturi autem dulces fiunt, ex caliditate utiq; dulcedo, ex frigiditate aciditas & acerbitas ipsis adest. Et sanè manifestum iam factū est, quòd fructus ab initio acerbi existentes, progressu temporis partim dulcescūt, partim acescunt, partim austeri fiunt. Aliqui uero semper acerbi permanent. Quidam etiā redduntur pingues. Quin & iuxta dictarū qualitatū mixturas, multiplicem habent uarietatem. Acerbi itaq; in finem usq; permanēt, ilicis, arbuti & corni fructus, & cōsimiles. quoniam frigidi & sicci, uelut ab initio erant, permanent, nullam aliā alterationem pręterquam solius augmenti acquirentia. Acerbus autē simulq; dulcis est, myrti & piri syluestris & glandis fructus. Austerus tantum, uitis amineæ uua, & uinum, & quę his similia. Austerus simulq; dulcis, palmæ fructus, & uinum Surentinū, & quęcunq; dulcedinem adstrictione permixtam habent. Dulce autem solum est Theræum & Scybelites, & Sirēū, siue hepsema quod nos sapam appellamus, & quęcunq; alia his similia. Pinguis uero exacte tum fructus, tum succus oleæ est: Imò etiam alij omnes ex quibus oleū paratur. Quemadmodum autem acerbus succus progressu tēporis dulcior primùm, deinde etiam acrior & amarior euadit, & postremū penitus amarescit. Eodē modo etiā frigidus succus acidior statim fit, & si perfecte perfrigescat, citius

adhuc

adhuc acescit: fructus quoque statim inter colligēdum multa humiditate repleti, item qui aliàs aquam adsumpserunt, promptè ex leuissima occasione acidi fiunt. Si enim uua immatura acida est, matura uero dulcis, & maturū fieri fructibus omnibus ex solari caliditate contingit. Manifestum est imperfectiorem ac frigidiorem, acidū esse, perfectiorem uero & calidiorem, dulcem. Quum igitur uinum ex perfrigeratione acescat, cōspicuum est quòd ad eundem rursus redit saporē, ex quo prodijt, uuæ immaturæ inquā. Distat tamen acetum ab uuæ immaturæ succo uiribus, in eo quòd acetum acrimoniam quandā ex putredinosa caliditate adeptum est. Vuæ autem immaturæ succus non habet acquisititiā caliditatē, & propterea neque aceti acredinem: Vnde etiam magis tenuium partium est acetū quàm uuæ immaturæ succus, uelut sensus quoque testatur. At uero acrimonia aceti frigiditatem aciditatis euincere non potest, uerum ad penetrandi celeritatem ipsi inseruit. Quanto enim citius meatus penetrat calidum quàm frigidū, tanto promptius acris sapor quàm acidus sensilium corporum meatus pertransit, ut acris uelut præuius iter struat, frigidus uero nō ita longe pòst sequatur. Et propterea sanè sensus mixtus ac ægre explicabilis non permittit pronuntiare, Acetū simpliciter frigidum esse. Percipimus enim in ipso igneam quādam acrimoniam. Verum frigiditas ex sequenti aciditate destruit & extinguit eueſtigiò acrimoniam, quare etiam multo maior sensus frigiditatis quàm caliditatis nobis cōtingit. Porrò quidam æstatis tempore poscam bibentes palàm refrigerātur, & sine siti permanent. Quādoquidem uero sitis dupliciter fit, altera ex humiditatis inopia, altera caliditatis redundantia: eam quæ ex siccitate oboritur non sanat acetum: eam uero quæ ex caliditate oborta est, sanat. Humectare enim nō potest acetū per se, sed non ingenerose perfrigerat. Igitur neque sitim ex sicca intemperie, neque ex calida & sicca obortam, acetum potatum unquam sanare potest. Si uero concurrant aliquādo simul humiditas cum caliditate, eiusmodi sanè sitis optima medela acetum erit, aliter sitiētibus, tum in febribus ardentibus alijsque omnibus adurentibus, tū in æstate ac calore uehementi, cōposita affectio est ex caliditate ac siccitate, ut merito cōpositam medelam requirant ex aceto & aqua: Acetū quidem ut non instrenue refrigerās, & partium tenuitate facile penetrans, Aqua uero ut quæ supra id quod refrigerat, & humidissima omniū existat. Nihil enim humidius aqua. Cæterum in ardore præcordiorum potior aceto est uuæ immaturæ succus forinsecus impositus, tum quòd nullam habeat uiolentā & offendentem frigiditatem, tum quòd neque permixtam mordacem caliditatem. Qui enim ita affecti sunt, lenimento inuiolento opus habent, quod forinsecus nullam mordacem acrimoniam inducat. Vuæ itaque immaturæ succus, non solū acidus est, sed etiam acerbus. Nam ut dictum est, omnes ferè arborū fructus circa primam generationem gustu acerbi sunt. Non autem acidū solum frigidum est, sed etiam acerbum ac austerū. Et si quis aliquando gustauit mala cydonia, aut myrti baccas, aut mespila, is sanè manifestè nouit aliū esse sensum ab acidis in lingua nostra productum, alium ab acerbis aut austeris. Acerba enim intus protrudere particulā uidentur, quam ex omni parte æqualiter contingunt, uelut exprimentia constringentiaque ac contrahentia. Austera uero in profundum subire uidentur, & asperum quendā ac inæqualem sensum inducere, ita ut resiccando omnem sensilium partiū humiditatem expellant. Quare alia est affectionum proprietas, nō satis clare explicabilis, & in acerbis, & in austeris saporibus. Sed nō puto tamen hominē esse qui nō ex iam relatis incitatus intelligat quid dicam. Omne igitur corpus acerbum & ab alijs qualitatibus purum, omni experimento facto frigidum inueni. Omne autem dulce calidum est, & non immodice superexcellit caliditatē quæ in nobis existit: Sed quemadmodū calidæ aquæ cōtactu delectamur, et maxime ubi fuimus frigefacti, donec corporis partes à frigore congelatæ diffundantur. excalfacit enim nos, & neque dissoluens, neque scindens partium continuitatē, iucūdissima est & utilissima. Sic etiā omne dulce edulium, calidum quidem omnino est, non tamen ad tantam caliditatem peruenit ut offendat, sed intra terminos diffundendi & æquādi demulcēdique ac molliēdi manet. Omnia enim alimenta his quæ aluntur natura conuenientia & tota substantia familiaria existūt. Statim autem oportet & moderate calida esse hæc, iuxta corporum quę aluntur proportionem. Et propterea eduliorum ac medicamentorū non una species omnibus hominibus cōuenit. Vnusquisque enim iuxta propriam substantiam simulque affectionem, ab utrisque tum utilitatem, tum uoluptatē percipit. Verū quum hæc ita habeant, Edulium sane minus dulce, minus calidū est: magis dulce, tāto calidius est, quāto dulcius. Si uero modū caliditatis excedat, neque dulce tale est, sed iam amarum apparet, uelut mel inueteratū, & quod diutius coctum eorum est, & singula alia dulcia. Quæ enim temperamentis corporum quæ alūtur similia sunt, citra cocturam & pręparationē, iam dulcia apparent. Quæ uero dissimilia, omnia iniucunda sunt prius quàm præparentur. Opus est autem calida castigare frigiditate, frigida uero calfacientiū condimētorum mixtura, & igne. Eodē modo per humiditatem emendātur quę terrea sunt & sicca, magis quàm cōuenit. Siccitate uero quæ plus humida & aquosa. Dulci igitur supra hoc quod calidum magis aut minus existit, necessariò etiam humidum magis aut minus est. Quòd uero uelut superassatum amarum euadit, simile calci & cineri, siccū & calidum necessariò redditur. Et sanè ob id omnia amara extergere solēt, scindere dissecareque uiscosos ac crassos humores, quęadmodum cinis & nitrum. Quod autem amarus sapor sicci ac terrei temperamenti est, tum ex eo quòd ægerrime omnium amara putrescunt, tum quòd nequaquā uermes & alia animalia gignant, qualia uidelicet in radicibus & herbis & fructibus putrescētibus innasci solēt, colligere datur. Nam in humidis corporibus maxime uermes & putredines gigni uidemus. Porrò exacte Amara (uoco autem sic quæ nulla alia sensibili qualitate participāt) omnia ferme animalia, non homines mod[illegible], in cibis auersantur. propterea quòd omne animal humidum magis aut minus existat, Amara autē sicca sint ad cineris ac calcis similitudinē. Quemadmodū igitur exacte quidem Dulce nutrit, exacte autem Amarum nō alit; sic quod inter hæc medium est nutrit quidē, sed minus quàm dulce. Propinquus autem amaro est sapor sal-

sus. nam & terrei utrique sunt & calidi, differunt tamē inter se non obscura differentia, quòd amarus à caliditate & siccitate magis sit attenuatus & elaboratus ac quasi subactus. Sed & in salis generibus sic habet. Quæ enim dura sunt & densiora & magis terrea, qualia fere omnia fossilia existūt, minus calida ac tenuiū partiū sunt. Quæ uero friabilia ac laxa, magis tenuium partiū & uiribus calidiora sunt, & aliqua ex ipsis subamara, mediū quodammodo obtinentia inter salē & spumā nitri. Et sanè quicquid salsum diutius calfeceris, statim amarum euadet. Atque sic etiam Asphaltitidis stagni aqua, quam mare mortuū appellāt, in cauo & calido loco cōtenta, & à sole exassata, amara redditur: & ob id etiā æstate magis quàm hyeme amara existit, & si haustā eam in uase cauo ad solem exponas tēpore æstiuo, confestim magis amara seipsa facta tibi apparebit. Quare in illa aqua neque animal innascitur, neque plāta. Sed & quum flumina magna multumque piscosa in ipsam influant, & præsertim id quod prope Hierichuntē est, quod Iordanē appellāt, nullus piscis oras fluminū superegreditur: & si quis captos stagno immittat, statim corrumpi ipsos uidebit: & propterea stagnum mortuum, siue mare mortuū appellāt. Adeo exacte Amarū omnibus plantis & animalibus inimicū est, squalidumque ac siccum natura, uelut fuligo ex adustione factum. De Amarorum igitur saporum uiribus satis dixisse uidemur, dissectorios & extersorios ac attenuatorios ipsos esse declarantes, atque adeò calidos in tantū, ut nondū urant. Ad Acres iam sermonem conuertamus, eosque primū calidos exacte esse dicamus, deinde erosiuos & ustorios, crustāsque inducētes, & colliquatorios, forinsecus cuti impositos. si uero intra corpus assumantur, qui tota substātia quibusdā animalibus aduersantur, eos omnes putrefactorios esse, & infectorios illorū animalium, uelut cantharis & buprestis hominis. Qui uero secundū solius caliditatis excessum, si quidem crassiores sint & terrei, uelut auripigmentū & candaracha, ac similia, eos exulceratorios internarū partium pronūciamus, si uero tenuiū partiū sint, qualia familiaria nobis semina existunt, daucus uidelicet & anisum, ac similia, urinam ciētes & exudatorios, & simpliciter ac summatim loquendo, sectorios ac discussorios, Conferunt etiā quidam reiectionibus ex thorace, & mēstruorum fluxionibus. Cæterum acres sapores, non solū forti caliditate ab amaris differre uidetur, sed etiā in eo quòd amari omnes non modo calidi sunt, sed etiā sicci ad cineris similitudinē. At uero in acribus, quique nō sunt amari, multa aliquando permixta est humiditas, & propterea nō pauca acria nobis in ciborū usum ueniūt. Quando uero iam & de saporibus, quę dici par erat relata sunt, reliquū utique fuerit & de uaporibus dicere. Plerique certe uapores similiter ut sapores nos afficiunt. Nam acida omnia ipsumque etiā acetū, & olfactum & gustum eodē modo excitant. Acria autem, uelut alliū & cepa & consimilia, non minus olfactū quàm gustū stimulant & recitāt. Eodem modo & in singulis alijs, similis ferme odoratus ac gustus sensus est, adeò ut quorundā corporum quę nunquā gustauimus, ueluti stercoris, persuasum habeamus nō scire qualitatē. & ob id neque omnino talium rerū gustū attentamus, quòd olfactui ualde multū fidei habeamus. Quin & odorata edulia quæ cōputrefacta molestum odorē nobis afferunt, statim abijcimus, ne tētato quidē gustu. Et ferme in omnibus mutuo cōspirant odoratus & gustus. Ad duas autē appellationes pleraque odorabilia reducimus, odorata aut fœtida nominātes. Odorata quidē iuxta proportionē dulcium ad linguā, fœtida uero non dulcium. Videtur porrò de corporibus non odoratis aut omnino parū quid uaporis defluere, aut multo minus quàm pro molis symmetria, uelut in salsis & maxime acerbis. Crassarum enim partiū & frigida est substantia acerborū, quare uerisimile est etiā quod defluit ab ipsis, modicū esse & crassum, & mole uelut terreū, ut neque cerebrū sua respiratione petere possit. Quare nihil certi ex odore coniectare licet de ipsorū tēperamento, uelut ex gustu. Nam inodora crassarū partium substantiam habent, sed inde nō manifestū est, quātum caliditatis aut frigiditatis possideant. Odorata autē tenuiū partiū aliquo modo sunt & calida, quantitas tamen tenuitatis aut caliditatis, nō etiā ex odore indicatur, sed ex gustu. Quòd uero nihil certi de temperamēto indicent odorata, in causa est inęqualitas substantiæ ipsorū. Et propterea in Rosa ex odore coniecturam facere non possumus de omnibus in ipsa qualitatibus. In gustu uero omnes gustabiliū corporū partes æqualiter linguæ obueniūt, mouentque singulæ sensum iuxta suam ipsarū naturā. nimirum Acerbū in ipsa, quod est terreum & crassarū partiū ac frigidū, item Amarū, quod tenuium partiū est ac frigidū. Et tertium insuper Aquosum, necessariò frigidū: ut nō sit certum, uelut dictum est, de simpliciū pharmacorum uiribus omnibus ex odore cōiectare. Amplius uero nihilo magis ex coloribus conijcere possumus, de ijsdē. In singulis enim coloribus inueniūtur et calida & frigida, & sicca & humida. Possibile tamen est in singulis generibus aut seminū, aut radicū, aut succorum, etiā ex colore indicationē quandā sumere temperamenti. Velut uerbi causa, cæpa & scilla & uinum, quanto fuerint albiora, tāto minus sunt calida. subflaua uero & fulua, calidiora. Quin & triticū & cicera, & phaseoli, ac cicer. iridis quoque radix & asphodeli, & multorū aliorum, simile quiddā perpetiūtur. In singulis enim generibus in uniuersum quę fulua & ruffa & flaua sunt, calidiora albis existunt. Quare si quid etiā inde de medicamētorum uiribus coniectare licet, etiā hoc auctarium habes. Optimum quidē igitur, ut dictum, & sępe demonstratū est, singulorum uires ab exacto experimēto inuenire. neque enim in hoc falli potes. Priusquā tamen experimento uim cognoscas, gustus multum indicat, cui attestatur paululum etiā ipse odor. Horum autem omniū, quemadmodum etiam aliorum quorundā utilissimorum, in summa cōpendium contrahā, postquàm sanè speciatim quantū possibile fuit, uniuersales uires & uniuscuiusque actiones explicui, Quandoquidē uero medicamenta partim ex animalibus sunt, partim plantę aut fructus, aut horum succi siue liquores existunt, partim uero ex metallicis sumūtur. Præstabilius mihi uisum est de plantis primū disserere, non omnibus scilicet totius terrarū orbis, sed de quibus compertum per experientiam habemus: nam & plurimum ipsarum genus prouenit, facultateque potentissimum habetur (atque id iuxta ordinem literarum Græcarū) Deinde consequenter etiam de metallicis dicere, atque sic ad animalium partes peruenire.

Abroto

Abrotonum.

Abrotonum calida & sicca ui prædituũ est, in tertio ordine & discessu à moderatis locatum, gustu multum amaro, qui sapor indicatus est terreæ substantię esse, & à largo calore attenuatus esse, ut nõ instrenuè calfaciat & siccet. Quare coma huius herbæ unà cũ floribus in oleo coquitur, quo illito ante accessionem his qui rigore per circuitum repetente appræhendũtur, minus rigebunt. Eiusdem decoctum potum aut per clysterem infusum, lumbricos occidit amplius quàm absinthium. Modica autem participat acerbitate abrotonum, & ob id stomacho incommodum est. Species habet duas, marem & fœminam.

Abrotonum ustum.

Abrotonum ustum calidum & siccum uiribus est, magis quàm cucurbita sicca usta, & anethi radix: illa enim ulceribus humidis & sine inflammatione perfectis cõueniunt, & propterea maxime ulceribus præputij pudendi apta uidetur. Abrotoni autem usti cinis omnibus ulceribus mordax est, quare alopecijs confert, oleo cicino, aut raphanino, aut sicyonio, aut lentiscino, aut ueteri dilutus.

Agnos, Vitex.

Huius arbusti folia, flores & semẽ tertio ordine calida & sicca sunt, & multũ tenuium partiũ. Fructus in cibo assumitur, calfacitq; manifestè, simulq; capitis dolorem infert. Frictus minus caput tentat, sed modicũ alimentũ corpori sufficit, atq; id siccans ac calfaciens, minime uero flatuosum. Et propterea etiam impetus uenereos inhibet. Vnde non solũ in cibo ac potu acceptus ad castimoniam cõferre creditus est, sed etiam substratus. Et ad hepar ac splenem indurata ac obturata, uiticis semen magis conuenit quàm ruta.

Agrostis, Gramen.

Graminis radix moderatè frigida est & sicca, & ob id cruenta uulnera glutinat, ipsa herba imposita cataplasmatis uice nõ fortiter frigesacit, uerum in medio humiditatis ac siccitatis consistit. Mordacitas & partium tenuitas in radice modica est, ut aliquando calculos conterere cognita sit decoctũ eius bibentibus. Semen uulgo nascentis debile est: Parnasiacæ autem urinã ciet, et fluxiones uẽtris ac stomachi siccat: Estq; uis ipsius siccatoria, tenuium partium, & subacerba.

Anchusæ quatuor.

Non eiusdem facultatis omnes Anchusæ existũt. Quæ enim Onoclea appellatur adstringentẽ simulq; subamaram abunde radicem habet, ut etiã corpora densare, & moderate attenuare, extergereq; ac abluere biliosos salsosq; humores posit: atq; sic & ictericis & splenicis ac nephreticis utilis existit. Frigefacit etiã multum, unde cum polenta in cataplasmate imposita, erysipelatis medetur. Exterget autem non solũ pota, sed etiam forinsecus imposita, & ob id uitiligines & lepras sanat cũ aceto. Folia huius herbæ debiliora radice sunt, non tamen siccandi & adstringẽdi ui carent. unde & uentris profluuiũ sanant cum uino pota. At uero Lycopsos appellata similiter erysipelatis cõducit & radicem habet magis adstringentẽ quàm onoclea. Onochilos autem quæ etiam Alcibiadium appellatur, uim habet magis medicatam, & morsis à uipera multũ conducit in cataplasmatis imposita appensaq;, & in cibo sumpta. Quarta parua est & ferè sine nomine, consimilis Alcibiadio, uerũ plus amara & magis medicata, & propterea ad lumbricos latos apta, acetabuli mẽsura cũ hyssopo & nasturtio pota.

Agaricum.

Agaricum uim habet calfactoriam & discussoriam & dissectoriam crassorum humorum, & obturationes in uisceribus repurgat, & ob id arquatum morbum sanat, in his qui ex hepatis obturatione eũ morbum contraxerunt. Prodest & comitiali morbo laborantibus, & rigoribus per circuitum repentibus, qui ex crassis & uiscosis humoribus sunt oborti. Prodest & commorsis aut pũctis à bestijs quarum frigidum uenenum existit, forinsecus ad locũ affectum impositum, itemq; potum hexagij pondere, hoc est drachmæ unius ex uino. Est & purgatorium.

Ageraton.

Ageraton facultatis est discussoriȩ, & leniter quodammodo inflammationem arcentis.

Adianton.

Adianton siccat, attenuat, discutit. Nam & alopecias densat, & strumas & abscessus discutit, & calculos frãgit in potu sumptum, & reiectionibus crassorum ac uiscosorum humorum ex pectore ac pulmone nõ parum confert, & fluxiones alui sistit. Medij temperamenti inter caliditatem & frigiditatem existit.

Aizoon, Semperuiuum.

Semperuiuum utrunq; & paruum & magnum modicè siccat, moderatè item adstringit. Verũ non moderatè frigesacit: est enim tertij ordinis frigefacientium, & propterea ad erisypelata ac herpetas, & inflammationes ex fluxionibus conducit.

Aegilops.

Aegilops discutiendi uim habet. Itaque inflammationes induratas & ægilopas ac alopecias mirabiliter sanat.

Aera, Lolium.

Lolium calfacit & siccat efficaciter, ut propè ad acrium uim accedat, & magis quàm iris: nõ est autem uelut illa tenuium partium, sed ab illa longè præuertitur, & propterea locauerit ipsam quis in principio tertij ordinis calfacientium, & in fine secundi siccantium.

Aegiros, Populus nigra.

Populi nigræ flores calida ui præditi sunt, in tertio discessus à temperatis ordine. In differentia autẽ siccandi & humectandi paululum à temperatis ad siccitatem populus secesit, & magis tenuium quàm crassarum partium existit. Folia ferè floribus similẽ uim habent, sed ad omnia debiliora & inefficaciora. Resina etiam similem floribus uim posidet, & est adhuc aliquanto calidior. Semen magis tenuium partium & siccatorium est, quàm resina & flores: calidum autem non adeò ualide.

Acacia.

Acacia tertij ordinis siccantium est, & secundi frigefacientium, si quidem lota fuerit: illota enim primi est. Nam quum non sit similariũ partium, partes quasdam dispersas habet tenues & calidas, quæ ab ipsa per loturam decedunt.

Acalyphe, siue Cnide, Vrtica.

Vrticæ folia & semen multum discussoriæ facultatis habent, citra uehementem calfactionem. Sanãt itaq; panos & parotidas, & crassos ac uiscosos humores ex pectore ac pulmone educunt. Habet autem & flatuosum quiddam, ut etiã impetum ad Venerem excitent, & præsertim semen si cum passo bibatur. Aluum subducit moderatè, uelut extergendo ac titillãdo,

do, non purgando. Gangrænosa item & cancrosa, & omnino quæ siccari opus est, absque mordacitate conuenienter sanat.

Acanthus, Melamphyllon, Pæderos.

Acanthus, quem alij Melamphyllũ, alij Pæderota appellant, folia habet discussoria ui moderatè prædita. Radicem uero siccatoriam & tenuium partium.

Acantha leuce, Spina alba, Leucacantha.

Spina alba, quam aliqui Leucacantham uocant, radicem habet siccantẽ moderatè & adstringentẽ. Quare & cœliacis & stomachicis prodest, & sanguinis reiectionem cohibet, & tumores laxos in cataplasmate imposita coërcet: item dentium doloribus conducit, si quis decocto eius colluat. Semen tenuium partium & calidum est, unde in potu sumptum conuulsis medetur.

Acantha Aegyptia, Spina Aegyptia.

Spina Aegyptia ex qua acacia pręparatur, adstringẽdi ac siccandi uim habet: quare & fluxui muliebri prodest, & ulcera sedis insufflata ad cicatricem perducit.

Acorum.

Acori radix tertij ordinis calfacientium ac siccantium est, & tenuium partium compagem habet. Ciet itaq; urinas, & splenes iuuat induratos. Succus eius deterget & depurgat crassitudinem corniformis oculorum tunicæ.

Aconitum, Pardalianches.

Aconitum, siue pardalianches, simile quidem est seridi syluestri, uerum putrefactoriam & uenenatam uim habet. Quare uitandum ne in cibo aut potu accipiatur. Attamen ad erodendum ac putrefaciendum externas corporis partes, aut circa sedem utile est, & ad hanc rem commodior est radix eius. Dicitur herbæ succus, pilorum exortum inhibere.

Acte, Sambucus, Ebulus, Chamæacte.

Sambucus magna & arborea, quæ acte appellatur. itemq; humilis & herbacea, quę Ebulus & Chamęactæ, ambæ siccantis facultatis sunt, glutinatoriæq; ac moderate discussoriæ. Decoctum radicis in potu hydropicis prodest.

Halimon siue halmyris.

Halimi fruticis germina quidã comedunt, & recondita asseruant. Vim habet lactis & seminis generatiuam. In sapore salsum quid & adstringens habet, ex quo manifestum fit dissimilarium partium esse: plurima tamen eius substãtiæ pars tẽperatè calida existit, cum humiditate imperfecta ac incocta, leniterq; flatuosa. Radicis drachma una ex aqua mulsa pota, cõuulsa, rupta, ac tormina mitigat, & lac attrahit & auget.

Aloë.

Aloë tertij ordinis est medicamentorum siccantium, primi autem intensi, aut secundi exoluti calfacientiũ. In gustu mediocriter adstringit, et fortiter amarescit. Subducit uentrẽ ex genere eorum medicamẽtorum existens, quæ stercorũ eductiua appellantur. Est autẽ medicamentum stomacho commodũ si quod aliud, & sinus glutinat. Sanat ulcera ægrè cicatricẽ recipiẽtia, maximè circa sedẽ & pudenda, propter uim siccandi citra mordacitatem: prodest etiam inflãmationibus earundem partiũ aqua diluta, & uulnera glutinat, iuxta eundem modum. Simili modo conuenit & ad inflammationes in ore. & naribus atque oculis, & omnino repellere ac discutere solet, simulq; exterget paululum, quantum sanè puris ulceribus citra offensionem commodum existit. Oculis propterea iugi humore madentibus, maximè puerorum, præter opinionem medetur. Debet autem crassiore modo dilui, & oculorum angulis adhiberi.

Alysson.

Alysson aiunt esse Sideritim heracleum appellatã, quæ iuxta uias nascitur ubiq;, purpureum florem habẽs, & folia crassiora. Nomen inuenit ex eo, quòd commorsis à cane rabido mirabiliter succurrit. Vim habet moderatè siccãtem & discussoriam. Habet etiam quiddam extersorium, quo uitiligines & maculas faciei à sole prouocatas depurgat.

Alsine.

Alsine siue Auricula muris, herbula similẽ habet uim helxinę frigefacientẽ ac humectantem. Est enim substantia eius aquosa frigida, quare etiam citra adstrictionem frigefacit. Ideoq; ad feruẽtes inflammationes conducit, & ad mediocria erysipelata.

Amaracum.

Amaracum calfacit non ingenerose, siccat autem non uehementer. Verum in caliditate est tertij ordinis, in siccando secundi.

Ambrosia.

Ambrosia pro cataplasmate imposita, uim habet adstringentem & repulsoriam.

Ammium, Ammi.

Ammij semen maximè in usum uenit, calfactoriæ & siccantis facultatis in tertio ordine. Est & tenuium partium, & sapore subamarum ac acre, atque adeò urinam ciet, & discussorium est.

Amarantum.

Amarantum uim habet attenuandi ac dissecandi. Quare menses ducit coma eius ex uino pota. Grumos etiam sanguinis liquare creditur, non in uentre modò, sed & in uesica, si cũ uino mulso bibatur. Omnes autem in uniuersum fluxiones resiccat in potu accepta: uerum stomacho incommoda est.

Amurca.

Amurca secundi ordinis est calfacientium ac siccãtium intensi. Atq; hinc sanè corporum tẽperamento siccorum ulcera sanat, reliquorum omnium exacerbat.

Ampeloprason, Porrum syluestre.

Ampeloprason uim inter allium & porrum mediam obtinet. Stomacho magis incõmodat quàm satiuũ. uiscosos quoq; humores amplius eo dissecat, & organa obturata ab obstructione liberat. Quapropter etiam urinas & menses sæpe mouit, ubi uiscosorum & crassorum humorum culpa fuerunt suppressa.

Ampelos leuce.

Ampelos leuce, quæ & bryonia, itemq; psilothrũ appellatur, & Latinis Vitis alba, germina habet quæ recens producta omnibus familiarem cibum exhibent uerno tempore, tãquam edulium stomacho cõmodum propter uim adstringendi. Habent autem subamaram & acrem leniter adstrictionem, quare etiam urinam cient. Radix uero extersoria & siccatoria tenuiumq; partiũ facultate prædita est, & moderatè calida. unde etiam lienes induratos eliquat, tũ in potu accepta, tum forinsecus cum ficubus imposita. Item scabiem & lepras sanat. Vitis porrò nigra, per omnia ei consimilis est, sed debilior.

Amygdala.

Amygdala amara attenuatoriam uim palàm præ se ferunt, ut etiam maculas solares depurgent, & ad reie-ctiones

ctiones ex pectore ac pulmone uiscosorũ & crassorũ humorum plurimum conferant. Sed & obstructione liberant ac depurgant hepar, splenem, colum, ac renes. Laterum item dolorem sedant. Arbor quoq; uniuersa similem uim habet, ut eius etiam radices coctas, maculis solaribus in cataplasmatis modum imponentes, eas depurgent. At uero dulcia amygdala amaris debiliora sunt.

Ammoniacum.

Ammoniacum mollientis intense facultatis est, ut etiã articulorum callosas duritias dissoluat, & lienes induratos sanet, & strumas discutiat.

Amomum.

Amomum uiribus acoro simile est, preterquàm quòd siccius est acorum, magis autem concoctorium est amomum.

Anagallis.

Anagallis utraq;, & quæ cæruleum, & quę puniceum florem habet, abstersoriã uim abunde habet, & præterea subcalidi ac attractorij quippiam, quo etiam aculeos è corpore euellit. Succus ipsarum caput per nares purgat, ob eandem causam, & in summa siccandi uim habent citra mordacitatem, unde & uulnera glutinant, & putrescentibus ulceribus auxiliãtur.

Andrachne, Portulaca.

Portulaca in frigefaciẽdo tertij ordinis est, in humectãdo secundi. Modicam autẽ austeritatem complectitur, quapropter fluxiones repellit, maxime biliosas & calidas, earum qualitatem transmutans, alterans, & multum frigefaciens. Atq; ea gratia etiam æstuosis febribus, ut si quid aliud cõmodat, super os uẽtris totaq; præcordia imposita. Sed etsi probè teratur, adiecto quo crudo unà cum uitello ac candido, ammixtoq; modico rosaceo, acetiq; momẽto, e uestigiò non uulgarem lenitudinem inducit in ardentibus febribus, si corpus uniuersum inde illinatur, imò penitus extinguit, ut neq; amplius ulla exacerbatio contingat. Dentium quoq; stuporis medela est. Succus eius similem uim habet, quare non solum forinsecus impositus, sed etiam in potu sumptus perfrigerat. Quod ipsum contingit etiam, si quis totam herbam in cibo sumat. At uero propter uim subastringendi, etiam dysentericis cõmodum edulium est, & fluxui muliebri & sanguinis reiectioni: uerum ad hæc omnia multo efficacior est ipsius herbæ succus.

Anemone.

Anemonæ omnes acris & extersoriæ attractoriæq; ac uenarum oscula aperiẽtis facultatis sunt, unde radix quoque commansa pituitam prouocat, & succus ex naribus purgat, et cicatrices in oculis attenuat. Quin & sordida ulcera Anemonæ purgãt & lepras remouent, & appositę menses prolectant, & lac attrahunt & augent.

Anethum.

Anethum calfacit in tantũ ut aut secundi ordinis intensi, aut tertij exoluti esse deprændatur. Verũ secundi ordinis principio est inter siccantia, aut primi fine. Si in oleo incoquatur, discussoriũ est, & dolores sedat, & somnum inuitat, & crudos ac incoctos tumores concoquit. Vstum tertiũ ordinem calfacientium ac siccantium obtinet, & propterea ulceribus humidis inspersum prodest, & maxime in pudẽdo. Nam in præputio etiam inueterata ad cicatricẽ perducit. Porro uiride humidius est ac minus calidum, utpote adhuc succulẽtum. quare magis concoctoriũ est ac somnificũ quàm siccũ, minus autẽ discussoriũ.

Anthemis, Chamæmelum.

Anthemis, quæ & Chamæmelũ appellatur, calfacit ac siccat in primo ordine. Est autẽ tenuium partium, & propterea discussoria & rarefactiua ac laxatoria ui prędita: si quidem igitur fuerit uiridis, in oleo ipsam incoquere oportet, non præsente uidelicet oleo chamæmelino, in quo maceratus flos insolatus est. Si uero sicca fuerit, modico aceto pręmadefacta, deinde in oleo cocta, cõmoda fit his in quibus nondũ desijt materia ad caput afferri. Nam eã quæ iam adest, discutit, & alteram non attrahit, quæ commoditas nulli alteri medicamento contigit. Nechepson Aegyptius ipsum Chamæmeli florẽ purum in summo uigore colligere iubet, & in mortario tundere, ac probè cõterere, ac pastillos mediocres fingere, eosq; in umbra diligentissime siccare ac reponere. Vsus autem tẽpore unum ex ipsis terere, oleo primario quod satis est affuso, indeq; uniuersum corpus à capite usq; ad pedes illinere, in omnibus febrientibus, ac ęgrum stragulis coopertũ fouere: sudor enim inquit mouebitur bonus in his qui euasuri sunt, & à febre liberabũtur. Nam in plurimis experimento hoc cognitum est, & in peregrinationibus maximè congruum existit, ob circũferendi facilitatẽ. Præcipit etiã in potu pastillos exhibere febricitãtibus sabę quãtitate ex aqua calida.

Anisum.

Anisi semẽ maximè in usu est, acre & subamarum existens, ut propè accedat ad caliditatem ustoriorum. Est enim in tertio ordine calfacientium ac siccãtium: ob id & urinam ciet, & discussorium est, & inflationes circa uentrem sedat.

Aparine, Philantrophos, Omphacocarpos.

Aparine, quam alij philãthropon, alij omphacocarpõ uocãt, moderatè extergit ac siccat. Habet etiam quid tenuium partium.

Apios, Pirus.

Piri folia & ramuli austeri sunt, fructus dulcedinem quandam aquosam habet, ex quibus manifestum fit tẽperamentum inęquale iuxta partes existens. Quare propter in cibo quidem stomacho commodant, & sitim sedant: uerum in cataplasmatis imposita pira, siccant & mediocriter frigefaciũt, ut uulnus per ipsa conglutinatum esse sciam.

Achrades, Pira syluestria.

Quæ uero syluestria pira nominantur magis adstringunt & siccant, & ob id uulnera maiora glutinãt, & in cataplasmatis imposita fluxiones reprimunt, quẽadmodũ in malorũ tractatu absolutissimè traditur.

Aristolochia.

Aristolochiæ radix ad medicinã commodissima est, amara & subacris existens. Rotunda ex his maximè omnium tenuiũ est partium, & ad omnia efficacior: iccirco ubi crassus humor fortiter attenuandus est, rotũdę usus expetitur, atq; inde adeò dolores ex obturatione, aut crudorũ crassitie obortos curat, & infixa extrahit, & putrefactionibus medetur, & sordida ulcera purgat, & dẽtes ac gingiuas illustrat. Auxiliatur etiã anhelatoribus & singultientibus comitialibusq; morbis ac podagricis, ex aqua pota, ruptisq; ac conuulsis medicamentũ, ut si quod aliud, commodũ est. Ex reliquis duabus clematitis odoratior est, ut etiã unguentarij eã in ungenta assumãt: uerum ad

Trochisci Chamæmeli

medendum minus ualet. Longa autem Aristolochia minus tenuiũ partium est quàm rotunda, non tamen inefficax, sed extersoriã ac calidã uim habet, & ob id ulcera incarnat, & ad uteri fotus cõmodior habetur.

Aracus.

Aracorum semẽ simile est cicerculis & usu & uiribus, uerum durius quàm cicerculæ, & propterea etiã ægrius concoqui potest.

Arceuthos, Iuniperus.

Iuniperus calida est & sicca tertij ordinis in utroq; genere. Fructus eius calidus quidem similiter est, sed in primo ordine siccat.

Arnoglossum, Plantago.

Arnoglossum frigefacit ac siccat in secũdo ordine. Habet & austeri quippiã, quare fluxionibus & putrefactionibus ulceribusq; malignis conuenit, atq; ea gratia etiam ad dysenterias: nam sanguinis eruptionem compescit, & si quid perustum est frigefacit, & sinus glutinat. Est præterea etiam aliorum ulcerum recentium ac ueterum curatrix. Citra mordacitatẽ enim siccat, & frigiditatem possidet nondum stupefacientem. Semen eius itemq; radix similem uim habent: uerum sicciorem & minus frigidam. Et semen quidem tenuissimarũ partium est, radices uero crassiorum. Ipsa autẽ folia siccata, tenuiorum partiũ uim, sed minus frigidam acquirunt. Propterea radicibus etiam ad dentium dolores utimur, tum commanducantes, tum decocto ipsarum colluentes. Cęterum ad hepatis ac renum obturamẽtá & radicibus, & folijs, & multo magis semine utimur.

Aron.

Ari radix primi ordinis calfacientium ac siccãtium est. Habet & uim extersoriã, sed non adeò fortiter uelut dracontion. Radices etiã in cibo acceptæ humorum crassitiem moderatè dissecãt, ut etiam ad reiectiones sputorum ex pectore commodẽt. Verum dracõtion in hos usus præstabilius est. Aliàs præparatur ac editur eo quo dracontion modo feruefacta.

Artemisia.

Artemisiæ ambæ calfaciunt in secundo ordine, siccant autem uel in primo ordine intenso, uel secundi principio. Sunt autem moderatè quoq; tenuium partiũ, quare ad renum lapides moderatè conueniunt, & ad uteri fotus.

Asarum.

Asari radices in usu sunt, acori radicibus uiribus consimiles, uerũ magis intensæ, quare ex his quæ de acoro diximus, etiã de asaro notionem sumere oportet.

Aspalathus.

Aspalathus ex dissimilaribus uiribus constat, acribus & adstringentibus. Et acribus quidem partibus sui calfacit, austeris uero frigefacit, utrisq; siccat, & propterea ad putrefactiones & fluxiones utilis existit. Ad putrescentes in ore gingiuas in uino cocta utiliter colluitur.

Asparagus, siue Aspharagus iuxta Athenienses.

Asparagus petreus siue Myacanthus, extersoriam uim habet, nec tamen ualidè calfacit, nec frigefacit. Iccirco renes & iecur obstructione liberat, maximè radices herbæ ac semen. Et sane etiam dentiũ doloribus medetur siccando citra calfactionem.

Aster Atticus, Bubonium.

Aster Atticus, quem alij Bubonium appellant, quòd non solum in cataplasmate impositus, sed etiam adalligatus bubonas ac inguinum tumores sanare credatur. Habet etiam quid discussorium, ut mixtarum uirium sit, uelut rosa, sed bubonium non ita adstringit.

Astaphis, Vua passa, Caricæ.

Vua passa satiua concoctoriã simulq; adstringentẽ & moderatè discussoriã uim habet: eadẽ enim est ratio uuarũ passarum ad uuas, quę est caricarũ ad ficus. Et dulciores quidẽ calidiores sunt: Austeriores uero frigidiores, & adhuc magis acerbæ. Stomachum itaq; roborant austeræ, & aluũ adstringunt, atq; his amplius etiam acerbæ. Medium uero statum inter has dulces tenent, neque palàm exoluente stomachum, neq; aluum subducentes. Vim tamen contemperandi humores semper habent dulces, itemq; moderatè extergendi, unde paruos circa os uentriculi morsus obtundunt. Nam maiores morsus generosioribus morsibus opus habent. Præstant uuæ passæ pinguissimæ & tenui cortice præditæ. Cæterum uuæ passæ minus quàm caricæ aluũ subducunt ac extergent: uerum stomacho commodiores quàm caricæ existũt.

Astaphis agria.

Staphis agria ualde acrem uim habet, ut fortiter pituitam de capite trahat ac extergeat. Quare & ad scabiẽ confert: Et ustoria quadam ui participat.

Asphodelus.

Asphodeli radix in usu est, uelut ari, & asari, ac dracontij. Vim habet extersoriam ac discussoriam. Vnde in uino albo uetere cocta, & uino calido meraco ciathi mensura hausto, menses suppressos celerrimè ciet. Vstæ cinis calidior & siccantior, magisq; tenuium partium ac discussorius euadit, & ob id etiam alopecias sanat.

Atractylis, Cnicus syluestris.

Atractylis, siue Cnicus syluestris, uel Androsæmon, ut alij uocant, ex spinosarum plantarũ genere est, & siccantis ac moderatè calidæ facultatis existit.

Atraphaxis, Atriplex.

Atriplex secundi ordinis est humectantium, primi frigefaciẽtium, adstrictionis nihil habet, sed aquosa est uelut malua, & facilè uentrem permeat. Hortensium genus humectius & frigidius syluestri est. Quapropter inflammationibus ac furunculis incipientibus & augescentibus hortenses, uigentibus & declinantibus syluestres commodiores sunt. Semen extersoriã uim habet, unde ad morbum regium ex iecoris obstructione obortum utile existit.

Absinthium.

Absinthium calidum est primo ordine, siccum tertio. Succus eius multò calidior quàm herba est, participat & adstringendi ui non obscura, maximè Ponticum, quare exterget, roborat, siccat: & propterea biliosos uentriculi humores ad infernam excretionem deducit, & per urinas euacuat. Magis autẽ biliosum intra uenas humorem per urinas expurgat. Iccircò ubi pituita in uentre continetur, nihil conducit. Sic etiam si eadem circa pectus aut pulmonem hæreat. Adstrictoria enim facultas in ipso fortior est quàm amara. Quoniam uero acrimoniam quandam possidet, calidum amplius quàm frigidum existit.

Balanos myrepsica, Glans unguentaria, Myrobalanum.

Glans unguentaria quæ myrepsica balanos, & myrobalanon appellatur, extersoriam & incisoriam uim habet

habet cum aliqua adstrictione, & propterea extersoriam ac adstringentē contrahentemq́ ac coactoriam habet actionem, quapropter & ad uaros & lentigines, maculasq́ solares, pruritum, lepram, scabiem, achoras & manantia capitis ulcera, ulcerosasq́ papularum eruptiones, & omnia crassi succi uitia conueniens est, maximè cum aceto. Cicatrices etiā illustrat. Facit quoq́ ad hepar induratū in cataplasmate imposita, & lienē consumit, præsertim si farina aliqua siccatoria ipsi commisceatur, uelut est loliacea ac eruina. At uero cortex ualde efficax est, ut eius usus ubi uehemēti adstrictione opus est requiratur. Si uero quis carnis eius drachmam unam bibat cum aqua mulsa, facilè uomet. Sæpe & per inferna aluū largè subducit. Vnde si hepar aut splenem purgare uoluerimus per huius medicamenti usum, in posca ipsum exhibemus. Stomacho enim incommodat. Verum aceto gaudet tum forinsecus impositum, tum per os acceptum.

Balanos siue Glans quercina.

De quercina glande in quercus tractatu commode dicemus.

Balsamum.

Balsamum calfacit & siccat secundo ordine, est & tenuium partium. Liquor eius adhuc magis tenuium partiū uim habet, non tamen adeò calidus est, uelut quidā opinantur per partium subtilitatem decepti. Fructus eius consimilem iuxta genus facultatem obtinet, sed partium tenuitate ab illis præuertitur.

Balaustium, Cytinus.

Balaustium syluestris mali punicæ flos est, uelut satiuæ Cytinus, gustum autem fortiter adstringit, & sanè siccantis ac frigefacientis facultatis est: quare si intertriginibus ac aliis ulceribus ipsum aridum tenuissimè tritum insperseris, citissimè uidebis ipsa cicatricem recipere citra mordacitatem. Iccirco nō est medicus quispiam qui non hoc pharmaco & in his qui sanguinem reiectant, ac dysentericis, uentrisq́ ac uteri fluxionibus utatur.

Batos, Rubus.

Rubi folia maximè tenera itēq́ germina mediocriter adstringunt, ut commansa oris ulcera cum alia, tum quæ aphthæ appellantur, curent. Imò & uulnera glutinent. Fructus maturus moderatam quandā caliditatem habet. Immaturus frigidam terreā substantiam possidet, & propterea acerbus & ualde siccatorius est. Siccatus autem reponi solet, & humido magis siccatorius euadit. Flos eandem uim quam fructus immaturus habet. Itaq́ ad dysenterias & uentris fluxiones ac debilitatem, & sanguinis sputum cōmodus est. Radix supra uim adstringendi, etiam tenuium partium substantiam habet, quare renum lapides atterit.

Batrachion, Ranunculus.

Batrachiū quatuor speciales differentias habet, omnes autē fortiter acrem uim possidēt, ut cū dolore exulcerent. Quare si quis moderatè utatur, scabies ac lepras excoriant, ungues item leprosos remouent, & stigmata siue notas incussas discutiunt & uerrucas ac myrmecias ex earū gente dictas, auferunt. Quin & alopeciis prosunt modico tempore impositæ. Nam si diutius sinantur, non solum excoriant, sed etiam crustam cuti inurunt, atque hæc quidem folia uiridia unà cū cauliculis imposita faciunt. Radix autem siccata sternutatorium est medicamentum, quomodo omnia alia fortiter siccantia. Sed & dentium dolores mitigat, simulq́ ipsos constringit.

Bdellium.

Bdellium Scythicū appellatū quod et nigrius & resinosius est, mollientē abunde & efficacē uim habet. Alterum Arabicū, quod etiā pellucidius est, magis siccat quàm mollit. Vtuntur aliqui his, & maximè Arabico, ad ramices gutturis ac hernias aquosas, bronchocelas & hydrocelas Græci appellant, ieiuni hominis saliua ad emplastri compagem redigētes. Arabicum etiā calculos renū atterere uidetur, urinasq́ ciere in potu acceptum. Sed & crudorum flatuum insultus, & laterum dolores, ac rupta sanat.

Blitum.

Blitum olus est cibarium, temperamento humidum ac frigidum in secundo ordine locatum.

Bulbus.

Bulbus comestus frigidioris & crassioris uiscosiorisq́ humoris genitor est: nam & ægrè concoquitur, & inflat, ac uenerem stimulat. In cataplasmate impositus glutinat & siccat. At uero qui uomitorius Bulbus dicitur, multo calidius temperamentū quàm prædictus habet.

Buglossum.

Buglossum humidum & calidum temperamentum habet, unde uino iniectum lætitiam facere potantibus uidetur. Conducit & tussientibus propter gutturis asperitatem, in aqua mulsa decoctum.

Buphthalmon.

Buphthalmon appellatum uidetur à floribus, qui figura oculi bouis similitudinem referunt. Nam colore chamæmeli floribus quàm simillimi existunt. Multò autē maiores ipsis sunt, & acriores, & propterea magis discussorii sunt, usqueadeò ut etiam duritias sanent ad ceratum permixti.

Bunion, Arction, Pseudobunion.

Bunion quod quidā Arction appellant, calfactorii generis in tantum est, ut urinā cieat, & menses ducat. Sed & Pseudobunion similiter ipsi calidum est.

Brathy, Herba Sabina.

Herba Sabina calefacit & siccat tertio ordine: est autē tenuium partiū, & propterea discussoria, & mensium ductrix si quid aliud, & per urinas sanguinē trahit, & uiuētes fœtus perimit, ac immortuos eiicit. Cōuenit putrefactis maximè malignis & inueteratis. Nā quę diu durauere citra molestiā pharmaci uim tolerāt. Quin & denigrata ac ualde sordida, cū melle expurgat, & carbunculos destruit. Quidā etiam duplum ipsius pro cinamomo coniiciunt.

Britannica.

Britannicæ folia adstringunt, & uulnera glutinant, suntq́ similia foliis syluestris rumicis, preterquàm quòd nigriora & hirsutiora existūt. Succus foliorū similiter adstringit, quare quidā coctū ipsum reponunt, ut pharmacū ad putredines oris efficacissimū.

Bromus, Auena.

Bromos paulò frigidiore tēperamento præditus est, & adstrictionis nonnihil habet, ut etiā uentris profluuiis commodet.

Bryon Thalassion, Muscus marinus.

Muscus marinus adstringit et frigefacit, unde in cataplasmatis uicem impositus, ea quæ calida sunt manifestè perfrigerat, ac iuuat.

Bryon

Bryon, Muscus arborum, Splanchnon, Hypnon.

Muscus arborum qui Bryon & Splanchnon ac Hypnon Grecis appellatur, adstringit & frigefacit moderatè, ut propè ad temperata accedat. Quare & discutiendi ac emolliẽdi facultatis particeps est, maximè qui in cedrinis lignis reperitur.

Bryonia.

Dictum est de Bryonia, quum de uite alba nobis sermo esset.

Bubonium, siue Aster Atticus.

De Bubonio dictũ est in secũdę appellatiõis elemẽto.

Γ *Gentiana.*

Gentianæ radix efficax est, ubi opus est attenuare & depurgare, extergereq́ ac ab obstructionibus liberare.

Gigarta, Vinacea.

Vin acea sicca sunt in secundo ordine, frigi a in primo. Acerba autem gustu sunt, proptereaq́ fluxidis uentris affectionibus plurimum prosunt.

Gingidium.

Gingidiũ ut gustu amaritudinis & ad strictionis particeps est, ita tẽperamento caliditatis & frigiditatis. Iuxta utranq́ autẽ qualitatem siccatorium est, imò etiam stomacho ualdè commodum, ob adstrictionis non modice participationem. Euadit autẽ multò magis stomacho commodũ, feruefactum & ex aceto comestum. Caliditatem itaq́ non ualde manifestam obtinet, uerum in secundo ordine siccat.

Glaucium.

Glaucium adstringit cum quadam iucũditate, sed & frigefacit manifestè, adeò ut erysipelata nõ adeò fortia sanet.

Glechon, Pulegium.

Pulegium calfacit & attenuat uehemẽter, unde humoribus crassis ac uiscosis ex pectore ac pulmone reiectandis facilem uiam facit. Menses ciet cum uino albo coctum, ita ut uinum ipsum meracum bibatur. Forinsecus cataplasmatis modo impositum, tum ischiadicos, tum alios perfrigeratos rubificat.

Glœos, Sordes balnearum.

Sordes balnearum moderatè emollit.

Glycyrrhizon, Radix dulcis.

Glycyrrhizi fruticis radicũ succus maximè in usum uenit, dulcis existens cũ modica quadã adstrictiõe, quapropter asperitates lenit nõ solum arteriæ, sed etiã scabiosæ uesicæ. Quandoquidẽ uero omne dulce moderatè, etiam humido temperamento præditum est, pro eius sanè ratione, sitim quoq́ eximit.

Glycyside, Pœonia, Pentorobos, Ephialtia.

Glycysiden etiã pæoniã, & pentorobon, & ephialtiã nominant. Radix eius tenuiũ partium & siccatoria ac mediocriter calida est: habet enim uim adstringẽtem leniter, cũ aliqua dulcedine. Quòd si quis eam diutius mandet, etiã acrimoniã subamarã percipiet, iccirco sanè & mẽses mouet, magnitudine amygdali contusa cũ aqua mulsa pota. Expurgat quoq́ iecur obturatũ, lienemq́ ac renes. Per adstrictionem autẽ fluxiones uẽtris sistit, in uino quopiã austerorum generis cocta, & uino poto. In summa resiccãdi uim fortiter possidet, ut non improbauerim id quod à multis rationabiliter creditũ est, eã uidelicet etiã adalligatã puerorũ morbũ comitialem sanare. Aliquando enim puerulo octimestri comitiali apprehenso, magnã radicis recentis partẽ de collo suspẽdimus, iussione facta ut perpetuò eã cõtineret appensam, & de cętero ex hoc facto puer pfectè sanus euasit, neq́ amplius apprehensus aut conuulsus est.

Gnaphalium.

Gnaphalium adstringentis moderatè facultatis est, & propterea dysentericis ipsum cum uino aliquo austero potandum exhibent.

Gongylis, Rapum.

Rapi semen ad rẽ uenereã stimulos addit, flatuosi spiritus generatiuũ existens, sic & radix ægrè concoctilis, & flatuosa, ac seminis gignitiua est, succũ autẽ in corpus distribuit crassiorem. Quare si quis in nimio eius esu perduret, & maximè si ipsam nõ probè in uentriculo concoquat, humorẽ crudum appellatum congregabit, si uero crudior in coctura maneat, ægrè cõcoctilis & flatuosa & stomacho incõmoda existit, quandoq́ etiam morsus circa uentrẽ excitat: melior autẽ fit si bis coquatur, multa enim coctura opus habet. Porrò ad uentris deiectionem neque conducit, neque officit.

Δ *Damasonium, Alisma.*

Damasonium etiã Alisma appellatur. Eius radicem experti sumus coctã in aqua, & aqua pota, calculos in renibus consistentes ac coactos confringere.

Daucus, Pastinaca, Staphylinus.

Daucus quẽ & staphylinum ac pastinacam appellãt, duorum generũ est. Alter syluestris minus comestilis quàm satiuus, uerũ in omnibus uehemẽtior. Satiuus autẽ in cibi usum aptus est, sed aliàs imbecillior existit, facultatẽ habent acrem & calfactoriam, & propterea etiã attenuatoriam. Radix itaq́ possidet etiam flatulentum quippiã, & ob id Veneris stimulatiuum. Semen satiui quidẽ habet item aliquid in se uenerem stimulans, sed syluestris omnis flatus expers est, quare & urinam ciet, & menses mouet.

Daphne, Laurus.

Lauri arboris folia & fructus siccãt & calfaciunt uehementer, & magis ipse fructus. Cortex radicis minus quidem acris & calidus est, magis uero amarus, & aliquid adstrictionis habens. Iccirco & lapides atterit, & hepaticis conducit. Bibitur in uino odorato pondere obolorum trium.

Dictamnum, Pseudodictamnum.

Dictamnum magis tenuium partium est quàm pulegium, in cæteris ipsi cõsimile. Quod uero Pseudodictamnum dicitur, debilius est.

Dipsacos, Labrum Veneris.

Dipsaci radix secundi ordinis est siccantium. Habet etiam quid extersorium.

Dorycnion.

Dorycnium tẽperamento simile est papaueri & mandragoræ, & alĳs eodem modo frigefacientibus. parum itaq́ ex eo sumptũ soporem inducit, amplius occidit.

Dolichi, Lobi, Smilax hortensis, Phaseoli.

Qui nũc ab omnibus Lobi nominantur, apud omnes ueteres dolichi & phaseoli appellabãtur, & ab aliquibus smilax hortensis, nutriunt quidem non minus quàm pisa, consimiliterq́ flatus expertes sunt, uerum iucunditate & in alui deiectione illis cedũt. Appellantur autem Lobi, hoc est, siliquæ præ alĳs præcipuè, quoniam ex omni siliquarũ genere quę indumento intectæ sunt, hæ solæ unà cum siliquis siue tegumentis suis ut plurimum comeduntur.

Dracontion.

Dracontion acrius est quàm Aron, & amarius, & magis calorificum ac tenuium partium. Habet autẽ quandam breuem adstringendi uim, cum acrimonia & amaritudine permixtam, ut uel inde efficacissimum pharmacum existat. Nam radix uiscera & omnes crassos ac uiscosos humores expurgat, & malignorum ulcerũ optimum medicamentum est. Depurgatq; ac extergit generose cũ alia extersione indigentia, tum uitiligines cum aceto. folia autẽ ulceribus & uulneribus recẽtibus cõueniunt, quantoq; minus fuerint sicca, tanto magis glutinãt. Quæ enim sicciora sunt, acriora quàm uulneribus conueniat existunt. Creditur etiã caseum à putredine asseruare forinsecus ipsi circumpositum. Semẽ autem radice fortius, cãcros & polypos cõsumere creditur. Succus seminis oculorum albugines deterit.

Drys, Quercus.

Vniuersæ quercus partes adstringentis qualitatis particeps sunt. Amplius autẽ omnibus mẽbranula quę sub cortice trunci reperitur, & quæ sub cortice glandis super fructus carnem inducta est. Quare & ad fluxum muliebrẽ, sputaq; sanguinis ac dysenterias & uentris fluxiones diuturnas, utilis esse creditur. Vtuntur autẽ ipsa decocta. Vehementius adhuc adstringit phagus & ilex. Cæterũ folia ex omni quercus genere pro cataplasmate imposita, uulnera recẽtia glutinãt, quẽadmodum ego ruri expertus sum. Glandes quercinæ comestæ alimentum quidem abunde corpori suppeditãt. Sed tardi transitus est id ipsum, & crassum ac ægre concoctile. Ex omni glãdium genere optimæ sunt Castaneæ, quę & Lopima appellantur. Solæ enim ex syluestrium fructuũ genere, memorabile alimentum corpori sufficiunt. Sunt tamen etiã ipsę capiti graues, utpote dolorem eius inducentes, sed multò magis his supradictæ.

E. Ebiscus, Althæa.

Ebiscus malua syluestris, est discussoria, laxatoria, inflammationem arcens, mitigatoria & concoctoria crudorũ panorũ ac tuberculorũ. Radix eius itemq; semen, reliqua similiter faciunt uelut herba. Verum facultatem magis tenuium partiũ, ampliusq; siccatoriam & extersoriam ex se ostendunt, adeo ut etiã uitiligines deterant, & semen calculos rhenum confringat. Decoctum radicis & ad dysenteriã & alui profluuium, & sanguinis reiectionem utile est, ut quæ uim quandam adstringentem habet.

Ebenus.

Ebenus lignũ est ex eorum numero quæ in succũ resoluuntur, uim habet calfactoriã, extersoriam, ac tenuium partiũ. Vnde & ea quæ pupillis tenebras offundunt uitia, extergere creditur, & in alias oculares compositiones ammiscetur, quę uidelicet ad ulcera uetera, & fluxiones, ac pustulas conueniunt.

Elæa, Olea.

Oleæ germina tantũ frigiditatis, quantũ adstrictionis habent: fructus exacte maturus moderate calidus est, immaturus adstringẽtior est, & frigidior. Oliuæ drupæ pinguem succum habent, & modicũ alimentum corpori præbent. Colymbades uero muriæ innatantes, adstringentem succum habẽt, & stomachum corroborant, appetẽtiamq; cibi excitant, & ad hoc commodissime sunt quæ cum aceto sunt asseruatæ. Ex his enim quæ ex æquo salubria sunt, id quod iucundius est facilius concoquitur.

Elæon, Oleum.

Oleum ex oleę fructu expressum, quod etiã propriissime oleũ appellatur, humectans & moderatẽ calidum est. Tale est dulcissimũ ex oliua maxime drupa factũ, quale est sabinum. Est autem calidum moderatẽ medij temperamẽti, & magis discussorium quàm quod ex crudis oliuis expressum est, quod omotribes & omphacinũ appellatur. Nam hoc tãto frigidius est, quanto plus adstrictionis habet. Oleum autẽ uetus, si quidem ex dulci oliua factum uetustatẽ contraxit, calidius est & magis discussorium. Si uero ex cruda, quousq; sanẽ aliquid adstrictiõis seruauerit, mixtæ facultatis existit. Vbi uero adstrictionem penitus abiecerit, alteri assimilatur. Lucernariũ autẽ à medio ac tẽperato, dulci inquã, in tantũ ad calidiorẽ qualitatem progreditur, quãtum omphacinum ad frigidiorẽ. Vtimur omphacino, capite calidiore facto. Dulci, sicciore facto & circũtenso. Lucernario, eodem frigefacto. Manifestum est autem quod omphacinum aliquando etiã frigidum adhibere oportet, reliqua semper calida. Atq; hic quidẽ usus ad caput est. Cæterũ si uniuersum corpus præter naturam siccius reddatur, dulce oleum cõmodissimẽ illinitur. Sed & si desiccatum sit ex adstrictione, aut frigiditate, aut mordacitate, aut acribus pharmacis, aut humore, aut etiam pruritu, idem oleum omnium aptissimũ est, maxime cum exercitationibus aut etiam post exercitia. At uero stomacho & iecori inflammatis maxime congruit omphacinum irrigatum, ob adstringendi facultatem. Reliquis partibus dulce magis prodest.

Oleum Cicinum.

Oleum Cicinon in Aegypto paratur, ex ricini arboris semine, quod croton appellatur, sicut arbor ipsa cici, tuso & expresso, & oleo ex aqua calida electo. Est autem tenuium partium ac discussorium, uelut oleum uetus. Exterit uitiligines, maculas solares, lentigines, assiduo illitu. Consimile raphanino est, quo etiam uti licet, cicino aut uetere non præsente.

Oleum seminis Lini.

Sed & ex lini semine oleũ pręparatur, quomodo prędictũ est. Et usus eius iam est pro cicino. Nam cicinon nõ amplius affertur, sed hoc pro ipso afferunt.

Oleum Raphaninum.

Raphaninum oleum in reliquis simile cicino est, uerum calidius.

Oleum Populi nigræ.

Oleum ex nigra populo in ęstate paratur, quum multa circa semen est resina. Sumunt itaque eius grana modiceq; confringunt, & ad põdere expensum inde trientem, olei dulcis sextarium immittunt, & ad dies quadraginta insolant, atq; ita excolatum reponunt. Est hoc oleum calfactorium, tenuium partiũ, mollitorium, cum odore iucundo.

Oleum Amygdalinum.

Amygdalinum oleum ex amygdalis amaris fit, estq; tenuium partiũ, & calidius dulci uno gradu. Cõuenit maxime auribus à crassis flatibus obturatis, & ad auditus grauitatẽ, & sonitui ex frigiditate. Vermes quoq; aurium enecat. Experiẽtia enim nos docuit ipsum auribus maxime prodesse, reliquarum partium

partium comparatione.

Oleum nucum.

Nucis oleum similiter ut amygdalinum pręparatur, nucibus aut tusis & expresis, aut post contusionē in aquam feruentē coniectis. Commodū est in eosdē quoq; usus: Insuperq; hoc priuatim habet, quod inaurantibus aut inurentibus conducit: Siccat enim & ad multum tempus inaurationes ac inustiones continet & adseruat.

Oleum Myrobalaninum.

Oleum ex myrobalanis uim habet depurgandi maculas faciei, lentigines, uaros, & omnem nigredinem. Sed & aluum purgat, prodest & aurium dolori, & ad sonitus, cum adipe anserino instillatum. Præparatur ut amygdalinum, glande unguētaria molita.

Oleum Laurinum.

Laurinum ex bacca lauri fit, quo modo iam dictum est. At uero mixtum hoc modo præparatur. Ad sextarios quinq; oliuarum maturarum, baccarum lauri pinguium & recētium sextarium unum adijcimus, atq; ita omnia simul conteruntur ac exprimuntur, uelut oleum aliàs ex oliuis solet. Calidū ualde est & mollitorium quod purum ex solis lauri baccis factum est, quare uehemēter perfrigeratis quadam corporis parte conducit. Multum quoque siccat, & propterea scabrosis, & asperæ cuti, impetiginibusq; asperis, in balneo illitum medetur. fugiendum est autem in impetigine inflammata, aut scabie inflammata, & in temperaturis calidis ac biliosis. Humidis autem & pituitosis conuenit, & omnibus articulis à frigore infestatis. Est & ischiadicis ex coxendicibus laborātibus commodum. Occidit uermes & pediculos tum feros, tum mansuetos, itemq; lendes ac furfures capitis, & ophiases ac alopecias. Vsus est in balneo ieiunis, ita ut postea cū ouo ac melle & fœni græci farina detergeatur. Cauendum ne capiti calido adhibeatur.

Oleum Sesaminum.

Sesaminum oleum ex sesamo fit cōtrito & in aquam iniecto. Viribus non longe abest ab oleo dulci. Caliditatē enim moderatam habet, & saporē omnino leuiter adstringentem: aptum est cibis, nam & saporis iucūdi est, & facile concoquitur, & aluum subducit. forinsecus illitū uim obstructoriam meatuū habet, propter crassitudinem. Cæterum ad præparationem oleorum quæ odoris gratia fiunt, aptius est quàm oleum commune, propter durabilitatem, & quod non facile putrescat.

Oleum Lentiscinum.

Et hoc ex lentisci fructu præparatur eo quo in alijs dictum est modo. Paratur etiam uelut in laurino diximus, fructu lentisci oliuis permixto. Vtile est purū & immixtum ori ex fluxionibus infestato, & gingiuis inflāmatis, calidum in ore detentum, tum in balneo, tum citra balneum, repellit enim & roborat citra exasperationem. Mixtum autem magis mitigat, simulq; robur conseruat: Quare in iecoris ac stomachi fotus ac rigationes commodè assumitur.

Oleum Oenanthinum.

Oenathinum eadem efficacia est cum melino & rosaceo, præterquàm quòd aluum non mollit. Componitur hoc modo. Oenanthen, hoc est uitis syluestris fructum florentem, accipe odoram & marcescere sine, ac in nouū uas unà cum omphacino oleo mitte, & ad dies xl. quotidie agita, ac excolato utere. Sit oenanthes sextans, olei sextarius unus.

Oleum Melinum.

Melinum paratur ex malis cydonijs, fit etiam ex alijs malis, corium habentibus acerbius & odoratius, hoc modo. Adimitur pediculus ad exortum, & festuca ad fundum, & pars interior unà cum seminis granis, deinde secantur mala unà, cum adhærēte cuticula. Nā in ipsa & odoris gratia, & adstringendi uis cōtinetur. fiunt autem parua frusta, quorū quadrans in olei omphacini sextarium inijcitur, & insolata ad dies xl. reponūtur. Vis melini olei magis ad frigiditatem nutat, non tamē ualde, propter mali uinositatem. Adstringit autem multū, uelut lentiscinum. Magis uero stomacho familiare est, propterea quòd ex duplici materia nutritiua componatur, olei uidelicet ac mali. Quare consequens est ipsum stomacho inflammato ac debili competere, irrigatum, & in epithematis impositum, ac potum. Commodius est rosaceo, propter mali familiaritatem. Nam stomacho robur addit, & insitos in uentriculo acres humores uehementius propellit. Inijcitur etiam per sedem, quibus colum & crassa intestina ab acri bile uexantur. Cauendus est eius usus in affectionibus frigidis. In his enim magis conuenit, si absinthium habuerit simul incoctum.

Oleum Rosaceum.

Rosaceum oleum sic præparatur. Accipitur floris rosarum rubrarum exunguium, & per diem ac noctem siccatarum quadrās, olei omphacini sextarius unus: Rosis iniectis, os uasis occludere oportet, intrinsecus linteolo, forinsecus pellicula, propter imbres repētinos, & insolare ad dies xl. atq; ita excolatum reponere, uasis super tabulas locatis in domo temperata. Quidam alia quædā rosis adijciunt. Verum optima est præparatio ex solis rosis & oleo constans. Alij non insolant, sed uas in puteum aquæ frigidæ ad dies xl. suspendunt. Conducit capiti calfacto ex sole, aut febribus, aut alia quadam eiusmodi causa, humectat enim & mitigat, ac somnium inducit. Et in febribus excalfactis uisceribus, conuenit ceratum ex ipso paratum, lotum ex frigida aqua, in æstate sæpe alterata, ita ut ceratum hoc uisceribus imponatur. Præparatur autem hoc modo. Accipitur ceræ uncia una, rosacei quadrans: Cera liquefit cum modico rosaceo in duplici uase, & in aquam diffunditur, & manibus emollitur per aquam eluta, mox rursus, ac tertiò liquatur, diffunditur, aquaq; eluitur: Deinde reliquum rosacei additur, liquatur, tollitur, agitatur, frigefit, & in mortarium inditur ac teritur, & aquæ quantum expedierit instillatur, mox sublatum medicamentum in frigidam subinde permutatam reponitur. Si uero pro aqua acetum instillaueris in mortario ad ceratum, optimum medicamentum efficies ad erysipelata, carbunculos & herpetas. Habetur etiam hoc ceratum Sermone quinto, capite nonagesimo primo. Quin & potum optimum rosaceum cū aqua calida aut frigida, magnam utilitatem de se præbet his quibus stomachus ex acri bile, aut lūbricis, aut ascaridibus infestatur. Verum ad lumbricos maxime puerorum, melius facit sapæ permixtum & potum

potum, ita ut sapa ex uino coctura ad tertias redacto sit præparata. Celerrime enim ipsos expellit. Infunditur etiam colo uexato ex prædictis causis. Cauendus usus eius est his, qui non multam caliditatem habent, & quorum corpus superfluis excrementis redundat.

Oleum Chamæmelinum.

Chamælinum oleum sic preparatur. Olei dulcis sextarius Italicus unus, florum chamæmeli diem unũ præsiccatorum sextans, in uas mittuntur, cuius osculum raro linteolo integitur, quo perspirationem habeat oleũ, & sic per dies XL. insolatur. Etenim si non perfletur ac transpiret chamemelinũ oleum, odorem garo similem acquirit. Post insolationem seruare ipsum oportet excolatũ, uase locato in tabulis in domo temperata. Vsus eius est ad caput mediocriter densatum ac dolens ex febribus non ualde ardentibus. Rarefacit enim meatus, & uapores discutit, ac acrimonias contemperat, & in summa magis mitigatorium est quàm rosaceum, in febribus non ualde calidis.

Oleum Anethinum.

Anethinũ ex anethi coma fit adhuc uirẽte, prius quàm semẽ solidum reddatur & acre, inutile enim ad usum hunc fit floribus abiectis: Resecare autem mollia tãtum germina, & unciæ unius pondere expensa, ad sextarium Italicum unum olei dulcis inijcere oportet, & osculũ uasis probe obturare, & diebus XL. insolare. Calidius hoc est quàm chamemelinum. Itaq; fatigatis in hyeme commode adhibetur, mollit enim & humectat. Vtendum est eo & in febrientibus leniter à pituita, & omnino ægrotantibus ex causis frigidis, maxime circa tendines ac musculos conuenit.

Oleum Liliorum, Liliaceum, Susinum, Lirinon.

Liliaceum siue Susinũ, aut Lirinon oleum, fit ex albis lilij folijs exunguibus: & solum iniectis, citra ipsorum croceum filamentum, ad sextarium Italicum olei dulcissimi, pondere sextantis. Siccare autem etiã hæc oportet in umbra per diem ac noctem: Deinde uasi inijcere, & diligenter obturata insolare per triduum: Deinde excolare, & alium sextantem foliorum immittere, prioribus uidelicet uelut inutilibus eiectis. Ternis enim alteratiõibus folia inijcere expedit, quare ubi rursus per triduũ insolaueris, rursusq; excolaueris, tertium sextantem liliorum immittes, similiterq; per triduum insolabis, & sic excolatum in umbra repones. Si quis enim mox à principio sexuncem foliorum immittat, putrefacta oleum fœtidum reddent. Commodũ est affectionibus muliebribus. Soluit enim duritias, & morsus ex acrimonia obtundit, & robur utero addit. In Susis testimonium prębent ipsi, quòd prægnantibus facilem partum faciat. Sed & alijs illitum, lassitudines eximit fatigatis, & mollientibus medicamentis adiectũ mollitorium est. Et in summa tepefactorium est, & mitigatorium ac rarefactorium, odoratumq;, ac facilẽ partum procurat.

Oleum Telinum, siue ex fœno græco.

Oleum telinum ex fœno græco uim habet mollificandi. Commodum est ad furfuris, & achoris ulcuscula capitis manantia, depurgat & maculas solares, & faciem dealbat ac extergit & innouat, prodest & ad uteri duridas ac abscessus, & ægre parientibus opitulatur. facit & ad sedis intestinorumq; inflammationes. Infusum soluit tenasmos, facit & ad perniones. Præparatur hoc modo. Fœni græci libræ quinq;, olei sextarij octo, cyperi libræ duæ, calami odorati libra una, macerantur hæc in oleo ad dies septẽ ter quotidie agitata, deinde expressa ac excolata reponuntur.

Oleum Narcissinum.

Ex albis Narcissi floribus fit oleum Narcissinũ, noctẽ ac diem præsiccatis, ita ut sextans ex ipsis in sextariũ unum Italicum olei dulcis conijciatur, & uas diligẽter obturatum ad dies quatuor insoletur. Oportet autem & hos alterare quemadmodum in lilio diximus, & reddetur oleum magis odoratum, pręsertim si moderatè insoletur. Nam si diutius insolaueris Narcissinum, aut etiam liliaceum, uel uiolatum, aut aliud quoddam eorum quæ non fortem & permanentem odorem habet, inoderatum euadet. Vim habet Narcissinum calidiorem anethino. Quare ad eadem conducit in reliquo corpore, capite excepto. Acris enim est Narcissini fragrantia.

Oleum Violatum.

Violatum oleum præparatur ex purpureis uiolæ floribus, itemq; ex albis, quadrãte ex ipsis in olei sextarium Italicum dulcissimi cõiecto, ac tertium alterato, ueluti in lilio prædictum est. Vis eius paulò calidior est quàm rosacei. Quare si quis æstate fatigatus & insolatus rosaceo careat, uiolaceo uti potest, maxime ex purpureis floribus præparato, ita ut in balneo ex eo illinatur. Nam supra hoc quòd lassitudini medetur, etiam squalorẽ ac situm animi, odore suo in mansuetudinem ac uoluptatem transmutat, & somnum imperturbatum inducit.

Iasmoleum.

Oleum apud Persas Iasme appellatũ præparatur hoc modo. Candidorũ nimirum uiolæ florũ sextante in Italicum sextarium unum olei sesamini iniecto, ac alterato quemadmodũ in lilio dictum est. Vsus eius in epulationibus apud Persas odoris gratia receptus est. Conducit uniuerso corpori à balneis, in corporibus calore ac laxitate indigentibus. Grauiorem autẽ odorem habet, ut multi non libenter ipsum tolerent.

Oleum Myrteum.

Fit & hoc folijs myrti uiridibus pondere sextantis, in olei omphacini sextariũ Italicum unũ iniectis, addita uini odorati adstringẽtis quarta sextarij parte. Coquuntur hæc ad lentã prunam, donec folia arefiãt ac confringãtur, & uinũ consumatur. Deinde oleũ purum excolatur, & uitreo uase excipitur, ac reponitur. Adstringit & frigefacit hoc oleũ, amplius quàm lentiscinũ ac melinum, & propterea irrigationibus stomachi & hepatis non cõpetit, sed neq; alia uiscera benigne tractat. Experientia plurima usum eius reperit in ceratis ac emplastris, per quæ densare ac repellẽdo adstringere oportet. Cõmodat allabentibus fluxionibus, & humectis ulceribus cicatricem inducit. Cohibet pilos capitis mulierum, & est odoratũ.

Oleum Mastichinum.

Mastichinum oleũ fit, mastiches uncia una, in olei ualde acerbi sextarium unum immissa. Coquitur autẽ in duplici uase. Calidum est moderatè, & densandi ac obstruendi meatus ui præditum, si quidem partibus moderatè firmari adstringiq; ac calfieri indigentibus adhibeatur.

Oleum Styracinum.

Styracinum præparatur sic: Olei dulcis optimi sextarius

rius unus, styracis pinguis sextans, coquuntur in duplici uase, donec styrax uim suam in oleũ deponat. Paulo calidius hoc est quàm anethinum. Verum ualde mollitoriũ, & propterea corpora indurata præclarè attenuat & emollit.

Oleum Sicyonium.

Sicyonium oleũ sic preparatur. Olei dulcis sextarij decem, fœnigræci sextarius unus, libanotidis quadrãs, polij quadrans, sampsuchi quadrans, tædarũ triens, aristolochiæ libra una, meliloti semissis, cucumeris syluestris radicis libræ duæ, aquę quod satis est. Coquuntur hæc uelut oportet, & excolata in usum uertuntur.

Oleum Metopium.

In Aegypto præparatur oleum Metopium appellatũ, propter galbani lignum, fit ex oleo omphacino & amygdalis amaris, cardamomo, iunco rotũdo odorato, melle, uino, calamo odorato, carpobalsamo, galbano, & resina. Est calfactorium: Venarum oscula aperit, attrahit, & purgat ulcera. facit ad musculos ac neruos cõcisos. facit ad hernias aquosas, & in summa uim mollitoriam habet.

Oleum Mendesium.

Mendesium oleum maxime emollit, & corpora laxat, & pus facit. Componitur ex oleo myrobalanino, & myrrha, casiaq́ ac resina. Quidam spissandi gratia etiam cinamomum inspergunt.

Oleum Megaleum.

Quod Megaleum oleum appellatur, quondam præparabatur, nunc autem in usu non est, pręparatur similiter ut amaracinum, nisi quòd resinam recipit. & ad eadem efficax est.

Oleum Amaracinum.

Amaracinum oleũ sic præparatur, herbæ sabinæ, ligni balsami, calami aromatici, floris iunci odorati, nardi celticæ, costi, singulorum libras v. amomi, casiæ, carpobalsami singulorum lib. III. myrrhę lib. I. Vini odorati sextarios v. Coquito uelut Nardinũ. Vis eius calfactoria sicut nardini, non autẽ adeò corroborat, uerum magis tenuiũ partium est magisq́ mitigatorium ac lene, propterea quòd opobalsamum non recipit. Mulieribus in uteri sinum iniectũ menses ducit. Estq́ omnino calidũ, emollit, ac aperit ora uenarum. Cõmodat fistulis, & ramici aquoso post chirurgiam. facit ad crustas & ulcera efferata, facit ad urinæ difficultatem circumlitũ sedi. facit ad uteri inflammationes ac duritias, & hæmorrhoidum oscula aperit.

Oleum Cyprinum.

Cyprinum oleum recipit olei sextar. XXV. cyperi, helenij, iridis, singulorũ libram unã, sampsuchi, hyssopi utriusq́ quadrantẽ, seminis uiticis quadrantem, saluiæ quadrantẽ, floris cypri siue ligustri libram unã. Et hoc duabus cocturis coquitur. Nam reliquæ omnes species uino odorato rigatę pridie, postea oleo infarctæ coquuntur ad horas sex, sequenti die oleum excolatur, & affusa aqua pura tertia olei parte, flos cypri inijcitur, unà cũ tenerioribus ramulis non cõtusis, si uero siccus sit, contusis, atq́ ita coquitur hora una. Calfacit cyprinũ non instrenuè, estq́ tenuiũ partium, & ad uteros amplius perfrigeratos ualde cõmodum. Nam crassos in ipsis humores attenuat. Cæterum ubi copia fuerit herbarũ uiridium, cyprinum sic præparatur. Nimirum ex olei sextarijs XV. caperi, helenij, iridis, singulorũ semisse. sampsuchi, hyssopi, saluiæ, singulorũ sextante. uiticis foliorum uiridium sextante. citri foliorũ uiridium quincunce. chamælibani uiridis triente. lauri foliorum uiridium quincunce, cypri florũ dextãte, opobalsami semisse.

Oleum Irinum.

Irinum oleum recipit iridis, aspalathi, cyperi, helenij, singulorum lib. v. opopanacis semissem, quidã uero quadrantẽ, anchusæ sextantem. Olei sextarios XXX. aquæ sextarios XV. Cõtunduntur omnia crassius, & macerantur biduo, deinde coquũtur horis sex, deinde inijcitur opopanax uino præmaceratus ac tritus. Aliquando ad prædicta additur floris iunci odorati semissis, casiæ quadrans, ligni balsami, nardi celticæ utriusq́ semissis. Vis huius calfactoria est, sed non acris, propterea perfrigeratis partibus commodat roborandiq́ ac molliendi uim quandam possidet.

Oleum Nardinum Cyzicenum.

Nardinum Cyzicenum quod in Alexãdria præparaui, ualde cõmodum est, & recipit olei acerbi sextar. XII. Italicos, aspalathi, cyperi, iridis Illyricę. Seminis cardamomi, aristolochiæ, casiæ ligneæ, singulorum sexcũcem, helenij, ligni balsami, floris iunci odorati, casiæ, costi, singulorũ semissem. amomi, folij malabathri, spicæ nardi, styracis, carpobalsami, singulorum quadrantẽ. opobalsami quadrantẽ. herbæ sabinę unciam unã. Præparatur hoc modo. Aspalathus, cyperus, helenium, xylobalsamum, iridẽ, aristolochiam, decorticato & crassius cõtundito, ac triduo aqua calida macerato. Deinde affuso oleo coquito assiduè agitando, & aquã paulatim instillando, prout prior consumitur, & ubi tres aut plures coxeris horas, contecta iam cocta pernoctare sinito. Sequẽti die extractis his quę cocta sunt, & aqua ab oleo separata, rursus coquito alia aqua pura, ac modico uino affuso, et ubi ebullierint primum cardamomũ adijcito, deinde florem iunci odorati, & casiam ligneam contusa, coquitoq́ ad horas duas, ac rursus pernoctare sinito. Tertia die similiter extractis his, & alia aqua rursus addita coquito, & quum efferbuerint, casiã, costum & reliqua singula seorsim cõtusa ac trita, seorsim inspergito, postremum autem spicam nardi, & folium malabathri, & styracem, in tenuissimas partes cõminutum, & ubi eliquatus fuerit, statim ab igne tollito & opobalsamũ addito, diligenterq́ agitato, & operculo imposito ac probe uelatũ ad biduũ sinito, atq́ ita conchula excipito. Porrò Secũdarium sic præparatur. His quæ ex tertia coctura superfuerint, olei sextar. VI. adijcito, & duabus horis ebullire sinito, deinde casiæ tenuissimè tritæ sextantẽ. nardi celticæ sextantẽ, herbæ sabinæ drach. IIII. styracis unciam unam. opobalsami sextantem addito. Nardinũ uim habet calfactoriam, roboratoriam, ac mitigatoriam. Quare stomacho perfrigerato, & inualido, item uentriculo atq́ iecori eodem modo affectis commodissimum est. Infunditur per sedem quoq́ in intestinis perfrigeratis. Item in uteros muliebres. Vsus est omnino præstantis & eximij.

Præcoctura Nardini.

Vini ueteris lib. XV. foliorum dendrolibani lib. I. rasdi lib. III. calamocrini libr. III. brullocyperi. libr. IIII. Hæc omnia in præcocturã mitte, ferueant horis XII. & ubi euacuata fuerint in uas purũ, & cacabus per spongiam detersus, rursus infundis uini lib. XV. & illud oleum desuper.

Nardini

Nardini præparatio alia.

Nardinum quod in Ecclesia præparatur. Tachis librã, cinamomi libram, caryophyllorum libram, amomi libram, florum iunci odorati libram, calami aromatici librã, ligni aloës librã, nucum myristicarũ librã, cachrÿ libram, xantocaryorum, hoc est, nucum flauarum libram, maceris libram, galangæ libram, balsami libram, carpobalsami libram, xylobalsami librã, myrobalani libram, foliÿ indici libram, casiæ librã, ligni caryophylli libram, piperis longi libram, piperis albi libram, piperis cõmunis libram, laseris chaldaici librã, nardi celticæ libram, thymiamatis librã, myrrhę troglodyticę libram, costi libram, musci libram, ambræ librã, gomphiti librã, ladani libram, terebinthinæ librã, uini odorati quod satis est.

Nardini alia præparatio.

In præcoctura uini ueteris lib. XV. foliorum dendrolibani libram I. foliorũ myrti lib. I. rasdi lib. III. calamocrini lib. III. brullocyperi lib. IIII. Hæc omnia in præcocturã mitte ut ebulliant horis XII. & ubi euacuata fuerint in uas purũ, & cacabus per spongiam detersus, rursus infundis uini li. XV. & oleũ illud desuper. Sit autẽ intrita siue intrimentũ, cinamomi lib. III. galangę semisis, caryophyllorũ triẽs, spicę quadrans, nucũ flauarũ quadrans, ladani puri quadrãs, terebinthinæ unciæ XVIII. xyloaloës sextans, costi triens, laseris bucellarÿ libræ quatuor, thymiamatis regÿ quadrans. Hęc contusa & cribrata ac cum oleo præcocturę unita coquito iuxta experimentum, ut neque comburantur, nec rursus defectuosa coctura fiat.

Alia Nardini præparatio, Ioæ Vngentarÿ.

Olei sextar. XII. aspalathi lib. IIII. xylobalsami lib. II. costi quadrantem. casiæ ligneæ trientem, carpobalsami semissem, amomi trientem, styracis calamitæ sextantem, opobalsami sextantem.

Alia præparatio Nardini, Ioæ Vngentarÿ.

Costi sextantẽ. foliorũ indicorum trientẽ. casiæ semissem. myrrhæ semissem. ligni caryophylli semissem. carpobalsami trientẽ. spicæ nardi trientẽ. calami aromatici unciam unã. iridis sextãtem. styracis pinguis dodrantem. croci drach. IIII. olei sextarios VI.

Oleum Salcas.

Olei Salcæ præparatio quã in Alexãdria paraui, optima est, & recipit, Aspalathi semissem. xylobalsami dodrantẽ. cyperi trientẽ. helenÿ, iridis utriusq; semissem, calami aromatici uncias XVIII. floris iunci odorati sextantem & unciæ dimidium. styracis pinguis sextantẽ. nuces Indicas duas. foliÿ uncias XVIII. spicę nardi unciã unam. caryophylli, arnabo, utriusq; sesquunciam. amomi quadrantẽ. casiæ sextantem. costi unciã unam. myrrhæ unciã unam. hypni, xylocasiæ utriusq; quadrantẽ. Olei sextar. X. Coquitur modo relato in nardino, ita ut in prima coctura inÿciatur xylobalsamũ, iris, cyperus, helenium, xylocasia decorticata & crasius cõtusa, & aqua ad biduum aut triduum macerata. In secunda autem coctura inÿcitur calamus, flos iunci odorati, hypnon, pręrigata uino ueteri odorato. In tertia reliqua: fit & secundariũ hoc modo. His quæ à tertia coctura superfuerũt adÿciuntur olei sextarÿ sex, & quantũ satis est coquuntur. Deinde inÿcitur myrrhæ stactæ bonę albæ quadrans. Siromatis, hoc est, aquæ opobalsami semisis. mastiches semisis. styracis boni uncia una. Vtuntur oleo Salcę mulieres caput ex eo ungentes. Est autem relata præparatio longe optima.

Foliati siue malabathrini præparatio optima.

Foliatum oleum recipit aspalathi uncias XVIII. ligni balsami lib. II. cyperi lib. V. helenÿ lib. V. foliorũ malabathri trientem. amomi semissem. xylocasiæ trientem. myrrhæ trientem. costi dodrantem. styracis primarÿ lib. I. cassami siue carpobalsami semissem. calami aromatici lib. V. spicę nardi sextantẽ. caryophylli trientẽ. siromatis quæ est aquosa fex ac residentia opobalsami semissem. arnabo semissem. cardamomi semissem. iridis librã unam. Olei sextarios XX. Vini odorati quod satis est. Coquitur uelut Nardinum.

Vngenta odorata quibus commodent.

Vngenta odorata frigidioribus capitibus magis conueniunt, quàm moderatè calidis, atq; illis hyeme. Nã calidioribus nõ sunt apta. Si uero quis odoris gratia talibus uti uelit, rosacei parẽ modum ammiscebit. sic enim par pari ammixtum non amplius nociuũ est. Quandoquidem uero multæ mulieres tam calida capita habent, ut nullum calidũ oleum perferre queãt, his consultum est solo omphacino uti, quandoq; uero etiã rosaceo. Quædam uero ex ipsis omnino non utũtur oleo, propterea quòd capita ipsarum cito humectentur, & destillationibus obnoxiæ fiant, quas sanè ad unguentorum illitionem cogere non oportet. Nam hæc siccatione capitum opus habent, per commodas puluisculorum aridorum inspersiones, non humectatione per illitionem oleorum.

Olei suffumigabilis præparatio.

Oleum quod suffumigabile appellatur sic præparatur. Vnguium aromaticorũ magnorum quincuncẽ. thuris masculi, styracis primarÿ, bdellÿ puri, costi, singulorum quincuncem. olei boni dulcis sextar. V. hypni quod satis est. Costũ in crassas partes secato, similiterq; styracẽ ac bdellium, deinde simul permixta in uas nouũ testaceum ansis carens immittito, & osculũ eius hypno integito, ac forinsecus ad hypnũ aspalathi ligna, aut alicuius alterius odoratorũ generis surculos addito ac obturato, ut nihil ex uase excidere queat. Deinde aliud testaceũ uas ansis carens, & longi colli osculũ habens accipito, ita ut osculo eius congruat quod prædictas species in se continet, & in ipsum olei dulcis sextarios V. mittito, & effossa terra uas quod oleum habet usq; ad collum obruito, ut ne ignescat. mox alterũ uas in caput resupinatũ osculo eius quod oleũ continet adaptabis, forinsecusq; totũ circũcircà luto oblines, similiterq; oscula utriusq; coaptata, & sicca resines, sequenti die carbones multos circũpones, integesq; ex ipsis undiquaq; totum uas, ignemq; accendes ac uentilabis. Ignem autem accensum marcescere ac extingui sinito, ut paulatim cãdefactæ per osculum uasis species oleum suppositum ipsis suffumigent, qua gratia suffumigabile appellatur. Deinde postera die aperito, oleumq; tollito ac seruato in uitreo uase, ac utitor. Hoc utuntur mulieres quibus menses retinentur, illinentes ex eo pectinem & lumbos. Conuenit etiã his quæ nõ pro ratione in partu purgantur similiter illitum. Vtile est etiã perfrigeratum pectus habentibus, & tenasmis infestantibus prodest, calidum lana conuoluta exceptum, & pectini ac lumbis impositum.

De ungentis reliquis.

Ex his iam facile est etiam de alÿs oleis iudicare, quæ

Vngentorum quoque cognominationem habent. Etenim iuxta naturam eorum quæ inijciuntur, oleũ alterabitur, quorum singulorum uim in hoc sermone deinceps condisces. Cæterum de reliquis remittentibus ac laxantibus unguentis, in sermone de medicamentorum compositione, post auxilia articularia dicetur, uelut est gleucinum & consimilia.

Elaphoboscon.

Elaphoboscon calidam & tenuium partiũ uim habet, ideoq; secundo ordine siccat. Conuenit ad uenenatarum bestiarum plagas, & in potu, & in cibo.

Elenium siue Helenium.

Helenij radix maximè in usu est. Dici potest calida & sicca, non tamen exactè uelut piper, sed cũ humiditate superflua, & propterea in linctus ac eclegmata, ad crassos & uiscosos humores ex pectore ac pulmone educendos, commodè miscetur.

Elelisphacos, Saluia.

Saluia calfactoriã uim euidenter habet, & leniter subadstringentẽ. Quidam narrant suffitã super prunas, menses immodicè fluidos mulieribus sistere, itemq; muliebrem fluxum. Agrippa autẽ inquit, saluiã herbam sacrã leænæ prægnantes uorant. Nam uitalem conceptũ continet. Quare si succi eius heminam unã cũ modico sale mulier bibat, quarta à puerperij purgamentis die, & uiro condormiat, infallibiliter concipiet. Aiunt cùm in Copto Aegypti pestis grassaretur, eos qui superfuerunt in ea regione coëgisse mulieres & uxores suas, ad huius succi potentem adeò usum, & ad plurimã sobolem peruenisse. Orpheus autẽ inquit, Sanguinem spuentibus succi saluiæ cyathos duos cum mellis uncia una dato, ieiunis in potu, & statim sistetur. Verum phthisicis ac tabidis ait, catapotia præpara hoc modo: Spicæ nardi drach. II. seminis saluiæ tosti tusi ac cribrati drach. XIIII. piperis drach. XII. excipe succo saluiæ, & redige in catapotia, ac exhibe drachmam unã mane ieiunis, itemq; in uesperam, & aquam puram insuper bibendam.

Elleborus, Veratrum.

Veratrum album & nigrum extersoriæ ac calidæ facultatis sunt, quapropter & ad uitiligines & impetigines psorasq; ac lepras cõueniunt. Et sane uirga etiã nigri in fistulã immissa callosam, in duobus aut tribus diebus callum consumit. Ponantur autem in tertio ordine calfacientium ac siccantium, purgat nigrũ humorem atræ bilis, magisq; per uentrem infernè. Album uero per eundem supernè, crassos ac uiscosos humores per uomitum expurgãs, mouet autem & uentrem infernè.

Elxine, Muralium, Parthenium, Perdicium.

Hanc aliqui parthenium, alij perdicium, alij muralium siue herbã muralem appellant. uis eius est extersoria, & leniter adstringens cum subfrigida humiditate. unde omnes inflãmationes sanat in principio ac augmento usq; ad uigorem, & maxime calidas. Sed & furunculis incipientibus imponitur. Et succus ipsius cum rosaceo ad aurium dolores modicè inflãmatos conuenit. Quidã succum gargarizant ad tonsillas inflãmatas. Quidam medici etiam in tussi inueterata exhibuerunt, propter manifestam uim extergendi. facit & ad alopecias ac impetigines ipsa herba per se asiduè affricta. Aperit & hęmorrhoidas sedis, & fistulas sanat, & sinus occludit, cum modico sale trita & cataplasmatis modo imposita.

Elymos, Panicum, Meline.

Panicum Gręcis elymos & meline uocatur. Est autem simile milio forma ac facultate, parum nutrit & siccat, & sanè uentris fluxiones sistit, quemadmodum etiam milium. si uero forinsecus in cataplasmate imponatur, siccat & perfrigerat.

Empetrum siue Epipetrum, Prasoides

Empetron solis purgationibus cõmodum esse uidetur, pituitam ac bilem ducens. Saporem habet salsum, ut etiam ad alia eo quis uti posit, ad quę uidelicet salsæ substantiæ usus est. Appellatur etiam prasoides.

Epithymum.

Epithymum per omnia fortiorem thymo facultatem habet, siccans ac calfaciens in tertio ordine sine distantia à temperatis. purgat humorem atræ bilis.

Erebinthus, Cicer.

Cicer legumen est flatuosum, probè nutriẽs, uentri cõmodum, urinã ciens, lac & semen generãs, mensesq; ducens. Decoctum ipsius etiã calculos in renibus atterit, maxime nigri. Alterum ciceris genus orobiæũ appellatum, uim habet attractoriã, discussoriam, sectoriamq; ac extersoriam. Quare & lienem & iecur & renes expurgat, scabiemq; ac impetiginẽ exterit. Item parotidas ac testes induratos discutit. maligna quoq; ulcera sanat cum melle.

Erpylos, Serpyllum, Zygis.

Serpyllum calfactoriã uim usq; adeò habet, ut menses & urinas moueat. Est autem & gustu satis acre. Duę eius species sunt. Altera hortensis sampsuchum odore referẽs. Altera syluestris quæ & zygis appellatur, non serpens, sed ramulos erectos, tenues, sarmẽtosos habens, folia ferme similia rutæ, subangusta & longiora, ac duriora, flores gustu acres, odoris iucundi. Radix autẽ inutilis est. Nascitur in petris, efficacior & calidior quàm hortensis, itemq; ad usum medicũ accõmodatior. Mẽses enim & urinas ciet pota. Prodest & ad tormina, conuulsa, rupta, hepatis inflãmationes, & ad reptilia ac serpentes, tum in potu accepta, tũ cataplasmatis modo imposita. Mitigat & capitis dolorem cum aceto cocta, capite ex ea irrigato, rosaceo ammixto. Maximè autem in lethargicis ac phreniticis inueteratis congruit. Sedat & sanguinis sputum, drachmæ unius pondere cum aceto pota.

Erysimon, Irio.

Erysimi semen uelut sapore nasturtio simile est, sic etiã facultate ipsi adsimilatur, feruens & calfactoriũ existens. Quãdo uero usus eius in eclegmate expetitur, prẽstat ipsum aqua maceratum torrere. Commodat in eclegmatis ad crassorum ac uiscosorum humorũ in pectore ac pulmone eductionem ac per sputũ expurgationem. Iuuat parotidas induratas, & duritias ueteres mãmarum ac testium. Dioscorides ait in cataplasmate cum aqua aut melle impositum, etiã occultis cancris mederi.

Erythrodanum, Rubia tinctorum.

Erythrodani radix rufa qua tinctores utũtur, acerba est & subamari saporis, unde & iecur & splenẽ purgat, & urinas crassas, ac multas, aliquando etiã cruentas euacuat. itemq; menses propellit. Moderatè quoque exterget ea quæ extersione opus habet. Itaq; uitiligines albas exterit illita cũ aceto. Quidã & in potu exhibent ipsam ischiadicis ac resolutis ex aqua mulsa.

Euzomon, Eruca.

Eruca olus palàm calfacit, sed & semen generare creditur

tur, & impetus ad uenerem excitare. Capitis autem dolorem inducit, atq; hoc magis si quis ipsam solam edat. Quapropter cum lactucæ folijs ipsum edere oportet.

Eupatorium.

Eupatorium tenuium partiũ uim habet, extersoriamq; ac sectoriã, citra manifestam caliditatem. Quare obturationes iecoris expurgat. Est etiam modicę adstrictionis particeps, per quam hepati firmitatem addit.

Euphorbium.

Euphorbium ustoriam & tenuium partiũ uim habet, similiter ut alij succi.

Z. *Zea.*

Zea media quodammodo est inter triticum & hordeum, ut ex illis cognobilis fiat.

Zingiberi.

Radix zingiberis fortiter quidem calfacit, sed non primo statim occursu uelut piper, propterea quòd crassiorum partium uim, aquosamq; ac excremẽtitiam substantiam possidet, ob quam etiam facilè à teredinibus perforatur.

Zythus.

Zythus acrior est quàm hordeum ex quo fit, & mali succi, nimirum ex putrefactione factus. Est autem & flatuosus.

Zima, fermentum.

Fermentum tenuium partiũ est moderatè calidum, & propterea citra molestiam ac mordacitatem, ex alto extrahit simulq; discutit. Compositum est autem ex contrarijs facultatibus, aciditate frigida, & caliditate putredinosa, insuperq; salis & farinæ, iuxta utriusq; naturam.

H *Edyosmon, Menta, Minthe.*

Mentam Greci hedyosmon, aliqui minthen odoratam appellãt, uim habet calidã ut propè attingat tertium ordinem, uerũ ex hortensi cultu humiditatis superfluæ particeps est, quapropter & ad uenerem moderatè stimulat, & ob hoc tẽperamentum etiã cum polenta in cataplasmata uenit. Cæterum ob amaritudinem lumbricos necat, & decoctum eius per triduum consequenter potũ, colicis ualde prodest. Acerbitas porrò ipsius recens sanguinis sputũ cohibet, si cum posca bibatur. Tenuium partium ut si qua alia herba existit.

Edysarum, Securidaca, Pelecinus.

Hedysarum etiam pelecinus dicitur, itemq; securidaca, & inuenitur fuluum aut pallidum colore semen ancipiti acie ad similitudinem securis. Amarum autem & subacerbum apparet, unde in potu stomacho cõmodum est. Expurgat uiscerũ obturationes, id quod & totius fruticis ramuli faciunt.

Emerocalles.

Hemerocalles radicem habet similem lilij radici figura ac uiribus, quare similiter ut illa ambustis prodest. Nam discussoriã leniter uim habet, simulq; repulsorium quiddam possidet.

Erigeron, Senecio.

Senecio uim habet mixtam, frigidã, simulq; moderatè discussoriam. Et propterea medicamentis sedis commodè miscetur, cohibet & sanguinis sputum succus potus, & lumbricos occidit, & hepaticis prodest, & inflammatis efficax cataplasma est.

Eryngium.

Eryngium caliditate aut parum quid à temperatis, aut omnino nihil abscedit, siccitatis autẽ tenuiũ partium non modicæ particeps est. Radix eius aqua feruefacta & ipsa aqua in potu sumpta, colicos sanat, cum aqua mulsa feruefacta, calculosos, urinę stillicidium, eiusq; emittendę difficultatem, & nephreticos curat. Bibendum est autẽ hoc eius decoctum per dies XVI. ieiunis, itemq; ad noctem dormituris. Si uero lauer simul cum ipsa incoxeris, & potandum dederis, melius res procedet. Affirmauit mihi quispiam se ex assiduò eius usu, calculos per lotium eijcere desijsse, cum antea frequentissimè eo uitio diuexaretur.

Θ *Thapsia.*

Thapsia acris & fortiter calfactoriæ unà cũ humiditate facultatis est. Itaq; ex alto uiolenter attrahit, & attractum discutit. Verum lõgiore tempore opus suũ perficit, propterea quòd superflua humiditate largiter redundet, ob quam etiam facilè corrumpitur.

Thermus satiuus, Lupinus.

Lupinus edulcatus per cocturã, in cibo acceptus ægrè cõcoquitur, & alimentũ corpori præbet crassi succi, & crudos humores generat. Aluum autẽ neq; ducit, neq; sistit. At uero ut pharmacũ, edulcatus quidem, uim obducẽdi meatus habet. Qui uero insitam à natura amaritudinẽ habet, extersorius & discussorius existit. Occidit lumbricos cũ melle delinctus, aut cũ posca potus. Sed & decoctũ ipsius lumbricos expellere solet potũ, & per clysterẽ infusum. Farina quoq; eius forinsecus cum bubulo felle umbilico imposita idẽ præstat. Et sanè decocti fomentum foris admotũ uitiliginibus prodest, & capitis ulcusculis manantibus, eruptionibus papularũ, scabiei, gangrænis, ulceribus malignis, partim extergẽdo, partim discutiendo, & citra mordacitatẽ siccãdo. Expurgat etiã iecur & lienẽ cum ruta & pipere, iucunditatis gratia adiectis. Extrahit & menses, & fœtus, cũ myrrha ac melle appositus. Farina etiam lupinorum discussoria est. Non enim liuida tantum, sed & strumas & tubercula dura sanat, sed tũc in aceto, aut aceto mulso, aut posca eam coquere oportet, iuxta ægrorũ uidelicet temperamenta, & affectus differẽtiam oportuno liquore inuento. Discutit & liuida farina ipsa, reliquaq; omnia quæ prius in decocto relata sunt. Quidam & ischiadicis in cataplasmatis imponunt.

Thermus syluestris, Lupinus erraticus.

Syluestris Lupinus amarior & fortior est ad omnia satiuo: aliàs in genere eandem uim possidens.

Thlaspi.

Thlaspios semen uim acrem adeò possidet, ut etiam internos abscessus potum rumpat, & menses ducat, & fœtus perimat. Per sedem immissum coxendicũ morbis prodest cruenta euacuando, & aliàs quoq; purgatoriam uim habet supernè ac infernè humorũ biliosorum, acetabuli mensura potum.

Thridax, Lactuca.

Lactuca humidũ ac frigidum olus est, non tamẽ externè, sed iuxta fontanarũ aquarum frigiditatẽ, quapropter ad inflãmationes conuenit, & ad parua ac leuia erysipelata. Edulium est sitim sedans, & somnũ concilians, maximè feruefacta cũ posca diluta sola comesta. Sed neq; incõcoctilis est uelut alia olera, neq; excretionem per aluũ inhibet, neq; promouet, & propterea neque mali succi sanguinẽ generat, non tamen perfectè boni succi. Semen potum seminis effluxum cohibet, unde & his quibus per somnum id effluit

datur. Cæterum syluestris lactucæ succus cum muliebri lacte illitus, argemata & inustiones, quæ oculorum ulcera sunt, itemq; caliginem depurgat.

Thymus.

Thymus incidit ac calfacit manifestè ut tertij ordinis sit calfacientiũ, & propterea urinas ac menses ducit, ac fœtus detrahit, & uiscera purgat potu, adiuuat pectoris ac pulmonis excretiones. Atq; hæc quidẽ Galenus. Verũ experimento sequentia cõstãt. Arthriticis thymi sicci minutißimè triti drach. IIII. cũ aceti mulsi hemina dimidia dato ieiunis: purgat enim bilẽ, & acres serosos humores, & quæ circa uesicam hęrent. Ventre autem eleuato, quũ intumescere iam incipit, drach. I. cũ aquę mulsæ hemina exhibeto ieiunis. Ad lumborũ ac coxendicum dolorem laterisq; ac pectoris, & pręcordiorũ eleuationes ac inflationes, drach. III. cũ aceti mulsi diluti hemina una dato ieiunis. Similiter & melancholicis & mente perturbatis, & timore perculsis drach. III. dato cũ aceti mulsi diluti hemina una. Lippientibus & in uehementi oculorũ dolore similiter dabis ieiunis & ante cœnã. In podagricis doloribus ita auctis ut moueri non posint ægri, similiter dato cũ uino diluto. In testibus eleuatis similiter drach. III. ieiunis dato cũ hemina uini una. Verũ tamen à nigro thymo elleboro appellato penitus abstinendũ est. Corruptoriã enim uim habet, & bilẽ generat. Vtere autem eo qui florem purpureum habet ex natura, & album quid amplius complectitur.

Thymbra, Satureia.

Satureia hortensia consimilem thymo uim habent, sed sunt multò debiliora.

I *Intybi.*

Intybi lactucis consimilem uim habent, sed tamen iucunditate multum inferiores existũt: item ad reliqua omnia de lactucis relata minus efficaces sunt.

ἰξός, Viscum.

Viscum ex plurima aërea & aquea substantia calida, minima autẽ terrea constituitur. Itaq; plus acrimoniæ in se habet, quàm amaritudinis. Quapropter humores ex alto fortiter trahit, non tenues solũ, sed etiã crassiores, eosq; diffundit ac discutit. Est autẽ ex medicamẽtis nõ statim calfacientibus post primã impositionẽ, sed quæ tẽpore indigent, uelut etiam thapsia.

Ion, Viola.

Violæ folia aquosam & subfrigidam substãtiam prædominantem posident, propterea & per se & cũ polenta in cataplasmate imposita, inflammationes calidas mitigant. Imponuntur & in ardore oris uentris, itemq; oculorum.

Ippuris, Equisetum.

Hippuris adstringentẽ cum amaritudine qualitatẽ habet, et propterea siccatoriã fortiter simulq; citra mordacitatem. Vulnera igitur maxima in cataplasmate imposita glutinat, etiã si nerui dissecti sint, itemq; herniam intestinorũ. Sed & sanguinis sputũ, & fluxum muliebrẽ, maximè rufum, insuperq; ad dysenterias aliasq; uentris fluxiones, generosum pharmacũ existit herba ipsa cũ aqua, aut uino pota. Quidam de ea produnt, uesicæ etiã aliquando ac tenuium intestinorum uulnera curasse. Succus eius sanguinis è naribus eruptiones iuuat, & fœda uetris uitia, cum uino aliquo austero potus, aut in febrientibus cum aqua.

Isatis, Glastum.

Isatis satiua qua tinctores utuntur, fortiter siccantis facultatis est, nondũ mordentis, amaræq; simul ac adstringentis. Quapropter magna uulnera durorũ corporum glutinat, etiamsi in musculorũ capitibus existant. Sanguinis eruptionibus utile cataplasma præbet, & tumores laxos mirabiliter discutit, simul ac cõtrahit, & aduersus omnia maligna ulcera efficaciter resistit, siue cõputrescant, siue erodantur. Quòd si pro ægri natura ac uiribus fortior appareat, ad folia ipsius trita, aut panẽ, aut ordeaceã farinã, siue triticeã, aut etiã polentã ammiscere oportet, iuxta prædominantẽ in unoquoq; dispositionem ac affectionem.

Isatis syluestris.

Syluestris Isatis acre quid habet manifestũ iã in gustu & actione, & propterea magis siccatoria quàm satiua existẽs, aduersus humidas putrescẽtias fortius reluctatur. Verũ ad alia prædicta deterior est: immodicè enim & cũ mordacitate hæc siccat, iritatq;, & inflammationes excitat. Cæterum fortitudinis facultatis suæ gratia, etiam splenicis utilis existit, quibus satiua non profuit.

Itea, Salix.

Salicis folijs uti quis potest ad uulnerũ cruentorũ glutinationẽ, imò & flore ipsius quo omnes Medici ferme utuntur ad emplastri siccantis compositionẽ. Est enim uis ipsorũ siccatoria citra mordacitatẽ: habent autẽ & adstrictionis aliquid. Quidam succũ ex ipsis exprimunt, eumq; pro pharmaco habent mordacitatis expertæ ac siccante, ad multa utili. Cortex quoque arboris cõsimilem floribus ac folijs uim habet, præterquàm quòd siccior tẽperamẽto præditus est, quemadmodũ omnes ferè cortices. Quidã hunc exurunt, & cinere utuntur ad ea quæ forti resiccatione indigent. Itaque clauos ac callos, insuperq; uerrucas myrmecias appellatas, eo eximũt aceto acri subacto. Aliqui tẽpore floris corticẽ incidunt, succumq; quẽdam inde colligunt, quo utuntur ad uitia quæ pupillis tenebras obducunt: est enim medicamentũ extersorium ac tenuiũ partium. Quare etiã ad alia multa eius usus assumi queat, quum tali facultate præstet.

Calaminthe.

Calaminthe tenuiũ partiũ substantiã habet, estq; calida & sicca tertio ordine: sicca per se ex aqua mulsa pota manifestè calfacit, & sudores ciet ac discutit, & siccat totũ corpus, quapropter aliqui ipsa usi sunt & ad rigores per circuitũ repetentes, cocta in oleo, & illito inde toto corpore cũ frictione strẽnua, intra corpus uero assumunt uelut dictum est. Quin & coxendicis cataplasma est in ischiadicis generoso omnino auxilio; trahit enim ex alto ad superficiẽ, & totũ articulũ calefacit, & cutem manifestè adurit. Insuper & pota apposita menses efficaciter prouocat. Bonũ est & in elephantiasi medicamẽtum non solũ ob id quòd tenues humores discutiat, sed & quòd crassos attenuet & fortiter dissecet, qui sanè hoc morbi genus generãt. Sic & cicatrices nigras illustrat, & sugillata discutit. Præstat autẽ in talibus cocta in uino cataplasmatis uice imponere, uiridẽ magis quàm arefactã: siccata enim fortior euadit & prõptius inurit. Est & cataplasma in morsibus animaliũ uirus eiaculantiũ. At uero ob amaritudinẽ & ascaridas & lũbricos succus eius perimit tũ potus, tũ per sedẽ infusus, imò & uermes qui in auribus itemq; ulceribus nasci solẽt. Prodest & anhelosis & ictericis extergendo ac expurgãdo iecoris obturationes. Cæterũ ad omnia prædicta efficacior

efficacior est mõtana. Orpheus ait succũ eius cũ pari rosaceo & cerussa tritũ ad strigmentitiã crassitudinẽ ac illitum, ambustis mederi, & quod omnẽ opinionem superat, necq; cicatricem apparere, & locũ pilos producere. Si uero cũ cimolia terra & aloë, paribus portionibus acceptis succus teratur, indeq; frons ac tẽpora illinantur, capitis dolores euestigiò sanãtur.

Calamus aromaticus.

Calamus aromaticus modicã adstrictionem & quàm minimã acrimoniam possidet, maxima autem pars eius substantiæ terreæ ac aëreæ est, moderatæ caliditatis ac frigiditatis. Vnde & urinam moderatè ciet, & compositionibus stomachicis ac hepaticis quæ foris ipsis imponuntur ammiscetur, & in uteri fotus utiliter assumitur, qui inflammationibus, aut mensium iritationis gratia adhibentur. Ponatur itaque secundo ordine calfacientium ac siccantium, magis tamen siccantium quàm calfacientium.

Calamus Phragmites, Arundo Sepiaria.

Calami phragmitæ radix extersoriam uim non modicam habet, minimè acrem, folia tamẽ uiridia moderatè perfrigerant, itemq; non modicã extersoriam uim possident. Cortex eius ustus tenuium partium ac discussoriam uim abũde acquirit, & extersorium quid habet, ut calfaciat ac siccet tertio ordine, plus tamen siccans quàm calfaciens.

Cannabis.

Cannabis semen ægrè concoquitur, dolorem capitis inducit, & malum succum gignit. Si uero torreatur etiam sic caput tentat, multum calfaciendo, & uaporem calidum ac medicatum ad ipsum delegando. Ex eo uero quod sicco temperamento præditum est & flatus expers, genitale semen extinguit.

Capnion, Fumus terræ.

Herba fumaria acrem simulq; amarã habet qualitatẽ, necq; omnino expers est acerbę. Quapropter urinam multã biliosam promouet, & iecoris obturationes ac debilitates sanat. Succus eius uisum exacuit delacrymationẽ faciẽs. Ipsa herba arida trita aquę mulsæ inspersa ac pota, uẽtrem mollit. Vino autẽ diluto similiter inspersa, stomachum corroborat. Dato cõfidenter & decoctũ ipsius quomodocũq; febricitibus.

Capparis.

Capparis radicis cortex prędominantẽ habet amaram qualitatem, secundo loco acrem, & deinceps acerbã, ex quo palàm fit ex diuersis ac pugnantibus uiribus ipsum compositũ esse. Etenim extergere & expurgare ac incidere potest ob amaritudinẽ: calfacere autem & discutere ac attenuare per acrimoniam, cõtrahere uero ac cõstringere & cogere per acerbitatẽ. & propterea lienes induratos si quod aliud medicamẽtum curat, tum forinsecus cataplasmatis conuenientibus ammixtus, tum intra corpus acceptus, siue coquatur in aceto ex aceto mulso ac similibus, siue aridus tritus ijsdem inspersus: euacuat enim apertè uiscosos ac crassos humores sic acceptus, non per urinas solum, sed etiam per uentrem. Sæpenumero uero & cruenta egerunt hi in quibus lien opem sentit, & coxendicum dolores minuuntur. Quin & menses ciet, & pituitã à capite per os detrahit, & malignis ulceribus inspersus minutissimè tritus commodum pharmacum est, utpote extergere ipsa ualẽs & fortiter resiccare. Sed & dentium doloribus prodest cũ uino coctus aut aceto. Strumas quocq; et tumores duros discutit, si aptis ad hæc medicamentis permisceatur. Folia porrò & caulis, itẽq; semen siue fructus, consimilem cortici uim habent, nisi quòd debiliora existũt. Et sane ego memini me aliquãdo folijs solis strumosam duritiẽ intra paucos dies discussisse. Ammiscetur autem ipsis aliquid quod uehemẽtiam facultatis ipsorum obtundat. Nihil uero miri est, si etiam aurium uermes succus enecat ob amaritudinẽ. At uero fructus in muria cõpositus, deinde lotus ac maceratus, donec omnem salis uim deponat, medicamẽtum est ad excitandum appetentiam prostratã, extergendumq; ac subducendum uentris pituitam, & ad expurgandum obturationes lienis ac iecoris. Vtẽdum est autem eo cum commodo liquore, aceti mulsi, aut aceti oleo permixti, præ omnibus alijs cibis.

strumosç la

Cardamum, Nasturtium.

Nasturtij semen ustoriã uim habet uelut sinapi, & propterea ischiadicos, & capitis dolores, & quicquid rubefactione opus habet idipsum calfacit, quẽadmodũ sinapi. Ammiscetur cõmodè & medicamẽtis ad anhelosos destinatis, nimirum ut medicamentũ crassos humores dissecare potẽs. Herba ipsa similem semini uim possidet: uerum imbecillior est. Quare comesta ualde calfacit. Capitis autẽ dolorem eadem inducit.

Cardamomum.

Cardamomum calidam facultatem abundè possidet, ut etiam exulceret in cataplasmate impositũ, minus tamen quàm nasturtiũ. Habet & amaritudinis quiddam in sese, ob quam etiam lumbricos enecat, & scabiem fortiter exterit cum aceto.

Caroum.

Caroi semen siccat & calfacit tertio ordine: acrem autem qualitatem moderatè possidet, & propterea flatus leuat discutitq;, & urinam ciet, non modo semẽ, sed tota planta.

Casia.

Casia calfacit ac siccat tertio ordine, estq; multũ tenuiũ partiũ: in gustu autem plurimum acrimoniæ habet, paruamq; quandam adstrictionem. Quare propter hæc omnia siccat simulq; discutit corporis superfluitates, & præterea robur organis addit. Cõmodat & ad suppressos menses, ubi prę copia simulq; crassitudine superfluitatũ, sufficienter euacuari prohibẽtur.

Carya, Nux arbor, Nux iuglans siue Regia,
Nux parua, Pontica, Auellana.

Nux arbor habet quidẽ tum in germinibus, tum in folijs aliquid adstringens, uerum insigniter & copiose in ipso nucis suæ cortice, & recenti & arido. Vtũtur itaq; ipso etiam tinctores. Nos autem eũdem exprimentes, succumq; similiter ut mororũ ac rubi, mororum cum melle coquẽtes, stomaticũ præparamus oris uitijs cõmodum medicamentum, quo etiam ad alia omnia utimur, ad quæ prædicti succi commodi existũt. Cæterũ ipsius nucis nucleus qui in cibi usum uenit, oleosus est & tenuiũ partium, particeps est autem & adstringentis qualitatis, sed modicæ & quæ temporis progressu euanescit, tota ipsius substãtia in pinguem succum transeunte, qui oleo ueteri similis apparet, & propterea omnino tandem edi non potest. At uero uiridis adhuc & recens nucleus, neque adstringentem qualitatem manifestè possidet, neque oleosam. Vnde ad alui excretionem commodior est quàm siccus, & maximè si cum garo, quẽadmodum aliqui faciũt, accipiatur. Sed & siccarum

nucum in aqua maceratarũ, uelut quidam facere solent, consimilis uis est ut uiridium. Concoquitur tamen melius nucis fructus, & stomacho commodior est, si cum caricis edatur. Aiunt si quis caricas cum nucibus ac ruta præ reliquis cibis comedat, eum non magnopere à letalibus medicamentis lædi posse. Porrò ex inueterata nuce oleum quoq; exprimi potest, quod abunde discussorium existit, ut quidam eo etiam gangrænas & carbunculos ac ægilopas curẽt. At uero putamen eius aridum ustum, tenuium partium siccatoriumq; & lene pharmacum euadit. Cæterum nux parua, quæ & Pontica, & Auellana appellatur, frigidior est & austerior, utpote magis terrea existens. In cæteris regię, siue iuglandi similis est. Capitis autem dolorem in cibo sumpta inducit.

Castanea.

De castanea eiusq; fructu dictũ est in querci tractatiõe.

Cenchros, Milium.

Milium frigefacit primo ordine, siccat aut tertio exoluto, aut secundo inteto. Est & modice tenuium partium. Vnde comestum instar edulij, omnium ferme eduliorum frumentacei generis minimi nutrimenti est, sed & aluum exiccat. Verum forinsecus impositum in marsupijs siue sacculis, fomentum est aptissimum his qui leni resiccatione opus habent.

Cedrus, Cedria, Septica.

Cedri species duæ sunt, utraque tertio calfacit ac siccat. Cedria uero quæ ex ipsis fit, etiam quartũ iam ordinem attingit. Est autem primi ordinis erodentiũ, septica Græci appellant, multum calida ac tenuiũ partium existens, teneras sanè carnes promptè simulq; citra dolorem corrodit caliditas ipsius, per caliditatẽ quæ in corporibus est aucta: uerũ in duris corporibus longiori tempore & uix tandem efficaciã suam ostendit. Vnde mortuorũ corpora incorrupta cõseruat, humiditates ipsorum superfluas depascẽs, solida autem corpora nõ attingens, propterea quòd non tã fortem uim habet, uelut alia erosiua appellata. Nihil uero miri est si eiusmodi ui pollet, quòd etiã pediculos, & lẽdes, & aurium uermes, & ascaridas in recto intestino enecare potest. Fœtus insuper apposita uiuos quidem necat, mortuos autem ejcit, quẽadmodum etiam ipsum semen genitale, in coitu pudendo oblita, & propterea sic usurpata medicamentũ conceptum impediens est nulli alteri posthabẽdum. Sed & dẽtium foraminibus instillata dolores quidẽ minuit, ipsos autem dentes confringit. Attenuat & oculorum cicatrices, & hebetẽ uisum ob crassitudinem humorum sanat. Quod uero pinguissimũ est ex ipsa & exactè oleosum, quod superextentis lanis dũ coquitur colligitur, tenuiorũ quidem partiũ est quàm tota cedria, uerum minus acre ac mordax, quãquam nõ minus, sed magis etiã quàm cedria efficax sit. Vnde & hoc idiotæ utuntur ad uulnera ouium in tõsura per forcipes illata, item ad scabiem, & ad ricinos. Cedri porrò baccæ & fructus cedrides Gręcis appellati, moderatiorem uim habent, ut etiã in cibi usum ueniãt. Si quis tamẽ plures ex ipsis ingerat, & caput dolet, & excalefacit, & oris uẽtris morsum percipit.

Centaurea magna.

Centaureæ magnæ radix ex contrarijs uiribus cõposita est. Itaq; in gustu acris simulq; adstringens apparet, cum quadã dulcedine. In actione uero acrimonia caliditatis opera exercet, menses promouens, & fœtus mortuos detrahens, & uiuentes corrumpens, simulq; ejciẽs. Adstrictio autem frigiditatis crassioris ac terreæ opera designat, tum uulnera glutinando, tum sanguinem spuentes iuuando. Dare autem oportet ex ea drachm. II. febrientibus cum aqua, febre carentibus cum uino. At uero iuxta omniũ qualitatum actionem & ruptis, & conuulsis, & spirandi difficultatibus, & inueteratæ tussi conuenit: nõ enim euacuare solum in his oportet quod pręter naturam est, sed roborare etiam ac firmare expurgata. Succus ad eadem ad quæ radix ualet. Quidam etiam eo pro lycio utuntur, illo non præsente.

Centaurea parua.

Centaureæ paruæ radix omnino inefficax est, ramuli uero & magis folia, & ipsorũ flores in usum ueniũt. Dominatur in ipsis qualitas amara, parũ quid adstrictionis possidens, & propterea fortiter siccatoriũ est pharmacũ absq; mordacitate. Magna itaq; & recentia uulnera glutinat herba ipsa uiridi in cataplasmate imposita. Vetera uero & ægrè cicatricem recipiẽtia, ad cicatricẽ perducit simili modo adhibita. Quin & sicca glutinatorijs ac siccatorijs cõpositionibus miscetur, quæ sinus ac fistulas curare solent. Sed & ueteres duritias mollire creditur, et maligna ulcera sanare. Miscetur & eis quæ fluidas affectiones sanãt. Decoctum herbæ quidã ischiadicis infundunt per sedẽ, uelut quod biliosum & crassum humorẽ ducat. Nã & purgat, & sanè ubi uehementer operationẽ suam exercebit, cruenta euacuat, & magis prodest. Succus eius consimilem uim habet, hoc est, siccatoriã & extersoriã, & tum alia prædicta probè efficere solet, tũ cũ melle oculis sublinitur, & appositus mẽses ac fœtus educit. Quidã ipsum bibendũ dant in affectis neruis, uelut euacuantem ac citra molestiã siccantem infarcta. Cæterum & ad hepatis obturationes bonum pharmacũ est. Bonum & lieni indurato, forinsecus impositus, neque minus si quis bibere uelit. Herba ipsa exsuccanda est circa summum uigorem, & flore prægnans. Datur succi cochleariũ unum cũ aqua calida, & sale modico, ac pauculo aceto, & purgat generose humorem atræ bilis. Coma eius contusa & cũ melle cocto, aut sapa in collyria formata, fistulas circunscarificat, & callos eximit, collyrijs in fistulas immissis. Corymbi eius tusi ac cribrati cochlearij mẽsura ischiadicis dãtur ieiunis cũ aqua calida, ad triduũ aut plures etiã dies. Eius certe pharmaci efficacia magno miraculo sæpe fuit. Et ad polypodas in naribus excrescentes idẽ medicamentũ siccũ inspergitur.

Cerasus.

Cerasus fructum fert moderatè adstringentẽ cum dulcedine: matura itaq; cerasa & dulcia magis per intestina subeunt, minus uero stomacho commodant, immatura & austeriora uice uersa. Gummi arboris uino potum calculosis prodesse quidam tradiderũt.

Ceratonia, Siliqua.

Siliqua arbor siccatoriam & adstrictoriã uim habet, quemadmodum etiam fructus eius, ceratia Græcis, nobis siliquę appellatæ. particeps est autem & alicuius dulcedinis. Siliquæ aliquam cum cerasis similitudinem habent. Virides enim & humidæ aluum magis subducunt: Siccæ magis sistunt.

Cestron, Betonica, Psychotrophon.

Betonica cestron & psychotrophon appellatũ, uim habet sectoriã uelut gustus indicat: amara enim & acris herba

herba existit, uelut etiam particularis actio ostendit. Nam & rhenum calculos confringit, & pulmonem ac pectus & iecur purgat ac extergit, & menses mouet, & comitiali morbo prodest, & ruptis ac conuulsis medetur. Acidum item ructum sedat, & ischiadicis conducit pota.

Cicis, Galla, Omphacitis.

Galla quæ omphacitis uocatur, abũde acerbũ pharmacum est, substãtiæ terreæ frigidæ plurimæ particeps, ob quam & siccat, & fluxiones repellit, & cogit ac adstringit laxas ac inualidas partes. omnibus etiam fluidis affectionibus resistit. Ponatur autẽ in tertio ordine siccantiũ, in secundo uero frigefacientiũ. Altera galla flaua laxa ac magna siccat quidẽ, sed tanto minus, quãto minus acerbæ qualitatis particeps est. Cocta itaq; per se ac trita, & in cataplasmate adhibita inflãmationũ sedis ac prolapsus eiusdẽ insigne auxilium est. Coquere autẽ oportet si moderata adstrictione opus est in aqua, si uehemẽti in uino, maximè austero. Gallæ uim supprimẽdi sanguinis habent, & manifestũ satis est quòd caliditatem et acrimoniã ex ustura acquirunt, & magis tenuiũ partiũ quàm non ustæ euadunt, itẽq; siccatoriæ amplius. Oportet autẽ cãdefactas super prunas, aceto aut uino extinguere.

Cera.

Cera in medio quodammodo est calfacientium, frigefacientium, humectantiũ ac siccãtium, habet & crassarum partiũ quid & meatus obturatoriũ, quapropter non solũ siccat, sed & per accidẽs humectare uidetur perspirationes prohibendo. Vnde & materia est aliorũ pharmacorũ. Ipsa autẽ per se ex concoctoriorũ debiliũ numero fuerit, quę forinsecus imponũtur. Habet enim parũ ex discussoria ac calida facultate, cuius quàm plurimæ mel ipsum particeps existit.

Ciborium.

Viridem fabarum Aegyptiarum fructum ciboriũ appellant. Quare in fabarum tractatione, etiam de hoc considerandum est.

Cinara.

Cinara mali succi eduliũ est, maximè ubi durior euaserit. Nam et biliosum humorẽ in sese tunc uberiorem colligit, & totam substantiã lignosiorẽ habet. Quare ex hac quidem humor atræ bilis generatur. Ex succo uero ipsius tenuis & amarę bilis humor producitur. Præstat igitur præcoctam ipsam in cibo absumere.

Cicis arboris fructus, Ricinus, Croton.

Cicis arboris fructus, quem aliqui crotonem ac ricinũ appellant, quiq; purgandi uim habet, extersoria ac discussoria facultate præditus est, folia eius imbecilliora sunt. Oleum quod ex fructu fit, calidius & magis tenuium partium est quàm cõmune, & propterea etiam discussorium.

Cisthos siue Cistharus.

Cisthos frutex adeò adstrictorius est, ut & folia ipsius in cataplasmate imposita uulnera glutinent. Flores efficaciores sunt, ut cũ uino poti dysenterias, & uentris imbecillitatem, ac fluxiones, & humiditates sanent, in cataplasmate autem impositi putrefactis ulceribus conducunt, propter generosam siccandi uim ferè in secundo ordine. Ipsius fruticis frigiditas tepidæ quoq; qualitatis particeps est. Cæterum quę hypocysthis appellatur, multò magis quàm folia adstringit, estq; efficax pharmacum ad omnes fluidas affectiones, uelut sanguinis reiectionẽ, fluxum muliebrem, cœliacas & dysentericas affectiones. Sed & corroborare partes solet, & à plurima humiditate exolutis firmitatẽ addit, atq; sic sanè & stomachicis & hepaticis conducit. Firmat enim ac roborat non instrẽnuè, epithematis aut antidotis aptis ammixta.

Cisthus siue Ladanum.

Cisthus hic in calidioribus regionibus nascitur, nõ genere alius ab his qui in aliјs locis nascuntur. sed à regione præcipuã quãdam propriam discussoriã qualitatẽ adeptus est deposita frigiditate. In reliquis igitur consimilis est præcedenti. Verũ ex ipso fit ladanum medicamẽtum calidũ primo ordine iam completo, ut etiã secundũ attingat, particeps est autem & adstrictionis cuiusdã modicæ, & tenuium partium substantiã habet, & propterea moderatè emollit, & similiter discutit, itemq; cõcoquit. Itaq; non mirum est uteri affectibus hoc præcipuè cõuenire, propterea quòd aliquid adstringens habet, per quod etiam defluos capillos retinet. Nã & uitiatos humores iuxta pilorũ radices attenuat ac cõsumit, & meatus quibus impacti erant, adstringendi ui cogit & constringit.

Cissos, Hedera.

Ex cõtrarієs facultatibus hedera cõponitur: habet enim quid substantiæ adstrictoriæ, quàm frigidã ac terreã dicimus. Habet & quid acris, quam calidam esse gustus testatur, sed & aquosæ substãtiæ tepidæ uiridis particeps est. Viridia itaq; folia cum uino cocta, etiã magna uulnera glutinant, & maligna ulcera sanant. Vlcerationes quoq; ex igne cicatrice includũt. Cum aceto autem cocta folia splenicis opitulantur. Flores eius fortiores quodammodo sunt, ut cum cerato triti ambusta curent. Succus ipsius per nares purgat, & antiquas aurium fluxiones sanat, & ulcera uetera tum aurium, tum narium ad cicatricem perducit. Si uero acrior appareat, rosaceo aut oleo dulci temperetur. Lacryma hæderę pediculos necat, & pilis nudat, in tantum calidam uim habens, ut etiam leniter urat. Prodest etiam lacryma calculosis in potu.

Cnicus.

Cnici semine ad purgationes tantum utimur. Est autem tertiј ordinis calfacientium, si quis forinsecus admoto ipso uti uelit.

Coccus cnidius, Granum cnidium.

Cnidius coccus purgatoriam uim habet, estq; facultatis acris & ustoriæ.

Coccus tinctorius, Granum tinctorium.

Coccus tinctorius adstringentem simulq; amarã qualitatem habet, & per utranque leniter siccat, & ob id ad magna uulnera conducit, & ad sauciatos neruos, cum aceto aut aceto mulso tritus.

Coccymelea, Prunus.

Pruni fructus recens magis aluũ subducit, siccatus minus. Sunt autem damascena pruna magis adstringẽtia, Hispana dulciora, & propterea magis aluum ducunt. In foliјs autem manifesta quædam adstrictio apparet, unde decocta utiliter gargarissantur in inflammationibus gurgulionis ac tonsillarum. Cæterum syluestrium prunorũ fructus adstrictorius est & uentrem sistit. Et in Asia sanè hæc planta prunus nominatur. Gummi omnis pruni cum uino potum lapides frangere quidam produnt, uerum cum aceto impetigines puerorum exterit.

Colocasion, siue Manzizanion.

Colocasiј radicis similis uis est rapis ac cepis, uiscosum autem

autem corpus ipsius est. Vnde extersoriæ facultatis particeps est, & uentri in cibo sumpta commodat.

Colocynthe, Cucurbita.

Cucurbita humidi & frigidi temperamenti est, utroq; secundo ordine. Vnde & ramentorũ eius succus auribus inflãmatis & dolentibus conuenit cum rosaceo. Sic & tota in cataplasmate imposita, calidas inflammationes mediocriter refrigerat. In cibo accepta nimia humectatione corpus implet, & sitim eximit, & alimentum humidum ac frigidum, & propterea etiã modicum corpori præbet. Concoquitur autem non malè, ubi non prius fuerit corrupta, id quod accidit ipsi propter malam præparationem, & ubi uitiosus humor in uẽtre fuerit coaceruatus. Imò si etiã diutius in uentre moretur, quemadmodum reliqua quoq; humida edulia. Gaudet origani cõditura propter aquosam in ipsa qualitatem. Omnia enim huius generis acribus aut acidis, aut austeris, aut salsis saporibus miscere oportet, si modo neq; insuauiter sumi debeant, neq; sumentes nauseabundos efficere.

Comarus, Arbutus, Memæcylon.

Arbuti fructus memæcylon appellatur, estq; stomacho incommodus, & capitis dolorem inducit. arbor ipsa simul cum fructu acerbam qualitatem possidet.

Commi, Gummi.

Gummi uim habet siccatoriam, meatus obducit, & asperitates sanat.

Conia stacte, Lixiuium.

Quod uelut ablutio est materierum ad cinerẽ redactarum, conia stacte Græcis, nobis lixiuium uocatur. Ex omnibus autem maximè extersorium est & siccandi ui preditum, quod ex cinere ficulneo & tithymallis fit, ut ferè uim erosiuam sortiatur. Verum ob substantiam tenuium partium citra dolorem urit.

Conyza.

Conyza & maior & minor consimilis temperamenti ac facultatis existunt, gustui acris & amaræ apparẽtes. Calfaciunt & siccant euidenter, ut utriusq; qualitatis tertio ordine locetur. Decoctæ itaq; in oleo, rigoribus per circuitum repetentibus salutarẽ medelã præbent. Quidam flores ipsarum unà cum folijs terentes cum uino bibendos exhibent, ad menses ciendos ac fœtus eijciendos. Est & tertium conyzæ genus, in humectioribus locis proueniens, magis fœtidum & imbecillius.

Corianum, Coriandrum.

Corianon item corion appellatur, & ex contrarijs facultatibus compositum est, multum habens substantiæ amaræ, quæ tenuium partium est & terrea, nec parum aqueæ humiditatis tepida ui præditæ. Habet & parũ quid adstrictionis, ex quibus omnibus multifariam efficax est facere ea quę Dioscorides prodidit, uerum non ob solam frigiditatem.

Colla, Glutinum.

Glutinum quod ex similagine aut polline ad libros cõficiunt, facultatem habet meatus obducentem & concoctoriam. At uero de taurino glutine ac similium in sermone de animalibus agetur.

Coronopodium, Pes cornicis.

Coronopodij radix in cibo accepta cœliacis opitulari creditur.

Costus.

Costus modicæ amaritudinis, plurimæ uero acrimoniæ ac calidæ qualitatis particeps est, ut etiam exulceret. Vnde ex ipso cum oleo perfricant corpus ante accessionem in rigoribus per circuitum redeuntibus. Alij idem & in resolutis ac ischiadicis faciunt, & omnino in his quibus aut partem aliquam calfacere uolumus, aut humorem aliquem ex alto ad cutem attrahere, usus eius competit. Ob eandem causam & urinam ciet, & menses ducit, & ruptis ac cõuulsis, & laterum doloribus confert. Verum ob amaritudinem, etiam latum lumbricum necare creditur, & ad solares maculas ipso utuntur, cum aqua aut melle. Inest præterea ipsius temperamento flatuosa quædam humiditas, ob quam & uenerem stimulat cum uino mulso potus.

Cotyledon, Vmbilicus ueneris.

Cotyledon mixtam uim habet, humidã & frigidam, & quandã obscurè subadstringentẽ & modicè amaram. Vnde frigefacit, & repellit, & extergit, & discutit. Inflammationes itaq; erysipelatas, & erysipelata inflammata sanat, & in stomachi ardore cõmodum cataplasma existit. Creduntur folia cum radice comesta lapides atterere, & urinam ciere.

Crambe, Brassica.

Brassica comestilis siccatoriam uim habet, & in cibo accepta, & forinsecus imposita, nõ tamen manifestè acrem, sed ut uulnera glutinet, & maligna ulcera sanet, & inflammationes curet iam induratas ac ægrè solubiles, eiusdẽq; generis erysipelata. Sed & epinyctidas ac herpetas sanat. Habet & quid extersorium, per quod etiã lepras exterit. Succus itaq; ipsius quid purgatorium habet, corpus autem eius alui excretionem cohibet, eáque gratia in quibus humectum uentrẽ siccare uolumus, moderatè ipsam coquimus, & priore aqua diffusa, statim in alteram calidã præparatam immittimus ac ferueficimus. Non oportet enim neque aërem, neque frigidam aquam contingere quod bis coquitur. Neque enim exactè flaccidũ fit, etiamsi diutissimè coquas. Itaq; in aliam calidam immissam coquimus donec flaccida fiat. Nam si uentris subducendi gratia sumitur, non ualde discoquitur. Siccat igitur brassica quemadmodum lenticula, & propterea uisum hebetat, & atræ bilis humorem generat. At uero asparagus brassicæ minus siccat, & magis urinam ciet. Semen autem potum lumbricos enecat, & maculas solares ac lentigines, & quæcunque alia moderata extersione opus habentia exterit. Cauliculi eius usti cinerem efficiunt fortiter siccantem, ut & ustoriæ facultatis particeps sit. Quapropter eo cum ueteri adipe ammixto, quidam ad ueteres laterum dolores, & sicubi eiusmodi alius dolor infestet, utuntur. Fortiter enim discussorium medicamentũ efficitur. Brassica porrò syluestris siccior & calidior multò est quàm satiua, quẽadmodũ omnia alia ferme syluestria satiuis fortitudine præstãt. Vnde neq; citra offensionẽ intra corpus sumuntur. Discutit autẽ & extergit uehementius quàm satiua. Cæterum marina brassica ultra hoc quod uentrẽ emollit, subsalsum nimirum ac subamarum saporem habens, commoda quoque fuerit ad externos corporis usus, ad quos sanè eiusmodi qualitates conueniunt.

Chrethmon.

Chrethmon salsum quodãmodo in gustu est, unà cum modica amaritudine, propterea & uis ipsius extersoria simulq; siccatoria existit. Vtraq; tamen facultate amaris cedit.

Crithæ,

Crithæ, Ordeum.

Ordeum primi ordinis est siccantium ac frigefacientium, habet & modicum quid extersoriū, & paulò magis siccat quàm fabarum farina à cortice depurgata. In reliquis omnibus forinseco usu consimilia existūt. Verum in cibo acceptum ordeum, hoc amplius fabis habet, quòd in coctura flatuositatem deponit, fabæ autē quomodocunq; coquatur flatuositas permanet. Crassioris enim substantię faba est quàm ordeum, & propterea etiam magis quàm ordeum nutrit. Ordeum uero succum generat tenuem & extersorium quid habentem. Nihil igitur calfacit corpus quomodocunq; tandem præparetur. Verum humectat & siccat diuersimodè præparatum. Etenim polenta ex ordeo tosto facta, manifestè apparet siccare. Ptisana uero humectat, quū uelut conuenit, pręparatur. Panes autē ordeacei omnes minus nutriūt quàm triticei, & magis uentrem subeunt quàm illi. Cæterū polenta ex ordeo tosta facta magis quàm ordeū siccat, & modicum alimētum corpori sufficit quomodocunq; coquatur. Eadem ex uino Aminæo austero pota aluum siccat. At uero maza (uocāt autē sic polentam ordeaceā liquore aliquo subactā, uelut sapa, aut melle, aut alio quopiam) quę etiā cruda comeditur, quomodocunq; præparetur, minus quàm panes ordeacei concoquitur, & uentrē magis flatu implet, & si diutius in ipso moretur, turbationē efficit. Quū enim ordeum ex natura non parum furfuris habeat, torrefactum ordeū idipsum furfuraceum & siccius, & magis difficulter confringi potens habet, imò & id quod utile ex ipso in corporis alimentū cedit, siccius euadit. Quicquid igitur furfuraceū & durum in ipso est, quemadmodum forinsecus apparet quòd aqua non dissoluatur, eodē modo neq; in uentre dissoluitur maceratū, sed permanet inconfectū uelut est acceptum. Quū igitur neq; concoquatur neq; in uenas distribuatur, per uentrē secedit, & pręsertim quū extergēdi uim ex ordeo habeat: magis autem secedit infernè sępius subacta ac trita. Si uero & mel assumpserit, adhuc citius subit. Porrò quod crimnō Græci uocant, crassiorq; farina tum tritici, tum zeæ existit, magis alit quàm polenta, sed ægrius concoquitur. Vocatur ex ea sorbitio puls, & quæ ex zea fit uentrem lenius aliquanto sistit, magisq; si torreatur.

Crinon, Lilium.

Liliȷ flos temperamentum mixtum habet, ex substātia quadam tenuium partium terrea, ex qua etiam in gustu amaritudinē offert, & quadam aquosa temperata, unde & oleum ex ipso lenis tum discussoriæ, tum mollientis facultatis existit, et ad uteri duritias aptū. Radix etiā ac folia per se trita, siccāt & extergunt ac moderate discutiunt. Est enim radix primi ordinis extersiuorū, qua gratia & ambustis conducit. Radicem itaq; assatam, deinde rosaceo tritā ambustis imponunt usq; ad cicatricis inductionem. Nam & alias omnia ulcera optimè cicatrice includit. Sed & uterū emollit, & menses promouet. Folia quoq; præcocta usq; ad cicatricem inductā imponunt, non ambustis solū, sed etiā ulceribus. Reponimus aliquando & foliorum succū coctum cū aceto & melle ad liquidioris mellis cōpagem, ita ut succi partes quinq; sumantur, mellis autem & aceti utriusq; pars una, fitq; commodum pharmacū ad omnia uehemēti resiccatione indigentia citra mordacitatē, uelut sunt uulnera magna, & maximè quę circa capitis musculos fiunt, itē ulcera inueterata, fluidaq; ac ęgrè recipiētia cicatricē.

Crocodilion.

Crocodiliȷ semen acre est, & aromaticum, urinā ciens, & menses ducens, ut & calidæ facultatis sit discussoriæq; ac siccatoriæ. Succus caulis & seminis cōsimilem uim habet, & nephreticis prodest. Radix expuitiones è pectore fortiter adiuuat. Estq; minus acris quàm semen, uerum non minus amara. Sanguinem quoque per nares ducit.

Crocus.

Crocus habet quidem aliquid modicè adstrictorium, quòd terreum frigidum esse ostensum est. Dominatur autē in ipso calfactoria uis ac qualitas, ut ex tota substantia sua secundi ordinis sit calfaciētium, primi siccantium, & propterea etiam concoctorium quid habet, quòd modica illa adstrictione adiuuatur.

Crommyon, Cepa.

Cepa quarti ordinis est calfacientium, substantia ipsius magis crassarū partiū existit. Vnde & hæmorrhoidas aperit apposita, & cum aceto illita in sole uitiligines exterit, & alopecȷs affricta citius quàm alcyoniū pilos prouocat: comesta calfacit corpus acrimonia sua, & crassos ac uiscosos humores attenuat. Inflat autē uentrē propter crassarū partium substantiā.

Cyamus, Faba.

Faba frigefaciendo ac calefaciendo mediū temperamētū propinquissimè accedit, caro eius modicæ cuiusdā extersoriæ facultatis particeps est, quemadmodū cortex adstrictoriæ. Quapropter aliqui medici fabā integram cum corio suo in posca decoctam, dysentericis & cœliacis ac uomentibus exhibent. Est autem eduliȷ ratione, si quod aliud, ægre concoctile & flatuosum, etiam si quàm diutissimè coquatur, & quomodocūq; præparetur, ad exscreationes tamē pectoris ac pulmonis cōmodum. Et uiridis quidem faba comesta, magis aluū subit, uerum minus quàm arida ingesta nutrit. Torrefactæ tamē fabæ flatuosum deponunt, sed ægrius concoquuntur, & tardius commeant, & crassum succū generāt. Pharmaci autē loco faba forinsecus imposita, citra molestiā siccat: Et sanè ad podagricos sæpe ea usi sumus cocta ex aqua, deinde adipe suillo ammixto. Ad neruos uero cōtusos & ad ulcera, farinam eius imposuimus aceto mulso, aut uino mulso coctā, rosaceo etiam addito, si inflāmatio adesset. polēta uero addita, ad inflāmatos iam ex plaga. Est & testium ac mămarum utile cataplasma: Solet enim has partes inflammatas modicè perfrigerare, maximè ubi lacte in ipsis in casei speciem coagulato ubera fuerint inflammata. Nā lac ab eiusmodi cataplasmate extinguitur: Quemadmodum etiam puerorum pubes, farina fabacea cataplasmatis modo intecta, diutissime impubis permanet.

Cyclaminus.

Cyclaminus uariā uim habet: Nam & extergit, & dissecat, & uenarū oscula operit, & attrahit, & discutit: Succus enim ipsius hæmorrhoidas aperit, & aluum irritat uiolenter, appositus. Sic & tubercula, & strumas, & alias duritias discutit, compositionibus discussoriȷs ammixtus. conuenit & suffusis oculis cum melle sublitus, & præterea per nares purgat. Adeò autem forti ui præditus est, ut etiam imo uentri illitus, aluū subducat & fœtus corrūpat, sed & in pessi forma appositus similiter fœtū perimit. Tota radix succo

succo imbecillior est. Est tamen etiam ipsa uehemẽs: Nam pota & apposita menses ciet, & ictericis confert, non uiscus solum ipsum uidelicet iecur expurgans, sed bilem in toto corpore per sudores euacuãs. Quare ab eius potu adiuuare omnibus modis oportet sudorum excretionem, corpore contecto ac uberius calfacto. Copiam eius drachmas tres, aut summum quatuor excedere non oportet, ex passo aut aqua mulsa. Exterget & cutem, quapropter maculas solares, & alopecias ac similia sanat. prodest & indurato lieni tum recens, tum sicca in cataplasmate imposita. Quidam aridam radicem etiam anhelatoribus exhibẽt. Eadem arida tusa & per tenuissimum cribrum excreta, unà cum caryophyllis, ita ut radicis sit uncia una, caryophyllorum grana x x I. naribus insufflata, crassos & uiscosos humores à capite purgat, unde antiquos capitis dolores sanat, & morbo comitiali magnopere opitulatur.

Cyminum.

Cymini semine præcipue utimur. Est autem facultatis calfactoriæ, urinam ciet, & flatus dissipat, tertij ordinis calfacientium existens.

Cyparissus, Cupressus.

Cupresi folia & germina pilulæq; recentes ac teneræ, magna uulnera in duris corporibus glutinãt, ex quo manifestum est quòd siccatoriam uim habent, absq; manifesta acrimonia ac caliditate. Plurimam autem habet amaritudinem, & multo ampliorem acerbitatem uniuersa planta. Tantum uero est in ipsa caliditatis, quantum satis est ad deducendam acerbitatem in altũ, citra calfactionis aut mordacitatis inductionẽ. quapropter humiditates in profundo, in humectis putredinosisq; affectionibus consistentes, citra molestiam simulq; securè depascitur, altera non amplius attracta. Atque sic herniosis confert in cataplasmate imposita. Siccat enim & robur addit corporibus ex humiditate laxis, mergente se nimirum in altum ui adstringendi, quum deducatur per ammixtam ipsi moderatam caliditatem. Vtuntur ipsa quidam & ad carbunculos ac herpetas polenta ammixta.

Cyperus, Iuncus quadratus.

Cyperi radices maxime in usum ueniunt calfacientes ac siccantes citra mordacitatem: Vnde & ulcera ob nimiam humiditatem ægre recipientia cicatricem, mirabiliter sanãt. Habent enim quid adstrictorium, & propterea oris ulcerationibus commodant. Habent & uim quandam sectoriam, qua & calculosis prosunt, & urinas ac menses cient.

Cypros, Ligustrum.

Ligustri arboris folia & uirgulta ac flores in usum ueniunt, mixtæ facultatis ac temperamenti existentia. Habent enim quid discussorium ex aquosa substantia moderatè calida: Habent & quid adstrictoriũ, ex terrea frigida. Vnde decoctũ fotu ambustis prodest. Commodat & ignitis inflammationibus ac carbũculis, citra molestiam ac mordacitatem siccãs. Sed & commanducata ulceribus oris sponte productis, & maxime ignitas aphthas referentibus cõducunt. Folia siccata in umbra tusaq; ac cribrata, mox in aqua ad calidum cinerẽ cocta, modico rhoẽ culinario insperso, & aceti momento, bonũ cataplasma præbent in podagricis ac chiragricis, in ipsis maximis inflãmationibus impositã. Nam & inflãmationes sedat, & fluxiones repellit, & quod iam in locis cõtinetur discutit per meatus occultos, quemadmodum per sudorem. Lædit tamen hoc cataplasma colorem, & maxime ungues. Quapropter prẹlinere locos oportet, liquido rosaceo cerato. Ipsum autem cataplasma integendum est ricini folijs, aut carpasi, si adsint.

Cytisum.

Cytisi folia discussoriẹ sunt facultatis ammixta tepida aquosa, quemadmodum folia maluæ.

Conion, Cicuta.

Quòd cicuta extremè frigidã uim habeat, omnes norunt, & propterea ex summa illa frigefactione etiam enecat ac occidit.

Coni fructus, Nux pinea, Cocalus, Strobilus.

Coni fructus, quem & Cocalum, & Strobilum, ac Pineam nucem appellãt, integer quidem uiridis, amaritudinem quandam & acrimoniam cum humiditate habet, & propterea pectore suppuratis commodus est, itemq; alijs quibuscunq; ex pectore ac pulmone facilis screatus ac per tussim reiectio expetitur. Nucleus eius qui in cibi usum uenit, alimentum prẹbet ægre concoctile, ualidum, ac multi succi, propter oleositatem. Verum medicamenti loco asperitates læuigat, maxime ubi aqua maceratus omnem suam acrimoniam deposuerit.

Cancani radix.

Cancani radix uim habet moderatè siccatoriam citra mordacitatem, substantiam autem crassarũ partium, meatus obducentem. Vnde uino macerata uelut tragacantha, & delincta, arteriæ asperitates sanat. Nihilo minus si quis ipsam manducet, succus præterfluẽs arteriæ prodest, similiter ut glycyrrhizes succus.

Caucalis.

Caucalim aliqui daucum syluestrem uocãt. Est autem similis ipsi & gustu & uiribus, calfacit enim uelut ille, & siccat, & urinã ciet, et muria cõdita reponitur.

Carpesium.

Carpesium simile est ei quod phu appellatur, & gustu & uiribus, uerum amplius tenuium partium existit, quapropter & magis quàm illud exterget uiscerum obturationes, & urinas mouet, & renes expurgat calculosos. Non tamen in tantum tenuium partiũ est ut pro cinamomo in usum assumi posit, si cinamomũ haberi nequeat, quemadmodum Quintus fecit. Præstat quidem igitur Ponticum Laërtico, nõ tamen etiam hoc ipsum uiribus cinamomo par est, sed etiam ab optima casia non modico interuallo relinquitur. Vtraq; appellatio à quibusdam Pamphyliæ montibus est, in quibus plurimum prouenit.

Λ. *Lathyri, Cicerculæ.*

Cicerculæ consimilem ochris & phaselis substantiam habent, itemq; similem succum, sed compage crassiorem, & propterea aliquo modo magis hæ quàm illi alunt.

Lathyris.

Lathyridem tithymalli speciem esse quidam aiunt. Semen eius purgatoriam uim habet.

Lapsana.

Lapsana in cibo accepta mali succi est, in cataplasmate imposita extersorium quid ac discussorium habet.

Lapathum, Rumex, Oxylapathum.

Lapathum moderatè discussoriam uim habet, & sanè caliditatis particeps est. Renum calculos radix eius cõfringit, & scabiem ac corporis asperitates sanat ex aceto cocta & affricta. At uero Oxylapathũ mixtam

uim

uim possidet: Habet enim repulsoriam unà cum discussoria facultatẽ. Semen ipsorum manifeste adstringit, unde & dysenterias & alui profluuia sanat, præsertim oxylapathi. Cęterum Hippolapathum in paludibus nascitur, eadem ui prædicũ, uerum imbecilliore. Syluestris porrò lapathi radix, quam mylen appellãt, ex aceto cocta siue uino, dẽtes corroborat, eorũq; dolores sedat, si eo decocto calido colluãtur.

Limonium, siue Cynoglossum.

Limonij semen austerum existens cũm uino exhibent cœliacis, & dysentericis, & hæmoptoicis. conducit & ad fluxum muliebrem.

Lichen siue muscus petrarum.

Lichen petrarum extersoriæ simulq; frigefacientis moderate facultatis est, & siccantis iuxta utramq; facultatem. Sanat impetiginem cognominem sibi apud Græcos morbum.

Leontopodium siue Leontopetalon.

Leontopodij radice maxime utimur, discussoria & calfactoria ac siccatoria, in tertio ordine.

Lepidium.

Lepidium quarti ordinis est calfacientium.

Leucoion.

Leucoij uniuersus frutex extersoriam & tenuium partium uim habet, maxime tamẽ flores præsertim sicciores. Quare & cicatrices oculorũ crassas attenuant, & decoctum ipsorũ menses ac secundas promouet, & fœtus immortuos expellit. Nam & uiuum perimit fœtum in potu acceptũ. Quòd si quis uehementiam facultatis ipsius multæ aquæ mixtura aut aliquo alio eiusmodi liquore mitiget, habebit et ad inflammationes commodum medicamentum. Sic & decoctum ipsius si non meracũ fuerit, fomento uteri inflammationes sanat, & maxime diuturnitate induratas. Idem cum cerato ulcera ægre cicatricem recipientia curat. Semen ijsdem uiribus prædictum cõmodissimũ est potum duarum drachmarũ pondere, aut appositum cum melle, ad ciendos menses, & fœtus uiuos quidem corrũpit, mortuos autẽ eijcit. Radices cum aceto in cataplasmate impositæ, lienes induratos sanant, itemq; induratas inflammationes.

Leuce, populus alba.

Populus alba arbor temperamentum mixtum habet, ex substantia aquosa tepida, & terrea attenuata. Vnde & extersoriam uim habet. Gustu autem subamara existit.

Libanotus, Thus.

Thus calfacit ordine secundo, siccat primo. Habet & quid adstrictorium, quod in albo uix percipere est. Cortex ipsius uim adstringendi manifeste habet, ob quam etiam præclare siccat, ut secundi ordinis siccãtium completi existat. Est & crassarum partium & minime acrimonię particeps. Ob has igitur qualitates ac uires, usus eius frequens est medicis, in hæmoptoicis ac stomachicis, profluuijsq; alui, cœliacisq; ac dysentericis, nõ solum his quæ extrinsecus imponuntur, sed & quæ intra corpus sumũtur ipsum ammiscentibus. Fit ex eo & fuligo hoc modo. Granum thuris singulatim forcipe appræhẽsum & à lucerna accẽsum, in uas fictile cauum nouũ imponito, deinde æneum operculum concauũ probe detersum superponito, suppositis tamen ad utrumq; operculi labrũ lapillis quatuor digitorũ altitudinis, ut locus sit alterum supponẽdi granum, prius quàm penitus extinguatur, donec sufficiens fuligo fuerit collecta. Cæterũ externa operculi ænei pars assiduè per spongiã ex aqua frigida extergeatur, ita enim omnis fuligo adhærebit, operculo nimirum non ualde concalfacto. Derasa itaque priore fuligine per pinnam, idem facias, quousq; collibuerit. Sed & exusti Thuris cinerem priuatim colliges. Melior est autem fuligo. Vim habet mitigatoriam inflammationum in oculis, sedat fluxiones, repurgat ulcera, replet concaua, sistit carcinomata. Eodem modo parantur fuligines & ex myrrha, & ex styrace. Conueniunt ad eadem omnes. Quin & aliarum lacrymarum fuliginem eodem modo colligere licebit.

Libanotides.

Libanotides omnes similem uim habent mollitoriam ac discussoriam. Succus autem & radicis & herbæ melle ammixto, hebetudinibus oculorum medetur ex humorum crassitudine obortis. Sunt enim libanotides participes extersoriæ ac incisoriæ facultatis.

Lignys, fuligo.

Omnis fuligo siccat, quapropter & substantiã terream habet, & reliquias ignis à materia exusta, sed has tamen tempore modico. Tota autem natura ipsius siccatoria est, terrea & tenuium partium. Partiales eius differentiæ sunt iuxta materiam exustam, prout ea ipsa calidior aut frigidior aut mordacitatis expers existit. Thuris porrò fuligine utuntur ocularibus cõpositionibus ammixta, maximè his quæ ulceribus conferunt. Nam & hęc expurgat ipsaq; carne explet. Terebinthinæ quoq; ac myrrhæ fuligo similiter ut thuris nihil offendit. Verum styracis his fortior est, atq; adhuc magis quæ ex pice liquida fit, quam superat adhuc cedriæ fuligo. Vtuntur autem & acrioribus, & in palpebris glabris, & angulis oculorum corrosis, oculisq; humectis absq; inflammatione.

Ligusticum.

Ligustici radix & semen ex calfacientium ordine sunt in tantum ut & menses moueant, & urinas propellant, flatusq; discutiant.

Lini semen.

Semen lini comestum flatuosum est, etiamsi sit torrefactum, ita recrementosa humiditate plenum est. Est autem calidũ in primo ordine, humiditatis ac frigiditatis in medio consistens. Stomacho incommodat & ægre concoquitur. particeps est tamen facultatis ciẽdi urinã. & torrefactũ uentrem aliquatenus sistit.

Lobi.

De lobis scriptũ à nobis est quũ de dolichis ageremus.

Linozostis, Mercurialis.

Mercuriali utuntur omnes ad uentris purgationes, ueruntamẽ si quis eius usum in cataplasmatis experiri uelit, reperiet eam multum discussoriam. Et semen huius nondum siccatum experientia docet, tubercula & eminentias in corpore, uulgo Carphia dicta, dissipare, si quis ipsa diligentius semine eo confricet.

Lonchitis.

Lonchitidis triangulare semen hastę simile habẽtis, radix urinam ciet. Eius uero quæ scolopendrio similis est, folia uiridia uulneribus glutinandis conducunt. Sicca eadem ex aceto pota, lienes induratos sanant.

Lycium, Pyxacanthos.

Lycium siue pyxacanthos spinosa est planta, ex qua quod Lycium appellãt fit, quo ad sugillata utimur, & ad sedis ac oris inflammationes ac ulcerationes,

herpetosque ac putrefactiones, & ulcera maligna, & intertrigines ac paronychias qui sunt unguiũ abscessus. Habet enim uim siccãdi ex secundo ordine, aliàs ex diuersi generis substantijs cõpositũ: Altera tenuiũ partiũ, ac discussoria & calida: Altera terrea frigida, ex qua & moderatã adstrictionem habet. Quapropter & ad diuersos effectus hoc medicamento utuntur, ut extersorio quidem, adsumentes ad ea quæ pupillis tenebras offundũt, ut adstrictorio uero, cœliacis & dysentericis ac fluxui muliebri exhibẽtes. Cæterum Indicũ Lycium ad omnia cõmodius existit.

Lysimachium.

Lysimachium prędominantẽ habet qualitatem adstrictoriã, per quam & uulnera glutinat, & eruptiones sanguinis narium cõpescit inspersa, sed & aliàs sanguinis eruptiones supprimit tũ ipsa, tũ succus ipsius adhuc amplius, Quare & potus & infusus dysenterias ac sanguinis reiectionẽ, & fluxũ muliebrẽ sanat.

Lotus, Trifolium.

Lotus satiuus, quem aliqui trifolium uocãt, moderatè extergendi uim habet, itemque siccandi, uerum in coniugatione caliditatis ac frigiditatis tẽperatus est. At uero syluestris lotus in Aphrica plurimus prouenit. Semen eius secundi ordinis est calfacientium. Habet & quid extersorium. Semen autem Aegyptij etiam ad panificium accipitur.

Lotus arbor.

Lotus arbor adstrictoriæ qualitatis non multæ particeps est. Est autem tenuium partiũ ac siccatoria. Ramentum itaque lignorum eius, & ad fluxum muliebrem, & dysenterias, ac cœliacas affectiones conducit. Coquitur aliquãdo in aqua, aliquando in uino, prout usus postulat. & non solum infunditur, sed etiam bibitur. Atqui & defluos pilos cohibet moderatè adstringendo ac siccando.

M. *Macer.*

Macer cortex est qui ex India affertur, adstringẽs cum modica acrimonia, quapropter & siccat: Est & tenuium partium, propter odorem. & propterea cœliacis ac dysentericis compositionibus ammiscetur, in tertio ordine siccantium locatus. Iuxta caloris & frigiditatis differentiam nihil insigniter præstans.

Malabathri folium.

Folium malabathri spicæ nardi cõsimilem uim habet.

Malache, malua.

Malua syluestris leniter discussorię, & paululum mollitoriæ facultatis particeps est. Satiua pro eo quod aquosa humiditate participat, etiã uiribus debilior existit. Subit autem uentrem non solum ob humiditatem, sed & ob uiscositatem, maximè ubi cum oleo & garo accipiatur, uino modico cibi tempore irrorato. Semen ipsorum tanto fortius est, quanto siccius. Quin & Dẽdromalache appellata huius generis est, sed magis quàm prædictæ discussoria. Nominatur autem & Althæa.

Mandragoras.

Mandragoras prædominantem frigidam uim habet, ut tertij sit perfrigerantium ordinis. particeps est tamen & modicæ caliditatis ac humiditatis in malis suis. Vnde & soporatoriam uim hæc possident. Radicis cortex fortissimus existens, non solum frigefacit, sed etiam siccat. Reliquum internũ debile existit.

Marathrum, fœniculum.

Fœniculum fortiter calfacit, ut ex tertio ordine censeri possit. Siccat ordine primo. & propterea etiam lac generat, & suffusis oculis iuxta eandem rationem opitulatur. Ciet & urinas & menses ducit.

Mastiche.

Mastiche alba & chia, ex contrarijs quodammodo facultatibus composita est, adstringente & molliente. Quapropter & stomachi, & uetris, & intestinorum ac hepatis inflammationibus conuenit, secundo ordine calfaciens ac siccans. Nigra mastiche quæ Aegyptia appellatur, magis exiccat quàm illa, & minus adstringit, unde & commodior est quodã modo ad ea quæ fortiore discussione opus habent.

Melanthium, Nigella.

Melanthium calfacit ac siccat tertio ordine, apparet & in eo partium tenuitas. Sic itaque & destillationes sanat, calidum linteolo illigatum naribus admotum, ut assiduè odor eius nares percellat. Sed & potum flatus uel maximè discutit. Occidit & lumbricos, nõ modò comestum, sed etiam foris uentri impositum, ob amaritudinẽ. Lepras & clauos ac uerrucas myrmecias, hoc est, fornicarias dictas abolet, & menses promouet ob crassitudinem & uiscositatem humorum suppressos, prodest & alopecijs ustum, & cum oleo tritum, ac illitum. Sic etiam recta ceruice spirantibus. Et in summa ubi dissecare & extergere ac siccare calfacereque opus est, commodissimum medicamentum existit.

Melilotum.

Melilotum mixtas uires habet. Nam & adstringit, sed & discutit & concoquit. Amplius enim de calida substantia quàm de frigida in se complectitur.

Mel.

Mel calfacit ac siccat secundo ordine. Est autem simplicis quàm maximè tum facultatis, tum temperamenti, extersoriæ uidelicet appellatæ. Estque maxime tenuium partiũ, præsertim quod prouenit ubi thymus plurimus nascitur. Quum autem tenuium partiũ sit, necessario etiam quid acre possidet, per quod uentrẽ ad excretionem impellit. Diximus autem quòd exterget, hæc itaque extersoria uis si ipsi adimatur, magis ad urinam ciẽdam commodum reddetur, itemque ad alimenti distributionem ac nutritionem accõmodatius. Adimi autem optimè potest, aqua plurima ammixta, & cocto melle, donec spumare desierit, ita ut spuma assiduè auferatur. Aqua uero mulsa nõ cocta uentrem subit antequàm cõcoquatur. Itaque senibus & frigidis corporis tẽperaturis mel cõmodum est. Verum in ætate uigente constitutis ac calidis, in bilem transit ante cõcoctionem. Mel porrò coctum per se, minus acre ac mordax euadit, unde & magis nutrit, & ad sinus glutinandos cõmodissimũ existit.

Melissophyllum.

Melissophyllũ marrubio uiribus simile est, sed multo tamẽ ipso inferius, & ob id neque usus eius ualde expetitur: Quum enim ubique marrubium abundet, superuacaneum est melissophyllo uti. Si tamen nõ adsit marrubium, pro ipso succedere potest in eosdem usus, ut tamen efficaciæ eius mancæ memores simus.

Mecon, Papauer, Thylacitis, Rhœas.

Papauer omne perfrigerantem uim habet: Sed hortensis, thylacitidis Græcis appellatæ, semen moderatè somniferum est. Verum Rhœadis semen fortius frigefacit: Quare citra læsionem eo quis nõ utitur. Syluestris autẽ semen nigrum existẽs, medicatũ iam est

multum

multũ frigefaciens, maxime Thebani. Sed & succus fortiter perfrigerat, usq; ad stuporẽ & mortificationẽ. Est enim quarti & extremi ordinis perfrigeratiũ.

Mecon ceratitis, Papauer cornutum, Paralium.

Papauer cornutum Græcis etiam paralium uocatur, quoniam ferè circa mare nascitur. Vim habet sectoriam & extersoriã. Quare radix eius cocta in aqua ad dimidias, hepaticis affectionibus prodest, folia & flores sordida ualde & maligna ulcera iuuãt. Sed ab ipsorum usu recedendum est, ubi ulcera fuerint depurata. Nam usq; adeò extergere solent, ut & depura carne aliquid eliquent ac consumant, & ob id etiam crustas ulcerum tollunt.

Mespilum.

Mespili arboris fructus acerbus est, & uentrem plurimum supprimit.

Melea persice, Malus persica.

Malus persica & folijs & ramis amaram qualitatem prædominantem habet, quare & lumbricos occidũt trita umbilico imposita, & aliàs discussorium medicamentum existunt. Fructus eius persicum appellatum, humidioris & frigidioris est tẽperamenti. Caro eius comesta facile corrũpitur, & omnino uitiosa est. Quare nõ oportet ipsa, uelut aliqui faciunt, à reliquo cibo ingerere. Corrumpuntur enim & uentri innatant. Porrò uniuersalis huius regulæ perpetuò memorẽ esse oportet: Quòd quęcũq; mali succi sunt, humida autẽ & lubrica, & quæ facilè aluo secedere possunt, ea prius quàm alia comedere oportet. Sic enim & ipsa cito subeunt, illisq; uiã pręstruunt. Quæ uero postrema sumũtur, etiã alia simul corrumpunt,

Melea Armeniace, Malus Armeniaca.

Armeniacæ mali fructum præcocia appellant. Est autem humidus ac frigidus hic fructus secundo ordine, ubi sanè fuerit maturus, à persico in hoc differt, ipsoq; præstat, quòd non similiter in uẽtre corrumpitur, neq; acescit. Multis uero et iucundior apparet, & propterea stomacho accommodatior.

Malus medica, siue citrea.

Mali medicæ fructus ab omnibus citrium appellatur. Id in semine acidam qualitatem & uim siccatoriam prædominantem habet, ut tertij ordinis sit siccantiũ ac perfrigerantium. At uero in cortice habet quidem siccatoriam uim in secundo ordine, nõ tamen frigidam qualitatem, propter aromaticitatẽ. Caro ipsius crassi succi est & frigida, ob duritiem: semen autem penitus edi non potest, neq; quod acidum esse diximus, neq; eius nucleus qui reuera semẽ existit, amaram qualitatem, & discussoriam ac siccatoriam uim in secundo ordine habens. Sed & folia siccandi ac discutiendi facultatem habent.

Mala omnia.

Cæterũ in alijs malis magna est differentia. Quæcunq; enim adstringunt, frigidum ac terreum succum habent: Quæ uero acida apparent, frigidum quidem, sed tenuium partium habẽt. mediæ autem temperaturæ sunt dulcia, ad caliditatem repentia. Austerorũ igitur malorum usus est, quum aut ob intemperiem calidam aut humiditatem multam, uẽter debilis est. Acerborum uero, ubi eadem multum fuerint aucta. nam adstringentia quantum in ipsis est, supprimunt infernas excretiones. Acida autem cient. Quum igitur suspicio fuerit crassum humorem in uentre collectum esse, non ualde frigidum, hæc exhibebis. Nam & hunc dissecant & infernè subducunt, & propterea excrementa humectant. Vbi uero purum repererint uentriculum, ipsum amplius supprimunt.

Meon.

Mei radices in usu sunt in tertio ordine calfaciẽtes. Siccant in secundo, humiditatem retrimentitiam in sese complexæ. Vrinas itaq; cient, & menses prouocant potu: Amplius acceptę capitis dolorem inducunt, & propter humiditatem, flatus.

Morus, Mora, Sycamina, Sycomora.

Mori arboris fructus, sicamina & sycomora frequenter à plerisq; Græcis uocãtur. si quidem igitur matura & ante reliquum cibum in uentriculum purum ingerantur, celerrimè per intestina secedunt, & alijs cibis uiam præstruunt. Verum post cibum acceptæ, aut uitiatum humorem in uentre reperientia, celerrimè corrumpuntur, & peregrinam quandã, quæ dici commodè non possit corruptionem inducunt, similiter ut cucurbitæ & pepones, ubi non fuerint cõcocti. Tempus usus moris est itidem ut peponibus & cucumeribus, ubi siccum & calidum fuerit uẽtriculi corpus, & ex necessitate etiã hepatis. Tunc enim solummodo omnibus huiusmodi utiliter quis utetur, & ubi quis lõgo itinere aut multo ardore fuerit defatigatus. Tunc enim prosunt squalorem corporis rigantia, & moderatè perfrigerantia. Mora immatura sole siccata diligenter ac reposita, cõmodum adstrictorium medicamentum exhibent, ut etiam dysenterias sanent, & affectiones cœliacas, & alias fluidas. Tunduntur autem & obsonijs miscẽtur, quemadmodum Rhois fructus. Bibũtur etiam cum aqua & uino. Cæterum cortex radicis arboris purgatoriam uim habet cum quadã amaritudine. Quare & latum lumbricum occidit feruefactus cũ uino, eoq; calido meraco poto cyathi mẽsura, & diu suppressos menses prouocat.

Mycetes, Fungi.

Fungi frigidum ac humidum abunde edulium sunt, unde & propè ad uenenatricem uim accedunt, & sanè quidam ex ipsis occidunt.

Myos otis, Auricula muris.

Muris auricula siccat ordine secundo, nullam manifestam qualitatem habens. Succus eius cyathi mensura cum zytho potus, lumbricũ latũ efficaciter expellit.

Myrica, Tamarix.

Myrica incisoriam & extersoriam uim abunde possidet, citra manifestam siccationem. habet & quid adstrictorium, & ob has facultates lienibus induratis conducit, radicibus aut ramulis aut folijs cum aceto aut uino coctis. fructus & cortex non modicæ adstrictionis participes sunt, simulq; extergent, & tenuium partium existunt. Vstæ myricæ cinis siccandi uim acquirit.

Myrsine, Myrtus.

Ex contrarijs hæc planta composita est substãtijs, prædominatur tamẽ in ipsa terreum frigidum. Habet & quid tenuium partium calidum. unde fortiter siccat, & omnes partes ipsius restringendi uim habẽt, tum forinsecus corpori impositæ, tum intrà assumptæ.

Moly, Ruta syluestris, Harmala, Besasa.

Moly aliqui rutam syluestrem uocant, aliqui harmala. Syri Besasa. Vis eius tenuium partium & calida est tertio ordine. Vnde & secat & discutit crassos & uiscosos humores, & urinam promouet. Qui ruri ha-

bitant utuntur eo in diuturno capitis dolore, aqua coquentes, & caput inde rigantes. Similiter & ad reliquas corporis partes perfrigeratas.

N *Nardostachy, Nardi spica.*

Nardi spica primo ordine calfacit, siccat secundo completo. Composita est ex substantia multum adstringente, & acri calida non multa, & quadam modica subamara. Quare & ad iecur & ad stomachum meritò conducit, pota & forinsecus imposita. Vrinas ciet quoque, & stomachi morsus sanat, & fluxiones uentris ac intestinorũ resiccat, itẽ capitis & pectoris. fortior est Indica, nigrior quàm Syriaca existens.

Nardus Celtica.

Celtica nardus consimilem in genere uim cum prædictis habet, sed ad omnia debilior est, præterquàm ad urinas ciendas. Est enim calidior illis, sed minus adstringit.

Narthex, Ferula.

Ferulæ semẽ attenuat & calfacit. Interna eius pars, medulla appellata, adstringentis cuiusdã qualitatis particeps est, ob quã hæmoptoicis & cœliacis prodest.

Napy, Sinapi.

Sinapi calfacit ac siccat quarto ordine. Optimum est Aegyptium aut Syriacũ, & quod mole minus est, & minus cruentè coloratum.

Narcissus.

Narcisi radix siccatoriam in tantũ uim habet, ut uulnera magna glutinet, etiãsi tendines sint concisi. Habet & quid extersorium ac attractorium.

Nerium, Rhododaphne.

Nerium aut Rhododaphne frutex est omnibus notus, qui si forinsecus corpori in cataplasmate imponatur, discussoriam uim habet. Si uero intra corpus sumatur, perniciosus & uenenatus non solum hominibus, sed & plurimis pecoribus existit.

Nymphæa.

Nymphææ radix & semen uim habẽt siccatoriam leuem: Itaque & uentris fluxiones, & seminis per somnum effluxum, aut si etiam aliàs immodicè feratur, sistunt. Prosunt & dysentericis. Cæterũ Nymphæa quæ albam radicem habet, uehementioris facultatis est, ut & muliebrem fluxum sanet. Bibitur & ipsa & quæ nigram radicem habet, in uino nigro austero. Possident & quid extersoriæ facultatis, unde & uitiligines sanãt aqua rigatæ, & alopecias cum liquida pice, præstat ad hæc quæ nigram radicẽ habet, ad reliqua quæ albam.

Ξ. *Xanthium, Lappa, Phasganion, Philantropos, Choëradolethron.*

Xanthium, quidam phasganium, quidam philanthropon, alij choëradolethron appellant. Semen eius discussoriam uim habet. Decoctum corticis radicis potum lienes consumit, & dẽtes motos firmat eiusdem decoctum ex uino collutum.

Xiphion, Gladiolus.

Gladioli radix præsertim superior, uim attractoriam, discussoriam, atque adeò siccatoriam habet.

O. *Oenos, Vinum.*

Vinum ex secundo ordine est calfacientium. Antiquũ ualde, ex tertio, quemadmodum nouum mustum, ex primo. Eadem proportio est siccitatis ad caliditatem. Quandoquidem uero plurimas in uino differentias reperimus, distinguendum est de ipsis quàm breuissimis id fieri potest. Rufa itaque & crassa ex omnibus ad sanguinem generandum commodissima sunt, ut quæ parua egeant in sanguinem trãsmutatione. Deinceps nigra simulq; dulcia ac crassa. Deinde colore quidem rufa aut nigra, compage uero crassa & habentia simul adstringentem qualitatem. His minus ualent alba, simulq; crassa, ac acerba, ad nutritionem: Minime uero omnium alũt colore alba, compage tenuia, & quodam modo aquę similia. Concoquuntur autem in uetriculo & magis distribuũtur dulcia quàm austera, utpote calidiore ui prędita, sed & uentrem magis subducũt. Cæterum ualde crassa, & tardius cõcoquuntur, & tardius in corpus distribuũtur, ubi autem uentriculum robustum nacta fuerint, ut probè concoquantur, amplius nutrimentum corpori præbent. Manifestum est autem quòd & aluum sistunt, & urinæ ciendæ incommoda existunt, in quibusdam crassum succum generantia. Quædam ex ipsis etiam iecur & lienem ac renes obturant, atq; inde aliqui in aquam inter cutem incidunt, aliqui è calculo laborant ex nimio ipsorum usu, & præsertim senes. Optimum uinum est, & sanis, & ex morbo se recolligentibus commodissimũ, quòd colore rufum, compage tenue, & leniter subadstringens existit.

Oxos, Acetum.

Acetum mixtas substãtias frigidam & calidam, utrãq; tenuium partium habet. prædominatur tamẽ in ipso frigida substantia, quemadmodum in principio huius libri prædiximus. Est autem medicamentum abunde siccatorium, ut tertij ordinis sit completi, ubi sanè forte extiterit.

Opos, Laser, Succus Cyrenaicus.

Laser siue succus Cyrenaicus, omnibus alijs calidior & magis tenuium partiũ existit, & ob id etiã magis discussorius. Verũ tamẽ & alij calidi sunt ac flatuosi, hoc est Medicus & Syriacus, quem Laser appellãt.

Origanum.

Origani herbæ tres sunt species, omnes incisoriæ & attenuatorię, siccantisq; ac calfacientis facultatis in tertio ordine. Tragoriganus autem aliquid adstrictorium assumpsit.

Oxyschœnos, Iuncus acutus.

De iũco acuto dicetur in schœni, hoc est, iũci mentione.

Orobus, Eruum.

Eruum siccat secundo ordine intenso, calfacit primo. Quantum autẽ amaritudinis particeps est, tantum siccat, & exterget, & obstructione liberat. Amplius sumptum sanguinem per urinam expellit.

Orobanche.

Orobanche frigidi ac sicci temperamenti in primo ordine est.

Oryza.

Oryza habet quid adstrictorium, quapropter uentrem supprimit. Et est edulium ægre concoctile.

Orchis cynos, Testiculus canis.

Orchis herba, quæ cynos orchis, hoc est canis testiculus dicitur, duplicem radicem bulbosam habet, humidã & calidã, quapropter etiam sapore dulcis est, & maior quidem radix ob multam humiditatem, ad uenerem stimulat pota. Minor uero ad siccitatem repens impetus uenereos compescit.

Orchis altera.

Orchis altera, quam serapiada uocant, sicciorem priore uim habet: quare ad uenerem non similiter cõmoda est,

est. Laxos autem tumores in cataplasmate discutit, & ulcera sordida purgat, & herpetas sanat. sicca uero & putrefactis & malignis ulceribus medetur. Nã & subadstringens quid habet, per quod aluum supprimit cum uino pota.

Osyris.

Osyridis herbæ ex qua scopæ fiunt, amara est qualitas. Verum uis obturatione liberans. unde & malignas circa iecur obstructiones resoluit.

Π *Pancration.*

Pancratij radix & sapore & uiribus Scillæ similis est: quare aliqui etiam utuntur ipsa, scilla non præsente. uerum multo debilior existit.

Paliurus.

Paliuri folia & radix adstringentem non obscurè uim possident, quapropter & fluidum uentrem sistunt. Discussoriam autem in tantum habent, ut & tubercula curent, quæ sanè non ualde inflammata ac calida existunt. fructus incisioriæ facultatis eousque est particeps, ut uesicę calculos & confringat, & expurget, & reiectionibus ex pectore ac pulmone auxilietur.

Panax Herculeus, Opopanax.

Panaces Herculeus est, ex quo Opopanax appellatus fit. qui succus calidus est & discussorius in tertio ordine, siccus in secundo. Cortex radicis siccat & calfacit, sed minus quàm succus. exterget tamen, & propterea ad ossa denudata, & ulcera maligna conducit. Exterget enim & siccat, & carne replet citra mordacitatem. Semen calidum existens menses ducit.

Pentaphyllon, Quinquefolium, Mercurij herba.

Quinquefolium, quę Mercurij herba dicitur, radicem habet siccantem in tertio ordine, minime uero acrem. quapropter multi usus est & tenuibus partibus præditum.

Peplion.

Peplij semen in usu est: Ducit bilem unà cum pituita. flatus quoque discutit uelut Hippocrates scribit.

Pepon.

Pepon maturus substantiæ tenuioris est: Immaturus crassioris, abstersoria autẽ et incisoria facultate participat. Vnde & urinã cient, & corpus illustrius reddunt, præsertim si quis semen siccet, deinde tuso & cribrato pro smegmate utatur, ad maculas solares, & faciei lentigines, ac uitiligines in superficie hęrentes. Dominatur in ipsis humida & frigida temperatura, suntq́ secundi ordinis in utraq́. semen & radix sicca secundi ordinis initio cõsistunt. Vis extersoria amplior est in radice quàm carne. Caro comesta unà cum extersione & urinas ciet, & infernè secedit magis quàm cucurbitæ: at uero semen magis exterget, ut etiam calculosis renibus conducat. Cæterum uitiosum succũ in corpore gignit pepo, magisq́ si non probè concoquatur. Tunc enim cholericos quibus & supernè & infernè bilis prorumpit, efficere solet. Nam & prius quàm corrũpatur ad uomitum aptus est, si amplius edatur, & si quis non ab eius esu boni succi edulium ingerat, omnino uomet.

Piper.

Piper recens pullulans, longum est. quapropter & humidius existit. Quòd uero uelut fructus immaturus est, album piper est, acrius nigro existens. Nigrum enim uelut superassatum iam & superresiccatum est. Vtrumq́ autem fortiter calfacit ac siccat.

Peristereon, Verbenaca, Veneris herba, Sacra herba.

Verbenaca, quam peristereona, & ueneris herbam, ac sacram herbam appellant, capitis dolorem egregiè tollit, inquit Archigenes, coronæ modo imposita, trita quoq́ cum aceto & rosaceo illita, & cocta cum oleo, indeq́ rigato capite, omnem ueterẽ capitis dolorem sanat, & defluos capillos cohibet. Decoctũ radicis calidum ore retentum, dentium dolorem sedat. & motos dentes firmat, & oris ulcera sanat. Cæterũ ad colicos radicem crassius tusam ex aqua ad dimidias coquito, & ad dies quinq́ potui dato. Constat hoc experimento. At uero calculosis & incipienti elephãtiasi, decoctum similiter dato ex aqua mulsa. Vtere similiter & ad comitialem morbum, & ad febres quotidianas ac quartanas. Verũ ad podagricos & Ischiadicos in uino decoctã exhibebis. Radice exuccata fistulæ optime colluũtur, maximè mori succo & melle ammixto. Eadem radix usta itemq́ sicca inspersa, fistulas sanat. Quin & melle cocto excepta, fistulæ collyrij modo inditur, & præter opinionem opitulatur.

Persea.

Perseæ folia astringentis facultatis moderatè participia sunt, ut & partibus è quibus sanguis erumpit, commodè imponi possint. Eadem arida trita pruritus sedant affricta.

Perdicias.

Perdicias relata est in quinto elemento, ubi Elxinen ipsam appellauimus.

Pæonia.

Pæonia relata est in tertio elemento, ubi glycysiden ipsam appellauimus.

Petroselinum.

Petroselini semen maximè in usu est. Herba ipsa imbecillior existit. Semen calidum est & siccum tertio ordine, & incidendi ui præditum. Itaq́ menses ciet & urinas ubertim, insuperq́ flatus discutit.

Peucedanum.

Peucedani radice maxime utuntur, liquoreq́ ac succo eius. Omnia eandem uim habent. fortior est autem succus multum calfaciens ac discutiens. Vnde & neruorum affectionibus conuenit, & morbis pulmonis ac pectoris, ex crassitudine aut uiscositate humorum obortis, tum intra corpus sumptus, tum odoratu. Quo modo & lienes induratos sanat. Radicis usus ad eadem competit, sed & ossium squamas celerrimè disparat. & sicca malignis ulceribus inspersa optime medetur. purgat enim & incarnat, & usq́ ad cicatricem perducit, calefaciens quidem ordine secũdo, siccans autem tertij initio.

Peganum, Ruta.

Ruta syluestris quarti ordinis est calfacientiũ ac siccantium, satiua tertij. Estq́ nõ solum acris, sed & amara, unde & uim secandi ac discutiẽdi crassos & uiscosos humores habet. & per urinas euacuat. Et sanè tenuiũ quoq́ partium est, & flatus discutit, & ob id inflationibus conducit, & uenereos impetus supprimit, ac præclare siccat. nã inter medicamenta fortiter siccantia censetur. Rufus hæc uerba prodit: Syluestris rutæ uis ignea est & ulceratoria, maximè uesicæ. Quapropter etiam qui podagricum pharmacum bibunt, ex ruta syluestri cõstans male affectam uesicam acquirunt. quicũq́ tamen hoc medicamẽtum sustinuerint, manifestam opem ferunt. Nam ad arthriticos præcipuè

puè cōmodum est. Quòd si de satiua ruta quid ammiscueris, securius erit, quanquam & ipsa satiua uesicæ incōmodet, sed minus quàm syluestris. Vtimur syluestri in quibus perfrigeratum quid refouere uoluimus. prodest & hydropi flatuoso, & ei qui subtercus appellatur. prodest & morsis à uipera aut mure araneo, & magis si prægnans mus araneus momorderit, & præsertim animalia subiugalia. Est & forte medicamentū ad papaueris succū potum, & ad aconitū cū uino. Satiua ruta rigores per circuitū repetentes mitigat pota ante accessiones. mitigat & colicos dolores potū & infusum, itemq; uteri strangulatus. Visum acuit in cibo sumpta, & propterea pictores assiduè eam degustantes, acutius cernūt. Quin & melle mixtus succus ipsius, medicamētum euadit uisum exacuēs. Auxiliatur & urinæ difficultati cocta ex oleo, indeq; uesica fota, neq; est aliud medicamētum quod huic hac parte prætuleris. Cæterum in lumborū dolore & spirādi difficultate, data ex aqua mulsa confestim opitulatur. In lethargicis pota & infusa per clysterem, ualde cōmodat. Sed & tritam cum rosaceo & aceto capiti ipsorū illinere oportet. Soluit & coxendicum dolores pota, & in cataplasmate imposita, & infusa per sedem. In cataplasmate imposita podagricis genua inflata habentibus, citò auxiliatur, & dolores mox lenit. Crustas etiam carbunculorum citò disparat, in cataplasmate imposita cum melle aut uuis passis.

Pix.

Pix arida siccat & calfacit secundo ordine, plus autem siccat quàm calfacit. Liquida cōtrà plus calfacit quàm siccat. Habet & quid tenuiū partiū, quo & anhelosis, & suppuratis pectore opitulatur. Satis est delinxisse cyathi unius mensuram melle ammixto. Habet utraq; & extersorium quiddam, & cōcoctorium, ac discussorium. Quare & scabros ungues extrahunt addita cera, & impetigines exterunt. Cōcoquunt & duros ac crudos tumores omnes cataplasmatis ammixtæ. Ad omnia hæc præstat liquida. Sicca ad hæc deterior est, sed ad uulnera glutinādā accōmodatior. Fuligo ex liquida pice sic paratur. In lucernā nouam funiculo instructā ellychnio, liquidā picem mittes, incensamq; ac fictili uase opertā, uelut in thure dictū est, sines. & priore cōsumpto liquore, aliū infundes, donec fuliginē sufficiētē collegeris. Vsus est ad palpebras ornādas, & ubi pilos producere oportet, & ad oculos imbecillos ac lacrymosos & ulcerosos.

Pistacia.

Pistacij fructus substantiam tenuiū partium habet, quę & subamarum quiddam & aromaticum in se complectitur. Quapropter obturata expedit & expurgat, pręsertim circa iecur, imò & pectus & pulmonē.

Pityides, Nux pinea, Nux picea.

Pityides appellantur fructus pinorum, quidam etiam picearum sic appellant. Sunt autem mixtę facultatis, nimirum & adstringentis, & acrimoniam quandam cum amaritudine possidētis. Vnde & reiectionibus ex pectore ac pulmone conferunt.

Pini cortex.

Pini cortex prædominantem uim adstrictoriam habet, in tantum ut intertrigines inspersus optimè sanet, & ambusta ad cicatricem perducat, & aluum fluidam supprimat si potetur. Sed & piceæ cortex huic similis est, uerū uiribus debilior. Vtriusq; arboris folia uim glutinandi uulnera habent. Fuligo porrò ex his ad palpebrarū defluuia, & humectos ac erosos oculorum angulos, itemq; lacrymosos utilis est.

Platanus.

Platanus humidiore ac frigidiore substantia non multum à moderatis abscedit. Vnde et folia uiridia trita in cataplasmate imposita, inflāmationibus quæ adhuc generantur non obscurè opitulātur. Cortex eius & pilulę sicciorē uim habent. Quare cortex quidem aceto coctus, ad dentium dolores adhibetur. Pilulæ uero cum adipe, ad ulcera ambustorum. Quidā corticem exurunt, & medicamentum extersorium efficiunt, quòd cum aqua quidem sanat lepras. Ipso autem cinere per se insperso, ulcera uetera & ob nimiā humiditatem sordida curantur.

Polygonum.

Polygonum habet quidē & adstrictorium quiddam. Dominatur autē in ipso aquosa frigiditas, ut secūdi ordinis sit completi, aut tertij incipientis inter frigefacientia. Vnde et stomacho exusto prodest, foris in cataplasmate imposito, quemadmodū & calidis inflammationibus. Fluxiones enim repellit. Quare & herpeti commodum pharmacum est, & ulcerum omnium, maximè inflāmatorum & fluidorum, item quæ in auribus sunt. nam pus resiccat. Sistit & fluxum muliebrem, & dysenterias, ac sanguinis reiectionem. Ad omnia uero masculum ualidius est & pręstantius.

Polemonium, Philetærion, Chiliodynamon.

Polemoniū alij philetærion, alij chiliodynamō uocāt, tenuium partiū & siccatoriā uim habet. Quare quidam radicem ipsius cū uino ischiadicis, & dysentericis, & ad induratam lienem bibendam præbent.

Polium.

Polium amarū est & mediocriter acre, itaq; omnia uiscera obturatione liberat, & menses ac urinas ciet, & uiride quidem glutinat uulnera, siccum autem maligna ulcera sanat. Præsertim minus poliū, quo & ad antidotos utimur. Nā & amarius est, & acriusquàm maius, ut tertij ordinis sit siccantium, secūdi completi calfacientium.

Potamogeton.

Potamogeton adstringit & frigefacit, similiter ut polypodium. Verum crassiorum partium substantiam quàm polygonum habet.

Polypodion.

Polypodium dulcem simulq; austeram qualitatē prædominantem habet, ut uim habeat multum siccātem citra mordacitatem.

Prasion, Marrubium.

Marrubium calfacit secundo ordine cōpleto, siccat tertio cōpleto. Iecur & lienem obturatione liberat, pectusq; ac pulmonem expurgat, & menses prouocat, & ictericos per nares purgat. Facit & ad aurium dolores iam inueteratos. In cataplasmate impositū exterget & discutit.

Prasum, Porrum.

Porri acrē uim possident uelut cepæ, & iuxta proportionem calfaciūt corpus, & crassos in ipso humores attenuant, & uiscosos secant. Cient & urinā & sanguinem expurgant. Optimus usus est ipsorū bis coctorum. Nam sic comesta acrimoniā exuunt, & succi uitium non amplius habent. Abstinēdum est autē à frequēti usu omnium acrium, & pręsertim si is qui accipiat

accipiat natura biliosior existat. Solis enim his qui pituitosum humorem, aut crudum, aut crassum, aut uiscosum coaceruarũt, hæc edulia cõmoda existunt.

Propolis.

Propolis extersoriam uim non ualidã habet, attractoriã autẽ satis ualentẽ. Est enim substantię tenuiũ partiũ, & calfacit secũdo ordine cõpleto, aut tertij initio.

Ptelea, Vlmus.

Vlmi folijs aliquando uulnus recẽs glutinauimus: adstringunt enim & extergẽt. Cortex eius amarior est, & magis adstringit, quare & lepram sanat cũ aceto. Radices eandem uim habent. unde quidam decocto earum fracturas fouent ad callum recipiendum.

Pteris, Filix.

Filicis radix in usum uenit: occidit enim lumbricos latos quatuor drachmarũ pondere in aqua mulsa pota. Fœtus quoq; uiuos quidẽ enecat, mortuos uero expellit, sed & ulceribus inspersa, ea citra mordacitatem siccat.

Pyrethrum.

Pyrethri radix maximè in usu est, ustoriã uim habens, per quam dentium perfrigeratorum dolores lenit, affricatur & cum oleo in rigoribus per circuitũ repetentibus, ante accessionem. Stupefactis etiam ac resolutis conducit.

Pyri, Triticum, Amylum.

Triticum extrà impositum primi ordinis est calfacientium, & tamen neq; siccare manifestè neq; humectare potest. Quod ex ipso fit amylum, frigidius & siccius ipso euadit. Amylum ideo dictũ, quòd sine mola fiat. Panis triticei cataplasma discussoriam uim habet, nimirum quum sal & fermentum panis assumpserit. Habet enim fermentum uim attractoriam ex alto, simulq; discussoriam.

P *Rhamnus.*

Rhamnus secũdo ordine siccat, frigefacit primo completo, aut secundi initio. unde & herpetas sanat, & erysipelata non ualde calida.

Raphanus.

Rhaphanus calfacit tertio ordine, siccat secundo. Discussoriam uim habet adeò ut sugillata diuturna, aliaq; liuefacta sanet cataplasmatis modo impositus. uerũ ut obsoniũ magis quàm alimentũ, attenuãtis facultatis est simulq; calfacit. Quare meritò mirari subit illos qui à cœna ipsos crudos edũt, bonæ cõcoctionis ergò. Etenim ipsi magnũ eius rei experimẽtũ se fecisse iactãt, uerũ nemo citra læsionẽ ipsos imitatus est.

Rheon Ponticon, Rha.

Rheon ponticon aliqui rha appellant, mixtam autem facultatem habet, adstringentem & calfacientem, & tenuium partiũ. Vnde & rupta, & cõuulsa, & erecta ceruice spirationem emendat potum. Hæmoptoicis item ac cœliacis & dysentericis prodest. Impetigines quoq; & liuefacta persanat, cum aceto illitum.

Resinæ omnes.

Omnes resinæ siccant & calfaciunt. Differũt inter se secundum quod magis aut minus habent acrimoniæ in sapore, & calidæ facultatis, & simili modo iuxta alias qualitates, quòd aliarum magis, aliarum minus participes existũt. Omnibus autem præfertur lentiscina, mastiche appellata, propterea quòd parũ adstrictionis possidet, ut & stomachi & uentris ac hepatis debilitati conducat, insuperq; & citra molestiam siccet. Est autem maximè tenuium partiũ, minimeq; acris. Inter reliquas terebinthina principatum obtinet, nõ similiter ut mastiche adstringens, sed discutit magis quàm mastiche, & exterget in tãtum, ut & scabiẽ deterat, & ex alto attrahat, magis quàm cæteræ resinæ, quod etiam magis tenuium partium existat. Habet & quid mollitoriũ amplius quàm mastiche. Aliæ porrò omnes resinæ acriores hac sunt, pro maioris ac minoris acrimoniæ ratione. Siccissima omnium resinarum est sicca pinus resina, quam priuatim pinus physema appellant.

Resinæ quomodo urantur.

Vritur omnis resina liquida in quadruplici uase, liquoris infundẽdi respectu. Oportet enim resinæ quidem congium unum, duos uero pluuialis aquæ in cacabũ diffundere, & ad prunas leniter coquere, assiduè agitando, donec resina odorẽ perdat, friabilisq; fiat, & penitus exarescat, ut etiã digitis confringi possit. quod ubi contigit, refrigeratã in fictili uase repones. Fit autẽ hoc modo excellenter alba. Oportet tamẽ urendam resinã prius excolare, & sordes ab ipsa separare. Vtuntur & citra aquam, primum quidem eliquatæ ac colatæ, deinde coctæ ad prunas per totũ diẽ, assiduè agitando, & ubi penitus expirarint tolluntur, ac reponuntur uelut dictum est. Excipitur ex resina etiam fuligo, ueluti in thure prædictum est, & confert ad calliblephara, quæ ornãdis palpebris deseruiunt, & ad lacrymosos oculos, & corrosos ipsorum angulos, & glabras oculorum genas. Torrefacta uero resina utilis est ad odorata malagmata itẽq; acopa appellata.

Rosæ.

Rosarum facultas ex aquosa calida, duabus alijs qualitatibus ammixta, adstringenti uidelicet & amaræ, composita est. Flos ipsarũ adhuc magis q̃ rosæ adstrictorius est, & propterea etiã siccandi ui præditus.

Rhododaphne.

De rhododaphne diximus, ubi nerion ipsam appellauimus.

Rhoa, malum punicum.

Omne malum punicũ adstringẽtis facultatis particeps est, nõ tamẽ ut ea omnino prædominetur: sunt enim aliqua ex ipsis acida, quædam dulcia, quædã austera. Quare ex his quæ in malorum tractatu diximus, etiã de his cõiectare licet. Succũ autem uberiorẽ habent quàm mala aut pira, saporemq; insuper iucundiorem quàm illa habent, & aliquando ad plures affectiones quàm illa cõmodant, cum aliàs, tũ siquando stomachus ob uitiatorũ humorũ redundantiam morsum percipit. quo sanè tẽpore succus ipsorũ cum polenta exhiberi debet, uelut Hippocrates in fœmina cardialgusa faciendum præcepit, quæ uidelicet oris uentris morsum & dolorem percipiebat. Acini punicorum magis adstringunt quàm succus, magis quoq; siccant. his uero amplius adhuc cortices. Quibus consimilem uim etiam cytini possident.

Rhus.

Rhois folium adstringit et siccat, hoc coriarij tinctores utũtur. Medicis fructus & succus magis in usum ueniunt, multum austeram qualitatem habentes. Siccant enim ordine tertio, perfrigerant secundo.

Rhypos, Sordes, Patos.

Sordes à statuis gymnasiorum discussoria est & mollitoria crudorum tuberculorum. Quæ uero in palæstris colligitur, patosq; Gręcis appellatur, optimũ

medicamentum est inflammatarũ mammarum. Nã & feruorem extinguit, & influentia reprimit, & cõtentum discutit.

Σ *Sagapenum.*

Sagapenum succus est calidus & tenuium partium, uelut reliqui succi. Habet & quid extersoriũ, per quod cicatrices in oculis depurgat & attenuat. Quin & suffusionibus & hebetudini uisus, ex humorũ crassitudine obortis commodum pharmacum existit.

Sampsuchum.

Sampsuchum tenuium partium ac discussoriam uim habet: siccat enim & calfacit tertio ordine.

Saprotes xylon, Caries lignorum.

Caries ac putredo lignorum, maximè eorum quæ adstrictionis simulq; extersionis participia sunt, uelut est ulmus, humida ulcera optimè purgat ac replet.

Sarcocolla.

Sarcocolla lacryma est arboris persicæ, mixtis uiribus prædita, ex substantia quadam meatus obducēte, & modica quadam amara. Vnde leuiter siccat, & sic uulnera glutinat.

Satyrion

Satyrion quidã etiam trifolium uocant, humidi est & calidi temperamenti, quapropter & gustantibus dulce apparet. Superfluã tamen & flatuosam humiditatem possidet, & propterea ad uenerẽ stimulat. Quod etiam radix herbæ facere solet. Quidam tradunt etiã opisthotonum, hoc est, neruorum retrorsum distentionem per ipsam sanare è uino austero potam.

Selinum, Apium.

Apium in tantum calidum est, ut & urinas & menses cieat. Flatus quoq; discutit, & magis ipso semine.

Seris, Cichorium, Picris.

Seris siue cichorium subamarum olus est, & magis utiq; syluestre, quod propterea picris Græcis appellatur. Est autem syluestris, frigidæ ac siccæ temperaturæ primo ordine. Satiua magis frigefacit quàm syluestris, uerum ob multæ humiditatis mixturam, siccandi uim perdit. Vtraq; autem adstringentis qualitatis particeps est, quẽadmodum & chondrilla. Nã & hæc seridis species existit.

Seseli.

Seselis & radix & semẽ in tantũ calfaciũt, ut urinę ciendæ sufficiant. Est autẽ tenuiũ partiũ, ut & morbo comitiali, & spirationi quæ recta ceruice fit, conducat.

Sesamum.

Sesamum nõ modicã uiscositatẽ & pinguitudinẽ in se habet, unde & meatus obducit & mollit, & moderatè calidũ est. Eandẽ uim habet & oleum ex ipso.

Sideritis.

Sideritis habet quidem quid extersorium, sed maior pars ipsius humida est, & moderatè frigida, estq; modicæ cuiusdã adstrictionis particeps. unde & inflammationes arcet, & glutinandi uim habet.

Sicya, Cucumeres.

Cucumeres satiui urinã ciẽt, uelut etiã pepones, sed minus quàm illi, propterea quòd & substãtia ipsorum minus humida quàm illorũ existat, & ob id neq; ita facilè corrũpuntur in uentre uelut pepones. Quidã ipsos cõcoquũt familiaritate quadã naturæ ad ipsos, & ubi in hoc confisi securè eos ingesserint, ignorant quod tẽporis progressu uitiosum & moderatè crassum succũ, ex ipsorũ esu in uenis coaceruarũt, qui sanè succus ubi putrescere inceperit, febres malignas inducit. Quapropter ab omnibus mali succi eduliis abstinere cõsultũ esset, etiã si aliq; facilè ipsa cõcoquat.

Sicyos agrios, Cucumis syluestris, Elaterium.

Cucumeris syluestris seminis succus siue liquor, qui elaterium appellatur, imò etiam radicis & foliorũ succus, utiles sunt ad medendum. Elaterium itaq; mẽses ciet, & fœtus appositum perdit. Summè enim amarum est, & modicè calidum, ut secundi ordinis sit calfacientium. & ob id etiam discussoriã uim habet. Itaq; & angina laborantes quidam ex ipso illinunt. Infunditur & ictericis in nares cum lacte muliebri, atq; hoc modo etiam capitis dolores sanat. Cęterum succus radicis & foliorũ imbecillior est quàm seminis. Sed & ipsa radix consimilem uim habet. Nam & exterget, & discutit, & mollit. Verũ cortex ipsius maiori siccatoria ui præditus est.

Silphium.

Silphii calidissimus quidẽ succus est, sed & folia, & caulis, & radix generosè calfaciũt. Suntq; omnia flatuosioris & aëreæ substantiæ, & propterea etiam ægrè cõcoquuntur. Forinsecus tamẽ imposita efficaciora sunt, & maximè omniũ succus, attractoriã uim habens, corporis itẽ molem consumens ac colliquans.

Sinon.

Sinon calidi & subamari saporis est, unde & urinam ciet, & cõcoctorius existit, & menses prolicit, & obturationes uiscerum expedit.

Sion.

Sion in quantum aromaticum saporem habet, in tantũ calfacientis & siccantis facultatis particeps est. Discutit autem, & urinam ciet, & calculos renũ atterit, & menses ducit.

Sisymbrium.

Sisymbrium tenuium partium & discussoriam, calfactoriamq; ac siccatoriã uim tertio ordine habet. Semen quoq; ipsius tenuium partium & calidum est. Quare quidam id cum uino singultientibus & torminosis bibendum præbent.

Scandix.

Scandix syluestre olus est consimile gingidio, subacre & subamarum, ut in siccando ac calfaciẽdo tertii ordinis sit exoluti. Vrinam etiam ciet, et uiscera obturatione liberat.

Scilla.

Scilla incisoriam uim abunde possidet, non tamen fortiter calidam, sed in secundo ordine calfacientium.

Scolymus, Carduus.

Cardui radix multam urinam fœtidam ducit, si uino decoctam quis bibat, & propterea alarum & totius corporis fœtores sanat. Calida est tertii ordinis initio, sicca secundo.

Scordion.

Scordiũ ex multiformi facultate constat. Nam & amarum quid & acerbũ & acre habet. Expurgat itaq; simulq; calfacit uiscera, & menses & urinas mouet, & uulsa & rupta ac laterum dolores ex obturatione factos sanat potũ. Viride cataplasmatis modo impositum, uulnera magna glutinat. Aridũ inspersum, sordida repurgat, & maligna ad cicatricem perducit.

Scorodon, Allium.

Allium calfacit ac siccat quarto ordine. In cibo sumptum flatus dissipat, & sitim extinguit, & crassos uiscososq; humores secãdo obturatione liberat. Habet & quid medicatum & mali succi, quod abiicit aqua coctum.

coctum. Fugiendus est eius assiduus usus, præsertim in calidioribus habitudinibus.

Smyrna, Myrrha.

Myrrha secundi ordinis est calfacientium ac siccantium. Inspersa capitis uulneribus, ea glutinare potest. Amaritudinis autem non modicæ particeps est, per quam & lubricos, & foetus occidit ac eijcit. Habet & quid extersorium, unde & ocularibus compositionibus additur, quæ ad ulcera & cicatrices crassas compositæ sunt. Miscetur & in anhelosorum ac tussientium auxilia, item in arteriacas compositiones: non enim exasperat arteriam.

Smyrnium, Hipposelinon.

Smyrnium, alij hipposelinon uocant, ex eodem genere est cum apio & petroselino, uerum semē nigrum & multò maius habet, & est apio ualentius, petroselino imbecillius. calfacit ac siccat ordine tertio, menses ducit, & urinas ciet.

Sonchus, Cicerbita.

Sonchus uiridis adhuc & tener, uelut alia syluestria olera, comeditur. Cōponitur ex aquosa & terrea substātia, utrisq; frigidis, & adstrictionis quid habet. Manifestè itaque perfrigerat, tum stomacho cataplasmatis uice impositus, tum in cibo acceptus.

Spartum, Genista.

Sparti quo uites apud nos ligāt, & fructus, & uirgarū succus attractoriam uim non instrenuam possident.

Stacte.

Stacte appellatur recentis myrrhæ pinguitudo, si cum aqua modica tūdatur, & per organum exprimatur. Est autem ualde odorata & preciosa, & per se unguētum, quod stacte appellatur. Probatur quę nihil olei admixtum habet, & modica sui parte multam uim calfactoriam possidet, ad proportionem myrrhæ & unguentorum calfacientium.

Staphylinus, Pastinaca, Daucus.

Pastinaca satiua imbecillior est, syluestris, quā et daucū appellant, ad omnia fortior, urinas mouet, & mēses prouocat. Habet & quid extersorium in sese.

Stoechas.

Stoechas amarę & adstringētis qualitatis particeps est. Est & tenuium partium ex odoris argumento. Itaq; & obturatione liberare, & attenuare, & roborare, tum uiscera omnia, tum totū corporis habitū potest.

Struthium, Herba lanaria.

Struthij radix in usu est, calida & sicca quarto ordine existens. Est autem extersoria & iritatoria, propterea q; sternutamenta mouet.

Styrax.

Styrax mollit, calfacit, cōcoquit. Quapropter & tusses, & destillationes, & grauedines ac raucedines sanat, mensesq; promouet potus & appositus. Fuligo ex ipso fit uelut ex thure, quæ eandē quoq; uim habet.

Staphyle, Vua.

Vua magis quàm omnes tēporarij & subcaniculares fructus, horæi Græcis appellati, nutrit, & maximè ubi probè fuerit concocta. Minus autē nutriunt uuę quàm ficus, & quod in ipsis pręcipuum est citò secedunt. Quare si quando retineantur, satis multum offendunt. Neq; enim probè concoquuntur recētæ, sed & iuxta distributionem in hepar ac uenas, crudum succum generant, qui non facilè in sanguinem transmutantur, tum propter externam cuticulam, tū propter uinacea, quorum substantia sicca & adstrictoria existit. Quapropter rectè faciunt qui hæc ipsa uelut inutilia expuunt, & omnem internā carnem unà cum succo exugunt, & sanè uenter his magis subit. Reponuntur autē uuæ in hyemē uarijs modis. Alij in olla cōponunt, olla uidelicet diligenter operta, & operculo pice oblito, ut nullatenus perspirēt aut perflentur. Atq; talis uua exolutū uentrem firmat, & ciborum appetentiā excitat, non tamen aluo secedit, & uberius ingesta, caput tētat. Sed adhuc magis capitis dolorē inducit quæ in musto seruatur. Pensilis autē caput nihil omnino lædit, uentrē uero neq; sistit, neque promouet. Similiter neq; infirmam appetētiam excitat, neq; firmā exoluit. Vuæ quidem igitur dulces calidiorē succum habent. Quapropter sitim inducunt, & uentrem subducūt, præsertim ubi humectiores fuerint. nā inter calfacientia ac perfrigerantia medio modo habent. At uero acidæ & austeræ, & quæ cuticulam crassiorē habent, non solū prædicta uitia habēt, sed & concoctionē in uentre & distributionē ac nutritionē impediunt. Cæterum in summa de escarijs fructibus id nosse oportet: Humidos, humidū & tenue alimentū corpori prębere, & quod uniuersum corpus transeat ac citò penetret, facileq; & per urinā & per cutē euacuetur. Contrà solidorū compage fructuum, alimentū quod corpori accedit crassum est, & transitus tardiores, præsertim ubi crassum aut uiscosum aut adstringentem succum in se habuerint.

Syca, Ficus.

Quod non solum autumnales, sed etiam temporarij ac æstiui & subcaniculares fructus, horæi Gręcis appellati, cōmune habēt, id & ficubus adest. nam neq; ipsę succi malitiā effugere potuerunt. Verū hoc commodi ficubus inest, quòd facilè per uentrem trāseant, & totum corpus penetrēt. Nam & uim extersoriā memorabilem habent, & nephritici ex ipsarum esu multa arenosa excernunt. Alimentum autē præbent corpori non solidum, sed laxum, & ipsum uentriculum flatu implent. Verum ob transitus celeritatem, flatus illi non durant: & ea gratia minus quàm reliqui fructus nocēt. Et sane ficus exactè matura ferè nihil noxij habet. Ficus uero siccæ calidiorem uim possident secundi ordinis initio. Habent & quid tenuium partium, quod ad multa conducit. Illud tamen mali ex nimio ipsarum esu accedit, quod non ualde bonum sanguinem caricæ gignant. Vnde & pediculorū copia ad earum esum consequitur. Si uero uitiosus succus iam tum in uentre contineatur, caricæ comestæ extremè lædunt. augent autem humorum maliciam in uentre corruptæ, & infernè non secedentes. Vim habent attenuantem & incisoriam, ob quam etiam uentrem ad excretionem incitant, & renes expurgāt. Iecori & lieni inflammatis quidem noxiæ sunt, quēadmodum etiam uirides ficus, iuxta communem rationem omnium dulciū. Iisdem uero obturatis aut induratis, cum thymo aut pulegio, aut thymbra, aut calamintha, aut origano, aut pipere, aut zingibere, multo ante reliquum cibum tempore intercedente medici præbent. Qui uero cum aliquo crassiore edulio ficus edunt, itemq; caricas, non paruam lęsionem incurrunt. Ficus siccæ duros tumores concoquunt ac discutiunt, ob partium tenuitatem, si in cataplasmate imponantur. Decoctum quoque ipsarum cōsimilem uim habet. Cæterum ubi concoquere uelis, triticeam farinam ammiscebis, ubi discutere, ordeaceam.

ceam. Et pinguiores quidem caricæ, tumores concoquunt, acriori uero sapore prædití extergent ac discutiunt. At uero mellitum ex ipsarum in aqua coctura paratur, uim melli similem habet.

Symphytum petræum.

Symphytum petræum ex cõtrarijs facultatibus cõstat: habet enim quid incisoriũ, quo pus in pectore ac pulmone contentũ expurgat. Habet & quid adstrictorium, quod ad sanguinis reiectiones auxiliatur. Verum ob humiditatẽ, commanducatum sitim extinguit, & arteriæ asperitates lenit. At uero ob omnes prædictas facultates, etiã intestinorum hernijs imponitur, & ad cõuulsa, ac rupta cũ aceto mulso bibitur.

Sycomora.

Sycomorum fructus forma ficubus similis est, sed acrimoniam nullam possidet, modicæ dulcedinis particeps, humectior & frigidior quodãmodo ui sua existens, uelut mora. Et sanè in medio mororũ ac ficuũ meritò locatur, unde etiam nomen habet.

Schinus, Lentiscus.

Lentiscus arbustum ex substantia aquea leniter calida, & terrea frigida nõ multa compositum est, propter quam etiam moderatè adstringit. Siccat igitur tertij ordinis initio, iuxta caliditatem uero & frigiditatẽ temperatũ est. Similẽ uim in omnibus suis partibus possidet, unde & per se, & cum alijs medicamẽtis bibitur, ad cœliacas affectiones, & dysenterias, & sanguinis sputa, & sanguinis ex utero eruptiones, prolapsæ quoq; sedi ac utero præcipitato commodat, propemodum uelut hypocystis.

Schœni siue iunci rotundi odorati flos.

Iunci odorati flos calfacit moderatè, & adstringit moderatius, particeps est & tenuium partiũ facultatis, unde & menses ciet, & urinas ducit, in fomentis, & potu, & cataplasmatis adhibitus. prodest & hepatis & uentris ac stomachi inflammationibus.

Schœnos lea, Iuncos leuis, Oxyschœnus, Holoschœnus.

Iunci leuis altera species oxyschœnos, id est, acutus iuncus: altera holoschœnos, hoc est, tota iuncea appellatur. Gracilior quidem & durior est iuncus acutus, crassior autem holoschœnus, & laxior. Huius fructus somnum inducit. Iunci acuti species duæ sunt. altera sterilis, & medicinæ inutilis. Altera fructifera, cuius item fructus somnum conciliat, sed minus superiore. hæc & capitis dolorem inducit. Vtraq; species torrefacta ex uino pota, fluxiones uẽtris siccat, & fluxum muliebrem rursum sistit. Et propterea temperamentum ipsarum terreum leniter frigidum esse indicatur, & aqueum leniter calidũ, quapropter inferna siccat, & leniter ad caput decurrẽs perfrigerat, atq; sic somnolentos eos qui utuntur facit.

T *Terebinthus.*

Terebinthi folia, cortex & fructus, habent quid adstrictorium, sed & calfaciũt ordine secundo. Fructus est propinquus tertio ordine siccantium. Quapropter & urinam ciet, & lieni prodest.

Teutlon, Beta.

Beta nitrosam quandam uim possidet, qua exterget & discutit, & per nares expurgat. Cocta nitrosum & acre deponit, & ad discussoriã leniter facultatẽ, uis arcendi inflammationes ipsi accedit. Alba extersioni ac discussioni efficacior. Nam nigra adstrictionis particeps est, & magis in radice. Quum autẽ extersorium succum habeat, etiam uentrem ad excretionem excitat, & stomachum quandoq; mordet, præsertim illis quibus subtiliore sensu prẽditus est. & propterea incommodum stomacho eduliũ est, si uberius ingeratur. Præstantior autẽ est quàm malua ad hepatis obturationes, atq; id magis ubi cũ sinapi, aut aceto edatur. quomodo comesta etiam splenicis conducit.

Tephra, Cinis omnis.

Lignorum exustorũ aut aliarum materierũ reliquiæ, cinis appellantur. Constat ex contrarijs substãtijs & qualitatibus. Habet enim in se quiddam terreum, & quid fuliginosum. Fuliginosæ itaq; partes tenuium partium sunt, & ubi cinis aqua maceratur & excolatur, simul decedunt. Quod autẽ relinquitur terreũ, debile ac lene euadit, ut quod calidã uim in aquã deposuit. Porrò non omnis cinis eandem uim exactè habet, sed iuxta ustæ materiæ differentiã uariant. Nã ex lignis acerbis, uelut quercinis & similibus, nõ parum adstrictionis habet in terrea sui parte, unde & sanguinis eruptiones cohibet. Cæterum ficulneus cinis multũ acrimoniæ ac ustoriæ facultatis in fuliginosa sui parte possidet: in terrestri uero parte uim extersoriam. Cõsimilis huic est & cinis ex tithymallis. Est autem & titanus, hoc est, calx cineris species, magis tenuium partium existens, quàm is qui ex lignis reliquus est. Calx itaq; aqua exactè ter aut quater lota, & aqua diffusa, medicamentum euadit siccatorium citra mordacitatem. Quod si eadẽ aqua marina lauetur, discussoriam uim acquirit.

Telis, Fœnumgræcum.

Fœnumgræcum calidum est ex secũdo ordine, siccum ex primo, participat & extersoria facultate, & propterea feruentes inflãmationes exacerbat. minus calidas & induratas discutit. In cibi usum uarijs modis uenit, sed caput tentat amplius sumptum, præsertim absq; pane ingestũ. quibusdam etiã stomachum subuertit. Succus decocti fœnogræci, cum modico melle acceptus, omnes uitiosos humores intestinorũ commodè subducit. Sed parum omnino mellis ammisceri debet, ne mordax existat. Cæterum in uetustis pectoris doloribus citra febrẽ, palmulas pingues simul cũ fœnogræco decoquere oportet, & expressum succũ ammixto melle rursus decoquere ad prunas donec moderatè crassescat, atque ita eo uti multo tempore ante reliquum cibum intercedente. Vitãdus tamẽ eius usus est in his qui caput læsioni obnoxiũ habet. Nam & palmulæ ipsæ caput tentant.

Tithymalli, Galactides, Characias.

Tithymalli omnes, qui & galactides appellantur, acrẽ & calidam uim habent prædominantem. Inest ipsis & amaritudo. Fortissimus igitur est succus, deinceps fructus & folia. particeps est & radix prædictarum facultatum, sed non ex æquo. Ipsa quidem igitur cũ aceto cocta, dentium dolores & maximè erosorum sedat. succus quarti ordinis est calfacientium, qui iam ustorius existit. Quapropter illiti succi pilos denudant, sed uehemens ipsorum uis oleo ammixto mitigatur, & si frequenter id fiat, radices pilorum exustę penitus extirpantur, & corpus glabrũ redditur. Eodem modo & uerrucas, ac thymos ex eadem uerrucarum gente appellatos tollunt. Impetiginẽ quoq; ac scabiẽ exterũt. Cortex radicis eius qui priuatim Characias appellatur, in umbra siccatus, tusus & cribratus, generosè purgat potus. Oportet autem quatuor scrupu

scrupulorum pondus à uespera in uino dulci macerare, & manè excolatum uinum per panniculum tepefactum potandum exhibere.

Tragacanthus.

Tragacanthus succus est plantæ spinosæ, similem gummi uim habens. quæ & meatus obducit, & acrimoniam obtundit, & sanè siccat quoq; similiter illi.

Tribulus.

Tribulus ex moderata humida, & frigida ac sicca substantia constat. Cæterum in terrestri terrea frigiditas prædominatur, ob quam & magis adstringit. In aquatili uero aquositas. & propterea feruentibus inflammationibus conueniunt. Terrestris fructus renũ calculos atterit potus.

Triphyllon, Trifolium.

Trifolium Græci asphaltion è bituminis odore appellant, estq; calidæ ac siccæ facultatis in tertio ordine ueluti bitumen, & propterea potum laterũ dolores ex obturatione obortos sedat, & urinã ac mẽses ciet.

Trychnon, Solanum.

Trychnon aliqui adiecto ad caput uocis litera σ strychnon appellant, & hortense quidẽ adstringit & frigefacit ordine secundo. Quod uero halicacabon appellatur in foliorũ facultate simile est hortensi. uerũ fructus eius urinã ciet. At uero cortex somniferi appellati de radice detractus, frigefacit similiter ut papaueris succus, ut tertij sit ordinis perfrigerantium. Fructus etiam huius urinam ciet, sed si plures quàm duodecim corymbi sumantur, furorem inducit.

Y *Yacinthus, Hyacinthus.*

Hyacinthi radix bulbiformis primi ordinis est siccantium, secundi perfrigerantium. Creditur pueros diu impuberes adseruare, si cũ uino in cataplasmate imponatur. Semẽ moderatè adstringit & exterget, unde ictericis datur ex uino. Siccat ordine tertio, uerũ caliditatis & frigiditatis in medio consistit.

Ydna, Tubera.

Tubera terream substantiam prædominantem possident, modica tenuium partium ammixta.

Ydropiper, Hydropiper.

Hydropiper herbula est in aqua nascens, & folijs & ramulis mentæ similis, maior tamen, gustu acris uelut piper. semina fert parua iuxta singula folia, herba calida quidem est, sed non quantũ piper. Viridis imposita sugillata & duritias sanat. Vtuntur quidam ipsa unà cum semine pro condimento piperis loco.

Yoscyamus, Hyoscyamus.

Hyoscyamus cõmodissimus est ad medicinas, qui florem & semen album habet tertij ordinis perfrigerantium existens: Reliqui uenenati sunt.

Ypericon, Hypericum.

Hypericum calfacit ac siccat, substantiam tennium partium habẽs, ut & urinas & menses prouocet. Ad hęc uero non modo semen, sed etiam folium conducit. Viride in cataplasmate impositum, ulcera ad cicatricem perducere potest, præsertim ambustorum. Siccũ tritum inspersum, humore flaccida & putredinosa ulcera sanat. Quidam etiam ischiadicis ipsum bibendum præbent.

Yssopus, Hyssopus.

Hyssopus calfacit ac siccat ordine tertio. Estq; tenuium partium substantiæ.

Φ *Phaci, Lentes.*

Lentes nõ ualidè adstringũt, in caliditatis autem & frigiditatis medio consistunt. Siccant ordine secundo. Itaq; corpus ipsarum siccat ac sistit uentrem. Decoctum autem promouet. Quapropter ubi sistendi uẽtris gratia sumuntur, prima aqua diffunditur.

Phacos palustris, Lens stagnorum.

Palustris lens humidi & frigidi temperamenti est, ex secundo ordine.

Phaseli.

Phaseli itemq; ochri, media quodãmodo edulia sunt, inter ea quæ boni sunt, aut mali succi, facileq; concoquuntur aut ægrè, tardèque commeant, aut citò, flatus expertia aut inflantia, parum nutrientia aut multum.

Phlomos, Verbascum.

Verbascum tres species habet, quarũ radix acerba est, unde & fluidis affectionibus auxiliatur. Quidã decocto eius dentes in dolore colluunt. Folia omnium dissussoriam & extersoriam uim habent. Tertiæ usus est lucernarum lumina, quæ propriè thryallis appellatur.

Phœnix, Palma.

Palma arbor abstringentis qualitatis particeps est in omnibus suis partibus, ramorũ succus austerus est. similiter quod cerebrũ uocatur, quod in cibi usum uenit, fructus ipsius maximè dulcis, non modica caliditate participat, escarius & multi usus, tum forinsecus adhibitus, tum intra corpus sumptus, ubi roborare, & siccare, & cõstringere ac densare, & obturare opus est. Omnes palmulæ ægrè cõcoquuntur, & capitis dolorem inducunt amplius comestæ. Quidam ab earum esu morsum percipiũt in ore uentris, qui sanè etiam magis capite dolent. Succus qui ex ipsis in corpus distribuitur, crassus penitus est. Habet & uiscosum quiddam, ubi pinguis palmula fuerit. Quando autem crasso & uiscoso succo dulcedo permixta fuerit, iecur celerrimè ab ipsis obturatur. Si uero aut inflammatum fuerit iecur, aut induratum, ab ipsarum esu extremè læditur. Consequenter autẽ cum iocinore etiam lien obturatur, ac læditur. Cæterum multò magis lædunt palmulæ uirides etiã paulò uberius ingestæ. nam & flatu uentrem implent, & crudis humoribus, & qui esitarunt rigoribus ægrè calescentibus corripiuntur, Porrò germen tenerum quod Elaten uocant, uim eandem cum cerebro habet. Quod uelut tegmen & uelamen ipsius est, adstrictorium quidem est, uerum magis prædictis siccat. Est autem & radix arboris siccatoriæ citra mordacitatem facultatis, & modicè adstrictoria.

Phu, Nardum creticum.

Phu radix nardo similem uim habet, debilior tamẽ ad alia est, uerum urinam magis ciet.

Phycos, Alga, Fucus.

Fucus siue alga, muscus est marinus, qui uiridis exemptus frigefacit & siccat ordine secũdo. habet & quid adstringens moderatè.

X *Chalbana, Galbanum.*

Galbanum succus est ferulaceæ plantę, mollitoriam & discussoriam uim habens. Calfacit ordine tertio, siccat secundo.

Chamædrys, Trixago.

Chamædrys amaram qualitatẽ prædominantẽ habet, est & aliquo modo acris, unde & lienem colliquat, & urinas & menses mouet, & crassos humores secat, & uiscerũ obturationes expurgat. Tertij ordinis est

est calfacientium ac siccantiũ. Decoctum ipsius diutius coctum, & assiduè potum, febre quartana correptos liberat.

Chamelæa.

Chamelæa amaram qualitatem prædominantem habet. Quapropter & sordida valdè ulcera, & quæ maximas crustas habẽt, cum melle repurgare potest. Est & pota ex purgantium numero.

Chamæleuce.

Chamæleuce calidam uim habet ordine tertio, siccam primo. Vnde suffita super carbones manifestè opitulatur ægrè spirantibus, si per infundibulum fumum inde hauriant.

Chamæleon.

Chamæleonis nigri radix uenenosum quid habet, unde eius usus forinsecus receptus est ad scabiem & impetiginem, ac uitiliginẽ, & in summa ad ea quæ extersiõe opus habẽt. Particeps est & mollitoriæ ac discussoriæ facultatis. Siccat autem ordine tertio, calfacit secundo completo. At uero albi chamæleonis radix pota ex uino austero, acetabuli mensura, latum lumbricum expellit. Dant ipsam & hydropicis.

Chamæpitys.

Chamæpitys tertij ordinis est siccantium, secundi calfacientium. Quum autem plurimum amara sit, exterget uiscere magis quàm calfacit. unde in regio morbo exhibetur, & omnino quibus iecur facilè obturatur, cõmodum medicamẽtum existit. Ducit & menses pota & cum melle apposita. Ciet quoq; urinam. Quidam ischiadicis ipsam præbent coctam in aqua mulsa. herba ipsa uiridis magna uulnera glutinare potest, & putredinosa ulcera sanare, & mammarum duritias discutere.

Chelidonium magnum.

Chelidoniũ magnũ extersoriã & calidam uim abunde possidet, succus eius uisum exacuit, his quibus crassum quid quod discuti oporteat, circa pupillã colligitur. Quidã radice usi sunt in morbo regio ex iecinoris obstructione oborto, ex uino albo dãtes cũ aniso.

Chelidonium paruum.

Chelidonium paruum maiore acrius est, unde in cataplasmate impositum cutem exulcerat, & ungues leprosos exterit. succus eius per nares fortiter purgat: est enim quarti ordinis calfacientium ac siccantium. Malus tertij in utrisque.

Chondrilla.

De chondrilla diximus quum de seride ageremus: est enim seridis species.

☧ *Psyllium.*

Psyllij semen maximè in usu est. Secundi ordinis est frigefacientium. Verum in siccando & humectando medium locum occupat.

Ω *Ocymum Basilicon, id est, regale.*

Ocymum secundi ordinis est calfaciẽtium. habet & humiditatem superfluam, unde neq; utile est ipsum intra corpus sumere. uerum forinsecus in cataplasmate impositum ad discutiendum ac concoquendum cõmodat. Decoctum ipsius lippientibus ob crassioris materiæ copiam, calidum pro fomento adhibitum, magnopere prodest, præsertim pueris.

AETII TETRABIBLI PRIMAE, SERMONIS PRIMI, FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN SECVNDO SERMONE AETII CONTINENTVR.

*

Sanda

d Cica

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI PRIMAE

SERMO SECVNDVS.

*

Quæcunque sunt plantarum partes, & fructus, & succi, & liquores, superiore sermone relatum est. Nunc uero de reliquis medicamētis, terræ uidelicet speciebus, & metallicis iuxta propositum agemus: Deinceps etiam de animalibus.

DE TERRAE DIFFERENTIIS. *Cap. I.*



TERRAM omnes homines familiari usurpatione illam substantiā solum nominant, quæ liquore subacta, lutū euadit. Nā quæ inter metalla reperitur, nō liquescit, dico autem liquefieri, per totā substantiā in humorem resolui. madefieri autem in superficie, rigari tantum humore ad corporū profunditatem non penetrante. omnis terra uim siccādi habet, quoniā corpus ipsius natura durū existit, & ubi penitus nullā igneæ substantiæ mixturā habuerit, leuissimè citra omnē mordacitatē siccat. Conducit ipsi ad hoc præstandū lotura. Itaq; quædā lotura nō habent opus. quędā iterum atq; iterū lauari expetunt. Quòd si circa sensum gustus fueris exercitatus, ipse iudex esse potes, num lauare oporteat, siue non, id quod ex acrimonia aut adstrictione deprædendes. Quandoquidē uero impossibile est inuenire substantiā penitus immixtā ac simplicē, amplius cōsiderare ipsam mixturam oportet, ex his quæ accidunt ipsi, iuxta leuitatis ac grauitatis, itemq; saporis differētias. Siquidē enim adstringens apparuerit, tanto magis particeps est frigiditatis, quāto plus habuerit adstrictiōis. Si uero acrimoniā præ se tulerit, tantū habet caliditatis quantū acrimoniæ. Et leuis quidē terra fit, quum per omnē suā temperaturā, aereæ substantiæ multæ particeps est. Contrà grauis, quāto fuerit grauior, tāto magis sincera terra existit. Calida quidem igitur terra calfacit. frigida & adstringens, perfrigerat & repellit. Quæ uero extersoriū quid possidet citra manifestā caliditatem, leniter siccat. Quæ autē glutinositatē ampliorem habet, non exterget, sed glutinositas substātiam meatibus obducendis aptiorē efficit, ut extergere nō posit, ubi nulla alia acrimonia uiscositati affuerit, uelut in ouo uidere est. Porrò necessariū est neque hoc ignorare, sed eius per omnem materiam quæ in medicū usum uenit meminisse. etenim plurimi opinantur, omnia usta frigidiora seipsis euadere. quidā uice uersa calorem in ustis augeri putant. Vtriq; autem errant. Acria quidē igitur omnia usta, multum de calore suo perdunt. Quæ uero talia non sunt, usta caliditatē acquirunt. Nullum autē ustum penitus frigidum euadit. relinquitur enim in ipsis uelut ignicu lus quidā tenuium partium, atq; hoc est quod per loturam usta deponunt, quo per aquā decedente, quod reliquum est usti, substantia terrea frigida fit, quæ citra mordacitatē siccare potest. Aqua uero in qua medicamentum lotum est, calidam uim tenuium partiū acquisiuit. His itaq; declaratis, tempestiuum iam est dicere, quo modo omnem terram non ustam lauare oporteat, si quidem lotura indigeat. Nam quædam, uelut dictum est, lotura non egent.

Quomodo terram lauare oporteat. Cap. II.

Omnis terra hoc modo lauatur. Aqua primum subigitur, quæ nullam medicamētariam qualitatem præ se ferat, deinde ubi lutum desedit, aqua superstans diffunditur, postea reliquum à subsidētibus infernè calculosis ac arenosis repurgatur.

Quas medelas ægrorum terra præstet. Cap. III.

Agrorum terra quæ colitur, omnis quæ pinguis est, utilis est ad curationem omnium partium resiccatione indigentium. Quare & in Alexandria & Aegypto ipsa utuntur. In Alexandria itaque uidi hydropicos & lienosos aliquos terrę Aegyptiacæ luto uti.

Multi

Multi uero etiã suras, & femora, & cubitos, & brachia, dorsumq́ ac latera & pectus, eius terræ luto illinentes, opem senserunt. Quin & ueteres inflammationes & laxos tumores hoc lutũ sanat. Et sanè noui quosdam toto corporis habitu aquosos, ex immodica hæmorrhoidum euacuatione redditos, inde manifestũ auxilium sensisse. Quidam etiã diuturnos dolores iuxta partem aliquam firmatos, hoc luto perfectè sanarũt. Atq; hæc quidẽ Galenus. Verum Strato de terra sic scribit, Ad uetustũ capitis dolorẽ, sordes balnearũ aut aquæ calidæ, cum terra nigra lota misceto, ac utitor. Aut terram cũ decocto capitum rosarũ subigito ac utitor. Aut testam amphoræ acetariæ tritam terræ addito, cum lauri decocto. Aut clibani testam cũ nigra terra cõmittito, affuso sampsuchi decocto. Cæterũ ad pustulas ex corpore erumpentes scabiosas ac impetiginosas, terrã nigram cum amygdalarũ aut lupinorum amarorũ decocto subigito, ac utitor. Aut amphorã aceti cũ rutæ decocto eluito, eoq; terram subigito, ac utitor similiter. Aut glebulas salis quæ in fundo amphorarũ gari reperiũtur terito, ac terræ ammisceto, & utere uelut efficaci. Aut columbinũ fimũ terræ misceto, & cũ halicacabi decocto subigito ac utitor. At uero ad tussim uetustam unà cũ uitiato corporis habitu, terrã ossium uitulinorum decocto subigito, & pectus illinito. Aut amphoram mellariã eluito, & terrã subigito ac utitor. Potes & cumini, & nigellæ, ac sampsuchi decocto similiter terram subigere ac uti. Porrò ad lienosos, cinerem sarmentitiam, & grumos fecis uini cum terra subigito, ac utitor. Aut foliorum capparis decocto subigito. Aut recremẽtum argenti leuissimè tritum, cum luto permisce ac utere. Aut decocto herbæ serapiadis tritesticularis subigito ac utitor. Ad hydropicos aũt testas amphoræ muriariæ inueteratas terito, ac terræ ammixtis utitor. Aut suillæ carnis siue uitulinæ garum ammisceto, ac similiter utitor. Aut sampsuchũ aqua marina coquito, eoq; terram subigito ac utitor. Aut salsamentum cũ lupinorũ amarorũ decocto conterito, terræq; ammisceto ac utitor. Aut alumen ustũ, & pulegij usti cinerẽ, cũ luto committito, & cum aceto mulso subigito ac utitor. Aut bubulũ fimum siccũ tritũ terræ ammisceto, & aceto mulso subactis utitor. Ad Ischiadicos, & omnes neruosarũ partiũ perfrictiones, sampsuchum uitulinorũ ossium decocto coquito, eoq; terram albam subigito ac utitor. Aut anguillam cũ sale & nitro coquito, & decocto terram subigito ac utitor. Aut sordes strigmẽtitias cum calce uiua terræ ammisceto ac utitor. Aut porri siue allij decocto terrã subigito ac utitor. Aut costum, casiam, iũcum odoratum, aspalathum, xylobalsamum, & sampsuchum contusa, in aqua & oleo coquito, lutoq; permisceto ac utitor. Aut caprarũ fimum ac bubulum, simul cum sorde cerati raphanini terito, ac ad terram ammixtis utitor. Ad podagram, à capite usq; ad inguina ex prędictis æger integatur, ab inguine autem infrà usq; ad digitos pedũ & ungues, ex subscriptis. Vituli pedes posteriores unà cum ungulis exurito, terito ac terræ misceto, & utitor. Aut lapidẽ leucographidem cum aqua in qua ferrũ sæpius extinctũ est terito, & aluminis unciam unam addito, ac cum terra subigito & utitor. Aut decocto foliorum cypri, id est ligustri terram subige ac utere. Aut gallas donec flaccescãt coquito, & terram eo decocto subigito ac utitor. Aliud. Aluminis liquidi unciã unã, aluminis scissi unciam unã, gummi sexcũcẽ, cærussæ dodrantẽ, melantheriæ quincuncem, misyos sexcuncem, foliorum salicis dodrantem, olei myrtei aut cicini uncias x x i i i i. aceti sexcũcem. terito simul ac tũ terra subactis utitor. Aliud. Acaciæ, atramenti sutorij, utriusq; drach. i i. aceto trita siccato, & ad terram ammixtis utitor. Aliud. Aluminis, spumæ argenti, misyos assati, singulorum drach. i i i i. excipe cerato myrteo liquido, & cum terra subige ac utere. Aliud. Cerusæ, spumæ argenti, utriusq; drach. x x i i i i. olei myrtei drach. x x x i i i i. aquæ quod satis est subigito cum terra ac utitor. Aliud, quo curatus est pręses Philinus. Succi mororũ, aluminis scissi, ligustri, uiticis, gallarum, croci, fructus myricæ, thuris, singulorum sexcuncem. Omnia simul tenuissimè trita reponito. Vsu expetente necessario aqua dilutis ac cũ terra subactis utitor. Cæterũ lauari non oportet, sed persicorũ immaturorũ decocto perfundi ac foueri. Atq; hęc quidẽ de agrorũ terra sufficiũt.

De terra Lemnia, Sigillum Lemnium, Sphragis Lemnia. *Cap. i i i i.*

Lemniam terrã, quam & lemnium sigillũ, siue sphragidem uocant, præparatam accipere est, semel lotam in patrio loco, ut altera lotura non habeat opus. Verum aliàs alio liquore dissoluta, diuersimode operatur. Et sanè in malignis ac putredinosis ulceribus semper feliciter & magno fructu, lemnia terra usus sum. Vsus est pro magnitudine maliciei ulceris. Quod enim ualde fœtidũ est, humectumq; ac sordidum & inueteratũ, lemniam requirit acerrimo aceto dissolutã ad lutosam compagem. Vino autẽ diluta, recentia uulnera glutinat, pota ad sanguinis reiectiones conducit, & ad letalia medicamenta, & ad morsus uenenatorũ animaliũ. Infusa quoq; per clysterem cũ plantaginis succo, dysentericis magnopere auxiliatur, præablotis uidelicet ulceribus muria infusa. Datur ijsdem & sanguinem spuentibus in potu cum posca.

Miltos, Rubrica. *Cap. v.*

Rubrica siue miltos uim habet adstringendi, meatus obducendi, resiccandi, quapropter etiam emplastris ammiscetur ac pastillis siue trochiscis siccantibus ac adstringẽtibus. Sistit aluum cũ ouis in sartagine frictis accepta, itemq; infusa. Lumbricos etiã pota detrahit. primas omniũ habet Sinopica appellata, uerum in Cappadocia nascens, densa existens & grauis, & colore iocineris, unicolor, & quæ diluta in multum succum diffunditur.

Terra Samia. *Cap. v i.*

Samia terra non lauatur. Vtimur autem altera eius specie frequẽtius, quam sanè Samiam Asterem siue stellam uocant, quæ ad sanguinis sputum facit pota, & undecũq; feratur idem, & pota & apposita. Vtimur & ad exulcerationes dysentericas & nomas serpẽdo depascentes, infundentes eam cum plantaginis succo, maximè in ulceribus quæ inflammatio præoccupauit, & acriora pharmaca non sustinet, & in corporibus molli carne prędititis. Mitigat enim humectiores pręsertim & laxiores partes. Vnde in mãmarũ ac testium inflammationibus adhibetur, trita cum aqua, rosaceo tanto adiecto, ut pharmacum exarescere non sinas. Bonum est hoc modo præparatum medicamentum

mētum etiam ad alias inflammationes calidas, & ad inguinum abscessus incipientes, ac fluctiones podagricas, & in summa ubi moderatè frigefacere unaq́ mitigare uolumus. ut ex hoc adeò manifestè appareat, samiæ terræ uim moderatè frigefactoriam esse. Est enim aërea & glutinosa. præstat autem stella samia, terræ samiæ, eò quòd glutinositatem & uim obducendi meatus ampliorem posidet.

Terra Selinusia, & Chia. Cap. VII.

Selinusia & Chia terra extersoriā uim ualde moderatè habent. Quapropter aliquę fœminæ ad faciem his utuntur. Verū cum leui siccatione ac extersione, neq́ caliditatis neq́ frigiditatis manifestè participes sunt. & propterea ad ulcera in superficie corporum commodæ existunt, qualia sunt ambustorū. Cęterū quæ substantiam meatuum ualde obductoriam habent, nō extergēt, prohibet enim hoc ipsum glutinositas.

Cimolia terra. Cap. VIII.

Cimolia terra mixtæ facultatis est, habet enim uim frigefactoriam & repulsoriam, habet & modicā discussoriam. Lota discussoriam deponit. Verum iuxta naturā eorū quæ ipsi ammiscentur, manifestè utraq́ uim demonstrat. Nam repulsorijs ac frigefacietibus permixta, lutum quod inde fit perfrigerans ac repulsorium efficit, discussorijs discussorium. atq́ ita ambustis cōducit aceto subacta & illita. Memineris tamen commune hoc in omni leui terra esse. Omnes enim ambustis prosunt euestigiò ex posca illitæ, bullas exurgere prohibentes.

Terra Ampelitis, Pharmacitis. Cap. IX.

Ampelitis terra etiā pharmacitis appellatur, eò quòd efficaciorē alijs uim posidet, & quòd agricolæ uere appetente ipsam diluant, ex eaq́ radices uitium quæ germen emiserūt illinant, ut animalcula uitibus noxia eas non cōtingant. Ex eo uero quod cnipas uermiculos perimat, satis indicat quantū medicamentariæ facultatis posideat. At uero lenitatē & uim mitigatoriam non habet, sed magis siccat. Quapropter & mixtam his medicamentis reperies ipsam, quorū scopus est siccare quippiam ac discutere.

Terra Cretica siue Creta. Cap. X.

Cretica terra similis quodam modo est samiæ & consimilibus. Sed ualde debilis est, multum aërositatis habens, quapropter etiam uim extergendi citra mordacitatem magis habet, per quam etiam argentum exterit ac depurat.

De omni terra usta. Cap. XI.

Quandoquidem uero quidam medici terrā urunt, neq́ id male excogitatum in usum ulcerū quæ leniter resiccari oportet. Nosse expedit quòd ustu terra tenuiorū partium & acrior euadit, ut ad discussoriam facultatem delabatur. Si uero usta lauetur, acrimoniā quidem in aquam deponit, uerum partium tenuitatem ex ustura conseruans, magis siccatoria fit. Quapropter quum omnis terra non usta ulceribus commoda sit, ea quæ post usturam lota est, magis adhuc ad ulcera ægre carnē ac cicatricē recipientia cōducit.

De bolo Armeniæ. Cap. XII.

Data nobis est in hac magna peste etiam alia quædam terra ex Armenia Cappadociæ cōtermina, maximè siccatoriam uim habens, colore pallida. Qui dabat ipsam, lapidem appellabat. Est autem friabilis, uelut calx & stella samia, non tamen similiter stellæ leuis. Nā & magis densa est, minus aërea. quapropter qui neglig ētius inspiciūt, imagine lapidis offertur. Valde autem siccat, tum in dysentericis, tum in fluxionibus uentris. Insuperq́ sanguinis sputo, & destillationi, & putredinosis oris ulceribus conducit. maximè autē defluxionibus à capite ad pectus prodest. Quare etiam his qui ob eam causam ægrè spirant ualide auxiliatur, nec non his qui tabe laborāt. sic enim resiccat ulcus, ut ne tussiant quidem amplius. Cæterū si fortè quis à malo liberatus, per licētiorem diætam recidiuam sentiat, is itidem ex Armeniæ bolo opem sentiet, presertim difficili anhelitu iam diuturno. Porro in magna hac peste omnes qui de hoc pharmaco biberūt, celerrimè sanati sunt, quibus uero nihil profuit, omnes mortui sunt, neq́ ab alio quopiā opem senserunt. ex quo palàm cōstat, quòd solis his qui incurabiles erant non profuit. Bibitur cum uino substantia tenui, mediocriter diluto, si febre penitus careat homo, aut parum febricitet, sin ualde, cū aqua totum penitus. sed neq́ sunt adeò uehementer feruidæ pestilentes febres. At uero quid attinet dicere quantam uim habeat hæc Armeniaca bolus siue gleba in ulceribus siccatione indigentibus? Appellatur autem illorū lingua uernacula zarinaca, Syrorū uero zarnacha. mons in quo nascitur, iuxta urbem est appellatā Bagana. Ager in quo mōs est, nominatur Agaraces.

Lapis hæmatites. Cap. XIII.

Hæmatites à coloris similitudine nominatus est. affrictus enim ad cotem, uel in pila tritus, sanguinolentū succum remittit. tātæ autem frigiditatis particeps est, quantæ adstrictionis. merito itaq́ ausi sunt medici hæmatiten lapidem ocularibus cōpositionibus addere. Ego uero etiam solo per se usus sum ad aspretudines palpebrarum, si unà cum inflāmatione essent oborta, per oui candidum diluto, aut potius per fœnograeci decoctum. si uero citra inflammationē, per aquam. Initium semper faciendum est à moderatè liquido per specillū infuso. deinde ubi æger ferre uim eius potest, crassitudinem augere oportet, & postremum ita crassum facere medicamentū, ut specilli nucleo subdito palpebræ illinere posis, aut euersæ affricare. Idem lapis ad cotem tritus ac potus, sanguinis sputo omnibusq́ ulceribus conducit. Aridus autem tritus & ad puluillum redactus, reprimit carnē excrescentem. nemo autem ipso per se utitur. ego uero ad ea quæ dixi usus sum, uiribus ipsius ex saporis qualitate cognitis. Quin & ipsa ulcera oculorum ad cicatricē perducit per se solus tritus, uelut paulò antè dixi, siue infundatur, siue sublinatur. Nam & hoc ipsum experimento cognoui.

Lapis schistos, galactites, melitites. Cap. XIIII.

Consimilem hæmatitæ, sed debiliorē uim schistos, hoc est, scisilis appellatus lapis habet. Ad cotē tritus colorem pallidum reddit. Ab eo consequens est Galactites, lactis colorē dilutus reddens. melitites aūt caliditatis cuiusdam particeps est. Nam à similitudine saporis mellis nomen inuenit. Singuli itaq́ hi paululum ab hæmatite uiribus desciuerunt, & ad oculos similiter in usum ueniunt, sed leniores existunt. Leniora autē medicamenta semper sunt inflāmatis partibus accōmodatiora, uerū debiliora quàm ut depulsa inflāmatione ad perfectā sanitatē perducere queāt.

Communis doctrina de omnibus lapidibus. Cap. XV.

Quum communis sit omnibus lapidibus uis siccandi, quicunq́

quicunque ex ipsis aut in succum resoluti, aut aliàs triti, nullam manifestam gustui qualitatem exhibent, eos putandum est debilissimos esse & leuissimos, & mordacitatis penitus expertes. Qui uero manifestā qualitatē gustantibus offerunt, iuxta qualitatis proportionem etiā uim habent. si quidem enim adstrinxerint, ad reprimendū, & constringendum spissandumque ac cogendū commodi erunt. si uero momorderint, ad calfaciendū & discutiendum ac colliquandum ualebunt. Inter hos medij sunt qui solummodo extergent, citra adstrictionem ac mordacitatem.

Leucographis aut moroxus. Cap. XVI.

Ex lapidum qui in succum resoluuntur numero est & qui in Aegypto nascitur, quo utuntur ad lintea illustrāda, quē alij moroxum, alij leucographidem uocant. Nam quum subuiridis appareat hic, si ad cotem affricetur, aut asperius pallium, locum inalbat. Expers est autem omnium qualitatū magis quàm praedicti, non adstrictionem, neque extersionem, neque mordacitatem in gustu exhibens. Vnde hoc tantum ipsi adest quòd citra mordacitatem siccat. & propterea cerato ipsum ammiscent, & ad ulcera cicatrice includenda utuntur in corporibus mollibus. miscent eundem & ocularibus compositionibus. Quanto uero mollior est & qualitatum magis expers, tanto moderatior & mitior existit.

Galactites. Cap. XVII.

Galactites quoque consimilem praedicto colorem subuiridem habens, lacteum succum remittit. Est autem albior leucographide. Mulieres lacte multo implet, si à balneo tritum lapidem cum aqua aut uino dulci bibant. Miscetur & ocularibus compositionibus. Tradunt eundem dentientium puerorum collo adalligatum, facilem dentium exortum efficere.

Thyites lapis. Cap. XVIII.

Omnibus relatis lapidibus fortiorem uim habet, lapis qui ex Aethiopia apportatur subuiridis aliquo modo uelut iaspis, nominatus thyites. Dilutus hic succū reddit lactei coloris, saporis mordacis, & propterea solum ad repurganda & extergenda ea quae pupillis tenebras citra inflammationem offundunt, cōducit. ex quo numero sunt & recētes oculorum cicatrices, quas attenuare solet. exterget & pterygium, oculorū uitium Vnguem Latinis appellatum, si nō ualde durum existat.

Tecolithos quem Syriacum appellant. Cap. XIX.

Est & alius lapis fortis facultatis in Syria Palestinae nascens, colore albus, figura cōcinnus, lineas habens uelut à torno exsculptas: appellatur Iudaicus & tecolithos. Cōstringit calculos in renebus natos, dilutus in cote, & ex aqua calida potus. Verum in uesicae lapidibus nihil eximij praestat. Nechepson tradit hęc uerba: Tecolithum lapidem cū aqua terito ad sordium strigmentitiorum tenuium crassitudinem, & derasis circa uesicam ac pubem pilis illinito, & cōstringet ac liquefaciet calculos in uesica. Vnde & cantilena orta est,

Salue pelagus Arabiae,
Cladum medelam proferens
Insigniter, tecolithum.

Idem oleo myrteo dilutus, podagricis commodè illinitur.

Pyrites. Cap. XX.

Est & pyrites ex lapidum numero qui fortem uim habent, colore argēto similis, cuius usus est discussorio emplastro ammixti, adijcitur ipsi etiam schistus. hoc pharmacum saepe pus, saepe & grumosas concretiones, in medijs musculorum regionibus consistentes discussit. Oportet autem lapides qui in usum uertuntur omnes laeuissimos facere, ac conterere consimiliter ut eos qui in oculares compositiones miscentur.

Lapis Phrygius. Cap. XXI.

Phrygius lapis fortiter siccat, habēs quid adstrictionis simulque mordacitatis. unde et repellit ac discutit. Ego autem usto semper usus sum, ad putredinosa quidem ulcera aut per se, aut cum aceto, aut posca, aut uino mulso. Ad oculos uero siccum ex ipso facio medicamentum, de quo in opere ubi de compositione medicamentorum dicetur, agam.

Lapis Ageratus. Cap. XXII.

Lapis Ageratus quo coriarij utūtur, gurgulionem inflammatum euidenter sanat.

Lapis Assius, & flos ipsius. Cap. XXIII.

Est & lapis Assius in Asso nascens, unde & nomen inuenit, tofacei coloris ac cōpagis, friabilisque ac laxus. Innutritur autem in ipso quippiā simile tenuissimo pollini, qui parietibus molendinorū inhaeret, quod petrae Assiae florem appellant. Est autem tenuiū partium, ut humore flaccidas carnes eliquet ac resiccet, citra fortē mordacitatem. habet & quid salsum in sapore: ut coniectare liceat generationem ipsius salsam esse, rore quodam ex mari petrae insidente, qui postea à sole siccetur & obarescat. Similem flori uim habet & petra in qua nascitur, sed efficacia debiliorem.

Gagates. Cap. XXIIII.

Estque alius quidam lapis colore niger, qui igni admotus, bituminis odorem de se praebet. Hunc tradūt reperiri in Lycia circa fluuium Gagen, unde etiam Gagates appellatur. Caeterū ego crustaceos & planos lapides nigros, debilem flammā generantes igni admotos, ex Caua Syria attuli prope Hierichuntē, qui nati erant in uertice mortuū mare ambiente, ad partē eius orientalem, ubi & bitumen prouenit, unde & odorem huiusmodi acquisierunt. Vsus sum autē his ad inflationes genuum diuturnas & aegrè sanabiles, compositionibus ad hoc accidēs experimento cognitis ipsos ammiscens, & sanè uisi sunt mihi uim illarū longè efficacissimam reddidisse. Ammiscui eosdem & emplastro Barbaro appellato, & euasit pharmacum manifestè amplius siccatoriū, ut & sinus cōmitteret ac contraheret, non solum cruenta uulnera glutinaret, ad quae barbarū emplastrum maximè commodum esse creditur. Aiunt Gagaten aqua coctum, & cū aqua potum, lumbricos expellere, adalligatū autem capitis dolores inueteratos sedare. Accelerat partū mulieribus aegrè parientibus, si parturiētis manu contineatur. Admiranda uis gagatae igni admoti & accensi, deinde uino extincti existit. Nam uinum hoc cardiacis in potu datum, statim ipsos leuat, & sudore cōpresso, & pulsu excitato. Alij in puluillū conterunt gagatē lapidem, & per dies septem cū uino colicis exhibent, & penitus malū tollunt. datur in diem drachma una. Quin & poculum ex ipso suffumigāt, ex quo cum uino bibendus datur. Idem praestat efficaciter bitumen quoque potum, fugat serpentes ac reptiles bestias suffitus gagates, & menses ac secundas detrahit, depraehendit item ac arguit comitiales morbos. strumas quoque dissoluit tritus, commodis ad

ipsas medicamentis ammixtus. sanat & sedis affectiones, quàm leuissimè tritus, & uuarum acerbarum succo ad tertias decoctus. Quo modo etiam alias omnes corporis fluxiones compescere potest.

Magnetes lapis. Cap. XXV.

Magnetes lapis qui & Heraclius appellatur, consimilem hæmatitæ uim habet. participat & attractoria facultate. Tradunt detentum manu chiragricorum ac podagricorum, dolores ipsorum sedare. æque & conuulsis opitulatur.

Smiris, pumex, testæ clibani, & similia. Cap. XXVI.

Smiris extersoriam uim habet. Dentes itaque mūdos facit si ex ea confricentur, uelut experientia cognouimus. Et pumex extersoriam uim habet uelut smiris. Et figulina testa eadem ui præstat, maximè clibanorum. Cæterum smiris etiā acre quippiam habet, & propterea ustorijs ac siccatorijs compositionibus miscetur. Item eis quæ curant humore flaccidas gingiuas. Sed & pumex affrictus dentes illustrat, non solum extergendo, sed etiā per asperitatem. Vstus autem pumex nihilo inferior est smiride, ad eosdē usus. Lotus idem post usturam, caua ulcera optimè carne replet. At uero clibanorum testa, una cum extergendi facultate & siccatoriam possidet. Quapropter emplastra ephestias & magos, ex hac testa composita, optimè cicatricem ulceribus inducunt.

Lapides in spongijs. Cap. XXVII.

Lapides qui in spongijs reperiuntur uim atterendi habent, non tamen adeò ualidam ut uesicæ lapides cōfringere possint, uerum renum calculos cōminuunt.

Ostracites, Geodes, Naxiæ cotis retrimentum. Cap. XXVIII.

Ostracitem lapidem quosdā laudare audio, uelut qui multam siccatoriam uim habeat ex adstrictione & acrimonia permixtam. quemadmodum & eum qui Geodes appellatur; ita ut pupillas depurget, & mammarum ac testium inflammationes sanet aqua dilutus. Naxiæ tamen cotis retrimentum frigefactoriam uim habet: ut etiam podagris opituletur, cum cerato rosaceo adhibitum.

Ophites lapis. Cap. XXIX.

Ophites lapis ustus extergendi ac atterendi & confringēdi uim habet. Quare potus ex uino albo ac tenui, lapides uesicæ cōfringit. Adalligatu ad uiperæ morsus conducit.

Hieracites lapis & Indicus. Cap. XXX.

Hieracites & Indicus lapis hęmorrohoidas resiccat dextro fœmori adalligati, cuius rei & nos periculum fecimus. Diogenes autem de lapidibus libro sic ait: Lapis hieracites subuiridis est ad nigredinem uergens, & alijs coloribus respersus, ut uarius existat. Vim autem habet hæmorrhoidas resiccātem dextro ægri fœmori adalligatus. Probatio ueri hęc est. Vbi habueris ipsum in manibus, melle manus inunge, & muscæ non appropinquabunt tibi lapidem ferenti. At uero Indicus colore subfuluus est, tritus autem purpureum colore succum remittit, & neque densus neque rarus est, & cum uino potus hæmoptoicis prodest. Qui uero exalbidi coloris est & cineris imaginem repræsentat, etiam alias sanguinis eruptiones sistit.

Vitrum. Cap. XXXI.

Vitrum tenuissimè tritum, ex uino albo tenui potum, uesicæ calculos potenter confringit.



Lapis Aëtites. Cap. XXXII.

Aëtites lapis agitatus sonitū edit, uelut ex altero lapide prægnans. fœtus uuluarum lubricarum retinet sinistro brachio adalligatus. Verū tempore partus adimendus est de brachio & fœmori adalligandus, parietque prægnans citra dolorem. Fures deprehendit, si quis ipsum in panem qui comeditur imponat. nā qui furtum fecit, commansa deuorare nequibit. Tradunt etiam simul cum edulijs coctum fures arguere. Neque enim poterit fur deuorare quæ cum ipso cocta sunt. Tritus autem & cerato cyprino aut gleucino exceptus, aut alio quopiā calfaciēte, magnopere prodest arthriticis ac paralyticis.

Alabandicus siue Alabandinus lapis. Cap. XXXIII.

Alabandicus coloris subnigricātis est fuluo ammixto, pellucet quasi segmentis quibusdam aut fissuris discriminatus. Tritus hic superficiem pilorum alborū nigram efficit.

Electrum siue succinum, seu lyncuriū. Cap. XXXIIII.

Electrum quod & succinum, & lyncurium appellant, potum dysenterias sanat, & stomachicis opitulatur. Chryselectrum quoque cum mastiche potum doloribus stomachi medetur.

Iaspis uiridis. Cap. XXXV.

Viridis iaspis proprietate quadam, uelut alia quędam, auxiliatur stomacho & ori uentris pro amuleto appensus. Quidam & anulis ipsum includunt, & draconem radios habentem in ipso sculpunt, quemadmodum Nechipsos rex scripsit. Huius itaque lapidis etiam ego experimentum ingens habeo, & sanè catenulam ex talibus lapidibus concinnatam de collo suspendi, ea commensuratione ac modo ut lapides os uentris contingant. Cognoui autem nihil minus ualere ac prodesse eos qui sculpturam non haberent, quam Nechipson tradidit.

Iaspis subuiridis. Cap. XXXVI.

Iaspis subuiridis adalligatus, stomachi dolores sedat, et paralyticas resolutiones ac dolores mitigat. Qui uero capnias appellatur, hoc est fumosus, turbulētum ualde habens colorem, magna tutela ægrè parientes mulieres asseruat. Sed & hydropicis adalligatus cōmodat, & maxima uulnera ab inflammationibus asseruat, eosque qui uulnerātur dolore liberat itidem adalligatus.

Iaspachates. Cap. XXXVII.

Iaspachates ex iaspide smaragdeo, & achate compositus est. Vim habet leniendæ sitis, & hydropicis auxiliatur, hepaticisque ac peripneumonicis & pleuriticis potus. corpus quoque floridum ac speciosum facit.

Sapphirus lapis. Cap. XXXVIII.

Sapphirus cum lacte tritus potus, omnes internas ulcerationes sanat, & sudores sedat. Externas ulcerationes idem cum lacte illitus curat. fissuras quoque linguæ aridus tritus inspersus sanat. In summa siccatoriam uim habet.

Smaragdus lapis. Cap. XXXIX.

Smaragdus assatus & tritus cum melle Attico permixtus, oculorum hebetudines sanat. Cum melle uero & gummi illitus, elephantiasi laborantibus utilissimus est. idem quoque potus ab eo malo in totum liberat. sistit & sanguinem undecunque feratur.

De metallicis, & quæ ex aqua generantur. Cap. XL.

Metallica appellare mos est medicis ea quorum generatio

ratio in metallis est, siue sponte naturæ, siue per fornacem producantur. insuperque tertij generis quæ rursus ex illis ipsis homines suo ingenio faciunt, uelut est cerussa, ærugo, sandix, & similia. Itaque consequenter de omnibus iuxta literarum Græcarum ordinem trademus.

A. Adarces. Cap. XLI.

Adarces acerrimus ac calidissimus est. Quapropter hebetantibus uim ipsius miscetur. & sic multi usus fit, affectionibus calfieri indigentibus forinsecus admotus.

Alcyonia. Cap. XLII.

Alcyonia omnia extergent, ac discutiūt, habétq; acrem qualitatem aliqua magis, aliqua minus. Quòd ex hoc genere Asperum appellatur, externam superficiem leuem habet, & internam substātiam asperam. estq; calidissimum omnium Alcyoniorū, ut etiam pilos exurere possit. Quapropter ad lepras, uitiligines, scabies ac impetigines, alijs mitioribus medicamentis utimur. Nam Asperum Alcyonium non solum exterget ac depurgat cutem, sed etiam excoriat ac ulcerat. Quòd uero Milesium uocatur, figura uermi simile, purpurei coloris, & compage substantiæ molli, omnium tenuissimum est. Quare ustum alopecias sanat, cum uino fuluo ac tenui illitum.

Ales, Sal. Cap. XLIII.

Sal omnis & fossilis & marinus, eandē in genere uim habet. Differētia in eo est quòd ex terra effossi substantia magis sit coacta, quapropter crassitudo partium, & uis adstringendi, in his maior existit. Fossilis generis optimus est Ammoniacus & Cappadocicus. At uero marino specie similis est qui in quibusdam stagnis generatur. Omnis tamen sal in communi calfacit, discutit, adstringit, siccat, cogit ac densat substantiam corporum quibus adhibetur. Nam quicquid est in corporibus humiditatis idipsum depascitur, & quod reliquum est solidæ substantiæ ui adstrictoria spissat. Vnde & siccant, & incorrupta adseruant, quæ ob superfluam humiditatem putrescere solent.

Sal ustus. Cap. XLIIII.

Sal ustus discussoriam uim magis habet quàm non ustus, quanto sanè tenuius corpus ex ustura acquirit. Non tamen similiter ut non usta cogere ac densare solidam substantiam ualet.

Salis flos. Cap. XLV.

Salis flos compage quidē liquidus est, colore uero croceus, partium tenuitate ustū salem superat, & acrem qualitatem ac uim multum discussoriam habet. Colligitur sub æstum caniculæ. Est enim uelut flos quidam talibus aquis super stans.

Salis spuma. Cap. XLVI.

Salis spuma spumosus quidā flosculus salis est, uicinis petris adhærens. multò autem tenuiorum partium naturam habet quàm ipse sal, quare & attenuare & discutere multò magis potest, uerum quod reliquū est substantiæ densare uelut sal non potest.

Armeniacum pictorum. Cap. XLVII.

Armeniacum quo pictores utuntur ex Armenia apportatur, unde quoque bolus Armeniæ, de quo dictum est, affertur. Vim habet Armeniacum extersoriam cum modica acrimonia & paucissima adstrictione. Itaq; quum tale sit ocularibus medicamentis ammiscetur. Quin & ipsum per se terunt in tenuissimum puluillum, utunturq; sicco ad augmentum pilorum in superciliis, ubi ob quandam humorū acrimoniam aliqui ipsorū excidunt, aliqui uero non augescunt, sed ob alimenti inopiam marcescunt. Nam acrimonia consumpta, particulam ad naturalem habitum reducit. Etenim uitioso humore consumpto, natura ad proprias actiones redit, quū nihil sit amplius quod ei impedimento sit. Nechepsus de eo sic tradit: Armenium quo pictores utūtur, duodecima drachmę parte melancholicis & crassum sanguinem habētibus dato. Datur & pueris pectoris morbo infestatis, reuomunt enim, nā uomitorium existit. Datur & morbo sacro obnoxijs, ac furiosis, hoc modo: Centaurij fasciculos manipulares tres in aquę marinæ heminis tribus coquito, donec una supersit, & cum excolato decocto Armuthei lapidis quē Græci Armenium uocant, tertiam drachmæ partem terito, ac confidenter exhibeto. Nihil enim periculi est. Itaque nosse operæprecium est quod Armenium penitus reuomitur, nihil memorabile sursum efferens, sed & infernè modicum quid paulatim, & in pluribus secessibus effert.

Arsenicum, Auripigmentum. Cap. XLVIII.

Arsenicum ustoriam uim habet tum ustum, tum non ustum. Manifestum est autem quod ustum tenuiorum partium euadit.

Asphaltus, Bitumen. Cap. XLIX.

Bitumen ex numero eorū est quæ in aqua marina aut consimili generantur. Optimum est quod in mortuo mari iuxta Hierichūtem prouenit. Vis est omni bitumini siccatoria ac calfactoria, ordine secundo. Meritò itaq; ad cruenta uulnera glutinanda adhibetur, itémq; ad alia quæ siccari expetunt cū moderata calfactione. Quapropter in tenasmi ad egerendum irritamentis, in quibus pituita crassa infarta est ut ægrè auelli queat, ipsius utimur suffitu. Similiter et ad dysentericos ex tali causa intestinis ulceratis. Potum bitumen nucis ponticæ aut fabæ magnitudine cum uino tritum, cardiacis qui animo linquuntur, magnoperè e uestigio prodest. Maximè autem fœminis & pueris & corporibus mollibus conducit. Eodem modo datum & quartana citius liberat. Experimento constat uis eius poti ex aqua, in his qui à rabioso cane morsi sunt: præseruat enim eos ne in timorem aquæ delabātur, & eos qui iam inciderunt cōseruat.

Aphronitrum, & Litri spuma. Cap. L.

Aphronitrum, hoc est, nitri spuma, & litri spuma inter se differunt, quòd litri spuma medicamētum est magis siccatorium, aspectu farinæ triticeæ simile. Nam alba quoq; existit. Aphronitrum autem non farinosum neq; dissolutum, sed compactum est. Differt autem à sale aphronitrum, in quantum unum solum prædominantem saporem manifestè in ipso uidere est, amaram uidelicet, qui discussoriā uim habet, densatoriam uero non habet, quemadmodum sal possidet. Aphronitrum itaque extersoriam uim habet ut non solum sordes depurget, sed pruritum quoq; sanet. At uero litri spuma eandem uim quam litrum habet, sed tenuiorum partium existit.

Γ Gypsum. Cap. LI.

Gypsum unà cum siccatoria facultate, uim quoq; obducendi meatus assumpsit, lapidescit enim aqua maceratū. quapropter puluillo farinæ triticeæ molendini parietibus adhærenti mixtum, & oui candido

subactum, ac pilis leporinis exceptū, sanguinis eruptiones præclarè sistit.

Δ *Diphryges.* Cap. LII.

Diphryges mixtam facultatem adstringentē cum acrimonia habet. Quapropter & malignorum ulcerum bonum medicamentum est, & ad putredinosa oris ulcera, tum per se, tum cum melle despumato. Item ad anginam, maximè ubi iam per adstringentia humorū influxus fuerit repressus. Quin & gurgulione resecto, ipso solo mox usq; ad cicatricem inductā sæpe usus sum, utpote pharmaco omnia ulcera exactè cicatrice includente.

Diaphanes, Lapis specularis. Cap. LIII.

Diaphanes siue lapis specularis appellatus, ustus tritus fistulosis ulceribus inspersus celerrimè incarnat.

Θ *Theion, Sulphur.* Cap. LIIII.

Sulphur omne uim attractoriā habet, temperamento calidum, substantia tenuium partium existens, ut & ad multa uenenum eiaculantia animalia resistat. Ego autem & ad pastinacæ marinæ & draconis morsus ac ictus eo sæpe usus sum, arido uulneri insperso, aliquando etiam saliua ammixta, aliquando oleo uetere, aut melle, aut terebinthina. Sed et scabies ac lepras & impetigines sæpe cū eo curaui addita terebinthina. Deterit enim tales affectus, nec materiā in altum repellit, quemadmodū multa medicamenta faciunt.

I *Ios xystos, Aerugo rasa.* Cap. LV.

Aerugo rasa acrem qualitatem habet, discutitq; ac consumit & liquefacit omnem carnē. Quòd si ad multam ceram ammisceatur, extersorium & cicatricem inducens pharmacum.

Aerugo uermiculata. Cap. LVI.

Aeruginem uermiculatam ita facies. In pilam cyprij æris, quæ & pistillum æreum habeat, aceti albi acris dimidiam heminā infundito, & in sole terito donec strigmentitiam spissitudinem acquirat. Deinde aluminis rotūdi drach. I. & salis fossilis pellucidi albiq; ac solidi drach. I. addito, aut si hoc nō adsit, nitri tantundem, & postea ad solem sub caniculæ æstum terito, donec colore æruginosum, compage uero strigmentosum euadat, atq; sic ad uermicularem figurā effingito, ac reponito. Efficacior fit ærugo, si aceti partem unam, urinæ ueteris duas contriueris.

K *Cadmia.* Cap. LVII.

Cadmia optima est botryitis. Vim habet omnis cadmia siccatoriam, participans & extersoria. In caliditatis ac frigiditatis differentia moderata est. Vsta uero & lota medicamentum siccans & extergens citra mordacitatem euadit, ad ulcera explenda tum oculorum, tum totius corporis commodum.

Cyanus. Cap. LVIII.

Cyanus acrem & discussoriam ac demolientem cōsumentēq; carnē uim habet, participat & adstrictoria.

Λ *Lepis, Squama æris ac ferri.* Cap. LIX.

Squama alia æris est, quæ sanè helitis uocatur, alia ferri. Helitis itaq; in siccando primas habet, utpote tenuiorū partium, & quę aliquid æruginis assumpsit. uerum ferri squama maiore adstringendi ui participat, atq; ea adhuc amplius ferri stomomatis appellati, hoc est, chalybis, siue in aciem efformati. Quapropter hę ābæ ad maligna ulcera meliores quàm squama æris existunt. Aeris autē squama cōsumit & eliquat carnes. Omnes uero squamæ multum mordaces sunt.

Lythargyros, Argenti spuma. Cap. LX.

Argenti spuma moderatè siccat, quemadmodum alia omnia consimilia, calfacit quoq; partimq; perfrigerat, ac exterget, atq; hæc omnia moderate facit. Quapropter uelut materia sæpe ipsa utimur, eamq; alijs ammiscemus, quemadmodum etiam cera uelut materia quadam utimur.

Litrum. Cap. LXI.

Litrum inter aphronitrum & salem mediam uim habet. Vstum autem ad spumę litri substantiam propè accedit. Siccat itaque & discutit, & si quidem intra corpus sumatur, secat & attenuat crassos ac uiscosos humores, multò magis quàm sal. Aphronitrum autem nisi magna urgente necessitate, nemo deuorarit, ut quod stomacho incommodum existat. Et tamen ruralis quidam in strangulatu fungorum ipso utebatur magno successu.

M *Melanteria.* Cap. LXII.

Melanteria medicamentum adstringens est, simulq; tenuium partium, ferè omnium maximè pharmacorum quæ adstringunt.

Melan, Atramentum scriptorium. Cap. LXIII.

Atramentum scriptorium abunde siccat aqua dilutum, aut potius posca, & ambustis euestigiò illitum prodest.

Misy, Sori, & Chalcitis. Cap. LXIIII.

Iuxta Cypri metallum in Solorum montibus, magna quædā domus erat in monte effossa, iuxta cuius dextram parietem, ad ingrediētes uero sinistrū, introitus erat ad ipsum metallum, in quo quasdā uidi plurimum extentas uelut zonas alternatim positas tres numero, infimā quidem soreos, supra ipsum chalcitidis, deinde misyos. Et progressu sanè tēporis chalcitis paulatim transmutatur in misy, & diutiore adhuc tempore potest etiam sori in chalcitidem permutari. Quare nihil miri est, tria hæc eiusdē generis uim habere, & tenuitate ac crassitudine partium tātum differre. Crassissimarum enim partium inter ipsa est sori: tenuissimarum misy. Mediam uero inter ambo uim chalcitis possidet. Vsta hæc tenuiorum partium fiunt, sed minus adstringunt.

Molybdæna, Plumbago. Cap. LXV.

Molybdæna siue plumbago similem argenti spumæ uim habet, ad frigiditatem uergentem, sed neq; extersoriæ facultatis particeps est.

Molybdos, Plumbum. Cap. LXVI.

Plumbum uim habet frigefactoriā. nam liquidā substantiam possidet à frigiditate coactā. Vnde & mole & pondere augescit plumbum, in domibus subterraneis turbidum aërem habentibus repositū. Itaq; si pilam plumbeā unà cum pistillo plumbeo paraueris, & in ipsam uinū tenue, & oleum rosaceū, aut myrteum, aut melinū infuderis, et ad solē siue ignem triueris, ut succum quēdam plumbū remittat. Optimum pharmacum habebis, si eo succo ad sedis inflāmationes ulceratas, aut pudendorum, aut testiū, aut mammarum uteris. Item ad omnes influxiones quę inguinibus, aut pedibus, aut alijs articulis incumbunt. Est & mirabile medicamentum ad maligna & cancrosa ulcera. Ad multos usus idem commodum erit, si ex adstringentibus ac perfrigerātibus succum aliquē addideris, uelut est seridis, cotyledonis, semperuiui, portulacæ, psyllij, uuæ acerbæ. Quęcūq; uero ex his succū non facilè remittunt, uelut portulaca,

his alio

his aliorum succũ ammiscere oportet, uelut uuę acerbæ. Lamina porrò ex plũbo facta & lũbis imposita, ueneris impetus cohibet in his qui exercitare se uolunt. At uero ustũ & lotũ plumbũ, ad maligna ulcera, & chironia, & cancerosa, optimũ pharmacum est cicatricẽ inducens tum per se, tum alijs ammixtum.

Π *Pompholyx.* Cap. LXVII.

Pompholyx lota ferè omnium primas obtinet quę citra mordacitatem siccant. Vnde ad cancrosa ulcera commoda est, & alia omnia maligna, & corrosas dentium gingiuas.

Ρ *Rhoidarij præparatio.* Cap. LXVIII.

Rhoidariũ uariè præparatur. Optimus modus hic est. Rhun olus accipito, & in aqua macerato, & lapidem cupholithon appellatũ terito, rhois cremore affuso, siccari sinito. Deinde anchusæ radicem cum oleo coquito donec oleum ruffescat, & ex oleo parum addito ac terito, & ad dies XV. siccari sinito, & tũc rursus ex cremore rhois affundito ac siccari sinito. Deinde in uas testaceum mittito, obturato ac assato, & erit bonum rhoidarium. Cæterũ cupholithos à Cęsarea Palęstinæ affertur. Qui cupholitho carent, calce uiua ad medicamentum præparandum utuntur.

Σ *Sandaracha.* Cap. LXIX.

Sandaracha ustoriam uim habet uelut arsenicum, unde in compositiones discussorias & extersorias ipsam ammiscent.

Sandyx quæ & Syricum. Cap. LXX.

De Sãdyce siue Syrico ubi de cerussa agemus dicetur.

Scoria. Cap. LXXI.

Scoria omnis multum siccat. Si itaq; ferri scoriam siue recrementum quàm leuissimè contriueris in acerrimo aceto, & postea coxeris, pharmacum maximè siccatorium ad inueteratas aurium purulentias habebis. At uero argenti scoria appellatur helcysma, itidem siccandi uim habens.

Stibium. Cap. LXXII.

Stibium ultra siccatoriam uim omnibus metallicis cõmunem, habet & adstrictoriam facultatẽ. Quapropter & ocularibus medicamentis ammiscetur.

Spongia. Cap. LXXIII.

Spongia pice liquida ac bitumine imbuta & usta, acrẽ & discussoriã uim habet, sanguinemq; sistit. spongia noua aqua frigida aut posca, aut uino madefacta, pro corporum uidelicet differentia, uulnera cruenta glutinat, uelut alia ad hanc rẽ idonea medicamenta.

Stypteria, Alumen. Cap. LXXIIII.

Alumen omne uehementissimam adstringẽdi uim habet. Scissile omnium maximè subtilium partiũ est. Deinde rotundum. Crassarum partium est liquidũ, itemq; crustaceum ac laterarium, placitin & plintitin Græci appellant.

Τ *Titanos, Calx.* Cap. LXXV.

Calx uiua uehementer urit, ut crustam inducat. Extincta euestigiò quidem & ipsa crustam infligit, uerum post unam aut alterã diem, & minus urit, & minus crustam inducit. & progressu temporis penitus crustam non infligit. Calfacit tamen adhuc & carnes cõsumit. Si uero lauetur, mordacitatem deponit, & lixiuium facit: ipsa uero citra mordacitatem siccat. & si bis aut ter, aut pluries lauetur, penitus lenis euadit, & generosè citra mordacitatem siccat.

Φ *Phycos, Fucus.* Cap. LXXVI.

De fuco referam ubi de cerussa tractabo.

Χ *Chalcanthus, Atramentũ sutoriũ.* Cap. LXXVII.

De hoc pharmaco meritò mirari licet, quomodo fortissimæ adstrictioni caliditas non ignaua in ipso mixta sit. Quare manifestum est quòd omnium maximè humidas carnes siccare potest, humiditatẽ calore consumẽs, adstrictione uero densans ac spissans substantiam. Fit & hoc in Cypro prope locum ubi misy, chalcitis, ac sori reperiũtur, ut ex his intelligi possit, aquam pluuialem per collem illum excolatam, omnem illam terram circumluere ac abluere. Vidi autẽ hanc paulatim coaceruari quotidie in lacu quodam, & erat sanè tepida ac uiridis, chalcitidem & æruginem odore repræsentans. Quidam autẽ ipsam exhaurientes aquam, in urnas quadrangulares fictiles transfundunt, in quibus plurimis diebus coacta ac densata chalcãthus fit. Verum temporis progressu etiam chalcanthus in chalcitidem transit.

Chalcitis. Cap. LXXVIII.

De chlacitide iam diximus ubi de misy egimus. Nunc satis est illud tantum dicere, quòd adstrictoriam & acrem uim mixtim habet. Prædominatur autẽ acris, uehemens adeò existens, ut & carnem inurat, & crustam inducat. Vsta chalcitis mordet quidem minus, sed non minus siccat. Deponit & adstrictionis nonnihil. Quare penitus melior est usta chalcitis quàm non usta, tenuiorum partium uelut alia usta euadẽs, acrimoniam autem non adsumens. Nam quæ natura acria sunt, usta mitiora fiunt: reliqua acriora. Lota insuper chalcitis adhuc lenior euadit.

Chalcos, Aes ustum. Cap. LXXIX.

Aes ustum habet quiddam acre in se, sed & adstrictionis particeps est. Et propterea si lauetur, optimum pharmacum est ad ulcera cicatrice includenda. Verũ ante usturam, in his qui duras carnes habent usus eius assumitur.

Chalcu anthos, Aeris flos. Cap. LXXX.

Aeris flos tenuiorum partium uim habet quàm æs ustum, & squama ęris, participat & extersoria ui, unde ad magnas asperitudines palpebrarum conducit, sycoses Græci appellant.

Chrysocolla. Cap. LXXXI.

Chrysocolla ex eorũ numero est quæ carnes eliquant, non tamen fortiter mordet, discussoria utiq; satis est & siccatoria. quidam eam solam ita appellant quæ inter metalla reperitur. Verum præstat arte parata, in pila ænea ęris rubri, pistillo quoq; similiter ęreo, urina pueri impubis addita, ita ut diutius in sole calido teratur. Nam quod inter terendum resoluitur, id siccatum commodissimum medicamentum fit ulceribus malignis, tum per se, tum idoneis ad eandem rem pharmacis ammixtum.

Ψ *Psymmithium, Cerussa.* Cap. LXXXII.

Cerussa ex plumbo acri aceto dissoluto paratur, & tamen neq; acris neq; mordax est, neq; discussoria, sed & meatus obducit, & perfrigerat. Vsta autem pura cerussa, in id quod Syricum appellatur trãsit, medici sandycem nominant. Et usta quidem cerussa tenuiorum partium euadit, non tamen calfactoria. At uero fucus frigiditatem cerussæ seruans, partium subtilitatem insuper assumpsit, ut per ipsam in altum corporum penetrare queat.

Psoricum. Cap. LXXXIII.

Psoricum fit dupla chalcitide ad argenti spumam ammixta, ita ut hæc primum acerrimo aceto terantur,

rantur, deinde in ollam nouam indantur, quę media æstate per dies quadraginta in sterquilinio defoditur. Hoc medicamentum magis siccatorium, & minus mordax fit quàm chalcitis, palàm est autē quòd & tenuiorum partium euadit.

De materia medica ex animalibus. Cap. LXXXIIII.

Plantarum materia explicata, non omni uidelicet per totum terrarum orbem, sed quantæ nos experientiā habemus. Imò & terrea & lapidea materia medica enumerata, superest adhuc materiam ex animalibus persequi, siue ea in aqua, siue in terra uitam degant. Quemadmodum autem in plātarum materia, etiam de succis qui ex ipsis fiunt mentionem fecimus, sic etiam nunc non solum solidarum in animantibus partium uim trademus, sed etiam in ipsis contentorum, uelut sanguinis, bilis, urinæ, stercoris, et similium, relictis tamen abominandis ac detestandis, & quibusdam lege prohibitis, de quibus cum alij quidam, tum Xenocrates scripsit, uelut est homines comedere, urinas bibere, ac mēses muliebres, et similia. Imò relictis quoq; medicamētis certa morbum genera inducentibus, itemq; compositionibus uenenosorum pharmacorum. Qui enim talia scribunt non minori sed maiori odio digni sunt, quàm qui perpetrant, quanto maior iniuria est cum multis malum aliquod quàm unum solū perpetrare: Et cum actore quidem flagitiosarum speculationum experientia commoritur: Scribentium uero malefactū immortale est, arma maliciæ improbis suppeditans. Dicemus itaq; nos de commodis hominibus rebus, quarum experientiam habemus, & sanè primum humorum in animalibus mentionem faciemus.

De sanguine. Cap. LXXXV.

Columbinum sanguinem solēt hi qui ossa capitis fracta perforant, crassæ membranæ infundere, quòd si columbinus nō adsit, palumbi aut turturis sanguine uti licebit. Quidam & ad sugillatos oculos eodem utuntur calido instillato de recens mactato animali, aut de uenis alarum dissectis. Ego uero sexcētos uidi ossibus capitis perforatos, & nihil læsos ex rosacei usu, citra sanguinem columbinum. Sunt autē & sugillatorum oculorum medicamina multa ex collyriorū genere, & maximè Damocratis ex myrrha, itē quod ex thure constat, & quod ex croco. Sed et fœnigræci succus in hunc usum potior est sanguine columbino. At uero caprinum sanguinē quidā hydropicis pharmaci loco dederūt, & ad uentris fluxiones aut dysenterias eodē assato usi sunt. Hircinum quoq; sanguinē aliqui siccatū, & alijs ad hanc rem commodis ammixtum, calculosis exhibent. Itaq; licebit ruri degenti & alijs auxilijs carēti, etiā hunc in usum uertere, nam experientia periculo uacat. Quin & hœdinus sanguis in usum uenit, de quo Xenocrates sic scripsit: Hœdinus sanguis spuentibus sanguinem ualde cōmodus est. Oportet autem nondum congelato dimidiæ heminę mensura, aceti acerrimi tantundē ammiscere, deinde feruefactū in tres partes diuidere, & singulis diebus partem unā absorbendam præbere. Vespertilionū porrò & ranarum ac ricinorū sanguinem pilos extirpare falsum reperi, quū experiētia id explorarem. Quemadmodū etiam aliorū animaliū sanguinis uanas promissiones cōperi, & partim experiri ne tentaui quidē, quū pharmaca haberē aptiora & parabiliora ad singulos affectus, cauebā autem simul ne præstigiatoris opinionem incurrerem.

De Lacte, ex Ruso & Galeno. Cap. LXXXVI.

Duplex lactis utilitas est, altera ut alimenti, altera ut medicamenti, saluberrimum lac est purum ac synceum, neq; amaritudinis, neq; aciditatis, neq; salsedinis, neq; acrimoniæ, neq; graueolētiæ particeps, sed ut ita dixerim, odoratum, aut odoris expers, aut si quidem modice odoratum fuerit, palàm est quòd & gustantibus dulce erit, utpote modicæ dulcedinis particeps. Primum autem differentias ipsius considerare oportet. quasi odor dulcis

De Lactis differentia. Cap. LXXXVII.

Quantum natura inter se distant uacca & equa, ac alia animalia, tantum & lac ipsorum inter se differt. Bubulum enim crassissimū est ac pinguissimum, commodeq; nutrit ac partes subit. Liquidissimum autē & tenuissimum ac minimè pingue camelinū est, & uentrem minus subit, quamuis multum seri habeat. Sed uice uersa equinum magis aluo secedit, similiter & asininum, quòd minimū pinguis succi possidet. Quapropter etiam rarò in uētre in caseum mutatur. Caprinum moderatā compagem habet, & ad purgandum debilius bubulo est, de cætero æquè cōmodum & multum nutriens. Ouillum hoc crassius est, uerū uitiligines albas sub cute inducere solet, si quis assiduè ipso utatur. Suillum crassissimum est, ut neque coagulo opus sit ad id coagulandum, & serum modicum secernat, & in coctura celerrimè coēat. Quare nec ad alui excretionem commodum est, & uentriculo nauseam mouet.

De lactis differētia ab animaliū habitu. Cap. LXXXVIII.

Manifestum est autem quòd omne sanum animal melius lac quàm morbidum præbet. At uero morbos animalium ex tenuitate cutis depræhendere licet, & pili raritate, tuberculis, impetigine, scabie & inedia. Nigriora quoq; in brutis ferè in totū fortiora sunt. Quòd & carnes ipsorum testatur, utpote iucundiores. Alba contrà imbecilliora.

De lactis differētia à tēporibus anni. Cap. LXXXIX.

Iuxta anni tempora liquidissimum & tenuissimū est lac uernum, hoc est, post partum: spissatur autem tēporis progressu, ut media æstate siccius ac crassius reddatur. Laudatur æstiuum ut concoctu facilius, & iucundi odoris.

De lactis differentia à pabulo. Cap. XC.

Quin & circa pabulum plurima differētia in lacte reperitur. Nam aliàs aliā herbam animalia depascuntur. & uiridis quidem herba, & iuxta aquas nascens, liquidius & modicum lac suggerit. Durior uero & montana, apta est ad boni ac multi lactis generationem. Omnia pabula adstringentia, acerbum & aluū sistens lac præbent. Acria uero & præsertim purgātia, uelut est scammonium, & ueratrum, & tithymalli, uentrem turbans lac exhibent. Cytisus autem pingue ac dulce.

De lactis differentia ab ætate. Cap. XCI.

Animalium in uigore ætatis consistentium lac optimum est. iuniorum liquidius, seniorum siccius.

Quibus lac conueniat. Cap. XCII.

Ex omnibus ferè edulijs optimum lac optimi succi est ac alimenti ex contrarijs substantijs ac facultatibus compositum, subducente ac sistente aluū, obturante ac attenuante. Et sanè ubi qualitas ipsius nihil cōtrarium utētis naturæ habuerit, & uiscerū ipsius exitus

ob uaso

ob uasorum amplitudinē spatiosi fuerint, utilitas ex lacte consequetur, & nihil mali ille ex eo experietur. Vtilitates autem lactis etiā ueteres medici recensuerunt. Ventris moderatā subductionem, succi bonitatem, & alimoniā, & quòd cōcoctum probè carnem meliorē reddit, & mordaces succos expurgat. Vnde in urinæ difficultate, & acri egestione alui, nō solum bibere conducit, sed etiam infernè per clysterem infundere. Ad acres enim & mordaces fluxiones cōmodissimū est, non solum abluens ipsas de partibus infestatis, atq; hoc per extersoriā humiditatē, quam in serosa sui parte complectitur, sed etiam crassitie ac pinguedine sua corporibus oblitū ac inductum, nō sinit influxum acrē nudis ipsis allabi. Ad pulmonis itaq; ac intestinorum ulcera, item renum, uesicæ ac uteri, & ad papularum eruptiones, ac furunculos, & alias cutis asperitudines, conuenientissimū est in potu. Item ad eos qui cantharidas hauserūt, aut buprestin, & in summa ad medicamenta erodētia ac exulcerantia, & ad hyoscyamum uelut peculiare remedium est. Non statim resipiscere affectos facit. Cæterum in gutturis exulcerationibus, quæ cum ob alias multas causas, tū ex anginis fiunt, & his qui ephemerum sumpserunt, lac gargarissare conducit. Idem potum magnopere prodest alimentum non sentientibus, & siccioribus, ac qui ægrè uires recolligunt. Commodum est & ad oculorū fluxiones acres, & ad oculos sugillatos. Quin & forinsecus palpebris impositum lippientium, ubi dormire uolent, cū rosaceo & oui candido, inflammationes ipsorum concoquit. Eodē modo utimur & ubi sedis ulcera mitigare uolumus, propter acres serosos humores ac inflāmationes dolore affecta, similiterq; ad pudēdorū ulcera, & in summa ad omnia lenimento opus habētia, ob inflāmationem, aut mordacitatē, aut ulceris malignitatē. Quapropter et cancerosis adhibetur ulceribus in medicamēta dolorē eximentia ammixtū, qualia maximè sunt quæ ex pompholyge fiunt. In uniuersum igitur mitigatoriū est lac, leuē naturam habens, atq; multò magis, ubi serosi humoris maior pars per cocturam, aut aliā artem fuerit consumpta.

De modo, tempore, ac mensura utendi lactis. Cap. XCIII.

Omnis qui lac bibere uolet, à reliquis cibis ac potibus abstineat, donec concoctum sit ac secesserit: si enim ante eius concoctionē, alium cibum quis sumat, necesse est & ipsum lac corrumpi, simulq; corrumpi & cibum qui superingestus est. Præstat autē mane bibere recens mulctum, & tunc plures labores detrahere, quiete ac sensim ambulare, & interim cessare citra somni admissionem. Qui enim hoc modo se gesserit, potum lac excernet, idq; inutilia secum educet. Opus est enim si quid aliud, primum acceptum secedere, quo facto aliud bibere. principio igitur secedit aluo cōmode purgans, non totam corporis molem, sed quæ in aluo & intestinis sunt partibusq; uicinis. Post hæc iā in uenas defertur optimeq; nutrit, & nō amplius secedit, sed uentrem sistit. Mensuram sumēdi definire omnibus, impossibile est, quēadmodum in alijs quoq; edulijs, satis est igitur quantum facilè quisq; ferat. Cæterū ad mordaces humores & maximè infartos, cū modico melle bibere conducit. nā sic & utilius & magis extersoriū est, & citius aluo secedit, ammiscenda est & sapa & uinū dulce. Ita enim

uinū dulcē lacti admiscet

commodius stomacho euadit. Quòd si salem accipiat, magis etiam aluo secedit, sed iniucūdius existit.

Quibus lac noceat. Cap. XCIIII.

Lac quod plurimū seri habet, periculo maximè uacat, etiam si quis semper ipso utatur. quòd uero modicū serosi humoris, nō parū autem caseosæ crassitudinis habet, non securi usus omnibus est, qui frequenter id sumunt. Renes enim lædit qui apti sunt ad calculorū generationē, obturationes quoq; & affectiones circa hepar efficit, in his qui prōptè affici possunt. Eiusmodi sunt quibus angusti fines sunt uasorum trāssumētium alimētum ex sima hepatis parte in gibbosam. Sed neq; capiti cōmodum est, nisi quis ipsum ualde ualidū habeat. Quemadmodū neq; præcordijs quæ facilè inflantur plerisq;, omnibus enim in uentre inflatur, ut paucissimi sint qui non hoc perpetiantur. Assiduus quoq; eius usus dentes lædit, unà cū circūsita carne gingiuarū. Hanc enim humore flaccidam efficit, dētes uero putredini & erosioni obnoxios facit, id quod crassiori lacti maximè inest. Nā asininū lac propterea quòd ualdè tenue existit, non solū non lædit dentes, sed etiā ipsis cōmodat, propter uim extergēdi. Oportet itaq; ab esu lactis, uino mulso aqua diluto dentes colluere: ita enim omne caseosum dētibus ac gingiuis infartū extergetur. Cæterū qui caput non facilè læsioni expositū habent, cōmodius est uino mulso meraco citra aquę mixturā os colluere.

De lactis coctura. Cap. XCV.

Si quis præcocto lacte serū consumpserit, omnino uentrem nō subducit. dant autem hoc ipsum his quibus uenter ac intestina ab acribus superfluitatibus mordētur, & qui ieiunum intestinū biliosis fluxionibus infestatum habent, & dysentericis. Modus præparādi duplex: Aut enim diutius cocto lacte serū insumitur, aut silicibus iniectis, sed quod per silices iniectos fit, crassius pręparatur, & propterea uitiosius euadit cum alias, tum quòd cinis ex ignitis lapidibus lacti cōmiscetur. Habet autem tale lac aliquid commoditatis in putredinosis ulceribus, quare his exhibere oportet lac per silices præparatum, reliquis coctum. Coctura fit ad ignem assiduè agitādo ne dirimatur, & si quid ollæ labro adhęserit, etiā id spongia munda auferre oportet. Nā sæpe hoc ipsum lacti ammixtum totum corrupit. Porrò per silices sic præparatur. Lac præcoquitur donec plurima humiditas consumatur, deinde lapides silices igniti in lac mittūtur, quot omnino suffecerint ad serū cōsumendum. Nec minus, imò magis idem efficiunt laminæ ferri ignitæ lacti immersæ. Est enim ferrū adstrictoriæ facultatis particeps, & proinde plures cylindros ferreos paraui, qui uerū ad finem aditū habent, ut hac quasi ansa facilè quis ferrum ignitū tollere queat panniculis detentum, uelut in cauterijs facere solemus. Lac tamen hoc modo præparatum facilè in uentre casei figuram accipit. quapropter securius est aquā affundere, quemadmodum Medici non pauci faciunt, ubi serum primum consumptum est, rursus aquam puram affundentes: non enim humiditatem seri fugiūt, sed acrimoniam per quam uentrem subducit.

aqua affūdēda

De sero lactis, Ex Galeno. Cap. XCVI.

Serum lactis extersoriā uelut uim habens, subducendi uentris gratia assumitur, tum in potu, tum per clysterem immissum. Nam acrimoniam intestinorū citra mordacitatē abluit & extergit. Potest & pro aqua commo

commodissimè assumi ad ulcera acri sanie infestata eluenda. Quin & medicamēta discussoria ad sugillata liuoresq; ac nigredines, ex corpore melius eluuntur per serum quàm per aquam. Sic quoq; eodem ad contusa suffusa ac liuefacta utimur, cōmodis ad hæc pharmacis ipsum ammiscentes. Serum autē sic præparare oportet. Lac in ollam funditur, sed nō ouillū neq; suillum, utrūq; enim ineptū est ad serum detrahendum, coquiturq; igne concitatiore, & assiduè ac æqualiter mouetur, & ubi efferbuerit, à motu cessatur, & ubi adhuc amplius efferbuerit, aqua frigida in promptu sit in profundiore quodā uasculo sita, in quam olla in qua lac coquitur immittitur: statim enim sedatur. Sedato autē feruore, rursus coquitur, et ubi efferuescit, acetū mulsum aut aqua mulsa bis aut ter irroratur, quo facto caseus statim à sero disparatur, serum itaq; mox per panniculū excolatur. Vbi igitur crassas & pituitosas superfluitates abūdare suspicatus fueris, acetū mulsum irrorabis, ubi acres & biliosas, aquam mulsam. Quin & immisso in ollam, postquā lac bis aut ter efferbuerit, uase frigidissimā aquam habente, fissuram ac secretionē facimus. Vtēdum est sero ad debiles & cibos auersantes. Oportet autem sero quod primum bibitur salem ammiscere, ubi uero purgare cœperit citra salem dato; atq; hoc per interualla quædā facito, donec satis æger purgatus fuerit. Copiā iuxta uires expendere oportet, neq; tamen magnopere deliqueris etiam si quid amplius præbueris. In summa autem copia sit seri potus heminarum quinq;. Et modus quidē parandi seri talis est. Cares autem sic præparant. Cnici semen contundunt, eoq; lac coagulāt, & ualidum serum efficiunt. Deinde excolant, & salē aut aquā marinam addunt, rursusq; coquunt ac exhibēt. Fortiter itaq; hoc purgat, sed omniū iucūdissimè bibitur. Omnino autem longæ cocturæ medicatius serum efficiūt. Et his quidem qui forti euacuatione indigēt, thymi drachmas tres aut quatuor unà cū sero dabis in prima potione. si uero adhuc amplius purgare uelis, epithymi tusi ac cribrati drachmas tres dabis. Vitare tamen medicamēta oportet in quibus non magnū est id quod molestat. Cæterū simplicius preparato sero uti oportet in corporibus mollibus, & in quibus euacuare & eluere solū ea quæ in uentre ac intestinis hærent uolumus, & in quibus intestinū exulceratur à quibuscūq; uulgaribus purgatorijs medicamētis, & in quibus bilis pura uentrem infestat, & in quibus inanes uentrē ad egerendū stimulant cupiditates, & in quibus periculum est renes aut uesicā aut uterum exulcerari, & in macilentis ac tenuibus, purgatione tamē egentibus. Maximè omnium autem sero uti oportet in his qui imbecillum stomachum habent, & tamen purgatione indigent. His omnibus exhibendum est serū, neq; sale, neq; alio quopiā medicato ammixto. Sed & puero, & mulieri, & seni, hoc serum citra omne periculum exhibetur, & in caniculę æstibus intrepidè datur, quāquam tunc temporis alia medicamenta suspecta sint. At uero fortiori sero uti quis potest, & ad corpora & ad uitia uehementioribus medicamentis egentia. Præsertim ad inueteratas papulas, & uaros liuidos & uitiatos sub cute humores, uelut lepras & similia. Item ad ulcera uetera & efferata, & ad ulcera capitis manantia, ac similia. Ad oculos quoq; assidua fluxione uexatos, et ad scabiem palpebrarum, & maculas solares in facie, potest & quis eo in longis febrium circuitibus uti, & in quibus periculum ut ex morbis in aquam intercutē delabantur. Atq; hæc quidem de sero sufficiunt.

De his quæ iucunditatis gratia cum lacte coquuntur. Ex Gal. Cap. XCVII.

Lac cum aliquo crassi succi edulio diutius coctum, flatuositatē deponit, & magis nutrit, & alui fluxionibus, & tenuibus ex capite in pectus destillationibus conuenit, sed & in hoc considerandū est, ne clàm nobis alia quædā uiscera lædat. Quorundā enim natura ab hoc abhorret, et aliàs periculo eiusmodi edulia non uacant. Nam & iecur obturant, & calculos in renibus generant. Quæ autē cū lacte coquuntur hæc sunt: Amylū, similago, alica, tragus, oryza, lagana, placentæq; & panes quidā, neq; probe assati, neque probè præparati, neq; fermenti, neq; salis participes.

De lacte acido. Ex Galeno. Cap. XCVIII.

Lac acidum oxygala appellatum, dentes quidem non lædit qui naturali modo habent. Qui uero frigidiores aut debiliores sunt, uelut ab alijs frigidis, sic etiā ab hoc læduntur. Aliquādo autē & dentium stupor inde oboritur. Et uenter quidem frigidus, nō probè concoquit lac acidū, qui uero moderatè habet, ægrè quidem sed tamen concoquit. Qui uero calidiores æquo sunt uentres, suprà hoc quod nihil læduntur, etiam commodi nonnihil ex eiusmodi edulijs percipiunt. Atq; tales uentres etiam per niuem circundatam perfrigeratum oxygala citra molestiam ferunt, nisi pectus frigidū fuerit, aut caput aut alia particula. Neq; enim calidā & acrem seri qualitatem oxygala habet, neq; pinguem & calidā butyri. Sed solū in ipso reliquum est caseosum, unde frigidum est & crassi succi, & crudos humores generat, & in frigidioribus uentriculis etiā calculos in renibus gignit.

De primario lacte. Cap. XCIX.

Primarium lac appellatur quod statim à partu mulctū est, id calido cinere modicè calfactū, citra coagulum statim coagulatur. Veteres Pyriaton hocuocabant, alij pyriephthon, comeditur hoc ipsum cum melle. Melle enim non addito, ægrius cōcoquitur, & crassioris succi est, & tardius transit.

De lacte concreto. Ex Galeno. Cap. C.

Quidam lac etiam concretum exhibent, per coagulum uidelicet coactū, & sero ablato, melleq; addito. Quidam uero etiam seri plurimam partem absorbent. & contingit sanè his uentrem magis aut minus subduci, pro absorpti serosi humoris quantitate.

De caseo, Galeni. Cap. CI.

Casei omnes mali sunt, excepto oxygalactino qui ex acido lacte fit: nullum enim laudare possum, omnes ægrè cōcoquuntur, acidū ructum generant, & flatu uentrem implent, improbè aluo secedunt, pituitā & æstum uentri inducentes. Nam in præparatione ab immisso coagulo acrimoniā assumunt, & omnē humorem deponūt, præsertim inueterati, qui & acriores fiunt, & seipsis calidiores & æstuosiores, sitimq; amplius inducentes, & ægrius cōcoctiles, & peioris succi euadūt. Quapropter illud cōmodi quod crassi succi edulia attenuantibus medicamentis ammixta attrahunt & acquirunt, neq; caseus obtinet citra detrimentū. Maius enim ex succi malitia & ęstuosa humiditate damnū accedit, quàm utilitas ex crassitudine attenuata emergat. Itaq; fugiendus maximè talis

caseus

caseus qui penitus nihil boni in se habet. At uero recens caseus appellatus oxygalactinus, omnium optimus censendus est. Nam & in cibo iucūdissimus est, & stomacho innoxius prae omnibus alijs caseis existit. minus ægrè concoquitur, & minus ęgrè transit, neq; uero ualdè crassi succi est, quo crimine in cōmune omnes casei sunt infames. Inter reliquos porrò caseos recens melior uetere est, & mollis duriore, & rarus ac laxus ualdè denso & coacto, & qui præcellētem dulcedinem habet salso præstat, & qui moderatè salsus est, potior est eo qui plurimum salis, aut penitus nullum salem accepit, iucundus iniucundo, assatus crudo præfertur. Caseus coctus multò solidior est, sunt tamen omnes mali.

Pharmacum ex caseo uetere ad callosas concretiones podagricorū. Galeni. Cap. CII.

Quū arthriticus in sella ad me delatus esset, qui callosas duritias in articulis haberet, statim in mētem uenit mihi ut pernam suillam ueterem salsam coquerē, eiusq; decocto caseū uetustissimū rigarē subigerēq; ac in pila probè unirē, & duritiebus callosis imponerem, quo facto sponte rupta cute citra sectionem, quotidie callorū particulæ emergebant. & quū commoditatē homo ille experiretur, talē de cætero sibi parans caseū adseruabat, & inueterato utebatur, atq; sic in eius usu pseuerabat. Quin & alios similiter affectos ex amicis suis medicamēti eius uim edocebat.

De efficacia recentis casei foris adhibiti. Galeni. Cap. CIII.

Recens & humidus caseus magnopere auxiliari uidetur his qui spumam argenti hauserunt, si quis ipsum in cibo accipiat. Potest & uulnera cruenta simpliciora glutinare in cataplasmate impositus, superimpositis folijs uitis, aut lactucæ, aut betæ. Caseus autem oxygalactinus etiam magna uulnera glutinat. nam & discussoria ui participat.

De butyro. Galeni. Cap. CIIII.

Butyrū ex pinguissima lactis præsertim bubuli parte fit, concoctoriā autem uim habet, modica quoq; discussoria participans. Has uires tamen in medijs inter mollitiem ac duritiem corporibus exercet. Nam ubi hæc fuerint inflammata, concoquit ac facilè discutit. Quare parotidas aurium, & bubonas inguinū abscessus, ipso solo sępe perfectè sanauimus, puerilibus corporibus ac muliebribus affectis. Durorum enim penitus corporum tumores præter naturales butyrum discutere non ualet. Idem reiectionibus ex pulmone, in pulmonis ac lateris affectionibus magnificè confert cum melle datum, easq; cōcoquit. Si itaq; solum delingatur per se, magis concoquit, minus educit. Si uero unà cum melle & amygdalis amaris, magis sursum educit, minus concoquit.

De coagulo. Galeni. Cap. CV.

Coagulum omne acrē & attenuatoriam uim discussoriamq; & siccatoriā habet. Optimū coagulum est leporinum, dissoluit omne coagulū cum aptis ad hāc rem medicamentis potum, sanguinē in uentre in grumos concretum. Cætera quæ de coagulo à multis prodita sunt, superuacaneum adscribere existimo.

De felle. Galeni. Cap. CVI.

Humorem qui in uesica bilis susceptrice coaceruatur, nunc fel ac bilem nomino, non quam atrā, sed quam flauam appellant. Et est sanè humor hic omniū animantis humorū calidissimus. Differētiæ sunt in ipso plurimæ, tum iuxta naturam animalium, tum iuxta uictum. Nam pallidior colore bilis moderatè calida est, subalbida uero in quantū colorem exolutum habet, tantò caliditate inferior est. Flaua autē tantò calidior quàm pallida est, quāto crassior & flauior existit. Etenim flaua fit ex pallida amplius calfacta. Si uero adhuc amplius superincalescat, ad atriorē colorem transmutatur. qui aliquando ęruginosus fit, aliquando cæruleus, interdum etiam ad isatidis colorē transit. Itaq; & tu colorem bilis expendes, ubi pharmacum præparas in quod fel recipitur. Fit & bilis differentia circa corpus utētiū ipsa, prout subtili aut hebete sensu præditū est. Et suillū quidem fel omniū aquosissimū est. & propterea debilissimum, exceptis agrestibus suibus. Vtuntur autē felle suis domesticæ ad ulcera aurium. non cōtemnendo pharmaco, quo & tu uti poteris, si non aliud compositum adfuerit. Fel ouillum paulò acrius suillo est, atq; eo adhuc magis caprinum. Consimile huic est ursinum & bubulum. Taurorum his fortius est, sed inferius hyenarū felle. Callyonimi piscis & scorpij marini ac testudinis fel hoc etiam superant. Est & uolucrium animalium fel omne acrius ac siccius quàm in quadrupedibus. Ex uolucribus gallinarum ac perdicum fel in usum medicum præstat. Accipitrum & aquilarum fel multum acre est & corrosiuum. Has itaq; ubi noueris fellis differētias, scierisq; quæ affectiones magis, quæ minus siccatione opus habent, uix contingere potest ut circa curationem aberres.

De Sudore. Cap. CVII.

De sudoribus aliqui superuacanea conscripserunt, quæ per aliam materiā parabiliorem fieri possunt. Amiscetur autem sudor eorum qui in palæstris exercentur, substrato pulueri, atq; hoc paton Græci uocant. Estq; pharmacum discussorium. itaq; inflammatis mammis auxiliū efficacius est solus is patos impositus. Si uero aridior est, cyprino aut eo non præsente, rosaceo emollire ipsum. Hoc pharmacum illitum lac in uberibus redundans extinguit. Et ego sanè aliquando ipso in inguinum abscessu usus sum, & breui tumorem sedatum uidi.

De Vrinis. Cap. CVIII.

Vrina hominis ferè omnium aliarum debilissima est, excepta suilla porcorum domesticorum castratorū. Vim habet extergendi hominis urina, si quod aliud urinæ genus, quod satis indicant fullones. Vnde & medici ad scabies ac lepras adhibent, ulceraq; multa humiditate sordeq; ac spurcitia plena, ea perfundūt, idq; multo magis si quid putredinosum habuerint. Manantia item capitis ulcera & porriginem eadē fouentes curant. Nos autē abominati sumus talia facere, quum alia pharmaca sint ad manum. Cæterū ulcera in digitis pedum pręsertim ex offensione, ubi non fuerint inflammata, etiam ego sæpe urina curaui, & sanè iter facietibus ac peregrè proficiscentibus linamentū urina tinctū in ulcus imposui, deinde forinsecus linamentū circūdedi, & quoties meiere uellēt, urinam ad digitū demittere præcepi, & non soluere priusquam exactè curati essent. Permisi & ruri degētibus non præsente medico ulcera urina perfundere, ubi in partibus infernis essent à pectore usq; ad summos pedes. At uero bibere urinā, in difficili spiratione quæ erecta ceruice contingit, quēadmodum aliqui prodiderunt, non est necesse, quum sint plurima

alia pharmaca, quæ huic malo opitulantur. Et sanè quidam etiam pota urina ab effectu non conualuit.

De Saliua. Cap. CIX.

Saliuæ uires diuersas esse nosse oportet, tum iuxta animalium species, tum prout singula ex his sana sunt aut morbida, prout comederunt aut ieiuna sunt, potaruntq; aut non potauerunt. quemadmodum enim urinæ & fel & sudores, sic & saliuę, debiles quidem sunt eorum quę cibum & potum sumpserunt. fortes autem & acres eorum qui sitim nimiam itemq; famē tolerarunt. Medium locum occupant eorū quæ probè quidem concoxerunt, nondum autem cibum aut potum ingesserunt. Hac itaq; saliua postremum relata, nutrices infantium impetigines curant, madefacto ex ea paruo digito, deinde loco perfricto, atq; hoc assiduè faciunt. Sed & triticum quidam rurales manducant, & furunculis imponunt, qui sic ex saliuæ uiribus discutiuntur & cito concoquuntur. At uero iuxta omnem suam substātiam saliua siue sputum hominis reptilium uenenatorum generi maximè contraria est. Ego enim citra omnem incantationem, ex solo ieiuni sputo, scorpium pereuntem uidi.

De stercore. Cap. CX.

Stercus summam discutiendi uim habet. Humanum ob fœtorem abominamur. Verum boum, caprarū, ac canum, ubi ossa comederint, neq; fœtidum est, & magna experientia commendatum non nobis solū, sed multis ueteribus medicis existit. Ego itaque mirandam uim humani itemq; canini stercoris experimento cognoui.

De stercore canino. Cap. CXI.

Dicendum autem primū de canino stercore, quo frequenter quidam ex præceptoribus nostris utebatur. dabat autem cani ossa tantum biduo comedere, tertia die excretum stercus accipiebat, siccabat ac reponebat, & usus tempore terebat. Vtebatur autem ad anginas alijs huic malo cōmodis pharmacis id ammiscendo. Dysentericis idem aridum tritum in lac per silices coctum inspergebat, & præbebat multos ita falles. Hos itaq; duos canini stercoris usus multa experientia, uelut mirabilis medicamenti, didicerat. Sed & in malignissimis ulceribus parum de eo stercore addebat in pharmaca aliàs ad eiusmodi ulcera cōmoda, & palàm fortius seipso redditum pharmacum uidebatur. Quin & si quid discuti ac siccari opus esset, etiam illis medicamentis ammiscebat.

De stercore humano. Cap. CXII.

Stercoris humani eiusmodi experimentū habeo. Quidam faucibus assiduè inflammatis uehemēter uexabatur, ut periculum suffocationis ipsi immineret. & sanè uenam secare propter periculū cogebatur. Huic quidam obuiam factus promisit se pharmacū daturum experimento constans, & uocari se iubebat ante uenæ sectionem, si rursus fauces essent inflammatæ. Itaq; accersitus, & illito pharmaco quodam, celeriter hominem sanauit. Erat autem pharmacū stercus pueri aridum, quod cum melle Attico illinebat. Nutriebat autem puerum cuius stercus accepturus erat, uelut idem ille medicus docebat, lupinorū esu, eorum uidelicet qui in frequenti cibi usu sunt, cum optimo pane. Dabat & uinū bibendū uetus. Omnia hæc moderata mole, ut probè concoquere puer posset. Tertia die excretum pueri stercus sumebat, siccabat, ac utebatur uelut de canino stercore prędictū est.

De stercore lupino. Cap. CXIII.

Lupinum stercus quidā colicis bibendū dabat, non solum in exacerbationibus, sed etiam in interuallis, si quidem citra inflammationem affecti erant. uiditq; quosdā non amplius morbo hoc correptos, & correptos etiam non ita fortiter afflictos, neq; frequēter. Sumebat autem & ille albius luporū stercus, quod ab ossium esu excreuerāt. Sumebat autem nō quod in terram cecidisset. nam in fruticibus ac floridis herbis hoc stercus sępe reperitur. Miratus sum porrò de ipso, quòd etiam adalligatū sępe prodesset. Inuenitur & in ipso quid ex ossibus deuorati animalis quod manducationem effugit, itemq; cōcoctionem, quod ipsum etiam tundens ac conterens colicis bibendum dabat, salem & piper aut tale quippiam ammiscens odoris commendandi gratia. Dabat autem cū uino substantia tenui, aliquādo cum aqua. Quòd uero lūbis ægri ex stercore adalligaretur, id ligamentū habere iubebat ex lana agni à lupo discerpti, aut si id haberi nō posset, ex corio ceruino. & sanè tum lorū quod lumbis circumdaretur, tum id in quo stercus inuolueretur, ac contineretur, ex eo parare iubebat. Nos autem in ollulam argenteā stercoris lupini fabæ magnitudinem iniecimus, & quibusdam experimenti gratia appendimus. & ammirati sumus quū uideremus manifestam opem inde eos consequi.

De stercore caprino. Cap. CXIIII.

Stercoris caprini usus frequentissimus est, acrē & discussoriam uim habet, induratis tumoribus cōuenit, non lienis tantum, sed aliarum partium. Itaque ego in genuum tumore inueterato & ægrè solubili, ipso usus sum ex posca, cataplasmate parato ex ordeacea farina stercore, ammixto & qui curabatur homo mirificè sanatus est, erat autem ruralis. Nam mollibus corporibus pharmacum acrius est. Equidem ustum tenuiorum partiū redditur, quare ad alopecias competit, & omnia quę extergentibus indigent medicamētis, uelut lepras, impetigines, & similia. Quin & cataplasmatis ad parotidas et inguinum abscessus ammixtum, discussorium existit. medicus certè quidam ruralis ipso ad uiperarum morsus, multoq; magis aliarum bestiarum utebatur cum aceto, & ualde multos seruauit. Idem ille etiam eiusdem stercoris pilulas ictericis ex uino bibendas dabat. & ad muliebrem fluxum cum thure apponebat.

De stercore bubulo. Cap. CXV.

Boum stercora exiguā habēt inter se pro pabuli ratione differentiā. Nam & ipsa siccandi uim habent. possident & attractoriam. Medicus quidam rei medicamentariæ expertus hydropicos stercore bubulo oblitos ad solem exponebat, & multis opitulatus est. Accipiebat autem humidum adhuc uere quum boues herbā depascunt, & exiccatum reponebat. Vtebatur eodem & ad strumas, & ad omnes induratos tumores cum cataplasmatis modo imponebat.

De stercore ouillo. Cap. CXVI.

Idem medicus & ouillo stercore utebatur ad uerrucas, & specialiter myrmecias appellatas, thymos itē uocatos, & clauos, aceto autem id diluebat. Sed & ambustorum ulcera ad cicatricem eodem perducebat, rosaceo cerato ammixto.

De stercore columbino. Cap. CXVII.

Columbarum foris uictum quærentiū stercore, uelut calfactorio pharmaco, ego ipse sæpe ad multa utor cum

cum nasturtij semine, quod leuissimè tritum pro sinapi admisceo, in ueteribus affectionibus rubificatione opus habentibus, qualis est, coxendicum morbus, hemicrania, cephalea, uertigo, & inueterati dolores iuxta spurias costas, aut scapulas, aut tendines, aut lumbos. Item renum, pedum & articulorum, ubi callosæ concretiones nondum fuerint coactæ.

De gallinaceo stercore. Cap. CXVIII.

Gallinarum stercore usus sum etiã ipse, ad eos quibus strangulationis periculum ex esu fungorum imminebat, inspergebam autem ipsum tritum cyathis tribus aut quatuor poscæ aut aceti mulsi, & breui conspicuam opem senserũt. Paulò pòst enim pituitosum crassissimum humorem euomebant, à quo perfectè suffocationis accidens conquieuit. Medicus qui me hoc remedij docebat, etiã inueterato colico dolori id ipsum stercus ex uino mulso dabat. Quidã & in angina bibẽdum præbent. est autem gallinaceum stercus debilius colũbino. sed & hoc ex gallinis in agris uictũ quærentibus, & non inclusis, accipere oportet.

De stercore anseris, accipitris, ciconiæ, & terrestrium crocod. Cap. CXIX.

Stercus anseris, accipitris, ciconiarum, & reliquorum de quibus quidam delirantes scripserunt, ipso experimento cognitum est inutile esse. terrestrium uero crocodilorum etiam ægrè parabilis est.

Sordes ouium ex qua œsypus. Cap. CXX.

Sordes quæ ouium lanis innutritur, ex qua œsypum fit, concoctoriã uim similiter ut butyrũ habet, & parum quid de discussoria. Oesypus uelut Dioscorides tradit sic præparatur: Sumito lanas sordidas ex alis ouium tortas, crispas, & molles, & calida aqua eluito, omni sorde ipsarũ expressa, deinde ipsam loturã in craterẽ amplioris mittito, & alia feruẽte aqua affusa cõturbato, ita ut poculo uel alio simili uase haurias, & ex alto uiolẽter illidas donec spumescat. Deinde aquam marinam, uel frigidam illa non præsente, irrorato. & desidere sinito, atq; ubi perfrigeratũ fuerit id quod superstat conchula tollito, & in aliud uas mittito. & affusa modica frigida aqua manibus subigito. Deinde diffusa aqua, aliã calidã affundito, & similiter ut prius cõturbato, & aquã maris uel frigidam irrorato. & desidere sinito, atq; ubi perfrigeratũ fuerit, rursus id quod superstat cõchula tollito, & similiter manibus subigito. Rursusq; tertio calidã aquam affundito, & idem uelut prædictũ est facito, donec cãdidus & pinguis œsypus reddatur, & nihil impurũ habeat. atq; ita fictili inditũ ad dies aliquot in solem exponito ac adseruato. Sed & omnia prędicta ad solẽ æstiuum facito. Sic enim commodior reddetur, & albus, nihilq; duri ac contorti habens. Quemadmodum qui cerato, aut adipe adulteratur. Facit ad ulcera sedis & uuluarum cum meliloto ac butyro, itẽ ad plurima alia. Oesypus ustus fuliginem ex se reddit cõmodissimã ad erosos ac scabros oculorum angulos, & ad palpebras callosas & pilorum defluuio laborantes. Vritur autẽ in testa noua. donec in cinerem redactus omnẽ pinguitudinẽ deposuerit. Testa ipsa carbonibus imponitur. deinde exustũ colligitur, teritur, et ad prędictos usus adhibetur.

De carnibus. ex Galeno. Cap. CXXI.

Non omnes animaliũ carnes hominẽ alunt, sed aliquæ etiam sunt letales. Quædam uero non solũ ut cibus, sed etiam ut auxiliare medicamen assumuntur. Et ex his quæ alunt non omnes eandẽ uim habent. Omniũ quidem igitur eduliorum caro suilla maximè alit, boni succi est, & melius omnibus concoquitur, cum aliàs, tum ob similitudinem ad homines. Carnes bubulæ non modicum & ipsæ alimentũ præbent, necq; facile transpirans, sanguinem tamen crassiorẽ quàm conuenit generant, & si quis natura atrabiliarium habuerit temperamentum, affectu quopiam melancholico corripietur, ex frequenti bubulæ carnis esu. Tales affectus sunt, cãcer, elephas, impetigo, scabies, febris quartana, & quæ priuatim uocatur melãcholia. Sed & lien quibusdam ex eius succo intumuit, unde deprauatus corporis habitus & hydropisis sæpe insequuntur. Siccioris enim & multo calidioris temperamenti est bos quàm porcus. Cæterũ lituli carnes concoctu faciliores habent quàm perfecti boues, sunt enim temperamenti humidioris. Sic etiam hœdi capris præstant. Et capra quidem minus sicco temperamento prædita est quàm bos, sed homini ac sui comparata multũ euariat. Humidissimã autẽ & pituitosam carnem agni habent. uerũ ouilla caro magis superfluitatibus redũdat & peioris succi est. Mali succi est caprina, cũ acrimonia, hircina autẽ pessima est & ad boni succi generationem, & ad cõcoctionẽ. Deinceps est arietina, deinde taurina. In omnibus autem his castratorum melior est. Vetustorum pessima est concoctu, succo & alimento. Quare & sues quamuis humidum temperamentũ habeant, senescentes fibrosam, & duram ac aridam, & propterea ægrè concoctilem carnẽ habent. Leporina quoq; caro crassiorem sanguinem generat, sed melioris succi quàm bubula aut ouilla. mali succi est & ceruina, duraq; ac ægrè cõcoctilis. At uero asinorum syluestrium caro: Nam & hanc quidã comedũt, uelut domesticorũ asinorum in Alexandria: crassissimi succi est & ægerrimè concoquitur, & stomacho incõmodat. Insuperq; esu iniucũda est, quemadmodũ etiam equina & camelina. nam & horum animaliũ carne, tum animam, tum corpus, asinini ac camelini homines uescuntur. Quidam etiam ursinas carnes edunt, & quæ his adhuc deteriores sunt, leoninas ac pãtherinas. Quid uero attinet dicere de canibus, quorum catulos pingues, pleriq; homines edũt: Horũ omniũ animalium carnes siccissimæ natura sunt, & acre alimentum corpori apponunt. Et pro modo præparationum etiã magis aut minus nutriunt, & magis aut minus cõcoquuntur. Nã quæ assatæ aut in sartagine frictæ comeduntur, siccius alimentum corpori sufficiunt. Quæ coctæ, humidius. Quæ uero conditæ sumuntur, mediũ inter utraq; locũ obtinent. Sed & harum ipsarũ non parua differentia est iuxta cõditurae modum. Quapropter ubi siccare corpus uoles, sicciorum temperatura animalium carnem dabis, ubi calfacere, calidiorum, frigidiorũ item & humectiorum similiter conuenienti proportione exhibebis.

De extremis terrestrium animalium partibus. Cap. CXXII.

Hæc itaq; in summa de terrestrium animaliũ carne dixisse satis est. Verum de alijs partibus consequenter quam uim habeant disce. Extremas partes appellãt in familiari usu homines, rostra, pedes, & aures. nam hæc minimè pinguedinem habent, minimè item carnosam naturã. prædominatur autem in his neruosa & coriacea species. Suntq; hæ partes multo motu

caro suill[a] carnes uitul[i]

magis exercitatæ, & propterea etiã uiscosiores. Merito itaq; paucius nutrimentum corpori præbent, & ob uiscositatem facilius aluo secedunt. Præstant autẽ pedes suilli rostro, quemadmodũ hoc auribus. Lingua laxioris & exanguioris carnis substantiam habet. Venter uero adhuc laxior & exãguior est quàm lingua, & propterea etiã friabilior, & concoctu facilior, citra adiacentium intestinorum ammixtionẽ.

De glandulis. Cap. CXXIII.

Omnes glandulæ hoc commune habent, quòd iucundæ & teneræ edentibus appareant. Mammarũ uero glandulæ quum lac habuerint, etiã illius dulcedinis nobis quid repræsentant, maximè in suibus. Alimẽtum ex ipsis probè concoctis, ad carniũ naturã propè accedit. Si uero defectuose cõcoquantur, crudum siue pituitosum humorẽ generant, & humidæ quidẽ glandulæ pituitosum, siccæ crudum producent.

De testibus. Cap. CXXIIII.

Ex glandulosis corporibus sunt etiã testes. Suilli itaq; & ouilli & hircini comesti ægre concoquuntur & malum succum gignunt, propter urositatem quę in ipsis existit. Quãto autem suilla caro alijs melior est, tanto testes probè concocti magis alunt. De cætero soli gallorum testes per omnia optimi & iucundissimi sunt, & bonum alimentum corpori sufficiunt, præsertim saginatorum.

De renibus. Cap. CXXV.

Renes palàm est mali succi esse, ac ægrè concoqui, quãdo etiam in gustu urinæ qualitatem nobis repræsentant.

De cerebro. Cap. CXXVI.

Pituitosius edulium cerebrum est, crassiq; succi ac tardi transitus, & ægrè concoquitur. maximè uero stomacho incommodum est omne cerebrum. Quidam autem mollicie eius decepti infirmis ipsum exhibẽt, quum sit præter alia etiam nauseosum. itaq; potius ubi uomere aliquem uolueris ab accepto cibo, cerebrum ipsi pinguius conditum postremum exhibebis. Verum uitabis ne cibum auersantibus præbeas. At uero cum calefacientibus ac incisiuis medicamentis præparatum, melius seipso euadit.

De terrestriũ animaliũ uisceribus. Cap. CXXVII.

Iecur omnium animalium crassi succi est, difficilis concoctionis, ac tardi transitus, præstat ex ipsis non solũ ad uoluptatem, sed ad alia quoq; porcinum, eorum uidelicet porcorum qui ficubus aridis sunt saginati, quòd iecur propterea Græcis sycotum, hoc est ficatum appellatur. Lien mali succi esse creditur, ut qui attrabiliarium sanguinem generet. Pulmo utroque facilius cõcoquitur, quanto etiam rarior est. Verum multò minus quàm iecur alit. Alimentum igitur quod corpori inde accedit pituitosius est, propter cartilagineum asperæ arteriæ corpus in ipso sitũ. At uero cor ægrè concoquitur ac tardi transitus est. si uero concoquatur probè, alimentum non modicum neque mali succi corpori exhibet.

De aluo, intestinis, ac utero terrestrium animalium. Cap. CXXVIII.

Aluus & uterus & intestina, in terrestribus animalibus, duriora carnibus sunt. propterea etiamsi probè concoquantur, non exquisitum & inculpatum, sed frigidiorem ac crudiorem sanguinem gignunt.

De syluestrium animaliũ carne. Cap. CXXIX.

Omnium animalium per montes ac syluas uictũ quærentium caro durior est, & paucissimæ pinguitudinis particeps. quapropter alimentum minus excrementitium ex ipsis quàm ex domesticis animalibus corpori accedit.

De uolucrium animalium carne. Cap. CXXX.

Omne uolucrium animantium genus minus alimenti corpori suppeditat, si terrestribus, & maximè suibus comparetur. facilior tamen cõcoctu uolucrium caro est, maximè perdicis, & attagenæ, columbæ, gallinæq; ac galli. Verum turdorum, & merularũ, & paruorũ passerculorum, item eorũ qui in turribus degunt, durior est, atq; his adhuc amplius turturis, & palumbi, & anatis. Gallinarũ carni similis est phasianorum, quantum ad concoctionẽ & alimentum attinet, sed iucũditate cibi præcellit. His durior est & ægrè concoctilis magis ac fibrosior pauonis. In cõmune autem in omnibus uolucribus animãtibus, uelut etiam in quadrupedibus, id nosse oportet: Quòd caro crescentiũ adhuc multò melior est quàm decrescentium. In uigore consistentium medium locum obtinet. Mala item est caro uetustorum, & infantium adhuc siue paruulorum. nam hæc mucosa, & humida & excrementis redundãs est, & facilè aluo secedit. Vetustorum autẽ dura, & sicca & neruosa est, & propterea concoctioni resistit. Atq; huius memineris in uniuersum de omnibus animalibus. Neq; uero parua differentia est eorũ quæ in stagnis, aut paludibus siue palustribus locis degũt, ad ea quę per montes ac siccos locos uictum quærunt. Etenim iuxta locorum proportionem, carnes animaliũ aut sicca, & superfluitatibus carentes, & cõcoctu faciles, aut contrà humidæ & superfluo excremento refertæ & ægrè concoctiles redduntur.

De anseribus & struthocamelis. Cap. CXXXI.

Harum caro excrementitia est, & difficilius concoquitur quàm prædictarum uolucrium. non tamen alas prædictis peiores habent.

De gruibus. Cap. CXXXII.

Gruum caro tota dura est & fibrosa, alæ uero adhuc carne ipsarum duriores existunt.

De partium uolucrium animalium differentia. Cap. CXXXIII.

Viscera in auibus eandem proportionẽ habent ad carnes, quam in pedestribus habere dictũ est. Intestina uero omnium ferme ad esum inepta sunt. Ventres uero esiles sunt & bene nutriunt. Quidam ipsorum etiam in cibo iucundi sunt, uelut anserinus, deinde gallinaceus. Aliqui falsò collaudant struthocameli uentriculum, uelut pharmacum concoctorium. Alij multo magis prædicant præferuntq; huic mergi uentrem. Verum neque ipsi facilè concoquuntur, neque aliorum ciborum concoctionem uelut pharmacum adiuuãt. Alæ in iuuenibus ac pinguibus uolucribus optimæ, in macilentis cõtrà ac uetustis pessimæ existunt. Testes optimi gallorum præsertim saginatorum, atque adhuc magis eorum qui ex seroso lacte cibos sumũt. Sunt enim boni succi, probeq; nutriũt, ac facilè concoquuntur. Cæterum alui excretionem neque proritant, neque inhibent. Cerebrum porrò in uolucrium genere longè præstantius est quàm in pedestribus, quanto sanè etiam siccius est, præsertim auicularum montanarum.

De ouis. Cap. CXXXIIII.

Oua gallinarum & phasianorum meliora sunt, deteriora

riora anserum & strothocamelorũ. Optima ad corporis alimoniã sunt tremula appellata. Sorbilia minus nutriunt, sed facilius aluo secedunt. lęuigant autem faucium aspritudines ex clamore, aut humoris acrimonia obortas. nã affectus partibus oblinuntur & adhærent uelut cataplasma quoddã, & substantiæ totius lenitate asperitatem curãt. Eadem ratione etiã stomachi ac uentris & uesicæ asperitates sanãt. Ouũ in aceto coctum & comestum, uentris fluxiones resiccat. quòd si ammiscueris ipsi quid ex medicamentis ad dysenteriam uel cœliacã affectionem commodis, deinde ad prunas in sartagine frixeris, & in cibo præbueris, non parum ęgris opitulaberis. Commoda ad hanc rẽ medicamenta sunt, uuæ acerbæ succus, & rus inspersus, & cinis cochlearum integrè ustarũ, uinaceaq; uuarum, & myrti baccæ, ac similia. Oua cocta ægrè cõcoquuntur, tardi transitus sunt, & alimentum crassum corpori præbent. His autem adhuc magis tardi transitus sunt, crassiorisq; succi, in calido cinere assata. Fricta pessimum ad omnia alimentũ præbent. nam in concoctione in nidorẽ transeunt, & crassum humorem gignũt uitiosumq; ac excrementitium. coctis & assatis meliora sunt quæ dẽsata. uel, ut alij malunt, suffocata appellantur, cũ oleo & garo, & uino modico subacta, & in duplici uase ad moderatè dẽsam cõpagem cocta. Quæ enim amplius spissantur, coctis & assatis similia euadunt. Idẽ facere oportet & in ouis quę patinis infunduntur. nã dum adhuc succulenta sunt, patinam ab igne tolles.

Ouorum uis medicamentaria. Cap. CXXXV.

In cœliacis ac dysentericis affectionibus, ouum prædicto modo datum, commodum pharmacum existit. Candidum & tenue in recentibus ouis leuissimum & omnis mordacitatis expers medicamentũ est, nõ solum oculis adhibitum, sed etiã alijs omnibus partibus leuibus pharmacis indigẽtibus, uelut sunt sedis & pudendorum ulcera, omniáque maligna, si ad ea quæ citra mordacitatem siccare illa solẽt ammisceatur, qualis est pompholyx, & similia. Vitellus eandem facultatẽ habet, & propterea lenibus ceratis additur, ouis præcoctis aut assatis. Quanto autẽ sicciora fiunt, tantum de leniendi ui perdunt. Testæ ouorũ ustæ medicamentum sanguinem sistens euadunt.

De alimento ex animalibus aquaticis. Cap. CXXXVI.

Animalium in aqua degentiũ & genera multa, & species differentiæq; plurimę existunt. Hoc loco referẽtur, uelut in superioribus fecimus, ea saltem quæ ad usum medicum & ad sanitatem conseruandam assumũtur. In uniuersum igitur illud scire oportet, quòd optima caro est piscium in puro mari degentiũ, magisq; ubi locus is uentorũ procellis agitetur, & neq; terrea, neq; leuia littora aquam ambiant, sed arenosa aut aspera & lapidea. Si uero etiam ad aquiloniares uentos loci conuersi sint multo melius est. manifestũ est autem mare mari præstare, in eo quod aliud perfectè purum est, aliud magnos et multos fluctus excipit. Nam pisces qui in eiusmodi mari degunt, quãto meliores sunt palustribus, tãto deteriores sunt his qui purum mare incolũt. nam & hi qui in protecto tranquillo mari degunt, peiorem carnem habent. At uero in stagnanti mari uiuentium piscium caro, medium inter fluuiatiles & marinos locum obtinet. Recrementitia uerè & multum mucosa est caro eorum qui in limosa ac sordida aqua degunt. hac adhuc deterior est caro in stagnis degẽtium. Si uero & parua sint stagna, neque magnos fluuios suscipiant, neq; fontes habeant neque effluxum largum, multo sanè deteriores piscium carnes sunt. Si uero in totum nihil aquæ defluat, sed stagnum perpetuò stans sit, omnino deterrimæ. cæterum in paludibus & cœnosis locis degentiũ extreme uitiosa caro est. Porrò ex fluuiatilibus meliores sunt, q eiusmodi flumina incolunt, quorum uelox est & multus fluxus. nam stagnantium fluminum pisces carnem habent cõcoctu difficilem, & bonum alimẽtum quàm paucissimum habent. pessimi autem sunt qui in ostijs fluminũ degunt, quæ sterquilinia, aut balineas, aut culinas, & uestium ac linteorum sordes expurgãt, & si quę alia sunt retrimenta urbis quam præterlabuntur, & quæ in ipsa flumina expurgantur, maximè si populosa urbs existat. Cæterum & iuxta nutrimentum pisces meliores & deteriores fiunt. Quidam enim herba & optimis radicibus abundant, & propterea meliores sunt. Quidam & limosam herbam & radices mali succi edunt, & aliqui in fluminibus magnam urbem præterlabentibus degentes, stercora hominum & quosdam consimiles cibos uorant, atq; hi omnium pessimi, uelut dixi, existunt. & si paulò ampliori tẽpore mortui permanserint, euestigiò computrescũt, ac pessimè olent. Suntq; hi omnes esu iniucundi, & ægrè concoquuntur, & bonum alimentum paucissimum habent, sed non modicam recremẽtitiam superfluitatem, & uitiosum succum in corporibus eorum coaceruant qui ipsis quotidie uescuntur.

De cephalo siue mugile. Cap. CXXXVII.

Cephalus maximè omnium piscium utrisq; aquis utitur, fluuialibus & marinis. Qui igitur in mari uersatur, paruas & multas spinas non habet, iucundiorq; est, & pinguitudine carens ipsius caro. Verum in fluminibus degentes cephali, spinis referti sunt, & pinguem saporem habent, esuq; & concoctu deteriores sunt, stomacho incommodant, mali succi & uirosi existunt. At uero sale inueteratus cephalus melior seipso euadit.

De lupo. Cap. CXXXVIII.

Lupus ex pelagiorum piscium numero est, hoc est eorum qui in profundo mari degunt. huius itaque caro, uelut reliquorum pelagiorum piscium, tenuiorem sanguinem generat. Si uero ad flumina ascẽdat, cephalo similis euadit.

De trigla siue mulo. Cap. CXXXIX.

Ex pelagijs piscibus est & mulus. Aestimationẽ apud homines reperit, tanquam excellenter iucundus in cibo sit, habet autem duriorem omnibus pelagij generis carnem, non pinguem, & friabilẽ, & propterea magis quàm alij pisces nutrit, ubi probè concoquatur. Quidam iecur eius & caput, uoluptatis gratia magni faciunt. At uero muli qui carcinadas: animalcula sunt hæc, ualde minutis cancris similia, colore fulua, uorant, fœtidi sunt, & iniucundi, ægreq; concoctiles ac mali succi. Cognoscuntur hi ex odore & sapore, sed si quis uentrem ipsorum discerpat, carcinadas in ipso inueniet. Quòd si quis in frequenti mulorum marinorum esu perseueret, hebetudinẽ uisus incurret.

De piscibus petrosis. Cap. CXL.

Petrosos & saxatiles appellant pisces, degentes ubi petræ sunt & littora saxosa. In hoc genere optimus cẽsetur

setur uoluptatis gratia scarus, deinde merulæ & turdi, & postea iulides, phucæq; ac percæ. Alimentum ex his non modo concoctu facile est, sed & saluberrimum, sanguinem generans compage mediocrem.

De Gobio. Cap. CXLI.

Gobius littoralis piscis est, semper paruus manens, sicut etiam alij plures. optimus est & ad uoluptatem & concoctionem, distributionemq; in corpus ac humoris boni generationem, qui circa arenosa ac petrosa littora capitur. Qui uero in fluuiorum ostijs, aut stagnis degit, neque similiter iucundus est, neq; boni succi, neq; concoctu facilis. Si uero aqua uitiosa sit, etiã in ipsa pessimus gobius euadit. Si iure albo decoctus sit donec flaccidus fiat, ius ipsius potum aluum subducit. Assatus citra salem comestus, promptitudinem egerendi inanem sanat.

De piscibus mollis carnis. Cap. CXLII.

Ex piscium mollis carnis numero sunt, aselli, murænæ, buglossæ ac passeres, & ex his aliqui in fluminibus & stagnis degunt, aliqui in mari. Et propterea aliquando iucundi & probe nutrientes reperiuntur, aliquando uitiosi & mali succi.

De piscibus duræ carnis. Cap. CXLIII.

Ex duræ carnis piscibus sunt dracones, cuculi, scorpij, orphi, glauci, congri, pagri, amiæ, & parui thunni ac pelarnides, ægrius concoquuntur quàm pisces mollis carnis, & crassum humorẽ generant, & propterea fortiore uentre indigent ad concoctionem.

De piscibus testa intectis. Cap. CXLIIII.

Buccina & purpuræ & reliqua ostrea ac chamæ, ostracoderma, hoc est, testa intecta appellantur. his omnibus cõmune est, salsum saporem & qui uentrem nostrum molliat, in propria carne habere. Verum in unoquoq; genere magis aut minus talis actio inest. Nam ostrea siue conchæ inter alia mollissimam carnem habent & magis uentrem subducũt. & quidam ipsa citra cocturam edunt. At uero paruæ chamæ, & purpuræ, buccinaq; ac murices & similia, duram & ægrius concoctilem carnem habent, & minus quàm illa uentrem subeunt. Quemadmodum autem ægrè concoctilem carnem habent ostracoderma duræ carnis, sic etiam ægrè corruptilem habent. Quapropter exhiberi ipsa solent sepe his qui ex humorum prauitate cibum in uentre corrumpunt, coquunt autem ipsa, & aqua iterum atq; iterum diffusa, donec salsa qualitas deponatur. Sic præparata etiam uentrem sistunt. Si uero coquas & primam aquam diffundas, deinde sale aut magis garo condias, & ius bibẽdum præbeas, aluus bibentis multum subducetur.

De crustatis siue molli testa intectis. Cap. CXLV.

Gammari, paguri, cancri, locustæ, & squillæ, & quæcunq; alia crusta intecta, tenuem quidẽ habent ambientem testam, uerũ durã. minus superioribus salsum saporem habent, habent tamen, eumq; non modicum. Omnia autem carnis duræ sunt, ægrè concoquuntur, & multi alimenti, præcocta uidelicet. Horum caro uelut etiam ostreorum uentrem sistit, ubi præcocta salsum humorem in aquã deposuerit. Sed & hæc ægrè corruptilem carnem habent, similiter ut duræ carnis ostracoderma.

De piscibus mollibus. Cap. CXLVI.

Molles appellantur pisces, neq; squamas habentes, neq; cutem asperam aut testaceam, sed mollem. Suntq; tales polypi, sepiæ, loligines, & qui his similes sunt. Habent autem carnem duram, ægrè concoquuntur, & salsum humorem modicum in se continent. Si tamen concoquantur, alimentum non modicum corpori præbent. Plurimum autem crudum humorem hi ipsi gignunt.

De piscibus chartilagineis. Cap. CXLVII.

Asperam & nocte splendidam cutem hoc genus pisciũ habet. quapropter aliqui à Græcis selachia appellata uolunt, quòd selas, hoc est, splendorem emittãt. Mollem in se carnem habent torpedo & pastinaca, aluo moderatè subeuntem, & non ægrè concoquuntur, & moderatè quoque alunt.

De Echinis marinis. Cap. CXLVIII.

Echinos siue herinaceos marinos quidã ex uino mulso præsumunt & garo, subducendi uentris gratia, sed & patinas ex ipsis præparant. Referuntur autem inter edulia modici alimenti, & quæ mediam facultatem inter spissantia & attenuantia humores habent.

De Salsamentis omnium animalium, pedestrium, uolucrium, & aquaticorum. Cap. CXLIX.

Non modica differentia salsarum carnium est, prout quædam ex ipsis saliuntur. Nam adeo immutantur, ut sæpe animalis temperamento humidi caro salita longè siccior euadat, quàm caro animalis natura sicci non salsa. Apta itaq; ad salsuram sunt animalium corpora, quæ duras simulq; superfluitate redundantes carnes habent. Quæ uero aut ualde mollem, aut ualde durum, aut siccum & superfluitatũ expertem corporis habitum habent, ad salsuram inepta sunt. Quemadmodum enim sicca corpora salita corijs similia euadunt, sic ualde humida diffluunt, & salis familiaritate colliquescũt. Itaq; manifestum est, quòd dura & neruosa, & uelut pelliculosa ac coriacea omnia, salita ægrè concoquuntur. quæ uero ad salsuram idonea sunt, tenuium partium fiunt, & comesta crassos ac glutinosos humores attenuant. Cæterum uetera salsamenta omnia uitiosa sunt.

De garo. Cap. CL.

Garum uim habet multum calidam & siccam. Et propterea quidam medici usi sunt ipso ad putredinosa ulcera. Quin & dysentericis & ischiadicis per clysterem infundunt.

De muria. Cap. CLI.

Muria salsorum piscium, similiter ut garum, putredinosis ulceribus conuenit, & ad ischiadas ac dysenterias per clysterẽ infusum. Acrimonia enim sua humores coxendicem infestantes attrahit, & per intestina euacuat. In dysentericis autem putredinosa ulcera abluit & siccat. Maximè uero silurorum salitorum & mænularum muria ad talia medici usi sunt, & nos ad putredinosa oris ulcera adhibuimus. At uero oliuarum colymbadõ muria frequenter in dysentericis utimur, præmittimusq; eam hora una antea quàm crustifica infusa immittamus, ad ulcera uidelicet præmundanda.

De adipe pinguedineq; ac seuo. Cap. CLII.

Omnis pinguedinis uis est humana corpora humectãdi ac calfaciendi. Verum singulæ inter se differunt, prout magis aut minus eas uires habent. Differt pinguedo à seuo crassitudine. Quapropter animalia tota natura magis terrea, seuum habent, uelut humectiora pinguedinem. Et propterea adeps siue pinguedo

guedo facilè liquescit ab igne, non facilè autem congelatur. Seuum contrà non liquescit facile, & liquefactum celerrimè cõgelatur, & multo durius adipe apparet. Humidissima omnium ferme animalium pinguedo est suilla, magis molliens ac cõcoquens oleo, quare cataplasmatis inflammationum ammiscetur. Cęterum his qui in recto intestino aut colo morsum percipiunt, item in dysentericis & egerendi cupiditate inani, caprinũ seuum magis inijcimus, non quòd acrimoniam obtundat, sed quòd congeletur ob crassiciem. Nam suillus adeps defluit uelut oleũ. At uero anserinus adeps suillo quidẽ calidior est, & ualde tenuium partium, & propterea insundimus ipsum his qui in alto corporũ morsum sentiunt. Nam partiũ tenuitate tota corpora penetrat, & omnibus mordentibus serosis humoribus ammiscetur, & mordacitatem hebetat. Medium inter suillum & anserinũ locum obtinet gallinaceum ac gallorum. Porrò taurorum seuum multo calidius & siccius est pinguedine suilla. Vitulinum inferius taurino est caliditate & siccitate. Similiter hœdinum inferius est caprino ac hircino. Rursus hircinum inferius est leonino. Maximè enim discussorium est leoninum, & tenuissimarum partium ferme præ omnium quadrupedum seuo. unde tumoribus inueteratis induratis, & cõtractis articulis adhibitũ, ualidissimam uim discutiendi habet. Taurinum medium locum obtinet inter suillum ac leoninum. & propterea utricꝫ medicamentorum generi miscetur, tum his quæ induratis medentur, tum quæ inflammata cõcoquunt, quale est tetrapharmacum & regium appellatum. Quidam uiperarum adipem in principio suffusionum cõuenire tradunt. Verum ursinum alopecijs prodesse uere scripserunt. Quidam piscium pinguedinem collaudant ad suffusiones & auriũ dolores, aiuntcꝫ omniũ piscium adipem ad hæc pollere. Omnis adeps ueterascens calidior ac tenuiorum partium euadit, & ob id etiam magis discussorius. id quod omnibus ueterascentibus contingit, quæ non putredo pręoccuparit. Summa autem huius sermonis in commune hæc est, cuius meminisse oportet. Nempe iuxta animaliũ temperaturam, semper differentias adipis ac seui in ipsis fieri. Item iuxta differentiã generis. Nam masculum semper siccius & calidius est fœminino. mas autem castratus similis est fœminæ. Ita etiam omne iuuenile animal fœminæ assimilatur. Sic autem & syluestre calidius est & siccius domestico.

De medulla. Cap. CLIII.

Omnis medulla uim dura & indurata corpora emolliendi habet, siue musculi, siue tendines, siue ligamenta, siue uiscera, hoc modo sint affecta. Optimam autem semper expertus sum esse ceruinam, deinde uitulinam: taurorum & hircorũ acrior est magiscꝫ siccatoria, & propterea duritias in scirrhũ induratas dissoluere nequit. Cæterum methodum reliquarum differentiarum, ex his quæ de adipe relata sunt, conlectare potes.

De pulmone. Cap. CLIIII.

Pulmo agninus & porcinus usti ac triti impositi, attritus calciamentorum sanant. Vulpis pulmo siccatus & tritus paulatim potus, anhelosos sanare creditur.

De capitibus. Cap. CLV.

Capita mænularum salsarum urebat quidam, utebaturcꝫ ad rimas sedis, & putrescentes gingiuas, & ad gurgulionem induratum. Vis ipsorum siccatoria est non ualde acris. alius quidam caput integrum leporis urebat, & utebatur ad alopecias cum adipe ursino. Viperarum capita usta in olla ad cinerem, deinde trita cum decocto lupinorum amarorum crassissimo, & temporibus illita, fluxum oculorũ diuturnum sistunt. Cinis ipsorum per se leuissimè tritus, & ut aridum collyrium adhibitus, hebetem uisum magnopere corrigit.

De cornibus. Cap. CLVI.

Cornibus cerui ac capræ ustis sæpe usi sumus ad illustrandos dẽtes, gingiuas quocꝫ flaccidas adstringũt. Aiunt cerui cornu si post usturam lauetur, dysenteriam ac sanguinis sputum, & cœliacas affectiones sanare. Ictericis quocꝫ utiliter præbetur. Datur omnibus duorum cochleariorum mensura. Vstum & lotum collyrijs ocularibus ad fluxiones oculorũ destinatis ammiscetur. Est autem horum collyriorum uis siccatoria. Capræ cornu ad pruritus facere aiunt, itemcꝫ ad scabiem, ulcera, affrictum.

De unguibus. Cap CLVII.

Quidam ungues caprarum urunt, deinde cinerem aceto subigunt, & alopecijs illinunt. Sunt autẽ attenuatoriæ facultatis. Alij suum ungues urunt, & cinerem colicis in potu præbent. Aliqui asinorum ungulas ustas, comitialem morbum sanare aiunt, si assiduè bibantur. Easdem oleo subactas, strumas discutere. Cinerem quocꝫ earundem cum muliebri lacte probè tritum, & in collyria redactum, oculorum cicatrices detergere, si cum lacte item illinatur.

De impetigine in pedibus equorum. Cap. CLVIII.

Impetiginem equorum aceto tritam ac potã, comitialem morbum curare aiunt. Aliqui & ad omnis reptilis bestiæ morsum eadem uti iubent.

De lanis succidis, & puris & ustis. Cap. CLIX.

Lanæ sordidæ ac succidæ appellatæ, utiliter adhibẽtur ad contusas aut quomodocuncꝫ percussas partes, fomentis excipiendis aptæ, quanquã non desit & ipsis sua utilitas, ob sordium efficaciam. Quomodo autẽ ex his œsypum parare oporteat, iam dictũ est in hoc sermone secundo, ubi de ouium sorde tractauimus. Lanæ lotæ ad suscipiendas fomentorum humiditates materia apta existunt. Eædem ustæ uim habent acrem & calidam, cum quadã partium tenuitate, ut etiam humectas in ulceribus carnes celerrimè consument. Conijciuntur & in pharmaca siccatoria. Vrũtur in fictile nouũ missæ, operculo addito multa foramina habente.

De pilis ustis. Cap. CLX.

Pili usti consimilem lanis ustis, calfactoriam ac siccatoriam uim habent.

De ossibus ustis. Cap. CLXI.

Ossa usta omnia discussoriam & siccatoriã uim habẽt. Quidam tamen de hominũ ossibus id maximè prędicant. Talum uticꝫ suillum ustum, deinde potum, inflationes ac tormina sanare prodiderũt. Et noui sanè ego quendam nostrorũ hominum, qui ossa usta potanda dabat, ignorantibus bibentibus quid potarent, ne abominarentur, atcꝫ sic in multis & morbũ comitialem ac articularem curabat.

De pellibus & corijs. Cap. CLXII.

Pellis ouilla recens excoriata, flagris cæsis circundata, manifestè auxiliatur præ omnibus alijs auxilijs, ut in una die ac nocte ipsos curet. concoquit enim & discutit



discutit subcruenta. Hyænæ pellem quidam domi repositam adseruant, & usu expetẽte ipsam à rabioso cane commorsis circũdant. Nam proprietate quadam prohibet ne commorsus in aquæ timorem delabatur, sed & iam illapsis auxiliatur. Coria uetera maximè solearum usta, cinere ipsorum trito insperso, attritus calceamentorum non inflammatos sanant. Nam inflammatos exacerbant.

De uentriculo mergi. Cap. CLXIII.

Mergi uentrem torrefactum & sali modico ammixtũ, crudis bonam concoctionem facere tradunt.

De uulpibus. Cap. CLXIIII.

Quidam uulpes uiuas in oleo coquunt, eoq; articulares morbos sanant. Solia enim oleo calido replent, atq; sic arthriticos totos insidere faciunt, & diutius immorari iubent. Maximè autem discussorium fit hoc oleũ, ut ad superficiem trahat in alto corporum contenta, isticq; dolores facientia, aut ob substantiæ crassitudinem, aut ob frigiditatem, aut uehementem acrimoniã, aut ob flatuosum spiritum egressum non habentem. Ex hoc enim non solum tumores in articulis ipsorũ, sed etiam totum corpus repletione affectum euacuari cõtingit, & propterea maxima utilitas inde cõsequitur, nimirum quũ causæ in articulis contentæ discutiantur, & nihil amplius affectis partibus influat, toto corpore à superfluitatibus liberato. At uero si quis improba diæta utatur, affectio redire solet, non tamen ita uehementer uelut antea. Nã & antea quũ illæsum ab eo affectu esset corpus, uitiosa diæta malum id induxit. Idem facit & hyena tota oleo uelut uulpes cocta.

De aranearum telis. Cap. CLXV.

Aranearum telis quidam scripserunt ulcera in superficie ab inflammatione adseruare.

De ranis. Cap. CLXVI.

Ranæ palustres coctæ, & modico sale ac oleo modico conditæ, magnã medelam afferunt à reptilibus uenenatis cõmorsis, si ius ipsum in potu sumatur. Aliud, Rana in oleo cocta, & oleo pro fomento admoto, diuturni tendinum dolores sedantur. Idem oleum articularem morbum mitigat, & duritias emollit. Ranæ ustæ cinis membranæ cerebri sauciatæ, aut uenæ raptæ insperſus, sanguinis eruptionem sistit.

De mustela. Cap. CLXVII.

Mustelam arefactã & potã, morbum sacrũ curare aiũt. Si tota uiua uratur in olla, cinis eius strumas sanat cũ melle, aut terebinthina, aut butyro impositus.

De terræ intestinis. Cap. CLXVIII.

Terræ intestina trita & neruis dissectis imposita, e uestigio mirabiliter auxiliantur, omnẽ quoq; ferri aut lapidis aut alterius rei plagã glutinant, præsertim in neruosis & ægrè glutinũ admittẽtibus partibus, aut naribus, aut auribus, & similibus. Oportet autẽ ea leuigare cũ terra in qua reperiuntur, si non acrem aut salsam habeat qualitatẽ. Terræ intestina pota numero quinq; aut septem, cũ passo urinam ciẽt, & omne genus lumbricorum eijciunt eodem modo pota, aut quocunq; uelis. Verum latũ lumbricũ expellunt cũ aceto mulso pota. Sed & morbum regiũ ægrè curabilem per urinas expurgãt, similiter cũ passo septem numero pota, aut etiã per se, & cũ myrrha troglodytide magnitudine ciceris. Vtere confidenter. At uero in rosaceo cocta, auriũ dolores sanãt, oleo calido infuso. Oportet autẽ terræ intestinorum drach. VI. esse,

& rosacei librã unam. Dentium quoq; dolores idem oleũ sedat, propinquo dolenti denti auri calidũ instillatum. Eadem super prunas suffita dentiũ dolores sedant, ægro per infundibulũ fumum suscipiẽte ad dolentem dentẽ. Molares quoq; quos tollere oportet, citra forcipem tollunt usta trita, circum dolentẽ dentem insperſa, prius tamen dentẽ exactè circũscarificare cõuenit. Cinis eorundem in testa exustorũ leuissimè tritus, & ut collyriũ aridum admotus, incipientibus suffusionibus magnificè opitulatur. Auxiliatur idem palpebris in pilos eluxuriantibus, præuulsis antea superfluis pilis, deinde insperso cinere in loca ipsorũ per specillum. Prohibet enim pilorum præter naturã regenerationem. Septem autẽ terræ intestina trita, ex uino mulso ad plures dies pota, calculos in uesica cõfringunt, & paulatim emingere faciũt. Rumpunt & internos abscessus, & ad excretionẽ deducũt septem aut nouẽ pota pro uiribus, trita in aquæ cyathis tribus. Si uero quis ipsa trita in melle reposita asseruet, optimũ auxiliũ ad percussos à scorpio habebit. Neruorũ nodos quos gãglia uocamus, eadẽ per se trita in cataplasmate imposita dissoluũt. Itẽ mãmarũ abscessus per se cataplasmatis uice imposita: suppurãt enim attrahũtq;, & rũpunt, & ad cicatricẽ perducunt. Prosunt & erysipelatis usta trita cũ aceto illitæ. Podagrarũ inflãmationes soluũt trita cũ melle, ad cerati crassitudinẽ, locis illita & tertia die soluta, locis rosaceo antea sublitis. Sed & rosaceo cerato trita excepta, optimè pedũ dolores mitigãt. Cæterũ in capite nõ sinũt leucas, uitiligines albas altius insidẽtes nasci, si fuerint cõsuetis medicamentis præadstrictæ, & pili postea ex ipsis tritis cum urina pueri illinantur. Oportet autẽ in testa prius exurere ipsa, et sic in urina uti. Dato & hydropicis septem cũ uino mulso. uerum exulceratæ uesicæ aut renibus, septẽ item dato trita cum sapa diluta. Strumas porrò paulatim minuunt, uiua locis adalligata tot numero in pãniculũ illigata, quot strumæ existũt. Sedãt omnẽ capitis dolorẽ et hemicraniã trita tẽporibus illita. Subterranea autẽ sunt hæc terræ intestina, prodeuntia igitur & ad solem conspicua, tempestates ac pluuias significant.

De dracone marino. Cap. CLXIX.

Draconis marini squamas urito, et tenerrimè tritũ cinerem sublinito, & turbatos ac hebetes oculos sanabis, item eos quibus animalcula uelut culices, præ oculis uolitare uidentur.

De uipera. Cap. CLXX.

Viperæ caro comesta palàm calfacit ac siccat. oportet autẽ capite & cauda amputatis ipsam excoriare, & omnia interanea eximere, aquaq; triplici carnẽ eluere. deinde in aqua uelut anguillam coquere, addito marrubio, & anetho modico, paucoq; oleo. atq; ubi iã cocta fuerit, moderato sale cõdire, & edenda præbere, itemq; ius absorbendũ. Quòd autẽ uiperæ carnes sic comestæ purgent per cutẽ totũ corpus, ex his cognoscere licet, quæ quũ adhuc iuuenis essem, expertus sum. Homo quidã elephantiasi correptus abominabilis erat & graueolens. Itaq; casa prope uicũ extructa in ipsa degebat. Metebant autẽ in uicino messores, quibus uinũ in amphora apportabatur. Vbi ergo tẽpus bibẽdi adesset, messores uinũ in craterem effundebant, atq; sic mortua uipera simul excidebat. Itaque plenum humanitatis opus se facturos rati, uinum ægrotãti elephantiaco largiuntur: melius enim

esse

esse iudicabant ipsum mori, quàm talem uiuere uitã. Verum is epoto uino mirabili modo sanatus est. Etenim uniuersa eius tumescens cuticula, uelut ostreorum tectorium decedebat, & quantum eius reliqui fieret, satis molle apparebat, uelut in locustis ac cancris uidere est, ubi testam exuerunt. Quin & in alijs plurimis cõsimiliter accidisse, ueteres memorię prodiderunt. Et nos multos ex uiperis curatos uidimus, unde etiam theriacę ipsas miscemus.

De herinaceo marino. Cap. CLXXI.

Herinaceus marinus comestus superiori uentriculo cõducit, & cibos auersantibus, appetentiã excitat. Vrinam laxat idem uesicam expurgans, unaq; aluum leniter emollit.

De herinaceo terrestri. Cap. CLXXII.

Herinacei terrestris caro siccata & paulatim pota, elephãtiacis auxiliatur, & uitiato corporis habitu prae ditis, conuulsisq; ac nephreticis, insuperq; aqua subtercutẽ laborantibus: habet enim uim discussoriã ac siccatoriã. Sed & iecur ipsius sole siccatũ ac potũ, elephantiacis opitulatur. Cæterũ utriusq; herinacei terrestris ac marini ustorũ cinis extersorius est ac discussorius, & carnẽ consumit. Quapropter & ulcerũ superexcrescentẽ carnẽ demolitur ac cõpescit, & sordida ulcera expurgat. Verũ herinacei terrestris usti cinis pice liquida exceptus alopecias sanat. Eiusdẽ cinis potus cũ uino mulso calculosos renes sanat. & aquã intercutẽ. Bibitur cineris cochlearij dimidij mensura. Omnẽ urinę difficultatẽ ex quacunq; causa obortã, soluit herinaceus, si intestina ac interanea ipsius suffiãtur, ægro undiquaq; cooperto: celerrimè enim sic malũ soluitur. Ad hãc rẽ interanea inueterata esse oportet, & sicca asseruata: quibus nõ præsentibus caro aut pellis sicca suffiẽda est. Multã urinã ciet interanea sicca trita pota, quantũ tribus digitis apprẽhendi potest, ex uino. Eiusdẽ caput ustũ, & cũ adipe ursino illitũ, non modo alopecias persanat, sed etiã pilos ex cicatricibus producit. Corium autẽ ustum itidem cũ adipe, maximè ursino illitũ, similiter alopecias sanat. Totus porrò terrestris herinaceus uiuus in oleo ad mollem ac lẽtum ignem coctus diutiusculè, oleũ ex ipso coxendicum dolores ueteres, illitu sanare facit. Fit ex ipso & psilothrũ pilis denudandis hoc modo. Herinaceũ uiuũ in ollam densissimum operculũ habentẽ, & duodecim sextarios capientẽ mittito, & ad ipsum olei sextarios sex tantũ affundito, & ollæ osculũ diligenter gypso oblinito, ut nullatenus trãspirare posit. deinde ad dies XL. ad solẽ sub caniculæ æstibus exponito. Postea apertã tudicula noua diligenter agitato, & mox excolato per panniculũ, utitor. Illinatur ex eo locus in sole, & diu cõfricetur donec exudent. postea aqua dulci affusa proluε. Cauendũ autẽ ne alios locos cõtingat, quos depilare nolis.

De Hippocampis marinis. Cap. CLXXIII.

Hippocampi marini & assati comesti, & morsui impositi, à cane rabioso commorsos sanant. Verum cum aceto mulso & melle ipsos conterere oportet.

De cantharidibus. Cap. CLXXIIII.

Cantharidum magnificũ experimentum habemus ad scabros ungues. Extrahunt enim ipsos cõmodis medicamentis ammixtæ. Miscentur autem alijs erodentibus compositionibus, & excoriatorijs leprosorũ. Quidam ex præceptoribus nostris in pharmacum urinam ciens parum de cantharidibus addebat, reiectis alis ac pedibus. Ad hos usus commodiores sunt, uelut ego expertus sum, quæ in tritico reperiuntur, & uirgulas trãsuersales melini coloris in alis habẽt. Magis autem adhuc idoneæ fiẽt, si uiuas ipsas in uas fictile mittas. Deinde osculo uasis rarum linteolum obducas, deinde acetũ in olla feruefacias, & uas cantharidum inuersum supra ollam detineas, ita ut uaporem ab aceto elatum, per linteolũ cantharides excipiant, donec emoriantur.

De cancris fluuialibus. Cap. CLXXV.

Cancros fluuiatiles crudos tritos & lacti mixtos in potu præbe, & omnis reptilis morsum curabis, & prę sertim scorpij plagae medeberis. & eum qui poto lepore marino iam perit, statim restitues. Manifestum autem est, quòd internam eius carnem cum lacte terere oporteat. Similiter exhibiti auxiliantur etiam phthisicis cõtabescentibus. Itemq; iure albo cocti & comesti, absorpto insuper iusculo. Cæterum cinis cremati cancri similiter ut alia usta siccat. Verũ quadam totius substantiæ proprietate, ad rabiosi canis morsum efficax est, tũ solus, tum multò amplius gẽtiana & thure additis, ita ut sit thuris pars una, gẽtianæ quinq;, cineris cancrorũ partes decem. Vsi sumus autẽ ustis aliquando quidem alio modo, ferè tamen quomodo præceptor noster utebatur. Patinam habebat is ex ęre rubro, in quam uiuos cancros missos urebat, lignis uitis maximè subiectis, donec ad cinerem redigerẽtur, ut cõmodè teri possent. Atq; sic habebat semper præparatum domi suæ pharmacum. Vtebat autẽ ipsos cancros mense Augusto sub caniculæ æstibus luna decima octaua. Ex eo uero quotidie à rabido cane cõmmorsis dabat usq; ad quadragesimum diem cochlearium satis amplum in aquã inspergens. Si autem nõ à principio, sed post aliquot dies à morsu commorsi curam suscipiebat, bina cochlearia quotidie dabat, ut quadraginta dierũ exhibitio expleretur. Vtebatur uero & ad uulnus ipsum medicamẽto ex brutia pice, in quod recipiebat picis libram I. aceti acerrimi sextariũ I. opopanacis quadrãtem. Porrò cinere cancri fluuiatilis usti melle addito, plantas pedum à frigore ruptas, & digitorum rimas sanabis. Eodem etiam maligna & cancerosa ulcera curabis.

De carabo siue locusta. Cap. CLXXVI.

Locustæ testam ustam ac tritam cum meraco bibendã dato. & alui infernum fluxum compesces. Expurgat eadem & calculosos renes, multam arenosam urinam deducens.

De testibus castoris. Cap. CLXXVII.

Castoris testes castoriũ appellant, celebrè et multi usus medicamentũ, hic in uniuersum uim eius referemus, ad quã si quis respiciat, particulares usus sibijpsi exquirere poterit. Calfacit itaq; & siccat, estq; multum tenuium partium medicamẽtum, siue quis humido corpori adhibeat egente siccatione, siue frigido indigo caliditatis, siue his qui ex repletione conuellũtur, ubi ea quæ præter naturam in neruis cõtinentur euacuare oportet, magnam quidem utilitatem ex se ostẽdit, & nulli parti ullum aliquod detrimentum affricat, præsertim si homo non uehementi aliqua febre laboret. Eadem ratione & tremulis ob crassorum ac uiscosorum humorum multitudinem, commodissimum est potum, utile est & singultui, ex humorũ frigidorum ac uiscosorum copia osculo uẽtris infarta

oborto.

oborto. Si uero ex siccitate, aut immodica euacuatione, aut acriũ humorum mordacitate, singultus aut conuulsio oriantur, castorij usum uelut infestissimũ fugere oportet. Sed & febrientibus non adeò calida febri, sed ut ita dixerim tepida, uelut in altiore sopore, ac lethargo fieri solet, ualde multis castoriũ exhibuimus cũ pipere, utriusq; cochleariũ ex aqua mulsa, & nemo ex ipsis ulla parte læsus est. At uero in lethargicis ac alti soporis febribus, castorium rosaceo dilutũ capiti imposuimus ac ceruici. Ad suppressos autem menses ob copiam ac crasitiem sanguinis, sanguine à talo moderatè detracto, cochlearium castorij cũ pulegio aut calamintha exhibui, cognouiq; medicamentum ipsum purgationem menstruam ciere. Eijcit & secundas detentas, & morantes, similiter cũ aqua mulsa potũ. Inflatos uẽtres & torminosos propter crassum ac flatuosum spiritũ conclusum, ex posca potum sanat. Datur & orthopnoicis recta ceruice spirantibus, cũ aceto mulso aut posca. Suffitur & in carbonibus, hiante ægro & uaporem excipiente.

De canis fluuiatilis testibus. Cap. CLXXVIII.

Canis fluuiatilis testes ad eadem cõmodi ad quę castoris testiculi existunt, sunt tamen debiliores, eiusdem canis pellis ad calceamentum redacta, pedum ac neruorum morbum egregiè mitigat.

De canis terrestris catulo. Cap. CLXXIX.

Catulus canis terrestris probè saginatus iuxta ægrum accliuatus, siue stomacho, siue alia interna parte ęgrotet, morbũ eximit ac sanat, affectu in ipsum transeunte. Aiunt eundẽ mortuũ diligenter sepeliri oportere.

De cygni pullo. Cap. CLXXX.

Cygni pullus tener in oleo coctus, neruis affectis præter omnem opinionem medetur.

De buccinorum testis ustis. Cap. CLXXXI.

Buccinorum testæ ustæ uim multum siccatoriam habent, unde commodis medicamentis ammixtæ inflammationes induratas discutiũt. Consimilem uim habent purpurarum ac ostreorum testæ.

De galerita uolucre. Cap. CLXXXII.

Corydalus Græcis appellatur, & Latinis galerita, uolucre animal paruũ, quod sæpe iuxta uias uidemus. id simplici iure coctum ac comestũ colicis prodest. Oportet autẽ asiduè & freque̾ter id edere, unà cum iure. Nam utilitatem ex ipso sæpe expertus sum. Habet autem eminentiam quandam in capite uelut cristam, ex primis sponte naturæ productam.

De cochlea terrestri. Cap. CLXXXIII.

Cochlea terrestris durã carnem habet, & propterea comesta ægrè concoquitur. Verum iusculũ ipsius coctæ ex aqua & anetho, oleoq; ac garo, aluo secedit si potetur. Si uero prima & secũda aqua in qua coquitur diffusa, in tertia coxeris donec exactè flaccescat, & in fluxione uẽtris exhibebis, uentrẽ sistet. At uero cochlearum humiditas sola per se citra carnẽ accepta (uocãt autẽ eã ipsam cochleæ mucũ) & thuri ammixta, aut aloæ, aut myrrhæ, aut aliquibus ex his, aut omnibus, donec cerati crassitudinẽ habeat, pharmacum euadit glutinatoriũ, & submucosos auriũ tumores probè siccat. Glutinat itẽ ac siccat oculorũ fluxiones frõti impositũ. Quum itaq; multũ eius muci colligere uoles, carnẽ ipsarũ stylo perforato. nõ modicã enim humiditatẽ emittunt, præsertim si nõ ante multos dies captę fuerint. Hæc autẽ humiditas palpebrarum pilos reglutinat. Ego autem aliquando in agro cuidam neruos sauciato unà cũ tendinis contusione, carnẽ cochlearum imposui cũ farinæ polline qui mo lendinis adhęret tritã, & citra inflammationẽ uulnus glutinatũ est. Erat autẽ homo duræ carnis. Quod si ad manũ sint, pręstat ammiscere in talibus myrrham aut thus, aut resinã frictam leuissimè tritã. Cæterum caro ipsa in pila prius cõtusa, deinde trita & imposita, omnes partes superfluam humiditatẽ habẽtes siccat, ut etiã hydropicis prosit. Sed & unà cũ testis suis tritæ cochleæ uentri uniuerso hydropicorũ imponũtur, & super articulorũ tumores in arthriticis, & appositio quidẽ ipsarum difficulter auferri potest, uerũ multum siccat, & sanè sinendæ sunt donec sua sponte decidant. Idem facere expedit & in tumoribus ægrè solubilibus ex plaga, aut cõtusione factis in auribus. Nam omnes hos exiccat, etiamsi uiscosum & crassum in alto cõtineatur. Integræ porrò cochleæ unà cum testis ustæ, galla omphacitide ac pipere ammixtis, magnopere prosunt dysenterijs, in quibus ulcera nondum sunt putredinosa. Oportet autem esse piperis partẽ unã, gallæ duas, quatuor cineris cochlearum. Quæ omnia exactè lęuigata ac mixta, reposita seruabis, & usu expetente cochlearij pleni mensuram obsonijs insperges, aut cum aqua calida aut uino bibendam dabis. Citra uero ullam admixtionẽ ipse cinis cochlearum ustarum siccandi uim habet, cui & quiddam caliditatis propter usturam inest.

De mænulis. Cap. CLXXXIIII.

Mænulæ salsæ caput ustum, excrescentes in ulceribus carnes, maximè in dentiũ gingiuis, reprimit inspersum, & callos eximit, quos clauos uocant, & extuberantes sedis eminentias tabefacit ac consumit.

De torpedine. Cap. CLXXXV.

Torpedo uiua apposita, diuturnum capitis dolorem depellit, & prolabantem sedem intrò pellit. Mortua uero aut omnino non, aut modicè hæc facit.

De asello marino. Cap. CLXXXVI.

Asellus marinus aqua coctus cum anetho, & modico sale conditus, oleoq; pauco, omnem interaneorum morbum sanat, maximè alui ab acribus humoribus infestatæ.

De ostreorum testis. Cap. CLXXXVII.

Ostreorum testæ omnes leuissimè tritæ & ad puluillũ redactæ, ulceribus malignis conueniunt, & præsertim in ulceribus corrodentibus labiorum optimum pharmacum sunt, citra mordacitatem ad cicatricem perducentes; participes enim sunt facultatis adstrictoriæ, per quam duræ ac terreæ existunt. Eam autẽ per usturam amittũt. Eædem cum aceto aut posca aut uino mulso tritæ, putredinosis commodè fiunt, pro habitu uidelicet ægroti, cõueniente humore ammixto. Quod si uratur ostreorum testa, tenuiorum partiũ euadit quàm buccinorum testa. nam & minus durũ est ipsarum corpus. Si uero lauetur hic cinis, commodus fit ad humectiora ulcera explenda & ad cicatricem perducenda. Atque ego sanè ostreorum testa hoc modo præparata semper utor, ad cauitates ac fluxiones diuturnas & ægrè carnem recipientes, etiam si fistulosæ essent ac profundæ. Circumpono autem eam forinsecus cum adipe suillo uetere, & in ipsum sinum quid indo ex his quæ talia carne replere solent. quale est pellucidus lapis, specularis appellatus. Quin & dẽtes ostreorũ testa illustrat, uelut etiã buccinorũ, & purpurarum, nõ solum ui extersoria, sed

etiam

etiam substantiæ aspretudine. Quapropter nõ est necesse ad hanc rem ipsas ualde leuigare. eædem lotæ ac tenuissimè tritæ humore flaccida ulcera exiccant.

De purpurarum testis. Cap. CLXXXVIII.

Purpurarum testæ cum aceto potæ lienes tumentes sanant. Suffitæ uero uteri strangulatus curant, & secundas morantes detrahunt. Vstarum cinis ad eadem facit ad quæ buccinorum adhibetur.

De Squatina marina. Cap. CLXXXIX.

Squatinam marinam ustam crasioribus corporibus in balineo inspergito.

De Sepia. Cap. CXC.

Sepia suffocata in aceto, si cum oleo acetum bibendum dederis, eum qui hippocampi marini uenenũ sumpsit seruabis. Testa sepiæ extersoriam & siccatoriam uim habet, estq; tenuium partium. Quapropter usta utimur ad uitiligines, maculas solares ac lentigines, & scabiem. Sed & sale ammoniaco ammixto, oculorum ungues exterit. Eadem non usta, dentes illustrat, & affricta oculorum cicatrices deterit, & ulcera in ipsis siccat. Magnas quoq; palpebrarum aspretudines, sycoses Græcis dictas, consumit.

De Scinco. Cap. CXCI.

Scinci circa renes partes, ad tentiginem pudendorum ciendam bibuntur. Neq; aliud magis contrariũ huic facultati destruendę uidetur, quàm lactucæ semen ex aqua potum. Quidam etiam lenticulæ decoctum cũ melle potum, tentiginem sedare tradunt.

De Tellinis. Cap. CXCII.

Tellinarum salsarum ustarum cinis cum cedria adhibitus, superfluos palpebrarum pilos renasci prohibet.

De Cicada. Cap. CXCIII.

Cicadis siccis quidam utuntur in colicis affectionibus, cum pari numero granorum piperis, exhibentq; aut tres, aut quinq;, aut septem, tum in interuallis, tum in exacerbationibus. Alij tostas in uesicæ dolore, ac calculosis, edendas præbent.

De Hyena. Cap. CXCIIII.

Hyena uiua in oleo cocta, uelut de uulpe dictum est, oleum discussorium efficit, arthriticis utilissimũ. Vsus fiat uelut de uulpe indicauimus.

De Hirundinibus. Cap. CXCV.

Hirundinũ ustarum cinis cũ melle illitus, anginã sanat, & omnino omnes affectiões quæ in faucibus ac gurgulione cũ tumoribus fiunt. Quidã & ad acuendum uisum cinere utuntur, collyrij sicci modo adhibẽtes.

De electione optimorũ medicamentorũ. Cap. CXCVI.

Agaricum præstat quod strias rectas habet.

Acaciam eligito fuluam & odoratam.

Aloën elige purã, non lapidosam, ualde splendidam, densam, subflauã, friabilem, hepatis colore, facilè liquescentem, odoratã, amaritudinis intensæ. Nigra uero & ualde dura reprobatur.

Amomũ elige recens & albũ aut subruffum, non coactũ, sed solutũ & diffusum, semine plenum, simili racemulis, ualde graue et odoratũ, nõ cariosum, acre & gustu mordax, colore simplex nõ uariũ. Adulterãt qdã id amomide simili existẽte. Sẽper aũt fragmẽta reprobãda sunt, electis ramis pfectis ab una radice.

Ammoniacũ thymiama eligẽdũ est nõ lignosum, granis thus referens, purũ, densum, nihil sordiũ habens, castorei odorẽ præ se ferens, gustu amarum.

Aspalathus bonus est grauis, & post decorticationem subruber aut purpuram referens, densus, odoratus, saporis amari.

Absinthium melius est quod in Ponto & Cappadocia nascitur.

Bitumen optimum est purpurei coloris, splendidum, intenti ac grauis odoris. Nigrum autem uitiosum est. Nam pice ammixta adulteratur.

Bdelliũ præstat gustu amarũ, colore glutinis, pingue in altum & facilè molliri potens, nõ lignosum, non sordidum, iucundi odoris in suffitu, & ungui simile aromatico, onychi appellato.

Elleborũ nigrum eligito probè coaltũ, tenuem habentem medullam, acrem gustu ac feruidum. talis est qui in Helicone prouenit ac Parnaso & Anticyra.

Elleborũ album elige moderatè extentũ, & albũ fragilemq; ac carnosum, nõ acuminatũ & iunceum, aut puluerulentã lanuginẽ remittentẽ dum frãgitur. quiq; medullã tenuẽ habeat, gustu feruido nõ ualdè neq; aceruatim, saliuã attrahentẽ: qui enim talis non est suffocatorius existit. Primas obtinet Cyrenaicus.

Euphorbium elige pellucidum & acre.

Viscum optimum est recẽs, coloris prasini intrinsecus, foris subflauum, nihil asperum aut surfuraceũ habens, colligitur ex quercu, maloq; ac pyro, & alijs arboribus.

Gluten piscium bonum est non glaucum, subcrassum, non scabrum, facilè liquescens.

Calamus aromaticus bonus est fuluus, dẽsis geniculis, & qui in multas scissuras & segmenta assulose frangitur, fistula telis aranearũ repleta, subalbidus, in manducando uiscosus, adstringens, & subacris.

Cardamomũ optimũ est quod ex Armenia affertur. Elige quod ægrè frangitur, plenũ & conclusum.

Cassiam elige fuluã, boni coloris, corallium referentem, arctam ualde, longam, crassam, fistulis plenam, gustu mordacem, & adstringentem cum quodam aromatico feruore, uinum redolentem, uerum purpurea & crassa zigir appellata, rosam odore referens, ad medicum usum maximè apta est.

Cera optima est subpinguis, odorata, pura, põtica.

Glutinum quod aliqui xylocollam uocant, optimum est Rhodianum, estq; album & pellucidũ. Nigrum uero deterius est.

Gummi elige uermiculatum, uitriforme, pellucidum, non lignosum. ab eo proximum est album, resinosum uero ac sordidum inutile est.

Costus optimus est Arabicus, albus existens ac leuis, plurimum habens & iucundũ odorẽ. secundum locũ obtinet Indicus densus existẽs ac leuis & niger uelut ferula. Tertius est Syriacus coloris buxei, odore nares percellens. Optimus est recens, albus, plenus ex toto, densus, siccus, teredinem non sentiens, gustu mordax ac feruidus. Quidam adulterant ipsum helenij radicem ammiscentes, facilis est cognitio. Nam helenium linguam non feruefacit, neq; odorem intentum & nares percellentem exhibet.

Crocus optimus corycius est, recens ac boni coloris, parũ albedinis in capreolo habens, oblongus, integer, probè coaltus, plenus, nõ friabilis, nõ pinguis, & tamen in attritu digitos facilè tingens, non cariosus, impetuosi odoris, & acris. Qui enim talis nõ est, aut uetustus est, aut maceratus. Quo uero facilè teri posit, in sole ac fictili nouo siccare oportet.

Crocomagma sic præparatur: Croci drach. centũ, rosarũ siccarũ drach. quinquaginta, amyli drach. L.

myrrhæ

myrrhæ troglodyticæ, gummi utriusque drach. L. uno odorato terito, & pastillos formato, eisq; in umbra siccatis, utitor.

Cyperi radix optima est quæ grauissima & densa ac plena, ægrè friabilis, aspera, odorata, cum quadam acrimonia.

Thus primas obtinet masculum, rotundũ, non sectum, album, & ubi incisum est intus pingue. Adulteratur resina pinus aut gummi, facilis est cognitio.

Thuris cortex præstat crassus ac pinguis, odoratus, nõ scaber aut pelliculis refertus: adulteratur cortice strobili aut pini ammixto. deprehẽditur id igne: alij enim cortices suffiti fumum edũt. Verum hic ardet odore iucundo uelut thus.

Malabathri folium bonum est recens, in nigrore subalbidum, nõ friabile, integrum, odore nares percellens, & dum diluitur odoratum, nardum sapore non salsuginem referens, quod uero in tenues partes contusum cariosum odorẽ repræsentat uitiosum est.

Medulla optima est ceruina, deinde uitulina, pòst taurina. Bona est quæ æstate accedente ad autumnũ colligitur: alijs enim temporibus cruenta uestigia in ipsa reperiuntur. curatur ad repositionem, recẽs mollitus aqua affusa, deinde per linteum excolatur, rursusq; lauatur, donec aqua pura fiat, postea in duplici uase liquatur, sordibus innatantibus penna ablatis, postquam autem congelata fuerit, in fictili nouo reponitur, derasa diligenter fece quæ post liquefactionem & excolationem subsidet.

Panacis radices meliores sunt siccæ & albæ, extentæ, & incorrosæ, gustu feruidæ, & aromaticæ. Succus panacis commodus est gustu amarissimus, forinsecus uiridis, intrinsecus albus, pinguis, citò solubilis, grauis odoris, & gustu calfaciens.

Myrrha primaria est Troglodytica, subuiridis & & pellucida, odorata, acris. quæ uero colore picea est, inutilis existit.

Stacte myrrha bona est odorata, leuis, oleum admixtum non habens.

Styrax præfertur flauus & pinguis, resinosus, grumos habens subalbidos, ualde odoratus, & dũ mollitur, humiditatem melleam remittens.

Tragacantha optima est pellucida & leuis, tenuissima & pura, subalbida.

Hyoscyamo utendum est eo qui albos flores producit.

Galbanum optimum est thuriforme, grumosum, purum, non lignosum, quod & ex semine quid ammixtum habet, odore graue, & neq; summè liquidum, neq; ualde siccum.

Gagates lapis præfertur qui facilè accenditur, & odorem bituminosum repræsentat.

Melanteria optima est sulphurei coloris, leuis, æqualis, pura, & contactu aquæ citò nigrescens.

Pompholyx optima est Cypria, & quę aceto subacta æris odorem refert, colorem autem picis. Est autem & cœnosi saporis, & carbonibus ignitis imposita, ardet colorem aëreum repræsentans.

Ex Oribasij libris ad Eustathium & Eunapium, de simplicium pharmacorum facultatibus.

Quæ media sunt inter calfacientia ac frigefacientia. Cap. CXCVII.

Adiantum, asparagus myacanthinos, muscus qui & splanchnon dicitur, glycyrrhizæ succus, oleũ dulcissimum, cera, faba, lycium, lotus siue trifolium, citrij cortex, filicis radix, nuclei nucis pineæ, lentiscus, lẽs, terra chia & samia, cadmia, spuma argenti.

Quæ moderatè calfaciunt. Cap. CXCVIII.

Viticis folia & semen, urticæ semen & folia, amygdala dulcia, anagallides ambæ, atractylis, glycyrrhizæ radix, oleæ radix, & fructus maturus, fermentum, eryngiũ, resinæ omnes, cicerbita sicca, iunci odorati flos, palmę fructus, cochlearũ cinis, cynocrambe, batrachij herba & radix, pulegiũ, lauri folia, & magis baccæ, minus autẽ radicis cortex, dictamnum, pseudodictamnum, saluia, erysimum, lanæ ustæ, bryonię radix, aristolochiæ radix, asphodeli radix, daucus, chamædaphne, dracũculi radix, oleum raphaninum, cicerum species tres, uiscum, caucalis, ligusticum, ferulę semen, sagapenum, satyrion, apium, sion, sinon, styrax, hydropiper, hypericum, sal, sanguis, fel, urina, saliua, sulphur, uiperarum carnes, adeps, salsorũ piscium muria.

Quæ calfaciunt primo ordine. Cap. CXCIX.

Aloë, chamæmelon, agaricum, absinthium, ladanum, lini semen, malabathri folium, spica nardi, nardus celtica, uinum nouum, serum lactis, caseus, ficus siccæ.

Quæ calfaciunt secundo ordine. Cap. CC.

Amurca, anethum siccum, sed uiride minus, artemisia, balsamum, elaphoboscum, calamus aromaticus, crocus, thus, mastiche chia, mel, uinũ, pix, melissophyllum, marrubium, propolis, cucumeris syluestris succus, scandix, scilla, cardui radix, myrrha, terebinthi cortex foliaq; ac fructus, fœnumgræcum, chamæleontis utriusq; radix, chamæpitys, ocymum.

Calfactoria tertij ordinis. Cap. CCI.

Abrotonum præsertim ustum, lolium, populi nigræ flores & resina, acorus, amomum, amaracum, ammium, anethũ ustum, anisum, iuniperus, asari radix, sabina herba, ueratrum utrunq;, epithymum, menta, calaminthe, thymbra, harundinis uallatoriæ cortex ustus, caroum, casia, cedrus utraq;, cnici semen, conyzæ, cuminum, thuris fuligo, fœniculum, melanthiũ, mei radices, moly siue ruta syluestris, aut besasa, rhododaphne, uinum uetus, origanũ omne, opopanax, petroselinum, ruta, smyrnium, hyssopus, galbanum, chamædrys, rhaphanus, sampsuchus.

Calfactoria quarti ordinis. Cap. CCII.

Adarce, ampeloprason, euphorbium, oleum cedrinũ, costus, cepa, lepidium, sinapi, allium, sthruthij radix, tithymallorum succi, & omnia ustoria ui prædita.

Quæ frigefaciunt. Cap. CCIII.

Gramen moderatè, auricula muris, citra adstrictionẽ, pira in cataplasmate imposita moderatè frigefaciũt, balaustium, rubi folia & germina & fructus uiridis ac flos ipse. Auena moderatè, muscus marinus, glaucum moderatè, dorycnion ualde frigefacit, harundinis sepiariæ folia moderatè, cicuta summè, lichen in petris nascens, papauer omne, mali fructus, oleæ fructus & folia, oleum myrteum, sesaminum, balaninum, helxine siue perdicias moderatè, panicum, uiolæ folia & succus, mali persici & citrij caro, fungi multum frigefaciunt, item omphacij succus, amylũ moderatè, rosaceum mediocriter, sordes ex palestra, cicerbita non sicca, tribulus uterque, ramorum palmæ succus. Samia terra moderatè, cimolia terra, naxiæ cotis detritum siue retrimẽtum, plumbago mediocriter,

diocriter, plumbum, cerussa, sandyx, caseus mollis recens coactus moderatè perfrigerat.

Quæ frigefaciunt primo ordine. Cap.CCIIII.

Acacia illota, atriplex citra adstrictionem, uinacea, milium, ordeum, platanus, rhamnus, seris.

Quæ frigefaciunt secundo ordine. Cap.CCV.

Acacia lota, plantago, blitum, galla, omphacitis, cucurbita, cucumis, pepo, solanum hortẽse, lens palustris, alga uiridis, circa præerupta maris littora collecta, psyllij semen.

Frigefactoria tertij ordinis. Cap.CCVI.

Semperuiuum utrunq;, portulaca, mandragoras, citrij pars acida, polygonum, potamogeton, hyoscyamus qui & florem & semen album habet.

Frigefactoria quarti ordinis. Cap.CCVII.

Succus papaueris, cicuta.

Quæ siccant citra mordacitatem. Cap.CCVIII.

Vrticæ semen & folia, amurca, anagallis utraq; auena, plantago, oleum dulce insulsum lotum, fermentum attrahit ex alto ac discutit. Lupinus amarus, hippuris fortiter, isatis, salicis flos & folia cum quadã adstrictione. Quidam & succum ex ipsis faciũt, & pharmacum habent citra mordacitatem siccans ad multa cõmodum. Verum multò amplioris usus est pharmacum siccans & adstringens, nucis cortex ustus, simulq; tenuiũ partium existit, miliũ, centauriũ tenue fortiter siccat, cerasi gummi, lilium, faba, forinsecus imposita, cupressi folia ac reliquæ partes, cyperi radix, nucis pineæ nuclei aqua macerati, nymphææ radix, siræũ siue sapa, quinquefolij radix, polypodiũ, myrrha, sarcocolla, stœbe, tragacantha, terra omnis, cadmia, asiæ petræ flos humore flaccidas carnes consumit, pompholyx sæpe usta, calx strennuè, oui candidum ac tenue, eadem uis & uitellorum est.

Quæ simpliciter siccant. Cap.CCIX.

Viticis folia & semen, graminis radix moderatè, adiãthum, semperuiuum utrunq;, amarantum fluxiones sistit potum, bryoniæ radix, anagyri folia sicca, pira in cataplasmate imposita moderatè, aristolochia, asparagus myacãthinus, asphodeli radix, & magis cinis, balaustium ualde, ruborum fructus immaturus, quercus partes omnes, phagi similiter, bulbus in cataplasmate, eryngium, isatis, salicis corticis cinis uehementer, cannabis semen, pæoniæ radix, lauri folia uehementer, & magis baccæ, oleum cyprinum, laurinum, panicum in cataplasmate impositum, nasturtiũ, caucalis, pastinaca syluestris siue daucus, lixiuiũ, præsertim ex cinere ficulneo, brassica, caules autem eiusdem cinerem fortiter siccantem faciunt, crethmũ, lilij folia & radix, omphacium, platani cortex & pilulæ moderatè, polypodium, amylum, sal, nitrum, gypsum pręcipuè ustum, cadmia omnis, omnia metallica & lapidea ac terrea, testa clibanorum, coagulum omne, stercus, anserum tamẽ & accipitrum inutile est propter multam acrimoniam, sordes, siue strigmenta, carnes uiperarum, capita mænularum salsarum, cornu cerui ac capræ, castorium, ossa usta fortiter, capilli usti, sepiæ testa, lanæ ustæ, cancrorum cinis, garum abunde, muria.

Quæ primo ordine siccant. Cap.CCX.

Chamæmelum, iuniperi baccæ, caroum, ordeum, polenta, crocus, thus, fœniculum, rhododaphne, uinum nouum, cucumeris & peponis semen, & radix sicca, fœnum græcum.

Quæ secundo ordine siccant. Cap.CCXI.

Lolium, amaracus, bitumen, anethum, balsamum, uinacea, gingidium, elaphoboscum, calamus aromaticus, thuris cortex, & folia arboris, itemq; semẽ, meũ, mastiche, mel, spica nardi, nardus celtica, uinum, eruum, opopanax, pix, rhamnus, rhaphanus, scandix, cardui radix, myrrha, lentiscus, terebinthi fructus & folia, lentes, alga humida & uiridis, malabathri folium, galbanum.

Quæ tertio ordine siccant. Cap.CCXII.

Abrotonum pręsertim ustum, acacia, acorus, aloë, ammium, anethum ustum, anisi semẽ, iuniperus, asarũ, absinthium, herba sabina, ueratrũ, epithymũ, thymbra, calamintha, harundinis sepiariæ cortex ustus, caroum, casia, cedrus, conyza, thuris fuligo, nigella, citrij semen, uinum satis uetustum, acetum, origanum, quinquefolij radix, petroselinum, smyrnium, ruta hortensis, marrubium, rhus, sampsuchus, seriphium, hyssopus, chamædrys, chamæleontis utriusq; radix, chamæpitys.

Quæ quarto ordine siccant. Cap.CCXIII.

Ampeloprason, oleum cedrinũ, sinapi, ruta syluestris, allium.

Quæ media sunt inter siccantia & humectantia. Cap.CCXIIII.

Graminis radices in cataplasmate impositæ, oleũ dulcissimum.

Quæ primo ordine humectent. Cap.CCXV.

Auricula muris, buglossum, succus glycyrrhizæ, lactuca moderatè, uiolæ folia moderatè, mali persicę fructus, fungi, rosaceum, satyrium, stratiotes fluuiatilis.

Quæ secundo ordine humectent. Cap.CCXVI.

Portulaca, atriplex, blitum, cucurbita, mali armeniacæ fructus, cucumis, pepo, lens palustris.

Quæ aquosam frigiditatem habent. Cap.CCXVII.

Acacia, auricula muris, portulaca, plantago, atriplex, rubi folia, blitũ, muscus marinus, glauciũ, doryciniũ, uiscum, salix, cucurbita, cotyledon, cicuta, picea arbor, malua satiua, papauer, mala pręcocia, fungi, platanus, polygonum, potamogeton, sideritis, cucumis cibarius, holoschœnus, cicerbita, tribulus, lenticula palustris, psyllij semen, plumbum.

Quæ tenuium partium sint. Cap.CCXVIII.

Abrotonum ustũ, uitex, scandix, populi nigrę flores et folia, urticæ semen & folia, amomum, acorus, asari radix, bryoniæ radix, chamæmelon, aparine, aristolochia, plãtago sicca, asphodeli radix, pręsertim usta, balsamum, herba sabina, sinapi, rubi radix, glycyrrhizæ radix, oleum uetus, oleum cicinum, elaphoboscum, euphorbium, fermentũ, salicis succus, calamintha, calamus aromaticus, harundinis sepiariæ cortex ustus, casia, carpesion, milium, oleum cedrinum, pruni gummi, mastiche, nigella, succus cyrenaicus, opobalsamum, ruta, pistacij fructus, propolis, terebinthus, rosaceum oleum, sagapenum, sampsuchus, seselis, cucumeris semen, ficus aridæ moderatè, flos iunci odorati, cinis, calx, salis flos, hyssopum, sal, alcyonium milesium, nitrum, auripigmẽtum ustum, gypsum ustum, sulphur, cadmia, pumex ustus, lixiuiũ, asiæ petræ flos, melanteria, misy, æs ustum, chrysocolla, sandix, fucus, adeps leonis ac pardi, itẽq; hyænæ ualde, castorium, sepiæ testa usta, lanæ ustæ.

Quæ crassarum partium sint. Cap.CCXIX.

Plãtaginis radix, balaustiũ, uinacea, zingiber, cucumis,

cepe, squamæ omnes, sori, alumen.

Corroborantia. Cap. CCXX.

Casia, galla omphacitis, stœchas, palmæ fructus, absinthium, mastiche.

Concoctoria. Cap. CCXXI.

Amomum, uua passa, cera, ladanum, glutinum librarium, crocus, thus, pix, mastiche Aegyptia, rosaceum oleum, myrrha, styrax, galbanum, alica, adeps suillus & uitulinus, butyrum, œsypus.

Suppuratoria. Cap. CCXXII.

Aquę temperatæ affusæ fomentum, aqua & oleum tẽperata, farina triticea, panis, alica, adeps porcinus & uitulinus, butyrum, thus, pix, resina.

Mollientia. Cap. CCXXIII.

Quæcunq; calfaciunt non tamen uehementer, simulq; nõ uehementer siccant: sunt autem talia, seuum caprinum, adeps gallinaceus, & porcinus, seuum taurinũ & hircinũ, medulla ceruina, uitulina, ammoniacum thymiama, styrax, galbanũ, bdellium, oleum sicyonium, oleũ liliorum, oleum dulcissimũ, chamęmelũ. althææ radix, cucumeris syluestris radix, maluæ syluestris folia, mastiche chia, & Aegyptia, terebinthina, resina colophonia, opopanax, sordes statuarum in gymnasijs, sordes palęstrarum, butyrum, œsypus.

Quæ indurant. Cap. CCXXIIII.

Semperuiuum, portulaca, psyllium, lens palustris, solanum. Indurantur autem corpora & partes aut ob siccitatem, aut ob plenitudinem, aut ob congelationem. Si quidem igitur ob siccitatem pars dura fiat, humectare omni modo ipsam oportet. Si uero ob plenitudinem, euacuare eã ipsam oportet. Si uero ob congelationem fuerit indurata, congelationem moderatè calfacientibus dissoluere oportet. Nam congelatio ex frigore est, quę autem uehementer calfaciũt, magis congelant.

Extersoria. Cap. CCXXV.

Stercus caprinum ustum & nõ ustum, omnes testæ, testa intectorũ, sepię testa, herinacei terrestris ac marini cinis, serum lactis, bryonię radix, mel, amygdala dulcia esui apta, & ipsorum arbor, anagallis utraq;, anemonæ omnes, plantaginis folia, maximè arida, aristolochia, aron, asparagus myacãthinus, staphis agrestis, asphodeli radix, atriplicis semẽ, absinthij succus, bulbus impositus, ueratrũ utrũq;, helxine, siue perdicias, salicis semẽ, calami sepiarij radix trita moderatè, fabæ caro, lapsana in cataplasmate imposita, lichen petrarum, leucoij partes omnes, platani radicis cortex, marrubium, meum, propolis moderatè, ulmi folia, & cortex ac radix, ptissana, terebinthina amplius quàm mastiche, sagapenũ moderatè, cucumeres, peponis partes omnes, cucumeris syluestris radix, beta, tithymallus, phu, chamæpitys, alcyonia omnia, terra chia & samia moderatè, smiris abunde, cornu cerui, & capræ ustum, & quæcunq; inueneris nitrosa & amara, ea omnia meatus expurgare possunt. Quæ uero tenuium partium sunt dulcia, extergent moderatè ulcerum sordes, & totius cuticulę, uelut sunt fabæ, eruum, ordeum, lupinus, & similia.

Quæ uasorum oscula aperiant. Cap. CCXXVI.

Quæ oscula uasorum aperiunt, calida sunt non ualde, & crassarum partium: quæ enim uehementer calfaciunt, urunt & crustam inducunt, anemonæ omnes, cepa, allium, fel taurinum, irini & amaracini olei siue unguenti fex.

Rarefacientia cutem. Cap. CCXXVII.

Rarefactoria sunt quæ moderatè & citra molestiã calfaciunt, nequaquam uero siccant. Chamæmelon, althæa, cucumeris syluestris radix, costus, libanotides, nitrum, abrotonum, oleum uetus.

Densantia cutem. Cap. CCXXVIII.

Aqua frigida, semperuiuũ, portulaca, tribulus uiridis, psyllium, lenticula palustris, mandragoræ mala, & summatim omnia quæ frigefaciunt non siccantia.

Corrodentia. Cap. CCXXIX.

Auripigmẽtum, sandaracha, chrysocolla, cantharides, erucæ pinus, cedria, ueratrum nigrum.

Reprimentia eminentias. Cap. CCXXX.

Elaterium, cucumeris syluestris radix, ochra, mandragoras, asiæ petræ flos, ostreorum testæ, herinaceus uterque ustus unà cum testis suis, hęmatites lapis siccus tritus et ad puluillum redactus, faba, squama æris, chrysocolla.

Cicatricem inducentia. Cap. CCXXXI.

Quæcunq; adstringũt & siccant, alumen, galla omphacitis, æs ustum, præsertim lotum, mali corium aridum, recremẽtum plumbi, spuma argenti, helcysma, id est, argenti recrementum, plumbum ustum, testa, intectorum omniũ testæ, uitrum, pumex præsertim ustus, & uino extinctus, specularis lapis ustus, cerussa, pompholyx, spodium lotum, chrysocolla, stibiũ ustum, diphryges, sarcocolla. omnia prædicta si ulceribus insperseris, ipsa cicatrice includes. Verum cũ mordacitate cicatricem inducit atramentum sutoriũ ustum, cadmia, squama æris ac ferri, præsertim stomomatis, ærugo, calx usta & lota.

Exulcerantia in superficie. Cap. CCXXXII.

Rubi canini folia, betæ radix, allium, pulegium, hyssopum, origanum, sepiæ testæ, asphodeli radix, semen lini, & salsa, & acria, & amara.

Vstoria. Cap. CCXXXIII.

Cantharis, diphryges, fex aceti usta, anemona puniceũ florem habens, allium, cinis, præsertim ficulnus, nitrum assatum, æs ustum, alumen, buccinorum testæ ustæ, menularum capita, auripigmentum, staphis agrestis, granum cnidium, sinapi, pyrethrum, calx nõ extincta urit, extincta crustam inducit.

Attractoria. Cap. CCXXXIIII.

Anemonæ omnes, anagallis utraque, dictamnus, cicer, thapsia, cyclaminos, narcissi radix, propolis fortiter, fermentum, stercus omne, sagapenum, succus cyrenaicus & medicus, silphij succus & radix, sparti quo aucupes utuntur, & semen, & uirgarum succus generosè, terebinthina magis quàm aliæ resinæ, sulphur, stercus bubulum, præsertim si eruo boues pascantur, calaminthe in cataplasmate imposita, costus contritus cum oleo, fortiter autem attrahit uiscum.

Discussoria. Cap. CCXXXV.

Abrotonum, agaricum, adiantum, ægilops, urticæ semen & folia, sambucus, ebulus, chamæmelon, anisi semen, aristolochiæ radix, asphodeli radix præsertim usta, atriplex, bulbus, herba sabina, muscus qui splanchnon & hypnon Græcis appellatur, daucus, althæa, oleum dulce, oleum uetus, oleum raphaninũ & cicinũ, & thapsia, calami sepiarij cortex ustus abũde discutit, brassicæ folia, lilij folia & radix, ladanũ, mercurialis, malua syluestris, mel, mali pũicę folia, & germina, rhododaphnæ, grossi ficus, ficus syluestris, mastiche

masticche chia, opobalsamum, succus cyrenaicus uehementissimè, paliuri folia & radix, ruta, pix, marrubium, terebinthina, rosaceum oleū moderatè, sordes à statuis, sordes palæstrarū, quæ patos Græcis dicitur, sampsuchum, cucumeris syluestris radix, myrrha, caricæ acriores amplius quàm grossi, beta citra calfactionem, fortior est autem alba, galbanum, sal præsertim ustus, salis flos, nitrum, halcyonia omnia, terra samia, hyoscyamus, caseus tener ex acido lacte moderatè, butyrum, coagulum omne, stercus omne ualde, œsipus moderatè, carnes uiperarum fortiter, adeps præsertim leoninus, ossa usta eorundem leonum, & omnium aliorum cinis.

Adstringentia. Cap. CCXXXVI.

Oleaster, piraster, lentiscus, apiū, semperuiuum, papauer, cytisus, aloë, urtica, uinacea, pira, crocus, althea, terebinthus glans, hyoscyamus, hedera, nymphæa, palmæ, oui uitellus assatus, paliurus, hippuris, sanguis concretus, ligustrū, œnanthe, brassica bis cocta, coagulū leporinū, spōgia usta, rhamnus. sunt & multa alia adstringentia, quæ omnibus nota existunt.

Quæ semen generant ac prouocant in cibis ac medicamentis, & cibis medicamentarijs. Cap. CCXXXVII.

Ex edulijs omnia quæ amplius nutriūt & inflant. item medicamenta omnia flatuosa & calida. Itaque bulbi & cicer, & nuces pineæ, fabæq; ac ficus, edulia sunt multum semen generantia. Scincus autem, & satyrion, ac similia, medicamenta sunt. Edulia autē simulq; medicamenta sunt, lini semen, eruca, & horminum.

Quæ semen inhibeant. Cap. CCXXXVIII.

Semen inhibent omnia quæ frigefaciunt edulia ac medicamenta, itemq; quæ crassefaciunt & condensant, uelut lactucæ, cucurbitæ, blitum, atriplex, cucurbita, mora, melopepones. Quæ uero siccant, ne ab initio quidem generari semen permittunt, etiamsi calfactoriam naturam habeant, uelut est ruta. Si uero calida non fuerint, multò magis siccant, & semen generari non sinunt, uelut nymphææ radix.

De alimentorum uiribus. Cap. CCXXXIX.

Sanitatis studiosum si quid aliud, alimentorum uires nosse oportet. itaque ea quæ attenuatoriam uim habent, angustos transitus obturatione liberant, & uiscosa infarta expurgant, ac crassa secant. Verum qui in ipsorum esu perseuerant, serosas & biliosas superfluitates congregant, & si quis adhuc amplius perseueret, atrabiliarium sanguinem reddet. Quare ab assiduo ipsorum usu abstinere oportet, præsertim eorum quæ temperamentum biliosum habent. Solis enim his qui pituitam & crudum humorem uiscosumq; ac crassum coaceruarunt, talia conueniunt. At uero crassefaciente ui prædita, multum alunt, & si in uentre ac iecore probè concoquātur, sanguinem boni succi generant, lienem autē & iecur obturant. Ex his uero quædam crassi tantum succi sunt, uelut lenticula. Quædam uero uiscosi, ut malua. quædā crassum simulq; uiscosum succum possident, uelut est caro testa intectorum. Securior itaque est diæta & uictus attenuatorius ad sanitatis conseruationem, præ crassefaciente. uerum quum modicè alat, firmitatem non addit corporibus neque robur, & oportet aliquando etiam multum nutriētia moderatè assumere, ubi firmitatem acquirere uoles. Cæterum citra periculum crassa diæta uti possunt, qui exercitijs dediti sunt, & qui dormiunt, quantū uolunt. Omnes autem qui ante ciborum acceptionem exerceri non possunt, alimenta crassi succi uitent. maximum enim ad sanitatis cōseruationem malum, perpetuum ociū existit, quemadmodū contrà moderatus motus maximum bonum. Omnium porrò eduliorum optima sunt, quæ inter attenuantia ac crassefacientia medium locum obtinēt, & sanguinem substantia ac cōpage moderatum generant. Itaque tale alimentum corporibus nostris cōueniens est. nociuū uero crassi succi, & propterea semper fugiendum. Quin & alimentorum uarietatem fugere oportet, præsertim si ex contrarijs uiribus ac facultatibus constiterint, itaque enim assumpta probè concoquuntur.

Attenuatoria alimenta. Cap. CCXL.

Allium, cepe, nasturtium, porrū, sinapi, piper, smyrnium, pyrethrum, origanum, calamintha, hyssopus, sisymbrium, pulegium, thymus, satureia uiridis accepta, sicca enim medicamentum est. Ab his proxima sunt eruca, sion, apium, petroselinum, ocymum, rhaphanus, brassica, beta, fœniculum, coriandrum, ruta, anethum, ligusticum, cuminum, capparis & terebinthi fructus, carui semen, anisi, dauci, & omnium odoratorum & acrium ac palàm calidorum semina, uerum fortiter attenuat rutæ semen, ac cannabis, ut medicamēta de cætero existant. Ex cerealibus seminibus attenuanti diætæ solum ordeum conuenit, deinde panes clibano cocti triticei, à reliquis abstinendum, præterquam si quis per longius interuallum pisum, aut lentem gustare uelit: plurimum autem eduliorum usum pro attenuantis uictus ratione suppeditant pisces petrosi & montanæ uolucres paruæ, in uniuersum enim omnia exercitata meliora sunt inexercitatis, & sicciore uictu utentia, & purum ac tenuem aërem inspirātia, & ex piscibus qui mollem simulq; friabilem carnem habent reliquis præstant. Nam qui duram aut uiscosam habent, ab his penitus abstinendum est. Habes autem notas carnis omnis animalis, friabilitatem ac molliciem, & quibus sanè utraque affuerit, ad satietatem edere licet: quibus altera tantum, edere quidem expedierit aliquando, sed uitanda satietas est. Neque gallinas prohibeo si quis exercitio utatur, neque columbas, neque turtures, maximè si in agro degant, ac montanis locis. Oportet autem non recens mactatas, sed unam minimum diem seruatas à mactatione edere, non solum turtures & gallinas, sed etiam perdices, & omnia quę moderatè duram carnem habent. Sed & salsi pisces abundè attenuant, & crassos ac uiscosos humores secant, eligendi sunt autem & ex his qui mollem carnem habent. Nam cetacei generis uitandi sunt. Præstat & plurima edulia aceto & aceto mulso præparata accipere, & sale prius condire quantum eius fieri potest. Neque læsionem incurret, qui fructus pomorum aluum mollientes acceperit. Verum tarde transeuntes deteriores sunt, & magis si duri fuerint. Quare ex his ne gustare quidem oportet, præter eos qui repositioni apti sunt, uelut pira & mala, & uuarum nō pauca genera: molliores autem magis edere expedierit, qui uero ualde austeri & acerbi sunt, ad hanc diætam inepti existunt. Omnium maximè autem aptæ sunt caricæ, & nuces, & pistacia, & amygdalæ subamaræ. Cæterum oliuas neque laudo, neque

olive

uitupero. Verum ex dulcibus non solum edulijs, sed etiã potionibus, mel ferè solũ exacte tenuem succum generat: Vina quoq; tenuia & alba crassos humores secant, & per urinas expurgant. Vtilissimum uero ad extenuantem uictum est acetum mulsum.

Crassi succi alimenta. Cap. CCXLI.

Panes furnacei, & siliginei, & nõ probè præparati, placentæ ex musto & similagine, itemq; liba, & omnis placenta non fermentata ex tritico, & quęcunq; eius generis inde parantur. Sunt etiã similago, ac alica, satis crassi succi, amylum uero moderatè. Sunt & dolichi crassi succi, & lupini, & interna lentis caro, nam cortex exteriorũ quid possidet, itemq; fabæ frictæ, & pisces molles appellati, loligines, sepiæ, polypodes, & cetacei generis, ex quo sunt & thunni, moderatiores autem ipsis sunt pelamides. Multum crassi succi sunt ostrea, & buccina, purpuræq; ac chamæ, patellæ, pectines, pinnæ, & omnia testa intecta, anguillæ itẽ ac cochleæ, bubulæ carnes, caprinæ, ceruinæ, leporinæ, suillũ hepar, renes, testes, moderatè lac coctum, casei omnes, uerũ recentes & ex acido lacte minus, oxygala, protogala quod & pyriepton uocatur, oua ad perfectam concretionem cocta & magis adhuc assata, atq; amplius etiámnum fricta in sartagine, palmæ, castaneæ, bulbi, rapa, fungi, tubera, nuces pineæ, coni ac strobili appellati, ficus non probè maturæ, citrij caro, cucumeres præsertim uberius ingesti, mala nondum matura, uina dulcia quoq; sanguinem crassum generãt, & his amplius sapa, & uinum nouum, uinaq; crassa ac nigra.

Media inter attenuatoria & crassefacientia. Cap. CCXLII.

Panes optimè præparati, carnes gallinarum, phasianorum, perdicum, columbarum, attagenarum, & paruarum auicularum omnium, optima edulia sunt. Insuper piscium petras ac littora & altum pelagus incollentium, gobiorum, murenarum, buglossorum, & omnium consimilium, qui neq; uiscositatem neq; graueolentiã in cibo repræsentant. Item ficus, pepones, & ex syluestribus oleribus seris, id quod cõmune pluribus genus existit, singulorum autẽ speciales appellationes sunt apud Atticos, uelut lactuca, chondrile, gingidium, & alia infinita syluestria olera quę seridis nomine ueniũt. Eius generis est & asparagus palustris, itemq; myacanthinus, & chamædaphnes, ac bryoniæ. Vinum itẽ fuluum simulq; dulce ac pellucidum, quale est aruisium, & lesbium, & dulce falernum, ac tmolites. Hæc enim bonum & moderatè crassum sanguinem generant.

Quæ uiscosum sanguinem generant. Cap. CCXLIII.

Triticum graue, densum, & in alto flauum, uiscosum succum generat: leue autem & rarum & intrinsecus album, minus uiscosum humorem generat. Est & similago itemq; halica satis uiscosa. Item tẽdines, præsertim in musculorum extremitatibus, aponeuroses Gręcis appellati, & partes circa labra, & lingua, suilla quoq; caro, & agnina, sesami item semen, & palmulæ pinguiores.

Quæ crudum humorem generant. Cap. CCXLIIII.

Palmulæ uirides uescentes crudis humoribus implent, & rapa, & testa intectorum caro, si diutius cocta salsum humorem deposuerit, & pisces molles appellati, uelut sepiæ, polypi, & alia huius generis: item cetaceum gẽnus in mari, quaproptér antea salsa hæc in usum cibi ueniunt. Talia sunt & intestina, & uetres, & uuluæ quadrupedum, & acidum lac, lupini, uua in uentre retenta.

Quæ frigidum humorem generant. Cap. CCXLV.

Qui se cucumeribus ualde explẽt, frigidum humorem coaceruãt. Insuper & qui uentres ac intestina & uuluas quadrupedum animalium ingerunt, & lac acidum, & mala nondum matura.

Quæ atrabiliarium succũ generant. Cap. CCXLVI.

Carnes bubulæ, caprinæ, & magis taurorum ac hircorum, & adhuc amplius ouium ac leporum, ac suum syluestrium, carnes item salsę quadrupedum animalium. Ex marinis piscibus thunni, balænæ, & omnia cetacei generis, cochleæ, brasicę, arborum germina, muria, & acida muria condita, uelut lentisci & terebinthi. Item cinarę caro, & lens edulium est maximè atram bilem gignens, & post hanc furfuracei panes, & qui ex typha ac alijs uitiosis seminibus fiunt, & casei antiqui, & uina crassa ac nigra.

Quæ biliosum humorem generant. Cap. CCXLVII.

Siliquæ, itẽ cinaræ succus amaram bilẽ gignit, præstat itaq; ipsam feruefactã in cibo sumere. Mel quoq; facile in bilẽ transit. Omnes quoq; dulcis saporis succi, materiam flauæ bili præbent, itemq; dulcia uina.

Quæ superfluitatibus redundant. Cap. CCXLVIII.

Palumbes, anseres, pisces, exceptis petrosis, uiscera omnia, medulla, spinæ dorsi, cerebrum, auiculæ palustres & stagnorum, cicer, fabæ uirides, faba Aegyptia, porcelli recens nati, ouilla caro, & omnium iuniorum animalium, & ociose uiuentium, pisces fluuiatiles & palustres, & qui in limosa aqua degunt, item omnia cetacei generis in mari.

Quæ superfluitatibus careant. Cap. CCXLIX.

Colla animalium, caudæ, alæ, syluestrium animalium caro, & eorum quæ siccis locis degunt.

Multum nutrientia. Cap. CCL.

Suum domesticorum carnes ex omnibus edulijs optimè alũt, cerebrum bubulum, testes, cor, medulla spinalis, itemq; reliquæ, anserum alæ, & magis gallinarum, omnium uolucrium uentres, cochlę pręsertim ter coctæ. Ex testa intectis quæ duras carnes habẽt, uelut purpuræ, buccina, & similia, gammari, paguri, cancri, locustæ, squillæ, & consimilia. Item molles appellati pisces, uelut polypi, sepiæ, loligines, & cõsimiles. Ex cartilagineis, torpedo et pastinaca moderatè, squatina uero magis, mulli & gobij minus. Lac crassius quidem magis, & liquidius minus. Ex panibus siligineus maximè alit, deinde similagineus: tertio loco est cui furfures non decesserunt, triticum coctum, siligo, alica, fabæ carnis habitum non adstrictum & densum faciunt, sed laxiorem. cicer magis nutrit, phaseli & ochri magis fœnogræcum, dolichi quos lobos uocant Gręci non pisis minus nutriunt, castaneæ, lens, palmulæ dulces, uuæ passæ dulces, ac pingues, rapa, bulbi maximè alunt & præsertim bis cocti. Mel despumatum & ad distributionem & ad nutritionem aptum est, uinũ omne nutrit quod crassum est. Rubra itaq; & crassa ac adstringentia, magis alunt. minus uero his alba simulq; crassa & austera. Omnium minime alba & tenuia, omnia item crassi succi si probè concoquantur, ualde alunt.

Quæ parum nutriunt. Cap. CCLI.

Extremæ animalium partes, uulua, uenter, intestina, caudæ, aures, pinguedo, adeps, omne uolucrium genus

genus minus alit,terrestrium generi comparatum, caro quoque animalium annosorum minus alit quàm augescentium. Piscium esus sanguinem tenuiorem generat. Ex testa intectis quæ mollem carnẽ habent, uelut ostrea minus alunt, panes ordeacei, polenta ordeacea, panes furfuracei & sordidi omnes ac loti, amylũ, masa ex polẽta ordeacea, auena, milium, eoque magis panicũ, oryza, fabæ uirides, semẽ papaueris, mora, amygdala, pistacia, pruna, persica, armeniaca, præcocia, oliuæ maximè drupæ, nuces auellanæ, & magis adhuc regię, serica, corna, pruna syluestria, mora rubi, capparis & magis sale condita, terebinthi summitates, brassicæ, betæ, rhaphanus, sinapi, asparagi omnes, pastinaca, daucus, carus, cepa, allium, porrum crudum quidem nullum penitus alimẽtum præbet, bis uero aut ter coctum paucissimum, punica mala, pira, cucurbitæ, uuę passæ austeræ & nõ pingues. Porrò media quodam modo sint inter parum nutrientia, phaseli, ochri, cicerculæ. ficus autem non similiter ut reliqui fructus parum nutriunt, uerum laxam carnem faciunt. Vuæ uero minus quàm ficus laxam & humectam carnem alunt.

Quæ boni succi sunt. Cap. CCLII.

Optimi succi est optimum lac ferè inter omnia quæ in cibo accipimus: optimum autẽ lac est animalium bonæ habitudinis, statim ubi mulctum fuerit calidum adhuc potum. Oua trementia & sorbilia gallinarum ac phasianorũ. Volucres & pisces ferme omnes boni succi sunt, exceptis his qui in paludibus ac stagnis & fluminibus limosis ac turbidis degunt. Verum odore & gustu cognobiles fiunt: Nam fœtidi & insuaues ac mucosi sunt, propterea quod in uitiosa aqua degunt. Carnes autẽ quadrupedum animalium si probè concoquantur, optimũ sanguinẽ generant, maximè si bono succo prædita sint, uelut est suillum genus. at uero omnes circa labia partes, aliæque extremitates, & alæ uolucriũ, intestinaque & uuluæ ac caudæ, minus boni succi sunt quàm carnes, glandulæ autem probè cõcoctæ, similiter ut caro boni succi sunt. Cor non est mali succi, pedes suilli meliores sunt quàm rostrũ & aures: syluestriũ quoque animalium carnes meliorẽ succum quàm domesticorum habẽt. panis purus probè præparatus boni succi est, alica item, & ptisana probè præparata, fabæ, castaneæ nõ habent malum succum, ficus maturæ, & uua matura itemque pensilis repræhendi non merentur. caricæ statim quidẽ in corpus digestæ ac distributæ, boni succi sunt: uerũ si in uentriculo morẽtur, mali succi fiũt, & pediculos generant. si uero cum nucibus edantur, bonum edulium existunt. Cæterum si quis ficus & caricas assiduè in cibo sumat, non parum lædetur. Lactuca ut olus sanguinem bonum gignit, & ab ea intubi. Vina odorata boni succi sunt, sed omnium optimi succi est salernum dulce & tmolites.

Quæ mali succi sunt. Cap. CCLIII.

Ab omnibus mali succi eduliis abstinendũ censeo, etiãsi facilè concoquantur. Latenter enim diutiori tempore uitiosus humor in uenis ex ipsis congregatur, qui leuissima putrefactionis occasione arrepta, malignas febres gignit. Est autem maximè uitiosi succi caro ouilla ac caprina, pessima uero hircina, deinde arietina, postea taurina. In omnibus his præstant castratorum carnes. Seniorum autẽ animalium pessimæ sunt: Caro leporina crassiorem quidẽ sanguinẽ generat, uerum meliorem ad succi bonitatem quàm bubula & ouilla. nihilominus tamen & ipsa mali succi est, itemque ceruina. renes & testes perfectorũ animaliũ mali succi sunt, exceptis gallis. Itẽ cerebrũ & medulla spinalis, exceptis gallis. lien, oua in sartagine fricta, casei ueteres, boleti, amanitæ, fœnogręcum, lens, auena, cicer non est boni succi. olyra uero tanto deterior est tritico, quanto melior est quàm tipha & auena. panicum, milium, & similia non sunt boni succi. dracones, callionymi, scorpii, trachuri, mulli, orphi, glauci, zygænæ, congri, phagri, & quæcunque alia cetacei generis in mari animalia, omnia mali succi sunt. Item omnes fructus subcaniculares mali succi sunt, mala nondum matura, pira prius quàm concoquantur, persica, mala punica, mespila, corna, pruna syluestria, siliquæ, & terebinthi fructus, cinara præsertim ubi dura fuerit, cucumeres, pepones, cucurbita his quidem melior est, sed & ipsa in uentre corrupta satis mali succi euadit. ficus et caricę minus quàm alii subcaniculares fructus malũ succum habẽt, uerũ his qui in ipsarum esu perseuerant, nõ ualde bonum sanguinem gignunt. unde & pediculorum copia ex ipsis consequitur. Ex oleribus nullum boni succi est. in medio boni ac mali succi sunt lactuca, intubi, malua, blitum, atriplex. Radices plantarum olerum generis mali succi sunt quæcunque acres, uelut ceparum, porrorum, alliorum, raphanorum, & dauci. Medio loco sunt raporum & cari appellati radices. Ocymũ pessimi succi est. rapum crudum, brassica, bulbi non probè cocti. At uero allium & cepę ac porrum bis cocta humoris malignitatem deponunt. Cæterum extreme mali succi sunt olera quæ syluestria appellant. Vina crassa simulque fœtida & iniucũda ac austera mali succi sunt, quale est bithynum quod in magnis doliis apportatur, nam quod in paruis affertur, neque boni succi neque mali existit.

Quæ facilia concoctu sunt. Cap. CCLIIII.

Panes bene præparati, pisces petrosi omnes, gobio, torpedo, pastinaca, si uolucrum generi cõparetur. uolucrum caro terrestrium generi comparata concoctu facilior est, præsertim perdicis, attagenæ, columbæ & phasianorum, alæ anserum, magisque gallinarum, & in summa præstant alæ saginatorũ & iuniorum, pessimæ autem sunt gracilium & seniorũ. iecur anserum sero lactis saginatorum, itemque testes gallorũ similiter nutritorum facilimè concoquuntur. Carnes suillæ cõcoctu idoneæ sunt, in uigore ætatis cõsistentibus & laborantibus porcorũ uigorosorum, reliquis eorum qui adhuc crescunt. Vituli meliores concoctu sunt quàm boues perfecti, & hœdi quàm capræ. In uniuersum autem omnium adhuc augescentium caro facilior concoctu est quàm decrescentium, & animalium in siccis locis degẽtium facilius concoquitur quàm aliorum. Nux regia magis concoquitur quàm auellana, bulbi bis cocti melius concoquntur, oua trementia & sorbilia, lactucæ, intubi, malua, cucurbita cocta, si nõ corrumpatur. uina dulcia facilius quàm austera. Facilius autem cõcoctu est quicquid unicuique iucundum est.

Quæ ægrè concoquuntur. Cap. CCLV.

Caro caprina, bubula, ceruina, pessimè autem concoquitur hircina, deinde arietina, postea taurina. pessima est & seniorum animaliũ caro, sues quæ senes fibrosam & siccam, & propterea ægrè concoctilem

carnem habent. Ventriculus ægrè concoquitur, itē intestina, uulua, cor, iecur, aures, caudæ, renes, cerebrum, medulla spinalis, & perfectorum animalium testes, anseres, exceptis alis, palumborum & sturnorum ac merularum & paruorū uolucrium caro durior est, atq; his magis turturis antiqui, & anatis, ægrius tamē adhuc cōcoquitur, & fibrosior his est pauonis & otidū caro. uentriculi quoq; uolucrum omnium ægrè concoquuntur, propter substantiæ duritiam. falsò enim quidā laudant uentrem struthocameli ac mergi. Cochleæ item & lac acidū, caseus uetus; recens autē & maximè ex acido lacte melior est, purpurarum caro ac buccinorū, aliorumq; testa intectorū duram carnē habentium. gammari, locustæ, cancri, paguri, squillæ, & omnia huiusmodi. polypi, sepiæ, loligines, & omnia molli cute prædita, raia, leuiraia, squatina, dracones, cuculi, callionymi, scorpij, trachuri, oua cocta, fricta, triticū coctum, polenta, tipha, auena, fabæ, dolichi, phaseli, cicercula, cicer, oryza, lupini, panicū, miliū, & quæcunq; huiusmodi lens, sesamum, castaneæ, mala, pira nondū matura, ficus non maturæ, uuæ acidæ & austeræ, palmulæ omnes, siliquæ, ocymum, rapū crudius, bulbi crudiores, pastinaca, daucus, carus, & omnes olerum radices, ipsaq; olera uniuersa, excepta lactuca & intubis. uina crassa & noua ægrè concoquuntur, uerum multo magis concoctioni resistit aqua.

Aqua

Quæ stomacho commodant, cumq; roborant. Cap. CCLVI.

Palmulæ austeræ, mala cydonia, oliuæ muria conditæ, aptiores tamen sunt aceto cōpositæ uuæ passæ austeræ. uua in uinaceis reposita, nux regia hac parte auellanæ præstat, multoq; magis si cum caricis sumatur. gingidiū scandici simile, est ualde stomacho cōmodum, tum crudū, tum coctum comestū. longiorē autem coctura non sustinet: cinara, sinapi, raphanus, rapum, nasturtiū, asparagus palustris, chamædaphnes, oxyacāthæ & bryoniæ, bulbus appetentiā cibi excitat, itēq; capparis sale condita, citrij pars externa corroborat stomachum medicamenti loco sumpta. Vinum austerum os uentris roborat itemq; uentrem ipsum præsertim calida intemperie affectum.

[illegible] externa

Quæ stomacho incommoda sunt. Cap. CCLVII.

Beta stomacho incōmoda est, adeò ut & morsum inducat si uberius comedatur, ocymum, rapū crudius, blitum, atriplex, si non cum aceto ac oleo & garo sumatur, fœnumgræcum stomachum subuertit, itemq; sesamum. Lac frigidum habentibus uentrem acescit, calidum habentibus in nidorem transit. Meritò itaq; nociuum est febricitantibus, & si quis amplius cum melle sumat, uomitū ciet. Pepon non probè concoctus, cholericos, id est bilem supernè ac infernè eijcientes facere solet. Similiter & melopepon, omne cerebrum stomacho incommodum est, & nauseosum, uelut etiam ossium medulla. Vinum nigrū & austerum facile acescit, & uomitum concitat. Item crassum & nouum.

Flatus expertia. Cap. CCLVIII.

Cuminum, ligusticum, uiticis semen, cannabis semen, fabæ frictæ, bulbi diutius atq; iterum cocti & ex oleo cum aceto comesti, mel quod in coctura omnem spumam deposuit, flatus discindunt panes ordeacei. Media porro inter flatus expertia ac flatuosa, sunt pisa, phaseli, ochri, cicerculæ.

Flatuosa. Cap. CCLIX.

Cicer, lupini, panicum, milium, & huiusmodi, fabæ, lobi siue dolichi, minus tamen fabis, maza ex polenta, succi omnes, præcipuè cyrenaicus, silphij succus ac radix, ficuum flatus modico tempore durat, propterea quòd facile aluo subeant. quæ uero exactè maturæ sunt, propemodum nihil offendunt, similiter ut caricæ. palmulæ uirides flatuosæ sunt, rapum crudius, lac facile in uentre inflatur, bulbi crudiores, mel non perfectè coctum. uina dulcia flatum tarde transeuntē generant, item dulcia simulq; austera, mustum itidē, hoc est uinum nouum.

Quæ extergent, secant, obturatione liberant. Cap. CCLX.

Ptisana extergет, itemq; fœnogræcū, melopepon, uuæ passæ dulces, fabæ, cicer, magisq; nigrum, capparis satis tenuium partium est, & extergет, & expurgat ac obturatione liberat, maximè ex aceto mulso aut ex oleo & aceto, præ reliquis omnibus cibis comesta: betæ succus extergет, & magis ubi cum sinapi & aceto comedatur. bulbi attenuatoriam uim habēt & obturationes aperientem, cepæ, allia & porri attenuant & secant crassos ac uiscosos humores. serum quoq; lactis humorum crassitiem attenuat. ficus extergent, quapropter multa arenosa de renibus expurgant. Caricæ attenuant ac secant & renes expurgant. amygdalæ extergent & attenuant, purgantq; uiscera, & humorum per sputum reiectiones ex pectore ac pulmone expeditiores faciunt. pistacia robori ac sanitati iocineris conducunt, & ad purgationem humorum id obturantium iuxta exitus ipsius, raphanus attenuatoriam uim habet. Mel tenuissimarum partiū est, maximè quod ex calidis ac siccis plantis natum est. quapropter etiā aqua mulsa ad sputorum eductionē commodat. Acetum mulsum non penitus uiscosa ac crassa facile educit, & uiscera citra molestiam expurgat. Valde autē commodat his qui crassum humorem in pectore ac pulmone coaceruarūt. Vina tenuia ac uetera cū acrimonia ad idem conferunt. At uero aquosum, hoc est albū & tenuissimū aptum est ad humorū ex pulmone eductionē. roborat enim & humores humectiores reddit ac moderatè scindit. Vinum dulce in morbis acutis reficiendis uiribus accōmodatum est, uelut in peripneumonia & pleuritide, concoctione morbi iam facta.

Quæ obturant. Cap. CCLXI.

Lac modicum seri habens, & multum de caseo, nō satis tuti usus est, si quis in eius esu perseueret. Nam lædit renes, qui aliàs ad calculorum generationem aptitudinem habent, & iocineris obturationes facit his qui eas pati aliàs solēt. Caricæ hepati ac spleni inflammato nociuæ, uelut etiā ficus. omnia quoq; dulcia splenem ac iecur lædunt. Aqua mulsa incōmoda est his quibus uiscera indurata, aut laxo tumore occupata, aut inflammata in tumorem eleuata sunt. Palmulæ pingues obturant, & præsertim crudæ, omnia item liborum genera, & ex similagine præparata, obturant & splenem augent, & calculos in renibus generant. Similiter & triticea farina cū lacte. Alica quoq; inepta his qui iecur obturationi obnoxium habent, & renes calculo generando aptos. Vinum dulce obturat, & uiscera auget siue inflat.

Quæ tardi transitus sunt. Cap. CCLXII.

Omnia liborum ac placentarum genera ex similagine facta

facta, trāsitus tardi sunt, fabæ frictæ, panes puri, lens cortice detracto, cerebrum, medulla spinalis, iecur, cor, triticum coctum, oua assata, fricta, lupini, phaseli, pisa, sesamum, mala, pira nondum matura, siliquæ, uina dulcia, & magis austerum & nigrum, citra dulcorem. item omne crassum ac nouum. Aqua autem adhuc tardius transit.

Quæ facilè corrumpuntur. Cap. CCLXIII.

Persica, armeniaca, præcocia, & omnes subcaniculares fructus, qui humidum temperamentum habent, in uentriculo corrumpi solent, ubi non probè & citò aluum subierint. Omnia porrò mali succi, humida autem & lubrica, ac facilè subire potentia, præ alijs edere oportet. Sic enim & ipsa citò subeunt, & alia deducunt. Si uero postremum accipiantur, etiā alia simul corrumpunt.

Quæ difficulter corrumpuntur. Cap. CCLXIIII.

Chamulæ paruæ, purpuræ, buccina, & quęcunq; testa intecta duram carnem habent, dantur corrumpentibus cibum præ humorum uitiatione, ita ut bis aut ter aqua optima coquantur, semper in aliam puram feruentē translata, ubi prior salsa reddita fuerit. Sed & gammari ac paguri cancriq; ac locustæ, & squillæ, & quæcunque eius generis, carnem habent ægrè corruptilem, similiter ut testa intecta duræ carnis.

Quæ uentrem subducunt. Cap. CCLXV.

Lenticula, brasſica, ex marinis testa intecta, & cochleæ compositam naturam habent ex cōtrarijs facultatibus. Ipsum enim solidū uniuscuiusq; corpus, transitus tardi est, & uentrem sistit. uerū humiditas ad excretionem irritat. Si quis igitur lenticulā aut brasſicam, aut aliud quid ex prædictis coquat, deinde decoctū ipsum oleo & garo ac pipere condiat, & postea cui uelit bibendum præbeat, palàm conspiciet ex ea potione uentrem subduci. Sed & herinaceorum marinorum ac conchularū omnium, itemq; gallorū ueterum iuscula uentrem subducūt. At uero si brasſicam aluū subducere uelimus, cacabo in quo cocta fuerit propè posito statim extractā, in oleum ac garū mittimus. Neq; enim ualde ipsam coquere oportet. Panes furfuracei uentrem subducunt. fœnigræci succus coctus cum melle acceptus, commodus est ad subducendum omnes uitiosos humores in intestinis contentos. sed modicum esse oportet mel quod admiscetur, ne morsum stomacho infligat. Oliuæ salsæ subducūt præ reliquis cibis comestæ. Lac quo liquidius est, eo magis subducit. crassum, minus. Serum uero lactis ualde emollit uentrem. Iniĳciēdum est ad ipsum mellis optimi tantum quantū satis est ad condiendum solummodo, ne stomachus subuertatur. iuxta eandem rationem & salem indere oportet, ne gustus offendatur. Animalium ualde iuuenū carnes facilius aluo secedunt, similiter & chartilaginei pisciū generis torpedo & pastinaca moderatè secedunt. beta quoq; moderatè subit, & recens caseus cū melle, atriplex, cucurbita, pepones, melopepones, ficus, caricæ, uuæ passæ dulces, præsertim humidæ, mora ante reliquum cibum sumpta, nux adhuc uiridis, ad excretionem cōmoda est. imò etiam sicca, aqua præmacerata, et pruna sicca similiter aqua, aut aqua mulsa præmacerata edantur. etenim plus mellis habentia uentrem multum molliūt, etiamsi quis sola ipsa comedat, sed multò amplius si aquam mulsam insuper sorbeat, uentris subductioni conferent. cæterum à sumptione talium, uinum dulce bibere oportet, & pauco tempore interiecto prandere. Porrò mora, cerasa pręcocia, persica et omnia humecta, & aquosa, & in totum quæcunque nullam fortem qualitatem gustui aut olfactui offerunt, ea mediæ quodammodo facultatis inter subducentia ac supprimentia aluum existunt. Mel solum non coctum si quis delingat, probè aluum ducit. aqua mulsa item parum aut omnino nihil cocta aluum subit. uinum dulce confert ad uentris excretionem. Mustum aluum emollit ac subducit.

Quæ uentrem supprimunt. Cap. CCLXVI.

Palmulæ austeræ, uuæ passæ austeræ, mora rubi, pruna syluestria, poma adstringēdi ui prædita, pira, mala punica, similiter gammari, paguri, cancri, locustæ, squillæ, & quæcunque alia eiuscemodi molli testa intectorum, minus quidem quàm testa intecta uentrem supprimunt. uerum habent etiam hæc ipsa salsum in se humorem, quem ubi in aquam deposuerint, uentrem sistunt uelut ostreorum & testa intectorum caro. Lenticula item & brasſica bis coctæ uentrem sistunt. & ubi humectam aluum siccare uelimus, quū iam moderatè cocta esse uidetur brasſica, prima aqua diffusa, aliam calidam statim affundimus, deinde rursus in illa ipsa coquimus, donec flaccida fiat. Oportet autem neq; aërem, neq; aquam frigidam attingere quod bis coquitur. nō enim amplius exactè flaccescit, etiamsi diutisſimè postea coquatur. Cæterum lenticula decorticata fortè adstrictoriā uim perdit, & non similiter siccat uentris humiditates. Si tamen ipsam bis coquas, prioremq; aquam diffundas, deinde parum salis aut gari addas, & aliquid ex sistentibus uentrē immittas, ita ut gustus non lædatur, iucundisſimum simulq; utilisſimū pharmacum simulq; edulium efficies. Polenta ex uino austero pota uentrem siccat, oryza sistit, panicum item & milium, carnes leporinæ, uinum austerum, & nigrum citra dulcedinem, & album ac austerum, & fuluum ac austerum.

Quæ calfaciunt. Cap. CCLXVII.

Triticum coctum, & panes ex illis, tipha, auena, fœnogræcum, palmulæ dulces, mala dulcia moderatè, sesamum, uuæ dulces, quapropter & sitim inducunt, uuæ passæ dulces magis mediocriter, apium, smyrnium, eruca, rhaphanus, rapum, sinapi, nasturtium, pyrethrum, pastinaca, caros, allium, cæpa, porrum, caseus uetus, uinum dulce, moderatè calidum est, & propterea sitim inducit. Fuluum uero calidius est nigro. flauum calidisſimum est extremè, deinde fuluum, deinde rufum, postea dulce, postremo album omnium minimè calfacit. Vinum uetustisſimum multum calidum existit.

Quæ frigefaciunt. Cap. CCLXVIII.

Ordeum iuxta omnes utendi modos, milium, panicū, tubera, cucurbita cocta, pepones, melopepones, cucumeres, pruna, mora, uuæ austeræ & acidæ, uuæ passæ austerę, mala adstringētia, & acida ac teneriora, & pira eiusmodi, et mala punica adstringētia, palmulæ frigidū succum habent, lactuca, intuba mediocrius, portulaca, papaueris semen, aqua, uinū aquosum non manifestè calfacit, ideo etiā febrientibus citra periculum datur. uinū album & austerū minimè ut uinum calfacit. uinum uero album simulq; austerum, & crassum ac nouū sensibiliter frigefacit. frige-

facit autem & acetum. nam tenuiũ partium existit. quapropter neruos amplius quàm alia frigefacientia lædit. Media porrò quodammodo inter calfacientia ac frigefacientia sunt, panes loti, amylũ, uuæ uinosæ.

Quæ siccant. Cap. CCLXIX.

Lenticula, brasica, polenta, uiticis semen, eruum bis coctum & aqua sæpius edulcatum, præstat autem album, sed & assatum aut frictum siccius alimentum corpori præbet, item quod simpliciter garum & uinum habet, siccius est non habente, maxima autem est differentia & seminum, & olerum, & plantarum omnium plus aut minus siccantium, iuxta corũ quæ ipsis adijciuntur uires.

Quæ humectant. Cap. CCLXX.

Ptisana, cucurbita cocta, pepones, melopepones, cucurbitæ, nuces uirides, pruna, mora, sycomora, lactucæ, intuba, malua uero & blitũ ac atriplex aquosissima olera sunt. fabę uirides humectãt, et cicer. aqua calida humectat & calfacit, frigida humectat & frigefacit.

Quæ caput lædunt. Cap. CCLXXI.

Palmulæ omnes, eruca, fœnumgręcum, mora rubi, uinum quoque fuluum capitis dolorem inducit, & mentem tentat magis quàm nigrum. Austerum etiam & odoratum caput tentat. aquosum uero neq; capitis dolorem inducit, neque neruos lædit. Vinum autem modicum aquæ mixturam ferens, capitis dolorem ex humoribus in uentre ortum sedat. lac non est commodũ capiti, nisi quis ualde fortè ipsum habeat. cremor uuarum, quem fecem dicunt, dolorẽ capitis inducit. item uua ipsa in uinaceis reposita.

AETII TETRABIBLI PRIMAE, SERMONIS SECVNDI, FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN TERTIO SERMONE AETII CONTINENTVR.

*

Purgato

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI PRIMAE SERMO TERTIVS.

*

De his quæ per clysterem infunduntur, euacuantur, & exhibentur. Et de aëre, uentis, locis, aquis, rubificationibus, sinapismis, ac similibus.

DE FRICTIONE PRAEPARATIVA. Cap. I.



ANTE exercitationem corpus calfacere oportet, frictionis tum per lintea, tum per oleum, usu, fricandūq; est corpus nudis manibus donec probè calescat, & molliatur, ruborq; floridus efflorescat, & confricta particula in molem eleuetur.

De exercitationibus. Cap. II.

Exercitatio est motus uehemens. Vehementiæ autem terminus est respirationis alteratio ad celeritatem ac densitatē. Exercitatio ipsa partes instrumentales præparat, ut non facilè affectionibus impetantur, & ad actiones obeundas robustiores reddit, & alimenti attractionem fortiorem, & nutritionem meliorem, propter excitatum calorem facit. Sed & sensibiles itemq; obscuros meatus propter fortē spiritus motum

tum expurgat. Quandoquidem igitur distributioni alimenti opitulatur, oportet sanè neq; humorũ crudorum, neq; ciborum inconcoctorum copiam, neq; in uentre, neque in intestinis contineri: periculum est enim ne ad omnes animalis partes deducantur antequam probè concoquantur. Manifestum igitur est etiam ante cibos exercitari corpora oportere. Opportunitatis nota ex bonitate coloris urinarũ sumitur. Aquosa enim urina, humorem ex uentre in corpus digestum ac distributũ, incoctum esse significat. Fulua uero & biliosa iamdudum perfectam concoctionem notat. At uero moderatè pallida, signũ est concoctionis nuper factę. Tunc itaq; ad exercitia prodeundũ est, uentris ac uesicę excremẽto prius deposito.

De exercitationum speciebus. Cap. III.

Cõmune est omnibus exercitationibus, caloris innati corporibus augmentũ. Cæterum singulatim robusta exercitatio, hoc est, uiolenta, musculos ac neruos ualidiores reddit. Tales sunt, fodere, onus maximũ leuare, & aut in loco permanere, aut paululum progredi & uelut deambulare. Huius generis est & per funem manibus appræhensum repere ac ascẽdere, & plurima alia eiusce modi. At uero ueloces exercitationes, citra contentionem & uiolẽtiam, cursus sunt, & summarum manuum luctę ac exercitia, & parua pila. Cęterum robustis exercitationibus uelut uehemẽtibus uti quis potest, si celeres motus addat. Insuper exercitiorũ aliqua lumbos aut manus aut crura magis exercent, aliqua spinam, aut pectus, aut pulmonem solum. Exercendum est autem donec corpus in molem eleuetur, & floridũ euadat, motusq; expediti ac æquales & ualidi existant. In hoc autem corpore etiam sudorem conspicies calidum uapore permixtum. Cessandum uero tũc primum ubi quid ex prædictis fuerit alteratum, uelut si corporis moles contrahi uideatur, statim quiescendum est. Similiter etiam si coloris floriditas contabescat. Quin & si motuum uigor remitti uideatur, statim cessandũ est, & si circa sudorem mutatio aliqua apparuerit iuxta multitudinem siue qualitatem. Si enim paucior aut frigidior prodeat, e uestigiò desinẽdum est, oleumq; affundendum, indeq; corpus recurandum, moxq; frictione recuratoria, quæ post exercitationem adhiberi solet, utendum quemadmodum pædotribæ in usu habent.

De frictionum speciebus. Cap. IIII.

Frictio dura corpora constringit, mollis soluit. Quare quæ supra modum exoluta sunt corpora, frictione dura, quæ contrà adstricta, molli fricãda sunt. Si uero æqualiter habeant, palàm est quod neq; molliter neq; durè, sed quantum eius fieri potest, utroq; excessu uitato. Frictio multa gracilitatem inducit, pauca uice uersa, media mediocritatem.

De uociferatione. Cap. V.

Vociferatio exercitatio est pectoris & uocalium instrumentorum, insuperq; caloris naturalis purgans, attenuans ac roborans, & corporis partes solidas & robustas reddens, ut non facilè affectionibus impetantur. Vtendum est uociferatione in anhelosis, & recta ceruice spirantibus, tabidisq; ac doloribus diuturnis pectoris ac dorsi, & in pectoris abscessibus post rupturam, & ad raucam uocem ex plurima humiditate factam, & in febribus quartanis. Nam concretum humorem conuenientissimè excutit, & stomachi humiditatem, quam priuatim quartana febris inducere solet, expellit. Conuenit etiam stomachicis præsertim assiduè uomentibus, & acidum ructantibus. At uero capitis affectionibus incommodissima uociferatio existit. Cæterum qui uociferatione usurus est, aluo prius exonerata, & infernis partibus sensim cõstrictis, lotaq; facie placidè perfusa, & ubi mox à somno se moderatè loquẽdo & deambulando præparauerit, ita tandem ad uociferationem progredi. In ipsa autem uociferatione concinnitas, & uocis bonitas, ac iucunditas, nihil contulerint ad sanitatem. Verum grauiorum uocum sonus utilis existit, quare in hoc se exercere oportet. Sic enim plurimus aër in respiratione attractus, pectus distẽdit, & aluum ac totius corporis meatus dilatat ac disparat. unde in uociferationibus, & concitatis lectionibus redundantium humorum excretiones contingunt, & his quidẽ qui concitatius legunt, magis & per sudores, qui uero mitius uocem intendunt, per occultã transpirationem. Nam tota corporis moles in lectionibus ac uociferationibus intenditur. Contingit item propter attenuationem ex motu factam, multa sputa resoluta, mucumq; ac pituitam excerni. Porrò his qui propter frigiditatem caliditate opus habent, quódnam commodius auxilium afferri queat quàm actio per respirationem? Oportet itaque sæpe legere, & uniuersum corpus relaxare, fusaq; carne, ad corporis rarefactionem, asperam arteriam, & alios spiritus exitus commodè distendere, & grauissimas uoces concinnè sonare. Vtendũ autem uocis actionibus neque temere, neque inconsideratè, sed neque prauis ac corruptis humoribus corpore repleto, neque in magnis ac manifestis cruditatibus ad uocis exercitium progrediendum, ne amplior distributio corruptorum humorum aut uaporum in corpus fiat.

De gestatione. Cap. VI.

Reliquæ quidem exercitationes in motu corporis sitæ sunt, gestatio uero mixta est ex motu & dispositione quieti simili, quum plurimę corporis partes quiescere uideantur, uniuersum uero gestationis tractu moueatur. Atque hinc adeò utilissima simulq; lenissima exercitatio est gestatio, ut quæ neq; lassitudinẽ corporibus inducat, ipsaq; cõsimiliter uelut magna exercitia moueat. Omnis autem gestatio insitum calorem uentilare & excitare potest, & materiæ multitudinem dispergere, habitumq; corroborare, & actiones stupidas suscitare. Differẽtiæ gestationis multæ sunt. uerum peculiares hæ sunt. Prima quidem in lecto, eoq; aut pensili, aut fulcra mobilia iuxta angulares pedes habente. Altera in lectica, quę & ipsa duplex est, ita ut qui gestãtur uel desideant uel decumbant. Tertia in curru. Quarta in nauigio. Ponenda etiam equitatio est inter gestationis partes. Itaq; gestatione in lecto utendum in febricitantibus, aut diuturno morbo decumbentibus, in quo corpora consumpta se erigere non ita ualẽt. Item in his qui uires recolligere à febrili afflictione iam incipiũt, & in his qui ueratrum sumpserunt. Vtendum & phreniticis. Nam spiritus perturbationẽ placidè lenit, & ad somnum illicit. Vtendum & in lethargicis, & appetentia ciborũ deiecta. At uero in lectica siue ferculo decumbẽtes gestamus, febri lethargica aut semitertiana, aut quotidiana correptos. Item hydropicos, stupore

pore attonito percussos, resolutos, nephriticos, podagricos. Desidentes autem in lectica gestamus, eos in quibus febris exactè remisit. Cæterum gestatio in curru cõcussorium quiddam habet, & diuturnos morbos cõmouet. Est autem & in hac alia uehementior, alia mitior. Mitiore itaque utendũ in capitis affectionibus, & his quibus intestina fluxione laborãt. Vehementiore, in affectionibus pectoris ac stomachi, & in tumoribus laxis, hydropicisque ac stupore attonito perculsis. Verum uertiginosos & dimidia capitis parte affectos, auersos ab itinere retrorsum desidere in curru oportet, eosque leniter mouere. Etenim multos nouimus hoc modo curatos, qui nullo alio auxilio indiguerunt. Sed tamen sedem aliquãto supinioreẽ ipsis esse oportet. Porrò gestatio in nauigio si iuxta terram fiat, & in mari tranquillo, hydropicis conuenit, & elephantiasi laborantibus, syderatis, tumidis. Et stomachum quidem ab initio subuertit, paulò autem postea in adsuetudinem uenit. Verum gestatio per pelagus uehemẽtissima est, & mutationes plurimas ac maximas facit. Nimirum quũ anima mixtos affectus habeat, ex tristitia, & spe, timoreque ac periculo, modò gaudentibus & lætis, modò in agone existentibus nauigantibus. Omnia autem hæc composita sufficientem uim habent omnem ueterem morbum exigendi & è corpore excludendi. Quin & mixtura ex quiete ac motu corporis, si quid aliud, probè corpus nutrit.

De equitatione. *Cap.* VII.

Equitationis usus modicus est in ægrotis: neque enim multam utilitatem opus ipsum præbet. Nam si leniter impellatur equus, nihil aliud quàm lassitudinem facit, maximè inguinum, iuxta crurum explicationem ac dependentiam. Si uero agitetur equus, uniuersum corpus dolorose concutitur. Et tamen etiam hic motus aliquid utilitatis habet in ualẽtibus. Suprà enim alia exercitia, & spiritũ & corpus, & maximè stomachum firmat, sensusque purgat & acutiores reddit. Verum pectori pessimum est hoc exercitium. Cæterum in omni gestatione omnique exercitatione, curandum est maximè, ut in salubri loco fiat, & in aëre puro, nec solum de alijs exercitijs hoc accipiendum est, sed etiam de nauigatione.

De re uenerea. Ex *Ruso.* *Cap.* VIII.

Naturale opus coitus est. nullũ autem ex naturalibus operibus nociuum est. Verum iuxta immodicũ & assiduum usum, itemque iuxta tẽpus non conueniens assumptus, noxius euadit. Multò autem magis nociuus fit assiduus usus, his qui neruos, aut pectus, aut renes, aut lumbos, coxendicesque ac pedes, imbecilles habẽt. Cuius rei coniecturam hinc facere licet, quòd omne hominis robur in coitus usu debilius redditur. Robur autem, est insitus in nobis calor. Vnde sanè concoctiones coëuntibus non integrę contingũt, & pallidi fiunt, & neque exactè uident, neque ut oportet audiũt, neque alios sensus integros posidẽt. Quin & obliuiosi tales & tremuli existũt, & articulis maximè coxendicum dolent, & alij ex ipsis renum, alij uesicæ morbos incurrunt. Quibusdam etiam oris graueolentia, & dentium dolores, & gurgulionum inflãmationes oboriũtur. Et uisi sunt iam uiri multi qui ex multa uenere sanguinem exspuerunt, partim ob uiolentam spiritus compressionem ac intensionem, partim ob uenarum ac arteriarum quæ ex pulmone ad testiculos deferuntur communionem. Cæterum fœmina ex coitu sanguinem non spuit, cum propter reliquam corporis humiditatem, tum quod in mixtione minus laboris perfert. imò etiã propter consuetas infernas purgationes. quare si contingat etiam fœminam spuere sanguinem, magnam ex purgationibus medelam acquirit. Itaque propter iam relatas causas medici boni iubent uenere abstinere, siue adsit quis ex prædictis morbis, siue timeatur, ob naturalem corporis debilitatem. atque hactenus quidem offensiones & consensus coitus, quantũ uires nostræ tulerunt, paucis retulimus. Restat ut etiã utilitates recenseamus, neque enim penitus inutiles & omnibus nociuæ res uenereæ existunt, si & usus, tempus, & modum, & sanã utentis constitutionem inspicere uelis. Vtilitates ex coitu hæ sunt: Repletionem euacuare, & leuius reddere uniuersum corpus, idque ad augmentum promouere, & uiribus efficere. Duris habitudinibus ex longioribus interuallis usus eius cõmodat: mollit enim organa, & meatus dilatat, & pituitam expurgat, & impeditam rationis uim explicat, & maximas iras remittit. Quapropter et atra bile percitis, subtristibusque & hominum consortia fugientibus, uelut magna quædam medela, cõmodissimus existit: sed et iuxta alium modum furiosos, ad saniorem mentem reducit, & quosdã comitiali morbo præhensos sanat, & capitis grauitatem ac dolorẽ ad uigorem ac integritatem permutat. Hippocrates summatim morbis à pituita rem uenereã optimam esse pronunciauit. Multi quoque ex morbis alimentũ non sentientes, ex usu ipsarum refecti sunt, alij bene spirantes ex ægrè spirantibus euaserunt, alij cibos auersantes, appetentiam edẽdi assequuti sunt, quidam à frequentibus seminis per somnum effusionibus liberati sunt. Naturæ ad uenerem appositæ sunt calidiores & humidiores. nã eius usum plus quàm aliæ ferre possunt: minimè autem siccæ & frigidæ. Est & uigẽtium natura ad eam accõmoda, senum uero nequaquam. Ex temporibus uer aptum est, ineptus autumnus & ęstas, sed neque hyems cõmoda est propter frigiditatem. Et sanè diæta quoque calidior & humidior ad coitum idonea est, contrà siccans & frigefaciens inutilis. Humidæ enim diætæ etiam impotenti ad coëundum cõmodant. Oportet igitur humidum & calidum esse uictum, cui accedere debet labor moderatus, & cibus boni succi. Vinum itaque sit colore fuluum, substantia tenue, panes puri furnacei recentes, carnes hœdorum, agnorum, & porcorũ. Ex uolucribus gallinæ, attagenæ, perdices, anseres, anates. Ex piscibus polypi, & molli carne præditi. Olerum horminum, irio, eruca, rapum bis coctũ & flaccidũ factum, hæc enim medicamẽti loco exhibentur. Leguminum fabæ, cicer, ochri, phaseli, pisa, dolichi. nã & flatu corpus implent, & lucul̃eter alunt. Magnopere etiam optimam uuam laudo, quod ad hanc uictus rationem attinet: humectat enim & sanguine ac spiritu corpus replet. Cæterum qui uenere uti uolet, recentes repletiones uitabit, cruditates item ac ebrietates, similiterque famem. Malum est enim repleto corpore coire, item à gymnasijs & à balneis. Vitandæ lassitudines, & pręgressi uomitus, & alui profluuia recentia. nam inueterata aliquando per uenerẽ resiccãtur. Commodissimum coëundi tempus est à cibo non nimium ingesto. nam & ad robur conducit, & frigidita

frigiditates euenire solitæ minus fiunt. Et si quidem à prandio quis ad uenerem incitetur, quiescere oportet donec cibus desideat. Si uero à cœna, necesse est paululum antea dormire. Porro uehementes impetus ac cupiditates ad uenerem non probo, sed eis resistere suadeo, præsertim si cui morbus sit qui ex uenere facilè offensionem percepter.

De insolatione, & arenæ aggestione, ac alijs uaporatorijs fomentis. Ex Antylo. Cap. IX.

Quidam se ad solem exponunt, partim non uncti, alij etiam uncti, & alij desidentes, aut decumbentes, alij stantes & deambulantes aut currentes. Ex decumbētibus aliqui in strato, aliqui super corio, alij in arena, aut sale decumbūt. Solaris itaq; inustio citra unctionem, moderatè adhibita, perspirationē occultam auget, & sudores elicit, aluum autem sistit, et carnem conseruat, pinguitudinē uero abolet, & tumores laxos cū alios, tum maximè hydropicorū deprimit. Spiritum autem densiorem ac ueIociorem reddit, & propterea anhelos & recta ceruice spirantes exacerbat. uerum capiti diuturna frigiditate laborāti commodat. nam & firmum & ęgritudinibus minus obnoxium efficit. Oportet tamen in his aluum pręeuacuare. Inimica est enim insolatio capiti, euacuatione infernè nō præmissa. At uero insolatio cum unctione, eadem similiter potest. Verum corpus magis siccat, uelut unguine assatum, quapropter & superficiē magis denigrat. Cæterum per occultam trāspirationem hæc minus discutit, nimirum ad cauterij similitudinem densans carnē. Qui uero desidentes aut stantes insolantur, uehementius quàm deambulantes & magis quàm currentes inuruntur. Decumbentes autem in strato, non magnopere iuuantur, sed capite magis replentur. Qui super corio se soli exponunt, magnam utilitatem consequūtur, præsertim hydropici & ischiadici, nephritici, resoluti, elephantiasi laborantes, intumescētes circa refectionem, cœliaci, & qui circa uesicā ueterem morbum habent: item & syderati; fœminæ quoq; quæ ab utero strangulantur, & adhuc amplius quæ alba uteri fluxione infestantur. Oportet autem magnū esse corium, & oleo perunctum, & super tenuem arenā cribratam extētum, & ubi præcalfactū est corium, tum demum ægrum super id decumbere, capite cum crudo linteo uelato. Permanendum est autē diutius in eadē decubitus figura, & postquā corpus multum fuerit feruefactū, uertere iubendū ac deuoluēdum, & postea rursus in alterum latus reuoluendū, ac quiescendum, atq; hoc ipsum sæpius facere oportet. Idem modus etiā in arena adhibetur, loco assiduè permutato. oportet autē ministrum adesse, qui calentissimam arenā colligat, & corpori defossi ac obruti superingerat. Si quidē igitur mare affuerit, utendū est eius arena. Nā & leuior & magis resiccās huius arenæ fomētatio ac feruor est, quàm eius quæ per corium cōtingit. Si uero fluuialis arena fuerit, præstat corio uti. Nā & arena fluuiatilis, & aër humectior est ex euaporationibus. Quòd si salis copia adsit, multò prestabilius est tenui sale substrato hominē decumbere. Oportet autē altitudinē esse non minorē tribus palmis paruis: si enim nō fuerit altus sal, caliditas ipsius facilè difflatur, utpote quę ex alto emersum ac progressū non habeat.

De uenæ sectione. Ex Galeno. Cap. X.

A similaribus corporis partibus primas actiones perfici, alibi demōstratum est, itemq; per instrumētales, secundas. Itaq; humores in corpore contenti cōsiderandi sunt, quam tandem utilitatē aut cladē partibus afferant, per quas corpus actiones suas facit. At uero plenitudo colligi dupliciter dicitur. Aut enim uiriū respectu plenitudinē dicimus, aut respectu capacitatis uasorū humores continentiū. Quēadmodū enim is qui onus gestat, nō statim ut grauatur & laborat, iam etiam concidit & uincitur ab ipso onere. Iuxta eundē modū ubi uires à plenitudine grauantur, possibile est ipsas diu resistere, & nondū hominē ægrotare. ubi uero quis diutius negligatur, uires cōcidūt. His itaq; magnopere prodest uenæ sectio priusquā uires uincātur. Sed & plenitudine ac copia sanguinis in corpore non existente, uenæ sectio utilis fit, inflāmatione incipiente ob prægressam plagam, aut ob particulæ debilitatē, humoribus ex corpore aceruatim in ipsam congregatis. Aliquando enim sanguis aceruatim ad particulam quandā irruens, aut stupefacit eam, ut actio ipsius corrumpatur, aut memorabilem cladē inducit, uelut in syderationibus contingere uidemus: quādoq; uero etiā ipsum uas perrumpit, uelut in sanguinis sputo cōtingit. Conandū itaq; est ut redundantē sanguinem euacuemus quàm citissimè, priusquā magnum aliquod malum circa aliquam corporis partē operetur. Quin & magni alicuius morbi timore uenam secamus. Atq; ego sanè multos podagricos annis tribus aut quatuor infestatos ex interuallis, aut purgato redundāte humore in principio ueris, aut sanguine detracto curaui. nā & podagricis et arthriticis, comitialibusq; ac atrabilarijs morbis, item sanguinē spuentibus, uertiginosis, & his qui frequenter angina arripiuntur, peripneumonijs, pleuriticis, lippitudinibus uehementibus, & in summa his qui magnos morbos frequenter incidunt, uenæ sectionē omnibus auxilijs potiorē pronuncio. Consideranda porrò ueniunt in omni uenæ sectione, plenitudinis quantitas ac qualitas, morbi magnitudo siue præsens sit, siue timeatur, ætas uigorosa, & præ his omnibus uiriū robur aut debilitas, deinde naturalis habitus totius corporis, hora ac tēpus anni, regio, præsens ambientis constitutio, prægressus uictus & diæta, copia ciborū & potus, & maximè an multū nutrientes cibos homo ingesserit, & an consueta exercitia reliquerit, & an cōsuetæ excretiones suppressæ sint. At uero aggrauante & infestāte plenitudine, non omnino sanguis detrahēdus est: Aliquādo enim crudus quidam humor in corporibus coaceruatus est, quapropter diligenti animaduersione opus est, quantopere uires ualidæ sint, & quātopere humor ipse perfrigeratus est, quod ipsum ex urinis & alijs signis cognosces. Nam in eiusmodi affectionibus præexolutæ uires, in uenæ sectione extremè concidere solent, ut refocillari amplius non possint, quod ubi contingit, periculum nō paruum consequitur, præsertim incidente febre, in constitutione æstiua, stomacho malè affecto, aut corpore uniuerso molli & temperamenti humidi ex natura existēte. Exoluuntur enim tales, & celerrimè in animi deliquiū collabuntur, etiamsi non magna febris in ipsos irruat. Sed & si hyems fuerit, aut regio frigida, & natura hominis frigidior, minimè uenæ incisionē admittemus: tales enim hoc modo dispositos moderatis frictionibus, et unctionibus moderatè calfacien

facientibus, & potionibus incisoria ui prӕditis sanamus.

De euacuationis mensura. Cap. XI.

Magnitudo morbi & uirium robur principales scopi sunt incidendӕ uenę, qui ubi aucti fuerint, maiorem euacuationem fieri oportere indicant, sicut cōtrà ubi non fuerint aucti, euacuationis quantitatem imminuere oportet, in quantum uires imminutӕ sunt, itemq́ morbi magnitudo. Consequenter autē simul consideranda est hominis natura. Nam eos qui moderatè graciles sunt & magnas uenas habēt, multūq́ sanguinis, largius euacuabis. qui uero uenas angustiores habent, & corpore albi & carne teneri sunt, parce. Sanguinem enim modicum hi habēt, & facilè humores ipsis transpirant. Iuxta eandem rationem, neq́ pueris uenam secabis, usq́ ad quatuor et decem annorū ӕtatem, imò neq́ senibus, prӕsertim uiribus debilibus existentibus. Quòd si uires fuerint fortes, & necessitas urgeat, etiā septuagenarijs uenā secabis.

Quales uenӕ secandӕ. Cap. XII.

Reuulsionis gratia semper uenas in directum secabis in his à quibus sanguis erumpit. Nimirū ut sanguine è dextro nare fluente, uenam dextrӕ manus seces: è sinistro uero, sinistrӕ. Quòd si splen patiatur, uenā inter anularem & paruū digitum manus seca, aut in cubito internā. Sed & in pleuriticis uenam è directo affecti lateris seca. Grauissimos item oculorū dolores mirabiliter mitigat, uena è directo affecti oculi secta in cubito, quӕ humeralis appellatur. Nā interiores uenӕ sectӕ, utilitatē prӕbent in partibus infra collum affectis. Externӕ uero faciei & capiti: Mediӕ utrisq́. Si autē in uenӕ sectione error contingat, in media quidem uena neruus subiacens diducitur. In interna uero, arteria substrata. Et uitandum est ne hāc secemus citra magnam necessitatem. Nam minoris periculi est humeralē secare. Et sӕpe facta in hac fissura magna, neq́ inflammationes sequutӕ sunt, neq́ dolores. Quare hanc cōfidenter secare licet. Internam uero cum multo metu. Vitandum item ut ne tentemus mediam. Quemadmodū autem prӕdictӕ partes ex uenarum cubiti sectione opem sentiunt, ita inferiores his, hoc est, coxa, & uterus ac uesica, ex uenarum poplitis ac talorum sectione. Rhenes autem utrinq́ opem ferunt, & ex cubiti & ex infernarum uenarum sectione. Scio autem coxēdicum affectionem in una die sanatam, per euacuationē à cruribus, quӕ sanè non propter frigiditatem, sed uasis coxӕ sanguine impletis facta erat. Oportet autē in omnibus inflammationibus incipientibus, reuulsoriè facere uenӕ sectionem, uelut pede inflammato ex manu. Verum in affectibus diuturnis, maximè quidem ex ipsis affectis partibus, sin minus, ex propinquis.

Quomodo uena secanda est. Ex Antylo. Cap. XIII.

Punctim quidem uenӕ incisionem facimus, ubi uasa fuerint obscura: Cӕsim uero, ubi fuerint manifesta. ita ut firmemus manum in obscurioribus, & his qui ad ictum flectere solent cubitum. Oportet autem nō totum uas diducere. Nam dum labia ipsius euertūtur, fluxus non fit cum eiaculatione. Neque uero infernam uasis partem ad radiū diuidere oportet, sed supernam ad brachij exortum tendentem. Superna enim secta, speciosa sanguinis eiaculatio contingit. Et ad hӕc commoda est supernӕ partis uenӕ sectio, quoniam è uase quis aberrare non potest.

De magnitudine sectionis. Ex Antylo. Cap. XIIII.

In his qui aceruata euacuatione opus habent, magna fissura facienda est. itemq́ in quibus crassitiem sanguinis contineri coniectabimus. In quibus uero reuellere & auertere uolumus lationē sanguinis, uelut in reiectantibus sanguinē, aut quibus de naribus aut alia quadā parte sanguis erumpit, parua uulnuscula incutimus. Non enim indigent euacuatione (quum euacuētur ab affectione) sed retractione ac reuulsione. Oportet igitur in his permittere ut sanguis fluat multo tempore per uenā. Paruis item fissuris utendū est in phreniticis aut mēte motis, aut aliàs delirantibus, quo cita cōglutinatio uulnusculi fiat: contingit enim ut deliri sӕpe latenter uinculū manus soluant. & si quidem cōtigerit magnā esse fissuram, sequitur periculū ex sanguinis eruptione. In parua uero, etiā grumus uulneris osculo insidēs, sanguinis eruptionē prohibere poterit. Insuper & paruis fissuris utēdum est in paruis uasis, magnis uero in maioribus. Nam si in magnis uasis paruum uulnusculum fiat, necessariò grumi collecti fluxum sanguinis impedient.

De figura sectionis. Antyli. Cap. XV.

Sectionis figurӕ tres sunt: transuersa, recta, non pungens sed findens uenā in directū, & inter has media, quę appellatur obliqua. Trāsuersa igitur utēdum est in quibus detractionem omnino non repetere uolumus: Curuato enim cubito oscula fissurӕ cōponuntur. Et commoda est hӕc figura, ubi magnā fissuram facere uoluerimus. Obliqua uero figura utilis est in quibus detractio repetenda est. Et eò quòd à uase nō aberramus dum sic secamus. Sed & sanguinis eiaculatio ex obliqua fissura pulchrior aspectu est uidentibus, dū uelut obtorquetur & obuoluitur sanguis in saltu. Oblonga uero in directum figura commoda est in his quibus non solum eadem die sectionem reiteramus, sed etiā post unam aut duos dies. Incuruato enim cubito disparantur oscula fissurӕ. Commoda est item in directum fissura his in quibus prӕuaricatio labiorū fissurӕ fieri solet. At in hac figura minus speciosa sanguinis eiaculatio contingit.

Quod sit oportunum uenӕ secandӕ tempus. Galeni. Cap. XVI.

In omni diei ac noctis hora, necessitate urgente, uenam secabis: ita ut scopum habeas in his qui febriunt, exacerbationis declinationem: in his uero qui aut propter lippitudinem, aut aliud quid eiusmodi absq́ febre, uenӕ sectione indigent, magnitudinem doloris aut inflāmationis. Qua enim hora uideris dolorē mitigari, uenā secabis. At uero si nihil tale urgeat, melius est mane uenā secare, non statim ubi à somno surrexeris, sed ubi uigilaueris ad horā unā. Sed et quosdam prӕlauare prӕstat & prӕdeambulare. In quibus uero prӕseruationis gratia uenam secamus, licet etiā ab actu consuetarū operationum uenā incidere.

De repetita detractione. Galeni. Cap. XVII.

In quibus simpliciter euacuare uolumus, eadē die iterata detractio fiat. In quibus autem reuellere, prӕstat ut post duos dies fiat. Et in quibus quidem opus est multa euacuatione, uires autem nō sunt fortes, in his euacuationē reseruare oportet, & prima detractione defectuosiore facta, rursus iteratò detrahere, aut si uoles tertium, Quum uero feruentis sanguinis multitudo febrem acutissimam incēderit, uelut in synochis, siue cōtinētibus, ibi aceruata euacuatione opus

est. Et oportet tentare ut euacuemus usque ad animi deliquium, uirium robore ex pulsibus considerato. In aliquibus enim noui sex libras statim esse detractas. Fluente itaque sanguine attendere oportet semper pulsuum tractui, ut ne citra animaduersionem, pro deliquio animi mortem inducas.

De arteriarum sectione. Galeni. Cap. XVIII.

Arterias secant medici in temporibus quidē, ob oculorum fluxiones, quum calidæ & flatuosæ fuerint. Eas uero quę sunt retro aures, in uertiginosis, & his maximè qui ex diuturnis morbis capitis calidis ac flatuosis laborant. Iam uero & ob alias plurimas affectiones circa caput consistentes diuturnas, quidā secant arterias retro aures. Verum aliqui arteriarum sectiones uerentur, propter sanguinis retinendi difficultatem, & quòd dum fissura in cicatricem abit, dilatatio uasis ipsius arteriæ fit, quę aneurysma Græcis dicitur, & inter tumorum genera recensetur.

Medicamentum sistens sanguinem arteriarum. Cap. XIX.

Quum igitur sanguinis eruptio ex incisa arteria consequatur, oportet hanc hamulis attractam totam trāsuersim dissecare. Deinde aloēm & mannam thuris terere, & ouorum albumine subigere, & tenellis pilis leporinis medicamentum excipere, & fissurę imponere. Dicitur autem de hoc amplius, in loco de sanguinis eruptione, inter uulneraria medicamenta.

De curcurbitularum usu. Ex Antylo. Cap. XX.

Necq; in morborū principijs, necq; in corporibus repletis, cucurbitis utemur, sed quū euacuatū fuerit totū, & nō amplius influxerit parti cui cucurbitę sunt adhibendæ, & opus fuerit mouere ac excutere & attrahere relictā in parte inutilē fluxionē. Cauendum est autē ne cucurbitā prope māmas affigamus. Nā illabentes in cucurbitas māmæ & tumescētes, non facilè sinūt illas tolli. Tūc uero spōgijs ex calida expressis cucurbitas circūdare oportet: sic enim remittere solent. Si uero nō sic remiserint, cucurbitæ perforandę sunt. Illud porrò nosse expedit, quòd nō solū localis uenę sectio detrimento est, antecq; uniuersum corpus euacuatur, per affectas partes sanguinē detrahēs, sed etiā cucurbita. Et uenæ quidē sectio minus est periculosa: p ratione enim allationis materiæ, etiā sanguinis excretionē facit. Cucurbita uero tū impetu affixionis uiolenter materiā attrahēs, tū multū loci occupans, & tamē necq; uasis sensibilē fissurā faciens, attrahit quidē memorabilē materiā, nō euacuat autem pro ratione attractæ. Et præcordijs quidē intēpestiuè affixa, præsertim in cōtinentibus febribus aut semitertianis, & maximè si etiā mēs ęgri fuerit turbata, & sensus sit obtusus, strāgulatus et mortē eadē die inducit. Capiti uero intēpestiuè admota, lethargos, & corporis ac mentis stuporē, & oculos prociduos facit. Quibus autem contigerit ut hęc effugiant, hi omnino in diuturnum capitis affectum hic incidunt.

De scarificatione. Ex Galeno. Cap. XXI.

Venā secare sępe in anno non arbitror cōmodum esse: simul enim cū sanguine multus uitalis spiritus excernitur. Quum autē hic frequentius cōsumatur, & tota corporis moles perfrigeratur, & omnia naturalia opera deteriora fiunt. Probo igitur ut ab ignobilioribus partibus, uelut sunt crura, per scarificationem detractio fiat. Optimū autem est hoc auxiliū ad conseruationem sanitatis, & ad eandem recuperandam, si fuerit præuaricata. Prodest autem scarificatio etiā oculis diuturna fluxione affectis, & alijs capitis affectionibus, itemcq; thoracis, & anginis. Oportet autē in unoquoque membro factas sanguinis inspissationes, post uniuersalem corporis euacuationem, soluere per localem scarificationem.

De sanguisugis. Galeni. Cap. XXII.

Sanguisugas captas una die seruare oportet, eascq; pauco sanguine alere, usus autē tēpore pars cui admouēdæ sunt nitro preparetur, & aqua dulcissima exactè abluatur. Postea è somēto sanguis illinatur. Atq; sic accipiātur sanguisugæ ac mittātur in aquā paruā, & fuligine ipsarū per spongiam detersa sic admouebis: inhærentes enim nō cessant trahere, donec salem aut nitrū aut cinerem ori ipsarū inspergamus. Postquā uero exciderint, fouēdi sunt loci per spongiam. Et si sanguis erumpat, gallam ustam, aut linteum ustum, aut spongiam liquida pice imbutā ac ustam, insperge, & superne chartam aceto madidam impone.

De purgatione. Ex Antylo. Cap. XXIII.

Eos qui sana habēt corpora purgare difficile est. Nam & uertiginosi ac uoluulosi fiūt ac torquētur, purgatiocq; difficulter ipsis procedit. Et ad hęc cito exoluūtur tales dum purgātur. Quū igitur purgare uolueris, præattenuare oportet ac secare crassos ac uiscosos humores & meatus aperire, per quos humores trāsferuntur ac trahūtur à purgatorijs medicamentis. Et serosos quidē ac tenues humores in principio morborū euacuare oportet: in crassis uero ac uiscosis cōcoctio expectanda est, qualis est pituita, & bilis atra. Sed & in omnibus diuturnis morbis semper cōcoctionem expectare conuenit. In acutis uero quū cōmotæ fuerint materiæ, etiā in principio pharmacum exhibe, & tamē cū multa cautione. Nam quum humores sunt in motu, lationecq; ac fluxu, timor est ne quod ex uisceribus natura debile existens materiam cōmotam excipiat, & præsertim thorax. At in una aliqua parte firmatos humores, uelut in uiscerū inflāmatione cōtingit, medicamentis aggredi nō oportet, priusquā cōcoquantur: quicuncq; enim inflāmata in principijs per medicamēta soluere conātur, inquit Hippocrates, à distento quidē & inflāmato nō auferunt quicquā: nihil enim remittit cruda affectio. uerum sana & morbo resistētia cōsumunt: dū enim debile fit corpus, morbus dominatur, quū autē morbus dominatur, pernicies adest. Proinde materiæ remouēdæ gratia utimur purgatorijs medicamētis in cephalæa, uertigine, hemicrania, comitiali, anhelatione, erectę ceruicis spiratione, coxēdice, arthritide, podagra, nephritide, & in affectiōibus uesicę ac uteri diuturnis. Similiter autē etiā ubi fluxus assiduè infestauerit aures, aut nares, aut oculos, aut os, aut stomachū, aut totā superficiē: & necq; resiccetur ab alijs auxilijs, necq; aliter sisti poterit: solet enim purgatio per aluū fluxiones cohibere. Et in hoc ordine locari potest etiā humoris atræ bilis purgatio, quę hęmorrhoidarū suppressarū gratia assumitur post uenæ sectionē. At antiquæ affectionis emouendæ ac expurgandæ gratia, utimur purgatorijs in resolutione, sideratione, alimentū nō sentiētibus, torpore, sopore, grauitate perseuerāte in quacūcq; corporis parte. Cęterū ob corporis tēperamentū trāsmutandū, utimur purgatorijs in diuturnis febribus, nimirū quotidianis ac quartanis, insania, atra bile, mentis excessu,

malo

malo habitu corporis, his qui alimentũ non sentiunt propter uitiosum humorẽ. Insuperq́ in elephãtiasi, scabie, lepra, pustulis, morbo pediculari, & in ulceribus spontaneis ac grauibus, & affectionibus fluidis. At uero quo circũsitus & infestãs humor educatur, utimur purgatorijs, in aqua inter cutẽ, & regio morbo. Et hoc loco ponẽdę sũt etiã uẽtris fluxiões, in quibus purgatoria assumimus: aliquãdo enim acris & inutilis humor uẽtris tunicis insidẽs aut intestinorũ, similiter uelut acres glãdulæ aut infusiones per anũ, iritat intestina, & simul ipsa stimulat, & promptitudinẽ efficit ad excretionẽ, simulq́ per acredinẽ suam ex circũferentia corporis ac totius molis humorẽ attrahit. In his igitur consentaneũ est purgatorijs uti, quo talis humor ex corpore expellatur, & uenter ac intestina pura fiãt. In summa utendũ est purgatorijs medicamẽtis, in his quibus uires ualidæ sunt, & uolũtas prõpta est, & qui stomachũ robustũ habent, & multã inutilẽ materiã in corpore colligũt. At pigues & prægraciles ad purgationẽ inepti sunt. Insuper & qui multo sanguine abũdãt, & q assiduè animo linquũtur, & ęgrè reuocãtur, & q citò uomũt ex omni occasione. Pueri itẽ ac senes, & mulieres q̃bus mẽses ualidè purgantur. Et qui ualde purũ habent corpus. Et qui certã habẽt uictus rationẽ. Et quibus aluus est natura adstricta. Et q dysenteria & cœliaca affectione facilè corripiuntur. Omnes hi ad purgationẽ inepti sunt. Incipiendum est autẽ à bilem purgantibus.

Bilem flauam purgantia. Aloë. Cap. XXIIII.

Aloë totum quidem corpus non purgat, uerum sitam in stomacho & uentre ac intestinis bilem, citra molestiam educit, ac placidè unà cũ subiectis excrementis. Datur itaque his quibus caput affligitur, propter assiduas fientes ad ipsum de stomacho euaporationes. Excindit enim inutilium uaporum allationem. Danda est & lippientibus, propter eandem causam, & his qui ob bilis augmentũ sitiunt, quibus lingua & os facilè resiccatur: & qui circa stomachũ ardorẽ, aut nauseam, aut molestiã aliquam euersoriã percipiũt. Præbetur & his qui præter rationem pallidiores facti sunt, & in quibus superfluitates eductione indigent, & clyster adhiberi non potest ob aliquam causam. Dantur autẽ aloës drachmæ II. cũ aqua mulsa. Cõmoda est etiam si quis ipsam quotidie sumat, aut à cœna, aut mane ante cibum potius. Tritam itaque aloën corticis citrij succo excipe, aut si is desit, succo brassicæ utere. Habeant autẽ hinc formatæ pilulæ ciceris magnitudinem. Et dato tria aut quinque quotidie ei qui opus habet. Potes & cũ terebinthina ipsam efformare, & cũ melle cocto. Oportet autem in deglutiendo, aut postea absorbere aquã mulsam. Purgatoria equidẽ medicamenta omnem causam ex corpore extrahunt, instar cucurbitæ, principalibus partibus inhærentia, ipsaq́ per uentrem euacuantia.

Scammonia. Cap. XXV.

Scammonia flauã bilẽ maximè educit. Inducit autem stomachi dolorem, & graue olet, ac iniucunda est, & ualde siticulosa. Quum enim omnia purgatoria stomachũ infestent, aloë excepta, scãmonia plus omnibus illi molesta est. Vitanda igitur est his qui debilem stomachum habent, & febricitãtibus: quũ enim leuissima sit, facilè abripitur in corpus, & omnem in ipso immunditiam cõmouet, prohibetur autem à febrili calore, ut ne superfluitates ad excretionẽ ducat. Danda igitur est his qui bonum stomachum habẽt, & non febriunt, atq; non facilè uomunt, & nõ facilè animo linquuntur. Dantur ex ea scrupuli duo plus minns, pro uirium ratione. Ammiscetur ipsi sal, & thymi coma, aut pulegiũ. In his uero qui ferre possunt, prestat aloën miscere. Datur & per se cum melle, aut ptisanæ succo, si clanculũ exhibere uolumus.

Peplium. Cap. XXVI.

Peplij semen, aliquãdo uero & ramulos simul, in umbra siccata, tusa ac cribrata dato, scrupulorum quatuor pondere, in aqua mulsa, adstillato modico aceto. Nam post flauam bilem, etiam nigram & pituitam ducit. Et flatus dissipat, quemadmodũ etiã Hippocrates alicubi dicit. Maxime igitur cõuenit flatuosis affectionibus, quæ sane atrã bilem lacessunt & auspicantur. Cõuenit etiã splenis inflationibus diuturnis, uteri itẽ ac coli, & laxis abdominis tumoribus.

Veratrum nigrum. Cap. XXVII.

Veratrum nigrum atram & flauam bilem ex toto corpore trahens, inferne expurgat, nõ tamen cum ulla difficultate. Quapropter etiam febrientibus per circuitũ & diu, ipsum exhibemus. Datur & furiosis, & hemicranicis, ac diuturno capitis dolore afflictis. Maximè uerò idoneum est uisceribus, & utero & uesicæ, si purgatorio medicamento opus habent. Maxima uerò ipsius uis est, priuatim educere si quid corruptoriũ sanguini fuerit ammixtũ. Vnde etiã in diuturno regio morbo cõmodum est, & ad asperitates cutis, uelut sunt lepræ, impetigines & similia. Est & elephantiasi utile. Dãtur ex eo scrupuli tres plus minus, ita ut tenuia circa radices lignula paululum in aqua madefiãt, deinde auferatur cortex, et siccetur in umbra tũdatúrque ac cribretur. Datur cũ passo aut aceto mulso. Condimenti porro gratia addere oportet ipsi, petroselini & dauci parum. Si uero efficacius purgare uolueris, misce & de scammonia parum.

Bilem atram purgantia. Cap. XXVIII.

Atram bilem ducentibus utẽdum est præcipuè in melancholicis atra bile uexatis, stomachicis, his quę facilè iritantur, iracundis, homines auersantibus, secessum quærẽtibus, & his qui in refectione uirium, purgatione opus habẽt, & in habitibus obaridis & parũ musculosis, & presertim in autumno feruente.

Epithymum. Cap. XXIX.

Epithymum atram bilem infernè purgat. Dantur ex ipso contuso ac cribrato perfectis scrupuli XII. cum passo & aceto mulso ac modico sale. Confert affectionibus flatuosis & hypochondriacis præcordiorũ, & quibus iecur grauatur, & difficulter spirãtibus. Similiter autẽ uelut epithymum purgat flos in stœbe enascens, & flos qui in thymbra nascitur, atq; epithymbrõ appellatur. uerũ uterq; uiribus debilior est.

Polypodium. Cap. XXX.

Polypodium bilem maximè nigram ducit & pituitã. Dantur radicis purgatæ scrup. VI. affusa aqua mulsa diluta. Potest & super salsamentũ deradi, ac comedi ante prãdium. Purgat etiam mediocriter ac citra molestiam, radix cocta in iure gallinaceo, & in ptisana.

Pulegium, Tragoriganum, Leucanthemum, Alysson. Cap. XXXI.

Pulegium ducit atram bilem acetabuli mensura potũ in aqua mulsa. Similiter & tragoriganum, & parthenium, quod & Leucanthemum uocatur. Dantur singulorũ scrupuli sex. Sed & Alysson similiter pur

gatiuum est. Danturq; etiam ipsius scrupuli sex. Præstat autem hæc dare cum aceto, & modico sale, ex aqua, ita ut arida trita potui inspergantur.

Armenium. *Cap. XXXII.*

Armeniũ quo pictores utũtur purgat atram bilem, & quicquid crassi ac uiscosi sanguini ammixtum est. Datur melancholicis, & elephantiasi laborãtibus, ac consimilibus, & in renum affectionibus, & anhelosis. Dantur ex eo scrupuli plus minus quatuor.

Centaurium minus. *Cap. XXXIII.*

Centaurium minus crassissimam bilem purgat & mucum. Quare conuenienter datur splenicis & coxendicum morbo affectis. Bibitur eius decoctum, ubi coctum fuerit in aqua. Sint autem centaurij scru. VI. aquæ mensura heminæ. coquatur ad medietatem.

Pituitam ducentia. *Cap. XXXIIII.*

Pituitam ducentium usus est in habitibus frigidioribus, ætatibus itẽ ac morbis frigidioribus. uelut sunt resoluti, siderati, & qui laxis tumoribus tument. Et in his qui multa & crassa emũgũt, & qui ex coxẽdicũ morbo à pituita infestãtur, & in aqua inter cutẽ.

Colocynthis. *Cap. XXXV.*

Colocynthis purgat pituitã & bilem & mucosa. Unde neruorũ neruosorũq; corporũ purgatiua est. Datur igitur conuenienter in omnibus capitis affectionibus, & in erecta ceruice spirantibus ac similibus. Et in coxendicum morbo & arthriticis. Et ad diuturnas renum ac uesicæ affectiones. Est & alijs morbis cõmoda qui ægrè excuti possunt, & induratam affectionem habent. Dantur ex medulla eius scrup. II. in aquæ mulsæ cyathis duobus. In debilioribus scrupulus I. Eligenda est alba & tenera medulla. Nam aridior & nigra mala est. Tundatur aũt & teratur diligẽter, & cribretur sæpe. Et usus tẽpore læuigetur ualde bene in mortario cum aqua mulsa. Solet enim tale quiddã pati. Nam tusa priusquàm madefit, tenuissima apparet, ubi uero in aquam mulsam iniecta fuerit ac macerata, intumescit adeò ut uix cribratam esse credas. Itaq; tumidæ ipsius partes aliquãdo inhærẽt uentri aut stomacho, & præsertim inuolucris intestinorũ, propter molliciem: & quũ acres sint natura ac mordaces, adhærentes ulcerant intestina, & affectiones neruorũ per cõsẽsum inferũt, torminaq; ac cõtractiones. Quare multa animaduersione opus est, ut leuissimã ipsam faciamus cũ aqua mulsa. Quod si mitius purgare uolueris, sumito colocynthidẽ iustę magnitudinis, eamq; aperito supernè, & semen totũ eximito. Deinde quicquid tomẽti speciem præ se fert in ipsa, rursus citra semen in ipsam indito, & repletam ipsam sapa aut uino dulci ueteri, per diẽ ac noctẽ macerari sinito. Deinde excolatũ per pãnũ uinũ calefactũ bibẽdũ dato. Purgat optime & morbũ regium, & eos qui pustulas liuidas circa cutem habent.

Tithymalus. *Cap. XXXVI.*

Tithymalus pituitam & bilem ducit. Dantur ipsius ramuli uirides accepti, & in testaceo quopiam uase parum fricti, deinde triti. Miscẽtur aũt ex ipsis scrupuli quatuor aut tres cum polenta in aqua, & bibuntur. Nam aridiores ramuli impotentiores sunt. At uero tithymali characitæ radicem accipe, & siccato in umbra. Deinde usus tempore corticẽ detrahito, tundito ac cribrato, & quatuor scrupulorũ pondus in uinum dulce uetus mittito, & per diem ac noctem macerari sinito, & excolatũ per pannũ uinũ calefactũ bibendũ dato. purgat maximè, ut aliqui in omnibus ipso utãtur uelut quopiam arcano. Bene & citra molestiam purgat etiã succus tithymali circa aquas in humidis locis ac syluis nascẽtis, exceptus sale, aut pane arido trito, ita ut ex hoc nucis auellanę magnitudo detur cũ frigida aqua. At succus tithymali à quibusdã datur, aut cũ caricis, aut cũ polenta, guttę quatuor aut quinque. Verũ ualde exulcerat linguã, & partes circũcirca sitas, & potus multum calorem in uentre facit.

Isium. *Cap. XXXVII.*

Isij corticem siccato, tundito, ac cribrato: & ex eo scrupulos V. aut VI. dato, macerans uelut dictum est in passo, & excolans, ac passum ipsum exhibens. Purgat autem magis pituitam. Quam diu uero uolueris ferri uentrem, ne ablues anum aqua, sed linteo deterge. Quum autem satis purgatum te putaueris, laua anum aqua frigida, & manuũ ac pedum extremitates aquæ impone, & sistetur fluxus.

Elaterium. *Cap. XXXVIII.*

Elaterium purgat pituitam & bilem. Dato obolos tres cum lacte recens mulcto heminæ unius mensura. At obolus habet siliquas tres.

Granum cnidium. *Cap. XXXIX.*

Granum cnidium purgat magis aquosa ac serosa. Purgat etiam pituitam & bilem moderatè. Est aũt feruẽs & acutissimum. Dantur ex eo grana triginta. Si uero mitius purgare uoles, dato grana uiginti, aut quindecim. Dato autẽ internam granorũ partẽ tritã cũ polenta, & uino immissam bibere iubeto, à potu uero parum olei rosacei aut melini absorbere oportet, ne fauces exurantur. Præstat autem terere & efformare catapotia cum cocto melle

Agaricum. *Cap. XL.*

Agaricum purgat pituitã & bilem, sed non acutè. Dantur drachmæ duæ cum aqua mulsa aut aceto mulso. Est autem stomacho incommodum, eò quòd leue sit, & in ipso supernatet.

Cnici semen. *Cap. XLI.*

Cnici semen purgat pituitam, non tamen fortiter. Huius seminis drach. V. tritas mitte in ius gallinæ aut ptisanæ, & excolatum bibendum præbe. Quidam internam Cnici partem drachmę pondere accipiunt, & terunt cum amygdalis & aniso, & cum melle cocto catapotia formant ac exhibent arquato affectis. Et conueniens quidem, sed leuius est hoc.

Lathyris. *Cap. XLII.*

Lathyris pituitam magis ducit. Danda sunt eius grana XV. maiora, aut uiginti de minoribus. Et qui quidẽ efficacius purgari debent, his præcipiendum est ut manducent. Qui uero non ualida neq; multa euacuatione opus habent, integra deuorẽt, maxime si uitiosum stomachum habet is qui accipit.

Aristolochiæ clematidis semen. *Cap. XLIII.*

Aristolochiæ clematidis semen siccum tritum duarum drachmarum pondere bibitur, & purgat pituitam ac bilem. Est autem stomacho gratum.

Mercurialis. *Cap. XLIIII.*

Si mercurialis tenera folia cocta comederis, abũde stercus expellunt. Si uero decoctum uino mixtum biberis, moderatè stercus educit.

Cucumis syluestris. *Cap. XLV.*

Cucumeris syluestris radicis cortex, duorũ obolorũ, hoc est, siliquarũ sex põdere, potus cũ aqua mulsa, ducit pituitam multam citra molestiam, ita ut neq; stomachum

machum lędat.

Styrax. Cap. XLVI.

Styrax pinguis flauus datur drachmarum duarum pō dere, cum ęquo pondere terebinthinæ in pilulas coactus ducit pituitam multam citra molestiam.

Thymus. Cap. XLVII.

Thymi cacumina tusa trita dato cum posca, & modico sale: ad drachmarum quatuor aut trium pondus. purgat enim citra molestiam & abunde pituitā ac bilē.

Cyclaminus. Cap. XLVIII.

Cyclamini radicis leuissime tritę drachmę tres aut quatuor pro uiribus cum aqua mulsa potæ, purgant pituitā & bilem. Maxime uero per sudorem purgant. Quare qui bibit reclinari debet, & corpus integumētis ponere, & sudorum exclusionem iuuare.

Scordium. Cap. XLIX

Scordium tenuissime tritum, duarū drachmarum pondere ex aqua mulsa potum, ducit pituitam.

Chamæpitys. Cap. L.

Chamæpityos drachmæ duæ tritæ, & cum ficubus aut cocto melle in catapotia coactæ & exhibitæ, multam pituitam ducunt.

Bdellium. Cap. LI.

Bdellium arabicum pellucidum & flauum, drachmarum duarum pondere tritum potum, cum aqua mulsa, purgat pituitam.

Aquam ducentia. Cap. LII.

Aquam ducentibus utendum est, & in hydropicis qui ex ascite intercute aqua laborant, & in fœminis quę diuturno albo fluxu uexantur, & ad fluida ulcera.

Squama æris. Cap. LIII.

Squama æris aquam purgat. Datur drachma una & dimidia cum aqua mulsa. Non solum autem aquam ducit, sed etiam pituitam. Ducunt porrò aquam etiā aliqua ex relatis, uelut granum cnidium, & cnicus. At cucumeris syluestris radix conuenientissima est hydropicis minimeq; molestiam affert.

Euphorbium. Cap. LIIII.

Euphorbium ducit quidem pituitā, magis uero aquā. Est autem acutissimum inter ea quæ ego noui & feruentissimum. Vnde & colicis datur, & his qui frigidiores uētres habēt. Reliquos fortiter turbat, & ualidā sitim inducit. Miscebis cū ipso aliqua odorata semina, dās ex eo obolos tres cū aqua mulsa. Præstat autem cū melle cocto in catapotia ipsum efformare.

Chamelæa. Cap. LV.

Chamelæa cocta in aqua mulsa & pota, aquosa magis ducit. Purgat autē etiam pituitam & bilem. Immittātur ex ea drachmæ quinq; in duas heminas aquę, & fiat coctura ad dimidias. In fine cocturæ mellis moderata portio addatur, & modica facta coctura, coletur ac bibendū præbeatur. Aliqui cōtusæ tritæ chamelææ drachmas duas cū duplo comæ absinthij cōmittunt, & cum melle formata catapotia præbent.

Sanguinem purgantia. Cap. LVI.

Sanguinem purgat porri capitati succus, mercurialis, uiola alba, malua syluestris, saluia.

Methodus componendi purgantia pharmaca. Cap. LVII.

Quæ quidem per se purgare possunt simplicia pharmaca, talia sunt uelutiā expressimus ac præscripsimus. Non fuerit autem difficile etiam mixturas ipsorum facere, his qui ex iam prædictis singulorum uires didicerunt. Si quis enim ex relatis duo miscere uelit, dimidium pondus de dosi singulorum accipere oportet: Si uero tria, tertiam iusti ponderis partē. Si uero plura, iuxta eādem proportionem. Facimus aūt ipsorum mixturas, ubi non fuerit unus humor qui infestat uelut pituita, aut bilis, aut aqua, sed omnia simul. Et si quidē putauerimus æqualiter redūdare humores, æqualiter ipsa miscemus in cōpositione. Vbi uero unus plus alijs redundarit, amplius ammiscemus de his quæ talem humorem euacuare possunt. Primum igitur uolo ea mollientia pharmaca aluum subducentia subiungere, quæ in cibo sumūtur. In cibo enim medicamētum optimū est, inquit Hippocrates: quo etiā sanis naturaliter adstrictam aluū habentibus, hæc speculatio utilis fiat. Fortassis autē & his qui se ex morbo recolligunt. Insuper & his qui ex diuturno morbo ægrotant, hæc pharmaca auxiliaria fient, si unum aut alterum simplex pharmacū iucūdis edulijs fuerit ammixtū, aut ad uentrē molliendum, aut si etiam redundantem humorem paulatim & latenter euacuare uolumus. Incipiamus igitur à potionibus propomata appellatis.

Vini purgantis bilem præparatio. Ex Theone. Cap. LVIII.

Casiæ unc. I. scammoniæ unc. I. uini sextar. VI. Hæc tenuissima trita linteolo illigentur, & hoc exacte constrictum in uinū suspendatur, ac sinatur ad dies quinque. Deinde ex hoc uino dato ante cibū potionē perfectam, cum aqua calida. Creditur bilem purgare.

Vinum pituitam ducens. Cap. LIX.

Lathyridum purgatorum unc. I. spicæ nardi drach. III. uini sextar. V. præpara uelut prædictum est, & utere. Creditur pituitam leuare.

Vinū melancholicis cōmodum. Cap. LX.

Polypodij unc. I. tusam, cribratam, & linteo illigatam in uini sextarios V. suspendito. & ad dies septem sinito macerari. Et dato potionem uelut dictum est.

Aliud Vinum polypodites Cap. LXI.

Vini dulcissimi sexta. VI. mastiches sextantem, epithymi drach. IIII. radicum polypodij non ueterum derasarum lib. II. radices polypodij purgatas tunde in crassiores partes, & coque cum passo, immisso etiā epithymo ac mastiche. Quū autē ad tertias redactū fuerit, aufer ab igne, & frigefieri sine, & ad excolatū spicæ nardi contusæ ac cribratę scrupulos III. insperge. præstat autem hanc in mortario counire, deinde fictilibus paruis picatis excipere, & osculo uasorum oblito adseruare. Dabis autem in prandio potionē magnam inter medios cibos, aqua calida tēperatam. Est hoc iucundissimum & efficax. Pręparatur hoc in Babylone Phœnices, laudaturq; ac quoquò uersus nauibus aduehitur.

Vinū mulsum stercus exigēs. Cap. LXII.

Vini sextarios V. mellis sextar. I. mastiches quadrantē. Mastichen tritam & linteo illigatam in uino mulso suspende, & ad dies septem macerari sine. Et dato ante cibum potionem unam calida aqua temperatam. Optime hoc stercus educit, & stomacho commodū est. Euacuat etiam pituitam.

Vinum mulsum flauam bilem ducens. Cap. LXIII.

Scāmonię dra. I. spicę nardi drach. I. tusa cribrata & linteo illigata, in uini sextarijs V. macerato, & mellis sextar. I. & utitor.

Vinum mulsum pituitam ducens. Cap. LXIIII.

Cnici seminis purgati drach. IIII. & uini sextar. V. & mel

mellis sexta.I.accipito. Et cnicum in crassas partes cõtusum ac linteo illigatum macerato, utitorq; uelut dictum est.

Vinum mulsum atrã bilẽ euacuans. Cap. LXV.

Polypodij drach.III. Vini sextar.V. mellis sextar.I. tunde, cribra, macera, & utere.

Conditum ad flauam bilem. Cap. LXVI.

Piperis drach.III. scammoniæ unc.I. seminis apij drac.I. uini sextar.V. mellis sextar.I. terito species per se primum, deinde etiam cum melle, & postea uinum adde, & sine ad dies quinq;, & utere.

Conditum pituitosis. Cap. LXVII.

Lathyridum unc.I. piperis unc.I. seminis anisi, apij, singulorum unc.I. uini sextar. V. mellis sextar.I. præpara uelut dictum est, & utere.

Conditum melancholicis. Cap. LXVIII.

Polypodij unc.I. piperis unc.I. seminis apij drach.I. Vini sextar.V. mellis sextar.I. præpara uelut dictum est & utere.

Absinthati præparatio flatus & stercora euacuans. Cap. LXIX.

Ligustici drac.I.s. cumini drach.I. spicæ nardi scrup.II. floris iũci odorati scrup.VI. mastiches scrup.VI. Vini sextar.V. mellis sextar.I. tusa ac cribrata terito cum melle, & uinum ammisce, excipe & utere post dies quinque ante prandium.

Absinthatum flauam bilẽ ducens. Cap. LXX.

Costi drach.I. mastiches drach.IIII. rosarum siccarum drach.II. spicæ nardi drac.II. floris iunci odorati drachmã I. aloes unc.I. scammoniæ unc.I. mellis sextar.I. uini sextar.V. præpara & utere uelut dictum est.

Absinthatũ ad pituitosos. Cap. LXXI.

Mastiches drach.IIII. costi drac.IIII. folij indici drach.I. spicę nardi drachm.I. floris iunci odorati drach.I. casię drach.I. polypodij unc.I. mellis sextar.I. lathyridum purgatorum unc.I. uini sextar. V. præpara & utere uelut dictum est.

Rosatũ flauã bilẽ ducens. Cap. LXXII.

Rosarum exunguium recentiũ lib.I. uini ueteris sextar.VI. mellis sextar.I. Rosæ ad diem unam præsiccatæ mittuntur in uinum, & macerantur per dies nouem. Deinde uinũ excolatur & adijcitur melli prius trito cum scammoniæ unc.I. oportet autem tundere ac cribrare scammoniam, atq; sic leuigare cum melle. Postea uero recondatur in uasa, quæ exactè cooperta suspendes in puteum aquę frigidæ, & sines per dies septem aut nouem. Deinde extrahe & alios triginta dies sine, & sic propomate utere.

Rosatum pituitam, & serosum ac atræ bilis humorẽ euacuans. Cap. LXXIII.

Si præcedẽs descriptio acceperit grani cnidij unc.I. absque scammonia, euacuat serosum humorem & pituitam. Si lathyrida solum, pituitam euacuat. Si epithymum solum, atræ bilis humorem expurgat.

Mellis rosacei purgatorij præparatio. Cap. LXXIIII.

Mellis lib.I. succi rosarũ lib.I. mastiches drach.IIII. piperis drach.II. zingiberis drac.II. scammoniæ scrup.VIII. coquito mel cum rosarum succo ad compagẽ mellis liquidioris. Deinde insperge scammoniam & mastichen leuissime trita, & parum coque, & ablata ab igne cum reliquis in mortario unito & sepòito, & dato cochlearium. Euacuat flauam bilem. Quidã uero simpliciorem præparationem facere uolentes, præmacerant modica aqua scãmoniã, deinde feruefaciũt: & detracto superstãte ipsius cõcremẽto excolãt, & leuigatã ad mel rosaceũ adijciũt, & simul coquũt uelut dictũ est. Si uero lathyridũ unc.I. acceperit prædicta præparatio mellis rosacei, absque scammonia, purgat pituitam. Si uero polypodij acceperit unc.I. atræ bilis humorem euacuat. Verum efficacior fit, si pro polypodio epithymum acceperit.

Aceti purgatorij præparatio. Cap. LXXV.

Scammoniæ unc.I. aceti sextarios V. terito simul, & sinito ad dies quinque, & dato ad intinctus cum cibo cochlearium I. aut II. purgat flauam bilem. Si uero pro scammonia, inieceris lathyridũ un.I. purgat pituitam. Si uero epithymi unc.I. inieceris, euacuat atræ bilis humorem.

Aceti mulsi purgatorij præparatio. Cap. LXXVI.

Mellis despumati sexta.I. aceti acerrimi sextar.I. coquito simul usque ad mellis compagem, deinde adijce epipetri triti ac cribrati unc.I. utere ad intinctus; aut cũ aqua dato bibere cochlearia II. circa horam tertiã ieiunis. Euacuat bilem, si uero non affuerit epipetrũ, scammoniæ inijce unc.I. Aliud acetum mulsum. Mellis despumati sextar.I. aceti sextar. I. coquito simul ad compagem. Deinde inijce cnici internam partem purgatam & tritam pondere unc.I. & sine ad dies quinq;, et utere utuoles. purgat pituitã. Aliud. Mellis & aceti singulorũ sextar.I. coquito, & thymi leuissimè triti un.I. addito, & sinito per diem, ac utitor. euacuat atræ bilis humorem. Omnia uero quæ prædictis aceti mulsi præparationibus inijciuntur, linteolo illigata macerentur.

Acetum mulsum purgans omnes uitiatos humores. Cap. LXXVII.

Comæ hyssopi sesquiunciam, origani un.I. pulegij sesquiũciã, marrubij un.I. epithymi, seminis cnici, cacuminũ thymi, agarici singulorũ un.I. polypodij sextãtẽ, scãmoniæ un.I. scrup.VI. aceti sequisextariũ, aquę sexta.I. mellis lib.II. sapę sexcũcẽ. Herbas pręmaceratas aceto & aqua ad tertias decoquito & excolato, & mel addito, ac rursus coquito ad bonã cõpagẽ. Et scãmoniã, epythymum, agaricũ, trita ac tenuissimo cribro excreta, in mortario ammisceto. Et ubi moderatè purgare uolueris, scrupulos XV. exhibeto, medio uere modo scrup.XX. At uero fortibus perfectã dosim exhibere potes, unciã I. Quidã etiã alypiadis unciã I. addũt. Aliud flatus euacuãs. Aceti sextar. I. mellis sexta.I. bacarũiuniperi dra.IIII. piperis un.I. zingiberis un.I. petroselini drach.IIII. seminis apij, ammij, ligustici, anisi, epithymi, singulorũ drach.IIII. cumini drach.II. seminis anethi drach.II. polypodij unc.I. præpara & utere uelut prædictum est. Conuenit colicis.

Acetum mulsum quod colicis ac nephriticis per sedem infunditur. Cap. LXXVIII.

Centaurij unc.I. alypiadis recentis sextãtem, rutæ uiridis sextantẽ, marrubij, agarici, casiæ, iridis, hyssopi, pulegij, singulorum drach.IIII. scillæ unc.I. aceti sexta.III. mellis sextar.I. omnia aceto macerata ad tertias coquito & colato, & adiecto melle ad mellis liquidioris cõpagẽ coquito. Deinde scãmonię tenuissimè tritæ un.I. spicę nardi unc.I. purgatorij medicamenti ex fœniculo unc.I. inspergito, & unitis utitor hoc modo, ubi p̃uacuaris colicũ per clysterẽ stercora educentẽ, accipe aceti mulsi cochleariũ, & dissolue cum

cum succo ptisanæ, & infunde. Vtere similiter & in nephriticis pituitosioribus. Euacuat pituitam citra molestiam & sanat.

Acetum mulsum amarum. Cap. LXXIX.

Fœniculi uiridis unà cum radicibus fasciculũ I. apiȷ cũ radicibus, rutæ uiridis singulorum fasciculum unũ. aceti sextar. II. & dimidium, hoc est libras V. mellis sesquilibram. Coquito herbasq; cum aceto ad tertias & excolato, & mel ad acetum indito, & coquito donec mellis liquidioris cõpagem habuerit. Deinde aloës primariç unc. I, in mortario terito ac cribrato, & ad ipsam paulatim acetũ mulsum addito, unito, excipito ac utitor: exhibetur ex eo cochlearium unum, ita ut ab ipso absorbeatur aqua calida. Caput egregiè purgat. Est autem & stomacho gratũ. Acetum mulsum uentrem emolliens, Prosomilitæ, pulegiȷ, origani, thymbræ syluestris, polypodiȷ, singulorum unc. I. radicum apiȷ drach. IIII. radicũ anethi scrup. VI. agarici, epithymi, scammoniæ, singul. unc. I. mellis sextar. I. aceti sextar. I. macerato species & coquito uelut acetum mulsum. Vbi uero deuenerit ad bonam compagem, tollito ab igne, & adiȷce scammoniam, epithymum, & agaricũ. Et dato quadrantem cum aqua calida.

Posca aluum emolliens. Cap. LXXX.

Cymini quadrantem, hyssopi sesquiunciam, ammiȷ sexquiunciam, pulegiȷ sesquiunciam, petroselini drach. IIII. cacuminum thymi drach. IIII. zingiberis unc. I. seminis cnici unc. I. piperis drach. IIII. epithymi drach. IIII. salis capadocici dodrantem. Tundito & cribrato, & aridum seruato. Vsus tempore dato cochlearium I. ex posca.

Alia posca ualde clara. Cap. LXXXI.

Cumini quadrantem, pulegiȷ sesquiunciam, fœniculi sextantẽ, seminis apiȷ sextantem, anisi sextantẽ scrup. VIII. scammoniæ trientem, epithymi quadrantem, salis communis bessem aut libram I. Tundito, cribrato, & dato cochlea. I. ex posca, purgat imperuersè.

Gari purgatoriȷ præparatio. Cap. LXXXII.

Scãmoniæ drach. IIII. piperis grana L. gari nigri quadrantem, misce, utere ad intinctus, aut quomodo uolueris, purgat bilem. Aliud. Cnici grana XX. piperis grana L. gari quadrantem. Internam cnici partem tritam unito ac utitor. purgat pituitam. Si uero pro cnico adieceris lathyridas, efficacius facies. Si uero polypodiȷ drach. IIII. inieceris, atræ bilis humorem euacuat. Efficacius autem euadit, si pro polypodio, epithymi drach. IIII. aut tres inieceris.

Mellis emollientis præparatio. Cap. LXXXIII.

Fœniculi uiridis manipulũ I. aquæ sextar. III. coquito ad tertias, colato, & adiȷcito mellis lib. I. & coquito ad cõpagem mellis, et dato ex eo cochlearia. III. purgat bilem flauã. Si uero pro fœniculo, seminis cnici interiorem partẽ adieceris unciæ I. pondere, purgat pituitam. Si uero polypodium aut epithymũ eodẽ pondere simul coques, purgat atræ bilis humorem.

Garum aquosum. Cap. LXXXIIII.

Gari unc. I. piperis grana L, seminis apiȷ obolum I. hoc est siliquas III. mellis cochlea. I. aquæ quadrantem, scammoniæ scrupu. I. s. aut II. Reliquis coctis & ab igne ablatis ammisceto scammoniam, & dato ante cibum. Si uero pro scammonia, seminis cnici granorum uiginti internam partem adieceris, purgat pituitam. Si uero polypodiȷ drach. IIII. adieceris, purgat atræ bilis humorem.

Garum uinosum purgatorium. Cap. LXXXV.

Gari conchulas II. uini conchulam I. piperis grana XX. ligustici scrup. I. scammoniç scru. I. mellis parũ, utere. Purgat bilem. Si uero cnici granorum XX. internam partem inieceris pro scammonia, purgat pituitam. Si polypodiȷ drach. IIII. atram bilem.

Garum acetosum purgatorium. Cap. LXXXVI.

Seminis apiȷ drac. I. piperis grana L. cumini obol. I. succi cyrenaici siue laseris tantundẽ, scammoniæ scrup. I. gari unc. I. aceti quadrantem, utere. purgat bilem. Si uero pro scammonia, cnici granorum uiginti internam partem adieceris, purgat pituitã. Si uero polypodiȷ drach. IIII. atræ bilis humorem euacuat.

Iuscula emollientia. Cap. LXXXVII.

Aquæ sextar. I. olei conchulã I. gari parũ, salis pauxillum, anethi modicũ, omnia donec succulẽta fiant coquito. Deinde granorũ cnici XX. internã partem indito, & dato. Euacuat pituitam. Si uero polypodiȷ drach. IIII. contusas ac cribratas insperseris iusculo perdicis aut phasiani, purgat atræ bilis humorẽ. At uero scammoniã non probo in iuscula cõiectam, eò quòd experimento compererim inidoneam esse.

Lac purgatorium. Cap. LXXXVIII.

Lactis asinini aut caprini heminam I. scãmoniæ scrup. II. misceto ac exhibeto. purgat bilem. Si uero cnici granorum XX. internam partẽ inieceris, euacuat pituitam. At uero polypodium aut epithymum non probo ut lacti misceantur, eò quòd tingant lac, & nõ potest hoc latere accipientem. Plerīq; enim ob timiditatem purgari non uolunt.

Oliuæ purgatoriæ. Cap. LXXXIX.

Piperis drach. I. epithymi drach. II. silphiȷ drac. I. mentç uiridis drach. I. comæ pulegiȷ drach. I. cymini drach. I. rutæ drach. I. scammoniæ unc. I. palmularum pinguium sextantem, mellis sextar. I. aceti sextariȷ dimidium, oliuas muria conditas CXX. numero. omnia prædicta per se tenuissimè territo, & deinde cũ aceto mulso. Postea oliuas singulas ter lãcinatas iniȷcito, & sinito ad paucos dies, ac utitor. dato in cibo oliuas tres, & iusculi cochlearium I. aut II. pro uiribus.

Oxyporia purgatoria. Cap. XC.

Si ad concoctorium medicamentum quod ex malis cotoneis parari solet, cochleariȷ unius mensura acceptum, ammiscueris scammoniç scrup. II. flauã bilem citra molestiam euacuabis. Si uero lathyridum grana XX. addideris, purgat pituitam. Si polypodiȷ aut epithymi drach. IIII. addideris, purgat atram bilem. Similiter autẽ si quoq; diospolitico cõcoctorio pharmaco uteris, idem efficies, & maximè in quibus pituita in thorace residet. Si uero ad cõcoctorium ex calamintha pharmacum ammiscueris medicamenta purgantia, euacuabis omnem citra cutẽ corporis uitiosum humorem, lepras, impetigines, & similia.

Oxyporium ex palmulis. Cap. XCI.

Zingiberis, piperis, cumini, petroselini, singulorũ unc. I. scammoniæ in fermento assatæ ac tenuissimè tritæ unc. II. s. palmularũ pinguiũ carnis triẽtem, foliorũ rutæ unc. I. mellis libr. I. aceti sextar. I. Coquito mel & acetum & palmulas, donec reliqua fiat tertia aceti pars. Deinde rutam cũ palmulis terito, & arida leuissimè trita inspergito ac unito, & paulatim acetũ mulsum coctũ addito, unito ac utitor, uelut admirando & multa experiẽtia cognito pharmaco. Perfecta do-

sis sunt cochlea II. ad adstrictam aluum, dum adhuc in uigore est medicamentum. Si uero nõ ualde fuerit aluus adstricta, pro mensura illius adstrictionis exhibendũ est pharmacũ, aliquando cochleariũ I. s. aliquãdo I. solum. Subducit egregiè flauam bilem. Quapropter & in morbo regio utiliter exhibetur, & tertianarijs, ubi cõcoctio bona in urinis apparuerit. purgat etiã pituitã moderatè. Vtere cõfidẽter in omni tẽpore uelut imperuerso ac minimè curioso. Ego uero etiam his qui absq; rigore febricitant dedi, postquã apparuit cõcoctio in urinis, & cõfestim sanati sunt. In quibus autẽ atram bilẽ purgare uolueris, adde ad prædictam dosim, epithymi scrup. I. aut pro uiribus. Si uero pituita multa insidet, adijce agarici aut isij scrup. I. purgat enim moderatè pituitã.

Purgatorium ex cotoneis malis. Cap. XCII.

Malorum cotoneorum maturorum, magnorũ, odoratorum, fermento oblitorum & assatorũ, carnis purgatæ trientem, mellis despumati quincuncem, piperis drach. II. scammoniæ drach. VI. singula per se terito & unito, ac exhibeto cochlear I.

Purgatorium ex citrio. Oribasij. Cap. XCIII.

Purgat hoc caput, facit ad stomachicos, cœliacos, et qui non possunt forte purgatorium ferre propter imbecillitatem. Vnde etiam pueris citra noxã datur. Est enim stomacho commodum. Citrij corticis ac carnis lib. I. aquæ sextar. I. S. mellis sextarij dimidium, piperis unc. I. scammoniæ unc. I. Citrium in tenues partes secato, & cum aqua ad tertias coquito, deinde colato, & mel ad decoctũ adijcito, ac coquito ad bonam compagem, & reliquias coctorum citriorum terito, ipsisq; arida tenuissimè trita inspergito, et ubi simul triueris, coctam aquam illam mulsam adijcito, & unitis utitor, cochlear I. exhibens.

Purgatorium ex fœniculo ualde bonum. Cap. XCIIII.

Epithymi, zingiberis, piperis, scammoniæ, singulorum unc. I. fœniculi uiridis, rutæ uiridis, apij radicum uiridium, singulorum quadrantem, aquæ sextar. III. mellis libr. III. decocto ad tertias redacto adijce mel, & coque ad bonam cõpagem. Deinde insperge arida, & exhibe cochlear I. magnum.

Aliud ualde stomacho gratum. Cap. XCV.

Fœniculi, cumini, pulegij, apij, singulorum manipulũ, aquæ sextar. III. coquito ad tertias, & colato, & tantundem mellis addito, & coquito ad mellis compagem, & inspergito in mortario scammoniæ leuissimè tritæ unc. I. piperis unc. I. mastiches tritæ drach. IIII. unito datoq; cochleare I. Conuenit flatuosis.

Purgatorium ex fœniculo quod parari solet ad atram bilem. Cap. XCVI.

Scammoniæ sextantem, zingiberis, piperis, singu. unc. I. petroselini scrup. XII. corticis ueratri nigri scru. VI. epithymi unc. I. mellis libras III. succi fœniculi libr. III. Coquito succum cũ melle ad mellis compagẽ, et affundito paulatim ad arida tusa ac cribrata in mortario, & unitis utitor. Datur ex eo cochlear I.

Purgatorium atræ bilis. Oribasij. Cap. XCVII.

Aquæ sextar. III. mellis dodrantẽ, epithymi unc. I. epithymũ tusum ac cribratum inspergito, ubi illa simul ad tertias decoxeris. Dato bibendum pro uiribus. Mihi uero uidetur quarta pars exhibenda esse. his autem qui bono habitu præditi sunt, dimidium.

Aliud purgãs atram ac flauam bilem. Cap. XCVIII.

Scammoniæ, epithymi, singulorũ sesquiunciã, petroselini, zingiberis, mentæ, singulorum drach. II. excipe melle, & exhibe nucis ponticæ magnitudine.

Pastillus flauam bilem purgans. Cap. XCIX.

Piperis, mastiches, nucum pinearum, passularum enucleatarum, singulorũ grana X. cumini grana XV. scãmoniæ scrup. II. plus minus, mellis parum, trita simul dato, uelut pastillum. Huius dosis una est, purgat citra molestiam.

Buccella purgatoria. Cap. C.

Fermenti ex similagine libras II. scammoniæ unc. I. seminis fœniculi, cumini, folij malabathri, singulorũ siliquas III. piperis grana XXXIII. salis cõmunis parum, olei & gari cochlear. II. arida contundito ac cribrato, et cũ fermento mollito, & facias panes paruos duplam latitudinem miliaresij habentes. Torreto in clibano, & exhibeto perfectam dosim sextantem ex hoc pane edendam, quocunq; quis uoluerit modo, saltem ut ieiunus utatur. Est enim maximè alienum ab omni molestia. purgat bilem.

Aloëdaria citra molestiam purgantia. Cap. CI.

Aloës quadratẽ, agarici unc. II. S. scãmoniæ unc. I. bdellij drach. IIII. gũmi uermiculati sextantẽ, excipe succo brassicæ. In his uero qui humore flaccidũ stomachum habent, succo carnis citrij, & forma pilulas ciceris magni magnitudine, & dato perfectis septẽ ieiunis. Si uero uoles, etiã ante cœnã, & post cœnam. Si autem mollire uolueris, tria dabis ex his catapotia. Aliud sine molestia purgans. Scammoniæ sextantem, bdellij unc. I. aloës drac. IIII. gummi drac. IIII. & cum succo brassicæ fac catapotia ciceris magnitudine, & exhibe post cœnam. si mollire uolueris, tria: Si uero purgare, septem ut plurimum, aut quinq;.

Pharmacum pituitam ducens. Oribasij. Cap. CII.

Baccarum lauri recentium sextantem, euphorbij unc. I. mellis quod satis est, ut eclegmatis formã habeat. Datur cochlearij dimidiũ. Redundantibus humoribus plus datũ plus profuit. Vtere uelut optimo. Aliud pituitam euacuãs. Seminis anisi, piperis, casiæ, medullæ colocinthydis, singulorum drach. IIII. grani cnidij, seminis cnici, singulo. drach. IIII. mellis quod satis est, ut eclegma fiat. dato perfectis cochlear I. S. Aliud. Anisi, apij, ammij, piperis, grani cnidij, seminis cnici, lathyridum, singulorum drach. IIII. casiæ drachm. II. mellis despumati quod satis est. Perfecta dosis sunt cochlear. II.

Purgatorium atræ bilis. Philagrij. Cap. CIII.

Zingiberis drach. I. seminis apij drach. II. succi cyrenaici, piperis, ligustici, singulorũ drach. I. epithymi drac. IIII. excipe melle ut eclegma fiat, & exhibe cochlear. II. Aliud. Epithymi, agarici, aloës, singulorũ drac. IIII. corticis ueratri nigri drach. I. hyssopi, iridis, absinthij succi, singulorum drach. IIII. bdellij, gummi, utriusq; drach. I. Si uero nõ affuerit absinthij succus, adijce comæ tantundem, & excipe melle. & dato pro uiribus. Euacuat atræ bilis humorẽ, itemq; pituitæ.

Bilis & pituitæ, & atræ bilis ac reliquorum humorum commune purgatorium. Cap. CIIII.

Lathyridum, medullæ colocynthidis, foliorum chamelææ siccorũ, scammoniæ, epithymi, polypodij, anisi, singulorum drach. X. cacuminum thymi, piperis, mastiches, carpobalsami, casiæ, seminis apij, chamæpityos siccæ, singulorum drac. V. absinthij succi aut comæ drach. V. mellis quod satis est ad eclegma. Dato cochlear I. aut plus pro uiribus. Vtere autem hoc

non

non in omnibus, sed in quibus coniectaueris omnes humores æqualiter in corpore redundare.

Aloëdaria emollientia ex rosaceo melle. Philagrij. Cap. cv.

Aloës sexcũcem, costi, spicę nardi, carpobalsami, floris iunci odorati, singulorum unc. I. casiæ unc. I. agarici drach. IIII. croci drach. IIII. s. comæ centaurij scrup. IIII. mellis sextantem, succi rosarũ trientẽ, epithymi unc. I. rhei scrup. VIII. asari scrup. IIII. ligni balsami scru. VI. mastiches scru. VIII. excipe melle rosaceo, & da pro uiribus. Aliud ex rosaceo melle, molliens uẽtrem sine omni molestia. Vtere uero ipso ad articulorũ, & maximè coxendicũ dolores, itemq́ lumborum. Aperit etiã iecoris obstructiones. Isij scru. VIII. agarici drach. IIII. aloës sextantẽ, spicæ nardi scrup. VIII. floris iunci odorati scru. VIII. croci scru. IIII. casiæ scru. XVI. costi scru. VIII. carpobalsami scru. VIII. mellis rosacei quadrantẽ & scru. VIII. terito & formato catapotia cũ melle rosaceo, & quinq; exhibeto, post cœnam quotidie si uoles, aut alternis diebus, aut prout uisum fuerit. Exterget enim stomachum & articulos, præcipue uero purgat pituitam. Est autem consueto more prandendũ ac cœnandũ. Aliud bilem & pituitam ducens. Absinthij comæ tusæ ac cribratæ, aloës tenuissimè tritæ, utriusq; unc. I. excipe succo tithymali, maximè myrsinitæ, & efformato catapotia phaseli magnitudine. & dato III. tãtum.

Aloëdarium ex Philagrio. Cap. cvi.

Purgat hoc bilem & pituitã. Colocynthidis medullæ, aloës, scammonię, singulorũ drach. V. succi aut comę absinthij drach. V. excipe succo brasicæ, & fac catapotia ciceris magnitudine, & exhibe perfectis XXI. Aliud, & ipsum multo experimento cognitum. Euacuat autẽ tres humores. Aloës, epithymi, scammoniæ, singul. drach. II. colocynthidis, agarici utriusq; drach. I. excipe succo brasicæ. Et dato catapotia XV. Aliud quod in Tyro præparatur. Scãmoniæ sextantem, aloës drach. I. mastiches, bdellij, piperis, absinthij, singulorum drachm. I. excipe succo medij citrij ac corticis, & fac catapotia. Et dato septem aut nouẽ. Si uero uoles probe purgare, habeant catapotia exhibenda pondere scrup. IIII. s. & amplius.

Aloëdarium Oribasij. Cap. cvii.

Conuenit hoc maximè lippientibus. Euacuat autẽ magis bilẽ flauã & atram. Scãmoniæ unc. I. corticis ueratri nigri unc. I. salis ammoniaci drac. I. radicis panacis drach. III. piperis, pulegij, utriusq; drac. I. efformato cũ aqua pilulas fabis græcis similes. Et dato ex eis septẽ mediã dosim, ita ut habeãt septẽ, drachmam unã & obolos duos. Aliud, Oribasij. Aloës sextãtem, spicæ nardi, asari, mastiches, croci, xylobalsami, sing. drac. VI. casiæ drach. XII. epithymi drac. XII. formato catapotia erui magnitudine, cũ decocto pulegij. Et dato XXI. Hoc quartanarios sanat. Possunt etiã cum melle cocto efformari.

Sal purgatorius. Cap. cviii.

Salis ammoniaci sexuncẽ, silphij drac. II. seminis apij drach. II. zingiberis drach. I. piperis drac. III. folij indici, spicæ nardi, pulegij, singu. drach. I. scammoniæ unc. I. Datur cochleariũ unũ. Euacuat bilem. Aliud. Salis ammoniaci sexcũcẽ, seminis apij drac. I. zingiberis drach. II. piperis drach. III. spicæ nardi drach. I. pulegij scrup. III. s. folij scru. I. lathyridũ unc. I. dato cochlearium. Euacuat pituitã. Aliud. Salis ammoniaci sexuncẽ, zingiberis drac. IIII. piperis drac. II. anisi, seminis apij, utriusq; drach. II. folij scrup. I. epithymi unc. I. dato cochleariũ. Euacuat atræ bilis humorem. Sal subducens & euacuans circũsitam in uentre ac intestinis pituitam, & reliquos humores. Purgat moderatè etiã bilem. Cõuenietiss. est arthriticis, uertiginosis. hoc usus est quidã stomachicus, & frequẽter ex comitiali morbo cadere solitus, & ingentes gratias egit. A morbis uero præseruat familiariter ipso utentes. Petroselini drach. III. mastiches scrup. III. zingiberis drach. III. piperis, euphorbij, utriusq; scru. VI. salis ammoniaci drach. XV. scãmoniæ drac. VI. Datur cochlearij dimidiũ in prãdio, cũ carnibus uolucris aut gallinæ, aut piscis, ad intinctus. Sit autẽ pondus scrup. IIII. s. Si uero efficacius purgare uoles, dato ieiuno mane cũ succo ptisanæ, aut cum aqua mulsa, scru. VI. fortioribus etiã VII. dare potes. Debilioribus uero scru. III. aut IIII. s. Aliud purgatoriũ purgãs citra periculũ non euertens stomachũ. Datur in omni tempore, & omni ætati, & pueris. Educit stercus & omnẽ materiam corruptã, à capite usq; ad ungues. Remouet furfures & reliquas circa caput nascẽtes pustulas. Facit ad uertiginẽ, lippiẽtes. Medetur omnibus circa cutẽ pustulis. Sanãt tertianam, quartanam, quotidianã, in interuallis exacerbationum datum, ubi concoctio bona in urinis apparuerit. Bilem autẽ præcipuè euacuat. Habet hoc modo. Zingiberis, petroselini, epithymi, sylphij, ammij, seminis apij, cumini, ligustici, piperis, singul. drach. IIII. scãmoniæ quadrantem & unciæ dimidium. salis ammoniaci tosti septuncẽ. Torreto salem ac tundito cũ reliquis. Scammoniã uero tritam cribratam unito in mortario, & dato scrup. IX. cũ succo ptisanę aut aqua mulsa meraciore. Aliud cõsimile, acutius experimento constans, imperuersum, euacuat magis bilem. Ammij scrup. VI. seminis apij scrup. III. piperis, petroselini, epithymi, cumini, singulorum scrup. IIII. s. scammoniæ unc. I. salis cõmunis quincuncem, salis ammoniaci trientem, datur cochlearium cũ ptisana. Aliud experimento constans ualde bonum. Epithymi scrup. XVIII. cacuminũ thymi scrup. VIII. salis ammoniaci scrup. VIII. piperis scrup. II. cumini Aethiopici, anisi, utriusq; scru. II. mastiches scru. XII. contusa trita adseruato. Vsus autẽ tẽpore scammonię scru. II. sumito, ac terito cũ modico melle, et adijcito aridi triti adseruati medicamẽti scrup. II. tantũ, & unito ac dato cum ptisanæ succo aut aqua mulsa.

Purgatoriũ pituitam ducens. Diogenis. Cap. cix.

Euphorbij, piperis, salis ammoniaci, singulorũ unc. I. terito & redigito in puluillum, & dato in ouo sorbili cochlearij dimidium. hoc purgat pituitam solum. Dosis perfecta sunt scrup. IIII. s. Aliud flauam bilem purgans. Scammoniæ unc. I. costi, spicæ nardi, utriusque scrup. IIII. s. radicis rubiæ leuissime tritæ scru. II. perfecta dosis sunt scrup. III. media II. minima I. Aliud atram bilem euacuans. Scammoniæ in malo assatæ drach. V. costi, spicæ nardi, utriusque scrup. IIII. s. cariophylli scrup. I. s. radicis rubię scru. II. epithymi scrup. II. perfecta dosis scrup. VI. media IIII. s. minima III.

Purgatorium aquam ducens. Oribasij. Cap. cx.

Ducit hoc item pituitam, piperis, seminis rutæ, scobis siue ramentorum eboris, euphorbij, æquales partes. Dantur scru. III. cũ aqua mulsa aut cõdito, facit & ad colicos

colicos & hydropicos. Aliud aquam ducēs. Petroselini, anisi, cacuminū thymi, singulorū drach. III. foliorum chamelææ siccorum drach. X. mellis quod satis est ut eclegma fiat. Dato perfectā dosim cochlear. IIII.S. Si uero efficacius facere uoles, ammisce prædictis squamę æris drach. VI. Et dato perfectam dosim cochlear. III.

De Hieris. Cap. CXI.

Hiera Logadij. Medullę colocynthidis sextantē & unciæ dimidium, scillæ assatæ, agarici, ammoniaci thymiamatis, thymi, scāmoniæ, singu. drach. XX. corticis ueratri nigri, hyperici, utriusque drach. X. epithymi, bdellij, polypodij sicci, aloēs, chamędryos, marrubij, casiæ, singulorū unc. I. myrrhæ troglodyticę, piperis albi, lōgi, nigri, cinamomi, croci, opopanacis, sagapeni, castorij petroselini, aristolochiæ lōgæ, sing. drac. IIII. excipe melle. Dosis perfecta sunt drach. IIII. media III. minima II. adijce ad dosim dum exhibiturus es salis tenuissimè triti cochlearij dimidium.

Purgatorium citra molestiam purgās. Cap. CXII.

Facit ad ischiadicos, & qui per circuitū diuturnè uexatur. Medullæ colocynthidis unc. I. nitri sextantē. terito probè, & dato robustis drach. I. cū aquæ mulsæ potione magna ieiunis. Debilibus uero siliquas nouē. Vtere cōfidenter. Aliud eximiū. Ad principia insaniæ, melācholicis, paralyticis, ischiadicis, uertiginosis, comitiali morbo laborantibus, alopecijs, capitis doloribus. Veratri nigri, scāmoniæ, utriusq; drach. VIII. salis ammoniaci drach. IIII. gūmi drac. I. efformato catapotia ciceris magnitudine cū succo brassicæ, & dato pfectis scru. V. Media dosis sunt scru. IIII. Minima III. his qui ualde debiles sunt. Est hæc descriptio Oribasij, cap. LXXVII. desunt autem huic species tres. Purgatoriū medicamētū, Prosomilitæ, epithymi quadrantē, isij unc. I. agarici drac. IIII. euphorbij drach. VI. spicæ nardi, folij, costi, piperis, singulorum drach. XXX. caryophylli scru. VI. Dātur ex hoc scrup. VI. cum aqua mulsa. Si uero bilem flauam repereris cum alijs duobus humoribus redundantem, adde ad hanc dosim usus tempore etiam scammoniam, quantum satis esse iudicaueris pro uiribus. Habet autem hæc dosis, isij siliquas quinq;, epithymi scrup. I.S. agarici siliquas II.S. euphorbij siliquas III.

Hiera Galeni. Cap. CXIII.

Medullæ colocynthidis sextātem & unciæ dimidium, chamædryos, agarici, scillæ assatæ, ammoniaci thymiamatis, scammoniæ, corticis ueratri nigri, stœchadis, hyperici, singulorū sextantem, epithymi, euphorbij, utriusq; drach. VIII. polypodij sicci, bdellij, aloēs, marrubij, casiæ, singulorū sextantem. myrrhæ trogodyticæ, sagapeni, croci, aristolochiæ longæ, piperis albi, longi, cōmunis, cinamomi, opopanacis, castorij, petroselini, singulorū drach. IIII. Mellis quod satis est. Dato perfectam dosim drach. IIII. Mediam III. Minimam II. cū aqua mulsa & salis tenuissimè triti cochleario dimidio. Maxima porrò est huius utilitas: purgat enim ex profundo uarios humores excellēter, ita ut neq; exolutionē, neq; tribulationē, neque debilitatē, neq; inappetentiā, neq; aliā angustiam ægro accipienti exhibeat. Sed potius facile sperantes & hilares & robustos efficit, ut mirabilis sit ipsius excellentia. Sanat itaq; hemicranicas affectiones, uertigines, comitialē morbū, insaniā, melācholiā, lethargum & similia, hebetudinē uisus, grauitatē auditus, uocem interceptam, anhelosos, stomachicos, affectiones antiquas, splenicos, nephriticos, colicos, ischiadicos, arthriticos, podagricos. Ducit menses. Conuenit tremulis, & resolutis, impetiginem feram, & omnes circa cutem corporis nascentes pustulas, & elephantiasim, & febres diuturnas per circuitum repetentes sanat, & omnia maligna ulcera.

Hiera Archigenis, ex epistola ad Marsum de atra bile. Cap. CXIIII.

Medullæ colocynthidis sextantē & unciæ dimidium, chamędryos, agarici, marrubij, stœchadis, sing. drac. X. opopanacis unc. I. sagapeni unc. I. petroselini, aristolochiæ rotūdę, piperis albi, sing. drach. V. cinamomi, spicæ nardi, myrrhæ troglodyticæ, polij, croci, singu. drach. IIII. excipe melle despumato, ut habeat strigmētitiā crassitudinē, & repone in uitreo uase. pfecta dosis sunt drach. IIII. (In alio exēplari addūtur scru. III.) cū aqua mulsa adiecto salis cochleario paruo. Quū enim sordibus inquinatus & male affectus fuerit æger, strenuā cōstitutionē inducit, non solū ob multitudinē eorū quæ per aluū subducūtur, sed etiā quod priuatim bilē atram imminuit. Pleuritidi itaq; primū præparata est, & flatuosis affectionibus cōuenietissima est, & facilē spirationē facit, & impedimētis nutrimēti aduersatur, & colorem cutis depurgat, sanguinē quidē defecās, malè uero ardētē spiritū lucidius accedēs. Sed nō est propositū nobis encomiū dicere eius, quæ nō frustra hiera, id est, sacra appellata: longū enim sermonē res ea reqrat. Ad melācholicas autē affectiōes nō est aliud pharmacū quod huic cōparari mereatur. Et noui multos p assiduū eius usum nullo alio opus habuisse, etiā si nullā omnino bilē excreuissent: nō em̄ q nigrā excernūt bilē soli melācholici uocātur, sed q etiā iā habēt in solidis mēbris talis cōstitutiōis structurā. Sed & pāniculorū siue mēbranarum cerebri malos habitus ualdè bene exterit: unde morbū comitialē & insanias inde oriētes mirabiliter remouere uidetur. Ego reperi hāc descriptionem in medicamentario libro de Roma mihi allato ualde laudatā ad insanos, melancholicos, ischiadicos, paralyticos, uertiginosos, comitialē morbū, alopecias. Non habebat autē opopanaca, neq; piper, neq; pulegiū. Hiera Antiochi. Chamædryos, agarici, medullæ colocynthidis, stœchadis, singulorū drach. X. opopanacis, sagapeni, petroselini, aristolochię, piperis albi, singulorū drach. V. cinamomi, spicę nardi, myrrhæ troglodytidis, croci, folij, singul. drach. IIII. Mellis quod satis est. Facit ad melancholias, insanias, morbū comitialē, & oēs feculētū sanguinē habentes.

Hiera Rufi, ad melancholias. Cap. CXV.

Medullæ colocynthidis sextantē & unciæ dimidium, chamæpityos drach. X. chamædryos drach. X. casiæ drac. V. agarici, marrubij, utriusq; drach. X. opopanacis un. I. sagapeni, petroselini, aristolochiæ rotūdę, piperis albi, sing. drac. V. cinamomi, spicę nardi, croci, myrrhę troglodytidis, polij, sin. dra. IIII. Excipe melle, et exhibe drac. IIII. perfectā dosim cū aqua mulsa, & sale. Habet aliquid ad intelligentiā utile, eò quòd à capite plurima ducit. Vnde uertiginosis, & capitis grauitati, & glaucomatis fieri minātibus, comitiali morbo, paralyticis affectionibus, hoc pharmacū priuatim adhibere soleo, et si opus fuerit memoriā reuocare. At melancholico nō parua nec uulgaris utilitas ex ipso cōtingit. Quare sępe per ipsum purgādus est.

Etenim

Etenim alia medicamenta aliter alibi præparātur, & ad alios quosdā morbos magis apta sunt. Si uero qs ad atram bilem uti uoluerit, hoc utile existit. Vtatur autem singulis diebus ex hac antidoto fabæ magnitudine, non purgationis gratia: magnopere enim cōfert ad concoctiones, & flatus discutit. Videtur porrò mihi conducibile esse, ut ob strenuas purgationes maluæ seminis drach. II. bibantur.

Hiera Iusti, faciēs ad eadē uelut relatæ. Cap. CXVI.

Epithymi trientem & unciç dimidium, marrubij, stœchadis, chamædryos, corticis ueratri nigri, scammoniæ, agarici, piperis albi, cōmunis, longi, scillæ assatæ, singulorum sextantē, medullæ colocinthidis, euphorbij, aloës, croci, gentianæ, seminis petroselini, ammoniaci thymiamatis, sagapeni, singulorū unciā I. opopanacis, polij, cinamomi, casiæ, myrrhæ troglodyticæ, spicæ nardi, floris iunci odorati, pulegij, singulorum drach. IIII. aristolochiæ longæ, & rotūdę, utriusq; drach. II. mellis despumati quod satis est. Perfecta dosis drach. IIII. s. cum aqua mulsa & salis tenuissimè triti cochleario uno.

Quomodo auxiliari oportet his qui pharmacum biberunt, & non purgantur. Cap. CXVII.

Si uero quis poto pharmaco non purgetur, aquā mulsam meraciorē assidue absorbendā dato, & nitri parū in aqua liquefacti. Optimū autē cognoui multo experimēto mastichen, ut detur eius scru. XII. leuissime tritæ cū aqua tepidiore. Optimū est & glādē anoindere, ex sale, nitro, ac melle. Et malū aliquādo māducatum effecit quod debuit: corroboratū enim os uentris, superfluitates infernè protrudit: Ob quot causas nō exercuit uenter purgatorio dato? ob quinque causas. Aut propter naturæ ægri proprietatem, aut ob dati pharmaci paucitatē, aut propter stercus durū impactum in quibusdā intestinis, aut quod natura impetū per urinas fecit, aut propter errorē, pars quidē purgantis, ad hoc ut nihil lædat corpus, alimētum fit animalis, pars uero in pharmacū uenenosum euertitur. At uero Hippocrates de purgationis excessu sic dicit: Quum purgationis excessus hominem arripuerit, statim in balneū ipsum inducito, uinumq; bibendum & ante balneū & post dato, fuluū colore, & albū substantia. Et mea experientia comperit hoc præstantissimum omnium, quare ne contempseris.

Cura excessus purgationis. Oribasij. Cap. CXVIII.

In his qui nimium purgantur, potū contrahere oportet, & somnum procurare, dandū est autē uinum austerum paulatim, cū aqua fontana. Bonū est & crassiorem polentā torrere ac potui inspergere. Aut parū de calice papaueris, & gallæ parū. Facit etiā probè lentis decorticatæ farina cū aceto & beta nigra cocta, rhoē adiecto aut parū de calice papaueris. Cōducunt & pira sicca expressa, & mala cotonea. Si uero adhuc perseuerat lationis impetus, utendū est efficacioribus ad cœliacos descriptis. In his uero qui facile uomunt, aquam tepidā multam bibendā dato, & uomere iubeto, digito aut penna immissa. Atq; hoc facies bis & ter consequenter. Deinde oleum melinum & uinum calefacito, & in hoc lintcū tinctum uentri admoueto. & post modicū interstitiū antidoti theriaces fabæ magnitudinem cum uino bibendum dato.

De uomitu. Rufi. Cap. CXIX.

Quandoquidem in uiolentis uomitibus sæpe absurda quædā sequi solent, operæpretiū fuerit prius modos referre, quomodo quis facile uomat. Nā pituitā mouet uomitus, & caput leuat: & eū qui auidius cibum ingessit, aut plus uini hausit, lædi prohibet. Auxiliatur autē purgatio per uomitus nimio corporis molli. Opitulatur item excellēter gracilibus. Omnes autem fluidas affectiones uomitus sanare solet, uelut ulceratione renum, uesicæ, & ani, & aliarū partiū, elephantiasim, cancros, malos corporis habitus, articulorum affectiones. Cōuenit & hydropicis, maximè aqua inter cutē laborantibus, regio itē morbo, & comitiali in his quibus à stomacho initium affectionis accepit. Nam his qui in capite affecti sunt comitiali morbo, incongruus est uomitus. Cōducit itē tremulis, resolutis, siderationibus, spirationibus erecta ceruice, melācholijs, impetiginosis. Cōtrarij uero sunt uomitus sanguinis reiectioni, strāgulatibus uteri, naturis nauseabūdis, animi deliquijs, his qui à suffocatione assiduè uexantur, & qui ex qualibet occasione caput dolēt, & qui suffusionē suspectam habēt, & in summa omnibus oculorū affectiōibus. Sint autē uomitoria nō acerba & arida, sed partim dulciora, partim acriora. Videtur autē inter hæc raphanus probari, & eruca, & salsamentū uetus, origanū uiride, cepe & porrū. Coadiuuat uomitus etiam ptisana adiecto modico melle, & pingues carnes. Attamē nō oportet prędicta aut huiusmodi decoquere, & succos ipsorum solos accipere, uerū totā molē deuorare. Neq; uero circa māducationē diu immorari oportet, si qs uomere uelit. sint tamē omnia ex coctura emollita. Manifestū est autē ex uinis quoq; dulciora esse eligenda: hæc enim magis in uētre supernatāt. Et calidæ potu utendū est. Oportet & amygdalas melle tinctas edere, & placētas gustare, & cucumeris semē maceratū cū melle offerre. Sed & cucumeris satiui ac peponis radix trita cū melle uomitū mouet, & Celticę radix trita septem drachmarū pōdere in aqua mulsa ac pota fortiter sursum purgat, ut aliquādo etiā excessus purgationis consequatur. Qui uero fortioribus uti uolūt, narcissi bulbū in aqua coquūt, & cū decocto quidē tēperāt uinū: Ipsum aūt bulbū edūt coctū, cū oleo & modico sale. Mouet etiā uomitū ungentū irinū, & plus adhuc cyprinū, si quis illitis ex his digitis iritet. Citra molestiā mouet uomitū etiā hyssopi decoctū, & thymi, & cnici semē tritū cum sesamo, ac cū aqua mulsa plurima potū. Et nasturtij semen. Similiter oleū sesaminum, raphaninū, narcissinū. Daphnoidis folia uiridia tria comesta. Optimum est & hoc raphani decoctū, & caricarū cremorē simul misceto, tepefacito, & bibendū dato. Pleraq; igitur & curiosiora uomitoria reprobanda sunt. Dandi uero sunt raphani ieiunis qui inediam tulerunt, & à cœna prius uomuerūt. Sint autem raphani ualde acres, & secentur in tenues laminas, macerentur autē hæc frustula à uespera in aceto & melle. Edat autem uomiturus ex his magnā copiam, & assiduè superingerat acetum mulsum. Deinde ad horas duas lentè obambulet, & plurima aqua tepida hausta uomat, per digiti aut pennæ iritamentum.

Præparatio raphanorum cū ueratro albo. Cap. CXX.

Præparantur etiā alio modo raphani ad diuturnas affectiones, & fortiore exagitatione indigentes. Veratri enim albi & optimi festucarū drach. VI. in raphanos figuntur, ita ut raphani prius harundine compungātur, & deinde festucæ ueratri in foramina immittantur,

tantur. Hæ festucæ ubi totam nocte in raphanis mãserint, sequenti die eximuntur, ui ipsarum in raphanis relicta. Postea uero raphanos conscindere oportet & in aceto mulso macerare, & similiter edendos exhibere. Diligẽter autem considerandũ est, ne quid ex cortice ueratri in raphanis permaneat.

Quibus dandum sit ueratrum, & quibus non. Ex Antylo ac Posidonio. Cap. CXXI.

Ipsum ueratrum dandum est his qui diuturno ac forti morbo laborant, & qui in alijs auxilijs spem nõ habent. Dandum est hydropicis, elephantiosis, malo habitu præditis, resolutis multo tempore, comitialibus & melancholicis, arthriticisq́; ac podagricis. At enumerare in quibus affectionibus probetur ueratrum, non facile est propter multitudinem. Præstat itaq; dicere qui morbi à ueratro lædantur. Incommodũ est itaq; ueratrum, sanguinis reiectioni, spirationi erecta ceruice strangulationem minanti, & in suffusione imminẽte, capitisq́; affectibus qui ex interuallis uiolentos dolores inducunt, cum rubore faciei & uasorum distentione: & in uteri strangulationibus, & his qui assiduè animo linquantur.

Quid ueratrum facere poßit. Cap. CXXII.

Veratrum potest corpora transmutare ac permutare, temperaturam ipsorum recẽtiorem ac robustiorem efficiens.

Quòd multi accepto ueratro nihil quidem uomuerunt, nihil tamen minus quàm purgati utilitatem perceperunt. Cap. CXXIII.

Multi accepto ueratro ipsoq́; concocto, omnino quidem non sunt purgati, utilitatem uero non minorem perceperunt quàm hi qui purgati fuerant.

Qui sint magis apti ad ueratrum. Cap. CXXIIII.

Viri aptiores sunt ad ueratrum mulieribus, & ex ipsis uiris hi qui fortiorem habitum possident. At mulierosi, & habitu ualde pingues, aut graciles, aut thoracem non carnosum habentes, & longam ac angustã ceruicem habentes inepti sunt. Pueri quoque ac senes inepti sunt: & qui ualde frigidam temperaturam habent, & qui sana corpora habent, & multo sanguine abundant, inepti sunt. Item difficulter uomentes & pusillanimes.

Tempora uniuersalia ac particularia adsumendum ueratrum apta. Cap. CXXV.

Tempus uernum aptissimũ est ad sumendum ueratrũ. Deinde autumnus. Aestas incõgrua est, & nimirum hyems quoq;, nisi ualde magna urgeat necessitas. Et tunc hyeme quidẽ qui ualde calidum temperamentũ habent aptiores sunt. Aestate uero senes. Cõstitutio idonea est serena & calida & insolata. At in morbis in quibus interualla sunt, dandum est in interuallis. In alijs, quandocunq; cõtigerit. In quartanis uero & intestinis fluxione uexatis, in ipsis accessionibus.

Veratri probati notæ. Cap. CXXVI.

Optimum est ueratrũ quod ab una radice plures festucas siue surculos habet, eosq́; paruos & extentos, & non rugosos, & non in acutũ desinẽtes, neq; caudam muris referentes. Intus uero ualde albos, foris autem pallidiores, profundam medullam habentes, friabiles, qui non flectuntur ob mollitiem, sed franguntur trãsuersim instar caulis, & qui in fractura fumosum quid cõtinent ac remittunt, atq; hoc purum. Nam si puluerulentũ id fuerit, uetustatẽ ueratri indicat. Bonum porrò ueratrũ mansum primum dulcedinis indicationem de se præbet, deinde modicæ acrimoniæ, postea feruorem fortem inducit in ore, & saliuam multam ducit, & stomachum euertit. Oportet autem uere colligere ueratrum radice adhuc prægnante.

Victus ratio ueratro purgandorum. Cap. CXXVII.

Victus ratio accuratissima constituenda est his qui ueratro purgãdi sunt. Attenuatis enim corporibus nõ citra periculum exhibetur. Diebus tribus antea abstineãt à carnibus aut reliquis crassi succi edulijs ac potibus. Adsuefaciãt autẽ seipsos ad uomitũ, & ter aut quater prius uomant à cœna, & aluus subducatur. Oportet autem declarata antea domesticis anxietate certaminis futura, sic ad hoc auxilium procedere.

Differentiæ exhibitionis ueratri. Cap. CXXVIII.

Datur diuersimode ueratrum. Alij enim decoctũ ueratri dant, alij cremorem, alij ipsam eius substãtiam. Et alij forpice in ramenta consectum exhibent. Alij tusum & cribratum. In ramenta igitur consectum citò incipit purgare, post horas in totũ duas, bilem & pituitã educens citra multam lancinationẽ. Et ipsum simul uomitu reiectũ, in quatuor aut quinq; horis purgationem sedat. At in puluillum redactum ualde tarde operatur, ut post quatuor aut quinq; horas sæpe incipiat. Verũ omnes species bilis & pituitæ educit, & ad periculum contractionis & nimiæ purgationis deducit. Ad longum etiam tempus producit purgationem, sed utilitatem multiplicem exhibet.

De cremore ueratri. Cap. CXXIX.

Cremor in quo maceratũ est ueratrũ, datur senibus & pueris, & his quibus habitus defluxit, & qui morbũ facile solubilẽ habent. Datur & his qui elephãtiasim futurã timent. Oportet autẽ drach. V. ramentorũ, in aquæ pluuialis hemina dimidia macerare ad triduũ, deĩde colare et calfacere, atq; exhibere totũ cremorẽ.

De ueratri decocto. Cap. CXXX.

Decoctum ueratri dandũ est tum prædictis, & qui illis adhuc sunt robustiores, insanientibusq́; ac atra bile percitis. Præparatur hoc modo. Veratri librã I. cõcisam in aquę pluuialis sextar. II. macerato ad triduũ. Deinde ad prunas mitiores coquito ad tertias. Postea colato & adijcito ad decoctũ, mellis despumati primarij lib. II. & coquito usq; ad mellis compagem. & cochlearium magnũ delingẽdum dato. Licet etiã aqua calida miscere, & dare cum sorbitione quadã. hoc neq; conuulsiones, neq; contractiones, neq; nimiam purgationem facit. Exercitium autem est uolenti ad ipsum ueratrum transire, ut etiam confidenter ramenta eius consecta accipiat.

De ramentis ueratri, item de contuso ac cribrato. Cap. CXXXI.

Cæterum his qui maiori molimine ac exagitatione opus habent, fortioribusq́; ac confidentioribus, & facile uomẽtibus ramẽta cõcisa danda sunt. At uero his qui adhuc audentiores sunt, aut etiã consuetudinẽ habent, cõtusum & tenuissimo cribro excretum dabis. Ramenta uero sic exhibe. Accipe festucas, conscinde forpice ad polentæ aut furfurũ magnitudinẽ. deinde puluillũ linteo exterge, & detractis omnibus tenuibus particulis, ut ne strangulet, dato; timidioribus quidẽ cum ptisanæ aut alicæ succo, ubi parũ decoxeris: fortioribus uero cũ aqua calida, aut aqua mulsa, ita ut cogas ipsos insuper sorbere aquã mulsam purã aut aquã, ut ne relinquatur quid in faucibus aut stomacho. Dosis perfectissima fortibus, de ramẽtis cõcisis,

cisis, sunt drach. II. s. de puluere crassiore, drach. una & oboli II. de puluillo drach. I. & oboli II. Cõtundimus autẽ crassiorẽ eius farinam in mortario, & per angustissimum cribrum excernimus, & tenuissimũ auferentes, id quod crassius est, exhibemus cum succo alicæ, aut mazæ ex polenta factæ. Tenuem uero puluillum tundimus, & exactè cribramus. Et postea cum cocto melle solidissimo in catapotia coactuum ac efformatum exhibemus.

Quæ præparare oportet exhibitionis tempore. Cap. CXXXII.

Præparantur porrò ipsis ad opem ferẽdam lancinationibus, animi deliquijs, & conuulsionibus hęc: Aqua calida & frigida, & decoctum hyssopi, mel, ruta, pulegium, acetum, mala, panis calidus, uinum, pullus gallinaceus coctus, oleum commune & sicyonium, sal, galbanum, castorium, cremor ueratri, oleum cyprinum, aut irinum, aut narcissinum, pennæ, sternutatorium, cucurbitulę diuersæ, lectica siue ferculum, lectus stratum molle habens, clyster.

Quomodo post potum curandi sint. Cap. CXXXIII.

Si quidẽ facile purgẽtur postquã biberunt medicamẽtũ, dabimus ipsis aquã frigidã absorbẽdã aut colluẽdam. Deinde odoramentũ quoddã corroborans. Et iubebimus ipsos sedere aut reclinari, & in quiete manere ad horas duas, ut ne citius quàm oportet pharmacũ reuomatur. Postea iubebimus ipsos moueri. Prima perceptio caloris circa stomachũ & fauces cõtingit: Deinde saliua multa in os colligitur: Postea partẽ alimenti & pharmaci cũ pituita uomũt: deinde pituitã & bilẽ cum pharmaco: Mox purã bilẽ. Sæpe uero etiã uẽter infernè subducitur, quãdo sanè etiã tolerabilior purgatio cõtingit. Singultiũt leuiter, & facies rubicũda est. Si uero facilè procedit purgatio, & facies bonũ colorẽ habebit, & singultus cessabit. His uero qui circa mediã purgationẽ singultiũt, aquam mulsam dabimus, aut decoctũ rutę, & aquã tepidam in potu. Deinde purgatos lauabimus, & alimẽtum stomacho gratũ exhibebimus. Perseuerãte uero purgatione, oportet dare aquã mulsam calidã absorbendã in qua decocta est ruta, aut aquam cũ oleo. Penna quoq; cyprino aut irino oleo, aut aliquo simili tincta irritentur, & lecto pẽsili reclinati cõmoueãtur. Si uero ualde uexẽtur à strãgulatione, cremoris ueratri cyathos tres offeremus. Nã ex qualitate adiuuat purgationẽ. Quòd si neq; sic strãgulationis periculũ leniatur, acerrima insusione per clysterẽ euacuabimus. Dabimus ipsis etiã galbani obol. III. deuorãdos, nõ ut uomitũ cõcitemus, sed ut strãgulationẽ sedemus. Aut sternutatoriũ forte admouebimus, assiduè per lectũ pensilẽ agitãtes, & pẽnarũ immissione irritãtes. Vbi uero incipiũt purgari, mitigãdus est singultus, uelut antea dictũ est. Si uero uiolẽtus fuerit singultus, sternutatorio utemur, & cucurbitis per totã spinã, & maximè circa magna scapularũ uerticula, detrahẽtes ipsas ad spinã. perseuerantes enim cucurbitæ sæpe corrigũt stomachũ cõtractũ & uelut cõtortũ à singultu. Ligabimus etiã extremas partes, & fouebimus immissas in aquã calidã. At uero succedẽtes in quibusdã contractiones, crurũ maximè & manuũ: (solẽt ẽm plerisq; hæ accidere) leniemus fortiter illinendo, fouẽdoq; ac calfaciẽdo & fricãdo extrema & musculos in suris. Sit autẽ oleũ sicyoniũ, aut quoddã ex mollieẽtibus & lassitudinẽ ac dolorẽ eximẽtibus, acopis appellatis. Sed & castoriũ unguẽto ammiscebimus, et in potu exhibebimus. Maximè uero ꝓdest cõtractis balneũ si affuerit. Sin minus, in scaphã aut in soliũ immittemus, ita ut oleo multo dulci totũ corpus, maximè uero cõtractas partes illinamus. Sit autẽ aqua probè tẽperata, ut in ipsa diutius manere possit. Porrò ubi cessauit cõuulsio ac purgatio, statim nutrire oportet, panẽ exhibẽdo uino diluto madefactũ, aut in omphacomeliti, his qui ualde sunt euacuati. Si uero caloris sensus circa stomachũ post cibũ contigerit, ipsum omphacomeli aqua calida tẽperatũ bibendum dabimus. Aliquando uero etiam cum frigida mixtũ secunda die dabis. Cibi uero postea boni succi omnes sint, & uinum tenue ac ualde uetus.

De purgationis excessu. Cap. CXXXIIII.

Nimias purgationes sistemus aquæ calidę potu, & extremarũ partiũ ligatura, & frictione uehemẽti, & cucurbitis ad pręcordia & dorsum affixis. At absinthij potus egregiè supprimit uomitũ. Si uero adhuc perseuerarit, utemur somniferis dolorẽ sedãtibus. Nam talia resiccandi ui prædita purgationes sistunt. Et somnus excretiones sistendi uim habet. Succedit tamẽ somnus sua sponte probe purgatis per ueratrũ, multus & profundus, si nõ periculũ imminet. Quibus sanè in tantũ cõcedere oportet, quantũ somno tenẽtur. Si uero sudores immodici consequantur, sedabimus ipsos corporis uentilatione, & spongiæ ex frigida aqua aut posca expressæ detersione. Vtemur etiã puluillorum adstringentium & meatus obducentium inspersione, & reliqua cura in cardiacis referenda.

Epithemata purgatoria. Cap. CXXXV.

Medullæ colocynthidis, seminis erucæ, rutę syluestris, elaterij, grani cnidij, lathyridũ purgatarũ, galbani, ceræ, nitri rubri, singulorũ drac. IIII. opopanacis drac. II. terebinthinę drach. VI. Tunditur hoc pharmacum adiecto paulatim felle taurino, quantũ satis est. Et si quidẽ super umbilicũ positũ fuerit usq; ad pubẽ, inferiorẽ aluũ mouet. Si uero super uentrẽ, superiorem purgat per uomitũ. Aliud: Nitri rubri, seminis securidacæ, medullę colocynthidis, fellis taurini, staphidis syluestris, stercoris columbini, radicis cucumeris syluestris, scillæ, mercurialis, singulorũ æquales portiones, tũdito, cribrato, & felle excipito ac melle sufficiẽti, & ubi ad malagmatis formã redegeris, utitor. Aliud quod pollicetur sanguinis per nares eductionẽ, si frõti imponatur. Vbi uero sistere uolueris, inquit, sanguinẽ, ablato ipso locũ diligẽter deterges per spõgiam ex posca aut frigida aqua expressam. Si uero imo uentri impositũ fuerit quadrãgulari nouẽ digitorũ figura, ciet mẽses, & fœtus corrũpit. Imponitur & renibus in exacerbationibus. Cõpositio hæc est: Ceræ, galbani, euphorbij, radicis lanarię herbę, sing. unc. I. talorum ceruinorũ ustorũ drach. IIII. succi absinthij drach. IIII. terebinthinæ liquidæ drach. IIII. Sicca trita cribrata, rursus terito cũ felle uitulino, ad strigmẽtitiã crassitiẽ, & liqda ac eliquata affundito, & unito ac utitor, inquit, uelut admirando. Aliud emplastrũ purgatoriũ, quo utor, Chezananze appellatũ. Hoc impositũ umbilico, mouet inferiorẽ uẽtrẽ: thoraci uero & stomacho impositũ uomitũ ciet, donec spleniũ cui illitũ est tollatur. Menses aũt fœminarũ ducit, & fœtus corrũpit imo uẽtri & lũbis impositũ. Cõpositio hæc est: Grani cnidij drach. III. lapidis assij drach. X. ueratri albi drach. IIII. adipis ca-

prini drach. v. elaterij drac. IIII. succi tithymali drac. IIII. amurcæ drac. XII. fellis taurini drach. II. spumæ nitri drac. v, farinæ lupinorũ amarorũ sextantẽ, comæ absinthij drach. II. Reliqua tundito ac cribrato, deinde fel tritũ adijcito, mox amurcã, & postea adipẽ liquefactũ affundito, & unitis utitor. Aliud umbilicariũ. Et hoc uomitũ ciet uentri impositũ. Et mẽses ducit nõ ob uasorum conclusionẽ suppressos, fœtusq; corrũpit, imo uentri ac lumbis impositũ. Absinthij, succi radicis cyclamini, artemisiæ, elaterij, singulorũ drac. VI. medullæ colocynthidis drac. X. radicis cucumeris syluestris, farinæ lupinorũ, chelidonij, seminis uiolæ albæ, singu. drac. VI. opopanacis drac. II. ceræ drac. C. terebinthinæ drac. L. cyprini drach. L. aut quantũ satis est. Impositũ autẽ ubi aluũ commouit, mox ipsum tollere oportet. Aliud, facit & ad colicos. Nitri scrup. IX. terebinthinæ scrupu. VI. elaterij scru. III. staphidis syluestris scru. I. s. castorij, seminis rosmarini, sampsuchi, baccarũ lauri, grani cnidij, lupinorũ siccorũ, medullæ colocynthidis, singulorum sesquunciã, scammonię unc. I. fellis taurini unc. I. ceræ sextantẽ, adipis anserini quadrantẽ. Aliud. Cucumeris syluestris succũ, & cyclamini succum, paribus portiõibus, cũ melle misceto, & hæc exactè unito in sole aut calido cinere, & utitor illinens ab umbilico usq; ad pubẽ. Aliud. Elaterij drac. III. colocynthidis drac. I. scãmonię, squamę æris, radicis cucumeris syluestris, sing. drac. I. lathyridũ drac. I. aut pro ipsis succi tithymali tãtundẽ. Tũdito, cribrato ac terito cũ oleo plurimũ salis habẽte, & hapsum lanæ magnũ facito, ipsumq; pharmaco imbutũ imponito ubi uolueris, umbilico inquã, aut uentri, aut imo uẽtri & lumbis. Aliud. Mespilorũ exẽptis nucleis scrup. XVIII. scãmoniæ scrup. XII. atramẽti sutorij scrup. XVI. sagapeni scrup. XXXII. lathyridũ scrup. XII. colocynthidis seminis scrup. XII. Trita excipe oleo & utere.

Cõpositio olei siue ungẽti purgatorij. *Cap.* CXXXVI.

Fellis taurini sextantẽ, elaterij unc. I. grani cnidij uiridis trientẽ, lupinorũ uiridiũ succi sextantẽ, euphorbij unc. I. medullæ colocynthidis unc. I. adipis uulpini recentis sextantẽ, adipis uiperæ sesquunciã, stercoris muris drac. IIII. succi pæonię drac. IIII. castorij drac. IIII. olei cyprini sexuncẽ, olei ueteris lib. I. arida tũdito ac cribrato per tenuissimũ cribellũ. Adipes autẽ præmollito in mortario, præsertim uulpinũ: fibris enim refertũ est, deinde ad lentas prunas liquefacito cũ oleo, & ipsis reliqua omnia inspergito, & parum ad prunas coquito ac seponito in stãneo uase, diligẽter operto, ut ne trãspiret, & deponito in domo superiore nõ humecta ad dies XXX. Et postea utere in omnibus & ad omnẽ affectionẽ: Citra molestiã enim purgat. Sanat autem cũ reliquis etiã mentis perculsionem. Mensura quę in usum assumitur ut plurimũ est cochleari orũ duorũ, in qbusdã etiã unũ solũ. Inuncto em umbilico pfectã feci euacuationẽ. Si uero immodicè feratur uenter, & uoles supprimere, spongiã uino tepido imbutã ac expressam adhibe, & sistetur. Aliud epithema. Hoc umbilico imponitur, & splenem purgat. Veratri nigri quadrantẽ, ueratri albi trientem, ammoniaci thymiamatis, nitri, utriusq; trientẽ, scammoniæ sextantẽ, piperis grana XXX. cõtusa cribrata excipe terebinthina ut malagmatis formã induãt. Et ubi præfricueris locũ ac fomẽto præparaueris, formato quadrangulari quinq; digitorũ figura splenium, & imponito. At pectini impositũ, fœtus corrũpit. Epithema sanguinẽ ducens, ut hæmorrhoidas irritet, & mẽses muliebres. Elaterij, myrrhæ, galbani, farinæ ordeaceæ, sing. drach. IIII. foliorum rutæ uiridis drac. II. fellis taurini quod satis est. Singula seorsim tenuissimè terito, deinde unito, & fellis quod satis est affundito. Vsus uero tẽpore locũ sub umbilico, & partes circũcirca sitas illinito. Aliquando etiã lũbos. Ducit menses & hæmorrhoidas.

De localibus euacuationibus. *Cap.* CXXXVII.

Et de his quidẽ quæ superfluitates quæ in toto corpore sunt, purgare possunt, sufficiũt relata. Tempus est autẽ transcẽdi ad locales euacuationes. Verũ illud meminisse te uolo per totã tractationẽ, ut primùm totũ corpus purges, & à superfluitatibus liberes per prædicta purgatoria medicamenta. Et postea per localia euacues. Si enim antè totius corporis euacuationem aut purgationem, per localia auxilia uolueris partiũ affectiones curare, in magna mala immiseris ęgrotũ. Ampliorem enim materiã ad debiles locos attrahes.

Quæ oculos purgant & lacrymas prouocant. *Cap.* CXXXVIII.

Lacrymas prouocantibus utemur ad oculos diu resiccatos, & palpebras scabras ac pruriginosas. Extergẽtibus uero & repurgantibus ad hebetẽ uisum & suffusionis principiũ. Prouocãt autem lacrymas & extergent omnia hæc: mel, oleũ uetus, ricininum, amygdalinũ, ex nucibus regijs, è fœno græco, lentiscinũ, laurinum, anethinum, susinum, nardinum, opobalsamum. Ex succis autem oculos purgant, succus uuæ acerbæ, lactucæ syluestris, lyciũ, radicis acori succus. Itẽ chamędryos, centaurij, chelidonij, ocymi, ceparũ, rutę hortẽsis ac syluestris, quæ etiã besasa appellatur, itẽ mali punici succus, fœniculi, utriusq; anagallidis, marrubij, trifolij, ueratri albi, et anemones. Ex liquoribus uero spissis, myrrha, sagapenũ, opopanax, cyrenaicus, & Medicus, ammoniacũ thymiama, galbanũ, thus: ex animãtibus, testudinis terrestris sanguis: hepatis caprini cruor, itemque siluri. Sed & siluri fel, & hyænæ, capræ, gallinæ, perdicis, uulturis, ursi, scari, callyonymi, & coracini. Ex adipibus, uiperæ adeps, gallinarũ, pisciũ fluuiatiliũ, castoris testes. Ex cineribus, hirundinũ pulli exusti, lacertæ ustæ, cornu cerui ustum. Ex metallicis, lapis hæmatites, & scissilis, æs ustum, atramentum sutorium, chalcitis, misy, alumen omne, squama æris, rubrica, lapis phrygius, iaspis, magnes, moroxus qui & leucographis appellatur, lapis galactites. Ex plãtis, cortex thuris, ericæ fructus, & quæ eiusdem generis sunt.

Quæ aures purgant. *Cap.* CXXXIX.

Mel, uinũ mulsum, uinũ dulce, oleũ nucũ regiarũ, amygdalinũ per se, & cũ anserino adipe, irinũ cum aceto, myrrha cũ alumine, acetoq; ac aqua: spuma nitri cũ melle & aceto, alumẽ cũ aceto, senecta serpentis cum aceto, fel bubulũ, suillũ, & omne fel pisciũ, betæ succus, foliorũ capparis succus, corticis raphani succus, mercurialis succus, bdelliũ, galbanũ, castoriũ, casia, ueratrũ albũ & nigrũ, herba lanaria, capparis folia cũ oleo cocta, acetũ mulsum, nitrũ cum aqua calida infusum. Cæterũ ex prædictis quædam ad pruritus, quædã ad ulcera, quædã ad ea quæ in meatum inciderunt, aliqua ad sordis duritiẽ, item ad sonitus, & grauẽ auditũ ac surditates cõmoda sunt. Capitis itẽ doloribus antiqs, & morbo comitiali hęc prosunt.

Quæ

Quæ per nares purgant. Cap. CXL.

Per nares purgat caput, radicis betæ succus, elaterium, anagallidis ceruleũ florẽ habentis succus, oleũ irinũ, amygdalinũ, cyclamini radicis succus, & ipsa arida trita insufflata, piper, nitrũ, atramentum sutoriũ, mel, thlaspi, ueratrũ albũ, euphorbium, herba lanaria, castoriũ, calamintha, melanthiũ, iris, marrubium, anemone. Hęc uero manibus admouentur, propter diuturnas capitis affectiones, & ad morbũ comitialem, & oculos arquato morbo infestatos. Item ad obtusum auditum ac uisum, & ad narium obstructiones antiquas, & in læso olfactu, & ad eos qui caninam conuulsionem pasßi sunt.

Quæ humiditatem ex ore trahunt. Cap. CXLI.

Lẽtiscus & ipsius folia, & quod ab ipsa resinaceum defluit, mastiche appellatũ, cũ staphide syluestri, piper, granum cnidiũ, sinapi cum aceto mulso, ac nitro gargarisatum multã pituitã euacuat: rumicis radix cum aceto cocta, pyrethrũ, capparis cortex, tæda, mel, origanũ, thymus, pulegium, hyssopũ, rhus cũ melle, alumen, chalcitis, misy, myricæ fructus, terebinthina cũ melle, omphacij succus cũ silphio, cyrenaicus succus, casia, & omnia quæ ori illini solent. Cęterũ quæ ualde efficacia sunt, in diuturnis affectionibus assumẽda sunt, ore prius ex oleo colluto, ut ne acrimonia impediat usum. Adhibẽda uero sunt hæc omnibus diuturnis capitis affectionibus, & hebetudini uisus, & graui auditui citra dolorẽ. Ad linguę itẽ ac gustus resolutiões, ad parotidas, anginas, pustulas capitis aut faciei, ad caninã cõuulsionẽ. At uero recuratiõis gratia, adhibẽda est postea aqua calida, sapa, aqua mulsa, lac micarum, panis cremor, aut ptisanæ succus.

Quæ lac generant ac mouent. Cap. CXLII.

Generant ac mouẽt lac in potu accepta, ptisana cũ fœniculo cocta presertim uiridi: sin minus, cũ semine. Sed & ipsum fœniculũ per se comestũ, & anethũ, sesamũ, anisum, semen lini, cuminũ, milij farina cocta, tritici decoctum, eruca uiridis, cucumeris semen: foris autẽ illita uberibus prouocant & mouẽt lac, intestina terræ, nigella, fel tauri, ordei macerati succus, portulacę succus, adeps anserinus, cera, sulphur, recrementum ferri. Hæc adhibentur in his quibus lac deficit.

Pulmonem ac pectus purgantia. CXLIII.

Semen urticæ, dauci, apij, thymus, semen raphani, in potu ac cibo accepta, item sinapi, sesamũ, nasturtiũ, erysimum, cardamomũ, cucumeris semen, nigella, piper, ruta, poliũ, marrubium, baccæ lauri, casia, aron, dracũculus, bulbus, cepe, alliũ, costus, amomum, spica nardi, sulphur, styrax, galbanũ, terebinthina, myrrha, opopanax, scilla, origanũ, pulegium, hyssopũ, abrotonũ, bryoniæ radix, amygdalę amaræ, caricæ, uuæ passæ, nuces pineæ, maximè recentes, mel, sapa, uinũ dulce, castoriũ, farina erui, picearũ nuclei, ammoniacũ, bdelliũ, thus, silphiũ, & succus æris, aristolochia, baccæ iuniperi, stœchas, porrũ capitatũ, cũ ptisana coctũ in cibo acceptũ, ouũ recẽs absorptum, butyrum per se, & cum melle, glycyrrhizæ succus & ipsa radix. His utendũ est ad anhelosos & erecta ceruice spirantes, & ad ueterem tusim. Pleraq; uero ex ipsis etiam phthisicis & suppuratũ pectus habentibus conueniunt, propter eductionẽ eorum quæ in thorace collecta sunt, & ad ulcerum repurgationem.

De suffitionibus. Cap. CXLIIII.

Suffitus nõ commodi sunt omnibus affectiõibus circa thoracẽ consistentibus: neq; enim in sanguinis sputo idonei sunt, quũ per acrimoniã eorũ quæ suffiuntur uasa rursus aperiatur: neq; his qui siccũ morbum circa thoracẽ habent; uerũ solis anhelosis & erecta ceruice spirãtibus, & quibus thorax ob copiã frigidorũ humorũ infestatur. Vtendũ autẽ est suffitiõibus toto corpore euacuato. Collocãdus est homo, & ubi uestibus cõtectus fuerit, iubendus est crura disparare, & deorsum nuere, ut facies prope genua existat, atq; ita os aperire, quo suffimẽto inter crura posito, fumum ore suscipiat. Præstat tamen per infundibulũ fumum suscipere. Sunt autẽ suffimẽta hæc, Castorium suffitũ humidã & frigidã affectionẽ pulmonis ac cerebri sanat. Similiter aristolochia, bitumẽ, sandaracha, ladanum, loliũ, paleæ antiquæ, funiculus uetus marina aqua maceratus, terebinthina, chamæleuce, calaminthe, styrax, mastiche, thus, erysimũ, leporis stercus ac pili, dorcadis stercus, cucumeris syluestris radix, centauriũ, fœniculi semẽ. At nos habemus suffumigium per experiẽtiã cognitũ, quatuor specierũ, nimirũ styracis, terebinthinę, sandarachæ, mastiches, æqualibus portiõibus cõmixtis. Hoc fidẽ reperit quòd anhelosas, & suppuratas, et pleuriticas affectiões sanet, itẽq; tusim, quemadmodum & quæ prædicta sunt.

ad anhelosas suppuratas et pleuriticas affectiones tussi[illegible]

Quæ tenuia intestina euacuant. Cap. CXLV.

Tenuia intestina purgat fructus tithymali, & semen ipsius quãtũ guttę qnq; caricis aut palmulis exceptę, atriplicis semẽ, brasicæ succus, cicerũ decoctũ, thymbrę & polypodij decoctũ, pulegij decoctũ, uiticis folia, thymi decoctũ, chamæpitys, butyrũ recẽs asiduè delinctũ, chanæ ualde coctæ ac comestę, iusculo insuper absorpto, oleũ omphacinũ potatũ, rosaceũ, itẽ ac ricininũ. Agaricũ cũ aqua mulsa, sed hoc cũ molestia purgat: est enim stomacho incõmodũ, eò quòd leue sit, & stomacho innatet, aloẽ cũ aqua frigida, aut aqua mulsa, aut lactosa siue lactei teporis pota, itẽq; cocto melle excepta ac deuorata, citra molestiã purgat, styrax terebinthina exceptus ac deuoratus, absinthium & abrotonũ similiter. At uero tenuiũ intestinorũ purgatio recẽtes obturationes, & crudorũ humorũ generatiões, & lũbricos rotũdos curat. His uero purgatis, etiã uesicæ bilem suscipiẽtis meatus, qui ieiuno intestino inseritur, propriã actionẽ minimè impediente perficit. Quin & inflationes & tormina uertiginosa ac uoluulosa horũ purgatio persanat.

Quæ sima hepatis purgant. Cap. CXLVI.

Polypodiũ, mercurialis cocta comesta, lathyrides cum aceto mulso, chamelæa cũ absinthio & aqua mulsa pota, brasicæ succus, cyclamini radix, lactis serũ, heliotropij, scorpiuri appellati succus, galli ueteris iusculũ. Hæc auxiliãtur diuturnis inflãmationibus circa sima hepatis. Nã incipientibus prosunt mitiora.

Quæ gibba hepatis purgant. Cap. CXLVII.

Amomi decoctũ, flos iunci odorati, acori radix, gentiana cũ aqua, agaricũ cum uino mulso. Est autẽ stomacho incõmodũ, radicis lauri cortex cũ uino, rheõ Ponticum, glycyrrhizæ succus, amygdalæ amaræ præsertim, absinthij coma, anisum, fœniculi semen, spica nardi, radicis quinquefolij succus, uiticis semẽ, dauci semen, petroselinum, cẽtaurij decoctũ, pæoniæ fructus, sesamũ torrefactum, lauri, palmularum ossa usta, symphyton, polygonũ, erigeron, smyrniũ, hipposelinum, anagallis ceruleũ habens florem, fumaria siue chelidonia quæ in sepibus nascitur, securidacæ

semen, cornu cerui ustũ, mentæ succus & decoctũ, calamintha, costus, fœnum græcum modicè frictum, bacanum, opobalsamũ, radicis myrti sylvestris cortex, ordei cremor, lupini, phu, asarũ, meon, pix. Hęc sanãt diuturnos circa gibba hepatis morbos, siue cũ tumore aliquo sint, siue sola intemperatura adsit cũ dolore, siue obturatio.

Splenem euacuantia. Cap. CXLVIII.

Veratrum nigrum, epithymum, polypodium, scolopẽdrium, pæoniæ radix, chamædryos decoctum, item chamæpityos, centaurij præsertim minoris, pulegij decoctum, capparis cortex, colocynthidis cremor potus, mercurialis comesta, & decoctum ipsius potum, latyrides cum aceto mulso potæ, chamelęa, aqua marina calida pota, ericæ fructus cum petroselino, uiticis semen. Hæc omnia splenem purgantia, etiam hepar ab obturatione liberant, & malos habitus, & hepaticas ac splenicas, morbiq; regij & aquæ inter cutem affectiones generari prohibent.

Renes purgantia. Cap. CXLIX.

Omnia incisoria ui prædita, plantaginis radix & folia & semen, arida trita pota, asparagus myacanthinus, pæoniæ radix, cicerum nigrorum decoctum, amygdalæ præsertim amaræ, eryngij radicis decoctum, damasonium, adiantum, apij semen, fœniculi, dauci, petroselini, ammij, anisi, ligustici, asari decoctum, meon, phu, flos iunci odorati, seseli, acori radix, gramẽ, uitis lacryma & cortex, sanguis hirci aridus. Auxiliantur autem hæc pota post remissum inflammationum uigorem: dissoluũt enim duros tumores qui fieri parant, & lapides generari prohibent.

Vesicam purgantia. Cap. CL.

Vrinas à uesica ducit, acori decoctũ potum, itemq; asari, oleũ amaracinum, amygdalæ amaræ cũ passo potæ, radicis althææ decoctũ, adianti decoctum, hæmatites lapis tritus cum uino potus, gallinarum stercus siccum, anchusæ decoctũ, abrotoni, anisi semen, sanguis hirci aridus, atriplicis semen, artemisię decoctũ, aristolochiæ decoctum, sabinæ leuissimè tritæ drachma una cum aqua mulsa, in nõ febrientibus cũ uino, balsami semen, glãdis decoctũ, bdellium, apij semen, bryoniæ radix, glycyrrhizę succus, pulegium, pæoniæ fructus, dictãnum, dracunculus, abietis decoctũ, rubiæ decoctum, serpyllum, eryngij radix, heliotropium, senecio, menta, saluia, foliorum oleę decoctum. Hæc non sinunt lapidum generationem in uesica fieri. Et crassicies ac feculentas subsidẽtias. Insuperq; scabiosas & ulcerosas affectiões sanare solẽt.

Quæ glãdi indãtur ad prolectãdas urinas. Cap. CLI.

Postquã uero repleta fuerit uesica urina, & cõtrahi nõ poterit, neq; urinã exprimere, in glãdem hæc indere solemus, nitrũ aqua dilutũ, muriã, fel, cyclaminum.

Lapides in renibus ac uesica euacuantia. Cap. CLII.

Hæc lapides frangunt, cardamomum cum cortice radicis lauri potum, cyperus, oleum amygdalinum, paliuri semen, bellium, fœniculi radix, libanotis, myrti sylvestris folia, cerasorum fructus, prunorũ succus, amygdalæ amarę, rumicis radicis decoctum, seminis althææ decoctum, triboli uiridis decoctum, adianti decoctum, uitis lacryma, apri uesica sicca, lithospermon, tecolithos, betonica, saxifraga, lapides in spongijs, electrum.

Vterum euacuantia. Cap. CLIII.

Sanguinẽ ab utero ducũt iniecta & apposita hæc. Casia cum myrrha, calami aromatici decoctum, oleum amaracinum, uiola alba, thymi ac thymbrę decoctũ, centaurij radix, & ipsum centarium, opopanax, uiticis semen, amygdalæ amaræ, nucum regiarum nuclei usti cum uino appositi, decoctũ absinthij, itemq; succus, sampsuchus, seseli, galbanum, lilij radix, chamæpitys, artemisiæ decoctum, dictamnum, conyza fœmina, rubiæ radix, urticæ semen cum myrrha, elaterium, ueratrum nigrum, lupinorum decoctum, raphani cortex, herba lanaria, adeps cerui recens, adeps anseris, resina terebinthina, fel taurinum cum mastiche, muscus qui & splanchnum & hypnon dicitur, cyperus, ungentum irinum, succus cyclamini, anchusa, quinquefolium, cuminum, sysymbrium, heleniũ, saluia, heliotropium, mercurialis, granum cnidium, uua exemptis granis, fœnum græcum, sesamum, nucleus baccarũ lauri, amygdali amaræ radix, cochleæ paruæ, lanæ succidæ, œsypum, lactucæ sylvestris succus, porrum, ceparum succus, calaminthæ folia. Tot quidem sunt quæ in pessos, hoc est, talorum formas excipiuntur, inijciunturq; ac apponuntur. Vitãdus tamen est assiduus usus eorum quæ inter ipsa sunt acriora. Solent enim ulcerationes inducere.

Quæ in potu sumpta menses ducunt. Cap. CLIIII.

At uero in potu accepta sanguinẽ ab utero ducunt pleraq; quidem ex prædictis, & omnia quoq; urinam cientia. Sed & erysimũ & asarum cum aqua mulsa, calamus aromaticus, alumẽ, castoriũ, cicerũ decoctũ cum pipere & ruta, radicis asphodeli decoctũ in uino elixatæ, itẽ pulegij in uino cocti, radicis eryngij decoctũ, abrotoni semẽ, origani, thymi, thymbræ, rutæ decoctũ, fœniculi decoctum, crethmõ, cuminum, sinapi, marrubij semen, & succus & decoctum, smyrnium, sion, oreoselinon, dauci semen, thlaspi, nigella, uiolæ albæ semen, carpobalsamũ, pæonię semẽ, baccæ lauri, myrrha, cardamomũ, cyclaminus, sagapenũ, galbanũ, semẽ fœniculi, spica nardi, mercurialis, costus, styrax, cẽtaurij magni radix, sabina, iris, aristolochia, bryoniarũ flos & succus, radicis rumicis decoctũ, artemisia, dictãnum. Singula ex his cocta cũ uino, aut trita et pota, sanguinẽ ducere creduntur. Cõueniũt autẽ hæc his in quibus purgationes impediuntur, uel guttatim purgantur, aut occlusio uteri adest. Auxiliantur autem & declinationibus, & recursibus sursum uersus, & strangulationibus uteri.

Quæ stercora euacuant. Cap. CLV.

Stercora euacuãt styrax deuoratus, mastiche cũ aqua frigida trita pota, scrupul. XII. pondere, aloës drach. I. terebinthinæ cochlearium, sinapi, allium cum oleo & garo feruefactum, ficus cum nitro, cnici seminis medulla. Omnia uero prædicta ad tenuia intestina commoda, etiam magna intestina purgant.

Lumbricos educentia. Cap. CLVI.

Lumbricos rotundos & latos & ascaridas expurgant ea quæ de tenuibus relata sunt, in potu accepta. Propriè uero expellit ipsos, auriculæ muris succus cum melle potus, aut cum zytho, utriusq; cyathi mensura. Senecio in cibo acceptus, santonicum cum fico comestum, abrotoni decoctum, intestina terræ trita cocta cum passo pota.

Sudores excludentia. Cap. CLVII.

In potu accepta sudores excludunt, cuminũ, baccæ lauri, anisum, uitex, serpillum, calamintha, poliũ, raphani cortex comestus, costus, sysymbrium, dictãnum, artemisiæ,

artemisiæ, cardamomũ, libanotis, mel, lac bubulum, casia, iunci odorati decoctũ, succus cyrenaicus ciceris magnitudine deuoratus in frigidioribus morbis, chamædrys, castoriũ cũ aqua mulsa, centaurij magni radix, radicis capparis cortex, ligusticum, petroselinũ, nigella. Hæc aliquãdo cũ uino, aliquãdo cum uino mulso bibuntur, & sudores mouere creduntur. Sed & pistacia comesta sudores citra molestiã cient. At uero forinsecus illita sudores mouent, nitrũ cũ oleo, ungentũ irinũ, anethinũ, chamæmelinũ, laurinũ, raphaninũ, sycioniũ, myrobalaninũ, althæa, costus, balsamũ, aristolochia, casia, calamus aromaticus, libanotis, singula cũ oleo cocta. Suffita uero sudores mouẽt, castoriũ cũ pulegio, semẽ balsami, bdelliũ, uiticis semẽ. utẽdum est his ad morbũ regium, & ad eos qui ob frigiditatem, aut cutis adstrictionem, nõ sudant.

Quæ euacuant & corrumpunt pediculos omnis generis circa corporis superficiem. Cap. CLVIII.

Sandaracha, aristolochia, staphis syluestris, sulphur uiuum, cinamomum, calamus aromaticus, casia, pyrethrum, cinis quercinus, cucumeris syluestris radix.

De infusionibus sedis. Cap. CLIX.

Plurima mala quæ in perniciem animalis generantur, propinat uẽtris suppresio. Sequitur enim ad ipsam uentris adstrictionem, capitis grauitas & uertigo, euersio stomachi, lancinatio uomitoria, nauseæq; ac prostratus appetitus, oris siccitas & amaritudo, ructus iniucundi, ac uirosi, spiritus graueolens, somni suspensi, ac iniucundi, inflationes, tormina, uolululi. Generat itẽ plenitudinis, et articulares, podagricosq; ac coxendicũ morbos, omniaq; auget, & maligniora ac diuturniora mala efficit. Aliquando uero etiã perniciosa ac letalia. Contingit autẽ infusionum per sedẽ usus etiã in alijs affectionibus, quarum ex parte mentionẽ faciam. Ex infusionibus igitur quæ inijciuntur, aliæ simplices sunt & teneræ, aliæ acres, aliæ uero aliũ usum ac uim habent. Ex simplicibus igitur, aqua calida ipsa per seipsam facit, eliciendorum stercorum gratia, in cõtinuis febribus, malignisq; ac æstuosis, & in his qui ex lõga imbecillitate uires recolligunt, in quibus difficiles secessus fiunt. Calidiorem autẽ immittimus, inflat enim tepida. Verũ aqua & oleo utimur in detentione duriorũ stercorũ, & in his qui ulcerosum ac mordacẽ sensum circa intestina habent. Vitare tamen aquam & oleũ oportet, ubi capitis grauitas fuerit, aut stomachus subuertitur, aut prostratus appetitus obtinuerit. Rosaceũ autem pro oleo cũ aqua iniectum, aptũ est in æstuosis febribus, & feruoribus excellentibus circa media, & maximè circa colũ. Caput autẽ complet, & minus lubricum est quàm aqua & oleũ. Immittẽdum est autẽ rosaceũ quarta aquæ parte. At uero cũ ouo & ptisanæ succo inijcimus rosaceũ in æstuosissimis febribus, aut ubi mordacitas circa intestina adest. Chamæmelinũ uero oleũ, & oui luteũ ac candidũ, cũ ptisanæ succo infundimus ad noctẽ, in ardentibus febribus, iubentes ipsum cõtinere per totã noctẽ. Nam & somnũ iucundum inducit, & causas febris sequẽti die secum educit. Butyrũ uero cũ aqua iniectũ morsus & tormina mitigat. Modicũ autẽ esse oportet in his butyrũ. Facit et ad eos in quibus propter inflãmationẽ intestini recti detinẽtur stercora, & in sordidis ulcerationibus circa intestinũ. At fœnigræci decoctũ ex aqua citra pinguedinẽ infundatur in febribus ex pituita accensis, & in mollibus ac mulierosis corporibus, et in intestinorũ morsu. Caput autẽ abũde cõplet. Quapropter nõ utendũ est eo, nisi caput à læsione fuerit alienũ. Maluæ autẽ decoctũ conuenit in torminibus ac morsibus, & præsertim si durũ subest stercus. Seminis lini uero decoctũ in corporibus ac morbis siccis cõuenit. Vtile est & morsibus, & nauseabundis, & ualde sitiẽtibus. Caput autẽ cõplet quidẽ, nõ similiter autẽ uelut fœnumgrçcũ. Ptisanæ uero succus stercora dura dissoluere potest, & intestina extergere, & morsus mitigare. Alicæ succus morsus quidẽ mitigat, maximè uero cõuenit cardiacis, & qui ex animi deliquio exoluuntur. Nam ad hoc quod nutrit, etiã uires reficit infusus. Insuperq; lubricitatem subiectis stercoribus exhibet. Furfurũ succus febribus siccis, & doloribus colicis, & intestinorũ ulcerationibus cõmodus est. Exterget enim absq; morsu. Portulacæ succus febribus accõmodatissimus est, in morsibus ac feruoribus, tũ alijs, tũ in quibus propter durorũ ac acriũ stercorũ excretionẽ, anus aut intestinũ rectũ læsum, ignis sacri affectionẽ incurrit. Verũ in his miscere ad succum oportet & ouum, & rosaceũ. Sed & per se succus portulacæ cõmodus est, ubi sacri ignis ardor in profundo circa intestina cõsistit. Lac inijcitur, ulceratione & inflãmatione circa intestina consistente, itemq; in renibus & uesica atq; utero. Serum lactis infusum, egregiè stercus educit, & omnes superfluitates in intestinis repertas expellit. Exterget etiã sordidiora intestinorũ ulcera. Verũ citra coagulũ paretur. Oleum per se immissum calidum, cõmodum est inflãmatis intestinis. Idoneum est etiã in extremè senibus, in quibus stercus induratur. Aqua mulsa cõuenit infusa in mitioribus febribus, & in mulierosis corporibus, & in decrepitis, quibus intestinũ rectum aut colũ perfrigefactũ est. Rutæ decoctum, itẽ anethi, et cumini cũ oleo, dissoluit flatus. quapropter colicis immititur. Oportet autẽ in his esse duas partes decocti, & unã olei. Fœnigræci succus butyro & terebinthina ammixtis, ita ut sit de utrisque quarta pars succi, maximè mitigat tormina, siue concussiones circa intestina. Nã & diu intus manet citra mordacitatẽ, & superfluitates educit citra turbationem. Vtilissimus est etiã ad uteri morsus. At ptisanæ succo miscetur butyrũ & mellis ualde parũ, & fit cõmodus in detẽtis stercoribus propter intestinorũ ulcerationem, & in sordidis intestinorũ ulceribus. Rutaceum oleũ cum butyro & terebinthina, utiliter infunditur in colicis doloribus. Aliquãdo uero picis liquidæ drach. III. aut bituminis drach. IIII. cũ rutaceo oleo terentes infundimus, & sedat dolores, & pituitã euacuat citra molestiã. Aliquando uero lanas sordidas in uino dulci coquimus & excolamus, atq; hoc ipsum oleo rutaceo ammixtũ infundimus, & coli dolores sedat, ita ut sint uini mẽsuræ tres, olei uero duæ. Si uero neruorũ ex quibus testes pendent, aut uesicæ dolor affuerit, etiã petroselinũ leuissimè tritũ rutaceo oleo inspergatur. In doloribus uero abscessuum, aut doloribus ulcerosis in intestinis, butyrum cũ mãna thuris immittimus, aut medullã cerui aut uituli cũ oleo. Vbi uero frigidi fuerint morbi, & dolores lenti, galbanũ cũ butyro inijcimus, ut sit galbani drach. una, butyri sexcũx. Aut styracis oboli tres cũ butyro. Cæterũ acribus infusis utimur in ischiadicis, lethargicis, erecta ceruice spirãtibus, & frigidis

morbis, & ad eos qui letale pharmacum acceperunt, & in his quæ propter frigiditatẽ, aut concretionẽ in grumos, occidunt. Proinde in frigefactis toto corpore, syderatis, ischiadicis[que] ac nephriticis, castorij obol. IIII. tritos cum oleo immittimus addito modico sale. Verum pro sale nitrum addimus, quũ bis aut ter promptitudinẽ ad excernendũ facere uolumus. Sal etenim aceruatim quidẽ mordet, non perseuerat autem diu ipse morsus. At nitrum caput male afficit ac replet, & stomachũ euertit, quale nihil sali adest. Efficacia autem sunt ad paulò antè relatos, garũ à siluro, marina aqua, muria, decoctũ centaureæ, colocynthidis, aristolochię, cucumeris syluestris radicis, agarici, thymi, chamæpityos, seminis rosmarini. Hæc enim & sanguinem ducunt, & hoc ipso affectiones leuant.

De glandibus. Cap. CLX.

Glandibus subdititijs utimur, aliquãdo ob ęgrorũ imbecillitatẽ, qui infusis uti nõ possunt. Aliquãdo propterea quòd stercora sint apud intestinũ rectũ, & infuso nõ habeant opus: præsertim in febribus uehemẽtibus ac ardentibus, & materiã sursum repentẽ habẽtibus, in quibus nociuus est infusionũ usus. Nam in his absq[ue] omni molestia educuntur superfluitates insitæ, per glandes subditas. Cõmodæ sunt etiã omnibus frigidis capitis affectionibus, altiore somno pressis ac deliris. Cõtingit etiã ipsorum usus sæpe in his quibus nõ excernitur id quod per clysterem immissum est. Præparãtur autẽ diuersimode glãdulæ ipsæ. Nam & ex melle cocto, & sale tosto, & nitro præparantur. Et ex cumino & ruta nitro[que] ac melle cocto, in quibus inflatio magis infestat. Sed & thymus tritus cocto melle excipitur. Et cyclaminus trita cũ melle. Et absinthiũ, aut abrotonũ, aut lupinorũ farina cũ melle. Hæc autem glandula ad lumbricos cõmoda est. Aut hyssopũ & tragoriganũ & epithymum cũ melle. Hæc in stomachi subuersiõe utilis est. Aut granum cnidiũ cũ resina sicca siue melle cocto. Aut pyrethrum cũ resina sicca. Aut sinapi cũ sicca resina. Aut centauriũ cum pice & cera. Hæ cõmodę sunt in partium resolutione. Aut bitumẽ, radicis panacis parũ, hyssopũ, galbanũ, & resina sicca. Vtilis est hæc glans ad resolutos toto corpore, & propterea facultatẽ excernẽdi debilẽ habentes. Facit & in resolutione intestini recti. Facit ad ascaridas. Potest autem pro melle resina sicca in usum assumi, aut pix, aut ficus pinguissima trita, aut uua passa exẽptis granis, aut sapo. Optima uero glandula fit ex folijs mercurialis uiridibus tritis ac efformatis & siccatis. In infantibus autẽ etiã grumus salis inditur, cepa[que] ac porrũ capitatum.

De tomentis siue floccis. Cap. CLXI.

Sæpe etiam opus est aliquid subdere, in his qui scissuras aut condylomata in ano habent. dilaniantur autẽ hæc à glandium duritie. Vnde cogimur tomẽtis pro illis uti. Materia uero horum sunt omnia antè relata, quæ trita cum melle, & tomento siue flocco excepta ano induntur.

De aëre. Galeni. Cap. CLXII.

Bonus est aër in omni tẽpore qui exactè purus est. Talis autẽ fuerit is qui nõ ex stagnorũ aut palustriũ locorum euaporatiõe turbatur, neq[ue] ex barathro quopiã uenenosam aurã concipit. Velut uerbi gratia. Si ex quibusdã cloacis magnã ciuitatem expurgãtibus cõturbatur, malus est. At uero & qui nebulosus est, non est bonus. Quemadmodum etiã qui in regione caua undiq[ue] altis montibus includitur, malus est & æstuosus ac strangulatorius. Qui uero in mõtibus altis[que] regionibus est, & nullã aurã suscipit, salubrior est, cõmodus erecta ceruice spirantibus & tabidis, & omnibus thoracis ac capitis affectionibus. At qui in humilibus regiõibus purus est, cõmodus est animo deliquẽtibus ac senibus. Marinus uero hydropicis et fluidis affectionibus, & præsertim frigidioribus utilis est, & neruis per consensum affectis, & prostratæ appetẽtiæ. Qui uero in petrosis locis est, hyeme quidem grauis est, frigidus enim est: æstate uero æstuosus est. Malus est etiã qui ex metallis exhalat. Qui uero ex argillosis, stomachũ exoluit. At ex locis terræ fuluæ, magis priore siccat. Optimus autẽ est ex terra nigra. Sed & circa anni tẽpora, mutationes aëris fiũt. Et uerno quidẽ tempore humidus & calidus est aër. Aestate uero siccus & calidus. Autumno frigidus & siccus, hyeme frigidus & humidus. Rursus autem in singulis tẽporibus tres differẽtiæ fiũt, prima, media, & ultima. Media itaq[ue] sincerissimũ temporis tẽperamentũ habẽt. Prima uero & ultima à uicino tẽpore imminuũtur. Sed & luna secundũ mẽsem quatuor differẽtias in aëre operatur. Primus igitur septenarius à nouilunio usq[ue] ad septimã diẽ, similis est ueri, humidus & calidus existẽs. Secundus uero septenarius usq[ue] ad pleniluniũ, æstati similis est. Tertius sextenarius decrescẽte luna, autũno. Quartus et ultimus, hyemi. Sed & singulis diebus differẽtiæ aëris fiũt. Matutinũ enim tempus humidũ est & calidum, uelut uer: Quapropter etiã corpora tũ sanorũ, tũ ægrotorũ remittũtur, ut etiã febrientibus hoc tẽpus facilimè toleretur. At mediũ diei, æstati assimilatur. Crepusculũ autũno, uespera hyemi. Quin & noctis prima pars ueri assimilatur, media æstati, & reliqua cõsequẽter.

De uentis, Adamantij Sophistæ. Cap. CLXIII.

Quandoquidem uero ex terræ exhalationibus uẽti generantur, etiã de his paucis tractandum est. Ventos quidem parturit terra. parit autẽ fuliginosas exhalationes. Nam caliditas humiditati inuoluta, sicciores exhalatiões, & uelut fuliginosas faciẽs, uentos generat. Siccam autẽ exhalationẽ nunc accipe ad cõparationẽ aliorũ, uelut si uinũ siccius dicamus. Vniuersales uẽti duodecim sunt numero. Oriẽtales tres, eurus, subsolanus, cæcias. Occidentales tres, aphricus, fauonius, thrascias. Vnus autem meridionalis appellatus auster, & unus septentrionalis boreas: ut sint relati octo. alij uero quatuor inter relatos medij sunt, et ab angulis mũdi excitãtur. Inter orientẽ & meridiem, Euroauster. Inter meridiẽ & occidentẽ, Aphricoauster. Inter orientẽ & septẽtrionem, Aquilo. Inter septentrionẽ & occidẽtẽ, Argestes, siue Circius: ut sint omnes uniuersales XII. Alij uero qui uernaculi sunt singulis regionibus, spurij existũt. At uero aliæ exhalationes ex terra fientes, humidiores his sunt quæ uentos generãt. Si quidẽ igitur modica & tenuis fuerit exhalatio, uapor nubilosus generatur. Si uero amplior & crassior, caliginosus. Si uero adhuc crassior, tenebricosus. Plurima uero ac crassissima humiditate exhalãte, uapor diffunditur in ambientẽ roscidus. Ex his quatuor exhalationibus cõcretis rores & imbres fiunt ac deferũtur: cõgelatis uero pruinæ, & niues, & grandines, pro frigoris qualitate ac quãtitate. Nulla uero harum uentũ generare solet, quũ segnes sint & impetu careãt. Et humida q[ui]dẽ exhalatio quæ

uapor appellatur, rores & imbres facit. Siccior autẽ facit uentos, & est sicca humidę contraria. Quomodo uero sępe simul imber & uẽtus fit: dicimus, quia ex alio atq; alio loco afferuntur. Quũ enim ex diuersis latitudine locis contrariæ exhalationes fiunt, tunc & pluit & flatus fit. Cur autẽ aliquando post pluuiã uenti fiunt, aliquãdo post uentos pluuia sequitur: dicimus, Quoniã caliditas in terra nõ habet in illo tẽpore humorẽ quẽ accedat, & propterea manet ociosa. ubi uero arripit pluuialẽ humiditatẽ, efflorescit: et per materię incensionẽ fuliginẽ excitans uentos efficit, qui iam sanè cõsumpta pluuia nube, manẽt in serenitate spirãtes, aut impellunt id quod ipsos genuit. Pluuia itaq; hoc modo uentos generat. Ventus autẽ pluuias hoc modo generat. Ostendimus quod cõmunis est caliditas utrisq; exhalationibus. Verũ humiditas quãtitate diuersa est. Quum igitur multa fuerit caliditas, larga uero humiditas, tũc appropinquantẽ humiditatẽ in superficie exurit, & fuliginẽ simul ac uapores facit. Transpirans autẽ caliditas ex multa humiditate paulatim imminuitur, & non amplius humiditatẽ exurit, sed diffundit, & uapores pro fuligine facit. Atq; sic succedit imber pòst. Et sępe ad multos dies obtinet pluuia calido exoluto, & non amplius materiã exurere potente. Cur autem multi & assidui boriales ac anniuersarij uenti in æstate fiunt: Quoniã sol sub boreali polo plurimã reperiens humiditatẽ, partim in niue, partim in aquis cõgelatis, & hãc paulatim eliquãs, diuidit quidẽ in fluuiorũ ac stagnorũ generationẽ, effundit autẽ & fontes in terra. Et propterea multas exhalationes efficit, quas in flammã exurẽs, unà cũ caliditatibus multo tempore in terra occultatis, fuliginosas ipsas reddit, & quod exuritur ad uẽti diuturni fluxũ paulatim redigit. In cõmuni igitur omnis uentus longiorẽ aëris fruitionem exhibet corporibus, uiolẽto motu aërem inducẽs. Porrò locales uenti similes sunt locis ex quibus spirãt, à salubribus locis, salubres, à morbosis, morbosi. Quare ex relatis de aëre, etiã de his coniectare oportet. Quo uero in summa dicamus, omnes locales uẽti uniuersalibus morbosiores sunt. Nã corpora inæqualiter afficiũt, neq; totum aërem cõmouentes, neq; per totũ diem spirantes. Maximè enim locales uenti circa matutinũ solũ tempus spirãt, quos nautæ Apogeos, uelut è terra eleuatos appellãt. At ex uniuersalibus uentis hi qui à meridie spirant Austri appellati, calidũ temperamentũ habẽtes semper, ferme etiã humidi sunt. Trãsmutantur autẽ ad tempora anni, & fiũt calidi ac sicci. Et propterea uarios morbos generant. Boreales uero frigido sunt temperamẽto, & ideo omnium uentorum saluberrimi, & præsertim in calidioribus ac carnosis corporibus. At uenti orientales uehementissimi sunt, & morbos à siccitate contingentes efficiunt. Occidẽtales autem humidi sunt ac lenes, et corporibus nostris magis familiares.

De accessione ac significatione stellarũ. Cap. CLXIIII.

Quandoquidem etiã stellę in cœlo orientes iuxta tempora à deo ipsis ordinata, & similiter occidẽtes, aëra mutant, ut contingat ex hoc etiam uentos aliàs aliter spirare: necessarium duxi hic tempora indicare, in quibus earum quæ palàm aërem alterant, ortus & occasus fiunt. Nam sanorũ corpora, & multo magis ægrotorum iuxta aëris statũ alterãtur. Mense Martio qui Dystros Græcis est, equus mane oritur decima nona die. Mense martio die XXIII. æquinoctiũ uernũ est, & maxima aëris turbatio. Mense aprili hoc est Xanthico, prima die intempesta nocte pleiades apparẽt. Mensis april. XIX. pleiades uesperi occultantur. Mensis april. XXI. pleiades cum solis ortu oriuntur, & est maxima circa aërẽ turbatio. Mensis aprilis XXVII. orion uesperi occultatur. Mense Artemisio, hoc est Maio, prima die hyades simul cum solis ortu oriũtur. Mensis maij quarta, lyra uesperi oritur, & aër multũ alteratur. Mensis maij sexta, capra mane oritur, & ualde alteratur aër. Mensis maij septima, pleiades mane apparẽt, et aër sedari incipit. Mensis maij XIX. hyades mane apparẽt, & aër ualde alteratur, pridie aut nudiustertius eius diei. Mensis maij XXIIII. capra uesperi occultatur, & nudiustertius eius diei aër mouetur. Mensis iunij secunda, aquila uesperi oritur. Eiusdem sexta arcturus occidit. Nona delphin uesperi oritur. Vigesima quinta oriõ mane oriri incipit. Sunt autẽ solstitia æstiua, & aër tribus diebus antea ualde alteratur. Mensis iulij tertia oriõ totus oritur. Decimaquarta procyõ, siue canicula mane oritur. Decima nona canis oritur, & contingit maxima aëris turbatio, aliquando etiã nudiustertius eius diei. Vigesima quinta aquila mane occidit. Mensis augusti decima quinta lyra mane occidit, decima nona delphin mane occidit. Et est mutatio æstatis ad frigiditatẽ. Vigesima octaua uindemiator mane oritur, & malus nauis occidit. Et est finis dierũ post exortũ canis. Mensis septembris septima capra uesperi oritur. Decima septima arcturus oritur, & alterat sequenti die aërem. Decima nona spica mane oritur. Alteratur aër duobus diebus antea. Vigesima quinta æquinoctiũ fit autumnale, & est maxima aëris turbatio tribus antea diebus. Quare cauendum est ne uenam secemus, neq; purgemus, neq; aliàs corpus uehemẽti motu moueamus, à decima quinta septẽbris usq; ad uigesimam quartã eiusdẽ mensis. Mensis octobris sexta corona mane oritur, & est uehemẽs aëris mutatio. Septima hœdi uesperi oriuntur. Decima septima hyades uespere oriũtur, & magna fit aëris turbatio. Vigesima tertia unà cũ solis ortu pleiades occidunt. Et cõtingit pridie maxima aëris turbatio. Mensis nouẽbris sexta pleiades mane occidunt, & incipit aër sedari. Vndecima lyra mane oritur. Vigesima prima hyades mane occidũt, & sequenti die turbatio fit circa aërem. Vigesima septima orion oritur, & corona occidit. Mensis decembris prima, canis mane occidit. Obseruatũ est autem à multis, quòd si tempestuosa fuerit hæc dies, perseuerat plerũq; turbatio aëris ad dies XXXVII. Si uero serena fuerit, per tot dies serenitatem fore significat. Decima hœdi mane occidunt. Vndecima capra mane occidit, & perturbatio aëris fit postridie. Vigesima tertia solstitium est hybernum. Mẽsis ianuarij quarta delphin oritur. Quinta aquila uespere occidit, & fit turbatio uehemens post duos dies. Vigesima quinta illustris stella in leone occidit. Mensis februarij sexta fauonius spirat. Vigesima secunda malus nauis uesperi occidit, & est turbatio aëris magna. Vigesima quinta arcturus uesperi oritur. Vigesima sexta hirundines uolant & apparent.

De aquis, ex Ruso. Cap. CLXV.

Aquarũ potabiliũ quinq; sunt uniuersales differentię, pluuia, fontana, puteana, fluuialis, stagnina. Ex his apparet aqua pluuia leuissima et facilimè mutabilis, & in alijs affectionibus potu optima, si statim exci-

canicula

piatur ac coletur. Verum febribus & his qui bilem supernè ac infernè reddunt, & regio morbo incōmoda est. Mutatur enim facilè & in bilem trāsit. Idonea uero est ocularijs medicamentis, ad fluxus aut ulcera destinatis. At his quæ uisum acutiorem reddunt, inepta est. Itemq; ad metallicorum pharmacorum loturam. Adstringit enim amplius quàm fōtana. Quare necq; exterget, necq; concoquit, necq; madefacit, & excretiones impedit. Diuturnior autem acerbior fit, & difficilius transit, & ægrius secernitur, tardius item concoquitur ac digeritur. Generat autē destillationes, præsertim si frigida bibatur. Fōtanæ uero aquę, quarum fontes ad septētrionem erumpunt ex petris stillātes solē auersum habent, incoctiles ac tardi trāsitus sunt, & tarde calefiunt, ac frigefiunt. Quarū uero fontes ad orientes erūpunt, & per meatū quendā aut terram purā excolantur, calefiuntq; ac frigefiunt citissimè, hæ optimæ sunt, nisi ex cloacis quibusdā uitium ipsis accedat. At puteana frigida est, terrea, difficulter excernitur, ægrè digeritur: & propterea æstuoso stomacho aut uentri cōmodior est quàm fontana. Fluuiales autē aquæ & stagninæ omnes malæ sunt, Nili aqua excepta, hęc enim omnibus uirtutibus exornata est. Nam & in potu iucūda est, & moderato tēpore in aluo moratur, sitimq; extinguit, & si quis frigidā bibat, minimè molestat, & ad cōcoctionem ac digestionē utilis est. Vnde concinnū, & robustū, & bene coloratū corpus facit. At aliorū fluuiorum aqua ęgrè cōcoquitur, siccat, & siticulosa est, & pręsertim si uitiosas aliquas regiones pertransit. Meliores autē sunt fluuij, qui per fontes perpetuos fluunt, & alijs fluuijs non miscentur. Stagnina uero aqua, propter cœnosam circūferentiā, limosa & grauis est: & propter stationem ac immobilitatem, uelut mortua & putrefacta. Quare nunquā alia pręsente aqua, exhibēda est hæc debilibus. Porrò iuxta terrā quocq; ac regiones, plurimæ aquarū differentiæ fiunt. Verū ut in summa dicā, quæ gustui congrua est, & cui inhabitatorū experientia testimonium prębet, optima censenda est. Nam quæ cito calescit ac frigescit, & facilè carnes ac alia omnia coquit, ea etiā cibos in uentre concoquit. Quæcūq; uero aquæ adstrictionem, aut salsedinem, aut nitrositatem, aut crassitiem, aut aliud quid in gustu detegunt, malæ sunt. Itē quæ graue olent, & quę concretionem superstantem habent, & subsidentiā fœtidam ac solidam, & quæ instar lapillorum æreis uasis adhærent, & quæ hirudines nutriunt, aut talia quædā praua animalia: & stantes, & palustres, & quæ sunt in metallis auri & argēti, aut aluminis, aut sulphuris, aut similibus. Et quibus radices insitæ sunt, incommodę sunt. Et quibus uicinæ sunt calidæ aquæ siue spontanee erumpentes, omnes tales malæ sunt. Optimum igitur fuerit talem aquā præcoquere in fictilibus uasis, & frigefacere, & rursus calfactā bibere. Cæterum in peregrinationibus aut exercitu, fossæ consequenter faciendæ sunt, ab altissimis locis ad decliues, & per has ducenda est aqua, ita ut in totas fossas terra dulcis ac pinguis mittatur, ex qua fictilia fiunt. Semper enim in fossis relinquitur aquæ malitia. In summa, omnis aqua tarde transit, ægre concoquitur, & flatuosa est, & præsertim frigida destillationē facit. Si uero ab acceptis in cibo oleribus quis aquam bibat, maius est periculum, ne homo tenuia capitis ulcuscula, & scabiē, & lepras, pustulas, impetigines, furfures, putrida ulcera, herpetas, satyriases, aut ex his aliqua incurrat, & ad hoc urinas mordaces talesq; etiam egestiones habeat, & præsertim si nitrosa fuerit aqua. Incōmoda est etiā thoraci, arterię ulceratę, nitrosa aqua, renibus item ac uesicæ & omnibus ulceribus. Emendant autem nitrosam aquā, cibi hebetantes ac uinum. Crassam uero, secantes & attenuantes, uelut sunt allia & similia. Aluminosam, uinum tenuissimum, omnia urinam cientia, & omnia excretionem impellentia. Videtur porrò aqua cōuenire capitis doloribus, hebeti uisui, comitiali morbo, articulari morbo, tremulis, resolutis, per se, & cum melle pota. Commodior est autem his quæ ab utero strangulantur, & qui bilem generant nigram siue flauā, à quibus os uentris roditur & robusto uentri, ac intestino ieiuno, & iuuenibus exudantibus carnosis, & omnibus pinguibus, & nimium purgatis, & ex uulnere sanguinem fundentibus, aut ex naribus, aut alio loco. Commodat & æstuosę febri tempestiuè data. Cōuenit etiam his qui assiduè in somnis semen effundunt, & qui aliàs seminis profluuio laborāt, in potu accepta: quāquam prosit etiā in ipsa natare, ex eaq; perfundi conuenit mulieribus è fluxu, aut pica laborantibus. Cōuenit singultientibus, & oris graueolentiam habētibus frigida pota. Tepida uero cōuenit morbo comitiali, capitis doloribus, lippientibus, gingiuis dentiū corrosis, dentibus perforatis, gingiuarum abscessui, & gingiuis cruentis, faucibus ulceratis, tonsillarum morbis, fluxioni capitis, atræ bilis feruori, bili supernè ac infernè erumpenti in principio, & uomentibus in febri biliosa. Conuenit etiā tepida aqua quū frigidæ impedimentū fuerit, & his qui ulcera habēt circa septum transuersum, & sanguinem spuentibus, & rupturis in succingēte costas membrana. At uero calida aqua conuenit, ubi oportet excretionem præparare, & ubi quid attenuare, & ubi diffundere, aut liquefacere, aut mollire, aut eluere, aut concoquere, aut discutere uolumus. In uniuersum igitur calida pota hæc potest. Particulatim uero, mucum ducit, & screatum adiuuat, & dolorem omnē mitigat, & pręsertim in præcordijs ac intestinis, ructum mouet, & flatum prouocat, urinam ac secessum ducit. Bona est etiā ad concoctionem, ac digestionem, & nutritionem, atq; augmentū. Menses ducit, neruis & cōuulsionibus idonea est. Pleuritidi itē ac peripneumoniæ & anginę. An uero nutriat, aut non nutriat, & an sit alimenti uehiculum, non est propositum hic quærere. Quod uero dicere necessarium est, hoc est, quod sine aqua alimentum concoqui non potest: Sicut neque citra aquam quicquam commodè coqui potest. Cæterum aqua lixiuij pota splenicis prodest. Et si quis panem cum tali aqua præparatum ipsis præbeat, multum prodest.

De Balneis. Ex Galeno. Cap. CLXVI.

Balnea quædam sunt dulcia, quædam qualitatis exortia, quædam qualitatem aliquam habent. Et quæ aliam quandam qualitatem habent, partim ex nostro studio uim habēt, partim naturalem uim per se possident. Primum igitur de dulcibus dicendū est, quandoquidem horum usus frequētior existit. Dulcium itaq; aquarum uis humida et calda est, si quidem fuerint tēperatæ. Si uero tepidæ fuerint, humida & frigida. Si uero calidiores æquo factæ fuerint, calida quidem

quidem ipsarum uis est, nō autem similiter humida. Inhorrescere enim cogunt corpora, & meatus ipsorum densari, ut neq; extrinseca humiditate fruantur, neq; ex internis superfluitatibus quid euacuetur. At enim à temperatis incipiendum est. Temperatę itaq; semper humectant per seipsas ac calefaciunt. Contingit autem ipsas aliquando aut discutere humiditates ex corporis quibusdam partibus, aut mollire, aut concoquere, aut corroborare uirtutem, aut dissoluere. Ad hęc tamen etiam quantitas ipsarum non parū confert. Commoda uero sunt talia balnea, dulcia inquam & tēperata, in febribus siccis & humoris exortibus, & præsertim in immodicè sitientibus, & in forti insolatione, & in pustulis scabiosis. Oportet autem & aërem balnei humidum efficere pauimēto & parietibus atq; conspersis. At uero calida ex nostra industria parantur balnea, quum frigiditatem infestātem sedare uolumus, aut lassitudinis affectum, aut conuulsionem, aut dolorem mitigare. Fiunt autem calida, calfactorijs quibusdam aquę immixtis, uelut pulegio, origano, hyssopo, thymo, thymbra, saluia, folijs lauri, pyrethro, chamępity, panacis radice, rosmarini semine, & similibus. Balneis autem discussorijs utimur, aut habitum corporis graciliorē reddere uolentes, uelut in pinguibus, & ex affectione tumefactis, aut toto corpore, aut aliqua parte, uelut abdomine, testibus, pedibus, uelut in hydropicis cōtingit. Vtimur etiam in fluidis ulceribus, propter subiectam in toto corpore multitudinem, aut uaricibus ulceri subiectis. Fiunt autem discussoria balnea, iniectis aquę talibus quibusdam, qualia sunt, sal, nitrum, aqua marina calefacta, & mel aquæ ammixtum, aut staphis syluestris cocta cum aqua ex cinere ficulneo aut uitis percolata. Item baccæ iuniperi cum eadem aqua coctæ, & sulphur eadem aqua elutum, adarce & alumen cum eadem coctum. At uero mollibus, & lenibus balneis utimur, in inflammatione ac duritie quadam partium. Talia autē fiūt malua in aqua cocta, tum hortensi, tum syluestri, & semine lini, & fœnigræci, & meliloti. In fluidis autem inflāmationibus, plantago aut polygonum aquæ incoquitur, aut malicorium, aut rubi folia. In conuulsionibus autem inflammationem minantibus, utimur his quæ iam relata sunt in inflammationibus absq; fluxionibus. Maximè uero prodest his aqua & oleum, in quibus malua, fœnumgræcum ac semen lini sunt incocta. Si uero duritia est citra inflammationem, prædictis discussorijs utemur.

De balneis naturalibus. Archigenis. Cap. CLXVII.

Ex balneis naturalibus quædam sunt nitrosa, quędam salsa, quædam aluminosa, aliqua bituminosa, aliqua sulphurulenta, aliqua ferri, aliqua æris qualitatem habent. Quædam uero ex his composita sunt. Horum autem omnium uis est siccare. Aliqua uero unà cum hoc quòd siccant, etiam strenuè calfaciūt. Quædam unà cum siccando etiam adstringunt, uelut aluminosa, ex parte uero etiam salsa, & quæ æris qualitatem habent. Omnia autem sunt commoda humidis & frigidis præter naturam corporibus, & talibus morbis diuturnis. Quapropter cōueniūt morbo articulari, podagræ, resolutionibus, nephritidi, anhelosis, fracturis calli inductione egentibus, ulceribus fluidis, inflāmationibus diuturnis & iam induratis. Et nitrosa quidem ac salsa capiti conueniūt, & thoraci fluxionibus uexato, & stomacho humido, & hydropicis, & tumoribus omnibus. Aluminosa uero, sanguinis reiectioni, stomacho uomenti, & his qui immodice ab hæmorrhoidibus euacuantur, & fœminis quæ inordinatè purgantur, aut nimium purgantur, & quæ citra manifestam causam frequenter abortiunt. Prosunt & his qui immodicè exudant, & tardè concoquunt, & tumoribus surarum. Commodant etiam uaricibus. At sulphurulenta & neruos molliunt, & tenasmi dolores mitigant. Verum stomachū exoluunt ac subuertunt. Purgant autem cutem, & propterea conferunt uitiligini albę ac nigræ, lepræ, scabiei, impetigini, & ulceribus antiquis, articulorum fluxionibus, spleni indurato, hepatiq; ac utero, resolutis, coxēdicum morbo, & prurítui. Bituminosa uero caput replent, & sensuū instrumenta lædunt. Perseueranter autem calfaciūt, & cum tempore molliūt, & præsertim partes circa uterum & uesicā ac colum. Quæ uero æris qualitatem habent, ori & tonsillis, & uuæ, atq; oculis excellēter cōmodant. Ferri uero qualitate prædita stomacho & spleni conuenientissima sunt. Porrò quæ mixtam qualitatem habent, iuxta dominium mixtorum operantur. Oportet autem ingressus ad naturalia calida balnea citra turbationē facere, quo uis ipsorum remisso corpori allabens immergatur. Nā qui perturbati ingrediuntur, eorum corpus horrescens densatur, & nō suscipit ab aqua qualitatem. Cæterum bituminosis & sulphurulentis aquis salientibus, caput supponere non oportet, facile enim inde læditur.

De frigidæ lotione. Ex Galeno. Cap. CLXVIII.

Frigida balnea conueniunt inculpatè sanis. Corroborant enim totum corpus, & cutem duram ac densam efficiunt. Optimum est autem hoc præsidium contra læsionem ab externis. Non autem dico conferre frigidæ lotionem his qui uulgari uictu temere utuntur, sed solum his qui exactè uiuunt, & laboribus ac cibis conuenientibus utuntur. Sint autem neque ex uenere, neque aliàs lassati, neque crudi, neque prius uomuisse debent, neq; uentre malè affecti esse, neque uigilasse. Alioqui periculosus fuerit eius usus. Oportet autem insuetos ad frigidæ lotionē paulatim adsuefacere: Et primum quidem in æstate ipsius usum auspicari, & primum non in sinceram frigidam ingredi, sed quæ superficiem habet exolutam. Deinde ubi paulatim per totam hyemem adsueuit quis, ita ad frigidam accedere. Sit autem dies in qua auspicatur, à uentis tranquilla, & quàm maxime pro illo tempore calida, & in meridie initium faciat. Qui uero frigida usurus est, sit ętate circa quintum & uicesimum annum, sit animi alacris & ualde uirilis. Et primum fricet corpus linteis diutius frictione duriore: Deinde per oleum fricetur consuetum, postea exerceatur, atque ita in frigidam descendat, non lentè, sed confertim insiliēs, quo in uno tempore omnibus corporis partibus aqua circumfundatur. Nam quæ paulatim appropinquat, horrorem inducit. Sit autem aqua uelut dictum est, neque tepida, neq; purè frigida. Postquàm autem egressus fuerit ex aqua, à pluribus per oleum fricetur, donec cutis incalescat. Et postea cibos plures quàm solet ingerat: Nam plures appetunt à frigidæ lotione, & melius concoquunt, & minus sitiunt: Quare etiam paucior potus ipsis dandus est.

De insessu in solium ex oleo. Galeni. Cap. CLXIX.

Insessus in solium ex oleo, conueniunt diuturnis cum frigore febribus, & lassatis, & dolentibus neruos ossibus incumbentes, & conuulsis, & urinæ suppressæ. Oportet autem quintam olei partem ad ignem calfacere: Reliquum uero in solium immittere. Satis autem calidum fit, quod in parua solia balneorum immittitur. Quinta uero pars ad reliquum calfacta adijciatur, atque sic æger inducatur.

De spongiæ usu. Archigenis. Cap. CLXX.

Spongiæ usum assumimus in alijs quidem partibus, aut ad sordes incumbentes detergendas, aut ad saniē, aut sanguinem, aut pus, aut ipsa medicamenta, aut ut corpora à mordacitate aut pruritu uexata mitigemus. Verum in facie, ut spiritum renouemus ac resuscitemus, uelut in his qui animo linquūtur aquam adhibemus æstate quidem frigidam, hyeme uero lactosam siue lactei teporis. In ægrotis autē cautè hoc faciendum est, non in principio, neque in augmento exacerbationis, sed in uigore ac declinatione. In principijs enim impetuum refocillamus per odoramenta. Vult autem Archigenes in febris ardentis excessu iuxta ipsum uigorem, ut non solum faciei spongiam adhibeamus, sed etiam pectori.

De aspersionibus. Cap. CLXXI.

Sed & aspersiones faciei assumimus in ægrotis, ob prędictas causas. Et æstate quidē in ardentissimis febribus frigidam adhibemus, hyeme uero calidiorem. Verum in simplicioribus febribus, & in stomachi subuersione, etiam poscam aspergimus. Cauendum autem ne diutius immoremur, & præsertim in his qui caput quod facile lęditur habent. Nam delationis in soporem grauiorem ac periculosæ frigiditatis initium præbet. Vtimur etiā aspersionibus in oculis fluxione infestatis, ocymi decoctum uelut efficacissimum adhibentes, & ramulorum pinastrorū contusorum decoctum. Subijciatur autem mento spongia sicca, ut ne defluat aqua ad pectus.

De irrigationibus. Cap. CLXXII.

Irrigationibus utimur ubi ob aliquam circūstantiam balneum adhibere prohibemur. Et in uigilijs, in febribus, & ad delirantes ipsis utimur, uelut est decoctum chamæmeli, aliquando etiam calicum papaueris. Quin & decoctis in oleo calicibus papaueris, caput irrigamus, & statim iucundus somnus sequitur. Archigenes autem præceptorem suum Agathinum ex uigilijs delirantem, cōfestim à delyrio ac uigilijs liberauit, capite eius multo calido oleo irrigato. At in conuulsionibus caninis oleo sicyonio calido, aut aliquo consimili caput perfundendū est. Item in his quibus nerui fortiter sunt afflicti. Si uero frigiditas & tremor ad afflictionem neruorum consequatur, etiam castorium ad sicyonium ammiscendum est. Podagricos uero marrubio in aqua aut uino cocto irrigamus.

De insessionibus. Cap. CLXXIII.

Insessiones assumimus in partibus inflammatis, aut ob balnei penuriā, aut propter uirium debilitatem, aut ob aliud quoddam impedimentum. In inflammatis igitur renibus, utimur decocto fœnigræci, maluæ hortensis ac syluestris, seminis lini. In calculosis uero, ijsdem propter inflāmationem, & artemisiæ decocto, ac rosmarini, & petroselini, ac spicæ nardi. Iisdem etiam utendum est in uesica, adiecta etiam ruta. Ad uterum uero, artemisiæ decocto, saluiæq; ac lauri, & similium. Ad colum autem, sinonis & panacis decocto, & lauri ac similium. Ad sedem, meliloti, calicum papaueris & rosarū decocto. Ad fluxiones autem uteri & hęmorrhoidas ani, plantaginis decoctum conuenit, & polygonij, malicorij, rosarum, ruborum, ac similium. Ad uulnera uero cōuulsionem denuntiantia, aqua & oleum. Omnes igitur illinēdi sunt, & inducendi usq; ad imum umbilicum. Oportet autem & partes quæ non madefiunt, prius inungere, & præsertim caput, & tegere ut ne repleatur.

De humectationibus. Cap. CLXXIIII.

Humectatio differt ab irrigatione, eò quòd perseuerātem ex adhibito auxilio habet utilitatē: Nam aut lanam aut linteum humectantes imponimus partibus affectis post perfusionem siue humectationem. Habent igitur minorem uim quàm cataplasmata. Vtimur autem ipsis ad caput, quod non probè ad cataplasmata dispositum est, & ad eos qui ob debilitatē ferre non possunt cataplasmatum grauitatem, & ad præcordia inflammata, circa morborum principia, quum intempestiuus sit tunc cataplasmatum usus. Vtimur etiam ad fracturas ac contusiones necessitate expetente, quando emplastica pharmaca assumere non possumus.

De fomentis, perfusione, cataplasmatis, ac cucurbitis. Ex Galeno. Cap. CLXXV.

Fomenta cutem rarefacere solent, & facile transpirabilem efficere, & sanguinem in inflammationibus attenuare ac discutere, toto nimirum corpore tunc superfluitatibus carente. Nam superfluitas quę redundat in quibusdam per omnem cutem, plus ad calefientem partem trahetur quàm discutietur. Quapropter ante fomenta totum corpus euacuare oportet. Humida itaq; fomenta inflāmationibus conueniunt à biliosioribus humoribus factis, Sicca uero his quę à tenui & aquoso sanguine productæ sunt. Et leuia quidem somēta mordacibus humoribus conueniūt: Mordacia uero & attenuantia, crassis ac uiscosis. At uero calfacere pręcordia cataplasmatis aut irrigationibus, non semper tutum est. Sed in illis solum ęgrotis, in quibus nulla superfluitas in toto corpore oberrat. Alijs omnibus extremum malum est. Cōtingit autem in plenitudinis morbis, ut diuites magis quàm pauperes male curētur. Pleriq; enim ipsorum præ delicijs non sustinent uenæ sectionem, & quidē quum magis quàm pauperes plenitudinis affectionibus corripiantur, ut qui etiam magis impleātur & ociosius uiuant. At qui curant ipsos medici, eò quòd relictum est maximum auxiliū, arbitrantur se aliorum usu expleturos esse quantum deest. Et sanè ipsi etiam ægri putantes quietum uictum, negligentiam esse, & quodcunq; tādem facere, curationem esse, cogunt medicos quotidie aliquid pręcordijs adhibere, consentientibus sanè etiam medicis in hoc ipsum, ut semper aliquid facere uideantur. Hinc enim sperant se plus lucri facturos esse. Atq; sic ipsi efficiunt inflāmationes per ea quæ faciūt, semper aliquid præcordijs adhibentes. Proinde contingit in illo tempore inflammationes incipere in diuitibus, in quo iam in pauperibus morbus est prope solutionem. Vena enim secta in principio præsertim continentis febris, & pauperes, & serui diuitum plerique in quinta die iudicati sunt, aliqui uero in septima. At uero diuites, plenitu

plenitudinem & superfluitates plures quàm serui & pauperes habentes, & uenæ sectionis auxiliū transgressi, & postea quotidie per calidū oleū foti, & laxatorijs cataplasmatis intecti, inflāmationem quandam conflatā habent, aut circa hepar, aut uentrē, aut alia uiscera, aliqui in quarta die, aliqui in quinta, aut omnino in sexta. Vidisti autem etiam tu qui eodem tempore dum fomentum adhiberetur difficulter spirauit, omni superfluitate ad præcordia attracta à caliditate. Hic itaq; mortuus est, & alij innumeri quotidie moriuntur, quū cataplasmata instar cucurbitæ attrahant ad uiscera superfluitates ex toto corpore. Quidam uero etiā ipsa cucurbita usi sunt in præcordijs, hoc unum etiam illi cogitantes, ut uiderentur aliquid semper facere circa ægrotum. In principijs igitur dum adhuc ferūtur fluxiones ad affectum locum, melius est repellere ac reprimere, non attrahere ad ipsum. Cōmoda autem sunt in principijs adstringentia cum oleo adhibita: quæ simul & firmitatem addunt partibus affectis, ut ne facile affluētes superfluitates suscipiāt, & simul iam in ipsis cōtentarū tenuitatē intus reprimūt. Postquàm uero latio quieuerit per repulsoria auxilia, & densitas ex adstrictione inducta partibus affectis, cōtinet superfluitates, tunc iam tempus est laxare, quo contentæ superfluitates euacuentur: præsertim uero ubi ad hepar aut uētrem impetū fecerint superfluitates, moderatè adstringentibus uti conuenit in principio. Valde enim principales sunt hæ partes. Imò ubi etiam tempus iam fuerit discutiendi firmatas, tunc quoque partes hæ adstrictione opus habēt. Quare decocto in oleo absinthio irrigabimus. In quibus autem fortiore adstrictione opus est, omphacinum sit oleum, in quo decoquitur absinthium. In penuria uero absinthij, melinum aut mastichinum aut lentiscinum ad hoc sufficiet. Si uero minor fuerit febris, etiam nardinū unguentum addatur. Si uero declinatio febris nō ualde mitis fuerit, à nardo cauere oportet, uti uero melino. Quo non præsente, rosaceum ad nardinum miscendum est. Similiter etiam cataplasmata compositam uim habeant, ex laxatoria ac tenui, & ex amara ac adstringente. Quòd si colum fuerit affectum, aut alia intestina tenuia, aut musculi prędiorum, aut pellicula aluum & intestina amplectens, nequaquam miscenda sunt adstringentia. quemadmodum neq; si uesica aut uterus, quum uelut dictum est, neq; influxerit quid amplius, neque superfluitas fuerit in toto corpore. At uero renes & thorax in medio relatorum sunt: Neque enim multa adstrictione in his opus est, neq; tamen exoluere conducit. Splene uero inflammato, in principijs adstringentia miscenda sunt. Euacuato uero corpore, etiam discutiētia. Quin & si cucurbitis opus fuerit, pręeuacuato toto corpore utemur ipsis, non in principio affectionum.

De cataplasmate ex fermento. Ex Lyco. Cap. CLXXVI.

Hoc cataplasma diffundere ac eliquare compacta ualde potest; & aculeos infixos extrahere, & tumores induratos mollire. Oportet autem fermentum dissoluere in oleo sufficienti, atq; sic imponere. Quòd si uehementius efficere uolueris, nitrum modicum admisce. Si uero etiam aceto dissolueris fermentum, & rursus coctum per cocturam spissaueris, conuenientissimum erit ad induratos tumores in splene ac hepate. Si uero thymum & pulegium, aut absinthium, aut abrotonum fermento miscueris, optimum efficies pharmacum.

De cataplasmate ex pane. Cap. CLXXVII.

Cataplasma ex pane efficacissimum est ad omnes inflammationes. Multis autem modis paratur. Nam & frigida aqua madefactis, & tritis, & adiecto modico rosaceo, & coriandri succo, commodum fit cataplasma inflammationibus ignis sacri. Aut pro aqua, ex aceto paratur, atq; sic magis conducit igni sacro. Verum si pro oleo butyrum addatur, commodum fit cataplasma ad inflammationes ægre concoctiles. Paratur etiam sic. Panis multa aqua dissoluitur, ut succi spissitudinem habeat, & huic miscetur oleum aut butyrum. Deinde coquitur ad compagē. Hoc præstantissimum omnium est ad uulnerum inflammationes, & ut citius suppurētur. Hoc utimur ubi neruus aut neruosum quid intus contusum fuerit. Ego uero etiam picis liquidæ parum ammisceo, & utile cataplasma expertus sum. Hoc et podagricis inflammationibus idoneum est. Alia præparatio panis cum melle. Pridiani panis medullam manibus conterimus, & ubi uelut similago dispersa fuerit, mel in olla calefacimus, & sic tritum panem inspergimus, ac coquimus ad moderatā compagem, deinde oleum moderatum adijcimus, & unita imponimus. Hoc cataplasma commodum est inflammationibus præcordiorum. Præstat autem parum aquæ melli ammiscere. Sic enim in coctura diffunditur. Farinæ quoq; triticeæ cataplasma eadem ferme facere potest, & eodem modo præparatur.

De cataplasmate ex furfuribus. Cap. CLXXVIII.

Furfures in mortario tūdimus ac cribramus ut tenuissimi fiant, & utimur ipsis ad tumorem induratum in omni corporis loco consistentem, & præsertim in hepate aut splene. Oportet autem ipsos præparare cum aceto mulso. Aut ammoniacū thymiama cum aceto mulso terimus, & furfures ammiscemus, & cataplasma imponimus, atque adhibemus lenticulata uasa uaporatoria aqua calida plena, ut ne frigefiat cataplasma. Aliquando uero ad testes inflammatos utilissimum est hoc cataplasma. Verum ad hos sine aceto paretur, cum aqua mulsa uidelicet. Commodum est hoc cataplasma etiam furunculis, & alijs duris tumoribus ac tuberculis. Verum ad uenenū iaculantes bestias, furfures aceto imbuti commodius cataplasma efficiunt.

De cataplasmate ex ficubus. Cap. CLXXIX.

Ficus pingues exactissime contunduntur, ut nihil inalteratum in ipsis appareat. Deinde ungenti irini parum additur, & cataplasma imponitur. Facit autem ad duritias neruorum, & ad articulos contractos, aut plus iusto laxatos: & ad duros tumores, præsertim hepatis ac splenis. Vbi uero ad relatum cataplasma nitri parum additum fuerit, rumpit abscessus & aculeos extrahit: Si uero ad ficus ita paratas ammiscueris pulegium, aut origanum, aut thymū, aut absinthij comam tenuissime cribratam, hydropicis cōfert. Sed & si coquantur ficus probè, & deinde cum decocto terātur, & ordeacea aut triticea farina ammisceatur, & rursus coctura fiat ad compagem, commodū fit cataplasma abscessibus qui non facile maturi fiunt. Si uero uoles pinguitudinem adijcere, aut butyrum ammiscere, aut rutę folia trita, dolores

intestinorum à flatu factos sedabis. Misceatur autem similiter & cuminum & oleum.

De dropace ac picatione, Archigenis. Cap. CLXXX.

Dropax à quibusdam etiam picatio appellatur, diuturnis autem maximè morbis conuenit. Omnino autē & ante sinapismum assumitur, ut corpus ad sinapi præparetur, & post sinapismū, ut reliquiæ affectionis excindatur. Simplicissimus itaq; dropax est qui picatio uocatur. Pix arida cum ualde modico oleo liquatur. deinde calida adhuc cuti illinitur, & præmrasis locis agglutinatur, & priusquam perfectè frigescat auellitur. Et rursus calefacto emplasmate ad ignē agglutinatur, & similiter priusquam frigefiat auellitur: atque hoc sæpe repetitur. Vtilissimus est assiduè uomentibus & crudis ac non concoquentibus, & cœliacis affectionibus, & reliquis partibus alimentum non sentientibus. At uero ad hunc communem dropacem, calfaciēdi gratia adijcitur piper, pyrethrum, semen rosmarini, bitumē. Si uero siccare opus fuerit, sulphur uiuum, sal, cinis sarmentorum. Sin lacinare, limnestis, quę & adarce uocatur, adijcitur, aut euphorbium. Singula autem hęc trita liquefactis insperguntur. Est autem dropax qui à multis in usum assumitur & Gallas appellatur, hic: Colophoniæ thus redolentis, & resinæ sordidæ lignosæ quæ in dolijs affertur, resinę à nauibus derasæ, quam Græci aliqui apochyma uocant, picis siccæ, singulorum lib. I. s. picis liquidæ brutiæ lib. II. cerę lib. IIII. nitri lib. I. bituminis, galbani, adarces, pirethri, ueratri albi, piperis, singulorum trientem, sulphuris uiui quadrantem, castorij, ammoniaci thymiamatis, staphidis syluestris singulorum sextātem. olei sicyonij lib. I. opobalsami sexcuncem. Alius dropax optimus & probatus. Picis, ceræ, colophoniæ, singulorū lib. I. nitri sexcūcem, bituminis quadrantem, sulphuris uiui sesquiūciam, piperis, euphorbij, adarces, singulorum unciam I. Cantharidū drach. IIII. olei cyprini trientem. Vtere. Oportet autem, uelut prędictū est, dropacem calidum illinere, crassitudinem habentem pro ratione uirium ægri, præmrasis pilis in locis quibus adhibetur. Eos uere qui robusti dropace utuntur, etiam lauare conuenit incumbente dropace, & si fieri potest, etiam exerceri. At dropax confertim auulsus, remissum spiritum firmare potest, & ad superficiem reuocare, & propriorum operum commonefacere.

De sinapismo, Archigenis. Cap. CLXXXI.

Cataplasma ex sinapi sinapismū uocare omnes solent. Est autem efficacissimum auxilium. Verum in acutis morbis nō ualde probatur, paucis exceptis. Nam in solis segnioribus ac pigrioribus, & in acutis affectionibus immersis, sinapi utimur. At in diuturnis ferme omnibus, postquā reliqua auxilia nihil profuerunt, sinapismus efficacissimus reperitur. Quandoquidem igitur in omnibus fere diuturnis conuenit, præstat ut dicamus in quibus non utendum est ipso. Itaque in ulceratione pulmonis sinapismus non assumitur, neque in alia in profundo exulceratione. Efferantur enim ulcera & exacerbantur, ob acrimoniam. Sed neq; in exulcerata cutis superficie, neq; in cartilaginosis partibus, uelut sunt aures aut nasus summus. Exuruntur enim ab ipso, et nigrescūt partes quæ ualde sunt excarnes. At reliquæ partes corporis itē; affectiones, hoc auxilio gaudent, præcipue uero caput, in diuturnis capitis totius itemq; alterius partis doloribus, & in uertiginibus, comitialiq; morbo ac insania. Sed & thoraci commodus est in erectæ ceruicis spiratione, anhelationibus, tussi diuturna. In destillatione uero caput unà cū thorace sinapismo integendum est. Stomachus autem & intestina in omnibus diuturnis affectionibus, & maxime prostrato appetitu, & in renum affectionibus ac lumborū, & in spinæ colisq; ac uesicæ resolutionibus. Quin & omnes resolutæ ac frigefactæ partes hoc auxilio gaudent. Commodum est & arthriticis & ischiadicis ac podagricis. Inditur & in intestinum rectum glans ex sinapi, ubi illud fuerit resolutū. & post morsum ablata glande, infunditur aqua mulsa. Modus autem præparandi hic est.

Sinapismi præparatio.

Caricas pingues in aqua tepida pridie macerare oportet, frequenti autem die fortiter expressas probè conterere, deinde acre sinapi acceptum per se terere, & inter terendum paulatim de caricarum cremore affundere, quo facilius teri possit, nō tamen aquosum fiat. Deinde utrunq; per se in massas redige, & inter se misce prout usus postulat. Si quidem fortiter sinapissare uoles, duas sinapi partes ad unam caricarum. Si uero mediocriter utriusq; parem portionem. Sin mitius, tertiam partem sinapis, & duas caricarum. Cæterum in corporibus molli sensu præditis, & in quibus circa superficiem est affectio, panem pro caricis ad sinapi ammiscere oportet. Sed & hoc noscēdū est: Si in aceto maceretur sinapi inefficacius redditur: Acetū enim sinapis uim discutit. At ubi tenue factum est cataplasma, in omnibus prædictis infarciatur in linteum, & locis adhibeatur. Temporis porrò longitudinē in omnibus decernere impossibile est. Quare frequenter leuandum est cataplasma, & caro consideranda an exacte rubefacta est. Et hoc maximè facere oportet in partibus hebetiore sensu prēditis. In quibus uero celeriter operari ipsum uolumus, locus spongijs ex calida expressis fouendus est incumbēte adhuc cataplasmate, hoc est, super linteum spongiæ adhibendæ sunt. Post sufficientem usum, in balneum ducendus est æger, & in calidum solium ponendus, & pars iterum perfundenda citra inunctionem. Post balneum uero rosaceo illinimus locum. At in uehementi dolore aut etiam ulceratione, hapso lanæ aqua & rosaceo imbuto integendus est, & imponenda est malua cocta trita cum pane. Post sedatum dolorem utendum est cerato rosaceo cum cerusa. In quibus uero balneum adhiberi non potest, in his per reliquum corpus spōgiarum ex calida aqua expressarum fomentum utendum est. Verum in capitis & præsertim frigidis affectionibus, olei calidi perfusione locus mitigandus est.

Quòd caprarum fimi pilulæ cum aceto impositæ priuatim coxendicum morbo conueniunt. Cap. CLXXXII.

Caprarum fimi pilulæ in aceto tritæ, sinapismi usum exhibent. Priuatim uero ischiadicis, hoc est coxendicum affectione laborantibus conuenit hoc cataplasma, ut quod longe efficacius sinapismo in ipsis compertum est.

Quæ sint alia rubificantia. Cap. CLXXXIII.

Rubificat nasturtij semen, & calefacit uelut sinapi. Similiter helenij radix, & syluestrium columbarum fimus,

simus, quo ualde frequẽter utor. Sed & cum nasturtij semine contuso ac cribrato, pro sinapi illo utor, in ischiade, hemicrania, uertigine, capitis dolore antiquo, in doloribus diuturnis laterum, humerorũ, tendinum, lumborum. Et ad hæc in nephriticis ac colicis affectionibus, & arthriticis ac podagricis, quum nondũ pori ac duricies callosę fuerint coactæ. Quin & scilla contusa in mortario, consimilem sinapi uim habet in cataplasmate imposita. Verũ ad modicum tempus imponatur, nam diutius immorans locum exulcerat. Vtendũ est ipsa priuatim ad erecta ceruice spirantes thoraci imposita. Item in resolutione, quãdo nõ solum motus, sed & sensus tactus defecit. Post hæc autem mitigandæ sunt partes, uelut in sinapismo prædictum est. Priuatim uero scillæ morsus mitigat perfusio olei, præsertim rosacei.

De Iberide siue Cardamine, quæ & Lepidium uocatur. Cap. CLXXXIIII.

Ex his uero quæ ualde utiliter rubificant, est & iberis, quæ etiã cardamine uocatur. de qua Galenus in tractatione de ischiade plurima scripsit. Sed & Archigenes ipsa usus est in splenicis ac coxendicibus. Verum in epistola ad Aristonem Archigenes sic scribit de ipsa: Vellem autem te uti etiã radice eius herbæ quæ nunc hic Iberis appellatur. Habet autem folia uelut nasturtium, uere floridiora, caulem longitudine cubitali ampliorem aut minorem. Et nascitur quidem in incultis locis: Aestate uero lacteũ florẽ producit, tuncq́ue efficacissima est. Radices nasturtiũ odore referunt. Radices igitur accipe prædicto tẽpore, ipsasq́ue diligenter tunde, ægre enim conteri possunt: & adipis suilli inueterati tantum adijce quo emplastri formæ cataplasma fiat, quod non minus horis quatuor impositum habe: Deinde in calidum balneum citra inunctionem ingressus, post modicã corporis exudationem, in solio mordaciore morare. Egressus autem uino & oleo multo perfusus ac detersus, coxendicem lanis puris intege. Atque hic quidem est sinapismi modus. Verum utilitates spe maiores habet, eò quòd medicatiorem uim possidet, & cum minore mordacitate curet.

De euocãtibus ex alto auxilijs. Galeni. Cap. CLXXXV.

In omnibus diuturnis affectionibus, quum nihil profecerint ulla auxilia, euocantem ex alto curationem, metasyncriticam à Methodicis appellatam, hoc est, quæ meatuum miscellæ corporis statum præter naturam habentem transmutat, facere plerique solent. Ego uero ubi intemperies quædam humida & frigida in affectis partibus est, aut obtusus aut stupidus sensus, adhibeo ipsis pharmaca ex sinapi, aut thapsia, & similibus confecta. At siccis & calidis affectionibus ea non adhibeo.

AETII TETRABIBLI PRIMAE, SERMONIS TERTII, FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN QVARTO SERMONE AETII CONTINENTVR.

*

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI PRIMAE SERMO QVARTVS.

*

DE SANITATE TVENDA, GALENI PRAEFATIO. Cap. I.



VVM una sit ars quæ circa humanum corpus uersatur, duæ sunt ipsius primæ ac maximæ partes; prior quę sanitatem tuetur, altera quæ morbos curat. Quandoquidem uero et dignitate & tempore prior est sanitas morbo, oportet sanè etiā nos prius considerare quomodo quis hanc custodiat. Deinceps uero etiā quomodo quis quàm optimè morbos curet. Dicitur autem sanitas dupliciter: Altera exacta, & optima, & perfecta, & summa: Altera deficiēs quidē ab hac, nō tamē in tantum ut animal ægrotet. Et huius graduū non parua est in corporibus differentia circa magis ac minus. Prius autem recensere conuenit, quomodo quis optimæ ac inculpabilis naturæ sanitatē conseruet, & adhuc ante hoc mētionem facere, quænam sit optima corporis structura. Est autem si quis iuxta ipsam essentiam rei exponet, temperatissima, & quę formationē partium, ac actionibus ipsarum exacte conuenientem habet. Et ad hæc numerū omnem, & magnitudines, & compositionem omnium ipsarum inter se, actionibus commodā exhibet. Si uero quis iuxta notas designare uolet, corpus exacte bene carnosum tale est, quod mediū est inter gracile & multa carne obesum: & neq; hirsutum est, neq; pilis nudum, neq; moderato mollius, neq; durius, neq; albū aut nigrū, aut uenis occultis aut amplis, aut animosum aut deiecti animi, aut somnolentū aut uigilans, aut hebeti mente præditum aut uafrum, aut ueneri deditum aut uice uersa. Si uero etiam omnibus partibus fuerit exactè inter omnes excessus mediū, erit profectò etiam pulcherrimum aspectu tale corpus, ut quod sit moderatum, & ad omnes labores idoneum. Habebit autem & alia omnia signa temperamenti boni per singulas partes. De quibus pro uiribus pauca indicabimus circa finem huius sermonis. Multa enim corpora temperata quidē sunt, si ita contingat, capitibus, uerum intemperata pectoribus, aut uentre, aut genitalibus. In quorundam uero artubus est intēperies, & plerisq; in uno uiscere, aut alia quadam parte. Sed & de his in prauis corporū structuris postea dicetur in hoc sermone. Cæterum de optima structura iam dicamus, cuius singulæ partes uniuersam habent inculpabilem essentiam. Dicetur autē primum quomodo quis ab initio susceptū eiusmodi hominem, per omnem uitam sanum cōseruarit, nisi si quid extrinsecus uiolentum ipsi accidat.

Quomodo infans recens natus sanus cognoscitur. Cap. II.

Indicabitur autem sanus infans statim ex natiuitate, primum quidem ex eo quòd genitrix per totum gestationis in utero tēpus sana uixit. Deinde ex eo quòd ubi natus est & in terrā positus infans, ipse eiulatum edit cum cōueniente firmitate. Et ex eo quòd omnibus partibus ac sensibus integer est, & naturales meatus omnes expeditos habet, uelut sunt aures, nares, fauces, urinæ meatus, podex. Et quòd unicuiusque membri naturales motus non segnes, neque exolutos habet, & iuncturarum flexuras ac extensiones, magnitudinesq; ac figuras, & sensum exactum.

De infantis educatione. Cap. III.

Proinde recens natus infans, hic nimirum per omnem structurā inculpabilis, primum ita tractetur, ut ipsi umbilicus quatuor à uentre digitis acuto scalpro resecetur: Reprobamus enim aliam materiam harundinum

dinum ac uitrorum, ut ne quid atteratur. Deinde cōtentus in ipso sanguis grumosus exprimatur, & spōgia detergeatur, ac lana carpta obturetur. Postea moderato sale per se tenuissimo conspergimus. Aliquando uero etiam in delicatioribus totum corpus succo prisanæ aut fœni Græci depurgare oportet: & aqua tepida uiscositatem corpori obsitam abluere, & sordes naribus insitas digitis exprimere, & os atque aurium meatus purgare, palpebras diducere, & oculos detergere, ac oleū ipsis instillare. Digitis item disparare ipsum anum. Confestim itaq; excernit per sedem id quod Græcis meconium uocari solet. Porrò supra umbilicum hapsus lanæ madefactus imponatur, ad umbilici figuram formatus. At cuminum ipsi inspergere reprobamus, propter acrimoniam, etiamsi quidam id usurpare soleant. Deinde duplicatus umbilicus, & lanæ inuolutus, leniter in medio componatur. Et postea infans pro more fascijs inuoluatur. Exhibendum est autem ipsi mel præ omni alimēto, quod optime est despumatum ut delingat, reprobato butyro uelut stomacho incōmodo. Deinde instillanda est aqua mulsa tepida. Postea uero mater, ubi prius crassum ex uberibus emulxit, & ipsa aqua calida fouit, lac præbeat infanti. Præstat enim non accipere matris lac usq; ad quartam diem. Lauare uero oportet puerū bis in die, horarum aliquot interstitio post cibum. Postquàm uero exciderit umbilicus post tertiam aut quartā diem, cochleæ testam ustam tritā loco insperge, aut talum suillum ustum, aut plūbum ustū cum uino illine, & obliga.

De nutricis electione. Cap. IIII.

Præ omnibus his eligenda est nutrix, neque iunior uiginti annis, neq; senior quadraginta, quæ bis aut ter peperit, non morbida, boni habitus, iustæ magnitudinis, ampli pectoris, ubera habens moderata, non rugosa, papillas neq; magnas, neq; paruas, neq; angustiores, neq; ualde latas, aut cauernosas. Magna enim ubera plus quàm opus est lactis præparant, & hoc manens in ipsis corrumpitur, & infantem lędit, simulq; etiam matrem grauat. Parua uero parum lactis exhibent. Et magnæ quidem papillæ offendunt gingiuas, & impediunt linguam ne iuuet deglutionem. Paruæ uero ægrè appræhendi possunt, & propterea affligunt maxillas. Sed & eiaculatum lac per angustos meatus, sublinentem os pelliculam ferit, & aphtham Græce appellatū ulcus igneę caliditatis generat. At latiores & cauernosæ papillæ aceruatim remittentes lac, suffocationis causa fiunt. Prǣterea conuenit esse nutricem castam, sobriam, mansuetā, mundam, hilarem, et non tristē. Ego inquit Galenus, quū puer aliquando ploraret per totam diem & indignaretur, ubi uidissem stratum ipsius & uestimenta sordida, & ipsum puerum sordidum: iussi & ipsum, & stratū ipsius lauari, & uestimenta mutare, quo facto ab eiulatu & indignatione cessauit & obdormiuit.

Probatio lactis. Cap. V.

Probandum est lac gustu, uisu, & olfactu. Nam & gustantibus & olfacientibus iucundum, & uidentibus album ac æquale, & inter liquiditatem ac spissitudinem medium habēs, ipsum esse oportet. At uitiosum lac, aut crassum est & caseosum, aut liquidum & serosum, aut liuidū, aut strias floridas habens, aut spumosum, aut graueolens, aut fœtidū, aut cito acescēs, aut gustanti amaritudinis, aut muriæ, aut alterius cuiusdam peregrinæ qualitatis significationem exhibens. Hæ igitur sint notæ uitiosi itemq; boni lactis, ex quibus coniecturam facies mulierem morbosam esse, & ad aliam transibis. Cæterum opulentis plures nutrices esse oportet.

Victus nutricis. Cap. VI.

Exercere oportet nutricem moderatis exercitijs, & maximè supernis partibus. Cibos autem exhibere boni succi & qui facilè digeruntur, & tempore conuenienti, & mensura congrua. Atq; ita etiā potus. Abstineat à porro, cepis, allio, salsamentis, & omnibus fœtidis & graueolentibus. Et à plerisq; bellarijs, prǣsertim nucleis pineis. Sunt enim oleosi, & propterea bilem faciunt, & uentriculo innatāt. itemq; uenerem stimulant. Itaq; penitus ab his nutricem abstinere oportet. Irritatur enim in coitu lunares purgationes, & propterea lac corrūpitur, & uitiosum ac paucissimum fit. Quædam uero etiam concipiunt, quo nihil nocentius fieri infanti qui ex ipsa alitur posit. Vbi autem imminuitur lac, aut corrumpitur, aut etiam omnino extinguitur, aut spissatur, aut attenuatur, prǣstat quidem alterius nutricis lac præbere. Sin id non permittat res aliqua instans, uictu nutrix curanda est, ut ne in morbū incidat infans. Extincto itaq; lacte, considerādum est an totū corpus, aut una pars ægrotet, & lædētem affectionem corrigere oportet. Si uero ob penuriam extinctum est lac, alimentum augere, & melioris succi cibos dare, & plures auferre, aluumq; si plus iusto fertur adstringere, & exercitijs supernarum partium uti, & uberum frictione, & fomentis per spongias, ceratis item liquidioribus ad ubera ex oleo irino aut gleucino. Lini uero semē delingere cum melle aut passo. Aut sesamū crudum cum palmula passa, quam pateton Græci uocant, æquis portionibus edendam prębe, & bibat zythum, & eadem die ubera lacte replebūtur. Putabit autem mulier simul ut acceperit potū, omnia sua membra resoluta esse, donec lac in uberibus factū fuerit. Aut lumbricos piscatorum, qui in limō fluminis reperiūtur, & intestina terrę appellantur, quinq; aut septem terito, & palmulas passas addito, & simul terito, ac dato in zytho bibendos prælotæ mulieri ieiunæ ad dies decem: & de multitudine ac bonitate lactis miraberis. Præstat autem etiā præcedens pharmacum similiter cum zytho conterere, & bibendum præbere. Vinum uero exhibendū est dulcius. Et fœniculū aut anethum uiride cum ptisana coctum, sorbēdum dato. Si uero tenue fuerit lac, balnea reprobāda sunt, uelut quæ humores aquosos reddant. In cibo utendum est alica, ouis sorbilibus, pane similagineo, pedibus ac extremitatibus porcinis, uolucribus tenerioribus, carnibus hœdinis, & uino dulci. Sin crassius fuerit lac mulieris, attenuante alimento utēdum est, ac minus nutriente, & balneis frequētibus. Crassius enim lac abscessus & furunculos circa infantis corpus generat, & uenter ipsius cohibetur. Sed neq; urinæ pro ratione prodeūt, & uomitus pituitosi infestant, & ægrè mobilis ac difficulter spirans puer euadit, & appetitū perdit, ac decolor fit, & sordes oculorum habebit crassas, & mucos similiter, & flatus multi ab eo prodeunt. Si uero acrius fiat lac, excretiones per uentrem plures fiunt cum mordacitate, & appetitus deficit, & pustulæ acerrimæ in corpore fiunt, & præsertim circa supernas partes, imò etiam

infernas, & infans paulatim gracilescit. Quare omni modo temperandum est corpus nutricis, balneis dulcibus, & boni succi alimento. Si uero lac quod multum fertur imminuere uoles, cibos minus alentes & paucissimos dato. ubera uero lenticula cocta integito, aut cuminum cum aceto illinito. Aut lapidem album simplicem, quo ad ædificia utimur, similiter cum aceto. Aut hyoscyamum cum aceto. Aut linteum aceto imbutum imponito, & assiduè humectato. perfundito autem aqua marina, aut muria calida, aut myrti decocto.

Ad stertentes infantes. Cap. VII.

Quandoquidem plerę nutrices ineptis, uelut dictum est, utentes cibis, uitiosum lac suū efficiunt, & ex hoc diuersis morbis infantes, qui etiam optimā structuram adepti sunt, obijciunt. Aliquādo uero etiam ex forinsecus corpori accidentibus morbi accedunt; necessarium est etiam de diuersis affectionibus pueros infestantibus, pro uiribus breui tractare. Si quidem igitur infans crassiore alimēto nutritus, pituitam in uentre colliget, & propterea stertat, lini semen cum melle delingendum dandum est, aut cumini parum cum melle. Et aqua mulsa instillanda est ori assiduè calida. Si uero hęc pressura perseueret, oleo medium digitum tingito, & tonsillas illinito, & depressa linguæ radice ad uomitum irritato. ubi enim uomuerit, ab omnibus uexationibus confestim liberatur.

Ad uocem infantium interceptam. Cap. VIII.

Ad interceptam in infantibus uocem, ob quancunque causam pręcedentem (contingit autem hoc maximè suppressa aluo) brassicę succum cum modico sale bibendum dato aut instillato. Statim enim soluit aluū, & uocem restituit. Sed & glans ano indenda est.

De dentitione. Cap. IX.

Circa septimum mensem incipiunt infantes proferre dentes, & dum punguntur ac stimulantur uelut ab aculeo, dente gingiuas disparante, inflammationes succedunt ipsarum gingiuarum ac maxillarū & tendinum, ad quas etiam febres omnino consequūtur. Accedit & pruritus auditoriorum meatuum. Et aures humectantur. Aliqui uero etiam lippitudinibus capiūtur, & sanguis ex oculorum angulis fluit. Plerisq; uero etiam exturbatur uēter, propter stomachi inflammationem, & uentris exolutionē. Itaq; lenire ac pinguefacere oportet tendinem & maxillas, mollium lanarum ac mundarum circumiectu, circa collum & ipsius neruum, per oleum dulce ac calidum. Instillare quoq; auditorijs meatibus oleū calidum. Perseuerāte uero inflammatione, etiam ceratum rosaceum liquidum locis imponere. In cibo offerendū est puero cerebellum, maximè quidem leporis coctum aut assatum: Sin minus, ouiculæ: Naturaliter enim opitulatur. Sed & melle moderatè cocto illinendæ sunt gingiuę. Efficit enim minimè molestum dentium exortum. Nihil uero duri dandum est ipsis ad mandendum, ut ne gingiuæ callosiores redditæ impedimento sint dentiū exortui. Balneo autē utendum est febribus remittentibus. Neq; studio habendum est ut uenter adstringatur, ut ne materia sursum repens, supernas partes, præsertim oculos lædat, & febres uehementiores efficiat. Sed & nutrix cogenda est ut aquam bibat, & cibos leuissimos ac sorbiles accipiat. Aiunt autem naturaliter auxiliari dentientibus pueris, colocynthidis syluestris radicem, in aureo aut argēteo canali gestatam. Itemq; rubi radicem. Sed & uiperæ, præsertim masculæ, dentem, in argento pro amuleto appende. At circa stomachum gestent semper uiridem iaspidem de collo suspēsum, ita ut stomachum contingat.

Ad inflammationes oculorum. Cap. X.

Lycium Indicum præsertim, sin minus, Pataricū cum lacte diluito, & supernas palpebras cum superciliis illinito. Aliquādo etiam ipsis oculis instillato, multo lacte dilutum. Mirabiliter etiam facit Nili ex rosis collyrium illitum. Ipsos uero oculos ocymi decocto abluito.

Ad albugines puerorum. Cap. XI.

Ad albugines puerorum ab eiulatu factas, solani nigri succum illine.

Ad inflammationes & humiditates aurium. Cap. XII.

Ad inflāmationes & dolores auriū, oui cādidum cum lacte muliebri instilla. Aut intestina terrę cū rosaceo cocta. Ad humiditates uero auriū, alumen uino dilue, & lanam puram ac mollem in ipso imbue, & in sole assicca. Et rursus imbue ac sicca. & ubi ter hoc feceris, lanam siccā asserua. Vsu uero expetente, de ipsa accipe & in aurem inde. Ad ulcera uero in auribus, pastillo Musæ utere, diluto cum sapa ac modico aceto. Si uero caro superexcreuerit, primum reprime per pastillum Bithynum dilutum cum uino. Deinde utere Musæ pastillo, uelut dictum est.

De inflammatione Siriasi Græcis appellata. Cap. XIII.

Ex affectionibus quæ cum febre accidunt, est & siriasis in infantibus appellata, quæ est inflāmatio partium cerebri & membranarum, adeò ut sincipitis & oculorum cauitas consequatur, cū febre ardente, & pallore, & corporis siccitate, ac prostrato appetitu. Siriasis autem appellata est à sincipitis cauitate. Siros enim apud Græcos dicitur fossa ac corpus cauum, in quo semina seruantur. Quare omnia uelut ad inflāmationes facere oportet, ita ut leniamus & mediocriter frigefaciamus caput, coriandri succo cum rosaceo humectantes. Sed & totum corpus ex hoc illinatur. Aut cucurbitæ ramenta sincipiti impone. Aut uitis folia, aut portulacam cum rosaceo tusam, sincipiti illine. Aut heliotropij scorpiuri succo sinciput illine. Aut oui luteum cum rosaceo cōcutito, & sincipiti illinito, & assiduè permutato.

Vt exudet puer in febre. Cap. XIIII.

Arundinis uiridis medullā terito, & ex ea sinciput ac pedes illinito, ipsumq; puerū uestimentis contegito.

De aphtha ulcere oris ardente. Cap. XV.

De aphthis ulceribus, & inflammationibus tonsillarū, dicetur absolutissimè in sermone de affectionibus quæ perfectis accidunt circa has partes, in octauo nimirum.

Ad deuoratas spinas aut festucas eximendas. Cap. XVI.

Alumen quo ad coria utuntur cum oleo terito, & gulæ illinito, radicem linguæ digito ualde cōprimens, & facilè ipsas sursum effert.

Ad assiduas sternutationes infantium & grauedines. Cap. XVII.

Ocymum siccum tusum ac cribratum naribus admoue, ut per respirationē attrahatur, aut insuffla. Idem etiam ad grauedinem facit.

Ad

Ad tusses puerorum. Cap. XVIII.

Nucleorum nucum pinearum modice tostorũ drach. IIII. seminis cucumeris parum tosti drach. I. tragacãthi drach. III. mellis despumati dodrantem. Præpara & præbe delingendum. Tragacanthum autem in uino ueteri dulcissimo macerato. Aliud Hippocraticum. Vitellum oui assatum, & sesami duplum, & salis granum unum moderatum terito sufficiẽter, & cum melle delingendum dato. Aliud. Nucleos pineos tostos XXX. amygdalas decorticatas XXX. seminis lini tosti, succi glycyrrhizæ, utriusq; sextantẽ. Mellis quod satis est, dato delingendũ. Probè etiam facit cuminum cum melle. Item ammium.

Ad alui infantium profluuium. Cap. XIX.

Si aluus infantis fluxione laboret, balneum & gestationem reprobamus. Vtimur autem humectatione stomachi ex uino & oleo melino. Si uero fluxio extendatur, œnanthen leuissimè tritam, & acaciam, ac mastichen, æquis portionibus singulis tritis, oui luteo quantum satis est excipe, & ex emollito stomachum illine, & dorsum, & hapsum lanæ purpureæ impone ac deliga. Facit enim citra molestiam. Præ omnibus uero nutricẽ alimentis boni succi uti oportet, & potibus adstringentibus. Si uero aluus infantis farinæ similia excernat, mentam tritam cum uino nigro, aluo impone ac obliga.

Ad aluum suppressam. Cap. XX.

Si uero supprimatur aluus, glande iritanda est, aut ex sola aqua mulsa infusum immittendum est. Et mel alimentis ammiscendum. Cæterum florem artemisiæ cum oleo tere, & circa umbilicũ affrica, & fluet aluus. At de lumbricis dicetur in uniuersalibus auxilijs in nono sermone.

De pustulis puerorum. Cap. XXI.

Iam antea dictum est quòd infantes uitioso alimento utentes, uarios incidunt morbos, ut cum alijs & pustulæ & papulæ instar bullarũ efferuentes, & humida ulcera in cute fiant, quæ bubastica uocant, & alia consimilia. Itaq; muriam & urinam, & alia quę aliqui adhibent, reprobamus, ob acrimoniã. Lauamus autem ipsos rosarũ decocto aut lentis. Et si ampliori adstrictione opus habemus, myrti aut malicorij. Magis uero ulceratis, cataplasma ex plantagine imponimus: Aut ex seride siue intubo cum pane: Aut ex flore polẽtæ cum portulaca, aut semperuiuo, aut ueneris umbilico, aut hyoscyamo. Aut rosas uirides aut siccas coctas cum meliloto & palmulis adhibemus. Aut spumam argenti, melilotum, alumẽ, cum aceto terito, & myrteum oleum siue rosaceum adijcito, atq; illinito. Aliud ad bubastica ulcera. Recrementum plumbi & amylũ, æquis portionibus cum solani succo terito, & adiecto rosaceo illinito. Aliud pulcherrimum. Cadmiam tritam cum aqua illinito, aut cimoliam cum uino. Aliud. Spumæ argenti, cerusæ, utriusq; trientem, malicorij sicci leuissimè triti sextantem, succi stratiotę fluuialis quod satis est, utere. Quòd si non adsit stratiotes, lentis palustris succum accipe, & utere, aut herbæ uiridis quæ in aquis inuenitur, & stratiotæ similis est, succum ammisce, probè etiam facit serapiadis tritesticularis succus. Aliud. Retrimentum ferri terito cum uino, ac illinito. Valde enim bonum est hoc. Probè facit & emplastrum ex ladano, & emplastrũ ex hordeo, oui candido, & rosaceo aut myrteo oleo diluta. Aliud, ad infantium pustulas ac papulas feruidas post rupturam. Cadmiæ drach. LXXX. æris usti drach. LXXX. acaciæ, croci, utriusque unciam I. tragacanthi sextantem. Tragacanthum aqua macerato ac terito, & cum ipso reliqua excipito, ac pastillos formato. Et usus tẽpore cum succo senecionis, aut intubi, aut solani, diluito, & addito rosaceo, illinito. Ego, inquit, succo senecionis aut intubi excipio tragacanthum ac reliqua, & pastillos effingo.

Ad capitis ulcera, & achores tenuia capitis ulcuscula. Cap. XXII.

Pharmacum ex cuius usu ego nomen assequutus sum, Spumæ argenti, cerusæ, utriusq; bessem, seminis ericæ, thuris, utriusq; drach. IIII. uino & oleo raphanino terito ac utitor. Aliud. Acaciæ fuluæ unciam I. ladani trientem, myrrhæ sextantem, opij unciam I. Aqua palustri excipe & forma pastillos, & utere assiduè. Aliud. Cochleas albas unà cum testa exustas insperge. Aliud. Aloẽn leuissimè tritã, cum plantagine arida trita insperge. Aliud. Balaustium aridum tritum insperge. Aut cum aqua tritum impone & illine. Aliud. Herbam quam in Alexandria Liparonem uocant, aliqui uero cnestrum appellant, urito, & cinerem cum uino tritum illinito. Vtere etiam reliquis cum discriminationibus referendis in sexto sermone, de uniuersalibus auxilijs ad achoras.

Ad ulcus Melicerida à mellei humoris similitudine dictum, quod & Dulce appellatur, & Syriacè Sanalia. Cap. XXIII.

Spumæ argenti, baccarum lauri, æquales portiones terito cum aceto & oleo, & illinito. Sæpenumero eius experimentum fecimus.

Ad sedem infantium procidentem. Cap. XXIIII.

Spongitide herba podicem assiduè deterge. Acaciam cum sapa & uino nigro tritam podici illine. Cochleam ustam tritam quum egreditur prælotæ sedi insperge, & sanabis, ostreorum testas crudas tusas ac tenuissimo cribro excretas insperge. Myrrhi baccas uirides cum uino tritas impone. Vtere autem perfusione aqua fabrorum, in qua ferrum tingunt. Ego uero semper utor muria tepida, & ualde probe facit. Similiter autem & aqua marina. Vtere etiam dicendis in uniuersalibus auxilijs, quæ suo loco referẽtur.

Ad femorum intertrigines. Cap. XXV.

Myrtum siccam tritam insperge, aut cyperũ cum rosis.

Ad procidentes puerorum umbilicos. Cap. XXVI.

Procidunt pueris umbilici, dum aut in eiulatu diu & multum distenduntur, aut ex plaga, aut ex casu. Talibus igitur ammium cũ muria tritum umbilico illine, & rasuram lintei impone, ac ad triduum obliga. Et rursus eo soluto, idem facito. Aut lupinos amaros et ungulam asini ustam, & laterem ustum, simul terito ac imponito, & obligato. Si uero efficacioribus opus fuerit, his quæ ad herniã inguinum referuntur utere. Critonis ad pueros exumbilicares, ob quancunq; causam, Resinæ pinus unc. XVI. aluminis scissi dextantem, mellis dextantes duos: Alumen tritum cum melle ad prunas coquito, & ubi bonam compagem habuerit, resinam addito, assiduèq; moueto, & ubi dissoluta fuerit, laminã de hoc pharmaco accipito, & umbilico imponito, ac quotidie alterato. Verum supra laminam plãtaginis folia aut hederæ imponito. Aliud. Aluminis scissi uncias XV. fecis uini austeri dextantem, gallarum drach. II.

uino dilue ut spissitudinem habeant, & umbilicum illine, & forinsecus spongiam impone, posca imbutam ac expressam.

Ad hispidos pueros. Cap. XXVII.

Crassioribus & pluribus fuliginosis superfluitatibus sub cute collectis, ex quibus pili generantur, hispidiores infantes fiunt. Itaq; caricas urito ac terito, & cum hoc cinere pilis obsitos locos confricato. Ex alio exemplari. Resinā coquito in aqua, & puerum lauato, ac leuiter detergito, ac cum caricarum ustarū cinere & fabarum cremore confricato. Aliud smegma corroborans ipsos. Farinæ fabrum, cimoliæ, spumæ nitri, candidi ouorum, & testarū, æquales portiones pro smegmate adhibe.

Quando ablactandi sunt infantes. Cap. XXVIII.

Donec firmetur infans lacte nutriatur. Postquam uero solidus factus fuerit, micis panis ex uino mulso, aut uino dulci, aut lacte. Deinde etiam oua sorbilia sumat. Nam quæ mandere oportet, saliua in ipsis replentur. Potus dandus est uinum dilutum. Vbi uero iam intrepide frumentaceū alimentum infans sumit, quod plerunq; circa uigesimum mensem cōtingit: tunc latenter & paulatim ab ubere desuescat. Si uero ablactatus morbū inciderit, rursus ad lac transferatur. Et ubi cessauit morbus, refocilletur corpusculum, atque sic ablactetur.

Victus ratio post ablactationem puerorum, & aliarum ætatum. Cap. XXIX.

Ablactati infantes in remissione ac hilaritate exercitiorum uersentur, denturq; ipsis cibi leues ac boni succi. Verum à multo uino abstinere oportet eum qui bonum corporis temperamentum habet. Nam in humidis ac calidis corporibus, uinū replet caput uaporibus. Neq; uero à frigidæ aquæ potu penitus arcere iubeo tales pueros. Sed inter cibos plerunq;, & in calidioribus oris, optima aqua uti permitto. A' septimo anno ad literas ueniant, & mitibus ac humanis magistris tradātur. At à decimoquarto anno usq; ad uigesimum primum conuenit exercitatio in disciplinis philosophicæ doctrinæ. Prohibendi sunt à ueneris usu. Contrahendum est & uberius uinū, & plura exercitia iam sunt assumenda. His uero qui iam in uigore ætatis degunt, uictus ratio remissa cōuenit, tum animi, tum corporis. Et corporis exercitia qualiacunque fuerint, pro ratione his detrahenda sunt, & alimenta sensim contrahenda, quum habitus ipsorum frigiditatis principium sumat. Maximam autem optimè constructi corporis notam esse statuo ipsius naturæ promptitudinem, quicquid tādem fuerit agendum, ipsa sui ipsius mensuram excogitante in optimis constitutionibus. Nam & dum exercentur ac fricantur, aut quiduis aliud agūt, tunc primum pigrescunt, quum sufficienter fuerint exercitati. Et sanè etiam à cibis ac potibus tunc abstinēt, quum sufficienter fuerint impleti, neque plus iusto appetentes, neq; minus ingerentes. Quare nullus timor est de optimæ constitutionis homine, ne uel nimium labore fatigetur, aut cibis nimium expleatur. Ipsum enim sanum corpus omnia sibijpsi excogitat, naturæ motibus impulsum, præsertim si animus ipsius à puero probè fuerit institutus. Pleriq; enim in improbis moribus educati, dum licētiore aut negligentiore uictu utuntur, bonas naturas corrumpunt. Quemadmodum aliqui uice uersa uitioso corpore à natura producti, moderato uictu & tēpestiuis exercitijs, multa naturæ uitia ac delicta correxerunt. At de exercitiorum mensura, & utendi modo, dictum est in præcedenti sermone.

Victus senum ratio. Cap. XXX.

Naturalis senecta est sicca & frigida corporū temperatura, ex longæuitate proueniens: quum enim corporū essentia unà cū insita caliditate paulatim defluat, & instrumenta iā ulterius quàm conueniens erat sicca fiant, tum actiones deteriores redduntur, tum animal ipsum excarne & seipso gracilius euadit. Postquam uero adhuc amplius fuerint resiccata, non solū excarne, sed etiā rugosum efficitur, & mēbrorū impotēs, & in motibus ambiguū. Qui itaq; affectionē ex scientia nouit, quod uidelicet siccitas est cū frigiditate, is bonus fuerit senū Medicus. Cognoscet enim quòd horū correctio per humectantia ac calfaciētia contingit. talia autē sunt, aquarū dulcium balnea calida, & uini boni potus, & cibi qui humectant simulq; calfaciunt. Et frictiones per oleū mane moderatè fiētes. Deinde deambulationes & gestationes citra delassationē, uirium senis coniectatione facta: nō enim parua est etiā in ipsis senibus differentia. Dandus autem est cibus modicus quidem, uerum sæpe. Nam si paululum iustā mensuram senes excesserint, non parum lęduntur. Securius itaq; est debilibus senibus parum cibi offerre, uerum ter in die. Circa tertiam quidem horam panem probè paratum recentē, cum optimo melle despumato. Circa septimā uero præfrictis, & cōuenientibus senibus exercitijs exercitatis, ac lotis, prandium exhibendum est, & primū quidem danda quæ uentrem molliūt, uelut sunt olera ex beta ac malua. Deinde pisces petrosos ac pelagios præbere conuenit, postea uero paululū in lecto quiescere, deinde moderato motu uti. Ad uesperam autem cœnantes, à piscium esu abstineant. Accipiant autem cibos boni succi & ægrè corruptiles, uelut est gallina aut uolucris aliqua ex simplici iure. Vinum uero senibus utilissimum est. Sit autem ex calidioribus natura. Quale est quod substantia quidem tenue est, colore autē fuluum aut flauum. Atq; unum quidem hoc maximū bonum senibus ex uino accedit, quòd calfiunt omnes ipsorū partes. Deinde quod serum sanguinis per urinas purgatur. Quæcūq; uero uina pallida sunt aut flaua, & simul crassa, ea sanguinē generant, & corpus nutriūt. Quapropter etiā ipsa aliquando cōmoda fuerint senibus, quo uidelicet tēpore neq; serosum humorē in uenis habēt, & amplio re nutrimento indigent. Vt plurimum enim uino urinam ciente opus habent, eò quòd aquosa superfluitas in ipsis redundat. At uero à nigris & acerbis ac crassis & similibus uinis abstinere ipsos oportet. Diutius enim in uentre manēt, & propterea incommoda sunt. Dulci uero si senex uti uelit, post balneū sumat dulce simulq; pallidū colore. Non prohibeo etiā uinorū ex melle paratorū usum, et prę sertim his senibus qui suspecti sunt de calculi in renibus generatione, aut quos podagra aut articularis morbus infestat. Et tunc in uinū injciendū est petroselinū solum. Sufficit enim hoc arthriticis. Ad calculosos uero betonica ammiscetur, quæ & cestrū appellatur et saxifraga. Abstinere autē oportet senes ab edulijs & potibus, uiscosum & crassum humorē gignētibus. Qualia sunt alica, caseus, oua cocta, cochleæ, bulbi, fungi, lenticula

lenticula, & ostreorum caro, & reliqua suprà relata in alimentorũ crassi succi mentione, sermone secundo. Si uero ex necessitate aliquãdo contigerit aliquo ex talibus uti, statim exhibẽdum est pharmacum ex calamintha, aut ex tribus piperis generibus. Si uero non sit ad manũ quid ex his, piper tundendum est & exactè cribrandũ, & tum cum obsonijs edendũ, tum potui inspergendum. Et allium tunc gustare conducit. Postquam autẽ soluta est obturatio, & aluus subducta, etiã theriacam antidotũ, & mithridaticam, aut aliam quandam ex his quæ ex aromatibus constant exhibere conuenit. A' talium uero usu trãsire statim ad humectantẽ ac calfacientem uictus rationẽ suprà relatã. Dandæ sunt ipsis etiã maturæ & dulcissimæ uirides ficus, ante aliũ cibũ. Sed & in hyeme caricæ, nisi accidens aliquod circa dextram præsertim præcordiorum partẽ adsit. Quando quidẽ uero serosæ ac pituitosæ superfluitates in senum corporibus, uelut dictũ est, colliguntur: urinã quotidie propellere oportet, non per medicatas res, sed apij decocto cum melle, & uinis urinã cientibus uti. Venter quoq; per oleum bonũ subducendus est, præsertim absorptum ante cibos. Manifestũ est autem quòd & oleracea omnia præ alijs cibis edere oportet, ex oleo & garo. Emolliunt autem uentrem & pruna sicca, præsertim quæ ab Hispania afferũtur. Damascena uero in aqua mulsa meraciore præmacerẽtur, aut in ipsa decoquãtur. Sed & oliuæ muria conditæ, si fieri potest albæ, præsumendæ sunt. Ventre uero amplius suppresso, etiam mercurialis cocta detur, & cnicus cũ ptisana. Sed & resina terebinthina. De hac uero accipiendum est aliquãdo ad nucis regiæ magnitudinẽ, aliquando ad duarũ aut trium. Non enim solũ citra molestiam mollire solet, sed etiam uiscera extergere, & pulmonẽ & renes. At perfecta dosis eius est uncia una. Idoneum est ipsis & hoc. Caricas pingues accipe, & corium forinsecus ipsis obsitũ detrahe, deinde in mortario tũde, & cnici medullã ipsis adijce, decima plus minus caricarum parte. Deinde ambo tusa misce, ex hoc duarũ aut trium caricarũ magnitudinẽ præbe. At uero ex relatis pharmacis nullum unquã largius accipiendũ est. Quidam enim gaudẽt quòd cõfestim uehemẽter sunt purgati. Verũ quanto magis fuerint euacuati, tanto amplius uenter sistitur per sequentes dies. Suppressa autẽ aluo ipsorũ, infundere oportet oleum solũ calidũ. Nam & dura stercora hinc educuntur, & lubricitas quædã fit in transitu, & ipsum senũ corpus mollescit, instar aridarũ pelliũ induratũ.

Victus ratio eorum qui in ocio degunt. Cap. XXXI.

Qui uitã in ocio degit considerare debet, an in priore uita exerceri cõsueuit, aut citra exercitationẽ lauari. Nam quidã hunc morem moderatè ferunt, ut aliqui ex ipsis nõ assiduè ægrotent, ubi corpore facile trãspirante præditi fuerint. Atq; talem sanè corporis naturã, ad aliam consuetudinẽ transferre minimè oportet: quemadmodũ neq; illã aliam, eorũ qui per multum tẽporis interuallum ægrotant. Si uero assiduè quis ægrotet, cõsideranda est in ipso causa, an ob plenitudinẽ, aut propter humorũ uitiationẽ ægrotet. Et si quidẽ è morbis ex plenitudine ægrotare uideatur, scopus tibi erit propositus, ut omnino salubrẽ ipsius diætã conserues, quo semper moderatos habeat humores. Si uero propter uitiatos humores ægrotare solet, optimos facere humores. Quidã igitur plenitudinem coaceruãt, quũ ea quæ per corpus transpirant pauciora fuerint his quę accipiũtur. In his itaq; seruãda est symmetria ac proportio eduliorũ ac potuum ad ea quæ euacuãtur. Symmetria autem est, ut in utrisq; cõsideremus nos quantitatẽ, tum eorũ quæ ingeruntur, tum eorũ quæ euacuãtur. Nã qui in priore uita statim priusquã exercerẽtur, in balneũ ingressi sunt, in his nũc frictione moderata utendum est, & breui motu. Qui uero exercitabãtur ante balneum, his cõsulo ut nunc paululũ augeant consuetudinem. Detrahere uero oportet etiã aliquid de cibis, & quãtitate ac qualitate moderatos exhibere. Qualitatẽ autem dico, uelut in carnibus porcinis: celerrimè enim plenitudinem & copiam boni humoris congregant. Itaq; ad olera ducẽdi sunt, & ad pisces similiter ac uolucres, qui non multũ nutriunt. At uero in his qui uitiosos humores colligũt, nõ unus est scopus, quoniã neq; una est uitiosi humoris species. Quidã enim frigidiorẽ ac pituitosiorẽ uitiosum humorẽ congregãt. Aliqui uero calidiorẽ & biliosiorem. Sicut alij atra biliarium. Fugiendi itaq; sunt singuli cibi ac potus, qui promptè generare solẽt humorẽ qui in ipsis cõgregatur. Dictum est autem de ipsis abunde, in boni succi & mali succi eduliorũ mentione, in secũdo sermone huius operis. In quo sanè de attenuãtibus edulijs dictũ est, quę commoda sunt, his qui crudũ appellatum humorẽ coaceruant, qui semper quidem crassus est, nõ tamen semper uiscosus. Porrò in omnibus his cõmune auxilium est, moderata uentris subductio, & maximè quibus uẽter est natura durior. Cõmune auxilium est etiam ueneris usus moderatus.

De carnium subuersione. Cap. XXXII.

Quum ad immodicã carnium multitudinem deuenerit corpus, liquare ipsum ac subuertere oportet. Ostẽsum est autem quòd calidius & siccius temperamentum, gracile corpus efficit. Huiusmodi igitur faciendum est carnosorum hominum temperamentum, si moderatũ fieri debet. Didicisti autẽ iam quòd uelocia exercitia atq; acuta, & diæta attenuãs, itemq; eiusmodi medicamenta, sed & animæ curæ, totũ tẽperamentũ calidius ac siccius reddũt, & ipsum corpus tenuius. Attenuãs itaq; diæta manifesta est, pharmaca uero uehemẽtiora sunt, rutę semen, & præsertim syluestris cum cacuminibus, aristolochia rotunda, centaurea tenuis, gentiana, & polium, & quæcunq; fortiter urinam ciẽt, uelut petroselinum. Singula enim hæc & per se, & inter se uniuersa mixta, attenuare & euacuare humores possunt. Sed & sal ex uiperis ustis multum attenuat. Quin & ipsa theriaca antidotus attenuat & discutit. Illinatur autem oleo, in quo cocta est cucumeris syluestris radix, & althæa, & gentiana, & panacis radix, & aristolochia rotunda, poliumq; ac centaurea. Cibi uero non statim à balneis dandi sunt, sed permittendum est ut prius quiescant aut quid consuetarũ actionum obeant, & rursus ad secundũ balneũ ducantur. Præstat autẽ & balnei aquã discussoriã esse, si naturalem habere possent. Sin minus, flos salis marinę aquæ ammisceatur. Deinde uero edulia magna quidẽ mole, pauci uero nutrimenti danda sunt, ut impleatur quidẽ, modicũ uero alimentũ ex ipsis in corpus distribuatur. Talia uero sunt olera, & panes sordidiores, & similia quæ iam in secũdo sermone relata sunt. Vino autẽ utendum est albo colore, & tenui substantia. Neq; uero

ante cibos potus permittendus est, neque copiosus potus indulgendus. Sed & semel in die cibū capere melius est, & pro exercitiorum ratione pauciores cibos exhibere. Quin & frictio sicca ex mappis crassioribus, sufficiens est ad attenuandum. Sed & nitro ac asperiore sale frictionem facere conuenit. Multū itaque nitrum in balneis attenuat. Modicum uero, iritamentum est ad carnositatem uberiorem, & ad meliorem nutritionem. Prodest etiam insolatio carnosis. Probe attenuat etiam potum hoc pharmacum. Petroselini trientē, piperis sextantem, anisi, asari, utriusque unciam unam. Hoc & lotium ciet, & aluum promouet.

Quomodo graciles renutrire oportet. Cap. XXXIII.

Gracilitas corporibus accedit, quibusdā ex totius corporis intēperatura frigidiore ac Sicciore, quibusdam uero digerēdi facultate, aut nutriendi, aut utrisque, imbecillioribus natura existētibus. Omnes autē sic habentes iuuant edulia boni succi, & exercitia tarda ac moderata, & frictio consimilis. Et in summa, omnia cōtraria relatis ad carnosos. Cōmodum est etiā ipsis picari per dies tres aut quatuor. Nā & digestioni cōfert, & nutritioni. Et multos uidere est crassefactos ex hoc picationis auxilio, & præsertim eos quibus facultas digerendi debilis est. Nutriendi uero facultas nō debilis quidem est, sed ob idoneæ materiæ penuriā nutrire non potest. Si uero ieiuni lauentur, ante balneū corpus linteis cōfricare oportet, donec rubefiat. Deinde frictione nō ualde dura uti, ut ne constringentes, cutē densam ac duram efficiamus. Oportet autem decoloribus & alimentum non sentientibus iracundiā inducere, & commotiones animales.

Quomodo quis partes attenuatas sanare possit. Cap. XXXIIII.

Ex his qui in quibusdam partibus graciles fiunt, plerique aut ob diuturnam ipsarum quietem, aut ob deligationis fracturæ modum, ad hanc affectionē deueniunt. Oportet igitur uires quidem in membro corroborare, largum uero sanguinem attrahere, tū per moderatarum frictionum usum post cibum, tū per cōmodos parti motus, & per moderatas aquæ calidæ affusiones. Hęc autem post cibum facere oportet, donec pars rubicunda facta eleuetur, & tunc statim à perfusione cessandū est. Oportet etiam picatorū medicamento uti, de quo dictum est in præcedenti sermone. ubi uero frigiditatis sensus circa attenuatam partem fuerit, linteis ipsa perfricanda est, & quodam pharmaco calefaciente. Sed & thapsia illinenda est, aliquando cum melle, aliquando cum cerato.

De lassitudinibus à gymnasijs, aut ex itinere obortis. Cap. XXXV.

Lassitudinum primæ ac simplices tres sunt differentię. Quæ ulcerosa appellatur, & quæ tensiua, & quæ inflammatiua. Et ad has insuper ea quæ ob multā musculorum siccitatem generatur, quam lassitudinem uocant abusiuè, quum non sit lassitudo, sed siccitas.

De lassitudine ulcerosa. Cap. XXXVI.

Vlcerosa itaque lassitudo in superfluitatibus tenuibus simulque acribus ac mordacibus generatur. Nō enim in his plenitudinis copia est quæ affligit, sed humorum acrimonia, qui exercitiorum tempore, aut aliorum uehementium motuum, ex duplici causa generātur. Aut crassioribus superfluitatibus diffusis quidem ac attenuatis, non autem omnibus excretis. Aut colliquata aliqua pinguedine, uel carne tenera, in uehementibus motibus: necesse est enim à talibus tenuibus humoribus & acribus pungi ac uelut sauciari cutem & carnes, ut & horror aliquādo fiat, & rigor, quum fortiter fuerint acres & multi. Tumor autem non est oculis expositus in partibus dolentibus. Accidit hęc lassitudo præcipuè corporibus uitiosis humoribus ac superfluitatibus refertis. Consequitur & ad recentes cruditates, quū aut immodestius se exercuerint aliqui, aut in sole diutius uersati fuerint. Sed & citra cruditatē in boni succi corpore cōflatur, propter immodici exercitij excessum. Densa autē & horrida apparet his cutis, & dolent uelut qui ulcus habent, alij cute tantū, alij etiam carnibus sub ipsa. Sanatio porrò cōtingit ex eo quod contrariū est affectioni. Oportet enim superfluitates discutere, & sedabitur affectio. Discutiētur autē frictione multa & molli cum oleo dulcissimo nulla adstrictione prædito. Quale est dulcissimum sabinum. Maximè enim aduersatur his omphacinum. In prima igitur die largo oleo cū multa frictione utendū est, quo omnino nullus percipiatur futuræ lassitudinis sensus. In secunda uero, quo ea quæ facta iam est soluatur. Soluit autē ipsam, exercitiū moderatum, & frictio multa, pluribus ministris simul contrectantibus, quo pars ipsa nō frigefiat, & superfluitates celerrimè discutiantur. Hæc autem lassitudo plerunque extendi solet usque ad quartā diem. Itaque quarta die lauentur & cōsueto cibo nutriantur. prioribus tamē diebus pauciores sint ac humidiores cibi, & nihil uiscosi habentes. Sit autē & balneum non moderato calidius. Laxare enim & discutere uolumus ipsum corpus.

De lassitudine tensiua. Cap. XXXVII.

Lassitudo tensiua nullam memorabilem superfluitatem in corporibus sitam habet. Verum in musculis ac neruis affectio est ob uehementes distentiones facta, quas per exercitia fecerunt. Contingit enim in his rectas in musculis fibras laborare ac tendi, ut proximæ sint diuulsioni. Fit autem hæc lassitudo uiris maximè boni succi, qui nō acuta & uelocia exercitia faciunt, sed magis robusta. Et efficit sanè lassatos ualde pigros & ad motum ægros. Non tamen horridi fiunt, uelut qui ulcerosam lassitudinem inciderunt. At uero corpus in his nihil minus quàm in ulcerosa lassitudine, & in musculorum squallore, contractum uidetur. Et calidiores quàm pro natura cōtingentibus esse uidentur. Sanatio autem in his est tensarum partium laxatio. Frictio igitur his conueniens est modica simulque mollis, per oleum dulcissimum tepidum fiens: & ocium ac quies, & balnea maximè temperata moderato non calidiora, & mora in calida aqua diutius facta. Quare etiam si bis talē laueris, magnopere profueris. Hi etiam post balneū unctione opus habent antequam induātur. Et si quidē postea sudauerint, detersos rursus inungere conuenit. Quin & sequenti die ubi surrexerunt de strato, post defrictas superfluitates, & subductam aluū, unctione opus habēt, ita ut neque extremè frigido oleo, neque dura frictione confricentur. Cibus dandus est his modicus quantitate, uerum boni succi, & nihil uiscosum habens.

De lassitudine inflammatiua, ad ossa pertinente. Cap. XXXVIII.

Tertia lassitudo est, in qua uelut cōtusas ac inflammatas

tas sentiunt partes. hæc tunc accidere solet quum ob uehemētissimos motus calfacti musculi, attraxerint quid de circunfusis ipsis superfluitatibus. Et sola hæc eleuat musculos præter naturā, ut inflammationi similis sit affectio. Et propterea ex contactu dolent, & calidiores apparent. Dolent autē magis quum moueri uolunt. Si uero circa tēdines aut neruos in profundo eandem affectionem fieri contingit, ossium lassitudinem affectionē eam appellant, ob sensus profunditatem. Hæc lassitudo accidit ut plurimum hominibus ad exercitia non adsuetis. Sanatio scopos tres habet, quemadmodū omnia inflammata: superflui euacuationem, distentæ partis remissionem, & inflammatæ refrigerationem. Oleum itaq; multum dulce tepidum, & frictiones molliores, & in temperatissimis aquis mora diutissima, tales lassitudines sanant. Si uero etiam paulò tepidior fuerit aqua, magis his prodest. Ita uero & quies multa & assiduæ inūctiones. Cibi dādi sunt his boni succi, uerum pauciores, & nihil omnino uiscosi habentes.

De laßitudine ob siccitatem ac gracilitatem. Cap. XXXIX.

Alia præterea est quarta affectio, similis quidē lassitudini, sed nō est lassitudo, eò quòd neq; ulcerosam, neque tensiuā, neq; inflammatiuam affectionem habet, imò neq; horrorē aliquem, neq; dolorē, neq; ad motus pigritiam similē lassitudinibus infert: uerū solam gracilitatē cum siccitate. Cōtingit igitur in boni succi & exercitatione utētibus corporibus, quū immodestius exercitata nō probe recurata fuerint. Discutiuntur enim sic superfluitates, & laxātur distēta corpora. Et nihil reliquū fit in corpore præter siccitatē, quā ex immodica euacuatione habet. Quare etiā correctio huius affectionis in appositione ac repletione euacuati cōsistit. Non potest autē hęc fieri, dum cutis rarefacta est. Proinde cutē contrahere oportet, ac densare, & adstringere. Contrahit autem & adstringit, tum frigida aqua, tum feruens. At à frigida periculū est ne homo lædatur, qui iam rarus simul ac uacuus ob exercitiorum copiam factus est. A ferenti uero nulla læsio, sed secura densitas cuti accedit, ita ut etiā relictus in ipsa calor reuocetur ex feruentis aquę solio. Vnde feruentius calidæ solium parandū est. Exiliant autem ex ipso statim in frigidum, quo in ipsis maneat firmitas in cute unà cum caliditate. Nam & in sequenti tempore minus discutiuntur, & alimentum facile in carnes & in cutem suscipiunt: quo bono nullum maius ipsis excogitare possis. Vitāda est autem longior in frigidæ solio mora. Exoluit enim frigidæ lotio, calidæ lotionis utilitatem. Prima itaq; die lotus uelut dictum est, cibum accipiat boni succi & humidiorem. Secunda uero recuretur, modicæ simul ac mollis & lentę frictionis usu, & solio calido. Atque hoc faciat consequenter per multos dies.

De lassatis ex uenere. Cap. XL.

Debilitas uirium sequitur ad immodicū ueneris usum, præsertim in corporibus natura debilibus. Rarefit autem ipsis & cutis, ex uehementi motu. Et plurima fit per trāspirationem discussio ac exhalatio, & propterea siccitas. Aliquando uero etiā frigiditas consequitur, tum propter raritatem, tum propter caloris transpirationem ac sudores. Correctio igitur horū est per constringentia spissantiaq; ac corroborantia cutem. De quorum numero est & moderatum exercitium, & feruentius calidæ aquæ solium. quies item ac somnus multus. Edulia uero sint multitudine quidem pauciora, qualitate uero humidiora, & moderatè calidiora: quo & concoctio bona fiat, & siccitas ex lassitudine corrigatur.

De laßitudinibus spontaneis. Cap. XLI.

Quum de lassitudinibus ex gymnasijs, aut ex itinere obortis dixerimus, nunc de his quæ sine uehementi motu sponte fiunt docebimus: tales enim morbosæ sunt, uelut etiam Hippocrati uidetur: Lassitudines enim, inquit, spontaneæ denuntiant morbos. Sunt autem, & harum tres differentiæ, ulcerosa, tensiua, inflammatiua.

De laßitudine ulcerosa spontanea. Cap. XLII.

Spontanea igitur ulcerosa lassitudo, ob uitiosos humores clandestine coalitos fit, qui acres & tenues ac calidi sunt, ut corrodant & stimulent ac pungāt corpuscula sensu prædita. Et quam diu quidem ipsi in uenis ammixti sunt sanguini, latet ipsorū uis à sanguinis bonitate superata. Vbi uero in carnes et cutē trāssumpti fuerint, & per mansionem confirmati, tunc ulcerosam affectionē ac sensum inducunt. Et tunc maximè in talibus augentur, quū moueri uolunt. Considerandum est autem in his, utrum in cute & carne sola uitiosi humores contineantur, aut etiam cū sanguine intra uenarum uasa. Horum autē signa habes ex urinis, & morsu circa cutem, & sudoribus. Quando enim unà cum hoc quòd etiam in urinis apparent uitiosi humores, sensus quoq; ipsorum mordax circa cutē contingit, & sudores alieni, tū colore, tum sapore apparent, manifestum est quòd & in uenis cum sanguine uitiosi humores continentur, & quòd in cute sunt ac carne. Si quidem igitur modicus sensus uitiosorum humorum cōtingat, ieiunū hominem per totum diē seruabimus, quiescere ac dormire iussum. Deinde uesperi multū & pinguius illito, atq; temperatissima calida loto, paucissimum boni succi ac sorbilem cibum dabimus. Neq; uero uinum prohibebimus: concoquit enim uinum semicrudos humores, si quicquam aliud hoc facit, & sudores ac urinas prolicit, & ad somnum cōducit. Si quidem igitur à prædictis quieuerit hoc symptoma, paulatim ad cōsueta reducere hominē oportet. Si uero sequenti nocte ac postera die adhuc permanserit, aut auctum fuerit, uidendum est de auxilio fortiore. Nam tales ubi uires robustæ sunt, alterū ex duobus facere oportet, ut aut uenam secent, aut purgatione utantur, ita tamen ut decernas utro auxilio magis opus habent, uelut consequenter dicam. Sin uero debiles fuerint uires, minime secanda est uena. Purgādum uero moderatè aut omnino non. Si quidem enim cum multitudine sanguinis robustæ fuerint uires, uena secanda est, aut cōsuetæ excretiones suppressæ mouēdæ: uelut sunt hæmorrhoides in sede, & in mulieribus lunares purgationes. At ubi soli uitiosi congregati sunt humores, citra sanguinis multitudinem, ad conuenientem redundanti humori purgationem ueniendum est. Affligit autem quandoq; bilis amaræ humor, aut atrę, quandoq; pituita salsa aut acida, aut serosi humores. Siquidē igitur ociosiorē uitā habuerit homo, et cibis crasi succi usus fuerit, & præsertim in hyme, pituitosus humor colligitur. Verum in pluribus laboribus & cibis acrioribus, & in æstate, amara bilis coaceruatur. In autumno uero, & edulijs eiusmodi, ac laboribus

boribus diuturnis, atra bilis. Horum uero notas sumere oportet, & ex colore, & ex hominis motibus, & ex urinis ac sudoribus, & ex siti ac ciborum appetentia. Proinde sanguine prædominante reliquis humoribus, unà cum uiribus robustis, uenam secabis. Si uero uitiosi humores prædominantur, & uires robustæ sunt, purgatione cõuenieñti utemur. At post uenæ sectionem aut purgationem, nutrire oportet hominem edulijs boni succi quæ extersorium quid habēt, uelut est ptisana: & quæ nulla uiscositate prædita sunt, neque crassi succi sunt, neque multum nutriunt. Vtendum est & balneis temperatissimis, & unctione ac frictione moderata. Sed & reliqua diæta ac cura sic facienda est, uelut relatum est in lassitudine ex gymnasijs generata. Si uero bonus sanguis paucus fuerit, crudi uero humores omnino multi, uires autem debiles: Neque uena secanda est, neque purgatione, neque exercitio utendum: Imò neque omnino motu utendum est, neque lauandum: Nam uenæ sectio bonum sanguinem euacuat, uitiosum autem, qui sanè in magnis uenis circa hepar & mesaræum congregatur, ad totum corpus trahit. At purgatio in his tormina ac morsus efficit, & animi deliquia intēta, ad hoc quod nihil memorabile euacuat. Crudi enim humores omnes pigri sunt ac ægre mobiles, ob crassitudinem ac frigiditatem. Itaque obturant omnes arctas uias, per quas oportet id quod in purgationibus euacuatur ad uentrem accedere ac inferri. Et ob hanc causam neque ipsi euacuantur, & alios impediunt. Ob eandem uero causam neq; exerceri, neque omnino moueri, neque lauari hos conuenit. Omnes enim tales motus humores in totum corpus ducunt, & angustos transitus obturant. Seruandi igitur sunt in omni quiete, & danda edulia potusq; ac pharmaca attenuantia ac secantia, & crassitudinem humorum conficientia, citra manifestam calfactionem. Nam humores quomodocunque fortiter calfacti, undique per corpus meant. Vtantur igitur in uictu aceto mulso præsertim, aliquando & ptisana: Aliquando uero danda est & aqua mulsa. Possunt enim ferre tenuem diætam, si qui alij idem possunt, propter subiectam crudorum humorum multitudinem. Quandoquidem uero præcordia omnibus talibus eleuata sunt ac inflata, & facile sanè inflantur, quicquid tandem ingesserint: præstiterit ipsis dare cum cibo modicũ piperis, præsertim longi. Melius fuerit & dispolitico uti medicamento. Commodissimum est autem ipsis acetum mulsum, ex solo optimo melle & aceto præparatum: ut sint mellis quidem despumati partes duę, aceti uero pars una, plus minus. Præstat enim ex accipientium sensu modum iudicare, non nostris commoditatibus. Nam quod naturæ iucundum est, hoc commodum est. Quod uero iniucundissimum est, id maxime aduersarium est. Prodest talibus etiam apomeli, & pręsertim aridum factum. At ubi iam attenuati aliquãtulum fuerint humores, etiam uinum dandum est moderatum, album ac tenue. Sed & in apomelite ac aceto mulso coquendum est aliquãdo hyssopum & pulegium. Edulijs uero utendum attenuantibus, citra uehementem calfactionem: qualis est capparis ex aceto mulso, aut ex aceto & oleo. Postquam uero omnia perfectè bona tibi apparuerint, tunc ad familiarem uictum paulatim reducere conare, ita ut moderatis exercitijs utantur, & balneis, & unctionibus. Idoneum est autem ipsis unguentum lassitudinem eximens ex abiete paratum, itemq; quod ex populo nigra fit, quorum præparandi modum inter Acopa uocata referemus. Congruũ est ipsis & oleum chamæmelinum, & anethinum. Item sampsuchinum tempore hyberno. Sampsuchinum uero oleum sic præparatur. Coquitur sampsuchus in duplici uase cum oleo. Similiter coquitur & rosmarinus herba. Si uero hæc non habeas, radicē cucumeris syluestris, aut althæa, aut bryoniæ, aut betæ albæ accipe, & cũ oleo coque, multum enim discutiunt.

De lassitudine tensiua spontanea. Cap. XLIII.

Tensiua spontanea lassitudo, si sine exercitijs, aut alio quodam motu excitata fuerit, multitudinem nimirũ humorum indicat, qui nimia copia solidas animantis partes distendunt, & præsertim musculorum fibras. Vlcerosus sensus non est in hac lassitudine. Sed neque tumor alicuius partis sub tactum aut uisum cadens. Verum solum grauitatem & distentionem percipiũt. Manifestum est autem quòd sanguine redundante, optimum auxilium est uenæ sectio in cubito. Possunt & uenæ in talis secari. At uero post totius corporis euacuationem, ad distētarum partium laxationem procedendũ est, per unctiones ac frictiones molles, ociumq; ac quietem. Et utendum est balneis temperatis, & cibis citra mordacitatem extersorium quiddam habētibus, qualis est ptisana, & apomeli, & consimilia. Et ut in summa dicam, post uenę sectionem eadem cura uti oportet, quæ relata est antea ad tensiuam lassitudinem ex gymnasiorum exercitijs obortam.

De lassitudine inflammatiua spontanea. Cap. XLIIII.

Inflammatiua lassitudo quum sponte citra aliquẽ motum oborta fuerit, tum propter doloris magnitudinem, tum propterea quòd cum manifesta inflammatarum partium caliditate consistit, coëleuans musculos in tumorem, neque paucarum horarum, nedum dierum duorum aut trium moram ac dilationem tolerat. Sed statim febrem uehementissimam inducit, nisi quis sanguinem detrahendo præueniat. Calidissimus est enim talium sanguis, & plurima opus habent ipsius euacuatione, omnes ferme ab hoc malo appræhensi, & plerìq; ipsorum etiam post uenæ sectionem febriunt. Quare neq; cunctari, neq; parum detrahere conuenit. Sed & cito euacuare, & usq; ad animi deliquium ducere, si nihil aliud amplius impedierit. Præstat autem & detractionem repetere in eadem die, ita ut in priore euacuatione homo non animo linquatur. In posteriore neque ferendum est animi deliquium. At quibus hoc modo affectis uena secta non fuerit, aut sponte aliunde sanguis eruperit, hi bona fortuna opus habent ut seruentur, & neque seruantur. Si quidem igitur in capite & collo dolores magis hæserint, humeralem appellatam uenam secare oportet. Si uero thoracem & dorsum & lumbos doleant, internam uenam secabis. Sin æqualiter totum corpus, mediam. Si quidem igitur à uenæ sectione febris permanserit, curationem facere oportet, quam in febrium tractatione referemus. Si uero sine febre maneant, in prima quidem die à uenæ sectione, ptisanæ succus aut alicæ solum dandus est. Similiter autem & secunda. Si autem & in tertia die sine febre manet, etiam lauato & largo oleo inungito.

inungito. Etiamsi autem laueris, moderatum tamen uictum exhibebis ex lactuca, aut si ea non adsit, cucurbita: & alicam uelut ptisanam coctam. Sed & beta, & malua, & atriplice utendum est, si non adsit lactuca. Ex piscibus dandi sunt petrosi, & asellus ex albo iure probè coctus. Vtatur aquę potu. Aquæ potum dico, non frigidæ aquæ potionem, sed calidæ. Post tertiam si tolerabilis manet æger, inspergere oportet in potum, uini parum albi ac tenuis, & de cætero pro ratione reficere, per boni succi & neutiquā calfacientis diætæ usum.

Quali curatione ad frigiditates utendum est. Ex Herodoto. Cap. XLV.

Duplex est frigiditatis curandæ modus. Nam & futuram frigiditatem præcauere oportet, & corrigere iā factam. Quo igitur non capiatur frigiditate is qui in frigido aëre uersaturus est: neque famem tulisse, neq; præuomuisse oportet, neq; cruditatem pertulisse, aut fatigatum esse, aut crapula impletum esse. Frigiditas enim consequens ad ciborum cruditatem, morborum causa est. His uero qui famem pertulerūt, frigiditas ad ipsos neruos penetrat, qui nudi quodam modo sunt, & propria materia priuati. Quapropter qui in frigido aëre uersabitur, totum corpus nardino aut gleucino oleo præinungere debet. Plantas autem pedum, cerato ex laurino parato illinere. Aut ipsas lauri baccas cerato excipe, ac utere. Verū ex ueteribus quidam succum cyrenaicum milij magnitudine, in talibus necessitatibus deuorandum dederūt, cera oblitum. At uero à couuersatione in frigido aëre, desidere non oportet, sed ambulare prius in tepidiore loco. Et postea ad balneum ingredi, & in calida aqua diutius morari. Non præsente uero balneo, ad ignem corpus illinendum est, ac confricandum diligentius tum per seipsum, tum per alios. Deinde accipiendus est cibus calidus potentia & actu. Vinum uero neque ualde acerbum, neque nimis uetus dandum est. Tale enim neruosas partes offendit, iam à frigore uexatas, & præsertim uesicam ac renes. Si uero sequenti die frigiditas perseueret, curatio per balneum aut inunctionem conuenit. Et diæta consimilis, & acopa ex oleo gleucino & amaracino ac similibus præparata.

Cutis densatæ curatio. Galeni. Cap. XLVI.

Densatur aliquando cutis, tum per uehemens frigus, tū per balnea aluminosarum aquarum, aut aliquid huiuscemodi. Fieri potest autem ut & post balneum, & post sudores, aut alio quodam modo rarefacta ac frigefacta cutis densetur. Cognoscitur affectio calore albidiore quàm pro natura, & cutis ariditate ac dēsitate, & quòd sic affecti in exercitijs ægre calefiant. Neque enim sudant, neque bonum colorem habent. Si uero etiam à plurimis exercitijs coacti sudauerint modicum ac frigidum sudorem excludunt. Sanatio horum est calfactio & cutis rerefactio. Vtendum igitur est exercitijs, & balneis calidioribus. Præstat autem in prima balnei domo super lęui lapide sedētem perfundere. Vngantur etiam oleo quopiam laxatorio, uelut est quod dulcissimum est, uerum duorum aut trium annorum. Vtantur & lauacro natationi apto, calido, temperato diutius. In frigido uero ne immorentur. Neq; uero aqua sit ualde frigida. Vbi uero induere se uolunt, inungantur aliquo moderatè calfaciente, quale est anethinum aut cicinum. Ex ungentis uero gleucinum, aut susinum, aut irinum, aut amaracinum. Cibis porrò utantur moderatis, nihil uiscosi habentibus.

Quomodo curandus sit æstuosus ardor. Herodoti. Cap. XLVII.

Quemadmodum frigiditas famelicos magis lædit, sic ardor repletos. Quare qui in æstiuo sole uersari uolet, repletionem & acrium esum uitet, uinositatem item ac cruditatem. præhumectet autem corpus balneis potabilium aquarum, & cibis humectantibus. prospiciendum est & in mora ipsa sub sole, ut caput tegatur leuiore aliquo uestimēto, aut folijs uitis, aut myrti, aut polygoni. Si uero sitis uehemens oriatur, non aceruatim ingerendus est frigidæ potus. Plurimis enim hinc præterfusio aquæ inter cutem contingit. Alijs uero ad ardentem pulmonem aquæ frigiditas illapsa, tusses & grauedines excitat, aliquibus etiam tabem. Prętat igitur prius faciem frigida proluere manusq; ac pedes, deinde colluto ore paulatim ex interuallis absorbere. Postquam autem discessit à sole, temperata calida se lauet, & in frigida natet. Si uero nō adsit balneū, aqua & oleo, aut aqua & rosaceo totum corpus humectetur, & mollibus manibus præfricetur, & tunc in frigidam insiliat, præsertim si asuetus fuerit. Si uero nihil tale adest, aqua perfundatur. Postea potus quidem sit aqua. Edulia uero, lactuca, intyba, cucumis, cucurbita. Vinū quoque dilutius solito sit. Obsonium pisces delicati, domestica gallina ex iure albo. A' coitu uero abstineat. At ubi caput uehementer calfactum est, aut stomachus adhuc exardet, ut alba & glutinosa sit saliua, ut uix sputo reijci possit, & reliquum corpus pigrum apparuerit, ac uelut exolutum: caput rosaceo irigādum est, aut rosarū succo cū oleo omphacino, aut polygoni succo, aut pampinorū uitis, aut intubi, aut alicuius similis succo. Totum uero corpus humectādum est aqua & oleo, aut aqua & rosaceo. Super stomachum autem molle linteolum imponendum uino & oleo imbutum. Aut ceratum rosaceū, aut melinum quod absinthium habet aut portulacam. Optimum est autem & absinthij cremorem bibere, ad detergendas biliosas & acres in uentre congregatas superfluitates. Conducit & rosaceum absorbendum dare ad cyathi unius mensuram.

De matutina frictione. Galeni. Cap. XLVIII.

Matutinam frictionem assumimus post superfluitatum excretionem, excellenter quidem mollē in plus iusto reficcatis, & in his qui in uehementi frigore uersari uolent, & quibus propositum est frigida lauari, & qui lassitudinis sensum habent, & in quibus cutis densitatem corrigere uolumus cum largo oleo. At uero densitatem ex frigore obortam sanamus, primum quidem siccarum & asperarū frictionum usu, deinde frictionibus ex oleo calido. Ad raritatem uero cutis obortam ex balneis, aut frictionibus, aut ob ueneris usum, paucis quidem siccis frictionibus utimur, paucis uero etiam post ipsas, ex oleo frictionibus, & eo quopiam ex adstringētibus. Cæterum humiditates ex multo potu obortas solæ siccæ frictiones curant, per lintea factæ, citra pinguitudinem, aut cum aliqua ex discussoria ui prædítis.

De uespertina frictione. Cap. XLIX.

Vespertina frictio lassatis, aut reficcatis, aut alimētum non

non sentiẽtibus cõmoda est. Prandium in his parcius fiat, & amplius tẽpus intercedat usq; ad cœnã, & plerunq; in quiete. Deinde etiã paululũ deãbulent. Melius enim est si subductis cibis etiã uentrẽ exonerauerint. His ita factis, citra periculũ frictio assumitur. Frictio fiat cũ oleo dulci, uentre penitus nõ cõtacto. Periculum est enim & ipsos cibos prius cõcoqui, & semicoctum aliquem humorẽ digeri, & caput perturbari, & stomachum subuerti. Quare nardino ungento uenter perfundendus est absq; defrictione.

De cruditate. Cap. L.

Quot modis cruditas fiat, & quomodo uariè resistere oportet oborientibus ex hac corpori detrimentis, in loco de alui affectionibus postea declarabitur. Nunc uero necessarium est dicere quomodo ad urgẽtia accidentia instare oportet. Ructu itaq; accedente ac irritante, & grauitate circa præcordia existẽte, & ex hac molestia quadã in totum corpus se diffundente, non cunctandũ est ad uomitum deuenire, sed aqua plurima tepida hausta cogendus est, ut cibi penitus excernantur. Vbi enim permãserint, & torminum, & dolorũ, & grauitatis capitis, & destillationis, aliquãdo uero etiã febris, causa fiunt. Si uero quis natura difficulter uomat, aut ob aliã quandam causam uomere impediatur, elaborãdũ est omni modo ut cibus subducatur, & ex præcordijs secedat. Ad hæc erectior decubitus paretur. Adiuuat enim, si quicquã aliud, concoctionẽ. Et si uigilans quis fuerit, propter nimiã expletionem somnũ assequi non potens, is immotus permaneat, & eandẽ decubitus figurã conseruet. Nã assiduæ conuersiones flatus pariunt. Flatus autẽ materiam sursum uergere faciunt. Si uero perseuerarit hoc accidẽs, etiam pharmaci cõcoctorij ex malis cydonijs præparati, cochlearij mensura danda est. Si uero quis adsuetus sit ad frigidę potũ, & multam sitim percipit, non incongruũ fuerit sinceræ frigidę heminam exhaurire. Celerrimè enim corroboratum os uentris, quæ in aluo sunt expellit. At uentrẽ nardino ungento illinere oportet, & partes circa præcordia fouere, & extremarũ partiũ frictione uti. Exonerata aluo ad deambulationẽ procedẽdum est, tarde progrediendo, ne uapores ex cruditate ad caput allati concutiantur. Postea uero ad consueta uitæ munia pergendum est. Deinde succedat balneũ, & inunctio ex oleo dulci. Vtilis est & absinthij potus. Cibo uero utendum est facile concoctili ac moderato, & cui addita sunt quæ aluo commodant, uelut sunt erinacei & cancri. Deinde olera, beta, malua. Modicè utendum est uino, uerum calidiore. A' reliquis uero abstineat, uelut sunt acriũ esus, & bellaria, ac placentæ ex melle, & fructus dulces. Talia enim omnia ægre cõcoqui ac digeri possunt. Hinc autem somnus imperturbatus succedat.

De crapula. Philumeni. Cap. LI.

Sed & cruditates ex uino obortas, quas crapulas uocãt, ferè eodẽ modo tractare oportet, ita ut cogamus ipsos uomere à tepida aqua, aut sola immissione digitorũ aut pennarũ, & in lecto quiescere iubeamus, & turbationẽ somno sedemus. Et si quis sanè ad frigidę potum adsuetus sit, & stomachi ac uentris uexationem siue morsum perceptet, dãdi sunt ipsi cyathi duo aut tres synceræ puræ frigidæ aquæ ex interuallis. Sedata uero turbatione, cibos exhibebimus boni succi, & magis frigefacientes. Potus autẽ sit modicus, uinum album & tenue, dilutius temperatũ. Optimus uero in his est uini absinthitæ potus à balneo.

De æqualibus intẽperaturis. Galeni. Cap. LII.

Quũ tractauerimus quomodo quis à prima ętate usq; ad senectutem conseruet hominem optime constructum: transibimus nunc ad eos qui statim ab initio morbosam corporum constructionem adepti sunt. Duplices autem sunt secundum genus uitiosæ corporum structuræ. Quædam enim æqualiter habent tẽperatas uniuersas corporis primas partes, quæ similares appellantur. Quædam uero inæqualiter. Dico autem ęqualiter, quum ad aliquã intemperaturã immutatæ fuerint omnes simul corporis partes, frigidiores quàm conuenit, aut calidiores, aut sicciores, aut humidiores factæ. Et per coniugationem, quædã calidiores & sicciores, quædam humidiores & frigidiores, quædã calidiores & humidiores, quædã frigidiores & sicciores. Et sanè iuxta instrumentaliũ partium compositionẽ, aliquæ æqualiter, aliquæ inæqualiter compositæ sunt. Vidi enim iam quosdã habere uentrem quidem frigidũ, caput autem calidum: alios uero caput frigidũ, uentrem uero calidũ. Vidi autem & uentrẽ per accidens assiduè bile uexatum, qui non esset natura calidus. Quemadmodum etiam alium frigefientẽ, qui nõ esset frigidus. Sic & caput, & hepar & splen, & omnes alię partes, fruuntur aliquando alterius intemperatura, quũ ipsæ ex natura nihil læsæ sint in propriũ temperamentum, neq; cõtrario modo dispositæ. Proinde de primis optimũ temperamentũ adeptis à me dicetur, quo hoc exemplum habeas quod temperatũ est. Deinde de his qui æqualẽ intemperaturã habẽt. Demonstratũ est à me sæpe, impossibile esse unam aliquam intemperaturã diutius perseuerare. Ipsa enim sibijpsi necessariò aliã quandam asciscit. Illud porrò nosse expedit, quod quæcunq; corpora morbosam structuram in prima natiuitate habuerunt, ea omnino non perueniunt ad senectutem. Si uero etiam peruenerint, unum quendam morbum diuturnũ habent. Proposuimus autẽ in hac tractatione de uitiosam structuram habẽtibus agere, considerantes quomodo quis ipsa conseruet ut plurimum sana. Prius uero referendæ sunt temperamentorum notæ, postea consequenter etiam intemperaturarum correctiones.

Optimi temperamenti dinotio. Cap. LIII.

Optimè tẽperatus est homo quũ corpore apparet exactè medius inter omnia extremè disposita corpora, in gracilitate ac crassitudine, mollicie ac duricie, caliditate ac humiditate, siccitate ac frigiditate. Et, ut in summa dicã, si animales ac naturales actiones inculpabiles habuerit. Medio item modo se habuerit inter hirsuta corpora ac glabra, & inter nigra colore ac alba. Habuerit autem capillos, dum quidem puer est fuluiores, in uigore uero ætatis flauiores.

Temperamenti calidi notæ. Cap. LIIII.

Calidius quàm conuenit temperamentũ totius corporis, nũc dico illud quod proportionẽ secundũ humiditatem ac siccitatẽ inculpabilẽ habet. Qui igitur ab initio talẽ corporis naturã adepti sunt, saniores alijs apparent, & articulata uoce loquuntur, & canũt, & citius gradiuntur. Augebitur autẽ ipsis caliditas pro annorũ proportiõe. Iuxta uigorẽ autẽ ætatis palàm calidiores apparent. Quare morbis & accidẽtibus à flaua bile facile capiuntur: Nã multa caliditas paulatim

latim consumens humiditatem, siccius temperamentum efficit. Hi colore rubicundi sunt, & nigros capillos habent, progressu uero temporis etiam moderatè densos. Habentque uenas amplas, sunt enim & graciles. Nam pingues & uenas amplas habentes, nō natura pingues sunt, sed acquisitum temperamentum habent.

Temperamenti frigidi notæ. Cap. LV.

Frigidum ad contactū est his corpus, depile, & pingue. Color autem unà cū capillis, fuluior his est. Si uero multa est frigiditas, liuidi sunt & plumbei coloris, et angustas uenas habent. Si uero quis angustas habet uenas, & gracilis est, is necessario acquisitum temperamentum habet, & non ex natura gracilis est.

Siccioris temperamenti notæ. Cap. LVI.

Aegrè mobile, & siccum, & squallidum in his fit corpus facilime ab omnibus siccantibus. Nam & natura excarnes sunt ac graciles. At cū hoc quòd hi graciles sunt & excarnes, amplius etiam durū & asperū apparet tangentibus horum corpus. Gracilitas autem non solum ad naturales consequitur temperaturas, sed etiam ad acquisitas ex longa consuetudine succedit.

Humidioris temperamenti signa. Cap. LVII.

Humidius temperamentum in reliquis consimile est temperato. Verum mollius & carnosius. Nam mollicies ab humida temperatura separari non potest. Quemadmodum sanè & crassicies non solum ad naturalem sequitur temperaturam, sed etiam ad eā quę ex longa consuetudine facta est, succedit. Proprium autem est humiditatis etiā grauari corpus ab omnibus humectantibus.

Calidi ac humidi temperamēti notæ. Cap. LVIII.

Mollius & carnosius est hoc, optimo temperamento. Vbi uero plurimum fuerit auctum, putredinosis facile capitur morbis. Si uero paulò humidius, multò uero calidius fuerit, tales molliores sunt moderatis, & carnosiores, & non paulò calidiores. Nigri autē sunt ipsis capilli, & caro non pinguis. Si uero paulò calidius, multò autem humidius fuerit, mollis his & multa est caro, & color mixtus ex rubro ac albo: & ad contactū paulò sunt calidiores. Quò uero in summa dicam, in cōiugatis temperaturis semper prædominantis qualitatis notæ præualent.

Calidi & sicci temperamenti notæ. Cap. LIX.

Calidum & siccum temperamentum hispidius ac calidius est, & gracile. Capitis autem pilos boni habitus & nigros ac multos habet in iuuētute. Temporis uero progressu etiam caluicies sequitur. At uenę ipsius amplæ sunt, & arteriæ magnę ac uehemētissimè pulsantes. Et sanū & firmum, & articulatum, & musculosum, & minimè pingue totum corpus. Et cutem ipsam duriorem ac nigriorem.

Frigidi & humidi temperamenti notæ. Cap. LX.

Thorax his angustus est, & pilis nudus, quemadmodum etiam totum corpus. Cutis autem tenera & alba. Capilli subfului, præsertim in iuuentute, & senescentes non caluescunt. Sunt item timidi, & minimè audaces, ac pigri, & obscuras habent uenas. Et crassi sunt ac pingues, & femoribus ac musculis infirmi & inarticulati, & fiunt blęsi. Quòd si frigiditas ac humiditas amplius augescant, color unà cum capillis fuluus euadit. Si uero plurimum augescant, liuidus. At si inæquale fuerit qualitatū augmētum, eius quæ magis aucta fuerit propriæ notæ prædominabūtur.

Frigidi ac sicci temperamenti notæ. Cap. LXI.

Si uero frigiditas ac siccitas ex æquo fuerint auctæ, natura durū & gracile habent tales corpus, albumque ac non musculosum, & inarticulatum, ac depile, & ad tactum frigidū, pinguitudo tamen ipsis etiamsi graciles sint, per carnē disseminata est. Pili & color corporis pro mensuræ frigiditatis portione se habent. Porrò quum calida & sicca temperatura, in tempore inclinatæ ætatis, sæpe transeat in siccam ac frigidam: habitus talium gracilis ac durus similiter fit, uerum melancholicus est. Et propterea colore nigriores ac hispidiores fiunt. Prædominabuntur autem semper prædominantis temperamenti notæ, obscuræ uero alterius notæ erunt.

De capitis dinotione. Cap. LXII.

Caput paruum quidem uitiosæ cerebri structuræ proprium signum est. Magnum uero non necessariò bonæ. Si quidem enim propter robur insitæ uirtutis materiam multam ac bonam creantis factum est, bonum est. Si uero propter solius materiæ multitudinem, non bonum. Distinguendum uero de ipso tum ex figura, tum ex his quæ ab ipso ortum habent. Ex figura quidem, si fuerit concinna. Semper enim hoc signum bonum est. Ex his uero quæ ab ipso ortum habent, si ualidam ceruicem habet, & alijs ossibus optimè dispositū est. Et si uniuersum ipsorum neruosum genus bene nutritur, ac robustum est. Et si oculi acri uisu fuerint prædití. At uero acuminata capita defectuosam circa occiput aut frontem eminentiam habent, aut ultra iustum modum auctam. Proinde utplurimum sicut magna, ita etiam hæc capita uitiosa comperimus. Raro autem & ex his aliqua sunt, bona, efformatrice ipsorum uirtute forti existēte, & multitudinē materiæ bonam adepta. Nam qui acuminata capita habent, & ceruice ualida præditi sunt, hi tum alijs partibus omnibus, tum ossibus robusti sunt, ait Hippocrates.

Cerebri temperati notæ. Cap. LXIII.

Temperatum cerebrum naturales actiones moderatas habet, itemque superfluitates quæ per palatum, aut aures, aut nares purgantur: minimeque lędetur ab omnibus extrinsecis quæ calfaciunt, & frigefaciunt, & siccant, & humectant. Talibus pili capitis dum infantes sunt, subfului sunt, pueris uero subflaui: perfectis autem flaui fiunt, medium quodammodo tenentes inter exactè crispos ac simplices. Nec uero facile calescunt.

Cerebri calidioris notæ. Cap. LXIIII.

Si uero moderato calidius fuerit, uniuersa circa caput rubicundiora ac calidiora erunt, & oculorum uenæ conspicuę. Pili his genitis cito in capite oriuntur, ubi multò sunt calidiores temperatis, nigri & multi, & crispi ac robusti. Vbi uero non multò, subflaui primum, deinde nigrescunt, & progressu ætatis caluescunt. Superfluitates in palato, & naribus oculisque ac auribus, pauca his sunt ac matura, quum inculpatè sani fuerint. Replentur autem capite maxime, quum incauta diæta utuntur, & grauantur à calfacientibus edulijs, potibus, & odoribus, atque omnibus forinsecus accidentibus. Et hoc magis adhuc, si non solum calida ex natura fuerint talia, sed etiam humida.

Frigidioris cerebri notæ. Cap. LXV.

Superfluitates plures circa proprios meatus hi habent.

Capilli uero ipsis recti sunt & fului ac stabiles, & multo tempore à natiuitate orientes, tenues ac macri primum. Et citò à frigidis causis læduntur, & iuxta ipsum læsionis tempus destillationibus ac grauedine corripiuntur. Neque uero capitis partes ad tactũ calidæ sunt, necp rubicundæ apparent. Et oculorum uenæ inconspicuæ sunt. Et ipsi quodammodo somnolentiores.

Siccioris cerebri signa. Cap. LXVI.

Meatuum à superfluitatibus puritas, & sensuum sinceritas, signum sunt talis temperamenti. Vigilantissimi uero sunt, & pilos robustos celerrimè ubi nati sunt producunt, crispos magis quàm rectos. Citò uero canescunt.

Humidioris cerebri notæ. Cap. LXVII.

Pili simplices, & omnino non caluescunt, & sensus caliginosi sunt & superfluitatum copia adest, & somni multi, ac profundi.

Calidioris & humidioris cerebri signa. Ca. LXVIII.

Si uero caliditati affuerit humiditas, utrisqp parum excedẽtibus modum, bonus color adest, & calor, & uenæ oculorum magnæ sunt, & superfluitates plures moderatè maturæ. Et capilli recti ac subflaui. Et non facile caluescunt. Replentur autem & grauantur capite à calefacientibus ac humectantibus. Quum autem ad plurimam humiditatẽ ac caliditatem ueniũt, morbosum fit his caput, & superfluitatibus redũdãs, & quod facile ab humectantibus ac calfacientibus læditur. Auster his ualde aduersatur, optime autem in aquilonarĳs locis degunt. Neque uero uigilare possunt diutius, & ubi ad somnum seipsos conuerterint, simul sopore premuntur altiore, & uigilĳs, & insomnĳs uarias imaginationes obuersantes habẽt. Visum item habent caliginosum, & sensus non exactos. Si uero una temperatura fuerit intenta, notæ ipsius magis prædominabuntur.

Calidi ac sicci cerebri notæ. Cap. LXIX.

A' superfluitatibus puri sunt hi, & sensibus sinceri, ac uigilantissimi. Et cito caluescunt: prima capillorum generatio ipsis celerrima est, & probe nutritur. Sunt autem nigro ac crispo capillo præditi, & calidi ad capitis cõtactum, rubicundiqp usque ad uigoris tẽpus.

Frigidi ac sicci cerebri signa. Cap. LXX.

Frigidum ac decolor caput efficit hoc temperamẽtum, quantum in se est. Alterantur enim aliquando partes ipsius, ex humorum in toto corpore temperamẽto. Tales temperaturæ uenas oculorum latentes habent, & à frigidis causis promptè læduntur. Quare etiam inæqualiter sani sunt isti, aliquando quidem capite leuissimi, & meatibus à superfluitatibus puri: Aliquando uero destillationibus ac grauedine ob paruas causas corripiuntur. Sensus ipsis sunt in iuuentute quidem sinceri, & per omnia inculpabiles. Verum progressu temporis citò contabescunt. Et ut in summa dicam, Omnibus capitis partibus citò senescunt, quare etiam citò caluescunt. Capilli ipsis geniti prodeunt quidem uix, uerum macri ac fului. Progressu temporis frigiditate prædominante siccitati, non caluescunt. Si uero siccitas obtinuerit dominiũ, parum hi caluescunt.

Frigidi ac humidi cerebri notæ. Cap. LXXI.

Humidæ ac frigidæ cerebri temperaturæ soporosos faciunt & somnolentos, & sensibus uitiosos, ac superfluitatibus redundantes, & quibus caput facile frigefiat ac repleatur, & qui destillationibus ac grauedine facile corripiantur. Tales tamen non caluescunt.

Ventris siccioris signa. Cap. LXXII.

Si citò siticulosi fiũt, & modicus ipsis suffecerit potus, & uberiore grauentur, & fluctuationes habuerint superfluitate ipsis innatante, & edulĳs siccioribus gaudeant.

Ventris calidioris notæ. Cap. LXXIII.

Calidior uenter cõcoquit melius quàm appetit, & multò magis quæ dura sunt & difficulter alterãtur. Quæ enim facile alterantur, in ipso corrumpuntur. Gaudet autem edulĳs ac potibus calidis, & necp à frigidis læditur, si moderatus contigerit ipsorum usus. At uero calidorum forinsecus allabentium diuturnã conuersationem ferre non potest.

Humidioris uẽtris notæ. Cap. LXXIIII.

Hi neque siticulosi fiunt, & ampliorem humorem citra molestiã ferunt, edulĳsqp humidioribus gaudẽt.

Frigidioris uentris notæ. Cap. LXXV.

Frigidior natura uenter, bene quidem appetit, non autem bene concoquit, & præsertim edulia quæ ægre alterantur & frigida sunt. Facile itacp in ipso acescũt, & propterea ructum acidum habet. Et gaudet quidem frigidis, læditur autem facile immodico eorum usu. Atque ita etiam extrinsecus allabentium ipsi frigidorum diuturnam conuersationem ferre nequit. Cæterum ex morbo conflatæ in uentre intemperaturæ in hoc differunt à naturalibus, quòd contraria cõcupiscunt, non similia, uelut naturales. Si quidem igitur concoquit probe, temperatus est uenter. Si uero non cõcoquit, non omnino intemperatus est. Sed si quidẽ nidorosos ac fumosos efficit ructus, immodicus est ipsi ac feruens calor. Si uero acidos, uiceuersa. Sic etiam uentres qui ægre concoctilia probe cõcoquunt, immodicum calorem habent. Si uero ipsa non concoxerint, debilis est ipsorum calor. Considerandum est autem an ob aliquem humorem aliũde in uentrem confluentem, hoc ipsis cõtingat. Nam ad pituitosos humores, acidi ructus consequuntur: Ad biliosos uero, nidorosi aut uirosi, aut aliæ quædam peregrinæ qualitates. Communia autem accidentia omnium redundantium in uentre humorum sunt nauseę. Verum si quidem in uentris amplitudine humores innatarint, supernatabunt in his quę per uomitum reĳcientur. Si uero in ipsis uentris tunicis impacti fuerunt, frustra lancinabunt per inanes nauseas, ita ut nihil uomitu reĳciatur.

Pulmonis notæ. Cap. LXXVI.

Non solũ uenter siticulosos & non siticulosos facit, & frigidi ac calidi potus appetentes. Sed etiam thorax, cor, & pulmo. Verum qui propter horum caliditatem sitiunt, plus inspirant, & amplius ac diutius efflant. Percipiunt autem æstum in thorace, non circa pręcordia siue hypochondria Gręcis appellata, quẽadmodum qui propter uentrem siti uexantur. Et sanè ubi bibunt, non statim quiescunt: & frigidus potus magis ipsorum sitim sedat, quàm multus calidus. Refrigerat autẽ ipsos & frigidus aër inspiratus, qui ne alleuiat quidem propter uentrem siticulosos. Sic uero etiam frigefactum thoracem habentes, à frigida inspiratione sensibiliter lædũtur. Et maxima est hæc frigidi pulmonis nota. Quemadmodum autem frigidum aërem inspirantes, palàm sentiunt molestiam ac frigiditatem: sic calidus ipsis est gratus. Sed & pituitosas

tuitosas superfluitates hi cum tussi reijciunt. At pulmonis siccitates superfluitatibus carent, & uocem puram habent. Quemadmodum humiditates obscurā & raucam uocem efficiunt, & ubi amplius aut acutius loqui uolunt, superfluitates ipsis incurrunt.

Cordis calidioris notæ. Cap. LXXVII.

Magnitudo respirationis, & pulsus uelocitas ac densitas, calidioris cordis notæ sunt, audaciaq; ac uelocitas ad actiones obeundas impigra. Si uero amplior fuerit caliditas, excandescentia & furiosa temeritas. Est & thorax ipsis hirsutus, & maximè pectus, & præcordiorū partes thoraci uiciniores. Vt plurimū uero & totū corpus calidius fit ex calido corde, nisi hepar magnopere reluctetur. Sed & thoracis amplitudo, caliditatis signum est, nisi etiam hic magnopere cerebrum resistat.

Frigidioris cordis notæ. Cap. LXXVIII.

Pulsus sunt moderatis minores, non tamen tardiores necessariò, aut rariores. Timidi uero ex natura sunt tales, & socordes, ac minime audaces, & pectus pilis nudum habent.

Siccioris cordis notæ. Cap. LXXIX.

Pulsus sunt duri, & animi concitationem non facilem, sed feram & ægre sedabilem tales habent. Et ferme totum corpus his siccius est, nisi hepar reluctetur.

Humidioris cordis signa. Cap. LXXX.

Pulsus molles, & mores ad iram procliues, ac facile sedabiles. Et totum corpus humidius, nisi hepar restiterit.

Calidi ac sicci cordis signa. Cap. LXXXI.

Pulsus duri & magni, & ueloces ac densi, & respirationes magnæ ac ueloces & densæ. Et sane multò magis uelocitas ac densitas ipsarum augescit, si thorax ad proportionem cordis responderit. Hi omnium maximè pectore hirsuti sunt, & circa præcordia. Ad actiones uero expediti, & animosi, & tyrannicis moribus prędìti, & celeres ad iram, ac pertinaces in ipsa.

Calidi & humidi cordis notæ. Cap. LXXXII.

Si uero humiditas unà cum caliditate dominetur, minus quidē prædictis hi hirsuti sunt, nihil uero minus ad actiones expediti. Verum non adeò ferus est ipsis animus, sed ad iram solam sunt procliues. Pulsus uero molles sunt & magni, & ueloces ac densi.

Frigidi & humidi cordis notæ. Cap. LXXXIII.

Pulsus molles sunt. Mores minime audaces, ac timidi, & pigri. Sunt autem hi pectore pilis nudo, & minime furiosi fiunt. Nam neq; ad irā procliues sunt. De thorace ac toto corpore similiter uelut in superioribus distinguendum est.

Frigidi ac sicci cordis notæ. Cap. LXXXIIII.

Pulsus duri & puri: Hi omnium maximè ab ira alieni sunt. Coacti tamen ad irascendum, in ira perseuerāt. Sunt autem pectore omnino depiles.

Hepatis calidioris notæ. Cap. LXXXV.

Venæ amplæ, flaua bilis copiosior. Tempore uigoris etiam nigra. Calidior est ipsis sanguis. Et propterea etiam totum corpus, nisi cor resistat. Præcordia & uenter hirsuta sunt.

Frigidioris hepatis notæ. Cap. LXXXVI.

Angustia uenarum, pituita copiosior, & sanguis frigidior, & totius corporis habitus frigidior, nisi à corde calefiat. Præcordia & uenter his pilis nuda sunt.

Siccioris hepatis signa. Cap. LXXXVII.

Sanguis crassus & paucus, uenæ duræ, & uniuersus corporis habitus siccior.

Humidioris hepatis signa. Cap. LXXXVIII.

Sanguis copiosior & humidior. Venæ molliores. Sic & totum corpus, nisi cor reluctetur.

Calidi ac sicci hepatis signa. Cap. LXXXIX.

Præcordia hirsutissima. Sanguis crassior ac paucior. Amara bilis plurima. Iuxta uigorem etiā atra. Venarum amplitudo ac duricies. Sic & totum corpus calidum ac siccum. Nam caliditas ex corde proficiscens, frigiditatem ex hepate proficiscentem superare potest. Quemadmodum etiam frigiditas cordis, caliditatem hepatis superare potest. At siccitatem hepatis, cor humidius ad contrariū transmutare non potest. Quare manifestum est quòd ubi amborum temperatura in idem concurrerint, totum corpus exactè iuxta illas afficitur.

Calidi ac humidi hepatis notæ. Cap. XC.

Minus quidem quàm calidum ac siccū præcordia hirsuta facit. Verum plurimum sanguinē & uenas magnas habent tales. Et habitum humidum ac calidum, nisi cor resistat. Si uero amplius utrisq; qualitatibus naturalem modum excesserit, facile capitur morbis, putredinosis ac mali succi, atq; hoc adhuc magis, si amplius aucta fuerit humiditas, paululum uero caliditas. Si uero uiceuersa, modicè aucta fuerit humiditas, plurimum uero caliditas, uitiosi humores minime gignuntur.

Frigidi & humidi hepatis notæ. Cap. XCI.

Depile habet præcordium, sanguinem uero operatur pituitosiorē, unà cum uenarum angustia. Et corpus totum frigidius ac humidius, si non à corde ad contrarium transferatur.

Frigidi ac sicci hepatis notæ. Cap. XCII.

Frigidum ac simul siccum hepar, corpus modici sanguinis, & angustarum uenarum facit, atq; frigidius. Pręcordia uero pilis nuda talibus sunt, nisi & hic cor superarit.

Testiū tēperamenti signa. Cap. XCIII.

Calidum testium temperamentum uenereum est, fœcundumq; ac masculorum generatiuum. Et citò hirsutus facit genitales partes, & circumsitas moderatè. Frigidum uero uice uersa. Humidum autem multo & liquido semine abundat. Siccum uero pauco & moderatè crasso. At calidum & siccum, crassissimi seminis est ac fœcundissimum. Et celerrime ad coitū stimulat animal statim ab initio. Tales etiam celerrimè hirsuti fiunt circa genitales partes, & omnes circumcirca sitas, sursum usq; ad umbilicum, deorsum usque ad media femora. Cōcitatum quidem igitur est tale temperamentum ad uenerem, uerum citissimè satiatur, & si cogatur læditur. Si uero humiditas ad caliditatem accedat, minus quidem hirsuti sunt hi, sed plus seminis habent. Non tamē magis alijs appetunt, sed multę ueneri minore detrimēto sufficiūt. Si uero & humiditas & caliditas multum fuerint simul auctæ, ex ueneris abstinentia magis læduntur. At si testes humidi ac frigidi temperamento fuerint, partes circumcirca pilis nudæ sunt. Et tarde rem ueneream agere incipiunt, & neque ad actionem procliues sunt. Aquosum autem & tenue est ipsis semen & infœcundum ac fœminarum generatiuum. Siccum autem & frigidum temperamentum, prædicto quidem in reliquis simile est. Crassius est autē ipsis semen, & omnino modicū. Porrò quicunq; totum

scrotum cum testiculis laxatum habet, & uelut exolutum, hi uiribus ut plurimum sunt debiliores. Qui uero contractum habent scrotum unà cum testibus, & uelut adstrictũ, robustioribus uiribus ferme præditi sunt. Et huius rei signa sumi possunt ex omnibus quadrupedibus animantibus.

Calidorũ temperamentorũ correctio. Cap. XCIIII.

Quandoquidem in calidis intemperaturis biliosa sperfluitas redundat: considerare in his oportet, utrum subit ipsis bilis cum secessibus ac excremẽtis alui, aut ad supernum uentrem procedit. Si enim subit, nihil moliri oportet. Si uero ad supernum uẽtrem fertur, per uomitus euacuare à tepidæ aquæ potu. At si ægrè uomant, uinum dulce tepidæ aquæ permixtum bibendum dato, atque sic uoment. Exercendi autem sunt exercitio non ueloci ac concitato, sed tardiore ac molliore. Quidam uero ex uehemẽter calidis omnino non opus habent exercitijs. Sed sufficit ipsis deambulatio, & balneum, inũctis oleo cum mollibus manibus. Hi etiam post cibum balneis gaudent, & aliqui ipsorum crassefacti sunt ob talem diætam. Vinũ his conuenit aquosum, tenue & album. Nam fulua calida sunt, item ualde uetusta. Quare his ualde aduersantur. Attendẽdum est autem in omnibus qui post cibum lauãtur, ne hepar affectum sit: Extremè enim læduntur tales, si post cibum lauentur. Qui uero cũ siccitate calidi sunt, circa ætatis uigorem maxime opus habent humida diæta ex edulijs ac balneis, & cõcitatorum ac multorum exercitiorum abstinentia. Quare æstatis tempore citius lauentur, & post cibũ rursus, nisi aliquod ex uisceribus affectũ fuerit. Proderit his & frigidæ potus, si nihil impedierit. At siccioribus temperamẽtis ualde aduersatur uenus. Abstineãt item ab ardore, lassitudinibus, uigilijs, curis, & omnibus motibus acutis. Biliosi uero ira perciti exardescunt, & in acutas febres incidunt. Verum excessus quantitatem considerare oportet, & pro portione aucti caloris, augere etiam frigefacientem ac humectantem uictus rationem.

Frigidi intemperamenti medela. Cap. XCV.

Quicunque frigidioris natura sunt, circa siccum uero temperamentum ac humidum moderatè se habent, minus uitiosi sunt ad corporis robur ac sanitatẽ. Excitare igitur oportet ac corroborare ipsorum caliditatem. In humiditate uero ac siccitate totius diætæ medium eligere.

Humidi intemperamenti correctio. Cap. XCVI.

Humidæ naturæ in puerili ætate fluidis & plenitudinis morbis corripiuntur, & insuper putredinosis. Opus igitur habent pluribus exercitijs, & exacta in uentre concoctione. Nam cibi qui in hoc corrũpuntur, putredinosorum morborum materia fiunt toti corpori. Quapropter ante cibum hi loti, & naturalibus calidis aquis utentes, magnam opem sentiunt. Scopus enim in ipsis est ipsas corporis partes humidas seruare. Atq; hoc commune est omni temperamento. Nam cõtrarium, ipsa inquam siccitas, omniũ animalium corpora citius ad senectã perducit. Quare si quidem possibile esset semper cõseruare humidũ temperamentũ corporis, uerus profectò esset sophistæ Philippi sermo, qui obedientem ipsi immortalẽ fore promisit. proinde diutissimè uixerit, qui minimè resiccatur. Quum autem humida diæta superfluitates & humorum multitudinẽ generet, difficile est congruam tenere proportionẽ, ut neq; morbis corripiantur, neq; citò senescant. Quantũ igitur ad tẽperamenũ attinet, qui humidissimi sunt, diutissime uiuunt. Et sanè etiam plus alijs sani sunt, ubi corpus fuerit corroboratum: quemadmodũ etiã robustissimi sunt omnium eandẽ ætatem habentiũ, usq; ad extremam senectutem. Et propterea laudatur hoc temperamentum ab omnibus ferè medicis ac philosophis, qui corporis elementa exactè cognouerunt. Et quidam solum hoc naturale esse putauerũt. Melius enim alijs progressu temporis euadit, quũ ab initio sit deterius. Quare qui tali corpori corrigendo præfectus est, ea quæ desunt ipsi prouidere debet, per exercitia ante cibum fientia, & balnea ac cibos idoneos: & plures excretiones tum per urinas, tum per uentrem contingentes. Nihil autẽ uetat & apophlegmatismis pituitam à capite trahentibus uti, & purgationibus tempestiuis: & præ omnibus, edulijs boni succi, & uini urinam proritantis potu.

Sicci intemperamenti medela. Cap. XCVII.

Balneum siccis corporis temperaturis omnibus commodissimum est. Temperata autem sit & dulcissima aqua. Et si bis aut ter in die lauentur, magis conferet. Sed & uniuersa diæta humectans sit. A' lassitudine uero & curis ac uigilijs abstinendum est.

Calidi ac sicci intẽperamẽti curatio. Cap. XCVIII.

Calidum ac siccum temperamentum uarijs curationibus subiacet. Non tamen iniucundus est similiter frigefaciẽtium usus. Nam iuxta siccas dispositiones necessarium est, non solum uicinas uentri partes, sed etiam totum corpus gracilius fieri.

Humidi ac calidi intemperamenti medela. Cap. XCIX.

Quòd si humida intẽperatura est cũ caliditate, adstringentium eduliorum usus utilis est: Sunt autem hæc austera citra caliditatem. Et sanè etiam frigidus potus ipsis commodus est.

Humidi ac frigidi intemperamenti sanatio. Cap. C.

Humidi uero cum frigiditate temperamenti, optimæ medelæ sunt omnia acria ac calida. Misceãtur autem ipsis etiam acerba, citra manifestam frigiditatẽ. Optima item medela est his modicus potus. Sit autem uinum calidum fortiter & adstringens, ac ualde uetustum. His uero etiam ea quæ forinsecus adhibentur proportione respondeant.

Frigidi ac humidi intemperamenti curatio, frigiditate prædominante. Cap. CI.

At si frigiditas humiditatem superauerit, uitiosæ fiunt tales tẽperaturæ, & hæ maximè fluidis morbis corripiuntur. Prodest autem ipsis illuuies, & exercitia pura, & ratio uictus attenuans, & ungenta moderatè calefacientia.

AETII TETRABIBLI PRIMAE, SERMONIS QVARTI, FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN QVINTO SERMONE AETII CONTINENTVR.

*

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI SECVNDAE SERMO PRIMVS, ET EX ORDINE QVINTVS.

DE FEBRIVM COGNITIONE AC CVRATIONE.



SALVBRIS diætæ præcepta ad conseruandam sanitatem cõmoda ac necessaria, iã antea præscripta sunt. didicisti itaque ex ipsis, qualis & cuiusmodi diætæ usu, tum ipse quantum eius fieri posset, maximè sanus esses, tum tuæ curæ commissis singulis cõuenientem sanitatem conseruares. Quandoquidem uero clàm nobis ipsis sæpe contingit, ut negligentiore diæta utamur, aut ut propter aliquas actionum circunstantias, aut ob ambientis nos aëris uiolentiam, læsi aliquando morbosis structuris acutarum aut diuturnarum affectionum corripiamur. Præstat etiam de ipsis morbis tractare, & ab uniuersalibus febrilium morborũ notis auspicari, tum quòd hi magis abundãt omnibus ætatibus communes, tum quòd nõ periculo uacant, turbantq́ ac tumultum repentinum inducunt, ob symptomatum accidentium copiam.

Quòd oportet Medicum naturæ operum gnarum esse. Cap. I.

Quare circa prognosticum Hippocratis & alios eiusdem libros, Medicum exercitatũ esse oportet, & naturæ opera nosse. Naturę enim sunt morborum medici. Adiuuare igitur naturam oportet ad salutẽ decertãti aduersus morbum. Sic enim natura, ubi Medicum ea quæ oportet facientem auxiliarium accepit, & ipsum ægrotum obedientem, & nihil in diæta delinquentem, morbum facile superarit. Oportet autem cooperari etiam ministros, & extrinseca, quo nihil his quæ rectè fiunt resistat.

Quòd citra prænotionem morbi fieri nequit ut probe cures. Cap. II.

Propositum est autem nobis partem eam quę de signis ac notis morborum tractat, prius exponere. Nam citra hoc ut prænoscas in quid desinet morbus, fieri nõ potest ut modus diætæ tibi probe suppetat: & præsertim in acutis, & citum periculum inducentibus morbis.

Quæ sint bona signa. Cap. III.

Facies bonis signis prædita, poteris enim uel ex sola facie cõstantẽ ac firmam prænotionẽ sumere, priusquã ægrum contingas: dico autẽ ex sensibus in ipsa, uisu, auditu, olfactu. Et ad hæc ex respiratione, sine qua uiuere non datur, & quæ indicat nobis dispositionem cordis. Adest autẽ & loquendi instrumentũ in facie, ipsa lingua, quæ ostẽdit nobis rationalis animę partis robur ac debilitatẽ. Bonũ signũ est & decubitus decorus, prout maximè consueuit etiã in sanitate se facile conuertere. Bonum signũ est & totũ corpus ad portandũ facile esse, & æqualiter ac leniter calidum, & sitis quantũ eius fieri potest exors. Item sanã esse mentẽ, & bene se habere ad ea quæ offeruntur. Bonũ signũ est facilis spiratio, & ordinatus pulsuum motus. Ex his enim & quæ adhuc referentur, cognoscemus tũ robur, tum debilitatẽ, trium animæ actionũ. Nam sanam esse mentẽ, & nõ defluere corpus in decubitu ad pedes, cerebrũ per omnia sanũ esse indicat. Faciei uero floriditas, & facilis spiratio, & pulsus ordinatus, cor sanum esse arguunt. Quandoque enim florida fit facies cum difficili spiratione, uelut in peripneumonicis fieri solet. Ac sitis exortẽ esse, & bene

se habere ad ea quæ offerũtur, naturalem facultatem in hepate & toto corpore sanam esse indicat. Bonum signum sunt & somni boni, & sudores per totum corpus temperati & æquales ac moderati, & oportuno tempore apparentes. Bonum item signum est præcordia doloris expertia ac mollia esse. Et ad hæc secessus alui & urinarum ac sputorũ expeditos esse, & bona concoctionis signa.

Quæ sint mala signa. Cap. IIII.

Totius faciei ac temporũ collapsio, oculi fixi ac caui, lacrymæ inuoluntariæ, & alba oculorum in somnis apparentia, si non adsuetus fuit sic dormire, & defluere corpus ad pedes, & præter morem pronũ iacere, dentibus frendere, totũ corpus inequaliter calfieri ac frigefieri, & ad portandũ difficile esse. Item sitis intolerabilis, & ardor internarũ partium externis frigidis existentibus, excessus mentis & uelut delyrium quoddam aut stupiditas, sopor profundior, auersio totius appetitus. Frigiditas oboriens ex inflãmatione thoracis ac costarũ, difficulter spirare, & frigidum respirare, & foras multũ expirare, intrà uero parum inspirare: hoc enim iam futurã cordis mortificationẽ indicat, quemadmodum etiam pulsum interceptum esse, aut malè ferire. Facilem enim spirationẽ inquit Hippocrates, putare oportet ualde magnã uim habere ad salutẽ, in omnibus acutis morbis, qui cũ febre fiunt, & in quatuordecim diebus iudicantur. Malum signum sunt & uigiliæ cõcomitantes, aut etiam somni fientes quidẽ, uerum turbati. Sudores frigidi & inæquales, & non per totum corpus, & aliquando milij figuram præ se ferentes ac uiscosi. Frigiditatem enim fortem hæc indicant. Et non in debito tempore apparere sudores malũ est, & sudores statim febrim sequi. Item suppresio retrimentorũ alui, & maximè uesicæ, & aliarum excretionum. Imò etiam si hæc procedant, & alicuius perniciosi notas ferãt: & præsertim urinæ graueolentes ac crassæ & nigræ: Tales enim in acutis ac malignis morbis omnino periculũ significant. Præcordiorum distẽtio, & principalium partium inflammationes maximæ, cerebri inquam ac cordis & pulmonis, & membranæ costas succingentis, hepatisq; ac uentris: ubi enim aliquis ex talibus morbis adest, ualde mala signa apparentia periculosa sunt. Oportet autem uniuscuiusque signi uim perdiscere. Vnum enim aliquando signum forte ac fidum, plura signa infida ac debilia uincit.

Quæ prima dies totius morbi dicenda est. Cap. V.

Principium totius morbi dicere oportet, illud tempus quando homo febrire incepit adeò manifestè, ut continuitatem corporis sibi solutã esse putet, & non amplius in publicũ prodire ualet, & consueta uitæ munia obire, & propterea decubitu opus habuit. Non enim idẽ est displicentiã habere & febrire. Qui enim caput dolet, aut displicentiam habet, & corpore grauatus est, potest ferè in principijs consueta facere, donec præualens ipsi morbus uires eius deijciat.

Principium morborum trifariam dici. Cap. VI.

Principium propriè dicitur impartibilis illa ac indiuisibilis primi morbi impetus inuasio, in qua uictus homo decubuit. Principium etiam dicitur quod per dilatationẽ nominant, quod usq; ad tertium diẽ extenditur. Principium quoq; dicitur proprium ac necessarium, quod uelut partem totius morbi, principium nominamus: quod sanè non dierum numero cognoscitur, sed exacerbationum qualitate, & concomitantium accidentium lenitate. Nam in augmento & morborum & symptomatum accidentium incrementum fit. Exacerbationes enim anticipant, & longius extenduntur in augmento, & symptomata grauiora fiunt. Principium igitur totius morbi dicitur, donec apparuerint manifesta & bona concoctionis signa. Si quidem igitur principium breuis temporis fuerit, morbum uelociter soluendum ostendit, uelut etiã Hippocrati uidetur. In pleuriticis inquit, si sputum statim appareat, in principio quidem breuis fit: Si uero posterius appareat, prolongatur: morbus ipse uidelicet. Qua igitur die apparuerint in superfluitatibus quæ excernuntur manifestæ concoctionis signa, in ea dicimus principiũ totius morbi cessasse, & incipere ipsum augmentum. Concoctionis enim signa nunquam malè apparent.

Quid est febris. Cap. VII.

Febris est calor pręter naturã, cordis & arteriarũ, uitalem firmitatem lędens, ex profundo emergens, & acris ac mordax ad tactum allabens, præsertim circa thoracem, & ubi arteriæ magnæ sitæ sunt. Verũ ad talem calorem inæqualitas quædam & inordinatus motus pulsibus accedit iuxta ipsam febris speciem.

Quid est exacerbatio. Cap. VIII.

Exacerbatio, quam paroxysmũ Græci uocant, est motus morbi particularis, à remissione ad deterius. Particularis autem motus dictus est, ad discretionẽ uniuersalis morborum augmenti.

Quid est remißio. Cap. IX.

Remissio est particularis exacerbationis temporaria quies symptomatum corpori coincidentium.

Remißionem dupliciter dici, compræhenditur enim & interuallum. Cap. X.

Ex remissionibus ea quæ sincera est, cognoscitur ex quiete concomitantiũ ad exacerbationẽ symptomatum circumscripta. Et propterea dicitur Interuallũ, quemadmodum in his qui per circuitum quendam exacerbant, uelut tertiana, quartana, quotidiana, capitis dolor, morbus comitialis, podagra, & cõsimiles. Quæ uero insincera est & non pura, depræhenditur ex symptomatum diminutione, quemadmodum in continuis maximè febribus contingit. Nam in his ante absolutam morbi solutionẽ, non contingit pura remissio: Declinationem enim prioris posterior exacerbatio excipit.

Quod est principium febrilis accessionis. Cap. XI.

Principium febrilis exacerbationis, fermè est cõtractio extremarum partium omnium, & maximè nasi. Et quandoq; etiã frigiditas totius corporis. Et aliquando tusicula parũ iritans, unà cũ frigiditate irruens. Item oscitatio & partium corporis extẽsio, aut nausea, aut uomitus, aut animi deliquium. Et capitis dolor, aut alterius cuiusdam partis, & in profundum somnum delatio. Pulsus insuper paruus & contractus, tardè feriens ac residens: Et symptomatum ad præsentem morbum concomitantium iritatio.

Augmẽti particularis exacerbationis signa. Cap. XII.

Iuxta augmentum exacerbationis, aliorum quidẽ accidentium incrementum & unio accedit, contractio uero & frigiditas cessant. Et pulsus inæqualis emicat. Et corpus calefit quidem, uerum non exactè.

Vigoris particularis exacerbationis signa. Cap. XIII.

Iuxta uigorem exacerbationis, calor æqualiter diffunditur,

ditur, & particulatim distribuitur, per totū corpus. Et pulsus totam augmenti magnitudinem accipientes, ad subiectæ materiæ proportionem extenduntur, itemq; reliqua exacerbationis accidentia. Tunc uero iam tempus est ægroto potum dare.

Declinationis particularis exacerbationis signa. Cap. XIIII.

Declinatio est ubi incipiunt aliqua, aut omnia prædicta accidētia minui. Et pulsus ad ordinatum quodāmodo motum deueniunt. Aliquando uero & humores exudant. Et calor nimirum contabescit. Quādoq; etiam somni boni concurrunt, si longum tempus inter accesiones futurum est, uelut in puris remissionibus fieri solet. Contingit enim in quibusdā morbis, ut exacerbatio posterior prioris declinationem excipiat, uelut in febribus continuis apparet.

Quod est principium totius morbi. Cap. XV.

Iam antea dictum est, quòd principium totius morbi illud tempus dicimus, quando per morbi uiolētiam uires hominis uictæ, principiū decubitus factæ sunt.

Quod sit augmentum totius morbi. Cap. XVI.

Augmentum totius morbi est, quum exacerbationes consuetam horam anteuerterint, & longiores ac maligniores, & cum pluribus ac grauioribus accidentibus factæ fuerint.

Vigoris totius morbi cognitio. Cap. XVII.

Quum exacerbationes statum acceperint, & similiter per omnia consequenter contigerint, & concomitātia symptomata neq; detraxerint, neque addiderint, tūc iam in uigore esse morbus dicatur. Vigor enim uehementior morbi totius pars est, quādo etiam bonæ iudicationes uel maximè fieri solent.

Declinationis totius morbi dinotio. Cap. XVIII.

In declinatione totius morbi, contraria augmento fiūt. Remoratur enim exacerbatio consuetæ horę impetum, & modico tempore occupat. Et symptomata leniora ac simpliciora fiunt, & bona tolerātia ac remissio adest per omnia.

Quòd declinatio totius morbi in iudicationibus confertim fientibus, sensum nostrum effugit. Cap. XIX.

Quicunque morbi in uigore confertim iudicantur, & perfectam solutionem recipiunt, eorum declinatio difficulter comprændi potest, ut neq; sensui manifesta fiat. Imò neq; commodum est de ipsa inquirere. Satis enim est cognoscere quòd morbus fideliter, securè, ac perfectè solutus est.

Quòd seruandus æger quatuor totius morbi tempora pertransit. Cap. XX.

Si quidem igitur sine periculo fuerit morbus, acuteq; moueatur, & ad hæc bona & commoda signa affuerint ęgroto, quatuor morbi tempora citò pertrāsit, & manifestum est quòd etiā seruabitur. Si uero his cōtraria affuerint, ante uigorem plerunq; morietur.

Vtrū tardius aut citius morbus iudicatur. Cap. XXI.

Tardiúsne an citius iudicabitur morbus, ex morbi magnitudine, & motus uehementia, manifestum fit. Nam magni morbi citò mouentur. Quòd uero citò mouetur, etiam citò iudicatur.

Quomodo prænoscere oportet, an iudicabitur morbus, aut non, & quando. Cap. XXII.

Magni morbi qui & citò & uehementer mouentur, omnino iudicantur. Parui uero & obscuriores, & qui debiliter mouentur, si diuturni sunt, soluuntur tantum paulatim citra iudicationem. Raro uero & ad abscessum tales procedunt. Tertiana enim etiāsi intermittat, tamen quia citò & uehementer mouetur, iudicatur. Quartana uero, quia diuturna est, paulatim ferè soluitur. Item omnes qui pigrius mouentur. Naturam itaq; morbi inspicere oportet, an biliosus sit, aut pituitosus, aut atrabiliarius. Deinde anni tempus, & ægroti ętatem, & temperamentum, ac studium, & prægressam uictus rationem. Imò & regionem, & statum ambientis nos aëris. Postea uero considerare exacerbationum circuitus, uelut antea dictum est; & an intermittant, siue non, uelut in continuis ac continentibus febribus uidere datur. Si enim festinauerint, & semper anticipauerint conuenientem horam, & uehementiores facti fuerint, & per tertiam occurrerint, breui iudicationē futuram indicant. Si uero pigrè moueantur, & eadem hora irruerint, & quotidie contigerint, tardam fore iudicationem significant. Considerandæ insuper sunt & superfluitatum concoctiones, an bonæ sint, & an in diebus indicatiuis fiant, uiribus robustis. Si enim morbus statim ab initio ostenderit omnia signa extra periculum, in primo quaternario iudicationem promittit. Si uero in quarta præsignificarit, septimam non transgreditur. Leuissimæ enim febres & in signis securissimis fientes, quarta die quiescunt, aut citius, inquit Hippocrates. Maligniores uero & in signis grauissimis fientes, quarta die occidunt, aut etiam citius.

Futuræ iam iudicationis signa. Cap. XXIII.

Vbi iam affutura est iudicatio, non parua turbatio in ægri corpore præcedit, & præsertim in nocte iudicatoriam exacerbationē præcedente. Quibus enim iudicatio futura est, his nox grauis est ante exacerbationem, inquit Hippocrates. Grauitates enim & uigiliæ, & delyria, & graues sopores, & spirādi difficultates, & uertigines, & sensus obtusi, & dolores capitis, colli, stomachi, ac multarum aliarum partium adsunt. In quibusdam uero aurium sonitus. Et splēdores oculis obuersantur. Et lacrymę inuitæ fluunt. Et urina supprimitur, & labium concutitur, & alia quæcunq; pars tremula efficitur. Et cōtingit obliuio ac ignorantia præsentiū. Et uehemens rigor aliquando incidit, aut ardor antea non factus, & in summa exacerbatio ante solitam horā irrūpit. Et multus sopor ac sitis intolerabilis sequitur, & uociferantur ac exiliunt uelut consternati. Et decubitus figuram seruare non possunt. Et timor impendet uidentibus. At imperitus medicus uidens symptomatum accidentium tempestatem perturbatur, & cum familiaribus ægri calamitatem deplorat, & per condolētiam occultat imperitiam. Verum generosi medici est non turbari, neque ignorare quod euenturum est: sed ex præsentibus prænoscere, non solum quòd iudicatio futura est, sed etiam qualis futura est.

Quomodo prænoscere oportet bonáne an mala iudicatio futura sit. Cap. XXIIII.

Optimam iudicationem, quam etiam solam simpliciter iudicationem nominamus, non per coniecturā, uelut alias, sed constanter quis pręnoscere poterit. Omnia enim signa in talibus morbis statim à principio citra periculū apparent. Quemadmodum rursus in morituris, ut plurimū ab initio omnia mala apparent. Primum omnium igitur considerare oportet ægri

ægri uires. Deinde concoctiones ex urinis ac secessibus & sputis. Nullū enim unquā perire uidimus, ex his qui ob præostensam bonā concoctionem iudicati sunt. Tertio quòd in uigore & totius morbi, & particularis exacerbationis, & in die testabili iudicatio contingit. Consequenter autem & speciem morbi, & mores. Speciem dico, tertianam, aut quartanam, aut quotidianam, aut aliquam aliam. Mores autē, an sint moderati & leues, aut mali ac maligni. Et mores præcipuè indicabunt tibi, an seruabitur, an morietur. Et in affectionibus quidem thoracis ac pulmonis attendere oportet sputis, neque uero urinarum inspectio negligenda est. Considerandæ uero sunt etiam egestiones. At in febrientibus absque inflammatione alicuius uisceris, urinis maximè mētem attendere oportet. Cæterum in perniciosis morbis primum ac maximum signum est futuræ mortis citra iudicationem extrema uirium debilitas: Non enim excitantur ad pugnam. Secundum si nullum omnino fuerit ac ne minimum quidem concoctionis signum. Imò etiamsi præmanifesta fuerit indicatiua dies, futuram iudicationem simul præmanifestat, & malam fore indicat. Ad hæc uidendum est an magnus sit ac malignus morbus, nō tamen citò moueatur. Magnum autem dico peripneumoniam pulmonis abscessum, semitertianam, febrem ardentem, & consimiles. Velut uerbi causa, contingat ut uideatur in quarta die primum in urinis nubecula nigra, aut simile quiddam in medio ipsarum pendens, aut subsistentia nigra. Sint autem & omnia accidentia perniciosa, morietur quidem talis homo. Verum si quidem celeriter moueatur morbus, in sexta: si uero tardè, in septima.

Qui sint boni iudicatorij dies, & qui mali. Cap. XXV.

Septima ab initio morbi dies omnium maximè semper perfecte soluit ac fideliter, & bene ac citra periculum, & manifestè ac signanter. Septimæ uero fidem decimaquarta maximè imitatur. Propinqua autem ipsis est nona & undecima. Et huic propinqua est decimaseptima, & quinta. Post has quarta. Et post hanc tertia, & uicesima. Sexta uero sæpe quidem iudicat, uerum plures iudicationes malas, aut etiam letales inducit, aut certè non perfectas neque fideles. Reuertuntur enim morbi qui in sexta die iudicantur, etiamsi soluti esse putentur. Si uero etiam perfecta iudicatio, id quod rarum est in sexta, contingat, tamen cum periculosis ac grauibus accidentibus contingit. Proinde sextæ naturam nulla alia dies imitata est. Si uero aliquando in octauam diem aut decimam solutio morbi aceruata exciderit, assimilatur quodammodo ei quæ fit in sexta: Raro enim in his morbus soluitur, & neque fideliter, neque bene neq; perfectè: sed & obscurè ac minimè signanter. At medio quodā modo inter primas bonas relatas, & inter postea malas, tertiadecima locata est, neq; similiter reprobanda uelut mala, neque tamen similis bonis existens. Quòd si bona iudicatio futura est, oportet omnia prius iudicata esse, in urinis pręsertim, imò etiam in aliјs signis. Tertia igitur & quarta ac quinta dies statim ab initio præiudicantur. Quarta uero septimam præiudicat, & septima undecimam. Vndecima uero decimamquartā. Decimaquarta decimamseptimam, decimaseptima uigesimam. Terminus porrò acutorum morborum est decimaquarta. Quare si hanc transgressus fuerit morbus, ab acutis excidit.

In quibus ambigua est dies principij morbi, & nulla præiudicatiua facta derepēte contigit iudicatio, quomodo ambigua inuenire oportet. Cap. XXVI.

In quibus nulla præiudicatiua die facta, derepente contigit iudicatio, & in quibus nō exactè cognoscimus principium morbi, in his respicienda sunt signa, & ambiguum reperietur, si ad exacerbationum proportionem, & ad dierum naturam, mentem aduerterimus. Si enim imparibus diebus facta fuerit exacerbatio in intermittentibus, aut seipsa uehementior facta fuerit in continuis febribus, æstima præsentem iudicationem imparis diei propriam esse. Si uero in paribus exacerbetur, illarum proprie iudicatio erit. Nam ad uehementiores exacerbationes omnino sequuntur iudicationes. Cæterum ad ipsam dierum naturam sic animum aduertere oportet: si ambiguū sit utrū nonæ aut decimæ diei iudicatio sit. Si enim accidentia omnia mitiora fuerint, & citra periculum ac bona facta fuerit iudicatio, & consequuta fuerit ad iudicationem bona tolerantia, nonam potius esse iudicatoriam diem dicere oportet. Si uero periculosa & mala facta fuerit iudicatio, & cum grauibus accidentibus, & grauis tolerantia post iudicationem sequatur, decimam diem magis iudicatoriam fuisse dicendum est.

De notis ex pulsibus. Cap. XXVII.

Quum iam expectatur iudicatio, ante omnia pulsus tangere oportet. Nam altus pulsus, quemadmodum etiam uehemens, omnis bonæ iudicationis nota est, & constās signum iam adesse morbi iudicationem. Si uero uehementer ac fortiter ferit digitos, & cum hoc etiam magnus fuerit, & ad distentionem magis quàm ad contractionem festinarit, motus externi potius signum est. Externum autem motum dico, sanguinis eruptionem ac sudores. Internum uero, uentris exturbationem ac uomitus. Si quidē igitur magnus fuerit pulsus, & undosus, & simul mollescat, unà cum hoc quod etiam ipsum arteriæ corpus humectum est, & ad distentionem magis festinat: per sudorem futuram iudicationem sperare oportet. Si uero magnus simpliciter fuerit ac uehemens, & magis ad distentionem quàm ad contractionem festinarit, sanguinis eruptionem per nares fore significat, ubi uidelicet simul testimonium prębuerint signa in sanguinis eruptione referēda. Si uero uehemens quidem fuerit, non autem magnus, & durior seipso factus fuerit ac inæqualis, & ad contractionem magis festinarit, inclinatione iam ad intestina facta, per uentrem iudicationem facturam expectare oportet.

De urinarum notis, & primum quæ sit naturalis. Cap. XXVIII.

In febrilibus maximè morbis, notæ ex urinis commodissimæ sunt. Quandoquidem uero quicquid est præter naturam ex naturalibus inuenitur, à naturalibus initium faciamus. Vrina igitur optima est in sanis ac optimo habitu præditis hominibus, subfulua aut subflaua, & moderatè crassa, & talis manens colore, qualis micta fuit, & leuē ac albam & æqualem subsidentiam habens omni tempore, copiā uero pro potus ratione. At in fœminis naturalem urinam

nam colore albiorem uirili esse conuenit, & subsidẽtiam habere ampliorem. In puerili uero ætate, multum crassam subsidentiam habere oportet, propter puerorum uoracitatem, & inordinatos ac intempestiuos motus. Leuem autem subsidentiam Hippocrates uocat, cohærentem ac indiuulsam indicare uolẽs. Aequalem uero dicit, ut per totũ semper similis mingatur, & non hodie quidem concocta, cras uero cruda: & ut neq; subsidentiam, aut totam diffusionẽ inæqualem habeat. Proinde in naturali urina quærimus colorem, & diffusionis compagem, & quæ in ipsa diffusione obiter ferũtur, uelut est nubecula, aut simile quiddam in medio pendens, & subsidentia siue residentia quæ fundum occupat. Manifestum igitur est quòd urina in aliquo ex istis mutata, cruditatem in uenis indicat.

Qualis urina optima est in ægrotis. Cap. XXIX.

Optima igitur est urina in ægrotis quę similima est sanis, subpallida aut subflaua, albam ac leuẽ & æqualem subsidentiam habens. Defectuosior est, quæ id quod in medio pendet album ac leue & æquale habet. Crudior autem adhuc hac est, quæ nubeculam talem habet. In qua enim flatus est in profundo crassus ac crudus, si quidem paucus fuerit, permittit materiam ad fundum uasis deferri, diuidens autem ipsam, uniri non permittit. Si uero redundauerit crudus in profundo flatus, eleuat subsidentiam ad medium diffusionis urinæ, & facit id quod in medio pendet. Si uero adhuc amplior fuerit crudus in profundo flatus, eleuat subsidentiam, & ad supernam superficiem diffusi urinę liquoris attollit. In quantum igitur flatus diuidere ac eleuare ualet ipsam subsidentiam, in tantum crudiorem urinam putes. Si uero neque subsidentiam, neque quid in medio pendens, neque nubeculam habuerit urina, nosse oportet quòd natura nondum humorem concoxit. Si uero aliquando habet subsidentiam, aut illud in medio pendens, aut nubem, aliquando uero non, pugnam indicat naturæ aduersus morbum, atque hinc modò cruda est, modò non. At uero in tertianis exquisitis & in diarijs febribus, nubecula sola, aut illud in medio pendens, ad morbi solutionem suffecit. Aliquando uero etiam urinã solum boni coloris factã esse.

Quòd non omnis alba subsidentia bonum significat. Cap. XXX.

Sæpe uero albus color eius quod in urinæ fusura siue diffusione fertur, idiotas decipit, ut subsidentiam bonam putent quæ bona non est. Contingit enim crudum ac album humorem unà cum urina excretum subsidere, & bonæ subsidentiæ imaginationem exhibere. Quandoque uero hepate aut renibus affectis, pus excernitur cum urina, & subsidens decipit artificem. Verum primum distinguendum est, an homo antea affectos habuerit renes, aut hepar, aut aliam quandam partem per urinam expurgari solitam. Deinde etiam graueolens reperitur urina pus habens. Crudus uero humor à bona subsidentia distinguitur, per inæqualem subsidentis substantiam siue compagem. Non enim cohærens sibijpsi manet, sed in paruas uelut arenulas diuiditur. Et omnino non leuis est, quemadmodum uera subsidentia. In bonis igitur urinis, primum supernè apparet nubes. Deinde subdescendens facit id quod in medio pendet. In fine uero subsidens in fundo uasis, nimiorum ubi perfectè fuerit concocta. In crudis uero humoribus, statim ab initio ad fundum uasis multa copia secedit, unà cum hoc quòd mali coloris est tota fusura. Postea uero etiam paulatim concoctus ac attenuatus, circa medium fusuræ urinæ conspicitur, & facit id quod in medio pendet. Quum autem amplius attenuatus fuerit ac concoctus, in superficie diffusionis urinæ consistit, & nubeculã facit, decipitq; idiotas ut putent morbum ad deterius procedere.

Quid indicet tenuis & pallida urina. Cap. XXXI.

Tenuis & pallida urina, cruda quidem est substantiæ compage, concocta autem mediocriter colore. Debilitatem autem indicat etiam hæc naturæ, quòd colore quidem concoxit, uelut quæ res facilis sit: non autem etiam compage, propter difficultatem. Si uero per multum tempus hæc fertur, periculum est ne sufficere possit homo, donec concoquatur morbus. Nam quæ ualde tenuis est, mala est. Indicat enim cruditatem, in quãtum calorem id quod tenuius est depascere oportet.

Quid indicet tenuis & fulua. Cap. XXXII.

At tenuis in substantiæ compage urina, & fulua colore, melior est quàm pallida. Et tamen repræhensione non caret propter substantiam.

Quid indicet rufa urina. Cap. XXXIII.

Rufa urina cruditatem indicat, non mortem. Verum tempore opus habet ad concoctionem. Est enim ex sanguine seroso, nondum ualde concoctionem adepto, neque proprium colorem. Et propterea diuturniorem morbum significat. At in febribus continentibus, ob sanguinis multitudinem consistentibus, excernitur urina rufa & crassa, & subsidentia rufa, & colore, & fusuræ compage, & subsidentia cruda.

Vrina tenuis micta & postea turbata. Cap. XXXIIII.

Vrina quæ tenuis mingitur, & postea foris turbatur, cruda est propter flatus crassi redundantiam. Indicat autem naturam incipere concoquere.

Vrina crassa micta, & crassa manens. Cap. XXXV.

Vrina quæ crassa mingitur, & crassa manet, & non desidet, qualis est iumẽtorum, significat uigere crassorum flatuum ac humorum uelut fermentationem. In his capitis dolores aut adsunt, aut aderunt, propter humorum turbationem ac euaporationes.

Vrina crassa micta, & postea desidẽs. Cap. XXXVI.

Quæ crassa mingitur urina, & postea desidet, indicat humorum fermentationem quiescere, & quodammodo attenuari. Et separationem ac secretionem incipere.

Vrina tenuis micta, & talis manens. Cap. XXXVII.

Extremam cruditatem tenuis & alba urina significat. Non enim aggressa est in his natura concoctionem. Cõtingit autem hoc aut ob uirium debilitatem, aut propter obturationem, aut ob morbi lõgitudinem. Nam in quartanis diuturnissimis, in principio ob crassitudinem & intractabilitatem materiæ, urina excolata tenuis uocatur. Mingitur autem tenuis, etiã ob hepatis obturationem aut renum. Verũ cognoscitur ex locali dolore. Mingitur etiam aliquando tenue & album in febribus ardentibus. Febris enim ardens bilis multitudinem indicat, atque hæc urina phrenitidem imminere significat. Non tingitur autẽ urina, quia non manet in uasis ipsa bilis, sed leuitate sua ad cerebrũ decurrit. Si quidem igitur nõ adest in his

his phrenitis, scito ipsam iam affore. Si uero adest, & urina tenuis ac alba mingitur in ardentissima febre, ut plurimũ mortem prenunciat. Non enim tolerare possunt uires cerebri iam prostratę ab ardente febre, acrimoniam ac mordacitatem bilis iam putrefactæ.

Differentiæ urinarum oleosarum, & quid significent. Cap. XXXVIII.

Solet febris primum pinguedinẽ eliquare, postea carnem, postremum etiam ipsa solida corpora inuadit. Pinguedine igitur liquefacta oleosæ urinę excernũtur. Paulatim autẽ liquatur pinguedo, unde & principium habet, & augmentum, & uigorem. In principio igitur colliquationis, ita oleosi coloris facit urinas, ut ambiguum sit, aquosæ'ne sint an oleosæ. In augmento uero oleosæ fiunt, ita ut notabiliorem oleosi mixturam habeant. In uigore autem colliquationis totæ urinæ per totum, tum in colore, tum in substantiæ compage, uelut oleum sunt. At hæc pinguedo eliquata, aut renum solum est, aut totius corporis. Si igitur renum solum fuerit, cõfertim excernitur talis copia, imò & caloris sensus amplior circa renes contingit. Si uero totius corporis fuerit, paulatim additamentum facit.

Quid significent eruinæ subsidentiæ. Cap. XXXIX.

Quando consumpta est pinguedo, deinceps caro liquescit, & eruinæ subsidentiæ in urinis fiunt. Sed & hæ aut renum solũ sunt, aut totius corporis. Si quidem igitur in febribus apparuerit talis urina: totius corporis affectionem esse indicat. Si uero non, in renibus solum. Et rursus, si crudæ sunt urinæ, totius corporis est malum. Si uero concocta est urina, eruinæ autẽ sunt subsidentiæ, renum affectionẽ indicant.

Quid indicent furfuraceæ subsidentiæ. Cap. XL.

Quum febris pinguedinem consumpserit, & maiorem carnis partem, & in profunditatem uasorum irruerit, furfuraceæ subsidẽtiæ fiunt, angustiores quidem lamineis, uerum crassiores ipsis. Et hæ similiter aut ex toto corpore, aut ex uesica excernuntur. At si quidem febris affuerit, ex toto corpore. Si non, ex uesica. Et si quidem cruda fuerit urina, corporis est affectio. Si uero concocta, solius uesicæ. Sed & localis adest dolor.

Quid indicent lamineæ subsidentiæ. Cap. XLI.

Quum ipsæ solidæ partes affectæ fuerint, primum in superficie deraduntur, & quæ in urinis subsident laminea fiunt. Sed & ex uesica sola talia excernuntur. Si quidem igitur fuerit febris, totũ corpus afflictum est. Si non, uesicæ affectio est.

Quid indicet polentaceum in urinis. Cap. XLII.

Quum febris post occupatam profunditatem, & maiorem & longiorem profunditatem inuaserit, fiunt talia furfuribus crassiora, & uocantur polentacea. At duo significant hæc polentacea. Aut enim sanguinis assationem indicant, aut fortem solidorum colliquationem. Si quidem igitur alba fuerint polentacea illa, solidorum corporum affectio est: Si rufa, sanguinis.

Quid indicet graueolens urina. Cap. XLIII.

Graueolens urina putrefactionem indicat, & futuram naturæ mortificationem.

Vrina nigra quid significet. Cap. XLIIII.

Omnes nigræ urinæ statim etiam crassæ, omnino perniciosæ sunt. Raro enim aut nunquam inuenitur tenuis & nigra. Nam niger color accedit urinis, dum expurgatur atrę bilis humor, aut ipsa atra bilis, tum quæ ob frigiditatem, tum quæ propter nimiam assationem facta est. Et uiris quidem ac fœminis nigræ urinæ pessimæ sunt. Pueris uero aquosæ. Minus autem perniciosæ fiunt nigræ urinæ, his qui debilem habent splenem, quibus non ex adustione, neque ex perfrigeratione, nigrescit ac liuescit sanguis, quẽadmodum in aliјs quibusdam contingit: sed ex melancholici humoris diffusione. At hæ tres differentiæ crassitudinem substantiæ habent. Necessariò igitur etiam crassæ reperiuntur nigræ urinæ. Proinde in acutis morbis perniciosissima est omnis urina denigrata, & præsertim quum & graueolens fuerit & crassa, & nigram subsidentiam habuerit. Fieri enim non potest ut seruetur æger ex acuto morbo, qui talem urinam minxit: Et si quidem subsidentia fuerit nigra, perniciosissimum est. Si uero id quod in medio pendet nigrum fuerit, minus malum, aut non similiter malum. Si autem nubecula fuerit nigra, adhuc mitius & non similiter malũ. Nigra porrò urina, aliquando indicat frigiditatem, aliquando caliditatem, siue superassationem. Si quidẽ igitur prius micta fuerit liuida urina, deinde sic nigra fiat, frigiditatem causam habet. Si uero flaua præcesserit, & postea nigra inuenta fuerit, ab ampliore nimirum caliditate superassata nigra facta est. Scire tamen operæ precium est quòd & in febris quartanæ declinatione, & in melancholici delyrij solutione, urinę apparent nigræ ac crassę. Splenicis autem ut plurimum talis urina mingitur, quando debilis fuerit splen. Nullam enim concoctionem ac distributionem melancholicæ superfluitatis facit.

De egestionum notis. Cap. XLV.

Quòd de urinis antea dictum est, hoc etiam in egestionibus cognoscere oportet. Dico autem, qualis sit naturalis egestio. Nam ab hac euariatio in aliqua parte, cruditatem indicat. Optima igitur est egestio mollis & compacta, & leuis, & iuxta consuetam horam quàm maximè prodiens, & ad proportionem comestorum, colorata quidem moderatè bilioso humore, hoc est, subfulua, & non ualde graueolens. Quæ enim talis est, naturalis est. Et manifestum est quòd significat sana esse omnia circa uentrem ac intestina. Si uero aliqua parte à relatis euariauerit, præter naturam iam dicitur, uelut est, ualde graueolens, aut crassa, aut sicca, aut dura, aut distorta, & non humori ammixta, & quæ cum stridore & uelut strepitu quodam præter rationem excernitur. Tales enim omnes concoctoriæ actionis debilitatem indicant. His adhuc deterior est exactè fulua. Est enim bilis intemperatæ ac puræ signum. Nigra uero egestio, atræ bilis signum est, aut sanguinis adusti. Liuida uero intestinorum frigiditatis ac mortificationis. Pinguis autem & oleosa, pinguedinis colliquationem significat. Viscosa uero ipsorum solidorum corporum colliquationem indicat. Quæ autem uaria est colore, & ualde graueolẽs, uariorum humorum excellentem putrefactionem significat. Cæterum in omnibus his considerare conuenit, an edulia talia fuerint, aut intestinum ex more fluxione laboret, quum debile sit.

De egestionibus indicatorijs. Cap. XLVI.

Si porrò iudicatio alicuius morbi per uentrem futura est, nihil quidem præiudicans, uelut in alijs, neque quie

quicquam proprium ac firmum præsignificans habet. Verum ex eo quòd adsunt quidem iudicationis signa, non autem adsunt signa uomitus, aut eruptionis sanguinis nariũ, aut sudoris, colligere datur. Cõsiderare tamen oportet ex aluo egesta, an plura prodierint quàm prius ante iudicationem. Indicāt enim inclinationem hac magis fore, & præsertim ubi imminutæ fuerint urinæ. Insuper autē & grauitas notabilis, & dolor, & tensio circa præcordia & lũbos, uentris excretiones præcedunt. Quandoquidem uero & per hæmorrhoidas, & per locos muliebres, iudicationē fieri possibile est, communia etiam amborum sunt signa quæ nunc sunt relata. Verũ considerandum est an horum quid ex more expectetur. Si quidē igitur in principio morbi aut augmento, uenter perseueranter liquidiora egerit, aut uelut biliosa quædam pura, & febris perseuerat, & bilis magis augescit: tunc & ardentior & periculosior ut plurimum est morbus. Si uero in uigore multum exturbetur aluus sua spōte, ferè morbi solutionem efficit. At circa uigorem aliquando in morbis diuturnioribus uenter exturbatus, omnē materiam morbum facientem deterit. Verum in acutis morbis, & nigra pura & graueolentiā inducentia, præsertim in principio pessima sunt. Quibuscunque enim morbis inchoantibus bilis atra sursum aut deorsum prodierit, mortale est. Et rursus quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, aut ex uulneribus attenuatis, bilis atra subierit, postridie eius diei moriuntur. Non autem simpliciter si quid nigrum excernitur, iam etiam hoc atra bilis est. Potest enim & sanguis è proprijs locis excidens, & tempore aliquo manens frigefactus in grumos congelari. Atram itaque bilem cognoscemus ex eo quòd ad terrā fusa, ipsam radat ac fermentet, uelut acerrimum acetum.

De Vomitus prænotione ac significatione. Cap. XLVII.

Instante iam iudicatione, uomitum fore expectare oportet, si pulsus fuerit uehemens, & ad contractionē magis festinarit, & durissimus existens ac inæqualis. Cordis item punctura & uehemens oris uentris morsus adest unà cum capitis dolore, & uertigines oculorum, tenebris simul obuersantibus. Et labium concutitur, & saliua multa ac tenuis defluit, & nauseæ infestant, & infernæ præcordiorum partes frigidæ tangentibus apparent. Omnia enim hæc coincidunt, bilioso ac mordaci humore in uētre ac stomacho coaceruato, mordenteq; ac simul contrahente totum stomachum infernè. Vnde & labiũ concutitur, & saliua defluit. Si uero cum his etiam rigor accesserit, citissimè uomunt. Quòd si etiam cibos recens ingesserint, & maximè potum, citò uomunt. Vtilissimus est uomitus pituitæ ac bilis quàm maximè mixtorum. Vomatur autem nō crassus. Nam sinceriores, hoc est, non mixti, reprobandi sunt. Tales enim & cum uiolentia & lancinationibus ac molestia uomuntur, unà cum hoc quòd signum sunt, solā bilem prædominari. Quin & uarij reprǽhendi merentur, uelut sunt liuidi & nigri ac porracei: Mali enim sunt hi inquit Hippocrates. Si uero omnes hos colores idem homo uomuerit, perniciosum est. Deteriores tamē sunt liuidi ac nigri, in acutis & ardētibus morbis fientes, & præsertim si fuerint graueolentes. Attendere uero oportet & in his, num sanguis confluxerit in uentrem, & tempore quodā in ipso moram traxerit, & grumosus excernatur. In plurimis enim tale quiddam contingit, ex circuitibus quibusdam. Et non solum nihil molesti infert, sed etiam tolerantiores seipsis fiũt, ubi hic per uomitũ fuerit reiectus.

De eruptionis sanguinis ex naribus prænotione ac significatione. Cap. XLVIII.

Si sanguinis ex naribus eruptio futura est, propria signa præcedunt hæc. Splendores oculis obuersantur, eò quòd flauus est humor. Obtusus autem est uisus, propter multitudinis sursum uersus lationem. Quapropter etiam lacrymantur oculi. Facies rubicunda est, & præsertim malę. Præcordia distenduntur citra dolorem. difficultas spirandi adest, propter trãsitum sanguinis per thoracem. Capitis item dolor, & temporum pulsus irruens simul cum iudicatoria exacerbatione, & non in principio morbi existēs. Collum dolet, & delyria sæpe ac exultationes fiũt. Pulsus autem alti sunt & magni, & ad distentionem magis festinant. Si uero cum his omnibus etiā nares scalpat, iam adest tempus ut sanguis erumpat, & præsertim quum dolor fortiter circa frontem ac tempora incũbit. Quòd si etiam sano sanguis erumpere consueuit, augebit sanè etiam hoc ualde spem tuam. Atq; hæc sunt signa iam futuræ sanguinis eruptionis. In principio uero apparentia crudo existente morbo, periculum significant, & tales plerunque moriuntur. Si uero facta iam concoctione, præsertim in urinis, hęc signa appareant, circa uigorem morbi cōmodè conspiciuntur. Soluũt autem tales sanguinis eruptiones etiam uiscerum inflammationes in febribus, quādo maximè ex directo fiunt, uelut inflammato hepate, ex dextro nare: inflammato splene, ex sinistro. Vnde facilimum iam fuerit etiam medicum prædicere, utra naris sanguinem emissura sit, occasione ex dolente parte accepta. Soluunt etiam sæpe sanguinis ex naribus eruptiones phrenitidem, non tamen lethargum aut peripneumoniam.

Quòd & per hæmorrhoidas, & muliebres purgationes, sæpe soluitur morbus. Cap. XLIX.

Vidimus in multis etiam per hæmorroidas prius existentes in sede apertas, morbum solutũ. Similiter & in fœminis menstrua purgatione facta. Oportet autē & in his pręgressa concoctione, in morbi uigore excretionē fieri, quo bona & tuta iudicatio fiat. Pręcedit & in his notabilis grauitas, & dolor lũborum, imò etiam imi uentris dolor ac distentio.

De significatione ex sudoribus. Cap. L.

Febrem per sudores soluendam cognoscemus ex eo quòd ardētissima est, qualis est quam inde Causum Græci uocant. Biliosus est enim hic morbus, & ubi fortiter motus fuerit, rigorem efficit. Si quidem igitur pro ratione suppressa fuerit aluus, aut urina, iudicatione propinqua existēte, rigorem expectare oportet. Si uero amborum suppressio facta est, & nō adsunt signa uomitus aut eruptionis sanguinis, sudor necessario erit multus, & hoc magis fiet ubi augescente exacerbatione ægri mente moti fuerint, & forinsecus calidiores facti, & uapor quidam calidus ex corpore ascenderit, qualis antea non cōtigit, uelut uidere est in recens lotis. Pulsus item his sunt magni & alti & ueloces, & ad distentionem magis festinantes ac uelut undosi. Et arteriæ tunica mollis ac humecta apparet. Superficies autem totius corporis pruriginosa

riginosa & mollis, & quibusdam horis rubicunda. Hęc in exacerbatione iudicatoria fientia, concoctione prægressa, & iudicatoria die bona existente, salutares & solutorios sudores significat. Manifestum est autem quòd moderatè calidum esse oportet solutorium sudorem, & per totum corpus fieri, & pro ratione leuare, ac tolerantiorem facere ægrotum. At frigidi sudores cum acuta quidē febre mortales sunt, cum mitiore uero, longitudinem morbi significant.

Abscessuum signa iudicatoria. Cap. LI.

Si ad abscessum conuertatur morbus, salutariter se habente ægro, ad hoc maximè animū aduertere oportet. Durante quidem febre & continua existente, & urinis tenuibus ac crudis semper existētibus, & subsidentiā non habentibus, si postea apparuerit in aliqua inferiori parte, uelut cruribus aut circa iuncturā aliquā, aut grauitas, aut tensio, aut ardor, aut dolor, absq; manifesta causa, in ea parte abscessum fore expecta. Si uero æger derepente difficulter spirās, citò quidem à difficili spiratione liberatus fuerit, successerit autem dolor & grauitas capitis, & altus sopor ac surditas, huic in glandulis circa aures abscessum fieri necesse est. Fiunt autem abscessus magis in hyeme, & senioribus qui trigesimum annum excesserunt.

De sputorum significatione. Cap. LII.

In peripneumonicis ac pleuriticis affectionibus, sputa propriè appellata, subsidentijs in urinis similes sunt. At nihil omnino expuere, sed solum siccè tussire, est ueluti in urinis quum extremè crudæ sunt. Si uero incipiat æger humida & perfectè cruda educere, obscura est & incerta talis transmutatio, & desinit primum morbi tempus, hoc est principium. Vbi uero inceperit spuere pauca & matura, & semper plura ac facilius educit, tunc augmētum esse dicimus. Quum autem exactè fuerint concocta ac mollia, & non ægrè educuntur, tunc instat uigoris tempus. Vbi uero concocta fuerint, ac citra molestiam educuntur, & imminuta est copia, & dolor non amplius fuerit, & homo facilè spirat, ac bene tolerat, uigorem cessasse putandum est, & morbum iam declinare. Cæterum ante alia animum aduertere oportet, utrū citius aut tardius sputa extussire incipiat, quemadmodū etiam Hippocrati uidetur. In pleuriticis inquit, si sputum statim appareat, in principio quidem breuis fit: si uero posterius appareat, prolongatur morbus ipse uidelicet. Quæcunque igitur sputa subflaua sunt & subfulua & subspumosa ac tenuia, solius cruditatis notæ sunt, & nihil notabilis mali indicant. Quæ uero purè flaua & fulua & uiridia ac spumosa sunt ac uiscosa, insuperq; nigra, mala sunt. Nam excepto sanguine quicunque alius humor purus fuerit, malam affectionem indicat ex calore generatam. Sanguinea igitur & pituitosa sputa, moderata sunt. Flaua uero ac nigra, mala. Considerare uero oportet & eductionis ipsorum modum. Si enim facilè expuuntur, iudicium est quòd talia bona sunt. Si uero ægre educuntur, mala: & præsertim si nigra, aut liuida, aut æruginosa fuerint, aut ualde graueolentia, ut prunis iniecta graueoleant.

Signa perfectè ac fideliter soluti morbi. Cap. LIII.

Perfectè ac fideliter solutum esse morbū putare oportet, quum in idem simul conuenerint omnia solutoria signa. Siue igitur in uigore statim & confertim ac cōstanter iudicatus est morbus: siue paulatim declinando fideliter solutus est, ex his sanè cognoscere poteris. Primum enim & maximum signum bonæ ac fidelis iudicationis, sunt concoctiones superfluitatum apparentes in diebus indicatiuis, cum uiriū fortitudine. Deinde si in impari die iudicatio facta est, & ad hæc insuper, si febris soluatur ęgro iudicato, & ipse æger ab omnibus accidentibus liberetur, & coloratior fiat tum in facie, tū reliquo corpore, pro euacuationis ratione: & subtiliore pulsu prędítus, ac fortior dum assurgit, & bene tolerās per omnia, & maximè circa concoctiones ciborum ac digestiones: & si omnes naturales actiones inculpate facit, et corpus pro refectionis ratione roboratur: & color ex non naturali in naturalem transmutatur. Hæc est optima iudicatio, & oportet ipsos confidenter renutrire conuenienti uictu ac balneis uidelicet. Si uero defectuosa facta fuerit iudicatio, morbus recidiuare solet.

Signa morbi non perfectè soluti. Cap. LIIII.

Suspectos de recidiua cognoscemus, ex eo quòd putatur quidem solutus esse morbus, perseuerant autem consimiles prioribus urinæ ac pulsus. Et quòd adhuc pallidus est ęger, & difficulter tolerat, & reliqua contraria omnibus prædictis bonis fiunt. Et in summa, quoties præter rationem solutus est morbus, bis ipsum reuerti timor est.

Prænotio diei qua moriturus est æger. Cap. LV.

In perniciosis morbis considerare oportet exacerbatiōes per singulos insultus, an quotidie, aut alternis, aut alio modo fiant. Si uero febris est non intermittentium generis, uide an in imparibus diebus, aut paribus, æger magis intolerās seipso fit. Nosse enim clare oportet quòd in illa die aut nocte, in qua magis intolerans seipso fit ęger, morietur: Et si morbus multo plus uires excedit, citò morietur: Si uero uires parum resistunt, differri poterit ad unā atq; alteram diem. Fieri autem non potest ut moriturus ad declinationis morbi tempus deueniat. Raro uero in declinatione morbi aliquem mori cōtigit, nisi alius morbus priori succedat. Neq; uero necessariò ad uigoris tempus peruenit moriturus: sed utplurimum in principio aut augmento ægroti moriuntur.

Quòd etiam horam mortis ægri prænoscere poßit doctus medicus. Cap. LVI.

Quum quatuor sint particularis exacerbationis tēpora, obseruare oportet qua hora diei aut noctis grauior exacerbatio irruere solet. Insuperq; in qua parte exacerbationis æger seipso grauior factus est, nimirum an circa accessionem, aut augmentū, aut uigorem ipsius exacerbationis. In illa enim hora, in qua languidior, aut præter solitū magis pulsu destitutus factus fuerit, morietur. Et in accessione quidem exacerbationum moriūtur, ob inflammationes magnas in partibus principalibus, aut propter multitudinē crassorum ac uiscosorū humorū aceruatim intrò lapsorum, ut transitus spiritus perfectè obturent: ita ut suffocetur ac uelut extinguatur natura, quemadmodum si quis uiridium lignorū copiam accumulet in flammam. In uigore uero exacerbationū moriūtur, emota natura per uiolentiam ac uehementiā morbi. Eodem modo contingit ipsos etiā in exacerbationis augmento mori. In declinationibus autem exacerbationum moriuntur, exoluta ipsis per uiolentiā uitali firmitate. Obscurior enim & collabēs semper fit pulsus in perniciosis exacerbationis declinationibus.

Diffluit enim tunc unà cum alijs in corpore, etiam febrilis calor. Atq; hinc idiotæ melius rẽ habere imaginantur. Aegri uero aut ad exonerandum aluum surgentes, aut alio motu facto, animo linquũtur. aliqui uero pauco ac uiscoso sudore excluso moriũtur.

In acutis morbis mortem non esse prædicendam. Cap. LVII.

In acutis morbis coniectatione uti nõ oportet, in quibus maximè repẽtina mors, aut periculum ingruit. In his enim facilè transfluit & ardentior est humor, & uehementißima febris uiolentia. Et de his morbis Hippocrates pronunciauit: Acutorum morborum non omnino tutæ sunt prædictiones, neque sanitatis, neque mortis.

Febrium diuisio, & de diarijs febribus. Cap. LVIII.

Ex morbis ob intemperiem orientibus unus est & febris ipsa, calore præternaturali ad tantam immodestiam euecta, ut angat hominem, & actionem lædat. Differẽtiæ huius caloris maioris ac minoris ratione distinguũtur, & iuxta subiectum siue materiam, aut ipsum cordis corpus calore occupãte, aut humores, aut aëream essentiam. Incipit igitur hæc præternaturalis caliditas, aliàs ex alio de prædictis, & nisi soluta fuerit, progressu tẽporis similiter reliqua duo genera afficit. Et si quidem in spiritibus permãserit hic calor, diariam febrem efficit. Si uero humores occuparit, febrem putridam incendit. Si uero ipsum cordis corpus iniuria affecerit, hecticam ac habitualem febrem facit. Nam aliqui febricitantes facilè solubilem affectionem habent, uelut calefactum in sole lignum. Aliqui uero ægrè solubilem, uelut accensum ab igne lignum, ut etiam fumum edat. Quidam uero planè exuruntur, uelut lignum ad carbonis naturam adactum. Tria igitur sunt genera, diariæ, putridæ, & hecticæ. Primum itaque de diarijs tractabimus. Fiunt hæ febres, uelut dictum est, citra humorum putrefactionem, solo spiritu feruefacto, & propterea diariæ appellantur: Nam ubi loti sunt ægri in prima huius febris declinatione, & cibum boni succi ac humectum acceperint, non amplius secundario febricitant. Proprium autem & inseparabile signum diariarum febrium est urinarum cõcoctio in prima die, & caloris iucunditas. Verum post exacerbationem sedatam, certiorem habebis cognitionem. Nam arteriarũ motus, per omnia asimilatur motui sanorum, quòd nulli alij febri adest. Et ipsa bona ęgri tolerantia maximum liberationis signum est. Et urinæ multò meliores post exacerbationẽ quàm in febris principio tibi apparebunt. Et si ipsis dum lauantur, neq; horror aliquis insuetus acciderit, neq; alia aliqua iniucunditas, & post balneũ consequenter bona tolerantia manserit, cõfidenter nutrire potes ipsum, & uinum exhibere intrepidè bibendum, quãtum in præsens moderatũ est. Facilè uero à talibus febribus capiuntur hi in quibus defluxiones corporis nõ uaporosum, sed acre quid ac fumosum habent. Quare si quando suppressus fuerit coaceruatus in ipsis calor, febrilis efficitur. Auspicantes uero ac externè lacessentes harum febriũ causæ sunt, lassitudines, frigiditates, uigiliæ, curæ, tristitiæ, iracũdiæ, rigor, ardor ac exustio cutis, ut difficulter trãspirationẽ admittat.

De diarijs ex laßitudine febribus. Cap. LIX.

Qui ex lassitudine febricitant, cutem sicciorem quàm qui ex alia quadam diaria febre laborant, habent. Et hoc maximè cõtingit his qui simul frigefacti sunt ex multa lassitudine, ut etiã post febris uigorem permaneat ipsis siccitas. Et pulsus his parui fiunt. Qui uero non nimium fatigati sunt, his humiditates quædam, aut uapor calidus ex profundo effertur. Magni autẽ sunt & his pulsus. Oportet autẽ ipsos statim post exacerbationis declinationẽ, in balneum ducere. Et accurate simul ac molliter modico oleo dulci tepido perfrictos, aquarũ dulciũ lauacris lauare. Sed neq; si in aëre balnei ipsos morari iusseris, quicquã læseris propter frigiditatem. Postea quietis studiũ prodest.

De febrientibus ex uigilijs, & cura, & tristitia, aut ira. Cap. LX.

Eos qui ex uigilijs febricitant, distinguit etiam coloris species. Est enim subtumida. Sed & oculorũ motus manifesti sunt: uix enim attollunt supercilia. Et caui fiunt ipsis oculi, imò etiam sicci. Pulsus autem dẽsiores fiunt omnibus ob uigilias, curam, ac tristitiã febrientibus. Qui uero ex ira febriunt, his neq; cauitas oculorum adest, neque color ille. Et calor his est amplior, & uelut ex profundo emergens. Et magni sunt his pulsus. Omnes igitur relati neq; frictionibus, neque balneis multis opus habent. Sed multi olei perfusione omnino non adstringentis. Atq; ubi parum defricti sunt, pro more lauentur.

De febrientibus ex ardore. Cap. LXI.

Febrientes ex ardore statim ab initio perfrigerantibus sanare oportet, & balneis pluribus dulcißimarum ac temperatißimarum aquarum. Oleum autem modicum adhibendum est, & omnino non affricãdum. Sint autem quæ adhibentur capiti frigefaciẽtia, omphacinum & rosaceum ex ipso præparatũ sine sale. Facere autem hæc possumus frigida, uas in quo continentur suspendentes in puteũ ut aquam contingat. Sed adhuc magis saliens aquæ frigidæ, oleum frigefacit, & magis adhuc nix forinsecus uasi circumposita. Perfundẽdum est autem sinciput ex oleo sic frigefacto, lana moderatè excepto, ita ut manũ in sublime leuemus, & hoc indesinenter faciamus, usq; ad febris declinationem: atq; ita in balneum dulcium ac temperatarum aquarum ducamus, accessu solo aëris balnei per transitum concesso.

De febrientibus ex frigore. Cap. LXII.

Si quis frigefactus febricitarit, suppreßis uidelicet fumosis transpirationibus, quę per cutẽ fiunt, & hic in balneum ducendus est in febris declinatione. Caput autem calfaciendũ est & ante balneũ, & post balneũ, in declinatione, ex unguẽto amaracino aut nardino.

De febrientibus ex grauedine ac destillatione. Cap. LXIII.

Qui ob grauedinẽ febriunt lauare non oportet, priusquàm ea concoquatur, si ex frigiditate aut cruditate destillatio facta est. Caput autem humectandum est irino ungẽto aut amaracino aut nardino. Si uero ex ardore facta est destillatio capite calfacto, & instar cucurbitæ attrahente materiã ex locis subiectis, hunc statim in balneũ dulciũ ac temperatarũ aquarum ducere oportet, & in frigidã immergere, & sub salientẽ locare. In balneis autẽ frigefacientibus caput humectare. Sunt autem ea moderata, propter balneum.

De febribus ex cutis densitate. Cap. LXIIII.

Densatur cutis aut ex frigore, aut acerba qualitate ipsi præter adsuetudinem allapsa. Quale quid accidit etiã his qui in aluminosa aqua lauantur. Arctißima est his cu

his cutis, ut etiam tacto cognoscatur. Imò & caloris motus, leuis quidem iuxta primã manus admotionem apparens, acris efficitur, si diutius tactus perseueret: Vrinæ autem non uelut alijs fuluæ sunt. Quare non accusamus in his quòd alimentum non sentiant, unde corporis moles contrahitur. Neque uero oculi caui ac sicci fiunt. Verũ sunt quibus humidiores & prominentiores esse uidentur naturalibus, eò quòd non contigit transpiratio in ipsis, sed materiæ magis intus concluduntur. Vnde neq; pulsus parui sunt uelut in tristitia, aut cura, aut uigilijs, & ualde immoderatis exercitijs. Curare porrò eos oportet aquarum dulcisimarũ ac temperatisimarũ balneis, post exacerbationis declinationẽ, & præcipere ipsis ut aliquandiu in balnei aëre moretur, affundendũq; est ipsis oleum dulce tepidum, & fricatio mollis ac moderata adhibenda. Tenuis autem uictus præscribendus est, & uinum dandum tenue & album.

De febribus ex fame. Cap. LXV.

Si ob famẽ fiat febris, exacerbatione declinante in balneum ducantur, & plurimo oleo tepido dulcisimo perfusi leuisimè fricentur, & plurimo tẽpore in calido solio moretur. Egresi deinde ac uiribus refecti rursus in balneum ducantur, & in calidum soliũ locentur. Postea egresis post balnei turbationẽ sedatã, dãda est aqua calida potanda, deinde ptisanæ succus: aliquando etiam pisces petrosi in iure albo parati.

Diæta cõmunis omnium diariarũ febrium. Cap. LXVI.

Diæta in febribus diarijs omnibus cõmunem scopum habet, ut sit ex edulijs boni succi & quæ omnino cõcoquuntur, & nusquam circa meatus detinentur: his quidem qui ex ardore aut ira febriunt, quæ simul frigefaciunt ac humectant: frigefactis uero, minus alentia & moderatè calfacientia. His autẽ qui uigilarunt, aut tristes fuerunt, aut curis uexati, humidus & somnificus cibus congruus est. Fatigatis autem, plurimus & maximè nutriens. At in quibus intẽperatura corporis calidior ac siccior facta est, eos oportet aliquando circa primum exacerbationis impetum nutrire. Vinum autem dandũ est omnibus qui ex diaria febre laborant, aquosum, tenue ac album, quòd & concoctionem adiuuat, & urinas ac sudores propellit. His uero qui uigilarunt, aut tristes fuerũt, aut curis uexati, magis intrepidè uinum datur. Sed & fatigatis nimium, dandum est quãtum superare posunt. Iratis autem priusquàm ab affectu omnino liberati fuerint, minimè tutum est uinum dare.

De febrientibus ex inguinũ inflãmatione. Cap. LXVII.

Si quidem citra lacessentem externã causam, inguinis glandularum inflammatio fiat, multitudinẽ sanguinis plerunq; in uniuerso corpore indicat. Nam & calor in his amplior est quàm in prædictis, & facies rubicũda ac tumida apparet. Oportet igitur celerrimè uenã secare priusquam materia in inflãmato putrescat, ac febrem putridã accendat, post uenæ sectionem utendum est tenui diæta, usq; ad perfectã liberationẽ. At inflammato inguini, ante uenæ sectionẽ adstringentia ac repellentia imponenda sunt, post uenam sectam, laxantia ac moderatè discutiẽtia. Cæterũ quibus propter offensionem digitorum pedis, aut aliud quid tale, inguinis inflãmatio facta est, & ea de causa febris diaria consequuta, tales ne interrogãt quidem Medicum quid facere oporteat, sed ulceri ex quo inguinis inflammatio facta est prospicientes, lauantur circa exacerbationis declinationem. Prohibendum autem est uinum omnibus ex inguinis inflãmatione febrientibus, donec inflammatio fuerit soluta. Et uictus ratio tenuior ipsis constituenda est.

De diarijs febribus ex cruditate obortis. Cap. LXVIII.

In corporibus ex malis humoribus uitiatis cruditates orientes citisimè febrẽ accendunt. Minus autem fit malum, si ob cruditatẽ aluus infrà erũpat. Non paruum autem malum est, si fuerit suppressa. Febriunt autem aliqui etiam in quibus profluuium uẽtris ob cruditatem fit. Si quidẽ igitur sola corrupta euacuata esse apparuerint: lauandi sunt ac nutriẽdi in febris declinatiõe. Si uero plus iusto euacuatio fiat, melius est nutrire citra balneũ, prospiciendo uentri ipsi. Cura uero uentris dupliciter fiat. Si enim non amplius feratur ipsa aluus, absinthium modicum aqua macerans coquito cum oleo in duplici uasculo, & ex hoc locos circa uentrem humectato. Deinde hapsum lanæ purpureæ oleo imbutũ uentri imponito. Si uero debilius est os uentris, mastichen cũ ungento nardino ad strigmentitiã crasitudinem redige, & purpuram ex eo imbutã impone. Sint autem ea quæ imponuntur ad tactũ calida: tepida enim robur uentris exoluũt. At si adhuc feratur aluus, melius est optimo melino uti pro nardino, cũ modico uino. Cõmodum est ad hæc & mastichinum. Si uero etiã uenter exuratur post euacuationẽ, melino similiter utaris, aut cerato ex ipso parato. Nutriẽdi porrò sunt adhuc fluẽte aluo, ex polenta & panibus paucisimum acetum habentibus. quos hinc oxylipes Græci uocãt. Inspergenda est autem polenta succo malorũ punicorum, aut pirorũ aut malorum, præsertim cotoneorũ. Vel in ipsorum decoctũ, aut myrtorum. Si uero fluxus cessarit, alica detur, & gallorũ testes, & pisces petrosi in iure albo parati, & fructus adstringentes. Si uero inappetentes fuerint, ut auersentur cibos, ex cõcoctorio medicamẽto ex malorum cotoneorum succo ac melle composito, cochlearium unum aut duo dãda sunt. Si autem non affuerit id quod ex succo cõpositum est, detur id quod ex carnibus cotoneorũ paratur, cui nihil omnino piperis additum est, aut ualde exiguum quiddã. Si uero supprimatur aluus in his qui ob cruditatẽ ex diaria febri febricitãt, si quidem cibi adhuc in uẽtre continẽtur, plurima tepida pota, digitis aut pennis immisis, per uomitũ iubebimus id quod molestũ est reijcere, deinde præcordia foueре, & quietẽ agere. Si uero cibi iã descenderũt ad intestina, reclinatis ipsis ita ut partes circa caput & stomachũ sursum uergentes habeãt, foueatur uenter, & somnus concilietur. Post somnũ autẽ glandula subdetur, ad superfluitates quæ descenderunt educẽdas, aut per mitiorẽ clysterem, quale est furfurum decoctum, euacuatio fiat. Diæta sit tenuisima, quę plurimam exteriorẽ uim in se habet. Quòd si inflatio accesserit, incoquere oportet in oleo cuminum, aut rutã, & infundere per sedẽ. Euacuata uero aluo, statim nutriantur. Si uero etiam citra molestiam dormierint, postridie lauentur, adhibentes uentri ungentum nardinum cum modico uino. Et post balneũ similiter tenui uictu utantur. Si uero etiam tertia dies febrem aliquam induxerit, neq; sic timendum est, sed similiter lauandum, ac moderatè nutriendum. Dare autem oportet talibus ante cibum aliquod concoctorium, oxyporium à cita penetratione appellatum

medicamentum, & præsertim quod ex cotoneis malis fit cochleari mensura.

Curatio diariarum febrium multarum dierum, quarum aliquæ ex mutatione diariarum generantur, ob cutis obturationem. Cap. LXIX.

Quædam febres propter obturationem uasorum circa cutem fiunt, ex diariarum mutatione, quũ non probè curatæ fuerint statim ab initio. Cõtingit hoc maximè in corporibus uitiosis humoribus præditis, quum multũ fuerint uoraces. Nam in talibus circa primã ac secundã diem aliquantisper, non est in pulsu putredinis signũ, sicut neq; in urinis, cruditatis: dũ enim prolõgatur quidem declinatio, & nõ amplius iuxta proportionem remittit, suspecta est affectio: si enim nõ transpirauerint perfectè, necesse est putrefactos esse uitiosos humores. Si quidẽ igitur puer aut senex fuerit ægrotus, uenã secare non expedit. In medijs autẽ ætatibus, robore præsente ægroto, uena secetur, si sanè etiã plenitudinis signa affuerint in corpore. Detrahendũ est autem pro uiribus, & obturationis magnitudine: maior enim febris ob uehementiores obturationes incidit. Minor autẽ ob minores. Euacuata uero multitudine, & rarefactis meatibus, fumosæ ac fuliginosæ superfluitates transpirãtes pauciores fieri poterint. Periculosum enim est aperire potentibus obstructiones, uti ante euacuationẽ. Quę enim uim extersoriã habent, exhibita dum exhalant simul attrahũt quid ex crassis ac uiscosis humoribus in uasis, & duplicãt in angustis meatibus obturationes. Si uero etiã extrinsecus cuti admoueãtur extersoria, periculum est ne attrahant etiam aliud quid ad meatus obstructos. Quò igitur securè & intrinsecis exhalatio, & extrinsecis attractio contingat, utilissimũ est euacuare pro uiribus corpus: pòst euacuationẽ uero non longa facta dilatione, aliqua extersoria edulia aut pharmaca dare. Eduliorũ quidẽ loco ptisanam & aquã mulsam, pro pharmacis autẽ, acetum mulsum ex solo aceto ac melle paratũ. Quæ enim in aceto mulso coquuntur aliàs, uelut calamintha, & similia calida, febres accendũt, uelut etiã uinũ. At post tertiã diem, neq; putredinis humorũ signo in pulsibus præsente, neq; in urinis cruditate, & ubi hora suspecta in qua febris accesit in prima die transijt, confidenter iam hominẽ lauare oportet. Si uero etiã circa decimã horã suspectus tibi fuerit paroxysmus siue exacerbatio, lauare oportet ante horã sextã. In balneo uero corpore præcalefacto illinire oportet oleo dulci tepido, & moderatius cõfricare, postea depurgare & abluere forinsecus corpus. Eligenda ad hoc quædã moderatè extergentia, qualis est ordeacea farina & fabacea. Deinde immittere in soliũ calidæ tẽperatæ, deinde etiam in frigidã. Si uero circa decimã horam, ut ita demus, turbatio quædã suspecta sit, nihil exhibendum est præter aquã cui incocta est hyssopus & parũ apij. Deinde si nihil mali intulerit hora, nutriantur: Si uero etiam quid attulerit, omnino moderatum apparebit. Quare & lauare poteris postridie ac nutrire. At ubi magna facta est obturatio, necessariò putrefactio contingit. Vnde curatio in putredinosa febre referenda, etiam his congrua est.

De febribus continentibus, siue synochis. Cap. LXX.

Continens febris nominatur, cuius ab initio usq; ad finem una est exacerbatio, nullã alterius exacerbationis principij significationẽ faciens. Corporibus bono habitu præditis, & multo sanguine refertis, & ętati calidæ peculiaris est continens febris. Conflatur enim ob calidi sanguinis copiam nõdum putrefacti, & eò quòd nõ transpirat, feruore solũ caliditatẽ excitantis: quemadmodũ nouum uinũ solet in dolijs: tempus autem talium febrium maximè uernum est. Sunt autem differentiæ febris continentis tres. nã aut ęqualis permanet magnitudo ab initio usq; ad solutionem, aut additamentũ facit, aut detractionem: hoc autem contingit prout maiores aut minores fiunt transpirationes, ex eo quòd densior aut rarior est habitus corporis affecti. Est autem multa copia quæ in talibus affligit, & feruorem sanguinis ebullientem cõsequenter febris accendit. Aliquãdo uero etiã crassitudo. Scopus igitur curationis in ipsis est euacuare copiam, & extinguere calorem præternaturalem, & crassitudinẽ secare, si quidem affuerit. Deinde ueterẽ bonam temperaturam debilitatis partibus reparare.

De uenæ sectione. Cap. LXXI.

Si ualidæ sunt uires, & ætas permittit, & nihil aliud fortiter resistit, sanguinis tantum auferre oportet, quantum uires tolerant. Præstat autẽ si uires adsunt, usq; ad animi deliquium ducere. Quibus uero nõ sic uena secta est, hi ad extremum periculum deueniũt, ut aut suffocẽtur, aut animo linquantur, nisi uirium robur, aut larga sanguinis eruptio, aut multus sudor, ex manifesta pernicie ipsos eripiat. Nam multitudo in his non amplius à uenis contineri potẽs, obturat ac distendit corporis molẽ, & propterea ipsum aliquando dirumpit, & uasa maxime in naribus aperit. Ea gratia festinare oportet ad sanguinis detractionem, quantum uires ferũt: quò uasorum natura ex transpiratione ac uentilatione, naturale temperamentum conseruãs, iuxta morem ab initio humoribus dominetur. Verum animaduertendum est & ad ipsius uenæ sectionis scopos. Præcedente enim ciborum cruditate, eousq; uenę sectionem differre conuenit, donec tibi satis esse uidebitur concoctio ipsorũ in uentre peracta, itemq; secessus superfluitatũ in intestinis. Si uero suspectam habes post uenę sectionem, aliam fore sanguinis euacuationẽ, uelut muliebrem purgationẽ, aut hęmorrhoidũ in sede fluxum, relinquere oportet in uenę sectione tantũ sanguinis, quãtum per alios locos euacuandum putas. Quare siue menses fuerint moti, siue hæmorrhois aperta, totum negociũ naturę permittito. Si uero non tantũ quantum oportebat euacuatũ fuerit, tunc uenã secato, quo ex utrisq; compositis perficiatur quod conuenit. Aptus est ad uenæ sectionem habitus corporis durus, multi sanguinis, densus, & ægrè transpirans. Status aëris humidior. Resistit uenæ sectioni puerilis ac senilis ætas, temperamentũ calidum, ac siccũ ualde, & tempus ac regio cõsimilis, & qui natura humidiores sunt, & præsertim cum caliditate, & qui raro habitu præditi sunt. Insuper quibus os uẽtris aut amara bili ualde uexatur, aut debile est, aut ultra iustum subtili sensu præditum: hi enim omnes facilè transpirãt, & in uenę sectione animi deliquijs corripiũtur, ex quibus ægrè reuocari possunt. Similiter autẽ etiamsi triginta annorũ fuerit is cui uena secãda est, uerũ humidus & mollis, & pinguis ac albus corpore, & paruas uenas habuerit: huic aut omnino non uenã secabis, aut parũ detrahes: omnino quidẽ non, æstatis tẽpore & in reliquis eiusdẽ ordinis: parum uero, alijs tempori

temporibus ac reliquis cōstitutionibus. Proinde aliqui in animi deliquiū collapsi in ipsis medicorū manibus, nō sunt reuocati. quare si quis euacuasset citra uiriū dissolutionem, non perijssent. Aliqui uero per omnē deinceps uitā, totum corporis tēperamentum frigidius habuerūt, propter immodicā euacuationē, ut quidā in malo corpore ac habitu uitam degerint: quidā uero ex hoc ipso perniciosis morbis correpti sint, ab aqua inter cutem, & erectæ ceruicis spiratione, hepatisq́ ac uētris debilitate, & semi sideratione: optimū igitur est, quēadmodum nos semper facere uidisti, nō dierum numero animum aduertere, neq; soli multitudini, sed uirium robori, in omnibus quidem, uerum maxime in continentibus febribus: si enim uires conseruentur, non solum sexta ac septima, sed etiam sequentibus diebus uenam secabis.

De frigidæ aquæ exhibitione. *Cap.* LXXII.

Si aliquando coactus fueris curare ægrotū, qui non solum antea uenæ secandæ auxilium omisit, sed etiam nunc aut propter timiditatem ægroti, aut cognatorum sanguinē detrahere prohibearis: ad frigidæ exhibitionem deueniendū est exacta præscriptione facta, quantū ex ipsa fieri possit detrimentū. Nā si hoc paruum uel omnino nullum futurū est, danda est in potu frigida sincera quantū ęger eius uoluerit. Tunc autem danda est frigida, quum in urinis uideris concoctionis signa. Neq; autem in principio, neq; in augmento danda est frigida, sed in ipso uigore totius morbi, ac particularis exacerbationis. Oportuno enim tēpore data frigida, corroborat solidarū partiū naturam. Corroborata uero natura præattenuatos humores aggreditur, ut bonos quidē detineat, inutiles uero eijciat, aut per uētrem, aut per uomitus, aut sudores. Si uero frigidæ potor fuerit ęger tēpore sanitatis ualde confidenter frigidā dato, ipsa experientia doctus, omnia uiscera frigidæ familiaritatē sustinere. Si enim omnino aliqua pars adeò frigida esset, ut ab ipsa læderetur, sanitatis itaq; tempore euidens detrimentum ostēdisset. Quum autem nulla pars in sanitate læsa sit, ne in febre quidem lædi poterit, quū maximum propugnaculum habeat in profundo ardentis caloris multitudinē. Quapropter his qui modicum sanguinem, & minimū carnis habent, frigidæ potus periculosior est. Citò enim ad solidas animalis partes pēnetrat carnibus nudatas. Quapropter etiam habituales febres, neq; sincera, neq; multa frigida opus habent: Tenuia enim sunt in ipsis ac modici sanguinis corpora. Vnde quū magni detrimenti timor immineat in ineptis, à frigidæ exhibitione abstinere oportet, & uti alijs auxilijs, quæ obturationes reserant, & multitudinem euacuant, & feruorem febris mitigāt. At uero detrimēta ex intempestiuo frigidæ potu orientia hæc sunt: Viscosos ac crassos humores attenuari ac transpirare frigida impedit. Quare siue inflammatio fuerit in aliquo uiscere, siue ignis sacer, siue indurata, siue mollis ac laxa affectio, frigidæ potus ad huius sanationē nihil cōfert: sed e uestigiò quidem non modicam affert lenitatem, ed quòd febrem iam factā extinguit. Manente autem intus causa, quū ex frigida densatum fuerit corpus, aliam febrem accendit priore grauiorem. Atq; hæc quidē detrimenti species contemni poterat. Verum pleriq; debilia habentes uiscera, citius ac facilius à frigidę exhibitione læduntur. Quibusdā enim stomachus siue gula adeò fortiter affectus est, ut perdiderit actionē, & uix potuerit deglutire: Alijs uēter læsus est, ut uix cōcoquere potuerit: Alijs hepar, ut ex hoc in aquā inter cutē inciderint. Alijs colū, aut pulmo, aut renes & uesica, aut aliud quid à frigida læsum, debile ad propriam actionem factū est. Quidā ipsorum statim erectæ ceruicis spiratione, aut alto sopore, aut lethargo, aut auriū abscessu, aut conuulsionibus, aut tremoribus, aut siderationibus corripiuntur. Et ut in summa dicam, Omne neruorū genus & caput ipsis affligitur. Noui quòd formidinem tibi induxerim per ea quę retuli, ad frigidæ exhibitionē. Verum uidisti me sæpe ipsa oportunè usum esse, & in q̄bus dare oportet. Et semper utilitatem assequutum esse, citra ægri læsionem.

Diæta in febribus continentibus. *Cap.* LXXIII.

Quibus uena secta est, his ego post duas uenæ sectæ horas, semper do modicum ptisanæ succum, & iubeo quiescere. Et postquàm ex somnis surrexerint, rursus similiter ptisanæ succum exhibeo, & in hoc perseuero usq; ad tertiam diem. Quarta ferè semper in balneum duco. Tales enim oportunè uena secta uiribus robustis, & ad animi deliquiū euacuati, necessariò sequitur non longè postea uentris secessus, attenuatis uidelicet humoribus, & leuatis ac corroboratis uiribus. Aliquando uero etiā bilis uomitus. Ad quæ statim etiā humiditates per totum corpus aut sudores succedunt. Quare confidenter hos lauato quarta die. At uero tempus exhibendi cibi in febribus continentibus, tum his, quæ iam relatæ sunt, tū his quę postea referentur, quæ sanè unā solum ab initio usq; ad finē exacerbationē habent, est bona ægri tolerantia & cōsuetudo. Tunc enim ipsis cibi dandi sunt, quando tolerātisimi sibijpsis esse uidētur. Et illo præsertim tēpore diei, in quo etiā prius morē accipiendi cibi habuerunt: maximè enim toleranter pertulerint cibos isto tēpore acceptos. Robustis igitur uiribus, & dū uigor morbi breui expectatur, tenuissimo uictu uti licet. Vbi uero uires ægræ sunt, non licet tenui uictu uti, citra magnū detrimentū. Quare alimentis tātum apponendū est, quantū roboris uiribus detractū est.

Vniuersalis doctrina de febribus putredinosis. *Cap.* LXXIIII.

Transpirationis angustia ac impedimentum meatuum obscurorum totius corporis obturationem facit, per quos fumosæ & fuliginosæ superfluitates quotidie transpirant. At obturationis affectio quū parua fuerit, & probe tractata, diariā febrem effecit. Quum autem siue propter magnitudinē, siue imperitiā Medicorum consuetū diariarū tempus excesserit, aut continentem, aut aliā quandam ob humorū putrefactionem accendit febrem. At uero transpiratio multiformiter impeditur, & dum densantur meatus propter siccitatē, aut adstrictionē cutis: & dum obturantur propter multitudinē & crasitudinē ac uiscositatem humorum. Dū itaq; quotidie fumosarū ac fuliginosarum superfluitatū trāspiratio impeditur, naturalis in nobis calor affligitur. Alius uero præter naturam corporibus accedens, primū humores propter humiditatem putrefacit ac corrūpit: Progressu uero tēporis etiā pinguedinem ac carnem, & ipsa solida corpora inuadit. Est autē putrefactio essentiæ putrescentis corporis ad corruptionē transmutatio, à calore præter naturam fiens. Putrescentes igitur humores, aut intra uasa arctati, continuas & nunquā intermitten-

tes usq; ad perfectam morbi solutionẽ febres efficiũt. aut per totũ corpus delati, & extra uasa elapsi, quandã febrem per circuitũ accedentem, & interualla habentẽ accendũt, uelut tertianã, quartanam, quotidianam, aut aliã consimilẽ. Causa uero cur nõ excidant extra uasa humores in febribus cõtinuis, est aut multitudo, aut crassitudo, aut uiscositas ipsorum. Quẽadmodũ igitur dum inanimata corpora putrescunt, primũ abijcimus ex ipsis quæ iam putruerũt, deinde reliquũ in aëre frigido suspendimus, & perspirationes perfrigerantes molimur: Eodẽ modo sanabimus in humanis corporibus putrefactionem, quod quidẽ iam corruptũ est omni modo euacuantes. Reliquum uero gestationibus moderatis & transpirationibus perfrigerantibus, ad exactam ac naturalem proportionẽ reducentes. Proinde ubi prius de non intermittẽtibus febribus tractauerimus, mentionem faciemus deinceps & reliquarum.

De febribus putridis. Cap. LXXV.

Quum in omnibus uasis, & præsertim maximis, circa alas ac inguina, ac cõsimilibus, sanguis calidior æqualiter redundans putruerit, febrem putridã continentẽ efficit. Plerunq; uero in corporibus multi sanguinis ac carnosis, & denso habitu præditis, & superfluitatibus calidis refertis hæc generatur. Proinde his iam febriẽtibus pulsus maximus & æqualis ac uehemẽs est, & qui cõpagem arteriæ neq; duriorẽ, neq; molliorem habet. Ad tantã uero uelocitatẽ ac densitatem uenit, ad quantã magnitudinẽ ipsa febris uenit. Atq; hæc quidem ambabus cõmunia sunt, huic uidelicet, & prædictæ cõtinenti citra putrefactionẽ febri. Verum huic præcipua putrefactionis signa in urinis, & pulsibus, & caloris specie adsunt. Curatio uero harũ febriũ, in utroq; genere cõmunicat, tum in eo quod cum putrefactione, tũ eo quod sine hac est. At essentia quidem & uniuersa ipsarũ natura, ex genere putridarum est. Verũ quatenus una est tota ipsarũ exacerbatio, ab initio usq; ad totius morbi solutionẽ, eatenus cõmunicat cum cõtinenti absq; putrefactione. Oportet itaq; etiam curationẽ ipsis in hoc solum cum illis continentibus cõmunem esse. Per alia uero omnia bifariam secari, ita ut quosdã medẽdi scopos ex genere putridarũ accipiamus, quosdam uero ex propria ipsarum essentia. Sãguis enim est qui in hac febre putrefactionem suscepit. Sic uero etiã alias differentias putrefactorum humorum sanare cõuenit, iudicationem partim à putrefactione sumendo, partim à propria uniuscuiusq; differentia, uelut pituita, aut utraq; bile. Quandoquidem igitur putridarum febrium septem subiecta sunt præter naturam, à quibus iudicationes sumũtur, nempe copia humorum, & crassitudo, & uiscositas, & obturatio, & transpirantiũ suppressio, & putrefactio, et febris non habẽs interuallum, unãquanq; sanè ex relatis affectionem sanare oportet per cõtraria. Copiam per euacuationem. Crassitudinẽ per secantia. Viscositatem per extergentia. Obturationẽ, aperientibus. Transpirãtium suppressionem, si quidẽ propter cõstrictionem cutis facta est, per diffundentia: si uero propter densitatẽ, per rarefacientia. Deinde putrefactionem, extergẽtibus & alterãtibus ac transmutantibus. Febrem autẽ, per frigefaciẽtia. Quũ igitur uires fuerint fortes, uena & his secanda est, nisi cruditas uentris, aut alterius cuiusdã partis prohibeat, uelut antea dictũ est. Nam ex his quæ de illis diximus, considerare oportet conuenientia etiam de his. Quandoquidẽ uero neq; obturatio neq; putrefactio curari potest per solã uenæ sectionem, quum alijs auxilijs opus habeant, reseruare aliquid sanguinis oportet ad curationis tẽpus, ut ne necessitas aliqua ingruat, ob inopiam, intẽpestiuè nutriendi. Quantũ enim ad talem febrẽ attinet, omnino non nutrire oportet: Quãtum uero ad sanguinis euacuationem, nutrire opus erit. Quare ex duobus alterum necessarium erit, ut aut nutrientes febrẽ augeamus: aut non nutrientes, uires dissoluamus. Melius igitur, uelut dictũ est, relinquere sanguinis proprium alimentum animalis partibus. Et ipsum contentum esse modicis sorbitionũ exhibitionibus, uelut sunt ptisana & aqua mulsa, quibus ut medicamẽtis magis quàm alimẽtis opus habemus. Si uero ob aliquã causam relictũ fuerit uenæ sectionis auxiliũ: homini per tenuem uictum connutrito, quum iam concocti fuerint humores, & crassitudo ipsarum fuerit præattenuata, febre in uigore existente, dabimus frigidam aquam, uelut in superioribus cõtinentibus febribus, nisi quid ex illic relatis prohibeat exhibitionem. Quòd si uero etiam frigidæ potionis auxilium fuerit relictum, alijs auxilijs utendum est, quæ obturationes aperiunt, & multitudinem euacuant, & feruorem mitigant, uelut antea dictum est, & deinceps consequenter referetur.

Communis diæta omnium febrium putridarum. Cap. LXXVI.

In omnibus putridis febribus in cõmuni putrefactos humores expurgare oportet, per urinã, & uentrem ac sudores. Hoc enim cõmune est omni putredini. Si uero aliquando sua sponte ad os uentris impetũ fecerint, per uomitus euacuentur. Alioqui non oportet ægrè uomentes præter naturam irritare, ut ne uires oris uentris exoluantur, quibus maximè in morbis opus habemus. Eligenda uero sunt quæ citra calefactionem ac resiccationẽ prædictas euacuationes perficere possunt: Velut est ptisanæ succus, & aqua mulsa, acetum mulsum simplicissimum, & fauorũ mellis elotorum cremor, apomeli Græci uocãt, & radicis apij decoctum. Aqua itaq; mulsa ad secãdos crassos humores, & detergendos uiscosos, & promouendas excretiones, optima fuerit, in febribus ex coarctatione ac putrefactione obortis, & præsertim continentibus putridis. attamẽ febrilem calorem auget. Quare si immodica fuerit caliditas ab aqua mulsa abstinendum est, & utendum ptisanæ succo. Si uero obturationes ægrè solubiles esse iudicauerimus, acetum mulsum dandum est: quanquam & hoc si quis immodicè utatur, intestina radit, & tussim mouet, & neruosas partes lædit, ut difficilè sit reperire tale auxiliũ, quod nihil lædens multũ prosit. atq; hoc cõtingit propter cõplexum affectionũ præter naturã in corpore. Quapropter his qui facilè à quacũq; re exhibita læduntur, melius est ut ptisanæ succo utantur, donec ualidius alimentũ accipere possint. At si aluus nõ egerat, aqua mulsa cum solo oleo infusa eluatur. Totũ uero corpus forinsecus ante euacuationem discussorijs difflare nõ oportet, post euacuationẽ uero discussorijs uti licet. Pharmacis autem utẽdum est tepidam caliditatem habentibus, uelut est oleũ chamæmelinum. & in hoc tempore, inter discutiendum inquã, etiã uinum aquosum, potũ omnes excretiones mouet.

mouet. Cõcoctione uero manifesta in urinis apparẽte, etiam lauare licet, dulcis & potabilis aquę balneo.

De febribus continuis. Cap. LXXVII.

Febres continuæ eiusdem generis sunt cum intermittẽtibus siue interpolatis. Eiusdem autem generis dico cum tertiana exquisita, febrem ardentem (causum Græcis dictam) exquisitam, & cũ quotidiana, eã quę quotidie exacerbatur, & tamen nõ intermittit. Nam & febris ardens omnes alias exquisitæ tertianæ notas seruat, & in hoc solum ab illa differt, quòd cum rigore non irruit, neq; intermittit. Et quæ quotidie exacerbatur, similiter omnes notas habet cũ quotidiana. In eo uero quod non intermittit, eiusdẽ cum illa generis est. Eodem modo etiam quæ per quartã exacerbatur, non autem intermittit, eiusdem generis est cũ quartanis. Et manifestum est quòd neq; rigor exacerbationes præcedit, neq; sudor consequitur in hac febre, quemadmodũ neq; in febre ardẽte. In febre ardente rigor superueniẽs soluit ægritudinem. Differt autẽ febris ardens à continente putrida, eò quòd hæc ex sanguine putrefacto conflatur, & à principio usq; in finem unam habet exacerbationem. Febris autem ardens ex flaua bile putrescente incenditur, & alternis diebus exacerbatur, & quãdam habet febris imminutionem ac uelut remissionem. Continens uero putrida similis manet usq; ad solutionem.

Cura febris ardentis. Philum. Cap. LXXVIII.

Est igitur febris ex flaua bile putrefacta incensa, continua ardentissima, & neq; medicis, neq; ægris bonũ ordinem exhibet. Lingua enim in his arida est, & nigra ac aspera. Morsus item uentris, ac sitis intolerabilis, & uigiliæ. Aliquando etiam delyrium. Primum itaq; leniter ac blandè hanc febrem aggredi oportet. Vbi uero concoctionis signa apparuerint in urinis, & morbus iam uiguerit, acrius instare, & ad frigidę potum accedere. Nisi & hic aliquid prohibeat ex his quę de cõtinentibus febribus relata sunt. Prima uero auxilia in febre ardenti sunt: Decubitus in locis frigidis, qui ad purũ aërem patent ac perflantur. Stratum molle & sepius renouatũ. amicula assiduè permutata, & satis gracilia & non sordida. Lectus sit abunde amplus, quo possint mẽbra calefacta subinde ad alias atq; alias eius partes transferri. Et per flabellum aër ignauior cõcitetur. Epithemata cõueniunt pectori ac stomacho imposita, palmulæ cũ uino & rosaceo, aut melino tritæ. Sunt & frigefacientia commoda, uelut sunt pampini uitis triti, seris, polygonũ, plãtago, ramenta cucurbitæ, lactuca, rumex acutus. Singulis autem ammisceantur micæ panis præmadefactæ, aut polentæ. Oportet tamen assiduos horum usus deuitare. At uero panniculi linei complicati moderatè graciles aqua & oleo calido imbutę, & pectori ac stomacho impositæ, ardẽtem febrẽ mirificè mitigant. Sed & aqua & oleum calidum, aut aqua & oleũ rosaceum, ex alto in pectus delata per lanæ manipulũ, uehementiã ardoris facile obtundunt. Oportet autẽ abunde calida esse aquam & oleũ, aut aquã & rosaceum. Tepida enim partium firmitatem exoluunt. Si uero parum nitri his ammixtũ fuerit, sudores excludere poterint. In ardentissimis autem febribus etiã aceti parũ ammiscẽdum est. nã & hoc quod debet facit. Cibi porro offerendi sunt humidissimi, & nihil acre habentes, uelut sunt lactucæ, caules cum posca aquosa feruefacti, & cucurbitæ similiter cum posca. Sed & ptisanę succus tenuior dandus est absq; sale, aut alio additamento. Et aliquando post cibum aquam frigidam cochlearij unius aut duorum mensura absorbeant. Aut sit potius ipsorum potus in totum lactei teporis. Sed & aqua frigida fracta colluẽda ac gargarissanda præbeatur. Et rosarum succi cochlearium absorptum stomachum refrigerat. Quin & alia animi oblectamenta procurentur. Folia uitis uiridia, item myrti ac rosarum per pauimentũ spargantur, & aqua frigida frequenter irroretur. Et aquę salientes in uicinia sonum edant. Tempus autem frigefacientium epithematum ac similiũ, est uigor exacerbationis. Nam in principijs ac augmentis exacerbationum, dum adhuc inæqualiter affectum est, & caliditas circa uiscera residet, si hæc adhibeantur, diffundunt quidem sensum, uerum repellentia caliditatem in profundum, maius detrimentum inducunt, incluso intus feruido calore, & rursus febrem ardentiorem efficiente. At in uigore exacerbationum, expassa caliditate per totum corpus, facile extingui poterit ea quæ adhuc reliqua est circa uiscera. Nam & melius spirantes, & minus siticulosi fiunt, his in tempore adhibitis. Et ipsorum roscido uapore excluso, ad somnum conuertuntur. Cæterum instante iam uigore totius morbi, & nullo prohibente ex his quę in cõtinenti febre relata sunt, tempus iam est frigidæ exhibendæ. In quibus igitur confidimus, nullum ex uisceribus, neque caput, uelut dictum est, læsionem incursurum, sinceram sanè frigidam exhibemus. In quibus uero metus est, atque is uel minimus impedimento est, pro prima uice fractum exhibebimus potum siue frigidam. Frangitur autem si quis temperatæ aquæ calidæ cyathum unum, ad quinque frigidæ puræ sinceræ ammiscuerit. Atque talis potio suspectis corporibus exhibetur. Quidam uero olei rosacei cyathum frigidæ exhibendæ affundunt, & sic exhibent. Ipsum enim rosaceum non ualde frigefacit, & oleositas eius corporibus intus oblita, non permittit ipsa à frigida aqua lædi. Et simul firmitatem quandam exhibet uentri rosaceum, & lubricitatem, propter oleositatem. Quidam pro rosaceo, melinum exhibent. Porrò balneum illis solum cõuenit in ardenti febri, qui citra tumorem aliquem inflammatum, aut erysipelatum ægrotant, ubi concoctionis signa apparuerint in urinis. Quòd si quis iuuenis sit carnosus, tempore æstatis, & constitutione calida ac sicca, febre in uigore existente, & concoctione in urinis apparente, citra uisceris alicuius inflammationem, & in lauacrum frigidæ notatorium seipsum inijciat, atq; natet, sudores utiq; commouerit. Si uero etiam ad frigidæ balneũ adsuetus fuerit, ualde confidenter hoc auxilio utatur. Quibusdam enim statim uenter biliosa egessit. At si moderata est febris, & uires robustæ, una cum cõcoctionis signis, prosunt ipsis balnea dulcium ac temperatarum aquarum, & ex ungentis chamæmelinũ, præsertim si aër ambiens, frigidus fuerit. Nam si aliquando contigerit, ut frigido existente ambiente æger fortiter à febre exuratur, modicam salutis spem de ipso habere oportet. Si uero neq; concoctionis signa affuerint, in tali aëris statu, neq; uires fortes habere apparuerit, talẽ seruari impossibile est. Quare neq; lauabis ipsum, neque inunges rarefacientibus medicamentis, neque uinum dabis, neq; frigidã. In quibus enim desperata

est salus, uanum est auxilia multos seruantia imperitorum calumniæ exponere. Proinde ego sanè Medicos quosdam noui methodi ignaros, qui imitati sunt ea quæ à nobis fieri solent, & usi sunt his auxilijs, in his qui penitus mortui fuerunt, & neq; quicquam profecisse, & oportunum ipsorum usum suspectum ac horrendum fecisse. At nos & temporum occasiones, & auxilia describimus, in his qui seruari possunt. Nam qui incurabiles sunt ægri, his neq; occasio neq; auxilia commodant.

Tertianæ exquisitæ dinotio. Cap. LXXIX.

Febris tertiana exquisita in corporibus natura biliosioribus omnino consistit, & in ætate uigoris, & maximè tempore æstiuo, & in locis calidis ac siccis temperamento, & in tali ambientis nos aëris statu. Sed & uita in laboribus, & curis, ac uigilijs, ardoribusq; & pauco alimento, eoq; calido & sicco. Et immodicus calefacientiū ac siccantium potionū ac medicamentorum usus, apta sunt ad febrem tertianam. Quum igitur gignatur tertiana, ex flaua bile putrefacta, ac mota, & extra uala lata, statim à principio rigorem insignē inducit, qui à quartanæ febris rigore in hoc differt, quòd in tertianis pungi ac uulnerari corpus uideatur. Nam in quartanis inuasio uehementem perfrigerationem habet, & magis in profundo. Quotidianam uero neq; rigor omnino præcedit, sed magis circumfrigesiunt. Est etiam in tertianis febribus ordo pulsuum exquisitus, & æqualitas. Excitatur autē in progressibus exacerbationum pulsus ipse ad uehementiam ac magnitudinem & densitatem. Sitim etiam inducit tertiana, maximè in uigore, & hominē exurit, ut se denudet & abijciat uestitum, & magnū ac densum spiritum ducat, & uelut flammam quandam efflet, & frigidam bibere expetat. Et paulò pòst calor æqualiter per totum corpus extenditur. Quòd si etiam manum inieceris corpori, iuxta primū contractum calor multus & acris occurrit, qui uelut cū uapore quodā affertur. Vincitur autem paulò pòst à manu, & sanè iam etiam bibere tempus est ægro, atq; ubi bibit, statim multitudinē calidi uaporis per cutem remittit, prænuntiam sudoris, & uomitus bilis apparet, & aliquando etiam uenter egerit. Vrinæ uero his sunt biliosæ & subfuluæ ac subflauæ, & moderatè crassæ, & paulò pòst aut nubeculā albam, aut quiddā in medio dependens bonū efficiunt. At si fuluiores fuerint urinæ, & neq; quid in medio pendens, neq; nubecula, in primo circuitu apparuerit, ad septē circuitus extendetur morbus. Verū exquisita tertiana quæ in prima die ostendit in urinis subsidentiam albam ac leuem, & æqualem, tertium circuitum non transgredietur. Hæc febris in integrā febris quietem desinit post exacerbationem, uniuersum exacerbationis tempus duodecim horarum ad summum faciēs, & non plurium. Atq; hanc exquisitā tertianam nominamus. Quæ uero diuturniorem habuerit exacerbationem, eam appellamus extentā. Si uero quotidie exacerbauerit, cum rigore irruens uehementi, habuerit autem omnes prædictas notas in pulsibus, & urinis, & reliquo corpore, hanc duplam tertianam nominamus. Et hoc contingit propter multitudinē & crassitudinem & bilis inæqualitatem.

Tertianæ exquisitæ curatio. Cap. LXXX.

Tertianam igitur exquisitam uelut à flaua bile cōmota fientem, humectare ac frigesacere quantum eius fieri potest, conuenit. Et quæ quidem in supernū uentrem confluunt, euacuare per uomitus. Quæ uero infernū subeunt, similiter per infernā excretionem. Sed & urinis ac sudoribus uia aperienda est, & uenter quidē mollibus infusis euacuandus est. Vrinæ autem propellendæ sunt, apio & anetho in potionibus maceratis. Et si concoctionis signa apparuerint, confidenter iam etiam absinthij comam aqua mulsa maceratā ac excolatam dabis. Balnea uero ipsis cōueniunt, ex aqua calida potabili temperata, & neq; nitrum, neque aliud quiddā tale in balneis adhibere, sed aquam & oleū præcalefacto corpori circūfundere, & in calidæ solium locare, ac hortari ut in ipso moretur quātum eius fieri potest. Eos uero qui balneum amant, etiam si bis laueris, non peccaueris. A' uino uero abstinendum est penitus priusquā cōcoquatur morbus. Vbi uero cōcoqui incipit, tenue & aquosum ac modicū, primum dandum est, prope solutionem uero, uberius. Cibi qui humectant ac frigefaciunt, omnes cōmodant tertianis exquisitis. Quantitas uero in ipsis tanta sit, quantū probè concoquere possunt. Et ex oleribus quidem cōueniunt atriplex, blitū, malua, lactuca, & cucurbita. Ex reliquis autē ptisanæ succus, & sorbitiones ex alica, & pisces petrosi, & ex uolucribus quę mollem carnē habent. Ex alijs alas, & gallorū testes, & suillos pedes, ac cerebella, & paruorū porcellorū extremas partes dare conuenit. Sorbēdi sunt etiā ouorū uitelli, & fructus gustandi non ægrè concoctiles. Abstinendum uero ab omnibus dulcibus & acribus, & salsis, nidorosisq; ac uirosis edulijs ac potibus. Et à ueteribus ac natura calidis uinis.

Tertianæ spuriæ curatio. Cap. LXXXI.

In non exquisitis tertianis, neq; lauare statim ab initio bonū est, sed quando iam apparuerint signa concoctionis: neque quotidie nutrire, sed satis est alternis. Quies autem & calfactio præcordiorū ipsis conducit, & sorbitiones cōcoctu faciliores. Infusa item inferni uentris non ualde mollia. Et si sanguinis detractione opus habuerint, neq; hæc relinquatur, sed statim ab initio distinctione facta, uelut in Sermone de uenæ sectione dictum est, moderatus sanguis auferatur, quantum in præsens satis est. Totus uero diætæ status non frigefaciens & humectans sit in totum, uelut in tertianis exquisitis, sed etiā quid de incisorio ac calfactorio modo assumat. nimirū uelut crassiore bile subiecta, & nō ualde calidiore. Maximè uero contulerit ipsis ptisanæ succus, iniecto pipere & hyssopo aut origano. Sed & nardi spicam cū aqua mulsa coctā bibendā dato. Et alia quoq; quæ urinā cient, pręterquā extremè calfaciētia ac siccātia. Maximè quoq; absinthij cremor assiduè dādus est post septimā diē. Sed & acetū mulsum multis profuit potum. Et aliquod lene purgatoriū, bona cōcoctione in urinis apparente. At uero uomitus ab accepto cibo, usq; adeò cōmodus est his qui in hac febre perseuerant, ut multos nouerim statim perfectè liberatos ex huius usu.

De hemitritæo, hoc est, semitertiana. Cap. LXXXII.

Febris semitertiana appellata, fit pituita putrefacta ad putrefactū amaræ bilis humorē ammixta, & est ex duabus febribus cōposita: quotidiana enim cū circūfrigefactione irruente, tertiana uero cū rigore, febris ex ambabus mixta, horrorem inducit, & de rigore quidē minus, plus autē de frigefactione, id quod extremitatibus permixtis contingit. Itaq; neq; absonū

nomen

nomen huic febri imposuerunt qui hæmitritæũ dixerunt. Duplex est autem modus generationis eius. Aut duabus exacerbationibus uno tẽpore coincidẽtibus: Aut statim ab initio utrisq; inter se permixtis. Quum igitur tertiana prædominatur, horridior febris fit, & iuxta accesionẽ etiam aliquid rigoris assumit. Statim uero talis etiam calidior est & æstuosior, & quendã bilis uomitum, aut egestionẽ, aut sudorẽ inducit. Vbi uero altera pituitosior febris prævalet, prædominatur quidẽ frigiditas extremitatũ, uerum modici sunt horrores: & non sunt siticulosi, neq; æstuosi. At ubi æquales magnitudine fuerint, & tertiana interpellata, & quotidiana cõtinua, inuasio quidẽ exacerbationis cum horrore contingit. Et quum pituitosa febris dominatur, cõtractiones fiũt ac horrores. Quum autẽ biliosa febris præualuerit, aceruatim incalescunt. Atq; hæc quidem est semitertiana exquisita, ex tertiana intermittẽte & quotidiana continua cõposita, ambarum febriũ temperatura æquali existente. Cæterũ semitertiana nõ exquisita, aut biliosum humorẽ habet, aut pituitosum. Quũ igitur ex utrisq; relatis humoribus semitertiana febris cõfletur, etiã curationẽ mixtã esse cõuenit. Quare ex his quæ de tertiana relata sunt, & ex his quę de quotidiana dicentur, curationem cõponere oportet.

Quartanæ exquisitæ dinotio. Cap. LXXXIII.

Quartana exquisita omnem ætatem inuadit, præcipuè tamen inclinatam. Hippocrates autem in libro de septenario, uigoris ætatem dixit. Idem asserere uidetur, eundem hominem non bis quartanam febrem incidere. Verba eius sunt, Primum quidem quartana febre idem homo bis neq; capitur, neq; unquam captus est, neq; de cætero corripietur, si semel sanus fiat, & hoc propterea: Iuxta propriã uniuscuiusq; hominis naturam, & ætatem uigoris contingit. Necesse enim est uigentem hominis naturã in hoc tempore quartana febre corripi. Præterito autẽ uigore, exolutam esse & à quartana, & ab inuasione. At uero naturæ corporum magis atrabiliariæ hanc febrem perferunt, & ex temporibus Autumnus, & præsertim ubi ipse seipso fuerit frigidior ac siccior, & inæqualis. Edulia item ac potiones, & totus uitæ uictus siccus & frigidus tempore existens, quartanarũ febrium signũ est. Et lienes aucti. Hæc autem febris nõ statim à prima die omnino irruit cum rigore: Sed aliquando ex alijs in hanc fit transmutatio, ex his quę erroneæ ac inordinatæ uocantur. Verum in progressu rigor accedit, & cum augescente etiam rigor augetur. Sensus autem ægrotis contingit, non uelut pungatur & stimuletur cutis, uelut in tertianis cõtingit, sed & perfrigerantur uehementer, & uelut franguntur usq; ad ossa. Proinde audire est ægros dicentes, quòd ossium lassitudine tenentur, & carnem cõfringi imaginantur. Pulsus porrò sunt parui, obscuri, ac tardi & rari in principijs accessionum, uelut in nulla alia affectione. Etenim iuxta inuasiones quartanarũ arteria tibi ligata esse uidebitur, & introrsum retrahi, ac prohiberi à regressu. Quare etiamsi iuuenis fuerit æger, tamen senilis extremæ ætatis motũ arteria imitatur. Si enim ægrotantis naturalem pulsum noueris, aut in principio exacerbatiõis alterius morbi affueris, nihil aliud expectaueris quo minus pronũcies, irruentẽ à principio febrem quartanam esse, adeò immẽsa quædã mutatio pulsus ad raritatem ac tarditatẽ fit. Vrinæ uero his in principio quidẽ albæ ac tenues & aquosæ, nimirũ propter materiæ crassitudinẽ percolatæ. Progrediente uero morbo, pro ratione coloratiores fiũt, & subsidentiã habẽt crassam. Sequitur autẽ sudorũ copia circa exacerbationis declinationẽ. Ex Ruso. Quartanæ igitur à splene initiũ sumentes, diuturniores sunt. Fiunt autẽ manifestę ex colore, & cruditatibus, & quod uenter non facile egerit, & ex splenis tumore, & quòd ad sinistrã magis se reclinent. Est autem periculũ ne progressu temporis etiam in aquam inter cutem incidant. At uero propter hepar inflammatũ quartanarij, coloris sunt albicantis, & toto corpore tumidi, & urinæ his sunt ualde rubræ, sandaracham referentes. Et ad contactũ tumor dextri præcordij occurrit. Et hi etiã magis difficulter spirant quàm splenici, & subtussiũt, & postremum in hydropem ineuitabilem delabuntur.

Quartanæ curatio. Cap. LXXXIIII.

In principio igitur moderatè ac leniter tractãdi qui ex quartana febri laborãt, ita ut neq; medicamentũ aliquod forte adhibeamus, neq; euacuationẽ, nisi sanè sanguis ualde abundare uideatur. Tunc enim moderatè sanguinẽ auferre oportet. Et si diducta uena sanguis fluens niger ac crassus fuerit, cõfidenter euacua: Talis autẽ in splenicis maximè reperitur. Vbi uero flauus ac tenuis apparuerit, statim cohibe. Secãda est autẽ uena, aut interna, aut media, in sinistro cubito, si splenicus fuerit homo: Aut in dextro, si circa hepar fuerit affectiò. Diæta uero sit flatus expers, & bona. Venter autem molliatur quantũ eius fieri potest, per consuetos cibos. Si uero hi nihil profecerint, infusis per clysterem utendum est, primum quidem mollibus, postea acribus. Prohibendæ sunt carnes porcinæ, & omnes uiscosæ ac tardi transitus. Item frigida ac humida edulia omnia. Vino utendũ est pauco, albo & tenui, ac moderatè calido, uolucribus autẽ mõtanis. Et piscibus mollis carnis, ac facilis cõcoctionis, & nihil uiscosum habentibus. Vtendũ est etiam salsamentis ac sinapi. Et per dies aliquot accipiendũ est pharmacũ ex tribus piperis generibus, & diospoliticum appellatũ. Et si piper solũ tritum quotidie acceperint, rectè utiq; fecerint. A' frictionibus autem & deambulationibus & alijs consuetis, non penitus arceantur. A' balneis uero abstineant, frictionibus cõtenti, quæ ualde prosunt. Et si breuis fuerit ac nõ ualde uiolenta quartana, non malũ fuerit in intermedijs diebus cõsueta exercitia contingere. Atq; hæc quidẽ in principio ac augmento facienda sunt. In uigore uero morbi tenuiore uictu utendum est, & iubendi sunt ægri diu quiescere, & uisceribus prospiciendum est, adhibitis fomentis ac cataplasmatis mollire ac laxare potẽtibus, & flatus dissoluere. Talia uero sunt, farina ordeacea, & semen lini, iris, cuminũ, chamæpitys, & ruta, in aqua mulsa cocta. Oleum quoq; à fomento cataplasmati miscendũ est. Oportet autem primum olei fotu per paucos dies irrigare, atq; ita cataplasmatis uti, in die uidelicet adhibitis, si æger ferat. Epithematis autẽ utendũ est polyarchio, & eo quod ex styrace paratur, & similibus. Cõsequenter autem etiã urinam ciẽtibus utendũ est. Et aqua mulsa in potu exhibenda, in qua cocta est ruta & anethũ. Quòd si concoctionis morbi signa euidenter apparuerint, confidendum est statim pharmacis humores nigros euacuantibus, & nõ semel, sed sæpius, si opus fuerit.

Conuenit

Conuenit autem Epithymũ quartanis potum, & Veratrum nigrũ maximè prodest, eò quòd citra molestiam euacuat ea quæ molestant. Et uinũ dulce in uacuum colocynthidis calicẽ infusum. Omnibus tamẽ miscendũ est apium, aut anisum, aut dauci semen, iucunditatis gratia. Assiduè etiam betæ ac ostreorum decoctum bibant. Conueniunt his quoqꝫ aloëdaria Oribasij, quæ sic habent. Aloës drach. c. spicę nardi, asari, mastiches, croci, xylobalsami, singulorũ drach. VI. casiæ drach. XII. epithymi drach. XVI. ueratri nigri exempta medulla drach. VIII. forma pilulas magnitudine erui cũ pulegij decocto, & exhibe pro uiribus. Possunt & cũ melle cocto pilulę formari. Ego uero etiam ueratrum internum adieci. Vtendum est & uomitibus à cibo, & à raphanis, si nihil impedierit. Pleriqꝫ enim ipsis assiduè usi, partim perfectè à morbo liberati sunt, partim facile pertulerũt. Nam unà cũ hoc quòd euacuant ea quæ stomachum infestant, etiã facilius concoquunt tales. ubi uero nihil iam prohibet, etiã album ueratrum dandum est, primum quidem raphanis infixum uelut in Sermone de purgatorijs dictũ est, postea uero etiã ipsum per se. Qui uero uomere non possunt, his uehementius infernè purgatis dandum est medicamentum ex uiperis, theriaca appellatum; & reliqua quæ ad tales febres laudantur. Inter quę est & familiare illud nobis omniũ probatissimum, quod recipit succi cyrenaici, & piperis, & myrrhæ troglodyticę, & foliorũ rutę uiridiũ, singulorum æquales partes. Singula seorsim leuissimè teruntur, & ruta cum melle trita excipiuntur, fiuntqꝫ pilulæ, de quibus aliquibus obolus unus, alijs duo exhibentur. Aliud Asclepiadæ, hoc etiã somnũ facit, quo etiam ipse utor piperis longi, myrrhæ troglodyticæ, succi papaueris, castorij, singulorum pares portiones, efforma & utere, obolum unum aut dimidium exhibens cum aceto mulso, duabus horis ante accesionẽ. Aliud ad quartanam, facit & ad arthriticos: hoc in quartanis dato prælotis duabus horis ante accessionem, drachmæ unius pondere cum aceto mulso. Arthriticis uero cum aqua mulsa. Bituminis unc. I. myrrhæ troglodyticæ drach. II. folijs mentæ uiridibus leuissimè tritis excipe, ac utere uelut prædictum est. Cæterũ qui in principijs talium pharmacorũ aliquod exhibuerunt, aut omnino ante uigorem, hi sæpe simplicẽ quartanam duplicem fecerunt, aut omnino maiorẽ ac difficiliorem effecerunt. Aut duplicẽ antea triplicem reddiderunt, aut omnino duas difficiliores ac maiores effecerũt. Noui ego quendam medicum qui ausus fuit è tribus quartanis correpto dare theriacã ante morbi uigorem. Deinde auctis omnibus accidentibus, quum febris continua successisset, hominẽ peremit. Archigenis. Quartana febre laborantibus, inquit Archigenes, trifolij bitumen olẽtis seminis drac. I. in tribus aquæ mulsæ cyathis exhibere soleo. Mirificè etiã ipsis prodest bitumen ipsum iudaicum tritũ potum cum uino diluto drachmæ pondere. Verum pharmacũ minimè molestum, & sæpe successum sortitũ expertus sum ego hoc, maximè in quibus splenes tument, & hydrops initium capit. Hederæ corymbiferę folia quinqꝫ cũ myrrhę troglodyticę magnitudine fabę trita, in aquę mulsæ dulcioris hemina exhibentur. Sed & castorium potũ rigores mitigat, & morbosam carnẽ cõsumit, & concoctionibus in uenis opitulatur, & segniciem admotũ eximit. Rufi. Absinthij cremor humores uentrẽ infestantes deterget, & concoctioni auxiliatur. Vnde neqꝫ saliua colligunt qui absinthium bibunt. Mitigat etiã inflammationes hepatis ac splenis, & urinas impellit, & menses muliebres. At si æger adsuetus fuerit, & habitus uentris euacuatione gaudeat, & mordaces humores secedant, lac recens mulctum asininũ aut equinũ, quibusdam dedi, quos magis purgare uolui. Alijs uero caprinum, propter familiaritatem & parabilitatem. Exhibui autem ab initio heminas tres, & progressus sum usque ad sex. Deinde intermisso uno circuitu, similiter à tribus heminis incepi, & addita quotidie hemina, ad sex progressus sum, et postea detracta quotidie hemina una, rursus per duos circuitus quieui. Et simul morbus dissoluebatur, & corpus nutriebatur. Oportet autẽ animal boni succi esse, cuius lac exhibemus. Si uero alicui nõ acescit, neqꝫ nidorosum fit, neqꝫ per uẽtrem erumpit, etiã in suspecta die, sorbitionis loco moderatè dandũ est, multo tempore ante accessionem, & buccellæ panis modicę superingerẽdæ. At uero morbo in uigore cõstituto, apparente manifestissima cõcoctione, nullo uiscere læso, adsuetis tẽpore sanitatis, etiã aquam frigidã exhibui duarum heminarũ mensura, instante iã propè inuasione, & reuera à multis rigorẽ prohibui, non parũ sæpe etiam febribus exẽptis. Melius est autẽ etiam forinsecus calefacere corpus cyprino aut sicyonio, ante exacerbationes quidem, ut ne rigeant: sedatis autẽ exacerbationibus, ut ne ab extra allabentibus perfrigerentur. Dioscorides porrò dicit prodesse his qui quartana tenentur febre, hæc in potu accepta etiã ante accesionẽ. Plantaginis radices IIII. siccæ tritæ in uino bibuntur. Verbenacæ rectę quartus à terra geniculus tritus cũ uino potatur. In tertiana uero tertius. Radicis itẽ libanotidis drach. I. in uino exhibetur. Quòd si oleo illeueris totum corpus, extremitates autem ex ungento aliquo ad rigores destinato inunxeris, & ægrum cõtectum quiescere siueris, non experietur rigorem.

Quotidianæ febris dinotio. *Cap.* LXXXV.

Quotidiana febris in pituitosioribus naturis consistit, & tẽpore hyemis, & in humidioribus ac frigidioribus cõstitutionibus. Et senes quoqꝫ magis infestat & pueros, propter edacitatẽ, & presertim eos qui in humidis ac frigidis regionibus degũt, & uitã ociosam agunt cum repletione, atqꝫ hoc magis ubi post cibos assiduè balneis utãtur, et adhuc multò magis ubi ipsi cibi natura sunt pituitosiores, & inordinatus est ipsorũ usus. Hæc igitur febris neqꝫ cum rigore irruit statim in prima die, sed tẽporis progressu nõ rigor, sed circumfrigefactio ægrè cõcalescens ipsis accedit. In pulsibus autẽ manifesta ordinis cõfusio, & inæqualitas adest, tẽpore irruptionis exacerbationis præsertim, & uelocitas ac uehemẽtia motus ipsis nõ adest. Nõ autẽ exurit febris hęc ægrotos, neqꝫ dẽsam respirationẽ facit, neqꝫ crebras efflatiões, neqꝫ frigidæ expetentiam excitat. Sed hæ febres minimè siticulosæ sunt. Vomũt autẽ pituitosa. Et quæ per uentrẽ infernè ipsis euacuãtur, frigidiora, pallidiora, crudiora, & aquosiora omnino sunt. Exudant autẽ nequaquã in primis diebus, neqꝫ ad perfectã febris quietem deueniunt. Albus est ipsorũ color. Vrinæ albę & tenues in primis diebus minguntur, postea uero crassæ ac cõturbatę. Hic humor quotidie exacerbatur, desinit

autem

autem in quietē febris non integram, uniuersum tempus faciens horarum plerunq; octo & decem. Quapropter etiam amphemerina febris Graecis uocatur, de ambabus enim participat, die ac nocte.

Quotidianæ febris curatio. Cap. LXXXVI.

In quotidianæ febris curatione aceto mulso utimur in primis diebus, & his quæ urinas probè impellere possunt. Et tota diætæ forma secādi uim habeat. Circa uigorem uero uentri prospicere oportet, & præsertim ori ipsius. Et postea uomere à cibis & raphanis & purgatorijs pituitam euacuantibus uti. Reliquam diætam ad communes scopos respectu facto comperies, ut scilicet attenuante diæta, & pharmacis incisorijs ac attenuantibus utaris.

De Epialis febribus. Cap. LXXXVII.

Prædicti generis, pituitosi inquam, est & febris quæ priuatim à leni afflictione Epiala appellatur, quum simul & febricitant & rigent, & utrunq; percipiunt eodem tempore in omni corporis parte. Pituita enim acida, & uitrea appellata, citra febrem quidem, rigorem inducit. Si uero putredo aliqua moderata ipsis accedat, febrē epialam efficit. Si uero amplius putrescat, præcedit quidem rigor, sequitur autem febris, exuperata frigiditate à multitudine caloris, ut omnino non appareat iuxta augmenta & uigores exacerbationum. Fortassis autem & pituita uitrea acidam qualitatem habet. Curatio porrò consimilis est his qui quotidiana febre laborāt, incisorio curationis modo amplius aucto.

Communia auxilia febrium per circuitum repetentium. Dioscoridis. Cap. LXXXVIII.

In communi ad omnem circuitum ac rigores utiliter exhibentur ea quæ sudores mouere possunt, & sunt hęc. Seminis smyrnij drach. I. datur potāda ex uino duabus horis ante accesionē. Item aristolochię drac. I. & iridis drac. II. & calaminthes decoctū cum castorij drac. I. in quartanis & quotidianis. Chamędryos item decoctū assiduè potatū, quartanā et quotidianā soluere solet. Caroi quoq; semen, ferulæ semen, uerbasci radix, aut succus cū uino. Aliud, quod ad omnē circuitū, & maximè ad quartanas datur, duabus horis ante accesionem. Facit & ad calculosos, ac dysentericos, & stomachicos. Est etiā anxiosis ac desperatis, & lippientibus cōmodum. Seminis hyoscyami albi, seminis apij, seminis anisi, styracis, singulorum drac. IIII. croci drach. X. opij drac. III. castorij drac. II. myrrhæ drach. II. cū aqua ad fabæ ægyptiæ magnitudinē formato, & cū duobus aquæ cyathis exhibeto. Aliud ad omnē circuitum. Aphrodæ. Seminis hyoscyami, myrrhæ troglodyticæ, opij, styracis, singulorum drach. I. croci, zingiberis, aloës, singulorū drac. X. & obolos III. excipe melle, & exhibe nucis ponticæ magnitudine, cū aquæ cyathis III. præillitis extremitatibus ac cruribus, & sine ut dormiant. Ego uero etiā castorij drach. I. adieci, & mirificè uim suā declarauit. Vtere etiā confidenter antidoto pæonia, & ea quæ ex sulphure cōstat. Miram enim efficaciam habent aduersus omnē circuitum, præsertim quartanas ac quotidianas febres. Cæterū quæ trita cum oleo illinūtur, prosunt omnibus qui per circuitum exacerbantur cū rigore, fouent enim corpus, & sudores mouēt. Sunt autem hæc. Chamæmeli flos tritus, & in pastillos efformatus, ac in umbra siccatus, & usu expetente cū oleo tritus ac illitus. Semen uiticis cum oleo, semē libanotidis, flos salis, nitrum, spuma nitri, baccæ lauri, pyrethrum, smyrnij semen, hypericum, calamintha, cāchryon, castorium, conyza, costus, granum cnidium, cū nitro, oleo & aceto. oleum amygdalinum, cyprinū, irinum, gleucinum, chamædrys, staphis agrestis. Asclepiadæ ungentum ad accessiones cum rigore. Hoc sæpe tertianas depulli inquit: Spumæ nitri drach. II. myrrhæ drach. II. piperis grana XX. ceræ drac. IIII. olei cyprini, aut irini, aut gleucini, aut amygdalini sexcuncem, liquefacta aridis ammisceantur. Vsus est hora ante accessionē. Magis autem confricandi sunt pedes, unde horrores initium sumere uidentur. Aliud ad tertianas. Grani cnidij, spumæ nitri, piperis, ęquales portiones excipe irino, & ad strigmentitiam crassitudinem redige, & utere extremitates leniter confricans. Hoc medicamentum sudores ciet, & per duos aut tres circuitūs sanitatē reducit. Aliud, ad quartanas, tertianas, ac reliquos circuitus. Myrrhæ drachm. VIII. casiæ drach. X. piperis drach. XII. staphidis agrestis drach. III. nitri drach. IIII. ceræ sexcūcem. Cyprini aut alterius talis libr. I. Myrrham uino dilue, & staphidem & reliqua contunde ac cribra, & cum myrrha tere, ac cerato affuso excipe. Vsus autem tempore pharmacum cum pari cyprini portione illine.

De ignis sacri circa uiscera affectionibus. Cap. LXXXIX.

Fiunt aliquando ignis sacri affectiones circa aliqua uiscera, febrem ardentē ac habitualem inducentes. Et si quidē circa uentrem fuerit ignis sacer, erysipelas Grecis appellatus, febrem ex his accensam lipyriā nominant. Si uero circa hepar, urentem siue fumosam. Si circa pulmonē, algidam. Talis autē febris frigefacientibus ac humectantibus opus habet edulijs ac potibus, & his quæ extrinsecus imponuntur. Quum igitur febris habitualis aliū morbum ammixtū non habet balneo indiget, quēadmodum etiā alię omnes caliditates ac siccitates. Si uero affectio fuerit circa uiscera ignis sacri, à balneo quidē abstinere oportet in totum. frigida uero in uigore morbi utendū est contentiosa, sic autē appellare solemus, quum semel frigidissimam & multā damus. Ante uigorem autē frigida nō est danda, nisi ab ægroto cogamur, cui mos sit frigidam bibere, & qui sitim non ferat. At forinsecus imponēda sunt frigefacientia, & si nihil profecerint, tunc etiam frigidæ potus exhibeatur, aut edulia potius frigefacientia. conueniunt autē maximè lactucæ humidæ ac dulces, pura frigida elotæ. Atq; sic quidē acceptæ optimę sunt. Si uero opus fuerit aliquando ad preces ægrorū, in suauitatē ipsarum mitigare, acetum multæ aquę frigidæ ammixtū, ad intinctū cōcedemus. Sit autē acetū exactè separatū ab omni uinosa qualitate. Forinsecus autē etiam ipse lactucæ succus aptus est. Imò etiā semperuiui, & intybi, portulacæ, atriplicis, solaniq; ac plātaginis, cū pane sicco trito, & modico bono rosaceo, & his quæ similiter resiccāt. Optimū uero est id quo nos utimur, iuxta uuarum acerbarū tempus. Expressum enim ipsarū liquorem in mortarium conijcimus cū portulacis uiridibus, tūdimus, & utrūq; liquorē in uas mittimus, osculumq; eius diligēter obturamus, atq; sic uas in aquam immittimus. Melius autē est etiā niue uas obruere. Vsus autē tempore polentam tenuissimā ammisceo, & postea subigo, ut liquidius euadat medicamentum

camentum, idq; duplici linteolo infarctũ præcordijs impono, non immorari sino, sed ubi tepidum factũ fuerit tollo, ac alterũ impono. Atq; hoc semper consequenter facio, donec æger sentiat profunditatẽ quodam modo perfrigeratam, & à siti liberetur. Ammiscemus autẽ aliquando etiã oleum omphacinum, aut rosaceũ, ubi circa præcordia fuerit ignis sacer, inflammationis naturam habẽs. Vidi mulierem supinam decũbentem in terra & uoce destitutã, habẽtemq; pulsum formicãtem, unà cũ manuum ac pedũ perfrigeratione. Putabã autem calidã esse affectionem. Nam simul cũ relatis pessimis signis, densiorẽ uidebam respirationẽ factam. Hoc autem signũ est magni doloris, ac calidi morbi in præcordijs ac thoracis partibus existentis. Dixit autẽ quidam ex astantibus se audiuisse mulierem dicere, quòd arderet eius stomachus, & frigidæ potionis magnã cupiditatẽ haberet. Quapropter etiã in pauimento iacet, inquit, uenans frigiditatem. Itaq; confisus dedi ipsi per cochleariũ aquã frigidam, iterum atq; iterũ immittens ipsam ori eius uiolenter. Videbã autem labia ipsius placide aquam intus attrahere. Et ratiocinatus ipsam expetere frigidæ potũ, propter insitã uentri feruidã affectionẽ, rursus amplius exhibui. Post hoc autẽ oculis quoq; annuere incepit, indicans sic me facere debere. Accepta itaq; cõfectione ex papaueris capitibus cõstãte, diacodion appellata, parũ de ea cũ uino cnidio & aqua frigida, per cochleariũ ori infudi. Et ex hoc nimirum paulò pòst sensim loqui cepit. Quare rursus amplius de hac potione dedi, uino emmeleo pro cnidio accepto, cũ modica aqua. Ori itẽ uentris semperuiuũ & lactucam, cũ pane trito & rosaceo imposui. Frigida autẽ hæc adhibui propter affectionis caliditatem, & tempus æstatis, donec frigiditatem abunde sentiret.

De colliquatione, Philagrij. Cap. XC.

Colliquatio nominatur quũ excernitur quid per uentrem, non ex comestis aut concoctis, sed ex humoribus ex toto corpore in ipsum cõfluentibus, quod simile quidẽ est bili quę assiduè per uomitũ reijcitur, ac per uentrẽ secedit. Differt autẽ ab ipsa fœtoris graueolentia, & quòd egestio fuluior apparet, & crassitudinẽ habet strigmentitiã, aliquando etiã oleosam, aut adiposam. Colliquatio autẽ appellatur hic morbus, quoniã recens cõpacta essentia pinguedinis ac carnis ab ardentissima febre dissoluitur ac colliquescit. Et ubi iam diuturnũ est malũ, etiam ipsarũ solidarũ partium essentia ex parte eliquatur. Quapropter grauissima omniũ est hæc febris. satis autem clarũ est quòd extinctorijs medelis utimur, ita ut ualde frigidam aquam potandã exhibeamus, & cataplasmata & epithemata frigefacientia thoraci ac præcordijs imponamus. Et cibos humectãtes ac frigefaciẽtes demus. Dictũ est autẽ de his in tractatione de febribus ardentibus. Dicetur item consequenter in sequenti capite.

De febribus quæ in calidis ac siccis temperaturis fiunt, citra inflammationem ac putrefactionem. Cap. XCI.

Quicunq; tẽperatura biliosi, & habitu graciles & natura aridi, & stomachũ subtili sensu præditũ habentes, & qui facile in bilẽ efferuescit: hi ubi famẽ aut uigilias pertulerunt, aut nimiũ delassati sunt, & præsertim in profectione ac æstiuo sole, aut tristitia affecti sunt, aut grauibus curis pressi, promptè ab horroribus ac febribus corripiũtur. Nã habitus in biliosis naturis, ob famẽ ac omnia relata, facile in bilẽ efferuescit. Et primũ quidẽ inæqualitatẽ percipiunt, postea etiam horrorẽ. Et si quidẽ in motibus perseuerarint, aut cibum nõ acceperint, statim febricitãt. Mordaces enim humores ac uapores per sensitiua corpora delati, horrores ac rigores generãt. Et propterea horrente ac dẽsata cute, uelut quæ ex natura in his aridior est, cohibẽtur fuliginosæ ac fumosę superfluitates, antea trãspirare solitæ, & sic febrẽ accendũt, nisi talis cibũ accipiendo uelut dixi præuerterit. Ostendi autẽ tibi aliquos qui sic febricitarunt, & maximè qui ex longo morbo se recolligebãt. Ex quibus uni in foro obuiã factus horrore incipiente, introducto ipsi in officinã quandã, panem ex uino diluto exhibui, & euestigiò horrorem sedaui, & febrem prohibui. Alios uero in suas domos abire festinantes, in principio horroris, aut paulò pòst nutriui. Et in summa, quibus adhuc sunt principij exacerbationũ accidentia in talibus tẽperaturis, his omnibus panẽ ex uino diluto citò exhibui, & horrorẽ statim sedaui, & febrem prohibui. Quanto enim citius ipsos nutries, tanto magis febrẽ impedies. Si uero aliquando paulò tardius ipsos nutriui, febris quidem facta nõ est. Calor autẽ modicus ipsis accedet, ut si diutius moreris nutrire, tali caliditate excalescet, ambiguum ut sit an febrem appellare ipsam oporteat. Si uero duæ horæ post horroris initium factæ fuerint, manente adhuc horrore etiã tunc nutrire oportet. Verũ prædicere quòd febricitabunt hi febre nõ molesta, ad quã exudationes consequentur. Et hoc facto, & lauare oportet, & rursus nutrire. At postquã sedatus est horror, incepitq; febris cũ cõtractione, nõ amplius nutriendi sunt illo tẽpore. Declinãte uero exacerbatione statim alãtur, & ne expectetur donec febris integrè quiescat. Detur etiam potus aqua calida in uigore amplior. In omnibus enim squalẽtibus affectionibus nõ cessant exacerbationes priusquam aut balneis, aut alimẽtis humectãtibus rigẽtur. Quosdã uero etiã declinatione incipiẽte: Alios autẽ uigore exacerbationis instante nutrio. Fames enim in his tẽperaturis, maximè febrientibus, nõ simpliciter nociua est, sed si quid aliud perniciosa. Aut enim ex fame in ardentes febres incidunt, ex quibus si nõ morte præuẽti fuerint, in habituales delabũtur, & ex his rursus in tabẽ. Aut statim ab initio habitualis febris ipsis coincidit. Proinde à principio sic nutrire oportet eos qui talẽ temperaturã habent. Quum uero aut ex lassitudinibus, aut ira, aut curis pluribus, aut uigilia, aut tristitia, aut ex omnibus simul cõmissis, corpore uehemẽter resiccato, febris inuaserit, squalidã quidẽ habens cutẽ, ardentem autẽ caliditatem, timor profectò est talẽ hominem habituali febre corripiendũ esse, & præsertim in æstate, & sicca ac calida cõstitutione. Opus igitur habent tales humectãtibus ac frigefacientibus edulijs ac potibus. Qui enim temperatura calidi ac sicci sunt, hi etiam necessariò uires debiles habent. Non enim fieri potest, ut corpus calidum ac siccũ, ubi febricitet uires ualidas habeat. Cõuenit igitur quàm celerrimè per ptisanæ succum, aut sorbitiones ex alica nutrire, & paululum panis insuper exhibere, atq; sic per frigidæ potum ægrum curare. Extinguitur enim statim ac sedatur febris perfectè, si non inflammatio aliqua ipsi adest, neq; humorum putrefactio. Si tamen magnum detrimentum futurũ conijectaris, exhibitionem eius inhibe, & per ea quæ extrinsecus corpori adueniũt ac adhibentur,

curat

curationem molire. Forinsecus autem adueniũt, aër nos ambiens, & quæcunq; humectare ac frigefacere solent medicamenta. Et ad hæc aquarum dulciũ balnea. Si itaq; ambiens nos aër temperatus fuerit, utẽdum est eo uelut habet, nihil amplius moliendo. Si uero aut multum calidus est aut frigidus, calido quidem uice uersa excogitãdæ sunt subterraneę domus, frigidæq;, ac quæ uentis perflantur ad septẽtrionem conuersæ. Auras quoq; ipsis quasdam proprias excogitabimus. Aliquando ex Euripis in quos plures aquæ salientes se præcipitant. Aliquando aqua frigida ex uasis in uasa transfluente. Hæc uero statim etiã somnum cõciliant. Respergenda est etiam domus assiduè frigida aqua pura. Et rosæ multæ, aut uitium pampini, aut myrtus per terram sternantur: aut aliæ quædã plantæ frigefacientes. Arcenda est ab ingressu hominum copia. Nam & hoc domũ calfacit. Si uero frigidissimus est aër, uelut in hyeme maximè, per tegumenta corpus foueatur. Frigus enim densat ac constringit cutem, & humorũ qui intus adurũtur defluxiones transpirare prohibet. Maiorem enim ex frigida inspiratione utilitatem fore noscendum est, quàm ea est quæ ex cutis perfrigeratione contingit. Similiter autem & in his quæ forinsecus imponuntur, eligenda sunt frigefacientia citra fortem adstrictionẽ, densationemq; ipsius cutis. Et nõ solum quæ frigefaciunt, sed etiam quæ cõpage corporis fuerint partium tenuium, quantũ eius reperire est in frigefacientibus aut citra ammixtionem alterius uehementis qualitatis. Est autem simplicissimum medicamentum ex humectantibus ac perfrigerantibus, quò & ad ignem sacrum utor, & ad pudẽdorum inflammationes in principio. Ceram albissimam in duplici uase liquato, & in aquam frigidã diffundito, ac manibus emollito diu eam eluens. Deinde similiter ipsam liquatam, in aliam aquam diffundito, & rursus tertiò idem facito. Ad hanc autem ceram sic lotam, rosaceum ex optimo oleo omphacino pręparatum adijcito, ut sit quidem cerę unc. I. rosacei uero triens. Hęc similiter in duplici uase liquato, et ab igne ablata mo ueto, donec aliquantulum frigefiant. Postea in mortarium diffunde, & pistillo fortiter tere, aqua potabili ac frigidissima paulatim instillata quantum satis est. & tandem fictili puram aquam habente excipe, & aquam quotidie permuta. Hoc pharmacum tenui linteo inductum impone, non super totum pectus, uelut quidam faciunt, neque super tota præcordia, sed illo maximè loco in quo multæ caliditatis sensus percipitur. Permutetur autem pharmacum semper priusquam manifestè calefiat. Aliud epithema optimum. Rumicis acuti succus polenta tenui ammixta, duplicato linteo detrito excipiatur, & frigidus imponatur. Facit & portulacæ succus, & semperuiui, cum uuæ acerbæ succo & polenta. Item tribuli uiridis succus, & polygoni, ac seridis, & lactucæ cum polenta. Sed & ipsa horũ folia trita imponito. Bonum pharmacum etiam hoc est: Palmularum pinguium carnem exemptis membranis, cum posca meratiore ad flacciditatem usq; coctam, & cũ tenuissima polenta tritam impone. Si uero aridius hoc uidebitur, ex prædicto cerato parum, aut rosacei optimi minimum quiddam ammisce. Bonum etiã pharmacum est rosarum succus cum tenui polẽta. Et ipsæ rosæ tritæ impositæ. Et hæc quidẽ assumimus multum frigefacere uolentes. Si uero moderatè hoc facere uoluerimus, non modica est copia emplastrorum leniter perfrigerare potentium. Ego enim noui, imposito aliquando frigido medicamento præcordijs, hominem euestigiò difficulter spirasse: alium autem statim tussiuisse. Et paulò pòst amborum accidens quieuisse, frigido pharmaco sublato. Balnea porrò dulcium ac calidarum aquarum, aut potius temperatarum, utilissima sunt omnibus siccam ac calidam temperaturam habẽtibus. Lauandi autem sunt quẽadmodum hectici, in secunda balnei domo, corpore ex aqua & oleo calido perfuso, & ipsis statim in tẽperatæ aquæ solium locatis. Deinde etiã in frigidæ solium. In frigida tamen moram diutius trahere nõ oportet. Si uero inflammatio alicuius uisceris accedat, balneum recusare oportet. Illud tamẽ nosse expedit, quòd si quando inflammatio principalis partis in talibus febribus ac corporibus coinciderit, omnino morientur. Et præsertim si pulmonis, aut mẽbranæ costas succingentis, aut uentris, aut hepatis inflammatio fuerit. Nam quãtum ad inflammationes harum partiũ attinet, minimè nutrire oportet. Quãtum uero ad uirium debilitatem, sæpe nutrire oportet. Quare necessarium est ut aut dum non nutrimus, uires exoluamus: aut dum nutrimus, inflammationes augeamus.

De febribus Hecticis ac tabidis. *Cap.* XCII.

Hectica, hoc est, habitualis nominatur febris, quum ad tantã immodestiam uenerit caliditas præter naturã, ut in habitu sit ipsius solidæ essentiæ similaris corporis cordis. Et propterea ægre solubilẽ habet structuram. Primum igitur calor præternaturalis eliquat, & resiccat, ac cõsumit essentiam in partibus uelut ex humore concretã, qualis est pinguedo & caro: Deinde uero propriam humiditatẽ consumit, ex qua corpora nutriuntur: Quæ sane circũfusa est ac instar roris dispersa, circa omnes animalis partes. Hinc autẽ transit ad carnosum genus, quod fibris & membranosis partibus solidorum corporum insitũ est, quod sanè discindentes coqui tollunt, fibras uero abijciũt. Exactum autem eius complementũ in hoc est, si ipsa solida similarium partium essentia siccior facta est, quando & tabida febris uocatur. Duplex est autem genus hecticarũ febriũ. Quædam enim ex ipsis post febres ardentes plerunq; fiunt, aut usq; adeò in longum extentas, ut tẽporis progressu humorẽ corporis cordis cõsumpserint. Aut manente adhuc humiditate fiẽtes, & cordis corpus occupãtes, hinc incẽdũtur: quemadmodũ lucernarũ flamma ex funiculo, superstite adhuc in lucernis oleo. Et hæc quidẽ una est ipsarũ generatio: Altera uero quũ ab initio statim irruerint, primã generationẽ diarijs similẽ faciẽtes, ob tristitiam, & iram, & lassitudinẽ ampliorem simul cũ ardore factam. Has igitur non difficile est curare. Eas uero quæ in tabem procedũt, sanare impossibile est. Natura enim ipsarum calida est & sicca, simile quiddam patiente corde, quale quid patitur funiculus in lucernis, ubi plurimũ fuerit exustus. Qui enim exustus est comminuitur, ut neq; si largum oleũ affuderis, luculentam flammam excitare possis. Proinde parua hæc & infirma flamma circumcirca tremit, semper amplius minor euadens, donec fuerit extincta. Facilis autem cognitu est hæc febris. Priusquam enim cõtigeris pulsus ac caliditatem, oculos immo-

m dice

dicè cauos uidebis, uelut in foueis quibusdam sitos, & gramas in ipsis reperies siccas, & squallidã quandam affectionem, qualis his fieri solet qui per totum diem in sole æstiuo multum puluerem percurrunt. Perijt autem & ipsorum coloris uitalis flos. Et cutis circa frontem sicca est ac circũtensa. Et plerunq; palpebris nictant, uelut somno grauati. Est autem hæc affectio non somnus, sed impotentia uigilandi. Et tẽpora sunt collapsa, ut loci caui appareant. Et quid aliud quàm ossa & cutis sunt in totum? ut etiam si denudatum consideraueris uentrem, neque aliquod intestinum, neque uiscus aliquod saluum esse putes, & præcordia uehementer retracta esse ad thoracem, & cutem totam siccam ac obaridam, & si distenderis digitis appræhensam, uelut corium quoddam producitur. Febris itaque exactè tabida incurabilis est uelut dixi. Tabescit enim in ipsis totum corpus, instar arboris extremè arefactæ, aut ob flammæ uiciniam, aut ob uehementem ac immodicam siccitatem. Atq; hæc est quam senectam ex morbo uocant. Tale enim corpus fit in his qui secundum naturam ad extremã senectam perueniũt citra febrem, paulatim extincto in ipsis insito calore. Verum eorum qui secundum naturam consenuerunt, mors sine molestia cõtingit, ob frigiditatem ac siccitatem imminens. Tabida uero febris non solum sicca, sed calida affectio est. Hæc igitur uelut dixi incurabilis est. Illud porrò omnibus febribus hecticis commune est, ut debiles sint & æquales semper, à prima die usq; ad extremam respirationem. Maximum autem & minimè ambiguũ naturæ ipsius signum habebis, si cibum homini præbueris. Alimento enim accepto accenditur calor, & pulsus augetur ad magnitudinem ac uelocitatem. Et quod in ipsis contingit simile est ei quod accidit in calce ac lapidibus calefactis. Si enim frigidissimam aquam ipsis affuderis, multò calidiores apparent, uaporosa in ipsis caliditate, ab humida essentia irrigata. Donec igitur aliquid humidæ essentiæ seruatur hectica solum febris est. Quum uero in periculũ uenerit, ut non amplius supersit aliquid humiditatis, exacta iam tabes, Marasmus Græcis dictus, consistit. Nos autem earum solum curationem aggredimur, quæ sanari possunt.

Hecticarum febrium curatio. Cap. XCIII.

Hecticas febres omni modo statim refrigeramus; priusquam progressæ in tabem desinant. Caput autem curationis ipsarum in humectantibus ac frigefacientibus consistit, tum his quæ foris adhibentur, tũ quæ intra corpus accipiuntur. In quibus est & aër qui inspiratur. Omnes igitur hecticos, etiamsi iam principium tabescendi acceperit, absque hoc ut alia febris ipsis sit implicata, aut propter humorũ putrefactionem, aut cum principalis partis inflammatione, confidenter lauato, citra omnem tamẽ laborem, ut ne uires exoluantur. Deferatur itaq; æger in lecto ad balneum. Præparata autem ipsi sindone calida, in ipsa ad primam balnei domum gestetur. Sint autem quatuor qui sindonem teneant, in singulis angulis unus: deinde in prima domo nudatus, ad secundam portetur. In qua toto corpore ex oleo tepido dulcissimo perfusus, ad tertiam domum feratur, & in solium locetur. Sit autem aër balnei temperatus, & humidus præparetur, parietibus aqua calida respersis. In ipsa uero solij aqua temperata abũde quiescat, moderatè in sindone uectus, nulla corporis perfusione fiente, neque item capitis perfusione. Hinc autem extractus à quatuor adolescentibus sindonem gestantibus, in frigidam aquam confertim mergatur, ne minimum quidem moræ in ipsa trahens. Statim autem alius paratam habens sidonem aliam, ipsi inijciat, & alius aliam simili modo. demissus autem in lectum, mollibus linteis lenissimè detergatur. Postea uero unctus & uestibus contectus ad domum in lecto referatur. Sit autem & domus balneo uicina. Eos quidem igitur qui iam tabescunt, lauare oportet uelut dictũ est. Qui uero in hecticis febribus sunt, nondum tabescẽtes, hi etiam citra sindonẽ lauari possunt. Deferendi tamen & hi sunt ad domũ siue in lecto, siue in uehiculo quopiam, aut lectica: Deinde oleum ipsis infundendum, uelut dictum est. Et postea ad calidã aquam ducantur, ut in illa immorentur. Deinde ad frigidam prodeant, ut nullam omnino moram in ipsa trahãt. Atque ita détersi ac inuncti ad domum reducantur. De balneis igitur satis dictum est. Consequens est ut de alimentorum uiribus addamus. Quod quidẽ igitur frigidos & humidos conuenit esse cibos hecticis febribus profuturos, omnibus manifestũ est. Tales autem sunt, ptisanæ succus frigidus acceptus, & alica uelut ptisana præparata, conuenit etiã panis aqua frigida madefactus. Verum nullius horum frigiditas sincera sit, ueluti potus. Nam quæ bibuntur, & citò calescunt, & meatus penetrant. Quæ uero edũtur aut sorbentur, diutius in uentre perseuerantia, perfrigerant ipsum, si immodicè fuerint frigida. At ubi iam diuturna est febris, lac asininum dandum est, diligenti animaduersione habita, ne in uentre in caseum coaguletur. Hoc uero aliquando etiã ipse æger nos docebit, ut qui suæ naturæ habet experimentum. Quandoq; autẽ nos ipsos depræhendere oportebit paulatim ad eius usum progrediendo. Fugienda est autem quãtum eius fieri potest, mellis mixtura in omnibus hecticis febribus. Dandum uero est primũ lac asinæ in cubiculũ adductæ, quo calidũ adhuc lac potetur. Si quidẽ igitur probe fuerit concoctũ, & non corruptum, copia eius augeri potest, ut in exhibitione cyathus dimidius addatur. Reliqua uero diæta facienda est, uelut in siccis uentris intẽperaturis, uelut in proprio loco dicetur. Quantò autem hecticarum febriũ caliditas maior illis est, tantò frigidioribus auxilijs opus habet, & diligentia ampliore, ut ne damnum aliquod cõsequatur, ex fortiorum auxiliorum usu.

De popularibus passim uagantibus, ac pestilentibus morbis. Cap. XCIIII.

Populares & cõmunes morbos uocant eos qui simul multis hominibus coincidunt: quorũ uelut generatio, ita & causa cõmunis est. Communia itaq; edulia praua, morbos cõmunes pariunt. Item uitiosæ aquæ potus, & ærũnæ immodicæ, & labores consueti relicti. Fames, & repletio, præsertim ubi post magnam indigentiam, abũdantia succedit. Sed & regionis natura sæpe communes morbos inuexit, aëre quem inspiramus à putredinosa euaporatione iniquinato. Causa uero talis putredinosæ euaporatiõis, aut mortuorum multitudo est, uelut in bellis contingere solet. Aut paludes quædã, aut stagna, aut barathrũ aliquod profundum in propinquo, uenenosam ac prauam exhalationẽ remittunt. Hæc igitur assiduè contingere solent. Sed & ambiens nos aër, temperamẽta assidue

asiduè peruertit, dũ aut immodicè calidior, aut sic-cior, aut frigidior, aut humidior euadit. Nam reliquis causis non omnes simul obnoxij sumus, neque per totũ diem occursamus. Aër autem nos ambiens forinsecus omnibus circũfusus est, & per inspirationẽ trahitur. Necesse igitur est ut ad mutationes eius, iuxta temperamentũ ipsius coafficiantur etiam animalium corpora. Aliquando uero ambiens nos aër humidior ac calidior factus, pestilentẽ constitutionẽ inducit. Et quia sunt in corpore humores ex uitioso uictu ad putrefactionẽ idonei, principiũ fit pestilẽtis febris. Quare si quis moderatis laboribus, & uictu modesto ac castigato utatur, in totũ illęsus manet per omnes eiusmodi affectiones. Et nos sanè hoc praenoscentes, statim incipiente tali constitutione, quaecunq; corpora humida uidemus, omni modo siccare conamur. In his autẽ quae natura sicciora sunt, pristinam naturam conseruamus. Quae uero superfluitatibus redũdant, purgationibus sanamus. Obturationes autem meatuũ aperimus ac extergemus. Et in summa sanitatem corporibus custodiuimus, contraria adhibentes. Et quãdoq; refrigerationibus usi sumus, si ita opus esset: quandoq; uero calfactorijs. Sed & rogo ingenti extructo & intenso, aërem ad caliditatem ac siccitatem transmutare quis potest, humidum & frigidum factum, quemadmodum Hippocratẽ Athenis fecisse dicunt. Itemq; Acronem Agrigentinum.

De peste. Rufi. Cap. XCV.

Omnia horrẽdissima in peste fieri possunt, & nihil occultatur, uelut in singulis morbis. Plurima enim & uaria fiunt, delyria uaria, bilis uomitus, praecordiorum distentiones, dolores, sudores multi, extremitatum frigiditas, profluuia biliosa, tenuia, flatuosa, urinae, alijs aquosae ac tenues, alijs biliosae, alijs nigrae, malas subsidentias habẽtes, & pessima ea quę in medio uasis dependent. Sanguinis nariũ destillationes, aestus in thorace, linguae torrefactae, uigiliae, conuulsiones uiolẽtae. Sed & ulcera praua & carbunculosa & perniciosa, in peste fieri possunt, & in reliquo corpore, & in facie, ac tonsillis. Si uero solerti ingenio quis praeditus sit, futuram pestem praenoscet, attendens anni temporibus, quae & mala sunt, & in bruta animantia impetum faciunt. Si enim ambiens nos aër, pestis causa fuerit, uolucrium generis prior interitus erit. Si uero ex prauis de terra exhalationibus hoc contigerit, quadrupedium animantium prior corruptio fiet. Quum autem haec tecum expenderis, amplius etiam illud cogita. Quale est pręsens anni tempus, qualis totus annus, hinc enim comperies quomodo uictus rationem optimè constituas. Verbi causa: Debebat esse, si rectè res fieret, tempus siccũ, nunc uero humidum factum est. At si quidem humidum factum est, necesse est etiam uictum resiccantem constituere, quo excedens humiditas cõsumatur. Respicienda sunt etiam studia hominum, an non ad sanitatem conducant, & ea prohibere. Ventris quoq; cura habenda est. Si uero superior uenter pituitam habuerit, uomitu euacuetur. Quibus autem sanguis abundat, his uena secetur. Bona est & per urinas purgatio, & quaecunque aliae. Si uero aestuosus fuerit aeger, & flamma usque ad pectus ascenderit, non fuerit alienum frigefacientia pectori adhibere, & frigidae potum dare, non paulatim exhibendo, uincitur enim ab ampliori in uentre caliditate, & plus nocet, ac amplius exurit. Sed & multa & aceruatim frigida danda est, ut copia eius flama extinguatur. Si uero ardor occuparit interiores partes, extremitates autem & superficies frigidae fuerint, & praecordia distendantur, & uenter colliquamenta partim sursum, partim deorsum mittit, uigiliaeq; affuerint ac delyrium, & linguae asperitates. his calfactoria fomenta adhibere oportet, ut calor ad superficiẽ corporis trahatur, & quibuscunq; id fieri potest modis conandũ est, ut calor ex profundo ad externa educatur.

vide Cornelium Celsũ lib. 3.° c. 7.°

De his qui ob crudorum humorum multitudinem, animo linquuntur. Cap. XCVI.

Quidam febricitare incipiunt, ex magna crudorum humorum copia collecta, unà cum hoc quòd os uẽtris male affectum est, aut ex cruditatibus, aut aliàs. His inflata sunt praecordia, & totũ corpus maiorem naturali molẽ habet. Et color alijs quidẽ albidior & aquosior fit naturali. Alijs autem nigrior ac liuidior euadit, quos plũbicolores aliqui appellãt. Pulsus uero omniũ minores sunt, quàm pro caliditatis ratione, obscurioresq; ac omnino inaequales. Si quidem igitur hi humores copia sua uires grauarint, & crassitudine ac multitudine meatus animalis obturarint. multis de causis perniciosa est affectio, & animi deliquium inducens, tum quòd animal nõ nutritur, tum quòd suffocatur: & quòd tẽperamenti symmetria alteratur ac corrũpitur. Etenim crudi humores nutrire nõ possunt prius quàm cõcoquantur. Multi uero grauant aut obturãt transpirationes, & calorẽ extinguunt. Si uero neq; obturarint, neq; grauarint, hi animi deliquia quas syncopas uocant, nõ inducũt, sed omnino animo exoluũtur tales, si nõ frequentius alantur. Danda est autẽ eis copia, nõ pro una uice, neque cibi crassi aut uiribus frigidi, sed ex genere attenuantium & calefacientium. Sic etiam medicamenta ipsis danda sunt, quae homo febricitans accipere potest, attenuantia ac calefacientia. His cõmodum est uinũ aquosum album ac tenue, nisi ualde febricitarint. quod tamen non adeò contingit in relata affectione. Debiles enim sunt his febres, & adhuc magis si fuerint senes. Vinum autem dandum est ipsis ad singulos cibos, & potius ad uesperam & noctem, non mane & usque ad meridiem. Iuuenibus uero nõ statim ab initio uinum detur. Nulli porrò talium sanguinis ablatio citra maximum detrimentum fieri solet, etiamsi euacuatione indigent. Imò neque uenae sectionem, neq; purgationem ferunt, qui sanè etiam citra hęc derepente animo concidunt. Quomodo igitur hos sanare oportet? qui egent quidem euacuatione, euacuantia uero non ferunt, nullum equidem inueni in his euacuationis modum praeter confrictionem. Incipere uero statim ab initio morbi conuenit, primum à cruribus supernè deorsum per lintea moderatè aspera. Deinde etiam totae manus confricentur, supernè deorsum. Postquam autem artus satis calidi apparẽt, & timor fuerit lassitudinis sensum ipsis accessurum ob multitudinem frictionis, oleo laxante utendum est, quale est quod dulcissimum est. Abstinendum autẽ ab omphacino, & omnibus adstringentibus. hyemis autem tempore etiam discussorio utendũ est, quale est oleum sicyoniũ, & chamaemelinum, aut aliud simile, uelut anethinum. Postea uero oleum detergeatur, & progressus ad totam spinã fiat, & hęc similiter fricetur, primũ per lintea, deinde

oleo. Postea rursus ad crura progressus fiat, & rursus ad manus, deinde rursus ad spinam, ita ut per totam diē hoc agamus in domo lucem habēte puram, & minimè humecta. Sit autem & caliditate moderata domus. Commodissima est his aqua mulsa, in qua coctum est hyssopum. Verum neq; cibi, neq; sorbitio, neq; aqua ipsis danda est, neq; permittendū ut large bibant, sed aqua mulsa sola utantur per primos tres dies, ita ut per successionē fricemus, & illud solum tempus remittamus, in quo somnus ipsos occuparit. Ad hunc autem conducit maximè amplior frictio. Sed neq; amplior somnus talibus cōmodus est, neq; enim humores discuti permittit, & uiscera grauat. Vtrisq; igitur moderatis natura opus habet, somno & uigilijs. Si quidem igitur pulsus ipsis ualde paruus & fortiter inæqualis est, extremum periculū imminet, & facere oportet quę dicta sunt, nihil aliud curiosius conando. Si uero firmitatē & magnitudinem moderatam habuerit, & non fractus neq; mollis fuerit ac ęqualis, uentrem considera, & clysterem adhibe confidenter, si non probe egestionem faciat. Contingit enim ex aquæ mulsæ potu, ut probe euacuetur omnis superfluitas, quæ in primis uenis congregari solet, iuxta simas hepatis partes & mesenterium. Si uero superfluitatū impetus amplius quàm oportet in uentrem fiat, primum amplius ipsam decoquito. Talis enim minus aluum subit. Si uero etiā postea superfluitas humorum amplius feratur, neq; sic sistere oportet, sed pro aqua mulsa ptisanæ succū dare. Si uero ferri adhuc perseueret, sorbitionem ex alica dato, pulsus nimirum in hoc sequens. Aliquando enim derepente mutantur ad debilitatem, aut inæqualitatem, aut paruitatem, quo tempore conuenit exhibere panē ex uino diluto, neq; uentre uidelicet, neq; hepate inflammato. Nam si inflammatę fuerint hæ partes, corpore crudis humoribus repleto, desperatus est æger pulsibus ita mutatis. In talibus igitur ægrotis si mortem prædixeris, & nullum strenuum auxilium adhibueris, teipsum inculpatū seruabis. In quibus autē spes est salutis (est autem in omnibus citra inflammationē ita ægrotantibus) quum à principio susceperimus ipsos, turpissimum mihi uidetur ut animo concidat æger. Si uero perceperis aliquādo crassos esse humores, semper acetum mulsum dabis pro aqua mulsa. Et si quidem æstas fuerit, & æger frigidæ potor, huic frigidū acetum mulsum dabis. hyeme uero omnibus calidū. Aduersissima sunt his balnea, & aër nos ambiens multū calidus aut frigidus factus. Quare neq; lauare cōuenit, & reclinare tempore æstatis in domo frigida, hyeme uero calida. Læduntur enim ualde ex utroq; excessu. Nā in balneis, & æstate, & omni caliditatis incremento, crudi humores diffunduntur, & per totū corpus diffluunt, ut periculum sit etiā ad pulmonem & cor peruenturos esse, & quandoq; etiā ad cerebrū recursuros esse. Melius igitur est circa hepar & uenas ipsos permanere. At uero in domibus immodicè frigidis, & hyeme, & omnino in frigido ambiente, humores crudi incocti permanēt, & obturationes hepatis augent & exacerbant, si paruæ fuerint. Si uero nō fuerint, generāt: propter crassiciē detenti ac impacti. A' cataplasmatis autem & perfusionibus abstinere oportet, donec multitudo partim euacuetur, partim concoquatur. Qui enim hæc in talibus affectionibus adhibent, ipsi inflammationes per ea quæ faciunt efficiunt, non animaduertentes præcordia lædi. Hæc igitur facienda sunt à prima die, ubi ipse inceperis curationem. Si uero ubi iam animo concidunt uocatus fueris, præcordijs non inflammatis, dabis ipsis panem non multū uino fuluo madefactum. Et si quidem fuerit æstas, aut regio natura calida, aut cōstitutio calida, cū aqua frigida. Sin contrà, cum calida uinum dabis. Postquā autem sedatum fuerit eiusmodi animi concisi accidens, experiendum est ut calidæ potum exhibeas. Nam ad totam curationem melior est calida, crudorum humorum concoctionem adiuuans. Statim uero & in his ad frictionem deuenies, eo quo dictum est modo.

De his qui animo concidunt, ob flauā bilem os uentris lædentem. Cap. XCVII.

In quibus ob flauam bilem os uentris lædentem animi deliquium contingit, his exhibendus est frigidus potus, sit tamen hic uinum calidum natura, fuluum, tenue, & uetus.

De his qui ob tenues humores animo concidunt. Cap. XCVIII.

Qui ob tenues ualde humores animo concidunt, ut citissime tum per sudores, tum per obscuram transpirationem exoluantur, contrario modo curentur his qui ob crudos humores animo linquuntur. Nos enim paulatim euacuamus, eò quòd uires aceruatam euacuationem nō ferant. Qui uero ob tenues humores animo concidunt, paulatim assiduè nutrimus. Si uero à principio hos exceperimus, uiribus adhuc robustis, non paulatim alimus: Possunt enim hi amplius alimentum semel exhibitum superare. Quemadmodum autem diximus priores perniciose affectos esse, ubi uiscus quoddam inflammatum fuerit: Eodem modo etiam hos incurabiliter habere putandum est, si aliquod uiscus fuerit inflammatum, uiribus iam languentibus. Neq; enim possibile est ipsos assiduè nutrire, sed in declinationibus solum. Neq; si non nutriuerimus possibile est ipsos seruare. In talibus affectionibus letalis constitutio celerrimè fit in facię: Nasus acutus, oculi caui, tempora collapsa, & quæ deinceps recensentur. Et siue amplius excreuerint, siue uigilauerint, aut tristitia affecti fuerint, si non citius alantur, statim talem faciem habēt. Si igitur propter uigilias, aut tristitiam, aut ampliorem excretionem, tale factum fuerit, parum mali esse puta. Si uero citra hęc, perniciosum. Atq; hoc magis, si statim à morbi initio sic habuerint. Non enim durabunt ad ipsius concoctionem. Nutrire igitur ipsos tunc necessarium est, & cutem ipsorum densare, & aërem domus frigidum præparare, uelut dictum est de his qui ex sicca intemperie febricitant. Vngendi quoque sunt adstringentibus ungentis, & cibi exhibendi non ualde promptè defluentes. Et neque aqua mulsa, neque ptisanæ succus eis exhibendus est, sed panes, & sorbitiones ex alica, & fructus austeri, ac ægre corruptiles, tum per se ipsi, tum cum pane & alica ex aqua cocta. Dentur etiam ipsi ouorum sorbilium uitelli soli, & gallorum testes, & cerebella suilla probe assata, aut bene cocta. Nam crudiora extreme lædunt. Et in summa, omnia facienda quò crassior materia fiat, & cutis densetur, & transpirationes impediantur. Prodest his uinum aquosum ab initio post cibos acceptum.

De alijs animi deliquij causis. Cap. XCIX.

Sunt & aliæ quatuor causæ, ob quas homines animo concidunt. Dolor uehemens, uigiliæ, euacuatio immodica, & in delyrantibus ipse motus. His quintam si libet adde, principiorum intemperiem. Celerrima igitur pernicies instat corde affecto, consequenter autem cerebro.

De dolore animi deliquium inducente. Cap. C.

Dolor est repentina temperamenti mutatio, & futura continuitatis solutio. Non enim quæ paulatim fit alteratio, animal dolore afficere potest. Apparet enim corpora non solum dum aceruatim ad non naturalem habitum ducuntur, molestam habere mutationem, sed etiam dum ad naturalem habitum reducuntur, nisi paulatim id contingat, dolore affici. Proinde eos qui in uehementissimo frigore iter fecerunt, aceruatim calefactos dolore affici scimus circa unguium radices adeò ut ferre non possint. Quærimus igitur quomodo ægrotantes dolent, nullo forinsecus accedente ipsis dolorem inducente. Necessarium est in corpore talem quandam causam quærere, quæ calfaciens uehementer, aut perfrigerans, aut essentiam alicuius sensitiui corporis diuidens, angorem nobis inducat. Et primum sanè considerabimus cuius naturę esse oportet id quod corporum diuisionē facere poterit. Necessarium igitur est aut rupturam, aut contusionem, aut erosionem esse affectionem, in qua continuitas diuiditur. At ruptura fit ex tensione, contusio ex grauitate, erosio ex mordaci qualitate. Quum igitur foris nihil fuerit quod dolorem inducat, aut tendens, aut grauans, aut mordens, sed ex seipso aliquid horum patitur corpus, omnibus nimirum manifestum est, quod ab aliquo intrinsecus fit. Attensio quidē ab essentia distendēte corpus ipsum continens fieri potest, aut ab immodica siccitate. Contusio uero ab aliquo tumore duro adiacente. Morsus autem ab acri humore. Considerandum igitur est in doloribus, an sit humor multus, aut flatus transitum non habēs, uelut in colicis. Aut grauis moles, uelut in inflammationibus & tumoribus induratis. Aut humor mordax, aut affectio sicca, uelut in conuulsis. Aut frigiditas uehemens. Aut caliditas. Et horum singulorum correctio ritè faciēda est. Stupidus itaq; dolor ex frigida fit affectione. Pulsatiuus autem dolor proprius est magnę inflammationi. Si uero uelut ab aculeo infixo, aut uelut à cerebro perforari quis sibi uideatur, crassi intestini, quod colum nominamus, hęc doloris species existit. At uero in renibus cum grauitate quadam dolor est in uno loco firmatus, circum lumbum dextrū aut sinistrum, retrorsum magis. In colo uero dolor ex loco ad locū transit. Pungitiuus autem dolor circa membranas consistit. Qui uero prosiliens dolor appellatur, contingit in uehementibus hemicranijs, dimidia capitis parte affecta. Cognoscitur ex hoc, quòd uelut à radice quadam, à primario affecta parte dolor initium sumens, celerrimè ad adiacētes utrinq; partes fertur. Quapropter ad ambas extremitates contingentibus distentionibus, etiam nerui ad utranque partem distenduntur. Minimè ad latitudinem distentos dolores nerui ipsi habent. At uero membrana subter omnem cutem distenta, tensiuos & stupidos dolores inducit. Quæ uero inter carnem sunt membranæ, dolores uelut diuellentes faciunt. Sunt enim multæ, & inæqualiter insitæ, & forinsecus ipsam carnem ambientes. Cæterū circūcitarum ossibus membranarū dolores profundi sunt. Et ipsorum ossium dolētium imaginationē inducunt. Quum igitur nulla externa causa doloris apparet, prægressam causam & diætā cōsidera. Si enim fuerit præter cōsuetudinē ociosior, aut cibis pluribus homo usus est, aut multū nutrientibus: Aut cōsueta excretio suppressa est. Si quicquā horū, aut omnia apparuerint, multitudo est doloris causa. Et propterea quàm celerrimè homo euacuetur. Sic enim cū omni securitate tibi licebit his quæ fluxiones repellunt uti in partibus dolore affectis. Si quidē igitur multitudo fuerit quæ distendit, uiribus fortibus existētibus, uena secetur, & ex magna uena inflammatæ aut dolenti parti propinqua sanguis auferatur. Si uero debiles fuerint uires, reuulsio fiat & deriuatio sursum, aut deorsum, aut utrinque, aut per frictiones. Vitiosis autē humoribus solis infestantibus, purgatio fiat. Ambobus autem cōcurrentibus, utrisq; euacuationibus utendū est, primum uenæ sectione, postea purgatiōe. Si uero his factis dolor remanet, manifestum sanè est circa partē affectam impactum esse id quod molestat. Manifesta est etiā curatio, per discussoria fiens medicamenta. Eodem uero modo etiā propter spiritum flatuosum, aut pituitam uiscosam fiente dolore, uelut in colicis per fomenta & irrigationes medemur. Si uero tumor grauās aut contundens, dolorem effecerit, tumor ipse curandus est per attenuantia ac rarefacientia. At si ob mordacem humorem dolor fiat, aduersissima his sunt attenuantia ac calefacientia. anethum autem uiride in oleo coctum, dolorem eximit, & somnum inducit, si affecta pars oleo calido irrigetur.

De animi deliquio propriè dicto. Cap. CI.

Hactenus de animi deliquio dictum est, quod syncopē Græci uocant, hoc est, animi concisionem. Tale uero quiddā est & quod propriè animi deliquiū, hoc est, lipothymia uocatur, itemq; exolutio. Et nomē quidem animi deliquij unū est: Causæ uero ipsius plures, & curationes iuxta singulas species. In tantū autem de ipsis nūc dicemus, in quantū quis his satis cognitis, resistere possit exacerbationibus derepēte incidentibus. Differt autē animi deliquium à syncopa, quòd animi deliquiū derepēte incidit, sensu & motu hominē priuans, & omnino non sudant. Syncope uero, & uigilantes, & dormientes inuadit, & omnino cum sudoribus qui syncoptici appellari solent.

De his qui ob uentris profluuium, aut sanguinis eruptionem, aut immodici sudoris euacuationem animo linquuntur. Cap. CII.

Qui ex bilis supernè ac infernè excretione, & alui fluxionibus, & alijs immodicis euacuationibus animo linquuntur, his aqua aspergenda est, & nasus apprǽhendendus, & os uentris confricandū, & digitis aut pennis immissis lancinandum, & ad uomitum cogendum. Manus & crura pluribus & uehementioribus uinculis deligētur: manus in euacuationibus infernè fientibus; crura uero in supernè fiētibus. Auxiliatur etiam in talibus euacuationibus uinū aquosum uetus frigida dilutum. Balnea uero fluxionibus in uētrem commoda sunt, uerum his qui ob sanguinis eruptionem, aut sudorum immodicorū euacuationem animo linquūtur, aduersissima sunt. Adstrictione enim hi indigent & frigiditate, non laxatione.

tione. Vinum uero frigida dilutum uelut dictũ est, etiam his commodum est. Neq; uero extremitates ligare conducit, neq; uomere, neque omnino moueri. Sed densari his conuenit ac frigefieri. Quapropter aërem domus frigidum paramus, frigidos uentorum flatus inducentes, & pauimenta adstringente qualitate sternentes, uelut myrto, rosis, pampinis uitis.

De his qui ob humorum copiam, animo linquuntur. Cap. CIII.

Qui ob humorum copiam animo linquuntur, plurimum fricentur & calefiant, & manuum iuncturæ ac malleoli ipsis deligẽtur. A' cibo uero & uino, ac balneis omnino arceãtur, si febricitarint. In potu autem detur acetum mulsum.

De his qui ob quandam uteri affectionem animo linquuntur. Cap. CIIII.

Similiter etiam hæ quæ ab utero affecto exoluuntur ex aceto mulso curandæ sunt. Et crura fricanda ac liganda, maximè his quæ ab utero strangulantur, & in quibus retractus aut loco motus est uterus. Cucurbitas quoq; inguinibus à femoribus affigemus, Et naribus quidẽ odoramenta graueolentia adhibebimus. Vtero uero beneolentia, & laxare ac calefacere potentia medicamẽta admouebimus. At uero his quæ ob immodicam mẽsium euacuationem animo linquuntur, manus magis deligabimus, & fricabimus, & cucurbitam pectori affigemus.

Ad eos qui ob stomachi debilitatẽ, animo linquuntur. Cap. CV.

Ad eos qui ob stomachi debilitatem animo linquuntur, cataplasmatis utemur ad stomachum roborantibus, ex palmulis, uino, polẽta, croco, aloë, mastiche. Et irrigationibus ex absinthio, & oleo melino & mastichino ac nardino, & uino. Et si stomachus exuratur, ammiscenda sunt etiam frigefacientia, uelut est ramentorum cucurbitæ succus, aut lactucæ, aut portulacæ, aut solani, aut intybi, aut rumicis acuti, aut uuæ acerbæ. Hic autem non solum frigefacit, sed etiã adstringit. Prodest etiam generose ipsis extremarum partium frictio. Si uero ex horum usu melius habuerint, eos quidem qui stomacho exuruntur statim ad balneum ducere oportet. His autem qui quendã frigiditatis sensum habent, parum dandum est de medicamento ex tribus piperis generibus constante. Aut ipsum piper album.

De his qui ob uitiosos humores, os uentris rodentes, animo linquuntur. Cap. CVI.

Quicunq; uitiosis humoribus os uentris mordentibus exoluuntur, his aqua calida data uomere iubeto. Si uero ægrè uomant, stomachus & pedes ac manus prius foueantur. Deinde digitis aut pennis immissis uomant. Si uero uomitus non contingat, uentris excretionem adiuuare oportet glandulis subditis. Si uero ex his melius habuerint, comam absinthij in aqua mulsa coctam, bibendam dato, & omnibus modis stomachum corroborato, tum per ea quæ foris imponuntur, tum per ea quæ intra corpus sumũtur. Non tamen à principio hoc facere conuenit, neq; absinthium præbere. Sed posterius post uitiosorũ humorum euacuationẽ, ubi iam pura facta fuerit aluus.

De his qui ob pituitã in stomacho collectam animo linquuntur. Cap. CVII.

Si pituita multa & frigida in stomacho collecta, exolutiones fieri contingit, stomachũ oleo calido in quo absinthium coctũ est, plurimum rigabimus. Deinde aquam mulsam dabimus, in qua hyssopus aut simile quid commaduit. Item acetum mulsum & piper, & pharmacum ex tribus piperis generibus constans, & id quod diospoliticũ appellatur. Et tota rationis uictus summa ad incisoriũ ductũ sit destinata.

De animi deliquio ob fortem frigiditatem. Cap. CVIII.

Exolutiones ob fortes frigiditates, similiter ut bulimo, hoc est magna fame ex frigore oborta, correpti curẽtur, ita ut omni modo ipsos calefaciamus. Vinũ igitur dandum est ipsis calida dilutum, & cibi calefacientes. Fricandi sunt etiam ac fouendi iuxta ignem.

De animi deliquio, ob multam caliditatem. Cap. CIX.

Qui ob multam caliditatem animo linquuntur, aut in aëre suffocante uersati sunt, aut in balneo diutius moram traxerunt, eos roborare oportet confestim quidem frigida aqua aspersa, & uentilatione facta, & ægro ad uentum conuerso. Fricandum est etiam ac lancinandum os uentris. Et consequenter uinum & cibi dandi.

De animi deliquio, ob inflammationem, aut malignam febrem. Cap. CX.

Qui ob inflammationum magnitudinem, aut uehemẽtis febris malignitatem, animo linquũtur in ipsis accessionibus, & artus perfrigeratos habent, eos fortiter fricare oportet ac fouere, & crura ac manus ipsorum deligare, & iubere ut uigilent, & ab omni cibo ac potu abstineant. Optimum est autem in his prænosse quod futurum est, & ipsum ante exacerbationem lenire ac mitigare.

De animi deliquio ob siccitatem. Cap. CXI.

Sed & eos qui ob siccitatem animo linquuntur in exacerbationum principijs, optimum est prænoscere. Si enim duabus aut tribus horis ante accessionem nutriueris, & manus ac pedes ligari iusseris, non interibunt. Oportet autem cibos esse concoctu faciles & stomacho commodos. Si uero etiam uehemens periculum fore suspicaberis, panem ex uino dabis, aut alicam coctam uino infuso exhibebis. Si uero modicam syncopam fore speras, uinum ne dederis, sed mala punica, aut alia poma, & adstringentes fructus cibis ammiscebis. At post exacerbationem non est necessarium fructibus uti. His uero qui derepente in periculum incidunt, uinum calidum dandum est, & panis, & alica omnino modica. Si enim aut amplius dabis, aut cibos concoctioni resistentes, hi qui sic affecti sunt suffocabuntur.

De animi deliquio ob principalis membri obturationem. Cap. CXII.

Qui ob principalis partis obturationem animo linquuntur, his acetum mulsum dandum est, & potiones ex hyssopo, origano, pulegio & melle, & cibi incisoria ui præditi. Crassi enim & uiscosi magno his detrimento sunt. Quare ab ipsis abstinendum est. Fricandi sunt artus & ligandi, & potionibus urinam cientibus utendum, ex apio, petroselino, dauco, & similibus. Vbi uero manifesta consequitur utilitas, etiam uino aquoso ueteri utendum est.

De animi deliquio ob repentinam euacuationem. Cap. CXIII.

Si ob repentinam & aceruatim factam abscessus rupturam

pturam, aut sectionem, aut euacuationem, uelut in hydropicis, animi deliquium contigerit, statim quidem odoramentis reuocentur, postea uero sorbitionibus probè concoctilibus nutriantur.

De animi deliquio propter affectus. Cap. CXIIII.

Si propter tristiciam, aut gaudium, aut timorem, aut iram, aut terrorem, exolutio fiat, per odoramenta, & narium ac oris apprehensiones reuocatos, ad uomitũ cogito. De cardiacis & bulimo dicetur suo loco in stomachi affectionum tractatu.

De capitis dolore in febribus. Cap. CXV.

In his quibus in febribus caput dolet, uitanda est multa lux: Lædit enim uisum, & membranas ad motum ducit. Vtendum est autẽ frictione pedum, & extremitatum deligatione, ac constrictione. Vitanda est etiam caliditas à carbonibus, aut lucernis, aut sole & fumo. Item iniucundi & humiditate referti odores. Et clamores, & iræ, & frequens potus, ac collutio oris. Nã aut statim ab ore, aut humecto stomacho, uaporum multitudo ad caput defertur, quod aliàs iam ignitum est. Maximè uero irrigationibus largioribus utendum est, ex oleo omphacino, aut optimo rosaceo, lanæ manipulo excepto, & digitis ex alto expresso, & instar salientis cum ictu quodam delabente. Quòd si non resistat aër ambiens, frigida sit irrigatio, aut per se, aut ex nostro studio. Aucto autem dolore, etiam in aurem rosaceum fundatur. Si uero tempus permittat, & dolor cũ ardore quodam innitatur, ocymi succus aut polygoni, aut mentæ, ex tertia aut quarta parte rosaceo ammisceatur. Et tunc etiam parum aceti ipsis diligẽter ammisceatur, maximè in quo acetum fuerit coctum. Perseuerante uero dolore, ad uenæ sectionem deueniendum est, si nihil aliud fuerit quod prohibeat. Odoramenta quoq; non incommode assumuntur, myrtus, rosa, pulegium. Cataplasmata uero conueniunt in sincipite ac fronte, polygonum tritum cum flore polentæ, & folijs seridis ac plantaginis. Si uero dolor uehementer incumbat, hyoscyami folia uiridia aut papaueris cum micis panis. Præstant autem amygdalæ amaræ madefactæ ac decorticatæ, & cum micis impositæ temporibus ac frõti. Optima uero est aloë fronti illita cum aceto. Aut crocomagma. Et intestina terrę trita illinuntur, & celerrimè mirificè opitulantur. Vẽter porrò in ipsis facilè solubilis præparetur. Considerandum tamen ne stomachus uehementer infestatus, caput ad consensum perducat. Et conandum ut quæ molesta sunt per uomitus euacuentur.

De uigilijs in febribus. Galeni. Cap. CXVI.

Si uigiliæ nimium infestauerint, manus & crura deligari iubebimus, eò tempore quo ad somnum conuerti solent, & hortamur ut assiduè aperiant ac claudant palpebras, donec satis fatigati fuerint. Deinde repente soluimus ligamenta, & tollimus lucernam, & multam quietem esse iubemus. Ex Herodoto & Philumeno. Puluinaribus uigilantium subdantur capita papaueris, aut radices papaueris nigri, aut mala mandragoræ, aut hyoscyamus. Odoramentis autem utendum est, papauere uiridi, & lactucis, quę meconitides appellantur, & menta, & coriandro ac rosis. Nos autem minus horrenda faciei prolutione utimur, incoctis in aqua calicibus papaueris nigri, & meliloto. Aut calamintha, aut pulegio, & melius facit. Odoramentum uero optimum hoc est. Papaueris albi calicum tostorũ, corticis radicis mandragoræ, æquales portiones terito, & uino ac pauco rosaceo subactas olfaciendas exhibeto. Suffumigio autem somnifico utendum est tali. Styracis, amomi, ammoniaci thymiamatis, bdellij scythici, corticis radicis mandragoræ, opij, singulorum æquas partes præparato & suffito in lignis cupressinis. Mirificè facit etiam berenices suffumigium, similiter suffitũ: Ducit enim ad somnum. Descriptum autem habetur in tractatu de theriacis, Sermone inquam decimo tertio. Vngento uero somnifero utere hoc. Styracis sextantem, rosarum siccarum unc. I. seminis hyoscyami nigri unc. I. baccarum myrti nigrarum unc. I. olei rosacei lib. I. Vini ueteris odorati quantum satis est. Contusa & cribrata terito cum uino, & adijcito oleum, & unitis utitor, illitis ex eo naribus intrinsecus ac extrinsecus, & fronte. Imponendum est etiam fronti serpillum cum meliloto in passo coctum. Item semen ocymi, & atractylidis semen, hyoscyami semen & folia, similiter & solani halicacabi, itidem faciunt. Illine etiam frontem ex cyphi cum uino, & crocomagmate. Si uero perseuerarit uigiliarum symptoma, frontem & tempora aliquo pastillo dolorem eximente illine. Et si nihil profecerit, prædicta rei difficultate, ad dolorem eximentia, in potu exhibenda procede. Est autem minus molestum, & sapore iucundius omnibus pharmacis somnificis, id quod ex calicum papaueris decocto ac melle componitur. Cuius compositionem paulò pòst in hoc Sermone referemus. Vtere & cataplasmate optimè ex palmulis maceratis aut coctis in uino, & cum polenta tritis, adiecto modico rosaceo, aut melino. Pectori enim impositum quodãmodo præparat ad somnum.

De graui sopore. Herodoti. Cap. CXVII.

Perfectam curationem eorum qui in grauem soporem delapsi sunt, in sequenti Sermone de capitis affectionibus trademus, in quo etiam de phrenitide docebimus. Nunc autem dicere necessarium est quomodo quis urgentibus symptomatis resistere posit. Proinde spongia posca imbuta, non ualde frigida, faciem detergere oportet, & extremitates fortiter deligare. Odoramenta uero adhibeantur incisoriã uim habentia & excitatoriam, & maximè castorium. Et in exacerbationum remissionibus cucurbitæ dorso ac spinæ efficaciter affigantur. Perseuerante uero morbo, etiam sternutatoria in exacerbationum remissione adhibeantur. Cauendum autem est à lucernarum usu. Caput enim inde repletur. Sit autem & ciborum materia incisoria ui prędita. Habent autem uim excitandi etiam in ipsis, ea quę sequenti Sermone ad lethargicos describentur, tum per se, tum cum aceto naribus admota.

Quomodo linguæ asperitas in febribus curanda sit. Cap. CXVIII.

Lingua in febribus aliquando siccatur, & opus habet humectatione. Aliquando uero exasperatur magis aut minus, & diffringitur, aut nigrescit, aut carbonis speciem induit: quod à uiscerum inflammatione contingere solet. Si uero ipsa quidem lingua, uelut dictum est, affecta fuerit, præcordia uero mollia reperiuntur, periculosum signum est. Humectare autem ipsam oportet, seminis lini decocto in ore detento. Efficacius id erit, si myxę cum semine lini fuerint

coctæ. Sed & digito in hoc succo madefacto linguã confricabimus, simul detrahentes etiam sordes dentibus adhærentes. Deinde colluant os aqua pura, aut spongia pura detergeant. Deinde rosaceo diligenter illinantur. Sed & ipsum rosaceum melli ammixtum egregiè efficax est. Et portulacæ succus in ore detentus, locos humectat. Et rhus culinarius aquæ, aut aquæ mulsæ ammixtus. Et prunorum damascenorum aut myxarum ossa in ore detenta mitigant. Sępe etiam lactucæ caulem ad oliuæ magnitudinem desectum, aut de symphyti radice, in ore tenendum dedimus, & quod oportuit fecit. Sint autẽ cibi mordacitatis exortes, & omnino non adstringentes, leuesq́ ac sorbiles. Si uero etiam præcordia inflammata fuerint, horum curationem facere oportet. Principium enim & finis interaneorum lingua est. Si uero diutius durarit linguæ asperitas, adipem anserinum si affuerit, sin minus, gallinaceum, aut qui adhuc præstantior est phasianicum duplici uasculo liquato, & digito in ipso intincto, linguam abunde fricato. Si uero adhuc perseuerarit asperitas, butyro recenti similiter utere, facit optimè, sed in principio eo uti non conuenit.

Quomodo sitis curanda sit. Philumeni. Cap. CXIX.

Sitis duplex est, altera ob humiditatis inopiam: altera ob caliditatis redundantiam. In febrientibus itaque ambæ affligunt. Nam caliditas in his multa est, & siccitas succedit, multa humiditate per uiolentiam febris consumpta. Si quidem igitur sine detrimento bibere possent quando uellent, hanc sanè sitis medelam statim amplecteremur. Quandoquidem uero & mensuram & tempora potus decernere oportet, lenimenta quædam sitis excogitanda sunt. Nam intempestiuè sumptus potus, non solum sitim non extinguit, sed etiam uice uersa auget. In principijs enim acerbationum omnes materiæ febres accendentes, ad profundum declinant, & propterea sitim intendunt. Datus autem in illo tempore potus à materiæ multitudine superatur, & simul uitiatus accessio fit mali. Quare in principijs & augmentis potus exhibitionem prohibere oportet. In uigoribus autem, primum per gargarismos, & per collutiones oris, squallorem corporis mitigare oportet. Deinde declinatione incipiente potum dare. In remissione uero etiam nolentes aliquando cogantur potum assumere, ut ne humore indigi ad exacerbationis accessionem delati reficcentur ac exurantur. Mitigare autem aliquo modo sitim oportet olei frigidissimi irrigatione, aut rosacei instar salientis delabentis. Sed & auxilia ad febres ardentes relata, & ea quę ad linguæ asperitatẽ dicta sunt in ore retinenda, sitim mitigant. Omnibus autem præstat lactucæ semẽ commansum, & radix dulcis appellata, & cucumeris semen. Oportet autem post horum commanducationem collutionibus ac gargarismis uti. Sint autem & cibi omnes humectantes. Catapotio sitim eximens. Ex Dioscoride. Seminis cucumeris drach. VIII. tragacanthæ drac. IIII. tragacãtham tusam ac cribratam ouorum crudorum recentium candido dilue, & ex contritis simul catapotia efforma, eaq́ in umbra sicca, & unum sub lingua tenendum præbe, ita ut dissolutus liquor absorbeatur. Dato etiam cremorẽ malorum cydoniorum absorbẽdum, aut pirorum, aut omphacij succum, aut hydrorosatum, aut mel rosaceum cum aqua calida. At uero in sanis, sitis ob siccitatem factæ medela est somnus. Concoquit enim humores. Sitis autem ob caliditatẽ, medela sunt uigilię. Caliditas enim in uigilijs circa superficiem expanditur. Sitis uero ob caliditatem eduliorum factæ, aut ob multum uini potum, medela est frigidæ potus.

De aurium dolore in febribus. Philumeni. Cap. CXX.

Aurium dolor in febribus fit, & aut ipse febrem auspicatur, aut succedit, & periculosiores febres efficit. Succedunt dolori atque inflammationi etiam uigiliæ. Si uero perseuerarit, etiam mentis emotiones. Hippocrates autem letales fieri dicit in his dolores. Si igitur moderatus est dolor, & in principio, rosaceum tepidum auribus instilletur. Aut candidum & aquosum oui, cum lacte muliebri. forinsecus autem hapso lanæ oleo imbuto, in quo anethum coctum est, aures obturentur & integantur. Caput item rosaceo irrigetur, aut oleo omphacino. Si uero dolor amplius intendatur, & uenæ sectio assumatur, & aluus iritetur: Postea quoque forinsecus per ambitum aurium cataplasma ex pane, aut semine lini imponatur, hyoscyami aut papaueris uiridibus folijs simul contritis. Butyrum autem pro oleo in cataplasma misceatur. At in dolorum exacerbationibus, fouendi sunt loci spongijs aqua & oleo calido imbutis, donec dolor sistatur. Vehementer enim hæc mitigant, & rursus prędictum emplastrum imponatur. Instillandum est etiam auribus oleum amygdalinum, aut rosaceum, in calice papaueris ad calidum cinerem calefactum. Aut intestina terræ in rosaceo cocta instilla. Aut asellos sub hydrijs stabulãtes, aut araneos.

Auris suppuratæ curatio. Cap. CXXI.

Suppurata inflammatione & eruptione per meatum facta, ubi lana specillo obuoluta pus eduxerimus, primum aqua mulsa eluimus: deinde uino mulso: Postea aceto mulso: deinde modica nitri spuma aceto mulso ammixta. In meatum uero indemus nostrum medicamentum lana exceptum, quod egregiè facit. Est autem alumen liquidum, mel, & rosaceum, æquis portionibus singula modice cocta. Optimè facit & Musæ pastillus optima sapa & modico aceto dilutus. Cæterum de sonitu & audiendi difficultate, inter communia auxilia dicetur. Nosse tamen oportet pessimum signum esse in acutis febribus auditus difficultatem. Nam aut lethargum, aut mentis appræhensionem, aut parotidas perniciosas, aut aliud quoddam periculum minatur. Raro autem permanet audiendi difficultas in aliquo qui morbum superauit, sed simul cum morbo intercidit. Etenim aliquando per circuitum repetit in exacerbationibus augescens. In remissionibus uero simul discedens. Quò contingente auditorum meatum uexare non oportet: sed solum caput irrigare cum his quę in febribus ad capitis dolorem conueniunt.

De lippitudine in febribus. Cap. CXXII.

Si lippitudo in febribus fiat, abstinere oportet ab omni medicatione. Infundendum est autem oui tenue & candidum cum lacte. Et foris illinendũ glaucium, aut Nili collyrium ex rosis, aut aliud quoddam ex croco, ex his quæ fluxiones repellunt cũ refrigeratione. Si uero dolor uehementer uexet, fomẽtũ fiat per spongias, & hapsus lanę ouo imbutus pro

more

more imponatur. Si uero augeatur dolor, etiam panis imponatur, in calicum papaueris ac meliloti decocto madefactus, cũ oui assati uitello, aut etiam cocti, addito modico rosaceo. Aut psyllium feruenti aqua madefactum imponito. Suppurata inflammatione collyrijs dolorem eximentibus utendum est.

De oculorũ obscuratione. Philumeni. Cap. CXXIII.

Fieri solet circa morborum solutiones, aut etiam ubi uires recolligunt ægri, circa utrunque oculum aut circa alterum obscuratio, ut uix uidere possint, uelut per caliginem quandam, & ut aliquando quædam ante oculos uideantur pilis similia. At dum oculi cõsiderantur, puri apparent. Rarissimè uero in talibus circumstantijs, circulus pupillæ aut minor aut amplior reperitur. Ipsum porrò obscurationis oculorum accidens, ut plurimum seminis in somno effusione prægressa, iuxta morbi solutionem, aut refectionem euestigiò incidit. Et est signum debilitatis spiritus uisiui ac neruosæ partis. Itaque in perfecta corporis conualescentia, etiam uisus actio integrè restituitur. Quapropter à localibus auxilijs abstinere oportet, & neque fomenta, neque illitiones adhibere. Verum refectorij totius corporis ductus usu, hoc ipsum accidens corrigere.

Fluxus sanguinis narium in febribus curatio. Cap. CXXIIII.

Fluxum sanguinis è naribus in quarta die in febribus fientem, pessimum signum Hippocrates dicit. Multitudinem enim significat in toto corpore, aut in capite. Destillat enim sanguis aut ob compressionem, aut ob densationem meatuum. At uero uberior excretio eius, multitudinem & laxare, & minuere potest. Paulatim igitur euacuationem facere oportet inde, unde natura impetum habet. Hac ratiocinatione facta, ausus fui in destillationibus in quarta die fietibus, per graminis cauliculum, uelut mos est, uasa narium sauciare. Non autem oportet modico fluxu contentum esse, sed pro uiribus detrahere. Sufficiente autem facta euacuatione, consueto more eundem supprimere.

Vesicæ & urinæ difficultatis curatio in febribus. Philumeni. Cap. CXXV.

In principio pessimarum febrium etiam hoc accidit, ut uesica doleat, & paulatim ac cum dolore urinam emittat. Et hoc non solum molestum est, sed etiam signum quòd tota pars neruosa doleat. Est enim totũ corpus crudioribus humoribus refertum. Confluit autem ex ipso aceruata multitudo in uesicam, quæ amplius distenta ad actiones suas inefficax fit, & periculum suppressæ urinæ inducit. Proinde imo uentri, pectini, ac inguinibus, lana pura oleo dulci calido aut scyonio imbuta imponatur. Præstat autẽ rutam, & anethũ, & apij semen in oleo cocta esse: Aut cuminum tritum lanæ inspergere. Si uero dolor augeatur, etiam cataplasmata post irrigationes adhibeatur. Et in intestinum rectum oleum & butyrum cum fœnigræci decocto infundantur. In mulieribus uero & in uterum, & in intestinum rectum. Si uero inflammatio urgeat, & rubor cum multa caliditate in summo uentre appareat, etiã uenæ sectio adsumatur. Diæta autem sit tenuis & exquisita. Vtanturq; ptisana, aut alica lota ex aqua mulsa, aut ouis sorbilibus. Post hæc etiam micæ panis probè lotæ exhibeantur. Deinde malua friabilis assumatur, & porrum capitatum pluribus aquis coctum. Et pisces tenerrimi. Insessio quoq; apparetur usq; ad umbilicũ & totos lumbos, ex artemisiæ, fœni Græci, pulegij decocto, & oleo ammixto. Progressu uero temporis, castorium lanæ inspergatur. Cæterum potus ita affectis commodissimus est, post augmentum quietum, cucumeris satiui semen, quòd præmaceratum decorticatur, & tritum datur cochlear. II. mensura cum aceto cyathis tribus. Et mouet quidem urinam citra molestiam. Dolores autem euestigiò soluit. A reliquis autem urinã cietibus, quàm diu febres perseuerarint, in totũ abstinẽdum est, ut ne urinæ copia ad uesicam delata, ipsam distẽdat, & malum augeat.

Lumborum doloris curatio. Cap. CXXVI.

Lumborum dolores fiunt pleruncq; in febribus prauis statim ab initio, & permanentes maximas uexationes inducunt, & repente dissipati, periculosiorem fore morbum indicant. Circa primos igitur dies irrigatione ex uino & oleo utendum est. Deinde spuma nitri, & uinum dulce mari mixtum, & oleum, simul unita & lana sordida excepta, locis adhibeantur. Tales autem irrigationes uehemẽtiam quidem doloris mitigant, dolorem autem non omnino tollunt. Progressu uero temporis uenæ sectione utẽdum est. Deinde cucurbitæ loco adhibendæ. Postea cataplasma parabimus ex semine lini & fœno Græco, & hoc in sacculum coiectũ lumbis supponemus, ut super ipso decubitus fiat. Deinde irrigatio ex oleo rutaceo fiat. Et cerata ex cyprino facta adhibeantur. Venter autẽ à principio facilè solubilis per cibos paretur. Vehementer autẽ prodest ipsis clyster, ex decocto cucumeris syluestris & melle solo iniectus. Euacuat enim pituitã & citissimè alleuat, nisi uehemens fuerit febris.

Vlcerationis circa os sacrum in febribus curatio. Philumeni. Cap. CXXVII.

In diuturnis & alias habitum eliquantibus febribus, consumpta carne, super nudis ossibus decubitus fit, & eminentes maximè ipsorum partes, dolorosas & ægrè curabiles ulcerationes habent, eò quòd per stratum trahantur. Non solum autẽ ob curationis difficultatem graues sunt ulcerationes: dilatantur enim & profundæ fiunt, & crassa labia habẽt, proserpũtq; & usq; ad nuditatem procedunt: sed etiã notatæ sunt à ueteribus, uelut hæc affectio perniciem portendat. Quapropter antequàm immedicabilis fiat, curationem eius aggredi oportet. Primum itaque ubi locus rubicundus & dolorosus fieri incepit, circulum laneum iustę magnitudinis loco subdemus, quo affecta pars per uacuum firmata, à compressione liberetur, & decubitus minimè ærumnosus fiat. Postea uero ceratum ex rosaceo aut myrteo oleo paratum, quòd recipit spumam argenti, cerussam, ordeum ustum imponemus, subiecto uidelicet ex lana circulo. Idem faciunt etiam omnia sedis cerata. Et adhuc magis id quod residet in ęreis uasis in quibus aqua coquitur, quod uelut testa adhæret fundis ipsorum, si cerato rosaceo ammisceatur. Reperitur autem eius copia in æneis balneorum uasis: Item ceratum ex melle, quod quatuor hæc æqualiter recipit, spumam argenti, oleum, ceram, mel. Diluitur autem rosaceo, & mirificè facit. Adhibeatur etiam fomentum per spongias. Si uero inflammatio fiat, panis cataplasma locis imponatur, cum solano, aut polygono, aut plantagine, aut brassicæ folijs. Si

uero

uero pascendo proserpat, ulceratio, lenticula cocta cū malicorio imponatur. Vtendum est & medicamentis ad nomas paratis, cum rosaceo dilutis. Item emplastro uiridi Epigonij. Et pastillo qui Corax appellatur, & Andronis aut Musæ pastillo cum sapa. Cōtracta autem & repressa noma mitioribus communibus auxilijs utendum est.

Vlcerationis circa scrotum & anum, in febribus curatio. Philumeni. Cap. CXXVIII.

Sæpe in ægrotantibus exulcerantur partes hæ, quandoq; ob solam neglígētiam. Aliquando uero etiam à prauis & acribus humoribus, & malignis febribus. Itaq; reperire est ita affectos etiam mente læsos, & non percipientes dolorem, neq; animaduertentes feruorem, nisi is qui curam ipsorum gerit ex odore cognoscat. Primum itaque per spongiam fouendus est locus ex aqua leniter calida. Deinde illinendus myrteo aut rosaceo oleo. Et postea scrotum myrto sicca leuissimè trita conspergatur. Deinde ex candido oui, cum cerussa & modico rosaceo aut myrteo illinatur, ut ne exarescat. Si uero illitionum inquinamenta non ferant, ceratum molle præparetur ex rosaceo, quod cerusam & argenti spumam habeat, & uitellos ouorum coctos. Cōuenit etiam ceratum butyrinum, & quod ex anseris aut gallinaceo adipe paratur. Et emplastrum siue ceratum ex ordeo. Et omnia ad sedem parari solita. Si uero nome succedat, utendum est curatione in osis sacri ulceratione relata. Cibi uero exhibeantur ipsis dulciores, pro facta de febribus coniectatione. Ventris quoque cura habeatur maximè locis circa sedem alleuatis.

Pustularū in febribus curatio. Herodoti. Cap. CXXIX.

In febrientibus assiduè fiunt pustulæ circa labia & nasum, iuxta febrium solutionē. Verum in principijs febrium non simpliciorum, sed à prauis humoribus ortarum circa totum corpus exoriuntur uibices similes culicum morsibus. In malignis autem & pestilentibus febribus exulcerātur, & quædam ad carbunculorum speciem accedunt. Omnes autem multitudinis corrupti & habitum erodentis humoris signa sunt. Quæ uero in facie oriuntur, omnium malignissimæ sunt. Deteriores autem sunt plures quàm pauciores, & maiores quàm minores, & quæ citò delentur quàm quæ multo tempore durāt. Deteriores item feruentes quàm quæ pruritus inducunt. Et quæ quidem succedunt aluo suppressa, aut moderatas egestiones faciente, bonæ sunt. Quæ uero fluente aluo & uomitibus uexantibus fiunt, malæ. Si uero succedentes aluū resiccent, bonæ. Sequuntur ad pustulas, febrium malignitas, & plerunq; etiam animi deliquia. Eas igitur quæ circa febrium simpliciorū solutiones fiūt circa labia & nasum, rosaceo illinere oportet per se, aut cum cerusa & spuma argenti. Cōfert etiā pastillus ex croco, myrrha, & alumine, quē iridem uocant. Et niger pastillus, qui recipit croco magmatis, balaustij, atramenti sutorij, myrrhæ, & aloēs, singulorū partes æquales. Teruntur hæc cum uino uelut collyrium, & in pastillos efformantur, & usus tempore cum aqua aut lacte illinuntur, aut cum uino, ubi adstrictionem augere uoluerimus. Agglutinantur autem hæc post illitionem, aut sine hac, pellicula palmulæ osi adhærente, aut membrana oui. At uero pustulæ uibices referentes curentur uenę sectione in principio, si nihil impedierit. Solent enim reuersæ intra corpus periculum afferre, si nō per uomitus, aut per aluū acrimonia secedat. Quapropter etiam aluus per ptisanæ succū, & oua, & oleum chamæmelinum molliatur. Detineant autem uesperi infusum per totam noctem. Sed & ciborū contractione utendum est, quò undiq; multitudo tollatur. At in accessionibus propter succedentes circa stomachū uehementissimos morsus, aqua tepida data uomere iubemus, digitis aut pennis immissis. Cibi uero exhibeātur contemperandi uim habentes, uelut est ptisanæ succus, aut alica cum aqua mulsa. Si uero febris ardens infestet, illinatur corpus aqua & oleo, nitro modico ammixto. Pustulas enim circa superficiem retinet, & materiam in profundo attrahit, & profunditatem refrigerat, & sæpe sudores excludit, qui acrium humorum multitudinem in uaporē difflare possunt. Cæterum in pestilentibus & carbunculosis, uenæ quidem sectionem adhibemus statim in principio, non autem cibi contractionem. Fames enim peiorem materiam facit, & uires in his conscindit, quas integras seruare uolumus in omnibus febribus, maximè pestilētibus. Si quidē igitur admiserint loci, illinendæ sunt pustulæ pharmaco crasso, ex rosaceo & cerussa, & thure ac uino dulcissimo. Aut ex spuma argenti & manna thuris cū rosaceo. Reliquæ uero partes cerato integantur ex eadem materia parato. Conueniunt etiā ipsis omnia cerata & emplastra quæ ambustis adhibentur. Et pustulas quidem circa faciem, calidæ prolutione mitigabimus. Quæ uero in reliquo corpore sunt, per spōgias diutius foueantur, maximè prurientes. Si uero serpentia fuerint ulcera, etiam calcis uiuæ parum ammisceatur: mirificè enim resiccat, & serpiginem ipsarum sistit. Quæ uero iam depascunt, lenticula cocta cum malicorio ac melle, aut plantagine, aut polygono, aut rosis cum pane integantur. Bonum est etiam his caprinum lac, ad humorum prauitatem contemperandā. Oportet autem quartam partem lactis aquam ammiscere, & simul coquere assiduè uersando, donec dimidium de toto supersit. quo neq; in casei naturam trāsiens exacescat, neq; feruefactum nidorosum fiat, propter febrē detinentē. Declinatione uero facta, per medicamentū purgatorium idoneum materiæ euacuentur. Postea autem Antidotus theriaca detur, aut mithridatica, aut alia quædam ad letalia uenena, & uirus eiaculantia facta. Nam humorū fortis mutatio per corruptionem facta, uenenoso pharmaco similis est. Fiunt porrò aliquādo pustulæ magnæ colore albæ, modicum pruritum inducentes, redundantes in fœmoribus, natibus, lateribus, & summa uentris plerunq; parte. Originem autem ex multa lēta & alba materia habent. Hæ uero cum toto corpore curātur. Neq; enim grauem morbū minantur, si saltem modico uictu quis utatur. Quòd si febres in his urentes fiant, commodum fuerit frigidam dare in exacerbationum uigoribus, morbo in uigore existente, nisi uiscera habeāt quæ facilè læduntur. Fiunt etiam aliquando pustulæ rotundæ, inæquales, subalbidæ, aut subrubræ, cum eleuatione carnis. Aut uaris similes, qui in facie oriri solent, & duræ sunt, ac multū pruritum inducūt, ut uigiliarum causa fiant, dum indesinens adest cupiditas ad scalpendum. Consequūtur autem hæ plerunq; ad febres intermittentes, & minimè grauem indicant morbum. Quapropter cōuenienti

nienti tempore æger in solium calidum intentè insideat. Vtendum est & his quæ foris illinuntur, uelut est oleum myrteum aut lentiscinum cum myrto, aut manna thuris, aut cimolia torrefacta, aut alumine liquido, aut farina fabarum. Aut sesamũ tritum cum modico aceto illinito. Si uero pruritus urgeant, linteis crudis aut per spongias ex aqua feruente foueto. Si autem exulceratæ fuerint, utendum est ceratis ad ambusta destinatis, præsertim eo quod ex ordeo paratur. Porrò quæ ualde rubræ sunt, pessimè existũt. His autem deteriores sunt liuidæ, nigræ, & tumidæ, similes existentes carnibus compunctis, redundant autẽ in facie & pectore, & uentre, lateribusq; ac dorso. Tales à principio aggredi non oportet, sed differre. Si enim non successerit, in eum qui curationẽ aggressus aut pollicitus est, culpa recidit. Si uero permanserint hæ usq; ad uigorem, & non progrediantur in peius, non omnino negligere oportet, etiam si rarò, attamen aliquando opem ferre, & oportuno tempore medicamẽta adhibere, atq; magna animaduersione curare. Quę enim post mortificationem superficiei ex alto emergunt, quid aliud significarint, quàm uitam aliquo modo ab internis efferri?

De tremoribus in febribus. Herodoti. Cap. CXXX.

In malignis febribus fiunt tremores. Conflantur enim ex uitiato uictu, & frigidæ potu, & poscæ, ac multi uini, & ex immodico rei uenereæ usu, ac similibus. Abstinendum itaq; est ab his quæ nocuerunt, & exhibenda quæ prodesse possunt. Necesse est autem omnino affectam esse in omnibus spinalem medullã. Quapropter tota spina contegẽda est, & affectę partes, lanis sicyonio aut potius gleucino imbutis: aut cerato liquidiore ex aliquo taliũ parato, aut ex oleo rutaceo. Rigandum est etiam caput in primis diebus oleo dulci. Si uero protrahatur morbus, anethino in accessionum interuallis. Deinde adhibeantur cucurbitę à primo uerticulo usq; ad lumbos, impositis cataplasmatis ijsdem partibus unà cum præcordijs, ex cruda ordeacea farina oleo & aqua diluta ac cocta. Integantur autem hæc lanis oleo ueteri aut sicyonio imbutis. Cibi exhibeantur sorbiles calidi. Prouidẽdum etiam ut facilè solubilem faciamus aluum, permanendumq; in hoc ductu, donec febres minuantur aut soluantur. Progressu uero temporis si perseuerarint tremores, cõmunis auxiliorum modus uelut in alijs tremoribus adhibeatur. Ita ut alterius in olei calidi soliũ locemus, & ante solij insessum & postea, sicyonio aut antiquo oleo illinamus. Aliquando etiam castorium ungento ammiscendum est. Si uero perseuerarint dolores, etiã in potu exhibeatur castorium. Et teratũ imponatur ex ipso paratum. Et communia ungenta ad resolutiones in usum assumãtur.

De cõuulsionibus in febribus. Galeni. Cap. CXXXI.

Conuulsiones plerunq; fiũt propter repletionem neruosarum partium, qua ratione etiã fortiter inflammatis accidere solent. Insuperq; ob mordacẽ tenuem humorem, neruosas partes erodentẽ. Et propter fortem frigiditatem congelatio simile quiddam efficientem. Fit etiam conuulsio ob excellentem siccitatem. Sequitur autẽ maximè ad perniciosas phrenitidas, & tum propter febris uehemẽtiam, tum ob intentos & agrestiores motus. Et ex his qui sic conuulsi sunt, neminem seruatum esse ipse uidi, neque qui uidisset audiui. Proinde prædictæ tres conuulsionis species sæpe curantur. Incurabilis est autem ea quæ ob neruosarum partium fit siccitatem. Aliquando uero in ore uentris humor tenuis, & acris, ac maximè æruginosus, conuulsiones fortes & syncopam inducentes efficit, ut frigidæ exudationes fiant. In his aqua tepida in potu oblata, digitorum aut pennarum immissione, uomitum mouemus. Si uero circa intestina morsus sensus contingat, ptisanæ succum per clysterem injcimus. Damus autem cibos ægrè corruptiles, uelut est alica cum mali punici granis, & similia. Si uero nihil tale fiat, cõuulsiones per totum corpus fientes similiter ut tetanicos, qui antrorsum ac retrorsum conuelluntur, curabimus. In partialibus uero primum partes contractas blandè contrectabimus, & dolores ipsarum mitigabimus, molliterque fricabimus oleo sicyonio antiquo calefacto. Si uero adhuc perseuerent, etiam castorium ammisceatur, & reliqua relaxantia ungenta adhibeãtur. Qui uero ob siccitatem conuelluntur, propter febris uiolentiam, & præsertim delyrio præsente, his lauandum est caput multa calida dulci ac temperata aqua. Manus quoque ac pedes multa calida perfundantur. Deinde oleo dulci calefacto caput irrigetur, & manus ac pedes illinantur, & amiculis foueantur, & quies inducatur. Quòd si sanguinis multitudo adsit, & conuulsionem inducat, uena secanda est. Deinde cucurbitæ affigendæ cum scarificatione. Et si quidem crura fuerint contracta, postremo uerticulo cucurbita affigatur. Manibus uero conuulsis, septimo uerticulo, & ei quod humeri articulo subiectũ est cucurbitas affigemus. Si uero toto corpore ab affectione immuni, labium contrahatur aut palpebra, graue hoc accidẽs ducendũ est. Detractiones autẽ sanguinis per cucurbitas in his fiant à ceruice & primis duobus uerticulis. Caput uero oleo anethino calido irrigetur. Vbi autem tempus balnei oportunũ apparuerit, lauẽtur, & in aquæ potu adhuc seruẽtur. Si uero uinum exhibere opus fuerit, modicũ & aquosum præbeatur.

De iucundis ac commodis potionibus in febribus. Philumeni. Cap. CXXXII.

Duplex robur & admirandum simul auxilium exhibet, id quod etiam naturæ ob iucunditatem gratum existit. Venter enim ubi quod blandum est suscepit, & in se complexus est, tenet et probè concoquit pro uiribus, maximè si fuerit quantitate moderatũ. Excitatur enim natura, & actiones sępe ab affectionum feritate misere afflictas suscitat, ac morbo repugnat iuxta duplicem modum. Ipsum quidem malum pa[illegible] contrarietatis natura castigans: uires autem animal gubernantes consolans, & excitans, ac fortificãs, ad superandum morbũ. Omnes igitur homines utplurimum dulcibus gaudẽt potibus, & præsertim si adstrictionẽ, & caliditatem, & quasdam eiusdem generis qualitates habuerint ammixtas. Quale est uinum dulce, & uinum mulsum. Verũ hos potus non tutum est in febribus exhibere. At eos quos nunc referemus, etiãsi magna animaduersione opus habeãt, tutius tamen quàm prædictos exhibere possumus.

De potione pharmaci ex capitibus papaueris. Galeni. Cap. CXXXIII.

Sumatur autem in manus medicamẽtum ex papaueris capitibus, quòd optimum potu est iucunditatis gratia, & optimum ad calidas ac magnas affectiones circa uiscera consistentes, & totum corpus appræhendentes,

dentes. Item febricitantibus, & cholericis in quibus bilis infernè ac supernè erupit, affectionibus. Et his qui delyrijs in febribus ac uigilijs affliguntur. Prodest & tussi frequēti ex tenui fluxione factæ, quæ ex capite calidiore in pectus destillat. Pręparatur autem hoc modo. Capita papaueris moderatæ magnitudinis decem numero unà cū ipso semine, recentia, neq; ualde mollia, neque dura, in aquæ pluuiæ optimæ sextario uno per diem ac noctem macerare oportet. Deinde ad ignem non fumantē coquere, donec flaccida appareant, & expresso liquore, & per panniculum rariorem excolato, mellis optimi despumati dimidiam aquæ mensurā ammisce, & agitando coque ad compagē mellis Attici. Pręstat autem per passum Creticum, aut per sapam, mellis loco præparare, ubi fluxus fuerit ualde tenuis. Ammisceo etiam aliquando ad hoc pharmacum glycyrrhizę radicem, ut unà cum papaueris capitibus coquatur. Si uero hæc non affuerit, succum ipsius siccum injcio. Si uero continetur in pulmone humor delapsus eductione indigens, melius est per mel ipsum parare. Datur moderata mensura duorū cochleariorum. Augebis autem & minues copiam, pro corporis magnitudine cui id exhibes, & pro ætate, animiq; tempore ac regione. In omnibus enim his ad frigiditatem declinantibus, minimum dabis. Ad caliditatē uero, plus. Sed & destillationis quātitatis ac qualitatis respectu, plus aut minus dabis. Certè ex eo quod ex capitibus papaueris Thebaici præparatur, datur ad summum uncia una. Talis est descriptio Galeni huius pharmaci. Ego uero semper in usu eius quod ex passo præparatur perseuero, aliquādo mel ammiscens ad eius exhibitionē, aliquando acetū mulsum, aut mel rosaceū, aut omphacomeli, aut aliud quoddā pharmacum hepaticum, aut splenicū, aut stomachicū, & uires eius ad pręsentē semper affectionē transmutans. Exhibeo autem ipsum non solū somno indigētibus, ad uesperā, & ad tussim: Sed etiā insania laborantibus post uenę sectionem & febrientibus uehementer, & quibus os uentris intolerabiliter perustum est, et in igne sacro, atq; alias calida affectione thoracis & pulmonis, hepatis item ac intestinorū & mesenterij. Et non solum semel, sed iterum, & non solum in febriū uigore, sed etiam ante uigorē, & ante manifestā concoctionē, in quibus uigiliæ, aut caliditas acris & magna hominē affligunt. Præstat autem ea quę sexcenties feci in huius pharmaci exhibitione recensere. Etenim in febribus putridis ante morbi uigorē, & in his qui ex hepatis, aut splenis, aut pulmonis affectionibus ægrotant, acetū mulsum simplex exhibitioni eius ammisceo. In uigore uero febriū, omphacomeli, aut mel rosaceū adijcio. In rarioribus quidem corporibus, & qui os uentris debilius & non appetens habent, omphacomeli. his uero qui dulci potu gaudent, & qui medicatum aliquē humorem, aut biliosum in uentre habēt, mel rosaceum. Atq; hæc quidem in febrilibus affectionibus. Vrinæ autem stillicidium ex urinarū acrimonia obortum, magnificè sedat maximè in balneo, & ante balnei ingressum largè datū. In quibus etiam uictus rationem pleniorem & melioris succi esse iubemus. Sed & in nephriticis ac lūbis calidioribus medēdi uim habet. At uero his qui urinę profluuio laborant, & quibus bilis supernè & infernè erumpit, exhibeo frigida ammixta, præsertim in calidioribus temperamentis. Oportet autem in bilis supernè ac infernè effusione, habitum corroborare forinsecus per adstringentes irrigationes, & similia, atque sic pharmacum exhibere, cum omphacomelite calido temperatum. Si uero thoracem humoribus repletum per tussim euacuare uolueris, acetum mulsum uariè ad eius exhibitionem ammisceto, & calidum exhibeto.

Omphacomelitis præparatio. Cap. CXXXIIII.

Botri uuæ acerbæ accipiantur qui iam maturescere incipiunt. Deinde in domo temperie moderata ad biduum uel triduum expandantur, & resiccati exprimantur, & liquor uase uitreo excipiatur, & optimi mellis despumati pars una, ad tres succi partes ammisceatur, & ad dies aliquot ad solē exponatur hoc pharmacū, donec feruere desiuerit ac quieuerit: Deinde in domo superiore seruetur ne putrescat. Hæc autē proportio tibi pro regula sit in optimo melle & optimo uuarum acerbarum succo. Augebis autē & minues quātitatem mellis, pro tenuitate aut crassitie succi. Vtendum est ipso in tenuibus ac diuturnis uentris fluxionibus, ob calidas affectiones factis. Et in his quibus os uentris appetentiam nullam habet, propter caliditatem. Et in his qui humectum stomachum habent, post uentris per uomitus euacuationē. Et in prægnantibus mulieribus, & quæ terram aut carbones, aut alia quædam aliena edunt, ubi per picram ex aloë purgationem feci, omphacomeli exhibeo. Bonum est & his qui ob excedentem uentris euacuationem, animo linquuntur.

Mellis rosacei præparatio. Cap. CXXXV.

Mel rosaceum tres partes succi rosarum exunguiū excolati accipit, & mellis partem unam. Coquitur autem ad solem calidum expositum ad plures dies, eodem modo quo omphacomeli. et postea adseruatur. Si uero turbulentus fuerit aër, aut frigidior, quando mel rosaceum paras, ammixto optimo melle ad rosarum succū, & per rarum panniculum siue linteum excolato, simulq; ad lentum ignem coquito, donec quartam aut tertiam succi partem cōsumpseris, atq; sic exceptum medicamentū uelut dictū est adseruato. Et ubi calidiorē uideris aërē, uelut omphacomeli insolato. Adstringit equidē leniter, & propterea frigefacere potest. Habet uim extersoriā ex melle. Habet & subamarū quiddam & leniter acre, unde ori cōmodum est calidam quandam inflammationē habēti, propter calidi fluoris influxū, itemq; in acribus ac biliosis fluxionibus in uentre, ubi uidelicet affecti prius uomuerint. Exhibemus etiam ipsum his qui uentre exuruntur, citra humorum superfluitatē, atq; hoc absq; uomitu. Item febricitantibus, uigore iam totius morbi instante, & particularis exacerbationis. Sæpe enim in febrilibus morbis etiam unica potio larga sufficit in conuenienti tempore data, ad affectionis solutionem, tum per sudorum eruptionem, tum per uentris subductionem. Inter reliquos enim potus mel rosaceum conuenientissimum est his quibus acres humores per uentrem subire uelis.

Hydrorosati præparatio. Cap. CXXXVI.

Rosarum recentium exunguiū, & per diem ac noctem præsiccatarum lib. I. mellis sextar. I. aquæ pluuiæ ad tertias decoctæ sextar. III. commisceto hoc modo. Aquæ pluuiæ sextar. IX. coquito donec tres reliqui fiant, & ad ablatam ab igne aquam feruentem præ-

siccatas

siccatas rosas inijce, & uas pluribus operimētis probe contectum adserua. Sequenti uero die aquam excola, & rosas non expressas abijce, ut ne aspera aqua fiat, & cōiecto melle in mortarium, & probe trito, aquam cum ipso unito, & fictilibus uasis præsertim recētibus ac crudioribus excepta, ad paucos dies insolato, & in domo in qua uinum repositū est adseruato. Hoc multò magis quàm mel rosaceū frigefacit.

Apomelitis præparatio. Cap. CXXXVII.

Apomeli sic præparare oportet. Fauos accipe melle plenos, colore quidem albos, uerū mel pellucidum continentes, & mel ipsum manibus exprime, & ad aquam fontanam optimam ammisce. Et si quidem crassius fuerit mel, quatuor aquæ partes, ad unam mellis ammiscemus: Si uero liquidissimū fuerit mel, tres aquæ partes ad unam mellis adijcimus. Si uero sicciores tibi uidebuntur faui, ipsos in tenues partes cōminutos in mēsuratam aquam mitte, & manibus sufficienter tere, exprime, excola, & metire, & cognosces quantum mellis addere oporteat. Deinde in ollam nouam mittimus, in qua prius aqua fuerit feruefacta, propter terream qualitatem, & ad ignē non fumantem coquimus, detrahentes semper inter ebulliendum insidentem spumam, aut cerosam partem. Postquàm autem neq; spuma, neque quicquam fecis superstiterit, & octaua aut septima pars de tota mensura decesserit, ollam ab igne tollimus ac frigefieri sinimus. Et post perfectam perfrigerationē, sequenti die id quod supernè fluitat detrahimus, & in uasa fictilia recentia ac crudiora transfundimus, & in uinaria cella adseruamus. Est autem apomeli extersoria ac incisoria ui præditum, & biliosa per aluū ducit, & ad urinam ciendam conducit, & febres putridas ad solutionem præparat. Calidis tamen & siccis naturis aduersatur. Et in morbis calidis, & præcordijs inflammatis nociuum est. Et neq; sitim sedat, imò etiam auget. Dandum est autem ante sorbitiones. Nam post cibum datum nociuum est.

Hydromeli & crustuminati præparatio. Cap. CXXXVIII.

Hydromelum sic præparatur. Succi malorum lib. VI. mellis lib. XII. aquæ ad tertias decoctæ libr. XVIII. Alia præparatio. Malorū dulcissimorum & odoratissimorum, ac friabilem carnem habentiū, corticem & interna grana detrahito, deinde contusa exuccato, & succum per panniculum purum ac densiorem excolato. Sumito autem succi sextar. I. mellis sextar. II. aquæ pluuialis in coctura ad tertias redactæ sextar. III. Postquàm igitur præcoxeris aquā ad tertias, adijce ad ipsam mel, & ubi efferbuerint simul, ab igne ablata quodāmodo frigefieri sinito, et sic omni spuma detracta, malorū succū adijcito, & uasis fictilibus excipito, oblinito, & in cella uinaria reponito. Vtimur autē eo post dies quadraginta. Quū autē rosas exugues ad hydromelū ammiscere uolueris, unciam rosarū per diē ac noctē in ipso macerato, deinde excolatū adseruato. Bonū enim colorem inde acquirit, & nō acescit. Eodē uero modo etiā ex crustuminis, & alijs pirorum generibus præparare potes.

Cydonati præparatio. Cap. CXXXIX.

Preparatur etiam ex malis cydonijs magnis, cortice & internis granis exemptis, deinde contusis & exuccatis, & succo per panniculum excolato. Sumantur autem succi sextar. IIII. Mellis sextar. VIII. aquæ pluuialis ad tertias decoctæ sextar. XII. Primum itaque aquæ sextar. XXXVI. coquimus, & ubi reliqui fuerint sextarij XII. mel adijcimus, & quū ebullierint, ablatā ab igne ollam aliquatenus frigefieri sinimus. Postea detracta superstante spuma, succum cydoniorum adijcimus, & unita excipimus, ac uelut hydromelum adseruamus. Aliquando uero ut ne præparata potio corrūpatur in hyeme propter frigus, mel prius despumamus, & succum excolatum ad ipsum inijcimus, & in fictili oblito per totam hyemem seruamus. Postea in uere aquam ad tertias decoctā, uelut dictum est, accipimus, & mel cum succo ipsi ammiscemus, atq; sic utimur. Idem facimus etiā in malis, & crustuminis ac alijs piris. Quomodocunq; uero preparauerimus cydonatum & hydromelum, & ante hyemem, & post hyemē insolamus ipsum per dies quadraginta, cauentes ab imbribus ac uentis, & sic in uinaria cella reponimus. Melius igitur est præparare id quod cū melle seruatur sub caniculæ æstu. Potest etiam rosarum exunguium, & per diē unam siccatarū uncia una, ad sextarium mellis despumati adijci, & aqua uelut dictum est sub canis æstu coqui, & uniri, & sic excolari, ac per dies quadraginta insolari. Conuenit hoc quod ex succo malorum cydoniorum præparatur, morbis qui adstrictione & extersione opus habent, qui internis partibus exulceratis fiunt, ore, stomacho, uentre & intestinis. Auxiliatur etiam scabiei in uenis. Et renibus ac uesicæ, in quibus furfuraceæ ac squamosæ & capilliformes urinarum sunt subsidentiæ.

Aceti mulsi præparatio. Cap. CXL.

Acetum mulsum componitur ex optimo melle, & pellucidissimo aceto, ita ut sint mellis partes duæ, aceti pars una. Hæc proportio pluribus corporibus conuenit. Variari tamen potest semper pro gustus & temperamenti ægroti ratione, ut habeas, quod blandum ac gratum est naturæ. Coquitur ad mellis cōpagem, & exhibetur calida temperatum. Potatum exterget uiscosos humores, & crassos attenuat. Quapropter uiscera omnia ab obturatione liberat, hepar, splenem, uentrem, mesenterium, & renes. Commodū est enim his, siue in febribus, siue citra febres detur. Aquæ uero multæ ammixtione, uehementia uirium ipsius exoluitur. Tussim autem mouere quę non est, & intestina radere acetum mulsum, Hippocrates & Galenus dixit: non in corporibus crassis & glutinosis humoribus refertis, sed puris & non redundantibus superfluitatibus. Aut his quæ ex tenui & acri fluxione laborant, & quæ neruosas partes ualde subtili sensu præditas habent. FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN SEXTO SERMONE AETII HABENTVR.

n De ue-

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI SECUNDAE SERMO SECUNDUS, ET EX ORDINE SEXTUS.

*

De cerebri, capitis, & neruorum affectionibus, aurium item ac narium.

DE HYDROCEPHALA AQUOSA capitis affectione, Leonidæ. Cap. I.



HYDROCEPHALA affectio appellata est ab aquoso humore in capite collecto. Plerunq; igitur aquosus humor colligitur. Aliquando autem feculẽtus aut cruentus. Sẽper uero lentus consistit, aut ex obscura, aut ex manifesta causa. Ex obscura quidem, localibus uasis sua spõte rarefactis, & aquosa in ipsis essentiã, quæ cum sanguine permixta est, depulsa & in unum locũ congregata. Atque ex huiusmodi causa aquosus humor colligitur. At uero ex manifesta causa fit, uasis localibus ex plaga aut contusione ruptis, & sanguine in ipsis præteresfuso, & deinde rarefacto, ac in essentiã feculentam, aut cruentam dissoluto. Frequentissime uero fit hæc affectio ex tali causa in infantibus, quũ obstetrix

obstetrix functionis suę inexperta, & duriore manu rem tractans, corpora aliqua in capite infantis attriuerit. Colligitur autē hic humor in hydrocephalis, aut inter cutem et membranam caluam ambientem, siue musculum temporum. Aut sub membrana caluam ambiente, inter ipsam & os capitis. Aut sub calua, inter os & cerebri membranam. Maiores autem nostri dicūt etiam inter cerebri membranā & ipsum cerebrū colligi, id quod perniciosum existit. Si quidem igitur lētus humor fuerit collectus sub cute extra membranam caluam ambientem, aut inter hanc mēbranā et os capitis, tumor adest iuxta capitis partem ubi collectio facta est, concolor, citra dolorem, mollis ad tactum, cedens ac transiens ad digitorum contactum. Et si quidē sua sponte fiat ab initio, doloris exors & concolor est locus. Si uero ex plaga, aut contusione, primum quidem rubicūdus & dolorosus fit tumor, postea uero lentescēte humore & in tenuem essentiam transeūte, tumor concolor citra dolorem euadit. At ubi collectio sub calua facta est, inter os & membranā cerebri, ab initio dum modicus est humor, caput grauatur, et uertigines assiduę fiūt, & sensus hebetantur, uisus inquam, auditus & reliqui. Quum autem redundauerit humor, suturę capitis ob multitudinem disparantur, & propterea caput magnum fit, & locus collectionis apparet. Humor enim ad digitum cedit. In communi igitur in collectione sub cute, & in ea quae inter membranam caluam ambientem & ipsum caluæ os fit, iisdē aggressionibus utimur, ad humoris excretionem. Et si quidem paruus est tumor, apex ipsius unica sectione diuiditur: Si uero maior, duæ aut tres sectiones fiunt, aut plures iuxta magnitudinis proportionem, in locis ad effluxionem commodis. Non oportet autem uelut in abscessibus, post chirurgiam limniscos trāsmittere, sed ipsas solas sectiones linamētis disparare. Nam post humoris excretionem, corpora in his facile agglutinantur. Quapropter linamentorum usu in ipsis contenti sumus. Post indita linamenta, si infans fuerit cui chirurgia adhibetur, deligationē propter grauitatem recusamus, uerum lana ouo imbuta imponatur, & caput pileo contegatur. In robustioribus autem linamenta forinsecus custodiantur, & deligatio fiat. Poterit autem à tertia die conglutinatio adiuuari, per emplastrum quoddam glutinatorium. Quòd si sub temporū musculo collectio fiat, expectare oportet donec humor redūdet, ut ne musculus incidatur. Et postea à lateribus musculi sectionem facere. Et si quidē humor in profundo sub musculo contineatur, duæ sectiones fiant utrinq; à lateribus musculi ipsius. Deinde corpuscula securè per scalpelli manubrium excorientur. Post totius autem humoris excretionem, curatio fiat uelut dictum est. At si sub calua collectio facta fuerit, itidem expectare oportet, & quum redundauerit humor, & suturæ fuerint disparatæ, fastigiatum locū dissecare, & consequenter facere uelut in capitis suturis disparatis.

De phrenitide. Ex *Posidonio*. *Cap.* II.

Phrenitis inflammatio est membranarum cerebri cum febre acuta, delyrium & mentis perculsionem inducens. Raro autem ab initio phrenitis cum febre irruit, plurimis uero à quarta aut quinta aut sexta incipit, & adhuc serius, cum ipso ferme periculo incidens, ut iam aliqui septima, aliqui nona delyrare inceperint. Differentiæ autem phrenitidis plures sunt, sed tres principalissimæ. Aut enim imaginatiua facultas solum læsa est, seruatur autem ipsis ratiocinatiua & memoria. Aut ratiocinatiua solum læsa est, seruatur autem imaginatiua & memoria. Aut etiam imaginatiua læsa est, seruatur autem memoria. At uero ubi memoria deperdita est in febrilibus morbis, simul perit omnino et ratio, & imaginatio. Proinde anteriore cerebri parte læsa, imaginatio solum læditur: Medio uero cerebri uentriculo læso, ratio peruertitur. Posteriore autem circa occipitium parte læsa, perit memoria, & cum ipsa omnino etiam reliquæ duæ facultates. Quibus igitur imaginatio lęsa est, hi iudicant quidem rectè, imaginantur autem peruersè. Quibus uero ratio solum læsa est, imaginantur quidem rectè, iudicant autem nō rectè. Quibus autem memoria læsa est, nullius antea factorum meminerunt, imò neque omnino rectè imaginātur, neque iudicant. Conuenit itaque parti magis læsæ auxilia adhibere, & tamen neq; alias negligere. De memoria itaque perdita priuatim paulò pòst dicemus. Nunc uero quomodo phreniticos curare oportet dicendum est. Aeger igitur decumbat hyeme quidem in domo tepida, æstate uero, frigida. Quies autem imperanda est & ipsi ægroto, & omnibus in domo, & uicinis. Et qui quidem ad lucem efferuntur, in tenebricosa domo decumbant. Qui uero ad lucis splendorem resipiscunt, in lucida domo degāt. Si quidem igitur phrenitis cū febre ab initio in prima die, aut secunda, usq; ad quartam irruat, & non ex transmutatione alterius morbi succedat, & urinæ fuerint subcruentæ, & facies rubicunda, & ætas uigoris, & bona corporis habitudo adest, & omnia signa simul indicant sanguinis multitudinem, uena cubiti secetur, ea quae media est, & pro uiribus detrahatur, & nō usq; ad animi deliquium. Minus autem quàm oportet auferatur, ob plurimam quae in ipsis ex uehementi motu contingit discussionem ac exhalationem, & propter lassitudinem. Sed & sectio moderata fiat, ut ne æger clanculum brachij uinculum exoluat. Cōsequitur enim periculum sanguinis eruptionis. Quòd si ob aliquam causam, uenæ sectionis auxilium relinquatur per clysteres uentrem euacuare oportet, cum furfurum aut ptisanæ succo, modicaq; nitri spuma ac pauco melle. Caput autem rosaceo magis tepido irrigetur. Nam cerebri membrana inflammata, frigiditas rosacei non est tuta. Imò neq; caliditas. Frigidum enim dēsat meatus, & superfluitates in capite discuti non permittit. Quod uero ualde calidum est, feruorem duplicat. Quare ęstate exactè tepidum rosaceum adhibēdum est, cum modico aceto: hyeme uero moderatè calidum. Commodum est & chamæmelinum ex æquo ipsi ammixtum, si ambiens frigidior fuerit. Si uero uehementius fuerit delyrium, post factam euacuationem, uelut dictum est, per uenę sectionem aut clysteres, capitibus papaueris in oleo coctis caput rigato, & faciem assiduè prolui præcipito ex aqua, in qua papaueris capita sunt cocta. Frontē uero somnifero aliquo pastillo illine. Olfaciant etiam assiduè somnifica, in præcedēti sermone conscripta ad uigilias. Et sub ceruical capita papaueris subdantur, aut mandragoræ mala. At uero auctis malis, dandum est etiam somniferū ex capitibus papaueris pharmacum, cochlearij mensura

plus aut minus, pro uiribus. Dandum est autem id quod ex melle præparatur, non quod ex passo, propter uinositatem. Detur autem hoc pharmacũ in exacerbationis declinatione: Si enim datũ fuerit in uigore, trahit quidem ad somnũ, febris autem excitatur, & ęger ad ambo partitus, grauius fert quod cõtingit. Dato uero pharmaco quiescere iube. Præstat autem mel rosaceum ad pharmacũ ex capitibus papaueris adĳcere, contemperat enim acrimoniam, & aluum subducit. Quapropter etiã aquæ quę bibitur, mel rosaceũ irrorare bonũ est, in exacerbationis uigore. Cæterũ assiduũ usum stupefacientiũ pharmacorum, potionũ, irrigationum ac illitionũ uitare oportet. Facile enim in his qui immodicè perfrigerantur, transitus fit à phrenitide in lethargũ, quando etiã perniciosus fit morbus. Quare ubi delyriũ moram traxerit, serpyllum aut spondylium in oleo coquatur: Crassos enim uapores trãspirare faciunt. Quum autem manserit facies etiam post uenę sectionem incontracta & rubicunda, cucurbitas occipitio affige, & moderatis uulnusculis impactis cutẽ scarifica, & ad libræ mensuram sanguinem detrahe. In cibo porrò dãdus est ptisanæ aut alicæ succus, aut micæ panis sæpe lotæ cum rosaceo melle. Mitigata uero febri, dentur oua sorbilia, & lactucæ feruefactæ, quæcunque moderatè humectant ac frigefaciunt, unaq; nutriunt, propter uirium debilitatem.

De lethargo. Archigenis & Posidonij. Cap. III.

Lethargi principio duo sunt. Quibusdã enim septum trãsuersum & uiscera primariò affecta, cerebrum ad consensum ducunt. In quibusdam uero cerebrũ affectionem auspicatur. Et quibusdam statim ab initio affectio incidit. Quibusdam autẽ ex mutatione alicuius acuti morbi. Nam à phrenitide maximè in his qui per stupefacientia pharmaca perfrigerati sunt, transitio ad lethargum fit. Quin & à cõtinente febre mutatio in lethargũ fit sæpissime, itemq; ex alĳs plurimis morbis, præsertim in quibus plures euacuationes subsequutæ sunt. Aliquando etiã in diuturnis febribus, per circuitũ contingit ægrotos somno immergi, uelut in quotidianis fit & semitertianis, quandoq; etiam quartanis. Et alĳ quidem cũ conuulsione & contractione neruorũ in soporem deferũtur. Alĳ pedetentim facta accessione. Et alĳ quidem unã immersionem sustinent, in quo extremè periclitantur: Alĳ in circuitibus in somnum deferuntur, & rursus reuocantur. Proinde cõsiderare oportet speciem delationis in soporẽ. Qui enim per circuitum somno immerguntur, manifestiorẽ pulsum habent. Qui uero semper affecti sunt, minutissimum & ęgrè mobilem. Hi uero etiã dum excitantur, aliena loquuntur, & obliuiosi sunt. Qui uero per circuitum afficiũtur, nihil tale patiuntur. Et alĳ quidem cum grauitate & elata respiratione in somnum deferuntur, ut & stertant, & singultus ac suspiria edant dolorem indicantia, quẽ reuocati neq; eloqui possunt, propter rationis læsionem. Alĳ uero quietissimè dormire uidentur. Et alĳs quidem perfrigerãtur artus, & rugosi ac pallidi sunt, et corporis miscella ferè cõgelatur. Alĳs uero diffunditur, & uelut rorem effundit circa exacerbationũ declinationes. Qui igitur hac affectione occupati sunt, his hæc adsunt. Præcordia reuellũtur, uenter contrahitur, & uiolenter ab assidentibus excitati, rursus in somnum deferuntur, & obliuio ipsis. Nam dum sæpe ad mictionẽ urgẽtur, porrecta ipsis matula, se in manibus ipsam tenere obliuiscuntur. Aucto uero malo, totũ corpus segne redditur ac uelut mortificatur. Supini autem decumbẽtes, ad pedes defluunt, distentis manibus ac cruribus. Nasus quibusdam destillat. Os ipsis hiat, & fortior eius hiatus succedit. Inferna mandibula uelut resoluta ac laxata uidetur. Atq; hæc quidẽ adsunt lethargicæ affectioni. At uero curationem ipsorum aggredientes in domo lucida ad splendorem ipsos locamus. Sit autem domus tepida. Pedes & manus confricẽtur. Odoramenta excitatoria exhibeantur, uelut est castorium, funiculus lucernarius extinctus, pix liquida, bitumẽ, galbanũ. Suffita quoq; lethargicos excitãt, lapis gagates, bitumẽ, castorium, peucedanũ, sulphur, galbanum, sagapenũ, cornu ceruinũ, hirci sordes, abrotonum, silphium. Sternutatoria quoq; naribus admoueantur. Si uero multitudo humorũ in corpore est, si quidem sanguis fuerit redundans, uena secetur secũda die, & pro uiribus euacuetur. Si uero pituitosa & lentior materia fuerit, uelut in lethargicis redũdare solet, attenuantia exhibere oportet, & quę crassiciem secare possunt, ita ut his quibus neruosa pars læsa non est, acetũ mulsum exhibeamus: quibus uero læsa est, decoctum apĳ, fœniculi, adianthi, & similium. Sed & aluus efficaciore infuso eluatur, & glandes subdãtur ex ruta, nitro, cumino, & melle cocto. Caput autem rigetur in principio quidẽ serpillo in aceto & oleo cocto. Verum in intẽtis affectionibus peucedani radicẽ pro serpillo in aceto coquito, & cũ oleo capiti adhibeto. Bonũ est ipsis & oleum irinũ. Tremoribus autem & cõtractionibus succedẽtibus, castoriũ cum modico aceto terimus, & oleo addito caput irrigamus. Si uero præcordia sint inflãmata, in principio cataplasmata adhibeãtur, ex polline aut pane, & malo cotoneo cocto, aut pampinis uitis. In progressu uero, semẽ lini ad pollinem aut panẽ ammisceatur, & absinthiũ, & althææ folia cocta. Postea uero ex ordei farina, & fœno Græco, & althææ radice cataplasmata fiant. Omnibus autem absinthium ammisceatur. Sit autem latũ linteũ, ut utrinq; latera, & pectus sub mãmis amplecti possit. Post cataplasma uero partes nudas sinere non oportet, sed cerato nardino aut cyprino contegere. Retro autẽ dorso ceratum ex sicyonio factũ imponere, quòd terebinthinam & baccas lauri tritas infartas habet. Et si quidẽ inflatio adsit, ammisceantur cataplasmatis ea quæ flatus discutiunt, uelut sunt cuminum, baccę lauri, ruta, & similia. Si uero quid induratum fuerit, & libanotis addatur, & farina fabarum. At uero in diuturnis iam lethargicis uiribus præsentibus danda est hiera ex colocynthide. Et sternutatoria adhibenda, ex ueratro albo, struthio, pipere, castorio. Et naribus infundendum elaterium cum lacte, aut cyclamini succus, aut ipsa radix sicca trita insufflanda, & ori ac palato sinapi cum melle illinendum. Deinde occipitio cucurbitæ affigendæ cum multa flamma, item circa primum & secundum uerticulũ, sanguisq; detrahendus ex posteriore capitis parte. Postea derasis capillis capitis sinapismus adhibendus ex caricis cum sinapi aceto macerato. In trementibus uero etiam castorium sæpe potãdum detur. Affectione autem declinante æger ad balneũ ducatur, & smegmate mordaciore utatur. Velut est fex usta, sinapi, pyrethrum,

piper,

piper, baccę lauri, calx uiua, nitri uero duplum adijciatur. Cibi porrò sint tenues & incisorij ac resiccantes. Et cum condimentis parati, apij, anisi, cumini, pipere & baccis lauri. Et ex uolucribus conueniunt, gallina domestica, columba, auiculæ montanæ, & perdix. Ex piscibus, petrosi. Ex oleribus, porri, asparagus, petroselinum, chamædaphne. Vinum aquosum, tenue, album subadstringens. Sed & reliqua curatio iuxta eundem modum fiat.

De catocha & catalepsi. Cap. IIII.

Mediam inter phrenitidem & lethargum affectionem reperies, quæ species est delyrij siue amentiæ. Medici autem catochā & catalepsim, hoc est mentis occupationem & appræhensionem uocare solent, ex humore atræ bilis magis contingens. Periculosior est autē hæc affectio quàm lethargus. Verum in febribus lethargo similibus consistit, & aliquādo dormire, aliquando uero palpebras apertas habent, aut nictant, aut intētè uident, & uelut fixos oculos ac palpebras habēt, & penitus immobiles, adeò ut neq; si quis manum oculis ipsorū obtendat, eos claudant. Voce insuper ac sensu priuantur, neq; audientes neq; respondentes. Admouent autē manus suas aliquando ad caput & oculos ac nares, uelut qui uellicentur, atq; hoc non sentiunt. Pulsus sunt parui, languidi, ferme deficientes. Spiritus aliquando densus, aliquando rarus. Et per interualla quædam magnum spiritum ducūt. Aluus & urinæ supprimuntur, nō præ siccitate: Habent enim multū humorem, sed propter sensuū stupiditatem, gramæ his subaridæ in angulis oculorū fixæ sunt. Et aliquando uicinos parietes attingūt. Et in summa, neq; phreniticis omnino similes sunt, neq; lethargicis. Quandoq; etiā ob sanguinis multitudinem confertim caput occupantis & ipsum superimplētis fit hęc affectio: quemadmodū uidimus in adolescente quodā multo sanguine referto. Qui quū triduum exegisset, neq; claudens palpebras, neq; ad uehemētes uociferationes transmouēs oculos, neq; respondens, quarta die sanguinis eruptione larga per nares facta, ab omnibus molestijs cōfestim liberatus est. Quare si ęger multo sanguine refertus appareat, citra dilationē uenam supernā in cubito seca, & pro uiribus detrahe. In alijs autem primū uentrē per clysterē eluere oportet, simpliciore infuso immisso, uelut est furfurū succus cū spuma nitri & melle. Postea uero etiā polypodij radix cū furfuribus coquatur. Caput autē primū irrigetur oleo dulci tepido. Deinde si caput calidius apparuerit, caput papaueris in oleo coquatur. Si uero frigidius, serpillū. Et si quidē facile solubilis fiat aluus ex prædictis infusis, in ipsis perseuerandū est. Si uero sistatur, ueratri nigri radix cū furfuribus coquatur. Potus ipsis cōuenit apomeli, aut aqua mulsa pro tempore diutius cocta. Quòd si urinæ crassę fuerint, etiam anethi & apij decoctum detur. Cibi sint, ptisanæ succus & similia. Aqua his aduersatur, auget enim inflammationem, & fluctuationes facit, & splenes excitat, & sitim nō sedat. Totum autem corpus oleo anethino inungatur, maximè hyeme. In quibus uero etiam tremor succedit, castorij drach. I. cum aqua mulsa ori infundatur.

De caro. Posidonij. Cap. V.

Quum frigidi & humidi humores cerebrum occupāt caros appellata Gręcis affectio succedit, hoc est, capitis percussio, cum debili febre. Consequitur sensuum stupor, & totius corporis immobilitas, cum principalium actionum læsione. oculi uero ipsorum semper sunt clausi. Differt autem caros à lethargo, quòd lethargici interrogati respondeant, & non omnino sine uoce decumbant. Verum qui in caron collapsi sunt, somno profundissimo detinentur, ut dum punguntur sentiant quidem, non tamen loquantur, neq; oculos aperiant. Curandi uero sunt & hi similiter uelut lethargici, ita ut magis incisorium & attenuatorium curationis ductū faciamus. Stomachi quoq; cataplasmata, unà cum hoc quòd calefaciant, etiam corroborandi uim habere oportet.

De comate. Posidonij. Cap. VI.

Soli uapores calidi & humidi, & subiectis partibus ad caput in febribus delati, & ipsum implētes, affectionē faciunt, quam Medici coma nomināt. Cognoscitur si somnus amplior naturali fiat, & in somnis peregrina loquuntur, & corpore inæqualiter habent, & infernā mandibulā inter dormiendū laxatam. Et sæpe excitati cōfertim rursus in somnū deferūtur, & caput humidius habēt. Curantur ex irrigatione rosacei, aut chamæmelini cum aceto. Sit autem acetum acerrimum. Si uero frigidius appareat caput, anethinum cum oleo dulci ex æquo permixtum ac calefactum adhibe. Et in summa, in quantū intenta est frigiditas, in tantum calefactoria augeantur, ut etiā pulegium aliquando & rutā in oleo coquamus. Glandes quoq; sedi subdantur, quæ multum irritare possunt. Nutriantur autem ptisanæ succo, & apomelitę.

De uertiginosis. Archigenis & Posidonij. Cap. VII.

Vaporibus calidis & acribus ad caput delatis, & animalem in cerebro spiritum euertentibus, primū hebetudines quædam in oculis fiunt. Postea etiam aurium sonitus assidui, & auditus grauitates, atq; hæc maximè contingunt circa ciborū coctionem, & ubi ex somno exurgunt, augescente affectione, uertigines & obtenebrationes oboriuntur, ut putent se uidere omnia circuuerti. Contingit hoc etiam ubi confertim ex sellis surrexerint, cruditate quadā pręgressa. Perseuerāte uero diutius malo, ex facili occasione uertigine afficiuntur, ut etiam concidant aliquando, maximè ubi in circulum circumuertātur. Nā quod alijs ob multas circuitiones contingit, hoc illis ex una. Sed & si alium quendam circumuerti uiderint, uertigine afficiūtur, aut si trochum, aut tale quid circumuerti conspiciant, idem perpetiuntur. Spiritus enim uisiuus ad trochum qui circumuolutatur allabens mouetur, & simul cum illo circumfertur. Atq; sic inæqualem & turbulentum ac inordinatū humorem, ac spiritus motum efficit. Facile uero corripiūtur hac affectione quibus consuetæ excretiones sunt suppressæ. Sed & cruditates & ardores assidui, & ebrietates, affectionem hanc efficiunt. Cōsequitur & alui suppressio, & propterea multa inflatio, & urinarum tenuium ac paucarū excretio, materia ad caput accurrente. Graciles autem in totum ferme fiunt, & pigri ad omnem aggressionem. Si quidem igitur ea quæ oculis obuersantur sanguinolētiora se uidere putant, ad insaniā magis apti sunt. Qui uero purpurea uident, ad morbum comitialem. Si igitur uires robustæ fuerint, & nihil aliud aduersetur, uena secanda est, siue principiū affectionis fuerit, siue tempus iam progressum fecerit. In uenæ autem sectione uitandum est ne aceruatim euacuemus, eò quòd ex

qualibet occasione concidat. Quare pluribus detractionibus ex quibusdam interuallis utentes congruã mensuram explebimus. Irrigetur autem caput tempore sectionis uenæ aceto & rosaceo, polygoni aut hederæ succo ammixto. Et lana conuoluta rosaceo aut œnanthino madefacta eodem tempore uẽtri imponatur. Si uero quid sanguinis detractionẽ impediat, uelut gracilitas, aut aliud quid ex sæpe relatis, subducatur aluus, primum per clysterem ex furfurũ succo, spuma nitri et melle. Postea uero picra ex aloë compositio assiduè detur. Si uero accidentia perseuerarint, etiam uehementioribus purgatorijs utẽdum erit, ita ut ad redundantem humorem pharmacũ adaptes. Ex efficatioribus autem purgatorijs commodant his quæ fœniculum in aceto mulso coctum habent. Et quod ex palmulis, ruta, & scammonia præparatur, quorum compositiones relatæ sunt in purgatoriorum Sermone. Sed & pituitã à capite per os detrahentibus, & gargarismis utẽdum est, ex origano, pulegio, & aceto mulso. Postea uero etiã anagallidis succus naribus infundatur, aut cyclamini, aut radicis betæ, aut elateriũ cum lacte. Sed et nitrum cum nigella tritum, & oleo ueteri ammixtũ, generosam per nares purgationem facit. Post hæc autem ad balneum ducantur. Tale uero frictoriũ caput corroborans ipsis cõuenit. Lapidis assij unc. I. spumæ nitri albæ unc. I. iridis unc. I. floris iunci odorati sextans. Ex hoc quod satis est accipe, & sincipiti insperge, modicam aquam calidam irrorans. Deinde ubi lauisti, & caput calida non madefecisti, sed solũ abluisti, egressus de solio frigida ter aut sæpius madefacito. His uero qui ualde calidum caput habent, etiam rosaceum cum aceto sæpe adhibeas, & ipsum ex salientibus aquæ in balneo frigefacias. Et si quidem ex his cesserit affectio, cessandum est à medicationis molestia. Si uero perseuerarit, arteriæ in capite iuxta tempora suprà aures incidantur, uentre prius euacuato, aut per hieram, aut per clysterem. Postea uero constrictorijs fortioribus utendum est, quæ ad insanos referentur. Cibi sint boni succi, facile concoctiles, flatus exortes, omnino stomacho commodi, uentri commodi, urinam cientes. Vinum modicum sit, album & tenuissimum, & non ualde uetus. Cõueniunt his balnea naturalia aluminosa. Maxima uero & prima ac ultima in his præseruatio ac curatio est, ut suppressæ excretiones commoueantur, & officij sui commoneantur, maximè in mulieribus.

De insania, Archigenis & Posidonij. Cap. VIII.

Insania fit citra febrem, multo sanguine nõ putrefacto ad cerebrum confluente, qui aliquando purus est, & multitudine solum affligit, uelut in ebrijs. Aliquãdo uero flaua bile ammixta. Precedit insaniã capitis debilitas, uelut in podagra debilitas pedũ semper adest: Tunc autem dolent, quum materia locis influxerit. Si itaq; ob solum sanguinem insania fiat, hæc cõsequuntur. Risus immodicus ipsis commouetur uidentibus sæpe ob oculos imagunculas quasdam risu dignas, & hilaris est ipsis facies, & assiduè canunt. Aliquando enim ex contingentibus euaporationibus sonitus circa aures adsunt, ut putent se tibicines quosdã audire. Seruatur in ipsis memoria, uelut ex cantilenis quas familiares habent coniectare licet. Læsa est autem imaginatio & ratio. Si uero flaua bilis ad sanguinem fuerit ammixta, & mordacẽ ipsum effecerit, uelut ex ipsa stimuletur ac pũgatur cerebrũ & membranæ eius, iracundi & temerarij & percussores ac iniuriosi fiunt. In quantũ enim bilis sanguini mixta est, in tãtum mutat iucunditatem, & auget tristitiam ac irã. Si uero amplius fuerit bilis superassata & crassefacta, & ipsi corpori cerebri ac mẽbranarum instar uisci agglutinata, pungatq; ac diuellat, ferina delyria efficit. Quidã enim iam propriam carnem gustarunt, & domesticos uelut insidiatores tractarunt, occiderunt, percusserũt, uulnerarunt. Cõtingit autem eundẽ hominem aliquando risu immodico teneri, aliquando ira & indignationẽ. Nã in fame ac inedia tolerata, & ex acrioribus ac salsioribus alimẽtis, & in pluribus motibus ac turbationibus, sanguis seipso acrior efficitur. In cõtrario uero statu, mitior. Sæpe autẽ etiã nullo auxilio adhibito, per modicum cibum & cõmoda alimẽta, progressu temporis id quod lædit consumitur, & cerebrum à superfluitatibus intactum manet, & purũ mentis emotionis interuallum ac defectus & intermissio consequitur. Quibusdã per circuitum quędam irruit affectio. Alijs semel in anno. Alijs bis, aut sæpius, coaceruato uidelicet paulatim eo quòd molestũ est. Corripiuntur hac affectione pauci ante uigorẽ ætatis. Plurimi in ipso uigore, & post ipsum. Viri magis quàm mulieres. Et ex illis magis qui animalibus affectiõibus diuexãtur, uelut sunt irrisores, risu multo & intempestiuo utentes, intractabiles, iracundi, curiosi, auari, potores, item & assidua cruditate laborãtes. Et quibus consuetæ excretiones suppressæ sunt. Et propterea etiam mulieres aliquando insaniunt, quibus menses suppressi sunt. Infinitæ uero sunt insaniæ species, quas exponere superfluum est. In delapsuris igitur in hãc affectionem, prædictorum prooemia quędam præcedunt, uelut risus præter rationem non assuetis id facere, & facili occasione irascuntur, & aurium sonitus adest, & splendores oculis obuersantur: Et uigiliæ adsunt intentæ, & curæ per uices repetentes ac peregrinæ, grauitas item & uibratio capitis. In progressu uero temporis omnia hæc intendũtur, & appetentię ipsis putidiores fiunt, & ad uenerem prompti sunt. Et ideo assiduæ seminis in somno effusiones ipsis fiunt, & oculi cauantur, simulq; intenti ac fixi consistunt. Atq; hæc cõsequuntur usq; ad perfectam mentis emotionem. Oportet igitur doctum medicũ ægri curam gerentem, his apparentibus, aut quibusdam ex ipsis, facere quæ oportet. Si itaq; tales notas affectio præmiserit, aut etiam iam institerit, uictum tenuem exhibere conuenit, sorbilem, liquidum, non percellentem, uentri commodum, & qui neutiquam sanguinem generare potest. A uino abstinẽdum est penitus. Vbi uero per triduum hominem eo uictu curasti, aliquam cubiti uenam secato, præcipue quidem supernam. Si uero non appareat, mediam. Aut si hæ non appareãt, uenas circa talos perquirito, maximè in mulieribus, eo enim momento etiam menses impelluntur. Quòd si neque hæ appareant, ad eas, quę in summis manibus ac pedibus sunt, transeundũ est. Studendũ enim est ut prius per uenę sectionẽ generosa euacuatio fiat, atq; sic affectarũ partiũ curatio sequatur. In uenæ autẽ sectione pro uiribus euacuationem facere oportet. Extincto enim feruore, euestigio quidẽ considerantes fiũt. Simul autem & locus alijs auxilijs datur. Quandoquidem uero aliqui in

prima

prima detractione generose ferunt euacuationem. In repetitis autẽ detractionibus animi deliquia incidũt, cõuenit hos in prima detractione euacuare quantum opus est. Sic enim multũ de flatuosa & uaporosa superfluitate cõeuacuatur. Itaq; pulsus assiduè tangere oportet, dũ sanguis fluit. Et si cõciderint, reseruare ad repetendã detractionem. Sæpe enim recuperatis uiribus postera die detractionem repetimus. Aliquando etiã tertiam sectionem seruantes apposito sale. Caput uero irrigare oportet rosaceo cũ aceto, aut polygoni succo, aut oleo œnanthino, aut melino. Lana autẽ sordida oleo imbuta sincipiti imponatur, & frequẽtius renouetur. Post euacuationẽ omni modo procurandus est somnus. Sanguine enim euacuato si successerint uigiliç, acriores & feriores ipsos faciũt. Quapropter cõfidentes pharmacũ ex papaueris capitibus dabimus, quod somnũ inducit, cũ ptisanæ aut alicæ succo, aut cũ aqua. Iucundum enim fuerit, & postea somnus succedet. Pleriq; enim ipsorũ omnia somnifica contẽnunt. Quapropter etiamsi prima die eo accepto dormierunt, intermissa die una, rursus dãdum est de eo cochleariũ unũ. Solet enim uel solũ post uenæ sectionẽ, perfectè liberare ab affectione, unà cũ conueniente diæta. Cauendũ tamẽ est ne cõsequẽter ipsum exhibeamus. Stupefacit enim sensus. Studendũ etiam est ut uentrem facile solubilẽ faciamus, tũ per cibos, tum per clysteres. His autẽ factis, à localibus auxilijs incipere oportet hoc modo. Sanguinẽ à uena in fronte eleuata media detrahere cõuenit, ita ut per phlebotomum instrumentũ ipsam diuidamus nõ facta impulsione, uelut quidã facere solent, propter maximas inflammationes mẽbranæ caluã ambientis, quæ sæpe sauciata ipsa succedere solent. Detrahenda est autẽ sanguinis libra ferme una. Post hanc euacuationẽ, in his qui sanguinẽ biliosiorem, intermissis quinq; diebus, detur picra ex aloe, cochlearij magni mensura cum aqua mulsa. Deinde etiam per nares caput purgetur, radicum betæ succo infuso, aut elaterio, aut atramẽto sutorio cũ lacte. Sternutatorium quoq; adhibeatur ex ueratro albo et herba lanaria. Sed & per os pituita detrahatur, per mastichem & staphidẽ agriam. Et per gargarissationẽ aceti mulsi, in quo coctum est pulegiũ & hyssopũ. Subducatur etiã aluus purgatorijs ex centaurea, & ex gentiana. Sed & ipsa per seipsam radix gẽtiana cõmoda est pota drachmæ unius pondere cũ aqua mulsa. Datur & aristolochia eodẽ modo. Prodest autẽ maximè ipsis fœniculi magni syluestris radix & semẽ, ex aqua quotidie pota. Et radicis bryoniæ drachma una. Postea uero sanguisugæ toti capiti circũcirca affigantur, & præsertim sincipiti. At in mulieribus studendum est ut menses moueamus. Deinde uiribus reparatis per dies septem Galeni hieram dato, quæ maximè ob stœchadis copiam euacuat. Dato autem drach. iiii. ex aqua mulsa. Deinde rursus narisusoria adhibeantur. Declinante uero affectione ad balneũ ducantur. Frictoriũ autem commodum ipsis in balneo, hoc est, iridis illyricæ, lapidis assi, mannæ, thuris, spumæ nitri albæ, puniceis, buccinorum ustorum, floris iunci odorati, apij, casiæ, rosarum siccarum, singulorũ ∻ iiii. contundito & cribrato, ac utitor in prima balnei domo, inspergens sincipiti quantum satis est, & aquam tepidam irrorans, ita ut satis longam morã in domo trahat quo uires pharmaci usque in profundum distribuantur. Deinde capite leniter deterso & abluto, ubi lotus est ita ut caput non madefecerit calida, ex solio exeat, & frigida iterum atq; iterum irriget. Si uero ualde calidũ caput habuerit, etiã sæpius frigida perfundatur. Post hæc per rubificatoriũ ex sinapi & caricis caput corroboretur. Et per interualla quædam pituita per os detrahatur, & narisusoria adhibeatur. Diæta uero statuatur tenuior, concoctu facilis, uentri commoda, flatus exors, uim contemperandi habens. Vini usus his rarus sit. Si uero reliquiæ affectionis superfuerint, ad ueratrum albũ deueniẽdum est. Modus autem utendi relatus est in Sermone de purgantibus medicamentis. De cætero uero admonendi sunt, ut ab omnibus edulijs & potibus bilem gignentibus abstineant. In uere autem quotannis uenam secent gratia præseruationis. Deinde etiam purgentur, & præsertim si bilis magis redundarit. Mulieribus uero menses consueto tempore proritentur ut fluant citra impedimentum. Sed & in alijs cõsuetæ excretiones procurentur.

De melancholia. Ex Galeno & Ruso. Cap. xi.

Quemadmodum in apparentibus corporis partibus, aliquando omnibus eadem temperatura apparet, uelut in malo corporis habitu, elephantiasi & hydropisi; aliquando uero una quædam pars, aut amaræ bilis, aut pituitæ, aut atræ bilis humore suscepto, ipsa solum temperaturam mutat: Sic etiã circa cerebrum fieri potest, ut aliquãdo toto in uenis sanguine atrabiliario facto, ex cõmunis detrimenti ratione etiam cerebrum lædatur. Et rursus ut alio tempore, sanguine in toto homine illæso permanente, is qui iuxta solum cerebrum est alteretur. Et contingit hoc dupliciter, aut aliunde confluente in ipsum, aut generato in loco atræ bilis humore. Generatur autẽ à caliditate multa indigena, aut flauam bilem, aut crassiorem & atriorem sanguinem adassante. Plerunq; uero partes circa præcordia primariò affectæ, caput ad cõsensum perducunt, & delyrium efficiunt, aut ipsa bile cerebrum occupante, aut aliqua uaporis melancholici exhalationẽ, quemadmodum in morbo flatuoso & præcordiali appellato. Nil enim rationi nostræ obstat, aliunde & ex alia parte principium & generationem affectionis esse. Nam os uentris quomodocunq; affectum facile ad consensum ducit cerebrũ ob cognationem, per maximos duos neruos qui ex supernis ad ipsum deferuntur. Perducit etiã ad consensum cor ipsum ob uicinitatem. Similiter quoq; septũ transuersum, quod etiam ipsi inseritur. Communitas est etiam stomacho ad spinalem medullam, qua parte & incumbit, & colligatur uerticulis colli. Principium itaq; eiusmodi melancholiæ plerunq; ex cruditatibus. Flatus enim ipsis succedunt multi, qui facile eleuantur, & circa præcordia diutius morantur, & ructus ipsis acidi consequuntur, nullo eiusmodi cibo accepto. Ventres plerunq; ipsis sicci sunt, somni parui diuulsi, insomnia turbulenta & peregrina, uibrationes corporis aliæ alias, uertigines capitis, & flatuum sonitus circa aures. Et alijs quidem caput plenum & graue esse uidetur, alijs uero leue & uacuũ, alijs siccũ. Quidam neq; omnino caput se habere putauit, ad quem excogitasse dicitur Philotimus supra reliquam curationem plumbeum pileum, à quo grauatus caput se habere intelligeret. Fiunt etiam meticulosi, & timidi, & misericordes, & lacrymantur ac

deserta persequuntur. Quidam etiã dæmones ab inimicorũ præstigijs sibi immissos esse putant. Alij uenenosum pharmacũ accepisse suspicantur, & suspicionem ipsorũ confirmãt uirosi ac peregrini ructus qui ipsis adsunt. Et est morbus hic omnifarius & nõ facilè enumerabilis. Velut uerbi causa circa timores. Alius amicissimos timet, alius oẽs homines. Et alius ad lucẽ prodire timet, & tenebras persequitur. Alius fugit caliginosos locos. Pleriq; tamẽ in tenebricosis locis degere cupiunt, & in monumentis ac solitudinibus. Quidam uero etiã aquã timent, & uinum & oleum, & omnẽ liquorem, uelut qui morsi sunt à rabioso cane. Et in summa, Melancholica delyria multiformia quidẽ sunt, ob particulares corruptas imaginationes. Vnum uero omnibus ipsis, cõmune est: Timor & tristitia. Tristantur enim omnes præter rationem, & neq; si interroges habent quod dicant cur tristentur. Non pauci uero ipsorũ mortem timẽt, & alia quædã nullo timore digna. Sunt etiam qui mortem uehementer exoptant. Quod igitur ob atram bilem ratiocinalis animæ principia occupãtem, timor fit, & tristitia, & mortis formido, nihil miri est. Videmus enim etiã extra corpus nihil nobis ita horrendum, uelut sunt tenebræ. Quum igitur uelut caligo quædã rationali animæ parti circũfusa fuerit, necesse est timere hominẽ, ut qui causam timoris secũ in corpore circũferat. Sicut enim in profundis tenebris pueri timent, itemq; adulti imperiti: Ita etiã atræ bilis color, uelut tenebræ rationis locũ obumbrans timores efficit. Quapropter omniũ symptomatum singulas accidentiũ causas enarrare impossibile est. Pleraque enim multam difficultatẽ habent, uelut uerbi gratia, Cur fugiunt uelut horrenda, quæ non sunt horrẽda. Alia uero persequuntur uelut bona, quæ nõ sunt bona. Et cur alius domesticos timet, alius uero omnes homines, & huiuscemodi. Plurimorũ uero symptomatum causas medicũ dicere, non est difficile, uelut, qui sibi uidetur uas fictile esse, propter siccitatem hoc patitur: frigidus enim & siccus est melancholicus humor: similiter etiã qui cutẽ suam siccis pellibus similẽ esse putat. Qui uero putabat se caput nõ habere, fortasis ob leuitatẽ hoc passus est, quam flatus uẽtosus sursum latus ipsi exhibuit. Cur uero appetunt melancholici plures cibos? nũ quia frigescit ipsis os uentris? Cur autem aliqui ipsorũ uini potores sunt? num quòd frigiditas calfactione opus habet? Cur autẽ occidunt seipsos? num quia à maioribus malis liberari se putant? Nisi fortasis talẽ opinionẽ induunt, quòd bonum est mori, quod barbaris quibusdam uidetur. Cur autem cruditates asiduæ ipsis fiunt? num quia turbatũ & superfluitatibus plenum est ipsorum corpus, & propterea etiã uenter intẽperatus, ut qui semper ex atræ bilis humore perfrigeratur? Cur autem alui plerunq; ipsis siccantur? num quia flatus supernè circa præcordia consistunt, & non ualde infra secedunt? Necesse itaq; est ob hoc ipsum etiã uentres siccos esse. Ex multa uero retentione, aliquando coaceruata ac colliquata egerunt. Oculis autem plerunque nictant, & oculi ipsis procidũt, & crassa labia habẽt, propter crassum flatum. Atri uero coloris, propter humoris diffusionem. Hirsuti uero pleriq; ipsorum sunt, propter multitudinẽ crassarum superfluitatum. Veloci uero plerunq; lingua sunt, & balbi, & gracili uoce præditi, ob linguæ incõtinentiã. Motus enim concitatiores à flatu fiunt. Quicquid autẽ concitatè mouetur, citò defluit. Et procliuè sane fuerit etiã aliorum symptomatũ causas reddere, si quis ex his progressum facere uolet. Porrò nigrescit aliquãdo hic humor supercalefactus, aliquãdo superfrigefactus. Nã quale quiddã patiuntur carbones, dum uruntur lucidissimi ob flammã existentes, extincta autem flamma nigrescentes: tale quiddam circa clarũ sanguinis colorem frigiditas facit. Videmus enim etiam in externis, quædã corpora liuida fieri ac denigrari à frigiditate. Et rursus excessus caloris resiccans ac cõsumẽs humiditates à quibus calor nutritur, humores nigrefacit, quemadmodũ etiã sol fructus, & hominũ corpora. Hæc igitur sunt quę ante curationẽ Medicum cognoscere oportet. Quæ uero discenda sunt ut quis ita ægrotantibus opẽ ferre posit, iã tempus est subiungere. Nõ parum autẽ refert ad curationem, nosse unde morbus initiũ habuit. Cognoscere itaq; oportet quòd duplex est melãcholiæ species. Quidã enim ex natura & temperatura ab initio atrã bilem habẽt. Quidã uero ex mala diæta postea id temperamentũ acquisiuerunt. Et est hæc species segnis semper & tristis. Qui uero ex flauæ bilis superassatione in delyrium incidũt, audaciores & iracũdiores alijs sunt, & percussores, & omnia horrenda faciẽtes, & maximè tẽpore quo bilis superassatur. Quo uero tẽpore ipsa extincta fuerint, tristes, mœsti ac timidi fiunt. Quum igitur totũ corpus melancholicũ sanguinẽ habuerit, à uenæ sectione principium curationis facere conuenit. Quum autẽ solum cerebrum, æger uenæ sectione non habet opus, nisi multo sanguine redundarit, & præseruationis gratia detractionẽ faciamus. Cognitio uero an totum corpus melancholicũ sanguinem habeat, aut iuxta solũ cerebrum talis sit, ex his à te fiat. Nigriores & hirsuti, & qui uenas amplas habẽt, aptisimi sunt ad atrę bilis generationẽ. Aliquãdo etiam homines colore rubicundi, cõfertim in melancholicam temperaturã transeunt. Consequenter autem ab ipsis, flaui, & præsertim ubi uigilijs, & laboribus pluribus, & curis, & tenui uictu, aut melancholicis edulijs fuerint usi. Ad hæc si suppressa est hæmorrhois in sede, aut alia excretio cõsueta, aut mulieribus menses, nec parũ confert anni tempus, & aëris status, & regio, & ægri ætas ac studiũ. His omnibus præcõsideratis, ubi speraueris in totius corporis uenis melancholicũ sanguinẽ contineri, certisimũ experimentũ adhibeto, ex uenæ cubiti mediæ præsertim sectione. Si enim effluẽs sanguis nõ uidebitur atrabiliarius esse, statim cohibeto. Si uero talis apparuerit, quantũ pro ægri corporis habitu satis fore putaris, euacuato. At uero tertia melãcholiæ differẽtia, cuius principiũ à uẽtre hærere diximus, & quæ affectio præcordialis appellatur, sæpe ex relatis cognoscitur. Primũ enim incipiũt uentris symptomata, uelut sunt inflationes, rugitus, ructus acidi ac uirosi, & quòd uẽter resiccatur, & quòd in secesibus ac uomitibus & ructibus alleuãtur, & quòd ipsi ægri percipiunt omnes uexationes circa præcordia consistere. Quẽadmodũ igitur dũ quibusdã sæpe ex uẽtre fuliginosa quędã aut fumosa, aut omnino crassorũ uaporum exhalatio sursum fertur, uelut in suffusos oculos habentibus, aliqua ob oculos uersantur. Eodẽ modo etiã nunc dũ melãcholica exhalatio ad cerebrũ, uelut fuligo aut fumus fertur, melancholica quoq; symptomata

ptomata circa mentem cõtingent. Quum igitur melancholici delyrij propria symptomata apparuerint magna, circa uẽtrem uero aut nihil molesti, aut minimum fuerit, in his cerebrũ primariò affectum esse putandum est, uelut prædictum est.

Curatio melancholiæ. Galeni. *Cap. x.*

Melancholiã ex cerebro primario affecto obortã, per balnea asidua, & diætã boni succi humidam ac flatus exortẽ curare oportet, citra aliud efficax auxiliũ, nisi ob tẽporis longitudinem humor affligens ægrè euacuetur: quando sanè magis uarias ac fortiores curationes adhibere oportet. Incipientẽ autem affectionem curare cõuenit. Nam inueterata ac aucta, ægrè tractabilis euadit. Rufi. Siue autẽ cerebrum primariò affectũ fuerit, siue præcordia, cõmunia sunt subducentia uentrẽ auxilia. Primũ igitur bonæ concoctionis curã habere oportet. Postea uero purgare primum epithymo & aloẽ. Horũ enim etiamsi parum quotidie acceperit, prodest tamẽ moderatè & paulatim subducẽdo. Posidonij. In quibus sanguis redũdare apparuerit, statim ab initio uena secetur in cubito, & præsertim in quibus cõsuetæ sanguinis excretiones sunt suppressæ. Verum in mulieribus quibus menses defecerunt, uenã in talo secare oportet. Et in singulis pro uiribus sanguinem euacuare. In quibus autẽ uitiati humores magis redundant, præparatum per uictũ ęgrũ purgabis per hierã Rufi, aut Archigenis, aut Iusti. Si uero utriq; redũdent, facta prius uenæ sectione purgato. Postea interpositis aliquot diebus, aluũ per clysteres euacuato, primũ cũ furfurum succo, spumaq; nitri ac melle. Deinde etiã polypodij radices cõtusas, aut epithymũ cũ furfuribus coquito. Post triduum à clysteris usu, detur ipsis picra ex aloẽ cõpositio, quæ supra reliqua oĩa, etiã epithymũ accepit. Præparãda est autẽ, uelut Themison iubet, ita ut aloẽs accipiat drac. c. mastiches, croci, spicæ nardi, cinamomi, aut casiæ duplũ, asari, carpobalsami, singul. unc. I. His uero etiam epithymi sextans addatur. Detur autẽ cochlearij magni copia cum aqua mulsa. Deturq; ipsis ex modicis interuallis iterũ atq; iterũ. Deinde rursus per uictum reparatis uiribus, rursus dato hieram Rufi, aut Archigenis, aut Iusti. Sit autẽ pondus drach. IIII. cũ aqua mulsa, & salis cochleario paruo. Melius est autẽ per euacuantia quotidie leniter uentrẽ subducere. Atram uero bilem ducit amaracus, & cunila appellata, drachm. II. pondere aquæ mulsæ inspersa & pota. Conducit & lactis sero aluũ subducere. Sed non de caseis dandũ est serum. Præstat enim quod à lacte per coctura separatur. Sit autẽ lac equinum, aut si non posit haberi, bubulum. Lac ipsum in ollam nouam mittatur, & fici ramulo agitetur. Postquã autẽ ter aut quater ebullierit, acetum mulsum irroretur. Deinde per colatũ in potu detur. Et primũ quidem ammiscendũ est mel, quum autem uenter subire inceperit, nõ amplius addatur mel. Accipiat autẽ æger hoc serũ per heminas, nõ infra quinque heminarũ mensurã. Ab omni uero euacuatione utendũ est maluæ semine leuissimè trito, duarũ drachmarum pondere, cũ aquæ cyathis tribus. Egregiè enim facit. Quare sæpe ipso utẽdum est. Optimũ est & pulegij decoctũ sæpe bibere, & ante purgatoria, & post ipsa. Et similiter cẽtaurij parui. Absinthij autem decoctũ & assiduè & consequẽter præbe. Stomacho enim & uentri in his commodũ est. Et neq; flatũ multũ in uentre fieri permittit, neq; secessum penitus resiccari, & urinam ciet, & concoctionẽ probè adiuuat, adeò ut ego ex huius solius usu nouerim quosdam à morbo liberatos. Danda sunt etiam urinã mouentia, anisum, daucus, petroselinũ, asarum, nardus: & his adhuc amplius fœniculi magni syluestris semen, & radix. Chamæpitys autem & chamædrys prõptius accipienda sunt, ita ut singula hæc cũ aqua coquantur, aut arida trita potioni inspergãtur. Cõmodæ sunt etiam euacuationes per sudorẽ, & labores, & balnea fictes, & per illitiones in sole, qualis est quæ cũ oleo chamæmelino fit, & cum oleo ac nitro. Quod si habitus permiserit, rursus per hierã purgato. Conuenit autẽ neq; præcordia negligere, & maximè ubi accesserit Medicus, curationis ipsorũ coniecturã faciet. Fomẽta igitur cõueniũt ex oleo, in quo cocta sunt ruta, anethum, serpyllũ, absinthiũ, artemisia, pulegiũ, uiticis semẽ, baccę lauri, aut folia tenera. Hæc enim dolores mitigãt, & flatus minuũt. at uero in inflationibus stomachi cũ morsu, cuminũ & pulegiũ in aceto coquere oportet, & per spõgias stomachũ fouere. Aliquãdo etiã alumẽ aceto inspergimus. Cataplasmata autẽ habeãt aut anisum, aut apium aut cuminũ in oleo pręcoctũ. Et cyperus leuissimè trita, & iris, & libanotis cataplasmati addatur. Permittantur autẽ diutius, & ante & post cibũ. Ablato autẽ cataplasmate pręcordia cõtegantur, aut lana amplissima, aut leuissima & pura pelle agnina, præillitis locis ex nardino. Vtendũ est etiã cucurbitarũ adhibitione, ad flatus quidẽ inaniũ, ad inflamationes uero ac duricias, cũ scarificatione. Postea uero ceratis ex cyprino utendũ est, & polyarchio, & quod ex styrace paratur, & quod ex seminibus fit, & similibus. In progressu autẽ curationis, etiã rubificatione ex caricis ac sinapi uti, ualde proderit, & cõcoctiones reuocat. Nã & uẽtri robur addit, & si quis dolor in præcordio restat, eũ eximit. Vtendũ est etiã acribus smegmatis ad præcordia, & picatorũ medicamẽto, hoc est, pice sicca per seipsam liquefacta, aut cum modico oleo. Calida aũt imponitur cuti, & uẽtri ac dorso adhibetur, ac sinitur donec sua sponte decidat. Quare licet cũ ipsa lauari, & quod paulatim disparatur forfice auferre. Valde uero prodest eis stercus bubulũ aridũ aceto mulso infartũ ac impositũ. Prosunt etiã bulbi cum nitro aut alumine triti ac impositi. Sed & his ad bubulũ stercus ammixtis utile fit cataplasma, & præsertim ubi morsus ab ipsis circa stomachũ percipitur. Cæterũ in qbus cõuulsiones asiduæ corpori adsunt, confert etiã castorij potus, & illitio corporis ex castorio cum oleo sicyonio. Conuenit & moueri & exerceri ipsos pro uiribus ante cibos. Balnea uero probe cõcoquenti non sunt ualde necessaria, nisi lassitudini alicui mederi uelis. Qui uero non bonũ uentrem habet ad concoquendũ, huic cõducit frequẽtius lauari, aut ieiuno, aut post perfectam cõcoctionem. Post balnea cibos damus concoctu faciles, flatus exortes, ex aluo secedentes, exacta consideratione facta quomodo ex singulis homo afficitur: non enim omnes ad omnes cibos similiter dispositi sunt. Plerũque tamẽ cõueniunt panes clibano cocti probe præparati. Volucres nõ pingues, non uirosæ, montanæ. Oua gallinarum mollia. Pisces petrosi & molles carne. Herinacei uero marini plurimum præstant ad iucunditatem & utilitatem. Vitanda sunt omnia in

stagnis

stagnis degentia, & in paludibus. Ex carnibus conueniunt hœdinæ, & lactentiū animaliū, & ex his magis extremæ partes probe coctæ. Non inutiles sunt etiā uuluæ, & uentriculi, & pedes suilli. Ex oleribus ad cōmunem uictū cōferūt dulcia. Acriora uero aliquando danda sunt pharmaci loco, uelut est asparagus palustris, petroselinū, & similia. Moderata uero copia omnia accipiatur. Vinū sit tenue & albū & nō ualde uetus. Non autē aceruatim detur potus inter cibum, neq; magna copia potus exhibeatur, ut ne cibi in uentre fluitent. Acetum quoq; acerrimū cochlearij mensura post omnē cibum absorbeatur ubi iam uult dormire. Sed & pleraq; obsonia in aceto tincta edere conuenit. Præstat autem aceto ammiscere parū de scilla, & ruta, & aristolochia tenui. Posidonij. Cōmodum est autē ad inflationes tale oxyporium præparare. Ligustici, seminis apij, zingiberis, thymi, singulorū unc. I. mellis despumati quantum satis est. Dato cochlearij dimidiū mane, & uespere similiter. Quod si mellis dulcedinē auersentur, salem concoctoriū eiusmodi ipsis præparato. Scillæ assatæ unc. I. salis ammoniaci quincuncē, seminis apij, fœniculi, thymi, petroselini, anisi, sinonis, zingiberis, singulorum drac. IIII. panis puri sicci quincuncē, piperis sesquiunciam. Ex hoc cochlearij mensurā edendam dato cum cibo, prout uoluerit. Detur etiā ipsis antidotus theriaca ex quibusdam interuallis, & præsertim hyeme, & inchoante uere. Rufi. Vomant ex lōgioribus interuallis etiā à cibis. Verum à raphanis, aut origano, aut thymo ieiuni. Non tamen fortioribus uomitorijs utendū est. Sunt enim talia nociua in his, ærumnā uentri ac stomacho addentia, iam antea ex morbo afflicto. Videntur enim aliqui ex efficacioribus uomitorijs melancholia correpti. Proinde operæpretiū esse nosse, quòd multi sic ægrotantes, in tēpore curationis nihil cōmodi perceperunt. Dimissa uero curatione restituti sunt, natura ante curationem præualente cōtra morbos debiles ex medela factos. Quapropter naturæ remissionē dare oportet. Videtur enim unà cū curationibus affligi. In quiete uero inualescere, & superare morbos iā antea attenuatos.

De insania lupina aut canina appellata. Ex Marcello. Cap. XI.

Qui morbo lupino siue canino appellato corripiūtur, in februario mense noctu exeunt, per omnia imitantes lupos aut canes, & usq; ad diem monumenta maximè aperiunt. Cognosces autem ita affectos ex his signis, pallidi sunt, & uisu imbecilli, & oculos siccos habent, & nō lacrymantur. Videbis etiā ipsos cauos oculos habere, & linguā siccam, & saliuā omnino nō profundunt. Sunt quoq; siticulosi, & tibias habent exulceratas immedicabiliter, propter assiduos casus & canum morsus. Ac talia quidem sunt signa. Nosse uero oportet melancholiæ speciem esse hunc morbum. Quem curabis tempore accessionis uenā secando, & sanguinem usq; ad animi deliquium euacuando, & ægrum boni succi cibis nutriendo. Vtatur autem balneis dulcibus. Deinde sero lactis per triduum usus, hiera ex colocynthide Rufi, aut Archigenis, aut Iusti purgetur, iterū atq; iterum ipsam sumēs ex interuallis. Post purgationes etiam theriaca ex uiperis utendū est, & alia adhibenda in melancholia iā antea relata. Ad uesperam uero inuadente iam morbo, irrigationibus capitis somnum inducere solitis utendum est, & talibus quoque odoramentis. Nares item opio illinantur. Quandoq; uero etiam somnifica in potu exhibeantur.

De incubo. Posidonij. Cap. XII.

Qui incubus appellatur non est dæmō, sed magis præludium & procemium morbi comitialis, aut insaniæ, aut syderationis. Nam cruditates ex uoracitate affectionē præcedunt. Dum enim uentriculi cerebri uaporibus crassis ac frigidis implentur, prohibent hi facultates per neruos transire, & morbū ægrè excitabilem efficiunt, & qui uix ad rectā actionem perducitur. Vnde etiā immobiles penitus tales permanent. Præcedit enim incubū suffocatio, uocis priuatio, grauitas, & immobilitas. Per multā uero anxietatē attenuato ac discussu spiritu, & apertis meatibus derepēte excitātur. Cauendū igitur est à malo dum in principio est. Inueteratū enim & assiduè incidens, quosdam ex relatis morbis inducit, dum paulatim in uētriculis cerebri crassus humor coaceruatur. Quæcūq; enim patiuntur comitiali morbo correpti in exacerbationibus, eadem perpetiuntur incubo presi dum dormiunt. Si quidē igitur sanguis redundat, uenā in cubito secare oportet. Si uero uitiosi humores magis prædominantur, purgatio facienda est per hierā Archigenis. Maximè autē opitulatur ipsis hoc. Corticis ueratri nigri drach. I. scammoniæ obol. III. anisi, aut dauci, aut petroselini parum. Diæta uero sit tenuis & penitus flatus exors. Auxiliatur etiam ipsis niger pæoniæ fructus, si quindecim grana trita cum aqua in potu exhibeantur. Rigare uero oportet etiā caput oleo anethino calido, & pileo cōtegere ubi cubitum uadit æger.

De morbo comitiali. Galeni. Cap. XIII.

Tres sunt morbi comitialis differentiæ. Omnibus autē cōmune est, cerebrum affectū esse. Aut primariò cōsistēte in ipso affectione, aut per cōsensum oris uētris. Raró autē fit etiam tertia species ex parte quadam, in qua incepit affectio, & deinde sensibiliter ægroto ad caput ascendit. Atq; hanc speciē in puero quodā uidi, qui principiū affectiōis in crure habebat, & postea per tempus quoddam per femur & lumbos ac spinā ad collū & usq; ad caput ascendebat. Vbi uero caput pertigisset, nō amplius sui cōpos erat. Tale quiddam contingit etiā in his, qui à scorpio, aut aliqua alia uenenū eiaculante bestia icti sunt. Quidam enim ictus à scorpione, grandine se impeti putare dixit. Et erat totus subfrigidus, & frigidū sudorem excludebat, & medicamentis adhibitis uix seruatus est. Non igitur impossibile est circa aliquos non principales partes eiusmodi essentiā generari, citra externā causam. Et hāc ipsam ubi in neruosa parte cōstiterit, uim suā per continuitatē ad neruorū principiū transmittere. Posidonij. Cōuulsio sequitur ad morbū comitialem, eò quòd principiū neruorū affligitur ab infestantibus ac molestiā exhibentibus. Quemadmodū enim stomachus, dū aut alimēti copia grauatur, aut ab acri humore mordetur, non solū singultū, sed etiā conuulsionē inducit: Sic etiā principium neruorū ad talem motū perducitur, dum reijcere conatur quicquid tandē fuerit id quod ex primariò affecta parte ad ipsum affertur. Cæterum ordinati aut inordinati circuitus ipsis fiunt iuxta diætæ modum. Aut enim per omnia æqualiter diætā habent ægri, aut inæqualiter & inordinatè. Irruente igitur comitialis morbi

exacer

Remissio ...

exacerbatione, conuulsas & obtortas partes deligare oportet, inungereq́; ac dirigere. Deinde disparato ore pennã oleo illitã immittere, cyprino præsertim, aut irino, aut narcissino, & uomitũ iritare, quo incumbentes stomacho humores extrahantur. Oportet etiam odoramentis sensum iritare, uelut peucedano aut succo cyrenaico. Perseuerante uero exacerbatione, Medicus confidenter cogens, ac mandibulas diducens castorium ori infundat, & succum cyrenaicum cum aceto mulso. Reuocatis autem ipsis, per sedem infundatur centaurij ac calaminthæ decoctũ, aut aristolochiæ. Deinde recuperatis uiribus, per hieram Galeni ex colocynthide purgetur. Eiusmodi sanè est recentis & acuti comitialis morbi curatio. Deinceps autem quæ ad inueterati demolitionẽ pertinent tra demus. Oportet itaq; ægros in longo aquę potu cõtinere, & in curationis aggresisione, si nihil impedierit, uenam secare, & intermisis diebus quatuor aut quinq; corpus reficere, ac sic infrà euacuare, maximè per ueratrũ nigrum, aut colocynthidẽ. Veratri autẽ corticem siccum tundere ac cribrare oportet, & eius drach. I. cũ aqua mulsa præbere. Aut modico pipere addito melle excipere, & catapotia deuoranda dare. In colocynthide uero eiecto semine, & relicta medulla, uinũ dulce infundito, ac per noctẽ sinito. Mane uero uinũ excolatum ac tepefactum bibẽdum dato. Post sufficiẽtem purgationem lauare ipsos oportet. Tertia deinde die cucurbitas affigere præcordijs ac dorso cum scarificatione. Deinde intermisis aliquot diebus ac refecto corpore, purgare per hieram Galeni ex colocynthide. Postea uero, etiam capiti cucurbitas affigere. Et sequenti die cataplasma capiti adhibere, ex pane cocto cum aqua mulsa, amygdalis amaris simul cõtritis, aut serpillo, aut calamintha, aut mẽta, aut ruta. Et hoc faciendum est per triduum. postea radendũ est caput, & illinendũ peucedani succo in aceto diluto. Aut spondylium, aut serpillũ, aut iris in aceto coquatur, & facta intermissione, rursus ex hiera drach. III. solum dato. Deinde sternutatorijs utendum est, & pituitam per os ducentibus, & narisusorijs, ita ut cyclamini succũ naribus infundamus, aut ipsam radicẽ siccam tritam insufflemus, aut elateriũ cum lacte. Et rursus facto interstitio, clysteri ex centaurio & colocynthide utere. Deinde sinapismũ capiti adhibe, & eduliorũ acriũ esu per interualla utere.

Quæ arguunt morbum comitialem. Cap. XIIII.

Arguunt comitialem morbum & eo affectos collabi faciunt suffita, bitumen, lapis gagates, cornu ceruinum, odor hepatis caprini assati, & ipsum hepar dũ editur.

Quæ collabentes comitiales excitant. Didymi. Cap. XV.

Si magnum pedis ægri digitum diuiseris ex quacunq; parte, & destillante sanguine labia ipsius collapsi illeueris, statim excitabitur. Asclepiadæ odoramentum excitans comitiales. Sagapeni, piperis, castorij, amygdalarum amararum, radicis peucedani, spõdylij, galbani, singulorum drach. II. silphij drac. I. opobalsami drach. I. aceto dilue ac pastillos efforma. Vsu uero expetente aceto dilue ac naribus subline. Vtendum est hoc in exacerbationibus. Facit & ad uteri strangulationes. Pharmacum hoc repositum seruetur in ærea pyxide, quam naribus ægri admouebis. Aliud. Galbani, spondilij, aut serpilli, æruginis rasæ, castorij, acori, singulorum drach. IIII. succi peucedani drach. II. aut radicis drach. III. succi cyrenaici drac. I. opobalsami drac. I. piperis grana XXIIII. amygdalas amaras decorticatas XXX. picis liquidæ quãtum satis est, aceti tantundem. Excipe & utere.

Auxilia ad comitiales. Dioscoridis. Cap. XVI.

Ad comitiales facit rutæ syluestris semen cum aqua potum. Et spondylium eodem modo. Item radicis bryoniæ drach. I. seminis siue fructus balsami drach. III. Cardamomi drach. I. Ramentorum loti arboris cremor. Foliorum quinquefolij drach. I. quotidie pota. Testudo terrestris cocta ac delincta. Laser cum cibo acceptum. Summe uero prodest castoriũ post aliquam purgationẽ acceptum, ad dies quinq; aut plures, drach. I. pondere cum aqua mulsa. Et eboris ramenta magnopere profuisse cognouimus, ad dies quinq; aut plures. duorum cochleariorum mensura quotidie pota cum aqua mulsa. Ex Asclepiade. Oxallidem, siue rumicẽ acutum, uiridem pręsertim, quotidie dato à prima lunæ usque ad trigesimã. Eadem oxallis herba uiridis data cum uino delyrantibus, in naturalem statum eos restituit. Aliud, ut ne asiduè cadant inquit Archigenes. Eryngij montani appellati, cuius folia angusta & parua, & flores auricolores & oculorum speciem præferentes. Huius radicem contũdito ac diligenter cribratam reponito. Et ex hac mystra duo ad dies quinque dato, sufficienti melle adiecto, ut eclegmatis crasitudinem habeat. Et hoc facito ex interuallis ut trecẽtos sexaginta quinque dies expleas. Qui enim hoc pharmacum per anni spacium, hoc est trecentos sexaginta quinq; dies sumit, ab hac affectione non corripietur. Aliud. Scillæ assatæ internæ partis tritæ, anethi, singulorum acetabulum, apij acetabula tria. Excipe melle, & nucis ponticæ magnitudine exhibe cum aceto mulso. Et qui bibit si potest, currat. Sin minus, concitatè deambulet. Aliud Asclepiadæ. Folijs oleæ XXV. & castorio cum aceto mulso usus est Themison. Facit ad comitialem morbum & elephantiasim. Est & hęc theriaca bona. Seselis drach. V. scordij, castorij, cinamomi, seminis trifolij, singul. drach. VI. staphidis syluestris drach. III. gentianæ drach. VIII. aristolochiæ drach. VI. pyrethri drach. VIII. euphorbij drach. V. piperis albi drach. X. opobalsami drach. III. succi cyrenaici drach. III. Excipe aceto mulso simplici, & dato comitialibus cum aqua mulsa drachmas tres, elephantiasi uero affectis sesquidrachmã præbe. Aliud. Quo Serenus utebatur ad comitiales, cui nullum cõparari potest. Idem concoquit & euacuat. Castorij, ueratri nigri, scammoniæ, singulorum drach. II. opopanacis, cumini thebaici, centaurij, nitri, sulphuris uiui, abrotoni, ammoniaci thymiamatis, seminis rutæ syuestris, absinthij, singulorum drach. I. cõtusa & cribrata excipe aqua, & efforma pilulas fabæ Aegyptiæ magnitudine, & unam quotidie præbe cum aceti mulsi cyathis IIII. Diuina huius cõpositionis uis est. Recipit autem simplicia XII. & habet drach. XV. Aliud. Coagulum leporis quotidie ieiunus bibat erui magnitudine aqua dissolutum. Si non adest leporinum, hœdino utatur. Aliud Archigenis. Ad comitiales, & qui per circuitũ cõuelluntur, & à uolulo uexatur, & ex diuturno capitis dolore laborãt. Castorij, abrotoni, radicis panacis, pyrethri, croci, singul. drac. VIII. seminis rutę syluestris, myrrhæ, piperis

piperis, singulorum drach. IIII. Terito in aceto mulso scillitico, & pastillos drachmales formato, & unũ exhibeto non febrientibus cum aceto mulso. Febrientibus in remissione ac interuallo cũ aqua mulsa per triduũ. Deinde interposito triduo, rursus per aliud triduum dato. Facit etiam ad arthriticos. Ducit mulieribus menses, si nouies per interualla uelut diximus bibatur. Aliud consimilis usus. Castorij, piperis, radicis panacis, singulorum drach. VIII. pyrethri, staphidis syluestris, abrotoni, seminis rutæ, zingiberis, acori, dauci, singulorum drach. IIII. croci, iridis, cardamomi, singulorum drach. II. Dato ex hoc arido cochlearium cum aqua mulsa. Facit ad comitiales, resolutos, & tremulos.

De his qui ex stomacho primariò affecto, comitialis morbi modo exacerbantur. Galeni. Cap. XVII.

Quando stomacho primariò affecto fit morbus comitialis, oportet ægro præcipere ut bonæ concoctionis studiosus sit, & circa horam tertiam panem accipiat probe præparatum, ex uino ueteri albo & tenui diluto ac leniter adstringente. Dato autem ipsis etiã amarum ex aloë pharmacum sæpe in anno. Dicetur autẽ amplius de his qui ex stomacho comitialis morbi modo affliguntur, in Sermone de stomachicis. Multum uero prodest ipsis seseli, & spõdylij radix ac semen, & aristolochia, cum aqua trita pota. Auxiliatur his magnifice & uenæ sectio à talis & poplite, si assiduè fiat. Noui etiam puerum qui omnino non corripiebatur comitiali, ex quo pœoniæ radicẽ gestabat magnam & recentem de collo suspẽsam, ut indesinenter stomachum contingeret.

De his qui ex parte aliqua habent morbi comitialis causam. Posidonij. Cap. XVIII.

Quibuscunq; uero ex alia manifesta parte morbus comitialis principium habet, uelut in prædicto puero ex crure: Post totius corporis euacuationem, ungentis locum prius excalfacere oportet. Deinde epithema ex seminibus imponere. Et ex emplastris quæ rarefaciunt & intemperiem transmutant: Quale est quod Ebrietas appellatur, & quod ex althæa paratur, & mnasææ inscriptum. Postea uero phœnicinũ appellatum. Post temporis autem interstitium dropaces ac sinapismi loco adhibeantur. Et sic quidem adolescentes ac iuuenes, & inclinatę ætatis homines, fortiter curare oportet.

Curatio senum ac puerorum comitiali correptorum. Cap. XIX.

Senes autem & pueri affecti hoc modo curentur. Corporis equidẽ euacuationes in his uitare oportet per purgantia medicamenta. Imbecille est enim & senibus & pueris corpus, ad resistendum fortitudini purgatiuorum. Per clysterem uero euacuandi sunt pręsertim senes, ex centaurea, aristolochia, polypodio ac anetho. Sed & manducationum usus senibus conuenit, & gargarismatum, ac eorum quæ naribus indũtur. At uero pueris simplicissima infusa immittantur. Frictoriorum quoque ac sinapismorum simpliciorum usus pueris adhibeatur. Senibus autem efficaciorum. Sed & antidoti præscriptæ senibus sunt exhibendæ.

Curatio ualde senũ comitialium. Posidonij. Cap. XX.

Valde senibus cõsulendum est, ut uictu solum calidiore utantur, & ut bonæ concoctionis rationẽ habeãt. Impossibile est enim eos qui cum hac affectione cõsenuerunt, humana ope curari, ac à morbo liberari. Quibus autem temperaria est affectio, ab aliquibus occasionibus allapsa, etiamsi ualde senes fuerint, ab ipsorum curatione desperandum non est.

Curatio puerorum recens natorum comitialium. Posidonij. Cap. XXI.

Afficiuntur etiam recens nati pueruli à morbo comitiali, & difficilem curationem habent, non tamen desperatam. Possunt enim ipsorum matres aut nutrices calidis cibis ac potibus nutriri, quo lac semper calidius ac tenuius fiat. Possunt etiam capita infantium puluisculis calidioribus conspergi, uelut est cyperus, adiantum, iris. Oleo item anethino assidue illini, & irino, ac amaracino calidis. Lauari quoq; possunt, ita ut caput non rigetur, neque calida, neque frigida. Nisi ubi opus fuerit sordes detergere per spumam nitri ac mel, & sic caput solum calida abluere, non autem immergere. Dandum est etiam ipsis mel despumatum ad delingendum. Et collo alliganda est pœoniæ radix recens, ut semper stomachum contingat.

De fatuitate. Cap. XXII.

Fatuitatis quoq; ac delyrij curationem aggredi oportet à principio generationis ipsorum, si partes corporis uniuersæ, & pręsertim capitis, moderatè se habuerint, & si rationem antea moderatam ac integram habuerunt, postea uero dementes apparuerunt. Oriuntur ambæ affectiões frigidiore cerebro facto, aliquãdo ex sola qualitate, uelut fieri solet in profectionibus dum pluuia caput frigefacit, aut etiam uehemẽs uentus. Aliquando uero etiam modica pituita ad cerebrum illapsa. Differt autẽ fatuitas à delyrio, quòd fatuitas quidem consequentia & dicit & facit: Delyrium autem transgressionem inconsequentem habet, & sermonem alium alij cõnectit, ita ut posterior nihil commune habeat cum priore. Delyrium item senibus plerunq; accidit. Fatuitas autem & in pueris, & adolescentibus, ac reliquis ętatibus, ex prægressis quibusdam morbis consequitur. Cæterum curatio amborum morborum cõsimilis est ei quæ ad comitiales relata est, per calefactoria auxilia similiter fiẽs, non tamen similiter siccantia.

De memoria amissa. ex Rufo ac Galeno. Cap. XXIII.

Memoriæ detrimentum sæpe in quibusdam morbis factum esse compertum est, læsa simul etiam ratione. Ita ut affectio quidem utraque eadem sit, intendatur autem quãdo unà cum memoria etiam ratio perijt, quod sane fatuitas appellatur. Pereunt autem ambo hæc in lethargo, & omnibus affectionibus soporiferis. Vnde etiam curatio ad prędictas affectiones descripta adhibetur instantibus iam morbis. Contingit autem hoc etiam ex peste, quemadmodum accidit in peste Athenis facta. Si uero irruerit aliquando ex aliquo prædictorum morborum, soluto iam in totũ, & in obliuionẽ transeunte: considerare oportet qualitatem magis prædominantem, hoc modo. Sola quidem humiditas redundans, profundos ac lõgos somnos facit. Sola uero siccitas, uigilias. Si uero frigiditas fuerit cum humiditate, soporiferę ac stupidæ affectiones fiunt. Si uero humiditas fuerit cum modica frigiditate, memoriæ detrimentum & fatuitates succedunt. Quum autem multa sit differentia temperaturarũ, pro maioris ac minoris ratione, multiformis fit uarietas causarum animales actiones lædentium. Obseruare igitur oportet somnos eorum qui

qui memoriam perdiderunt, aut intelligentiam: Intelligentiæ enim amisio fatuitas est: utrum somnolenti sint ualde, an moderatus ipsis sit somnus. Ita enim repereris intemperaturam prædominãtem. Insuper autem considerandum est utrum multa excernantur per os & nares de humoribus ex capite delabentibus, aut siccæ appareant partes hæ. Si quidem igitur frigiditas sola est, calefacere solũ cõuenit, non item siccare. Si uero cũ siccitate fuerit frigiditas, calefacere ac humectare. Atq; ego sane noui quendã qui ferme memoriam amiserat, & ratione læsus erat, ob studium & uigilias circa disciplinas. Alium item uinitorem ob uineæ labores similiter affectũ. Et uterq; ipsorũ palàm à calefacientibus ac siccantibus lædebatur: Ab humectantibus uero simulq; calefacientibus opem sentiebat. His autem prædistinctis curationem annectamus. Si igitur ob purgationes quasdam, aut alias immodicas euacuationes, aut animi deliquia, fractis uiribus, memoriæ detrimentum succedat, refectoria diæta uti couenit, nihil aliud curiosius moliendo. Roboratis enim corporibus & collectis uiribus, restituitur etiã memoria. Eodem uero modo si propter extremã senectutem accesserit memoriæ detrimentum, non oportet curiose quid moliri, sed solum conueniente diæta contentum esse. Quibus autem derepente deficit memoria, alia uero sana esse uidentur, in his comitialem successurum timere oportet, aut resolutionem, aut etiam syderationem. Et in summa magnum quoddam malum in ipsis comperies. His igitur sufficiunt aliquando præseruationes à morbis imminentibus. Dum enim morbi aduentum prohibemus, ex hoc etiã memoria conseruatur. Prohibent autem prædictos morbos, primum attenuans & incisoria diæta. Deinde etiam purgationes conueniunt, & similia. Si uero ex morbis uelut dictum est irruerit, uelut lethargo aut peste: horum curationem contentiosius aggredi oportet. Summa uero medelæ est in calfaciendo uniuersum ipsorum corpus, intrinsecus ac extrinsecus, iuxta mensuram euariationis habitus naturalis. Calefactoria quę ferme talibus conueniunt æstate quidem oleum per se callidum: hyeme uero irinũ cum aceto acriori, aliquando serpillo, aut spondylio, aut calamintha in ipso cocto. Aliquando etiã nitro iniecto & pipere, aut baccis lauri. Commodum est etiam castorium cũ oleo occipiti adhibitum. Auxiliatur autem his maiorem in modum hieræ Rufi purgatio. Quandoque enim inquit huius solius purgatione usus, multum profeci in purgando, quum nihil boni secum detrahat. Incipit enim superne à capite detrahere, & postea etiam alias partes pertransit, nullam uiolentiam, nullum dolorem inferens, non ardorem, nõ stomachi dolorem, non sitim. Verum semper pro euacuationis ratione alleuat. Vnde etiã stomachum corroborat per purgationem, ut ciborum quoq; appetentiã augeat. Creditur etiam post purgationem per hieram, eboris ramentum memoriæ opitulari, drachmæ pondere potum cum aqua mulsa, & similiter cerui cornu. Quin & castorium similiter drachmæ pondere potum, post purgationem cum aqua mulsa magnopere prodest. Maximum auxilium est & ueratri albi potio, non uelut quidam putant postremum, sed ab ipsa recte etiam quis incipere posit. Quid enim opus est diu & multum laboribus fatigari, quũ ex maximo auxilio maximam medelam consequi liceat? Quare citra omnem formidinem ueratrum dãdum est, priusquam ęger per morbum excoletur, & uires auxilij exiles fiant. Commoda sunt quoque sternutatoria ex ueratro albo & castorio, naribus admota post euacuationes: & quæ naribus induntur ac infundduntur: & quæ pituitam per os detrahunt. Alimentum uero conuenit friabile & aliquo modo calefactorium ac attenuatorium. Ab oleribus autem omnibus frigefacientibus abstinendum est, & à fructibus ac bellarijs, caseoq; ac lacte, & à cibis crassefacientibus ac inflantibus. Alia enim ex ipsis spiritum cõturbant, alia dẽsant. Acriora uero ex interuallis exhibeantur, uelut sunt allia, thymbra, origanum, pulegium, & raphani. Sed & horum copia uitanda est. Semper autem cruditas cauenda. Nam cruditates omni re magis mentem uitiant. Vinum his conuenit tenue, album, & non ualde uetus. Per moderatam enim caliditatem tum alia non pauca potest, tum animam mãsuefacit & ad tripudia aptam facit, motum ei præbens concinnum ac sedatum. Multus autem aquæ potus, & adhuc magis uini, pessimus est. Caput enim ualde humectat. Multa autem humiditas obliuiosissima est. Somnus sit moderatus, & à repletiõe ne fiat. Veneris uero usus sit rarissimus. Neque enim ad totam sanitatem conducit, neque ad animæ ratiocinationes. Imò & tristitiã inducit, & lancinatio illa in coitu contingens, conuulsioni quodãmodo cognata est. Et perfrigeratio quæ succedit cõgelat quodam modo ac stupefacit intelligẽtiam. Cæterum post purgationes uniuersales ac locales, etiam sinapismus occipitis commodus est, & post sinapismum, balneum. Cruditas autem & lassitudo penitus uitentur, tum aliarum corporis partium, tum maximè capitis ac ipsius mentis: Vitandi quoque uehementes ardores ac frigora. Ambo enim caput replent. Vitanda & edulia crassefaciẽtia, & inflantia, ac humectantia. At uero si quis ex his progressum faciat, etiam in sanis qui humidius caput habent, uictus rationem commodam præscribere poterit, ut quis optimã memoria præstet.

De commorsis à cane rabioso, aut his qui aquam timent. Ex Rufo & Posidonio. *Cap. XXIIII.*

Quum canes natura calidi ac sicci sint, per æstatem ex ambiente nos aëre aliam caliditatem ac siccitatem acquirunt, & ob immoderatam intemperaturam insaniunt, & hæc insania rabies uocatur. Patiuntur autem hoc magis in illis regionibus, in quibus maximæ & inæquales ambientis mutationes inordinatè fiunt. In quibus & hyemes uehemẽtes fiunt, & æstus excellentes. Insanientes autem canes, & siti uehemẽti correpti potum nõ admittunt, eò quòd insaniunt. Vnde etiam magis intenditur ipsis ueneni malignitas. Signa canum rabiosorum hæc sunt. Muti sunt & adeo delyri ut ne familiarissimos quidem cognoscant, sed hos primum attingant. Cibum auersantur, & siticulosi quidem sunt, non tamen bibunt, & plerunque anhelant. Ore autem hiant, & linguam exerunt, ac saliuam largam & spumosam profundunt. Aures item inclinant, & caudam laxatam habent, segniusq; incedunt & uelut somnolentiores existunt. Si uero etiã cucurrerint, uelocius solito currunt intẽpestiuè ac inordinatè. Huiusmodi canes fugere oportet. Omnes enim qui à rabioso cane morsi sunt, si ne-

glecti fuerint, aut male curati, in affectionem timoris aquæ incidunt. Et hoc maximè patiuntur qui uitiosis humoribus repleti sunt. Vnde quidā statim ubi commorsi sunt, aquam & alios liquores timēt. Alij post quadraginta dies. Alij post longius tempus. Contingit autem ipsis grauior perturbatio, quum aquam, aut aliud quoddam pellucidum speculum uiderint. Aspiciunt enim faciem suam rubicundam, ac toruè tuentem, atque ira plenam. Fieri autem potest, ut quemadmodum aliqui dicunt, etiam canis à quo morsi sunt imaginem in aquis apparere imaginentur. Recordati autem formæ canis, cōfertim ab immodico timore corripiuntur. Hoc uero patiuntur ob immodicam siccitatem. Nam philosophus quidā morsus à rabioso cane, & generoso animo affectioni resistens, & inconsequens ratus canem in balneo apparere: apparebat enim ipsi quemadmodum etiā alijs hoc modo affectis: Ratiocinatus igitur & sic secum loquutus, Quid cani & balneo commune est? superauit affectionē, & sanatus est ab affectione, ubi citra timorem bibisset. Quum igitur aliquis à rabioso cane commorsus est, ei quàm celerrime per receptam curationē auxiliari oportet, etiamsi paruus & in superficie consistens fuerit morsus, de hac re certi, quòd nullus ex his qui non probe curati sunt effugit. Primum itaque uulnus maius facere oportet, osculo ipsius per scapellum diuiso ac dilatato. Deinde etiam fissuris incussis omnem circum circa locum uellicare, eo studio ut effluxum sanguinis multum per locum efficiamus. Vlcus uero cauterijs ignitis amplioribus inurere. Deinde porrum imponere, aut panem cum sale trito, aut cepas, aut allium. Et ubi crustę exciderint, ulcera ad dies quadraginta aut sexaginta à cicatrice arcere. Et si ad cicatricem peruenerint, rursus per cinerem uitis aut ficulneum, & similia ulcera resoluere. Hac de causa bonum est etiā folia marrubij, & anagallidem imponere. Hæc uero etiam à ceraste serpente morsis magnopere auxiliatur. Vlcus autem perfundendum est chamæmeli, & radicis rumicis acuti, quem oxallidem uocāt, decocto. Noui ego quendam senem, qui ubi quis morsus esset à rabioso carne, sola oxallide curabat. Nam & ulcus decocto perfundebat, & herba integebat, & de ipsa bibendum dabat. Et hoc pharmacum uelut robustū ualde laudabat. Mingunt aut homines qui ipsam acceperunt multa & intemperata. Et propterea morbum regium hæc expurgat. Nos uero etiam impetiginem ex ipsa cum aceto confrictam depellimus, & prurituí auxiliamur per eandem radicem. Vtimurq; etiam ipsa ad morsus canis rabiosi cum alijs auxilijs. Similiter facit etiam syluestris rumex aculeatus, radicem habens oblōgam, uelut raphanus paruus. Commodum est etiam ipsis pharmacum Galeni ex pice brutia. Est autem hoc. Picis brutiæ lib. I. opopanacis quadrantem, aceti heminas II. Opopanacem cum parte aceti terito. Residuum uero aceti ad picem adijce, & coque donec acetum cōsumatur, atq; ita ad tritum in mortario opopanacem diffunde, & unita excipe ac impone, & hoc pharmaco per dies quadraginta aut sexaginta utere, & nō permittet ulcus cicatrice includi. Bonum est & theriacam antidotū ex uiperis oleo rosaceo dilutā uulneri imponere. Sed & aridum hoc ipsis cōuenientissimum est. Salis fossilis drach. VIII. chalcitidis drach. XVI. scillæ drach. XVI. rutæ uiridis drach. IIII. æruginis rasæ drach. IIII. seminis marrubij drach. I. Reponitur siccatum in sole, in ærea pyxide. Vtere primum sicco, donec crusta inducatur. Deinde cum rosaceo, donec crustæ excidant. Sed & potamogeton cum sale impositus non permittit incidere in affectionem timoris aquæ. Vtere autem hac herba & humida & sicca. Danda est antidotus theriaca in potu per primos tres dies, nucis auellanę magnitudine. Neque enim aliquem noui, qui eam accepit aquę timore correptum. Nec uero ab alijs auxilijs abstinendum est, sed danda maximè est antidotus celebris ex cancris fluuialibus. Est autem compositio eius hæc. Cancrorum fluuialium magnorum uiuorum, in uase æris rubri ustorum cineris dextantem, gentianæ quincuncem, thuris unc. I. preparandum est hoc pharmacum mense Augusto luna decima octaua. Si uero nō affuerit quod sic præparatum est, nihil de hoc curiosus sis, sed quocunq; tempore paratum exhibe uelut dictum est. Præstat tamen lignis uitis exustionē ipsorum facere. Dato cochlearij mensuram cū aqua calida ad dies quadraginta, si ab initio hac potione usus fuerit. Si uero non ab initio, sed post aliquot dies, dato quotidie cochlearia duo, donec impleueris quadraginta dies. Facit quoq; per seipsum cinis cancrorum potus, & cum melle uulneri impositus. Præparatur quoq; antidotus ex nucibus, etiam febricitantibus iam conueniens. Nam supra hoc quod affectioni resistit, etiam somnum conciliat. Compositio eius hæc est. Sagapeni drach. II. opij thebaici drach. II. croci sesquiscrupulum, lycij indici scrupulos XI. & dimidium. carnis nucum iuglandium non ualde ueterum drach. XL. excipe & exhibe drach. I. cum aqua pluuiali calida ad noctem, post uigorem febris. Ita ut mane quidem antidotū ex cancris, uesperi uero ex nucibus præbeas. Quòd si hæ antidoti non adsint, dato confectionem cyphi appellatam, siue eam quæ ex rebus XXXVI. constat, siue eam quæ ex XXVIII. paratur, habueris: cōmodus est etiam succus cyrenaicus aut parthicus, fabæ magnitudine deuoratus. Quidā hepar ipsius canis qui momordit coctum præbent commorso. Mergi quoque iecur assatum datum cū oleo ac modico sale commodum est. Aiunt enim ita efficax ipsum esse, ut ęger euestigiò aquam petat. Sed & hippocampus marinus assatus comestus prodest. Sanguinē enim ipsius amorē aquæ inducere dicunt, & formidini aquæ resistere. Vnde iterū atq; iterum hippocampum edere iubent. Et ipsos hippocampos cum acri aceto tritos ulceri imponunt, & hoc pharmaco sæpe rabiem superarunt. Quin & catuli coagulū cū aqua datum, utilissimè ab ipsis bibitur. Et ubi semel ipsum acceperint, assidue cōmouet ipsis potus cupiditatem, & bibunt etiam alios liquores intrepide. Oportet autē catulum non multorū dierum esse, sed recens natū & adhuc lactentem. Prodest ipsis etiā leucanthemū herba pota. Tantam autē eius uim esse aiunt, ut si ex ea fundum poculi sublinatur ac exhibeatur, ipsi libenter potum accipiant. Idem etiam de chamæmelo traditur. Vtilissimum autem est ipsis bitumē Iudaicum potum cum aquæ cyathis tribus. Datur ex ipso perfectis scrupulus unus, aut, uelut aliud exemplar habet, drachma una. Vtiliter etiam datur syluestris fici uirgultorum cortex siccatus ac tusus & cum aqua potus. Et lycium indicum. Et absinthium,

thium, & scordiũ, & centaurea parua. Aristolochia, artemisia, chamedrys, bryoniæ radix, polium, laser, cancrorum fluuialium decoctũ multo anetho cũ ipso cocto. Substernitur autem commode & insternitur ipsis ursæ pellis, & phocæ. Sed & hyænæ pellis efficacissima est, ut ipsis intecta uelociter mentẽ in integrũ restituat. Quin & pellis hyænæ exusta, ita ut cinis in potu detur, affectionem formidinis aquæ sedat. Cognitionẽ autem an homo à periculo liberatus sit, ex his sumito. Vlcus nucibus regijs leuissimè tritis intege. Sequenti uero die solue, & cataplasma gallo aut gallinæ edendũ obijce. Si enim ex eius esu nõ mortui fuerint, tunc ulcus ad cicatricẽ perducito, nimirum uelut liberato ægro à periculo. Vtere autẽ eodem etiam ab initio ad dinotionem. Si enim gallina ex esu cataplasmatis prima die impositi ulceri nõ moritur, scito non à rabioso cane hominem morsum esse. Si uero mortua fuerit, ulce uersa. Primum enim ne attinget quidem. Si uero à fame coacta ederit, morietur, si rabiosus canis fuerit. Hoc igitur quotidie alterare oportet, donec ex eius esu gallina non moriatur. Cæterum ulcus ipsum optimè ac tutissimè ad cicatricẽ perducit antidotus theriaca, cum rosaceo diluta. Vlceribus autem ad cicatricem perductis, ueratrum album præbeatur ad totius affectionis destructionem. Nam & rabiosi canes hoc cũ polenta accepto uomunt, & statim resipiscunt à rabie liberati. Fieri etiam poterit quod opus est, si per Rufi hieram infrà purgaris, ubi quid prohibuerit ueratri acceptionem. Danda est etiam quotidie hiera, non ad purgationem, sed tanquam auxiliare medicamentũ, nucis auellanæ magnitudine, cum cyatho decocti saluiæ, aut herbæ sideritidis, quam heracleam appellant. Quidam etiam sola ipsa utuntur, & multum prodesse dicunt, & propterea etiam Alyssum, ab eo quod rabiem eximat, ipsam nominant. In uictu indigentia & repletio uitanda sunt, & magis indigentia. Nam indigentiæ humorum malignitates augent, quod nequaquam commodum est ulceri maligno. Quapropter alimentum moderari oportet, quo & probe concoquat corpus, & succulẽtissimum ex bono succo fiat. Quin & egestionum quotidianarũ & mictionum cura habenda est. Ad hoc autem faciunt & prædictæ radices, & scandix comesta, & fœniculum. Cretinum autẽ tum uentrem, tum urinam mouet. Cichorium uero syluestre etiã stomacho cõmodum est crudum comestum. Appellant ipsum aliqui serim, aut picridem. Cõmodus est & brassicæ asparagus, & asparagus palustris, & rumex hortensis, & agrestis, & acutus. Et ex piscibus qui tenerã carnem habent gammari & cancri, & herinacei recentes cum uino mulso. Ex carnibus extremæ partes, & uolucres omnes montanæ, concoctu faciles ac boni succi. Vinum tenue & albũ, non ualde uetus. At uero præseruationis gratia singulis annis appropinquante cotẽpore, per hieram præpurgari oportet. Et instante iam die theriacam antidotum accipere per triduum.

De cerebri inflammatione. Cap. XXV.

Cerebrum inflammatũ sæpe ita intumescit, ut etiam suturæ capitis disparentur, & dolorem maximum ac exurentem compressis membranis inducit. Consequitur nausea stomachi multa, & bilis uomitus, & rubor multus in facie consistit, & oculi prominent, & facies intumescit, itemq; totũ caput. His ergo uena secanda est à cubito. Oportet quoq; à naribus & uenis sub lingua sanguinem euacuare. Vtere etiam irrigationibus capitis, quarum usus aliàs ad inflammationes adhibetur, & cataplasmatis humectantibus & concoquere ac maturare potentibus.

De erysipelate cerebri. Cap. XXVI.

Fit & erysipelas, hoc est, ignis sacer, in cerebro, & patitur æger hæc. Dolet totum caput, & uidetur sibi flãmã in ipso habere. Et facies ipsius frigida est, itemq; præcordia. Et os siccatur. His igitur uena secetur, & præsertim uenæ sub lingua incidantur. Forinsecus autem adhibe capiti frigefacientia ungenta, & pastillos quibus ad erysipelata utimur.

De syderatione. Ex Galeno. Cap. XXVII.

Syderatio propter repẽtinum exortum, indicat humorem crassum, aut frigidũ, aut uiscosum implere principaliores cerebri uentriculos, & non propter intẽperiem totius essentiæ eius fieri. Magnitudinẽ itaq; periculi, ex magnitudine læsionis respirationis cõiecta. Quum enim respirationem multũ impediri, & uix fieri uideris, non paruam morbosam affectionẽ cõijce in cerebro factam esse. Est autem syderatio Græcis apoplexia appellata, priuatio sensus & motus totius corporis, unà cum læsione principaliũ actionum, derepente incidens. Ex Archigene. Syderationis affectio ex natura magna est, & uehementer acuta. Contingitq; ut qui periculũ effugerunt in diuturnũ morbum incidant, resolutionis aliquarum partium, aut etiã totius corporis, aut etiam uiolatæ rationis. Senibus autẽ magis accidit affectio, & magis in hyeme, & cõstitutione frigida, & ex uehemẽtibus cruditatibus, & ardoribus uehementibus, & immodico uini potu ac ebrietate. Talia enim habitũ perfrigerãt. Et in summa qui in hanc affectionẽ collapsi sunt, uiuentes sunt cũ mortificatione, aut cũ tota sensus priuatione. Primũ igitur corpus oleo calido inungendũ est. Caput autẽ rigãdum rosaceo cum aceto. Coquendũ est autẽ in aceto serpillum aut spondiliũ. Odoramenta quoq; adhibenda sunt, castorium, opopanax, & galbanum. Et aperto ore instillandũ est acetũ mulsum. Et pinnæ oleo cyprino, aut irino, aut narcissino imbutæ immittendæ sunt, & uomitus prouocandus, & sedes assiduè illinenda cũ ruta & cumino, addito nitro ac melle, ad flatus prouocãdos. Si uero hæc nihil profecerint, clysteribus utendũ est ex decocto surfurum, & cucumeris syluestris radice, & centaurio, nitroq; ac melle. Aut ex muria cum melle ac oleo rutaceo. Enitendũ autem est ut quod infusum est emittatur, per lũborum ac uentris frictionẽ. Et si opus fuerit etiã digiti in sedẽ immittantur & obturamẽta educãtur. His peractis uenã secare oportet periculo prædicto. Detractio autem fiat è dextra manu, & copia eius qui detrahitur diuidatur. Commouere enim oportet tantũ, non exoluere uires, & calorẽ extinguere: Inspiciantur etiã pulsus in euacuatione, & faciei color, ac respiratio. Et si nihil mali cõsequitur, etiam repetenda est detractio. Post uenæ sectionem, adhibeantur odoramenta excitatoria, & uociferationes. Et corpus totum inungatur. Et si qua pars resoluta fuerit insigniter, hapso lanæ integatur sicyonio aut pingui ueteri oleo imbuto. Qui uero ad uenæ sectionem inepti sunt, primum ad uomitum, uelut dictum est, cõmoueantur, & sedes ipsorum illinatur his quæ flatus educunt. Deinde post illitiones, cucurbitis cõ-

cutere conamur magnis & fortibus, retrorsum iuxta lumbos affixis, & ubi per tempus aliquod attraximus, transferimus ipsas utrunque ad pectinem ac imum uentrem. Sæpe enim expresserunt ea quæ in uentre sunt, & simul cum expresione reuocarunt morbo occupatos. His uero nihil efficientibus, aliquãdo ipsi ausi fuimus ori hieram infundere. Et quũ suscipere non possent, quantum oportet, per clysterẽ infundimus. Et priusquam quicquam egereretur, accidentia concurrentia reuocarunt me ad ampliorem aggresionem. Et sane permittit hæc affectio, ac cogit uel temere omnia tentare. Hæc igitur in necessitate fiunt. Vbi uero tolerare possunt, etiam reliqua auxilia annecte. Febris tamen occupat hominem, alios prima, alios secunda die, & exhibet spem salutis ipsa calamitas febris. Sed neq; negligenda est. Verum si qua resident in intestinis, ea educere oportet. Si deorsum repant, per clysterẽ. Si sublimia sint, per purgatorium inferne pharmacũ, & maximè per hieram Archigenis. Post purgationem cucurbitæ præcordijs ac capiti affigantur cum scarificatione. Si uero aliqua compunctio etiam inferius fiat, illic quoq; scarificatio adhibeatur, præsertim in mulieribus, iuxta uteri regionem. Quòd si ad aliam quandam affectionem transitus fiat, curatio ad illam adaptetur. In summa uero prouidendum est in syderatis, ut facilis fiat per aluum ac urinas excretio. Curandum est autem ut accipiant cibos quotidie quidem, uerum paucos & leues ac calidos, & extersoria ui præditos, plenerq; cum melle edulcatos.

De resolutione ex Archigene. *Cap.* XXVIII.

Quum omnes nerui sensum simul ac motũ amiserunt, Syderatio appellatur affectio. Si uero iuxta alteram partem, siue dextram, siue sinistram hoc contigerit, Resolutio uocatur, illius partis uidelicet iuxta quam facta est. Conflatur hæc affectio, humoribus multis uiscosis ac crasis neruos obturantibus, per quos motus uoluntarij perficiũtur. Manifestũ igitur est quòd redundantem humorem euacuare oportet. Nec uero aptius principium in his reperire datur quàm à uenę sectione, si quidem permiserit ætas, habitus, tempus, studium, prægressus uictus, & reliqua quæ prohibere solent uenæ sectionem. Oportet autem moderatã detractionem facere, ut ne perfrigerentur. Frigiditas enim cum siccitate, uelut dictum est, affectionem inducit. Quapropter solum imminuenda est materia paulum per uenæ sectionem, & præsertim in prouectiori ætate. Detractio uero fiat à lanioribus partibus. In hoc autẽ tempore contecta esse oportet mẽbra, hapso lanæ oleo sicyonio aut gleucino imbuto. In prouectioribus ætate etiã castorium inspergendũ est irrigationi. At in his qui derepente resoluti sunt, uelut ex ardore, pręstat irrigatio ex lanis succidis, & oleo ac aceto, aliquãdo etiam nitro. Sæpe uero irrigationẽ renouare oportet. Cibus cõuenit his modicus. Sint autẽ sorbitiones alicæ lotæ, & succi ptisanę. Interpositis diebus quibusdã à uenæ sectione, aluus subducatur, primũ clysteribus. Deinde etiã per aloës & polypodij ac colocynthidis cremorem purgetur. Conuenit etiã hiera Archigenis pro uiribus accepta. Post purgationẽ cucurbitę affectis partibus adhibeantur. Si uero hæ ineptæ fuerint, uicinis affigãtur. Post cucurbitas utendũ est cataplasmatis ex semine lini, & fœno græco, ac ordei farina, cum oleo ueteri coctis, & pulueribus inspersilibus ammixtis. Aut etiã emplastris quæ acceperunt picem, resinam, mannam thuris, aliquando etiam bitumen. Egregiè facit & artemisia coincocta, & calamintha, ac ruta, & conyza. Postea uero etiam nitrum ammiscemus, & in muria cataplasmata coquimus. Modicam autem aquam esse oportet, quæ & ipsa in coctura consumatur. Postea autem pro lini semine, farinam loliaceam & fabaceam adhibere cõuenit. Optimum est & erysimum. Deinde cerata & ungenta adhibeãtur. Aluus autem semper facile solubilis sit. Catapotia ad resolutiones, tremores, & opisthotonicos. Succi cyrenaici, piperis, galbani, singulorum drac. I. passo dissoluito ac facito catapotia, & dato ex eis obol. II. & his acceptis absorbeant aquæ mulsæ cochlearia duo aut tria. Aliud ad tremulos, resolutos, & opisthotonicos. Myrrhæ, castorij, styracis, piperis, æqualibus partibus utere. Aliud. Opopanacis, sagapeni, castorij, myrrhę, succi cyrenaici, piperis, uirgultorum rutæ, singulorum drach. I. præpara catapotia & exhibe, & insuper absorbeant aquam mulsam. Vngenta uero idonea sunt huiusmodi. In aliquo ex prædictis oleo scillam macerare oportet in sole ad dies quadraginta. Si uero tale oleum non affuerit, in præsens scillæ sextantem in olei sextario coquere oportet. Similiter etiam canchry, hoc est libanotidis semine utendum est. Ammiscendum est & ceræ parum, & galbani, & propolis, aliquando etiam castorij unc. I. & adarces ac euphorbij, sing. drach. IIII. & nitri drac. IIII. Commoda est quoque ranunculus herba similiter pręparata. Manifestum est autem quòd à lenioribus incipere conuenit. Sed & cerata ex his parari possunt, adiecto pyrethro, baccis lauri, nitro, sinapi. Malagmata uero conueniunt ex baccis lauri, & quod uiride appellatur. Sæpe uero sufficit ceratum cyprinũ, largo sinapi ammixto, quod malagmatis usum exhibet. Conueniunt etiam smegmata ex fece uini, & aceto, & combusta adarce, euphorbioq; ac calce uiua parata. Sed & dropaces ipsis cõmodissimi sunt. Sint autem leuia omnia quę imponuntur, propter corporum debilitatem. Reuocat autem sensus etiã thapsia cum aqua illita aut cum aceto, post dropaces. Item illitio ex cantharidibus. Verum ulcerationes ex talibus fientes cicatrice citius includere oportet. Quin & sinapismi ipsis commodi sunt, & postea balneũ. Vtendum est post purgationem etiam potionibus ipsis conuenientibus. Castorium itaq; assiduè ipsis detur drach. II. pondere cum aqua mulsa. Et opopanax magnitudine fabæ, cum castorio, & sagapeno erui magnitudine ab ipsis deuoretur. Item succus cyrenaicus eadem magnitudine. Sed & sarmentorum uitis uiridiũ decoctum, à ieiunis assidue potum, ualde prodest partibus corporis resolutis. Vtilissima est etiã post purgationes & alias euacuationes, theriaca ex uiperis antidotus, & mithridatica. Est & simplicius pharmacũ ualde celebre ad huiusmodi affectiones, hoc. Castorij, seminis rutæ syluestris, opopanacis, sing. obol. II. pyrethri obol. I. acori tantundẽ, piperis grana X. Cũ aquę mulsæ cyathis II. dimidiũ huius totius primũ dato, robusto uero totũ. Vniuersa uero curatio à capite initiũ sumat. Hoc enim radix est & principium totius affectionis. Quapropter illitiones ipsius sint, castoriũ, peucedanum, baccæ lauri, & menta. Hæc modico acri aceto excipiãtur, addito irino

ut q. in vini ... ne uti ... ergo fallaris ... frigidam et humidam

... fit.

irino ungẽto, ut liquidioris cerati crassitudo fiat, & illinatur ex hoc totũ caput usq; ad frontem. Sed & odoramenta eiusdem generis adhibeantur. Postquã autem aluus efficaciore clystere praeeuacuata est, & totũ corpus iam minus superfluitatum habet, cucurbitae capiti adhibeantur cũ scarificatione, primũ quidem tali quae multum sanguinem extrahere potest. Deinde uero moderatiore. Hoc autem auxilium saepe adhibendũ est, leuibus & inanibus cucurbitis primum capiti circumpositis, & deinde locis agglutinatis. Sic enim affixę nihil minus quàm repetita sanguinis detractio possunt. Tonsura uero non solum cucurbitarum gratia, sed etiam per seipsam assiduè fiat. Si uero ambiens nos aër non fuerit frigidus, etiam rasura commoda est. Statim autem praedictis illitionibus caput modicè confricandum est. Postquam autem detracta fuerit materia, etiã sternutatorijs & pituitam per os ducentibus utendum est. Ego uero etiam crustas inurere non dubitarim per ignem, aut per medicamẽtum. Vnam quidem circa occipitis cauitatem, quo loco spinalis medulla initium habet. duas autem ab utraque ipsius parte. Tres aut quatuor in uertice. Vnam ex his in medio capitis, tres circum ipsam. Vlceribus enim diutius fluidis permanẽtibus, non despero perfectam restitutionẽ. Reliqua diaeta sit attenuatoria, uentri cõmoda, nihil uiscosi aut uirosi habens. Et quae urinam cient alimẽtis ammisceãtur. Vtendum est etiam potionibus relatis ad morbum comitialem, & ungentis ad arthriticos referendis. Quum enim communia sint hec, superfluum est eorum etiam hic meminisse. Si uero fuerit aestas, etiam in totum detegantur loci, & denudati aëri exponantur. Quibusdam enim hoc tempore principiũ recuperationis actionum contigit.

De supercilij aut palpebrae resolutione. Ca. XXIX.

Si superciliũ aut palpebra fuerit resoluta, curabũtur ungentis calidioribus & acrioribus fronti illitis. Palpebra uero collyrio ex sandice & germinũ oleae succo illinatur. Optimum autem in ipsis, & maximè in supercilio relaxato, hoc. Mastichẽ cũ succo brassicae nõ lotae terito, & distẽta frontis cute, fronti crassius illine. Perseuerante uero affectione, palpebrã quidem sutura curat. Superciliũ uero fasciolae de frõte ablatio.

De conuulsione canina. Cap. XXX.

Caninam conuulsionem uocant mandibularium musculorum resolutionẽ. Distorquetur igitur in obliquum os, nasus, & oculus, & in summa, dimidia faciei pars. Auxilia itaq; resolutae parti adhibeantur, non oppositae. Decipiuntur enim aliqui, qui mandibulam ab opposita parte distrahi putant. In communi igitur ipsis commodant omnia in resolutione relata. Nã & sanguinis detractio, si nihil prohibuerit, & purgatio, & clyster, & cataplasmata, & ungenta, & malagmata, & sinapismi, & tapsiae usus, cõducũt. Priuatim uero deligatura quae ad opposita reducit. Et sanguinis detractio à uenis sub lingua. Et cucurbitae duobus uerticulis impositae. Et quae pituitam per os detrahunt, itemq; quae per nares. Iam uero acribus illitionibus utendũ est ad oculũ affectũ, praesertim collyrio ex sandyce & germinũ oleae succo.

Linguae resolutae curatio. Cap. XXXI.

Si lingua fuerit resoluta, uenae sub ipsa secentur, corpore uniuerso prius euacuato. Et cucurbita sub mẽtum ponatur. Et quae pituitam per os detrahunt, & collutiones ex sinapi, & linguae exercitia adhibeantur. Reliqua item occipitio ac collo uniuerso admoueantur, uelut sunt illitiones acres, & epithemata, & sinapismi.

De instrumenti uocalis resolutione. Cap. XXXII.

Resoluitur & uocale instrumentum, faucium inquam musculi, & extremitatis asperae arteriae, imò etiam thoracis superiores. Spiritus itaq; in ipsis supprimitur. Quidã etiam gracilem uocẽ acquirunt. Alij uix loqui possunt. Et alijs aliter uox impeditur. Proinde post uniuersalia auxilia, etiã thoraci adhibeantur ea quae antea enumerauimus. Et gargarismi acres ipsis exhibeantur. Priuatim uero ad ipsos utẽdum est spiritus detentione, & coaceruata expiratione, & concinna uociferatione. Post haec autem per uictum ac exercitia uniuersum corpus corroboretur.

Deglutitionis resolutae curatio. Cap. XXXIII.

Si deglutitio resoluta fuerit, hoc est, delatrix ciborum promptitudo: nã si stomachus, hoc est, gula resoluta fuerit, perniciẽ inducit: calida omnia adhibẽda sunt. Priuatim uero conandũ est ut cibi indãtur quàm penitissime, ut ne ad asperã arteriam dilabãtur. Cucurbitae quoq; mento affigãtur. Et ungenta usurpentur ad partes iuxta tonsillas acria, ex castorio, sagapeno, succo cyrenaico praeparata. Gargarismi itẽ ex sinapi. Et quae cõmãsa pituitã ducũt. Forinsecus quoq; adhibendae sunt illitiones cõmunes praedictae ipsi mẽto.

Vesicae resolutae curatio. Cap. XXXIIII.

Vesicae resolutio siue detinuerit urinas, siue inuoluntariè excreuerit, ijsdem communibus auxilijs curabitur, circa pectinem & maximè circa intercapedinem inter anum ac scrotum adhibitis, qua parte situm est uesicae collum, quem locum quidam siran, id est catenulam appellant. Vtendũ est autem supra praedicta, irrigationibus pectinis ex ungẽto nardino, & malabathrino susinoq; ac sicyonio, in quo cocta est eryngij radix, cyperus, cardamomũ, ruta. Sed & sedes his illinenda est. Post cõmunia uero auxilia, etiã per infusa in annum conandũ est reuocare uesicae actiones. Sunt autẽ haec, à principio quidẽ castorium cũ oleo sicyonio, aut ruta, aut cumino, aut anetho in oleo cocto. Deinde centaurij & colocynthidis decoctum, ita ut modò cũ aqua, modò cum ptisanae succo simul coquantur. Optime facit & anagallidis succus. Et origani ac thymi decoctũ. Omnibus autem ammiscẽdum est oleũ sicyonium & castoriũ. Aliquando etiã opopanaca & galbanũ in ipsis eliquamus, si frigoris sensus ipsis affuerit. Infundimus etiã per colem oleũ sicyonium cũ castorio aut opopanace. Quandoq; etiã silphiũ in oleo coquimus. Priuatim uero in his qui urinas detinent cathetere instrumento immisso ad urinas prolectandas utimur. Et post urinae euacuationem, cathetere adhuc in situ, aliquod ex praedictis infundimus, angustissima fistula ad utrẽ parata, quę catheteri adaptari possit. Et mirũ est quanta inde utilitas emergit, ex infuso uidelicet post urinas excretas. Vtendũ est autem in utrisq; etiã urinam ciẽtibus, per interualla: Velut est sion, & iunci odorati flos, ac similia. Vtendũ & aceto ac uino scillino. Dicetur autẽ de his amplius in Sermone de affectionibus uesicae.

Colis resoluti curatio. Cap. XXXV.

In colis resolutione urinae excretiones non impediuntur. Seminis autem excretio & coitus impeditur. Oportet igitur auxilijs ad uesicã relatis uti. Priuatim

uero nunc etiã coxendicibus calefactoria adhibere. Et iam quoq; tentiginem scictia, de quibus suo loco dicetur, exhibere. Facit autẽ cum reliquis pudendum cerui femori uelut zona alligatum. Et carnes ipsius comestæ, & polypi marini, & herinacei. Et ex uolucribus sturni. Castorium autem in omni resolutione commodum est. Cauenda uero sunt in ipsis omnia frigida edulia ac potiones.

Intestini recti resoluti curatio. Cap. XXXVI.

Intestino recto resoluto omnino inuolũtariè stercora excernũtur. Aliquando uero etiam sistuntur. Itaque etiã auxilia eadẽ sint quæ in uesica sunt relata, coxendicibus adhibita. Priuatim uero in his, nũc adstringẽtia & corroborantia, nũc pinguia & leuia, per clysterem infundimus, & rursus mordacia ac lancinantia. Proinde cupressi ac rubi decoctum adstringit, maximè ubi immodicè egerit. Suillus autẽ & anserinus adeps, & oleũ maluæ maximè pinguefacit ac lenit, ubi stercora supprimuntur aut acria existunt. Muria uero & colocynthidis decoctũ, itemq; centaurij, artemisiæ, conyzæ ac thymi lancinãt ac mordent. Egregie facit & trifolij bitumẽ olentis decoctũ. Quum autem frigiditatis sensus affuerit, cõmodum est silphiũ, & gentiana, & bryoniæ radix, in omnibus infusis sedis. Ego uero aliquando etiã acopon lasitudinẽ eximens ex euphorbio paratum dilutũ, per clysterem cum fœni græci decocto immisi, & bene successit.

Cruris aut alterius cuiusdam mẽbri resoluti curatio. Cap. XXXVII.

Si crus aut manus, aut alius membrum resolutum fuerit, communia auxilia in resolutione relata adhibeãtur, & exercitia moderata unicuique parti congrua. Vtendum est etiã in omni resolutione ungentis quæ ad arthriticos referentur. Cibi uero sint in omnibus faciles cõcoctu, attenuatorij, uentri commodi, nihil uiscosi, aut mali succi habentes. Vinum sit album, tenue, & non ualde uetus. In summa uitanda est corruptio, frigiditas, ardor, ocium, lasitudo, coitus, uini multi potus. Ex epistola Archigenis ad Marsum, potio resolutis conueniens, de qua sic ait: Optimum est hoc pharmacum, & ad eiusmodi affectiones ualde à me probatum. Castorij, seminis rutę syluestris, opopanacis, singulorum obolos II. pyrethri, acori, singulorum obolum unum, piperis grana X. Cum aquæ mulsę cyathis II. dimidium ex hoc primum dato: robusto uero totum. Indicat autem obolum habere siliquas tres.

De cõuulsionibus aut distẽtionibus. Cap. XXXVIII.

Quum statim à principio, aut non multò post principium morbi, fiunt conuulsiones, & permãserint, ex repletione originem ducunt. Quum autem multis sudoribus prægressis, aut uomitibus, aut uentris excretionibus, aut sanguinis eruptione, aut post uigilias, aut fame, aut motus multos & uehementes conflatæ fuerint, ad euacuationem consequuntur. Et ubi etiam in sanis contigerit aliquas partes repente conuelli, ob repletionem fieri necesse est. Si uero ex febribus ardentibus succedit conuulsio, ob uehemẽte nimirum totius corporis, & maximè neruosarũ partium siccitatem contingit, & est huiusmodi malum maximum ac fere incurabile. Quum igitur corporis partes antrorsum distenduntur, emprosthotonus appellatur: quum retrorsum, opisthotonus, quum uero æqualiter in utranq; partem tenduntur, tetanus uocatur, conuulsiones itaq; ob uehementem siccitatẽ nemo curauerit. Eas autem quæ ob plenitudinẽ aut inflammationem fiunt curaueris, plenitudinem quidẽ euacuãdo, inflammationem uero, proprijs ipsius auxilijs adhibitis. Fit etiam conuulsio in his qui uehementer ob uomitus lancinantur, & sedatur ubi quæ molesta sunt per uomitũ fuerint reiecta. Auxiliatur conuulsis succus centaurij tenuis potus, & seseli cum aceto mulso aut posca. Castorium autẽ non solũ potum, sed etiam foris illitum cõmodat. Atq; hæc exhibemus his qui ob plenitudinem conuelluntur.

De Tetano siue distentione & conuulsione. Ex Archigene. Cap. XXXIX.

Quid significet tetani nomen, iam antè dictũ est. Corripiuntur autem hac affectione cum ob alias causas, uelut dictum est, tum ex uulneribus, & in fœminis ex aborsu. Verũ tetani ex uulnere fientes non ita sanantur. Neq; autem pueris, neq; senibus conuulsio fit tetanica. Infantes enim magis infestat morbus comitialis. Quare negligendũ non est, sed uena secanda, si distentio ex uulnere cõsequitur. Copia uero detrahenda est multa quidem, sed tamen nõ usq; ad animi deliquium. Et paulò pòst exhibeatur alica cũ aqua mulsa. Sit autẽ modicum quod exhibetur. Et ex aqua & oleo tepido ægri illinantur, & in solio desideãt infra umbilicũ. Oportet autem & partes quę nõ madefiũt præillinire, & præsertim caput, & probe contegere ut ne impleatur. Vngenta autem & illitiones adhibeantur ex oleo sicyonio & gleucino, aut irino, aut oleo ueteri. Conueniunt & ungenta lasitudinẽ eximentia moderatè calfacientia, uelut est quod fœtidũ appellatur, & quod ex sampsucho fit, & quod ex populo nigra, & similia. Quorum cõpositiones in Sermone de arthriticis referentur. Si uero non à uulneribus, sed ex repletione fiat tetanus, post uenæ sectionem, ungentis magis lancinãtibus utendum est, quæ adarcen habet, & similibus. Deinde etiã cataplasmata locis affectis adhibeantur, quæ laxare ac discutere possunt simulq; lenire. Et hæc maximè musculis circa collũ & maxillas ac spinam adhibeantur. Horum autem materia sit fœnum græcũ, & semen lini, & farina ordacea ac loliacea. His addatur terebinthina resina, & galbanũ, & mel ac oleum multũ, in quo decocta sunt ruta, conyza, aut artemisia, aut libanotis. Infartiatur etiã aliquãdo ammoniacum thymiama. Sint autem mollissima ac leuia cataplasmata. Sed & fomentum adhibeatur incumbente cataplasmate, ex uesica magna & oleo calido semiplena. Aut ex sale fricto, aut ex milio in sacculis. Sed & cataplasmata in saccos cõiecta imponantur, ut fomentũ citra inquinamẽtũ fiat, & præsertim si capiti id imponere oportet. Vitandæ autẽ sunt assiduæ irrigationes capitis. Caput enim inde repletur. Occupet cataplasma & irrigatio, ceruicem & maxillas ac totã spinam usq; ad lumbos. Inspergatur irrigationibus castorium. Et cucurbitæ cũ scarificatione locis affectis omnibus affigãtur. Temporis autem successu etiam folia ex oleo assumantur moderatè, bis aut ter in die, ita ut quinta olei pars ad ignẽ calefiat, reliquum in solium mittatur. Domus autem calida apparetur. In potu conueniunt optimũ apomeli, & radicis silphij decoctũ, & ipsa trita, & hyssopi decoctũ, & succi cyrenaici magnitudo erui deuorata, & myrrha troglodytica magnitudine fabæ. Ex omnibus autẽ minimè offendit, & maxi

& maximè efficax est castorium tritum datum cochlearij mensura. Post hæc commodant sedis illitiones ex ruta & opopanace. Auxiliatur & olei infusum rutacei cum terebinthina. Danda est ipsis & Archigenis hiera drach. II. pondere cum pari castorio, cum ptisanæ succo ac melle. Deinde quædam ex alijs dentur, & ipsum castorium per se.

De capitis dolore distinctiones. Ex Galeno. *Cap.* XL.

Qui citra distinctionem doloris capitis auxilia descripserunt, maius detrimentum quàm emolumentum his qui eis fidem habuerunt, attulerunt. Neque enim omnes ob unam affectionem caput dolent. Sed tum ipsę affectiones plures sunt, tum curatio ipsarum singularũ propria existit. Vna enim affectio est iuxta intemperiem simplicem citra humorum complexũ: Alia iuxta humorum qualitatem: Tertia uero multitudinem tantum ipsorum humorum contingit: Quarta quum multitudo hæc transitus humorum ac uaporum obturarit. Et ad has adhuc alia, quum ob imbecillitatem in aliquibus capitis partibus spiritus flatuosus innascitur. Vehementissimi igitur capitis dolores fiunt iuxta caliditatem ac frigiditatem. Moderati uero iuxta siccitatem. Ad humiditates autem nullus consequitur dolor. Eodem modo quum ob redundantes humores, siue iuxta omnes capitis partes, siue iuxta unam quancunque tandem dolor contigerit, uehementior quidem ob calidos ac frigidos: moderatior autem ob resiccantes citra caliditatem aut frigiditatem manifestam oboritur. Humectantes autem penitus nullum dolorem inducunt, quantum ad qualitatem ipsorum attinet. Nam ob multitudinem, citra quidem obturationem, grauant caput. Cum obturatione uero dolores inducunt. Si uero multitudo mordacem qualitatem habuerit, dolorem augebit. At uero spiritus flatuosus & uaporosus distentionem efficit citra mordacitatem.

De dolore capitis ex ardore aut caliditate oborto. *Cap.* XLI.

Capitis dolores ex ardore solis, aut caliditate obortos sanant quæ frigefaciendi uim habent, citra manifestã adstrictionem. Optima uero ex ipsis sunt quæ essentiam tenuiorem habent. Quapropter nihil melius est ab initio quàm optimum rosaceum frigidissimũ factum, & sincipiti affusum. Sit autem rosaceum eo anno factum ex oleo omphacino, citra salis ammixtionem. Proximum à rosaceo locum habet chamæmelinum, ubi moderatam frigiditatem inducere uolumus. Quum enim uehementer frigefacere uoluerimus, semperuiui succum ammiscere conuenit, aut polygoni, aut lactucæ, aut uuæ acerbæ, aut portulacæ, aut pampinorum uitis, aut psyllij, aut intybi. Papaueris autem & mandragoræ succus uehementer frigefacit. Quapropter nociuus est. Cæterum Erasistratus maximum præseruatiuũ in calidioribus habitibus esse dicit, ubi quis in sole uersaturus sit, si spõgiam latam, densam, aqua imbutã, & probè expressam capiti imponat. At si dolorosa caliditas in capite inualescat, unà cum spiritu flatuoso, ab initio quidem curatione perrepulsoria utendum est, quæ ex adstringentibus ac frigefacientibus contingit. Postea uero ex mitigatorijs ac concoctorijs medicamentis aliquid ad repulsoria ammiscere oportet. Deinde etiam ex discussorijs quippiam addẽdum, paulatim detractis pharmacis quæ repellunt.

De dolore capitis in febribus. *Cap.* XLII.

In capitis doloribus in febribus coincidentibus, uena secanda est in prima aut secunda remissione, si nihil impedierit, & præsertim in bono habitu præditis ac multo sanguine refertis. Animaduertẽdum est autẽ, ne ob exhalationes ex uentre fiat, aut propter aluum suppressam. Si uero posterius post septimã irruant, præeuacuata memorabiliter per clysterem aluo, cucurbitæ occipitio aut ceruici affigantur. Et caput ex olei irrigationibus mitigetur, rosacei quidem, in calidioribus, & hora æstatis, cũ modico aceto, chamæmelini uero in non ualde calidis. Anethini autem in frigidioribus habitibus, & in hyeme, quinta aceti parte addita. Frons uero illinenda est ex cypheos cõfectione in frigidioribus. Crocomagmate autem in calidioribus. Porrò medelę doloris capitis ex febriũ magnitudine oborti, in febrium tractatione suprà descriptæ sunt.

Ad capitis dolorem ex ebrietate, & meri potu. *Cap.* XLIII.

Vina temperie calida maximè generant capitis dolorem, ut quę omnino quidẽ uaporibus caput replent, aliquando uero etiam humoribus calidis. Proinde opus est multitudinem quidem euacuare, caliditatẽ uero frigefacere. Rosaceum igitur aut tale quoddam non ualde frigidũ satis est capiti adhibere. Somnum item ac quietem. Et ubi talia per totum diem fuerint adhibita, in uesperam lauare oportet, & boni succi cibis nutrire, non tamen calefacientibus. Qualis est ptisanæ aut alicæ succus, & panis ex aqua, & oua sorbilia sine garo, & lactucæ feruefactæ. In potu omnino utendũ est aqua. Post omnẽ uero cibum, parum dãdum est de malo punico, aut piro, aut pomo, aut uua passa. Sequenti uero die lauetur, & boni succi cibo nutriatur. Et uinum tenue album modicum detur. Cæterum præsumpta ebrietatem arcent hæc. Amygdalæ amaræ quinq; aut septem à ieiunio comestæ. Vinum absinthites aut myrteum præsumptum. Et ipsæ myrti baccę præsumptæ. Brassicę cauliculi præcomesti. Ebrietatem autẽ extinguunt postea ingesta, centaurij tenuis decoctum, ceruinum cornu, uerbenacæ rectæ semen cum aqua.

Perfrigerati capitis medelæ. *Cap.* XLIIII.

In capite recens frigefacto, rutaceo oleo calido sinciput irrigare oportet. Si uehementiore caliditate opus habuerit, parum euphorbij oleo inijciatur, aut ungentum irinum illinatur, aut amaracinum, aut laurinum, aut serpillinum, aut nardinum. Frons quoque talibus inungatur, & narium ac aurium meatus illinantur.

De capitis dolore à stomacho. *Cap.* XLV.

Quidam etiamsi modicus in uentre, & maximè circa os ipsius, humor acris fuerit collectus, statim caput dolent, humoribus in uentre prauos uapores ad caput mittẽtibus, ut aliquibus ipsorum suffusis similia symptomata accidant ex exhalationibus, si non cibũ ingesserint. Et propterea famem ferentes læduntur. Augescit enim ipsis huiusmodi humorũ malignitas ꝓpter inediã. Oportet itaq; sic uexatos sanare, ita ut nihil capiti adhibeamus, uerũ quàm citissimè molestos uẽtris humores euacuemus, aqua tepida exhibita in potu, et immissis pẽnis uomitu prouitato. deinde uero post modicũ iterstitiũ cibus boni succi et stomacho cõmodus detur, si fieri põt lotis post uomitũ;

Sin minus, ante balneum. Atque hic tantus sit ut ne lædantur dum lauantur. A' cœna uero parum bibant, & sequenti die mane absinthio & eadem diæta utantur. Et de cætero quotidie circa horam tertiam aut quartam modicum panem accipiant cum oliuis albis, aut cũ uua passa, aut aliquo huiuscemodi, per experiẽtiam reperto, eò quòd singulis optimum est. Aliud enim alij optimum est, iuxta naturę proprietatem. Interpositis autem horis duabus balneum petant. Pessima porrò affectio est, ubi uitiosis humoribus in uentris tunicis absorptis, aut ineluibiliter infartis, nauseæ ac lancinationes inducuntur. Quibus optimum auxilium est aloë pharmacũ, quòd aloës quidẽ habet drachmas centũ, reliquorum uero quæ recipit singulorum drach. VI. croci uero drach. IIII. aut minus, crocus enim caput percellit. Datur ipsis ex hoc pharmaco drach. I. cum aquę cyathis duobus. Cauenda autem sunt in omnibus, & præsertim his, edulia natura capitis dolorem inducentia.

Quæ ex natura capitis dolorẽ inducũt. Cap. XLVI.

Non solum in his qui caput per stomachi consensum dolent, sed etiam in omnibus capitis affectionibus, uitanda sunt quæ natura capitis dolorem inducunt. Sunt autem hæc: uiticis semen, absinthij succus, lactis potus, glandes quercinæ comestæ, oliuæ nigræ, memecyla, eruum. Hoc etiã articulos exoluit. Amplius autem lædunt myrrha, thus, hederæ corymbi. Mentem uero perturbant lentisci fructus, crocus, peucedanum, cyclaminos sicca cum uino pota, styrax modicus quidem potus, tristitiam discutit, multus autẽ turbulentos somnos facit.

Ad dolorem capitis ob plagam. Cap. XLVII.

Si uulnus ob plagam factũ fuerit, glutinatorijs & inflammationem arcentibus pharmacis utendum est, postquàm ulceris labia fibulis impositis constrinxerimus. Si uero usq; ad pelliculam os caluæ ambientem plaga penetret, diducta pellicula caluariam ambiente, ossecq; conscalpto, iuxta concarnationis modum curare oportet. Contingit autem non parũ sæpe, in casu præsertim ex sublimi facto, ut quædam partes circa cerebrum aut membranas eius abrũpantur, quando sanè etiam periculum uehementius & acutius imminet. Optimũ itaq; fuerit in his, nisi ætas prohibeat, & nisi uitalis facultas debilis appareat, à uenę sectione curationis initium facere. Quòd si aliquid uenę sectionem impediat, aluum per clysterem euacuabimus, reuulsionis simul ac euacuationis gratia. Deinde auxilijs ad inflammationes commodis utemur. At uero membranam cerebri sauciatam, inquit Archigenes, probè glutinat calaminthæ succus infusus, & farina milij arida inspersa. Deinde butyrum, & rosaceum, & adeps suillus insulsus, uetus, simul mixta & tepefacta infusa.

De cephalea. Galeni. Cap. XLVIII.

Cephalea inueteratus & ægrè cedens capitis dolor appellatur, qui ex facili occasione maximas exacerbationes habet, adeò ut neq; strepitus, neq; uocem uehementiorẽ, neq; lumen splendidũ, neq; uini potũ, neq; odoramẽta caput replẽtia tolerare possint, neq; item motũ. Sed in quiete ac tenebris ob dolorũ magnitudinẽ decũbere uelint. nã uelut à malleo sibi pertundi uidentur: quidã uero uelut contundantur aut distendantur, & quæ circa caput sunt sentiunt. Non paucis autem usq; ad oculorũ radices, dolor progreditur. Habet autem hæc affectio aliquando continuos dolores, aliquando exacerbationes & interualla, siue ordinata, siue inordinata. Intermittunt enim aliquãdo eiusmodi exacerbationes, uelut in comitiali morbo correptis, interceditq; tẽpus aliquod quod omnino accusari non potest. Manifestũ igitur est hanc affectionem consimilẽ aptitudinẽ capitis, ut facilè lædatur, uelut in cephalalgicis, habere. Verũ ad maiorem debilitatem deueniũt in hac affectæ capitis partes. Et quidam ex eis cerebri membranas dolẽt. Quidam uero membranã tantum caluariã ambiẽtem. Dolores igitur cum grauitate, humorũ multitudinem indicant, cum mordacitate uero aut humorũ aut uaporum acredinem. Cum pulsu autẽ inflammationem. Cum tensione uero, si quidem citra grauitatẽ ac pulsum fiat, flatus tenuis & uentosi multitudinẽ demonstrant. Si uero cum pulsu, mẽbranosi corporis inflãmationẽ. Si uero cum grauitate distentio fiat, humorum multitudinẽ intra membranas cõtentam. Et dolores quidem in superficie hærentes, mẽbranæ os caluæ ambientis affectionẽ significãt. Qui uero in profundo sunt cerebri, membranarũ. Quibus enim affectio inter caluariã est, his dolores usq; ad oculorum radices procedunt, eò quòd oculorũ tunicæ ex cerebri membranis ortũ habeant. Si quidẽ igitur humorum aut uaporũ multitudinem repereris causam, si quidẽ propter totius corporis repletionẽ facta est, uniuerso corpore euacuato capitis dolorẽ sanabis. Si uero uelut debile existẽs caput, ad se sublatos humores ac uapores susceptet, materiam reuellere oportet in totum corpus, atq; ita particulæ mederi. Per clysteres itaq; reuulsio fit, & ligaturis extremitatũ, & pluribus infernarum partiũ confrictionibus. Interdum etiam sanguinis detractione. Caput autem curabis, quãdo quidem reuulsorijs uti oportet, per repulsorias irrigationes. Post totius uero corporis euacuationem iam caput euacuãtibus ac discussorijs uteris. Deinde his quę corroborare possunt. Repellit igitur oleum omphacinũ, & rosaceũ per se, & cum aceto, & quod ex papaueris capitibus, & oleę teneris germinibus, & hederæ cacuminibus, ac mẽta uiridi apparatur. Adhibeantur autem remedia tepida quidẽ, ubi frigidior & crudior fuerit humorũ multitudo. Frigida uero, ubi calidior & biliosior extiterit. Discutit autem oleũ dulcissimũ calidũ, & hoc magis inueteratum, item sicyoniũ. Si uero crassior fuerit humorum multitudo, spondylium aut serpillũ, aut pulegij comam, aut calamintham, aut mentã oleo incoquens, multitudinem euacuabis. Eadẽ hęc etiã robur parti addũt. Quapropter usq; ad perfectam curationem eis uti conuenit. Omniũ porrò maximè discutit, & mirificè corroborat, uerbenaca recta, præsertim uiridis. Imò etiam arida cum radicibus, & simul cum serpillo, oleo incocta. Conijcienda etiam ad ea crocodiliadis maximæ circa aquas nascentis radix. Quin & ipsam per se uerbenacam, si oleo incoxeris, caputq; inde rigaueris, omni capitis dolori antiquo, ex frigiditate aut ex crassis humoribus oborto medeberis. Maximè etiã prosunt sub aquario uase nascentes aselli, millepedę appellati, si cũ oleo coquãtur.

De hemicrania. Ex Galeno. Cap. XLIX.

Affectio dolorosa iuxta dimidiam capitis partem contingit, quam hemicraniam appellant, & ut plurimum per circuitum exacerbatur. Fit autem propter

influxum uaporum aut humorum, siue multorum, siue calidorum, siue frigidorum. Et aliquibus cõtingit ut extra caluariã doloris sensum percepteni. Quibusdam autem in capitis profunditatẽ penetrat. Aliqui uero temporũ musculos uehementer dolent. Dinotiones autẽ ex his quae de cephalea dicta sunt fiat. Proinde purgare ipsos oportet, aut prius uenã secare, atque sic localibus auxilijs uti, ita ut quis tum per digitos suæ manus, tum per lintea, dimidiam frontis partem, & maximè circa temporũ musculum, confricando excalfaciat, ante exacerbationis tempus hoc faciens. Post exacerbationẽ uero hemicranicis appellatis pharmacis utendum est, si quidẽ multa caliditas in doloribus percipiatur, his quæ refrigerans quippiam habent. non præsente uero caliditate, his quæ multum calefaciunt. Vtrisq; uero aliquid ex his quę robur addunt misceatur, quod adstringẽtem habeat facultatem. Optimũ porrò est ungentũ quod habet euphorbij unc. I. ceræ quadrantẽ, olei dulcissimi lib. I. Ex hoc dimidiam frontis partem unà cum temporum musculo illine. Cõmodissimum est ad frigidas affectiones, ut sæpe ex unico eius usu ante balneum, dolor cessarit. Sic autẽ affectis prodest etiam in aurẽ infusum oleum tepidũ, modico euphorbio adiecto. Satis est enim si ad librã olei, drach. IIII. euphorbij addãtur. Cæterum naturali quadam ratione aut potentia, euphorbium ad hemicranicos facit sic adhibitum. Terito ipsum cũ aceto, & si quidẽ dextrũ tempus dolet, illinito sinistrũ: si uero sinistrũ dolet, illinito dextrũ: & celerrimè sanat dolorẽ. Itẽ intestina terrę terito, & dolẽs tẽpus illinito, mirificè faciũt. Similiter utere carne cochlearũ. Vtere etiã paulò pòst describendis cõibus omnis doloris capitis auxilijs.

Communis curatio cephaleæ & hemicraniæ. Ex Archigene & Galeno. Cap. I.

Inueterata & ægrè solubili cephalea aut hemicrania existente, principium curationis à uenæ sectione, aut purgatione facere cõuenit, aluo prius per clysterem euacuata. Manifestum est autem quòd multo sanguine refertis uenam secare oportet. Vitiatis autem humoribus referti, purgandi sunt. Et deinde irrigationibus cõmodis utendum est. Et à naribus sanguis detrahendus, deinde pituitam per os ducentibus, & his quæ naribus induntur utendum. Postea raso capiti illinendum est id quod ex scammonia & peucedano ac aloë constat. Epithema uero conuenit ex amygdalis amaris, & thure ac myrrha. Emplastra uero ex agarico, & quod ex scilla constat, & nigrum ex cucumere syluestri, conueniũt pustulas locis inducentia, & quæ in profundo sunt ad superficiem transferentia. Non incongruum est etiam malagma ex baccis lauri. Nos autẽ utimur cataplasmate ex cantharidibus, & mirifice facit, dum per longũ tempus ulcuscula ab hoc pharmaco fientia saniẽ manãt. Oportet autem munitam esse uesicam per lactis potum ac irrigationes, eò quòd facilè ab ungentis ex cantharide lædatur. Perseuerante uero affectione, secandæ sunt arteriæ circa aures, & præsertim quę in temporibus sunt. Quidã etiã ustione profunda usi sunt in cephalea, qui hoc solum cauerũt ne quis musculus sub cauterium caderet. Adhibentur autem cauteria nucleoformia, ubi magis dolor hęret. Et licet usq; ad os ure re quo squamę discedant. Barbari uero luniformem diuisionem faciunt circa anteriorẽ capitis partem, supra frontem, à sinistra aure usq; ad dexteram, pelliculam caluam ambiẽtem exoluentes, & capitis os deradentes, caput tamen munientes. Et nõ potest temere assumpta esse uideri his qui mali difficilem tractationem nouerunt, propter quam neque talia auxilia maiora quàm opus est existunt. Veratrum autẽ non minus cauterijs prodest, imò etiam magis. Inducendi igitur sunt prius per uomitum à raphanis: Deinde dandum est ueratrum. Ego uero tum his, tum comitialibus, ueratri albi bulbum tritum & in puluerẽ redactum exhibui drachmæ unius pondere, uelut in Sermone de purgatorijs dictum est. Purgãtur enim hinc efficaciter cum ualde multa excretione. Deinde interpositis quibusdam diebus de surculis exhibeo drach. II. Amplius enim hinc lancinantur quàm excernunt. Et rursus tertiò similiter præbeo. Nam ad affectionem iam firmatam, & in ipsis ut ita dicã ossibus fixam, non est alius efficacior modus. Post hæc reparatis uiribus infrà purgamus, per interualla quędam per nostram hieram, quò illuc repere cogamus materiam sursum uergentem. Vitare autem oportet frigiditatem, ardorem, lassitudinem tum reliqui corporis, tum ipsius capitis, per uisum, auditum, olfactũ & gustum, & præcipuè tactum. Vitanda sunt etiam acriora edulia, uelut ceparum, alliorum, & similiũ: Item ea quæ inflant, & quę difficulter transeunt, uelut sunt casei, lac, fungi, tubera, bulbi, rapa. Eligantur autem uentri commoda & quæ facile concoquuntur, friabilia, non pinguia, non uirosa, stomacho grata, urinam cientia. Fugiendũ est etiam mel & omnia dulcia. Vinum uero album & tenue sit, & non ualde uetus, neq; ualde odorum, & copia moderatum. At uero stœchadem herbam coctam cum aqua, aut aqua mulsa, in omni capitis dolore, uelut solum & maximum remedium exhibeto. Aliud ad omnem capitis dolorem. Os cerui ustum & tritum cum rosaceo dolenti loco illinito. Aut ocymum tritum imponito. Aut mentam cum aceto tritam bis in die illinito. Aut rumicem syluestrem & gallas simul tritas temporibus ac fronti illinito, & euestigiò sanabis. Aliud. Stercus hirundinum antequàm in terram cadat, unà cum luto quod in nido reperitur, aceto in ligneo uase madefacito ac illinito. Aliud. Pilulas caprini stercoris tritas illinito ac alligato, atq; hoc mane ac uesperi facito, & sanabis. Aut nasturtium torrefactum cum aceto & rosaceo terito, & cerati crassitudine imponito, & citissimè medeberis. Aut intestina terræ trita illine. Aut cochlearum carnis cinerem, stercus bubulum, thus, æqualibus portionibus cum aceto trita illine. Quidam uero ex nostris præceptoribus, inquit Galenus, hoc utebantur ad hemicranias, piperis drach. II. crocomagmatis drachm. II. euphorbij recentis drachmæ dimidium. Si uero uetus fuerit, drachmã unam, stercoris columbarum in agris degentium drachmæ dimidiũ, atramenti scriptorij boni drachmę dimidiũ. Terito cum acerrimo aceto, & illinito tẽporis musculũ & dimidiũ frontis, ac totã affectam partem. Crocomagmatis præparatio. Croci drach. centũ, myrrhæ troglodyticæ drach. quinquaginta, rosarum siccarum drach. quinquaginta, amyli recentis drach. quinquaginta, gũmi drach. quinquaginta. Teruntur cum uino. Ad capitis dolorem temporibus illinitur. Miscetur etiã in præparationes aliorũ pharmacorum. Aliud quod nõ solum hemicra

hemicranicis commodat, sed etiam omni inueterato capitis dolori, illitum. In dolore quidem capitis, à tempore ad tempus per totam frontem, in hemicranijs uero dimidiæ parti affectæ. Croci drach. xv. atramenti sutorij drach. x. aluminis drach. III. myrrhę drach. IIII. opij, omphacij sicci, chalcitidis crudę, singulorum drach. III. gummi drach. xv. Cum uino falerno uelut collyrium terito, & pastillos formato. Et usus tempore cum posca, aut aceto meraco illine. Aliud. Scammoniæ drach. VI. croci drach. II. comæ hederæ drachm. VI. sulphuris uiui drach. IIII. anisi drach. VIII. seminis apij drach. VIII. diligenter terito & cum ocymi succo pastillos efformato. Hoc multo rosaceo dilutum irrigatio fit capitis lethargicis commoda. Verum in capitis dolore cum aceto adhibetur. Aliud pharmacum non solum in his commodum, sed etiam ad uertiginosos faciens. Radicis peucedani drach. IIII. iridis, myricæ drach. II. æruginis, acori, singulorum drach. I. spondylij drach. IIII. piperis nigri drach. II. & dimidiam, serpilli drachm. IIII. myrrhæ drach. II. castorij drachm. II. & dimidiam, baccas lauri xxxv. rutæ uiridis drach. VIII. mentæ uiridis drach. IIII. opij drach. I. Vino excipe & forma pastillos. Vsus autem tempore, aceto & rosaceo dilutos illine. Sed & cerato rosaceo excepti fronti imponuntur, uelut malagma. Pastillus qui non solum hemicranicis prodest, sed etiam ischiadicis. Thapsiæ drach. III. euphorbij drach. IIII. succi medici drachm. III. myrrhæ drachm. I. opopanacis drach. I. Contusa simul ac trita cum uino efforma, & utere cum aceto. Alius. Radicis peucedani drachm. IIII. croci drach. I. myrrhæ drach. IIII. opij drach. I. Cum aceto formato pastillos, & utere cum aceto in irritationibus. Euestigiò soluit dolores. Alius ad omnem capitis dolorem & hemicraniam, per multam experientiam cognitus. Succi absinthij, succi hederæ, stercoris caprini, cochlearum unà cum testis exustarum, chartę ustæ, baccarum lauri, bulborum, thuris, euphorbij, atramenti scriptorij, crocomagmatis, gallarum, foliorum raphani, uitellorum oui, succi maluæ, æquales portiones terito cũ aceto, ac formato pastillos, ac utere cum aceto.

Epithemata ad capitis dolorem. Cap. LI.

Amygdalarum amararum, floris uiticis, radicis peucedani, mentæ uiridis, uirgultorum rutæ, baccarum lauri, serpilli, spondylij, castorij, singulorum unc. I. rosarum siccarum sextantem. Dissoluito cum aceto, & excipe cerato rosaceo. Deinde in linteum infarta, derasis capillis, toti capiti imponito, & per fasciam deligata usque in sequentem diem seruato, & rursus exoluito, ac renouata imponito. Aliud malagma, ad omnem capitis dolorem. Aeruginis drach. IIII. æris usti drach. IIII. squamę ferri stomomatis appellati drach. II. terræ cimolię drach. IIII. chalcitidis crudæ drach. IIII pumicis crudi drach. III. terebinthinæ unc. I. ceræ septuncem, olei ueteris quincuncem. Aridis leuissime tritis liquabilia liquefacta affunde, & emollito ac utitor. Si uero durius esse uideatur, oleo amygdalino emolli, & utere uelut dictũ est. Facit etiam fronti ac temporibus impositũ. Facit quoque mirifice emplastrum nigrum Archigenis corio inductum, & dolenti tempori impositum. Euestigiò enim soluit dolores. Habetur autem inter auxilia ad orthopnoicos descripta Sermonis octaui capite quinquagesimo septimo.

Quæ naribus indita caput purgant. Cap. LII.

Quòd si necessitas postularit, etiã per nares caput purgare oportet, post totius corporis euacuationem, anagallidis succo naribus infuso, aut cyclamini. Aut ipsa cyclamini radice insufflata. Aut elaterio cum lacte infuso. Cæterum pharmaco parabili sæpe usus sum nigella pridie in acri aceto macerata, & deinde cum aceto trita, ac naribus infusa. Facit etiam ad narium obturationem. Aliud. Hederæ succus aut calaminthæ, per narifusorium instrumentum naribus infusus, multum mucum ducit. Aliud. Nucleum specilli in aquam tingito, & eo atramentum sutoriũ leuissimè tritum excipito, & nares penitissimè indito. Hoc multum purgat, & dolores euestigiò leuat. Aut atramentum sutorium lacte tritum infundito. Purgat maximè ictericos. Aliud. Nigellæ tritæ drach. VIII. spumæ nitri drachm. I. salis ammoniaci drach. I. oleo ueteri aut irino, aut cyprino dilue, & tomentum specillo obuolutũ medicamento immerge, & ex eo nares assiduè illine. Et defluet quicquid caput infestat. Habeat autem pharmacum compagem cerati liquidioris, & seruetur in cornea pyxide. Aliquando pro spuma nitri elaterium adijcito, & facit ad diuturnas lippitudines, ac morbum comitialem. Ducit enim multam humiditatem. Aliud citra molestiam purgans, & confestim dolorem eximẽs. Cyclamini siccæ drach. VIII. iridis siccæ drach. II. nitri rubri drach. I. Ego uero elaterium pro nitro adieci, & probè trita per stipulam insufflaui, sursum & attrahere iussi, & postea deorsum inclinari, ut collectus humor deflueret. Sed et per sternutatoria caput concutere oportet, quę describentur in Sermone hoc inferius ubi de narium affectionibus agemus.

Apophlegmatismi pituitam per os à capite detrahentes. Cap. LIII.

Nitri semissem, staphidis syluestris quadrantem, anisi trientem, foliorum lauri uiridium sextantem, uuarum passarum uinaceis exemptis quantum satis his excipiendis. Ex hoc commanducandum præbe pro una uice quadrantem, & commansa exspuere iube. Aliud quod commansum, caput purgat. Pyrethri, piperis, hyssopi, staphidis syluestris, singulorum æquales portiones uuarum passarum carne excipe, & manducanda præbe. Verum post horum usum, sale ac melle recurentur. Aliud caput purgans, quod neque caput dolere permittit, neque oculorum caliginem fieri. Prodest & auribus & dentibus. Et qui per tempus ipso utitur, in nullam ex his affectionibus incidet. Est autem optimum. Sampsuchi sicci, iridis illyricæ, pyrethri, hyssopi, nitri, piperis, seminis apij, radicis panacis, staphidis syluestris, singulorum drach. IIII. Si uero uim eius intendere uoles, adijce etiam myrrhæ drach. IIII. Singula primum seorsim, deinde simul terito cum aqua, & formato pastillos, pauco melle ammixto. Vsus autem tempore, melle & aqua diluito, ac pro gargarismate utitor. Aut oleo cyprino aut irino, aut ueteri ammixto naribus infundito.

Smegmata & puluilli inspersiles, caput densantes. Cap. LIIII.

Smegma densans caput, nitri Bernicarij semissem, baccarum lauri, sinapis, sampsuchi, singulorum sextantem, cyperi unciam I. fecis uini ustæ unciã I. Hoc smegmate

smegmate in balneo illito defricetur. Oculis autem linteum multiplex aut spongia prætendatur. Aliud. Nitri assati lib. I. baccarum lauri lib. II. staphidis syluestris, sinapis, singulorum libr. I. radicis cucumeris syluestris semissem: Vtere uelut dictum est in inueteratis affectionibus. Smegma capitis, faciens ad destillationes & aquosam capitis affectionem, experimento constans. Nitri assati uino extincti semissem, iridis, aristolochiæ, helenij, singulorum unc. I. aceti mulsi quantum satis est. Contusa ac cribrata aceto mulso permisceto, & præraso sincipiti ante balneum illinito, & breui tempore sinito, ac affricato. Smegma ad omnem capitis dolorem & oculorum fluxionem, experimento constans. Helenij, myrrhę, calami aromatici, farinæ lupinorum, farinæ erui, sulphuris uiui, spumæ nitri, æquales portiones ptisanæ succo excipe, & pastillos forma. Vsu uero postulante, ptisanæ succo dilutis utere. Hoc smegma in balneo sincipiti, inspergere oportet, capillis antea inter se disparatis, ut corpori auxilium adhæreat. præcipereq; ut os claudatur, quo per nares calidũ aërem uehementer attrahentes subiectam materiã citius transmittant. Sapo Constantini resiccãs fluxiones. Balaustiorum sextantem, myrrhæ, sandarachæ, spicæ nardi, singulorum sextantem, costi, aloës, gallarum, thuris, malicorij, foliorũ rosarum, sarcocollæ, singulorum quadrantem, saponis gallici lib. I. decocti lupinorum amarorum sextarium I. Arida contundito ac cribrato, & cũ liquidis conterito, sapone adiecto, & pastillos formato ac utitor, ubi opus fuerit diluẽs quantum satis est cum uino, & illinẽs ante balneum sincipiti præraso. Deinde paulò pòst africans & abluens. Sapo Andreæ comitis ualde celebris: Floris iunci odorati, casię, cyperi, amomi, folij malabathri, costi, singulorum unc. I. gallarum sesquiunciam, nardi celticę, aluminis, iridis, fecis uini antiqui ustæ, gypsi usti, nitri, singulorum scrupul. XII. rosarũ siccarũ scrupul. VIII. salis scrup. VIII. testarum purpurarum ustarum quadrantem, saponis gallici lib. I. lupinorũ decocto trita accipe ac utere. Xeromyrõ, hoc est unguentum siccum ad capitis fluxione laborantis curationem minimè uanum. Iridis helenij, floris iunci odorati, singulorum lib. I. rosarum siccarum quadrãtem, amomi, costi folij, gallarum singulorum semissem. Vtere post balneum, præillito capite ex uino austero, & tunc insperge. Aliud optimũ. Iridis quadrantem, gallarum unc. I. casiæ, costi, folij, spicæ nardi, balaustiorum, rosarum siccarum, carpobalsami, singulorum sextantem, myrrhæ drach. IIII. Cõtundito, ac cribrato, & præillito capite ex uino austero inspergito, maximè post balneum. Alius puluis inspersilis Theodosij, caput resiccãs. Gallarum, balaustiorum, singulorum trientem, cyperi sextantem, spicę nardi, folij, corticis thuris, corticis pinus, nardi celticæ, singulorum unc. I. iridis sesquiunciam. Cõtusis ac cribratis utere. Alius ualde bonus. Iridis quadrãtem, gallarum, rosarum siccarum, singulorũ sextantem, aluminis unc. I. Vtere uelut dictum in capite calidiore. Alius puluis ad caput humidum, à quo tum oculi, tum aliæ partes fluxione infestantur. Radicis pæoniæ unciam I. aluminis scissi unc. I. baccarũ lauri drach. IIII. cyperi sextantem, nardi celticæ semissem, contusa cribrata insperge. Hoc ego sæpe expertus sum. Puluis caput corroborans, facit & ad eos qui oculos assidua fluxione laborantes habent. Florum mali punici satiui unciam I. gallarum unciam I. cyperi, iridis, helenij, singulorum trientem, seminis rutę syluestris, quod Harmala & Besasa uocant, sextantem. radicis chamæleonis nigri sextantem, carpobalsami unc. I. floris iunci odorati sextantem, aristolochiæ, rosarum siccarum, myrti siccæ, nardi celticæ, singulorum unciam I. xylobalsami sextãtem, amomi, malicorij, staphidis syluestris singulorum unc. I. contusis cribratis utere. Aliud smegma resiccans omnigenas fluxiones, & præsertim acres, & subcrassas, multo experimento comprobatum. Milij quadrantem, ladani sextantem, floris iunci odorati sesquiunciam, seminis rosarum sicci sesquiunciam, aluminis liquidi sextantem, spicæ nardi unc. I. sinapis sextantem, iridis, acaciæ, piperis, staphidis syluestris, singulorum sextantem, costi, folij, pyrethri, singulorum unc. I. calami, musci quem sphagnum siue hypnon uocant, singulorum sesquiunciam, nitri rubri lib. II. Nitrum urito & aceto mulso extinguito, & ad reliqua trita ammisceto, ac utitor ita ut sincipiti inspergas, & paulatim affrices.

De Alopecia. Cap. LV.

Quemadmodum plantæ aliquę ob humoris inopiam resiccatæ corrumpuntur: aliquæ uero ob humoris alieni ab ipsarum natura attractionẽ. Eodem modò & capilli, aut propter humorum ex quibus nutriri consueuerunt inopiam, aut propter eorũdem uitiationem corrumpi solẽt. Et propter inopiam quidem humorum, caluicies contingit: propter uitiatos uero humores alopecia & ophiasis: unum quidẽ ambæ secundum morbosam affectionem malum, nomina uero iuxta figuram habentes diuersa. Serpenti enim similis læsa capitis pars in ophiasi apparet. Alopecia autem sic appellata est, quoniã uulpibus frequenter accidit hæc affectio, uelut tradunt. Humorũ igitur prauorum redundantia causa est affectionis. Quales autem sint hi, ex colore cutis capitis cognosces. Si enim albidior est, pituitam: Si nigrior, bilem atram: Si pallidior, bilem flauã significat. Et sanè redundantes uitiatos humores euacuare oportet, aut per pilulas ex aloë & colocynthide, aut per Galeni hieram ex colocynthide. Si quidem atrę bilis humor redundauerit, ueratro nigro ad ipsam ammixto: Si uero amara bilis, scammonia: Si pituita, ipsa per seipsam detur. Post totius corporis purgationem, pituitam per os ducere melius est, atq; ita localibus auxilijs uti. Hæc autem discussoria uitiati humoris esse oportet, & essentiæ tenuium partium. Si uero supra hoc quod discutit uitiosos humores, aptũ fuerit pharmacum ad bonum sanguinem attrahendum, optimum sanè tale fuerit. Porrò præraso capite locũ linteo cõfricare oportet, ac cõsiderare. Si enim post modicam frictionem pars rubescit, affectionẽ sanatu facilẽ putato. Si uero post multã frictionem rubescit, sanatu difficilem. Deinde Thapsiam recẽtem tritam, uiribus ipsius larga aquæ ammixtione exolutis, illinere. Considerare autẽ oportet post thapsiæ illitionem, num ob uehementiam ultrà quàm conuenit cutem rubefecerit. Hoc manifestum erit, si flauior colore euaserit. Periculum est enim ne exuratur cutis, si nos sæpe ipsa utamur. Proinde aut ad aliud mollius transire oportet. Aut si ipsa uti uelimus, uim ipsius exoluere, per cerati aut adipis ammixtionem,

Animad

Animaduertas autem ne alopecia ulceretur, quod si fiat, anserino adipe aut alio quodam tenuium partium illine. Adhibeantur autem hæc auxilia in aëre calido, citra auram frigidam in sole, hyeme uero in balneo. Ex reliquis porrò pharmacis huiuscemodi affectionibus conuenientibus calidissimũ est euphorbium. Minus autem ipso calida est thapsia, post thapsiam uero sinapi, & nasturtium, iuxta aliũ autem modum adarce: Deinde nitrum berenicariũ, & sulphur, & spuma nitri, & utrunq; ueratrum, & erucæ semen, & oleum laurinũ, et alcyonium utrunq;, ustũ & non ustum, & pix, & cedria, & radices calami sepiarij, & cortex, ambo usta. Et murinum stercus, & anserinus adeps, & maximè ursinus ac hyenæ. Et amygdalæ amaræ totæ ustæ, & uiperæ pellis ac caput ustum. Et fortibus quidem ex his ceratum liquidũ ammisce: Imbecilliora uero oleo laurino aut pice liquida excipe. Et diuturnas ac ægre curabiles affectiones, per fortia curato, incipientes uero & curatu faciles, per debiliora. Critonis medicamenta ad alopecias. Pilorum ursi ustorũ, radicum calami ustarũ, adianti usti, foliorum fici ustorum, panniculi Cilicij usti, singulorum æquales partes adipe ursino & cedria excipe. Vsus autẽ tempore, loco foto & per fici folia confricto, ac per nitrũ deterso, pharmacũ illine. Archigenis ad alopecias. Verbenacam rectam in sole cum aceto tritam, loco prius per nitrum præparato illine, & rarum linteum superimpone, hoc præmadefacto loco tollendum est. Aliud. Alcyonium clarius ad lucernam exurito, & opobalsamo nõ adulterato extinguito, & cum eodem tritum illinito. Adhæret enim in totum, & non discedit donec pili fuerint exorti. Aliud. Equinos dentes exure, ac utere cum aceto. Ad diuturnas autem alopecias egregiè facit thapsiæ succus cerato exceptus, ac loco impositus, ut nihil aliud facere satagas. Decedit enim summa superficies, et sanies effluit, & pili sua spõte enascuntur. Aliud. Squamam ferri stomomatis diu cum aceto in sole tere, & modico oleo addito illine. Aliud, ad alopecias & pilorum defluuium ac uitiligines inueteratas. Buccina usta cum oleo ueteri terito, ad strigmentitiam crassitudinem, & prerasо ac confricto loco illine. Insigne hoc est. Aliud Asclepiadis. Spumæ nitri partes II. salis ammoniaci partẽ I. hæc usta & cum acerrimo aceto ad strigmẽtitiam crassitudinem trita, illine & affrica, donec pharmacum in profundum penetret, alopecia prius leuiter conscalpta ut locus pilis commodè densetur. & hoc bis per diem facimus. Aliud. Marrubium uiride tritum illine. Aliud. Perdicij herbæ uiridis folijs locũ assidue confrica. Aliud. Spœritidis, hoc est cupressi folia trita cum aceto adhibe. Aliud. Herinaceorum marinorum testas ustas cum melle illine. Aliud. Herinacei terrestris pellem, aut caput ustũ, adhibe cum melle. Aliud. Alcyonij drach. II. sulphuris uiui drachmã I. muscarum tostarũ ut resiccentur, cyathos II. Muscas per se terito, alcyoniũ uero urito, & sulphur ustum & contusum ac cribratum cum aqua contere, & fel suillum & acetum paulatim siccis affunde donec strigmen tostum fiat. Deinde axungiam à rotis curruũ derasam, & in manu emollitam, ut emplastri forma fiat, ammisceto, & prerasis ac confrictis confidenter, uelut optimũ, illine. Aliud. Herinacij terrestris usti cinis pice liquida exceptus, alopecias remouet. Aliud. Sorani, quo etiam Archigenes usus est, & id uehementer laudat. Alopeciam prescalptam & confrictam, deinde in superficie scarificatam, ceparum aut raphanorum cortice trito intege, addito melle. Aut cum his confrica, & nasturtij semẽ, & muscerdas, & piper, & ueratrum album, æquis portionibus cum aceto illine. Est enim ualde insigne. Aliud Archigenis. Rhois culinarij drach. IIII. sinapis drach. II. cum aceto illine. Aliud. Cantharides ustas, & tritas cum melle affrica. Aliud. Corij noui partem lanuginosam, in æreo uase ustam, cũ oleo antiquo, aut melle, aut aceto tere ac illine. Citò pilos producit. Aliud. Cyclamini radicem uiridem tritam illine. Aut siccã ustam adhibe. Aliud. Felis stercore cum sinapi ac pipere, addito aceto utere. Aliud. Allium ustum cum rosaceo illine. Aut betæ radicem eodẽ modo. Aliud. Vngulas asini ustas, asphodeli radicem ustam, alcyonium, nitrum, ęquis portionibus oleo ueteri excipe, ac utere. Aliud. Herinaceorum marinorum cum testis exustorum drach. II. muscerdæ drachmam I. aceto dilue, ac illine loco præfricto. Aliud. Alcyonij usti, cornu ceruini usti, cyperi usti ex toto, æquis portionibus utere cum aceto. Aut abrotonum ustũ cum oleo uetustissimo adhibe. Ad alopecias & caluiciem ac pilorum raritatem ægre curabilem, in capite, in mento, & in supercilijs. Pilorum ursi unciam I. radicis calami quadrantem, filicis cum radice quadrantem, castanearum hispidi corticis quadrantem, lanarum succidarum pinguissimarum sexcũcem, capita muscarum XXX. muscas quinque sine capitibus. Omnia in nouam ollam cõiecta, in furnum ponito ut exurantur. Deinde cinerem terito. Habeas autem in uino Aminæo prius trita, ladani unciam I. folij malabathri unc. I. myrrhæ sextantem. Et adijciatur his olei ueteris sextans, olei cedrini unc. I. atque ita aridis inspersis excipe. Deinde ubi linteolo alopeciam perfricueris, & leui scarificatione usus fueris, aut cepa, aut scilla, aut fici folijs exscalpseris, pharmacũ ipsum illitum affrica. De cętero uero locum rigido ac aspero linteo confricato, & hoc modo illinendo usque duos menses progreditor. Quòd si amplius in hac curatione perseueraris, etiam caluiciem persanabis. Aliud Oribasij. Muscerdarum unciam I. stercoris cameli exusti, ordei usti, singulorum pugillum unũ, foliorum lauri ustorum manipulum unum, excipe sorde ab axibus derasa, hoc est, qui à rotis curuum deraditur.

De defluuio capillorum. Cap. LVI.

Est & alia capillorum affectio, quę ex raritate cutis, & penuria essentiæ pilos generantis consequitur. Quapropter etiam curatio hoc modo læsorum, non eundem scopum cum alopecijs habet. In alopecijs enim scopus est, ut uitiatus humor consumatur. In his uero, ut habitus capitis corroboretur, & boni succi alatio procuretur, & cutis densitas ac raritas moderata reuocetur. Solet autẽ hæc circa pilos affectio plerumque his qui ægrotarunt accidere. Raro uero etiã citra morbum. Et plurimi ægrotantes citra pharmacum, per reficientẽ corpus uictum breui sanati sunt. Quare pharmaca in ipsis sint quæ moderatè cutem densant, unà cum hoc ut nõ perfrigerent ipsam. Quę enim ualde adstringunt, omnino etiam frigefaciunt, & alimẽti affluxum repellunt. Vnde etiam amplius pili defluunt. Quapropter moderatè adstringentia ammis

ammiscere oportet humectãtibus pharmacis, quale est ladanum, & oleum lentiscinum, quæ ex natura sua adstringunt & moderatè calefaciũt. Itaque neq; expertus sum, neque mente concipere possum, aliud præstantius fore medicamentum ad defluos pilos, eò quòd ex ladano & lentiscino oleo paratur. Si uero non affuerit lentiscinum, crudo & immaturo oleo utendum est. Illud autem manifestum est, quòd raso capiti pharmacum crasſius adhibere oportet. Verum ad cutem detonso, liquidius. Quod si magnum fuerit pilorum defluuium, & coniectes magnam cutis capitis raritatem factam esse, oleũ myrteum pro lentiscino, ad ladanum ammiscebis. Potes & ungentum nardinum ammiscere in ætate frigida & tempore hyemali. Commodum est etiam ad hæc pharmacum, ungentum illud diuitum fœminarum, spicatum appellatum, & quod Salca appellatur. Quare his uel solis diuites uti iubeto. Cleopatra porrò inquit, ad defluos pilos utere hoc: Terram cimoliam solidisſimam in uino austero macerato, addito mororum succo tanto quantum combibere potest, & semen hyoscyami tenuisſimè sufficiente mensura adijcito, terito, ac pastillos formato, eósque in umbra siccatos in fictili nouo reponito. Vsu uero expetente, aqua dilutos affricari iubeto. Deinde resiccatos eluito, & per dies quinq; rursus illinito. Vtere hoc in capitibus calidioribus. Facit etiam ad faciei ac colli impetigines. Aliud ad defluos pilos. Verbenacam rectam uiridem unà cum radicibus in oleum omphacinum coniectam per plures dies insolato, & oleo excolato utitor quotidie pro communi. Si uero non affuerit uiridis herba, siccam unà cum radicibus contusam ac cribratam oleo ammisce, ut strigmẽtitiam spisſitudinem accipiat, & ubi per aliquot dies siueris, utere. Et minimè uanum medicamentum comperies. Aliud ad pilos ex morbo defluentes. Chamæleonis nigri radices uino coctas crasſius capiti illine. Aliud. Sambucum ustum, & cerato liquidisſimo exceptum illine. Auget hoc pilos, & cutem densat, & defluere non permittit. Sed & narcisſinum ungentum illitum pilos defluere non sinit. Aliud. Ladanum & rosas in uino ueteri terito ac illinito. Conseruat enim pilos, eosdémque nigros facit. Aliud conseruans pilos: idem etiam nigrefacit. Myrti baccarum nigrarum sextar. I. uirgultorum myrti sextar. I. seminis apij sextar. I. adianti sextarij dimidium, ladani tantundem, uini nigri sextarios V. Coquito ad perfectam dissolutionem. Et ubi tertia pars restat, adijcito olei omphacini aut alicuius ungendi sextar. II. ac rursus coquito. Postquàm autem bis aut ter ebullierit, expressum ac excolatum humorem diligenter reponito. Vsu uero expetente, in prærasis omnino utitor, bis per diem illinens ex eo capillos. Cæterũ in pueris pulchros ac densos pilos facit, nucis testa usta ac uino trita, & illita. Aliud. Loti arboris folia trita illinito.

Ad supercilia pilis denudata. Cap. LVII.

Vt ne defluant pili neque à superciliјs, neque alia corporis parte, melanthum ustum & cum aqua tritum impone, ubi pilos emergere uolueris, præsertim uero in superciliјs. Aliud. Apes plurimas ustas ac oleo ammixtas illine animaduersione habita ne aliũ locũ contingas, ubi pilos enasci nõ oportet. Aliud. Adamãtem lapidem cum aqua tritum illine: quòd si albos producere uoles pilos, cum aceto eundem terito.

Tingentia ac nigrefacientia capillos. Cap. LVIII.

Medicamenta quæ albos pilos tingunt ac nigrefaciũt, ex austeris ac acerbis composita magnopere lædunt. Non enim solum in superficie, sed etiam in profundo cutem alterant, usque ad locum radicum pilorum. Detrimentum uero fœminis utentibus illic accidit, aliquando ad morbum comitialem, aut syderationem, aut ueternum, aut soporem profundiorem: Aliquando uero etiam destillationibus ægre solubilibus corripiuntur, ut tabes consequatur. Et scio multas fœminas mortuas esse, ex perfrigeratione à talibus pharmacis inducta. Magis autem læduntur quæ frigidius temperamentum habent. Cæterum quæ citra læsionem adstringentium pilos nigrefacere uolunt, cedria illinantur. Illinantur autem tribus uel quatuor horis ante balneum. Deinde lotæ confricentur. Oportet autem ipsam citra olei ammixtionem adhibere, in capitibus uehementi resiccatione ac calefactione indigentibus. In aliјs uero oleum ammiscendum est. Nam unà cum hoc quod consumit humiditates, etiam pilos nigrefacit, & defluos corrigit, & non defluos habitiores efficit. Idem facit & pix liquida cum oleo adhibita. At uero Archigenes pilos nigrefacientia sic describit. Radicis capparis corticem cum lacte asinino ad tertias coquito, & trita in noctem imponito, pilis antea confrictis. Aliud. Radicis ilicis corticem aqua coquito donec mollis euadat, & imponito. Aquam uero cocturæ affricato. Aliud. Quod intrinsecus in anemona nigrum est, cum oleo myrteo tritum illinito. Aliud. Corticis salicis succum cũ oleo affrica, summe denigrat. Aliud. Lapis Alabandicus siue Alabandinus uocatus, colore subnigricãs cum fuluedine ac pelluciditate, quo mulieres ad ornatum utuntur, tritus & cũ uino nigro ac oleo omphacino affrictus, superficiem pilorum nigrefacit. Aliud. Malum punicum uiride immaturum accipe, & collum eius diligẽter resera, quo id quod amputatum est, congruum operculum fiat. Deinde eiectis granis, & tenuibus membranis intus relictis, in uacuum mali calicem sesami illoti drach. IIII. inijce, & thuris tantundem, utrisque uicisſim locatis donec impleatur. & tunc proprium operculum impone, & luto aut fermento triticeo obline, & in clibano torre. Postea uero lutum aut fermentum adime, ipsum uero malum punicum leuisſimè tere, & in uitreo uase repone. Deinde præfricto ac resiccato capite modicum de pharmaco ad paucum oleum ammisce, ac pilos illine. Et hoc quinquies repete, hoc etiam crispos ipsos facit. Quidam pro sesamo ac thure, nigellæ ac gallarum contusarum, singulorum drach. IIII, in mali punici calicem conijciunt. Aliud quod pilos denigrat, ac crispos facit. Oportet autem per terram cimoliam pilos confricare, & tunc tingere. Præstat quoq; caput prærasum esse, & crasſiore medicamento illinere, uitata fronte & omnibus uicinis partibus. In multis celebre factum est, & est ualde necessarium. Sulphuris fullonici, atramenti sutorij, gallarum, calcis uiuæ, spumæ argenti, singulorũ sextãtem. ferruginis unc. I. Singula seorsim terito, & cum aqua ad ungenti formam reducito, ac confiden

confidenter utitor nihil ueritus calcem. Non enim urit, eò quòd uis ipsius à reliquis est oppressa. Hoc & ligna & cornua & lanas tingit. Aliud efficax experimento cognitum. Denigrat pilos ad miraculum usque. Foliorum fici nigræ, foliorum uitis nigræ, foliorum mori, singulorum lib. I. Omnia in aqua pluuiali per diem unum macera, deinde diligenter coque, & prærasis pilis impone. Aut si hoc nolueris, radicibus pilorum liquidius illine. Aliud quod pilos nigrefacit. Ladani, gallarum, amygdalarum amararum depurgatarum, fecis uini, foliorum adianti, singulorum sexuncem. uini è uinaceis expressi (quod loram uocant) sextar. III. Omnia in uas æreum stanno obductum conijce, & ad tertias coque. Deinde excola, & in alio uase paruo ad mellis consistentiã coque, & ad hæc ungenti Mendesij, aut alterius huiuscemodi, parem mensuram adde, & conquassata repone, & hoc quotidie utere. Sit autem plumbum potius quàm stannum, id metallum quo æneum uas obducitur. Aliud quod à canis præseruat. Colocynthidem syluestrem perforato, & interna probe repurgato. Deinde ipsam oleo expleto, & integrum hyoscyami albi semen adijcito, & per diem unã sinito. Et hoc per annum semel cõmode illinito. Aliud barbam nigrefaciens. Recrementum ferri & plumbum in aceto coquito, donec tertia pars restiterit, & illinito, atque ab oleo penitus abstineto.

Vt fului pili fiant. Cap. LIX.

Fuluos pilos faciunt lupini crudi, & nitrũ cum aqua illitum: loti arboris ramentorum decoctũ. Ligustri folia trita cum herbæ lanariæ succo imposita. Fex uini ueteris usta, & cum oleo balanino trita, ut iustam spissitudinem habeat. Hoc ubi dormitum ire uoles, illine, & mane flaui erunt.

Vt albi pili fiant. Cap. LX.

Hirundinis fimum cum felle taurino tritum illine, & albi euadent. Aliud. Verbasci albi florem urito, & aceto extinguito, & ad smegma ammixto utitor.

Vt crispi pili fiant. Cap. LXI.

Spumam salis cum myrrha affricandam præbe. Aliud. Carpasi succum illine, & manebũt crispi ac nigri. Aliud. Asphodeli radices urito, & tritis cum uino utitor. Aliud. Semen lini uino maceratum modicè coquito ac excolato, & ad succum oui candidum ammisceto, & ex eo uesperi pilos cõfricato, ac caput obligato. Postera uero die in balneo abluito, & hoc sæpe facito. Verum in his qui caput habent quod facile perfrigeratur, in balneo illinito, & illa die non abluito. Aliud celebre. Nucem pineam integram uiridem bonam unam, iridis scrupu. XII. myrti unc. I, baccarum myrti unc. I. polytrichi sesquiunciam, ladani sextantem, gallarũ unciam I. mastiches Aethiopicę unciã I. pampinorũ uitis sextantem, lacrymæ palmæ arboris scru. XII. adipis ursini scrup. XII. seminis betæ scru. XII. rhois coriarij scrup. VI. aluminis scisi scrup. VI. olei omphacini sextar. III. succi artemisiæ, succi serapiadis tritesticularis, succi polytrichi, succi asphodeli, succi anagallidos, singulorum quadrantem. Misce ac utere.

De his quæ pilos corrumpunt. Cap. LXII.

Eorum quæ pilos corrumpunt tres sunt differentiæ. Nam quædam proprie psilothra appellantur, quędam attenuatoria, quædam omnino ipsos extirpantia. Quæ igitur ipsos penitus extirpant, periculosi usus sunt. Aliquando enim non solum illitas partes corporis, de cætero penitus depiles reddunt, sed & usque ad caput & mentum, superciliáque ac palpebras, nuditas pilorum procedit. At uero attenuatoria & psilothra minimè periculosum usum habent.

Quæ pilos extirpant. Cap. LXIII.

Pilos penitus extirpare dicitur thynni hepar putrefactum, ranarum in arundinetis degentium sanies, testudinis marinæ sanguis, uitis albæ lacryma, lacryma hederæ, itemq; bryoniæ, scolopendra marina, stellæ marinæ. His ammiscetur nitrum, amurca & cedria, & oleum quod insulsum appellatur: Item Alcyonia & sandaracha, & his similia. Aliud. Vrticæ syluestris semen cum oleo tritum fortiter affrica, & defluent pili. Tardius autem circa pubem puerorum pilos enasci facit, aliquando uero etiam eos qui sunt, extirpat, uitis lacryma cum oleo illita, & humor qui ex uiridi sarmento dum uritur exudat. Aliud. Succi tithymali characitæ cyathum I. uini & olei singulorum cyathum I. misce, & illine in balneo: Et ubi modicum sudaueris, & deinde per strigilem confricueris, reperies pilos in strigile. Qui uero post dies quadraginta exorientur, lanuginosi erunt. Aliud. Asellorum sub hydrijs stabulantium drachm. XII. sandarachæ drach. IIII. calcis uiuæ drach. VIII. auripigmenti drach. VIII. lixiuij ex ligni ficulnei cinere excolati heminas II. aceti cochlear. II. Omnia unita in olla coquito, donec experimentum tibi facienti, illita pilos tollunt: Et utere in balneo uelut dictũ est. Aliud. Buglossi & semperuiui succum, æquis portionibus cũ stercore hircino terito, & uitrea tabella excepta densari sinito, ac utitor in balneo. Aliud. Bulbum hyacinthi purpureos flores habẽtis cum thure & amygdalis amaris terito, & oleo affuso unito, & in balneo ungito ex hoc: itémque citra balneũ quotidie, & paulatim pili corrumpentur.

Psilothra pilorum. Cap. LXIIII.

Ex his quæ pilis denudant, & psilothra appellantur, utile est lixiuium, & auripigmentũ, & sandaracha, & calx uiua. Manifestum est autem uehementiam ipsorum frangi, debiliorum & liquidorum ammixtione, ptisanę inquam aut oryzæ succi. Crito itaq; tale psilothrum in libris de ornatu describit. Calcis uiuæ partes II. auripigmẽti partem I. Hæc in mortarium plumbeum coniecta, aqua calida aut ptisanę succo affuso terito, & ubi nigra facta fuerint, in balneo illini iubeto. Hoc statim corpus glabrum facit, & pilis enascens tenuis emergit. Aliud. Oryzam, fabas, cicer, ptisanam, simul in aqua coquito, & ad hoc decoctum primum calcem ammisceto sufficientem, & prout moris est, agitato: Et ubi dissoluta fuerit, auripigmẽti unc. I. inspergito, unito, & myrrhæ tenuissimè tritæ unc. I. mastiches unc. I. pumicis torrefacti drach. IIII. opobalsami cochlearia II. adijcito. Aliud. Sandaracham cum hyoscyami succo tritam illine. Aliud. Fructus fici syluestris sexuncem, & foliorũ eius sexuncem, herinacium terrestrem integrum uiuum, succi aconiti, hoc est, iridis syluestris lib. I. ueratri nigri lib. I. fecis uini ustæ lib. I. caricarum pinguium nigrarum lib. I. auripigmẽti auricoloris trientem, costi trientẽ, casiæ trientem,

carpo

carpobalsami trientē, olei sextar. I. Omnia contusa cum herinacio terrestri uiuo, in duplici uase cū aqua coquito: Sint autē aquæ marinæ lib. v. donec aqua fuerit cōsumpta. Et ab igne ablata per triduū sinito, & ubi sedata fuerint, excolato, ac utere oleo in prima balnei domo antequàm sudare incipiunt.

Quæ pilos attenuant. *Cap. LXV.*

His quæ pilos attenuāt uti poterit medicus, in his qui duros ac magnos pilos habent. Sunt autem talia extersoriæ & attenuatoriæ facultatis. Quemadmodum autem in omnibus alijs medicamentis differentia secundum excessum & defectum est, ita etiam in extersorijs. Ordei itaq; farina & fabarum, & erui, spumaq; nitri ac nitrum, moderatiorem uim habēt. Quæ uero his fortiora sunt, in his qui duros ac magnos pilos habēt cōueniunt. Quale est nitrum ustū, & nitri spuma & aphrolitrū, & testæ calainæ. Item sepiæ testa usta ac non usta, & fictiliū ac clibani testæ, & pumex ustus ac non ustus, & muricū ac purpurarum ac reliquorum ostreorum testę, alcymiaq; ac herbæ lanariæ radix. Veratrum item utrumque, & bryoniæ radix ac dracunculi, aristolochiaq; ac panacis radix, & canchry ac huiuscemodi. Quòd si odorata hæc facere uolueris, cyperū & melilotum, & rosas siccas, & iunci odorati florem & iridem, & melissophyllum ammiscebis. Diuitibus uero nardum celticam & indicam, amomum, folium malabathri, myrrham & costum. Attenuat etiam pilos cinis sarmentorum uitis, & ficulneus, & ex tithymalis, tritus & in balneo affrictus. Et ab exustis uinaceis cinis, & alumen scissum, & stercus caninum siccum. Aliud smegma illustrans cutem, & pilos lanuginosos faciens, ualde bonum. Mora crudissima cum terra cimolia ac nitro, æquis portionibus trita adseruato, ac utitor. Puluillus attenuans pilos in balneo, multo experimento constans. Punicis costi, testarum sepiæ ustarū, nitri, cimoliæ æquis portionibus utere confidenter. Alius. Testarum purpurarum ustarū sextantem, alcyonij sextātem, nitri bessem, cimoliæ bessem, punicis unc. I. omnia tosta terito, & utitor in balneo, ac miraberis. Alius, quo usi sumus in cubicularia. Calcis uiuæ ex marmore factæ lib. I. auripigmenti unc. I. staphidis syluestris, cimoliæ testarum sepiæ, radicis bryoniæ siccæ, aluminis scisi, singulorū drach. IIII. cerusæ unc. I. sampsuchi, aloës, ueratri nigri, singulorū scrup. VI. Contusis ac cribratis utere, inijciens ex eo in familiare psilotrum drach. IIII. & ouorum candida. III. Deinde psilothrū ablue, & rursus siccū affrica, & quotidie in balneo hoc utantur. Aliud smegma attenuatorium, & lanuginē producens. Farinæ fabarū, pumicis, similaginis, spumę nitri albæ, singulorum chœnices atticas II. fœniculi cum ptisana cocti, & postea aceto mulso eloti ac siccati, tusiq; ac cribrati chœnices II. saponis gallici lib. II. Saponē reliquis antea tritis ammisce, ac manibus subige, & utere.

De furfuribus siue porrigine. *Cap. LXVI.*

Quibusdam se scalpentibus, furfuribus similia sæpe ex capitis cute decidunt. Contingit autem hæc affectio à uitiosis serosis humoribus, quos consumere scopus est in eius curatione. Itaq; discussoria ac extersoria adhibenda sunt pharmaca, ubi per purgatorium medicamētum prius totum corpus euacuauerimus, si uitiatis humoribus fuerit refertū. Quidam etiam aliqua adstringētia ad discussoria ammiscuerunt, quo per ipsa affecta pars corroboretur, ut ne facile in seipsam suscipiat influentes serosos humores, sed resistat, eosq; repellat, ueluti est sutoriū atramentum, & similia. Deterget itaque furfures in capite: Cimolia cum betæ succo aut fœnigræci, aut utriusq; simul ammixtis. Aliud. Fabam unà cum cortice molito, & cum betæ succo utitor. Aliud. Furfurum dimidiam chœnicem in aquæ sextar. I. macerato, deinde diu manibus terito, & succum excolato, & ad ipsum aceti heminam dimidiam addito, & ad spissitudinem coquito, & sic affricato. Deinde betæ, aut fœnigræci, aut lupinorum decocto abluito. Aliud. Terræ cimoliæ, sulphuris uiui, æquales portiones terito cū aceto, & affrica in balneo, & calida aqua ablue, & illine non solum in balneo, sed etiam citra balneum. Aliud. Spumæ argenti, olei rutacei, aceti, pares portiones terito & illinito. Hoc multo experimento constat. Aliud. Cucumeris syluestris radicem coquito, & decocto utitor. Archigenes de medicamento ex bryonia dicit, præ omnibus, inquit, hoc tibi paretur. Si igitur iuxta pondus præparare uoles, sic facito. Cimoliæ sexuncem, nitri quincūcem, farinæ fabaceæ quadrātē, corticis aridi radicis cucumeris syluestris sextantem, bryoniæ sextantem, farinæ ordaceæ ac lupinorum, singulorum unc. I. Aliud. Cimoliæ lib. II. nitri bryoniæ, corticis radicis cucumeris syluestris sicci, farinæ fabarum singulorum lib. I. farinæ ordeaceæ ac lupinorum, singulorum sextarij dimidium. Singula seorsim leuissimè terito, mensurato ac unitis utitor in balneo. Archigenes dicit, ad furfures farinam fœni græci, & nitrum, & cimoliam, cum betæ succo affrica, & fel bubulum aut suillum addito aceto illine. Deinde post horā ablue, & atramento sutorio ac nitro cum modico oleo tritis illine. Aut cuminum, & myrobalanum, & fabaceam farinam, æquis portionibus cum aqua lixiuij terito, & affricato. Aut amygdalas amaras decorticatas, cum aqua aut aceto tritas affrica. Postquàm uero resiccati fuerint pili, calida aqua ablue. Aut maluā syluestrem in aqua marina, donec decima pars supersit terito & affricato. Aut nitrum & pumicem, & fecem uini, pari portione cum aqua calida affrica. Aut spumam nitri, & atramentum sutorium, æquis partibus cum uino adhibe, ter aut quater in mense. Hoc adeò efficax est, ut nihil reliquum faciat. Aliud. Thus tritum cū aceto illine. Aut scorpiuri succum illine. Aut scillā assato, & ubi mollis facta fuerit, expressum succū oleo ammixto illine. Victus sit flatus exors, nihil ex crasso humore præditis habens, uelut sunt tubera, fungi, bulbi, legumina, & carnes bubulæ ac similes. Sin autem quæ ingeruntur uentri cōmoda, concoctu facilia, & mel cibis addatur. Ad intinctus confert acetū cum sapa. Condimentū sit cuminum, apiū, fœniculum, aliorū parcus sit usus. Et maximè ab omnibus bellarijs abstinendum est. Vinum utile est tenue & albū. Iucunditatis tamen gratia etiam uinum dulce & uinū mulsum permittitur. Ex fructibus uua arefacta optima est, deinde ficus ante cibum. Postea malū punicum post omnem cibū. Et amygdalæ uirides cōmodę sunt ante cibū. Et bonę cōcoctionis potissima ratio habenda est. Deambulationes lenes plurimæ

mane ac uesperi optimæ sunt. frigidæ lotio balneis præstat. Verum in calida se lauanti incommoda est multa in aëre conuersatio. Et capitis perfusio solis melior est. Et post hæc large per frigidam refrigera. Dormire ad satietatem commodū est. Ab ira & indignatione, insolationeq; ac uehementi frigore abstineant, itemq; ab omnibus quæ caput replent.

De morbo pediculari. Cap. LXVII.

Pediculorum generatio quibusdam aceruatim in capite cōtingit, multis humoribus moderatè calidis in profundo cutis collectis, ubi etiā pediculos generari contingit, nō in superficie cutis, in qua furfures consistunt. Itaq; pharmaca ipsorum necessariū est siccantia esse, & quæ magis ex profundo attrahere ac euacuare possunt. Lupinos igitur in aqua coquito, & decoctum ipsorum affricare iubeto. Aut myricę decocto, aut aqua marina, aut muria meraca cum aceto perfundito. Aut hederæ succū melle mixtum illinito. Aut perdicij succum dormitū eunti illinito. Aliud ad pediculos capitis, ac totius corporis. Ligustri florem cū uino tritum, capiti ac toti corpori affrica, ubi dormitū ire uolet. Aut staphidis syluestris partes II. sandarachæ & nitri, utriusq; partē I. adhibe cū aceto. Aut rhoëm culinariū cum oleo tritum illine. Aut alumine cū oleo trito utere. Aut ueratrū albū, & staphidē syluestrem, ac nitrū, æquis portionibus cum oleo trita, in balneo adhibe. Aut rumicis syluestris radice cū oleo in balneo utere. Aut modico pipere cū multo oleo utere. Aut oleū laurinū aut raphaninū illine. Si uero pili denudati sūt, staphide syluestri cū aceto & oleo utere. Aut alumine liquido cū oleo. Prodest itē ipsis potus allij drachmarū duarū, cū origani triti drachma una ex aqua mulsa.

De achoribus & reliquis pustulis capitis. Cap. LXVIII.

Vlcusculum quod achor Græcis appellatur, in capitis cute consistit, tenuia foramina habēs, per quę tenuis sanies effluit mediocriter uiscosa. Similis autē est ipsi alia affectio, quæ Corion, hoc est, fauus appellatur. Quæ quia foramina maiora habet, humores melli similes cōtinentia, Meliceris uocatur, hoc est, fauus mellis. Proinde scopus in his est ut humores affectionē facientes euacuemus. Si uero adhuc influxerint, ut prius influxionē impediamus, euacuato primum corpore per purgatoriū medicamentum, initio sumpto à uenæ sectione, si æger ferre potest. Deinde purgatorio utimur sero lactis præparato ex aqua mulsa, ammixtis ad ipsum epithymi drach. III. Relata est autē seri præparatio Sermonis secundi capite nonagesimo sexto. Si uero intempestiuus est lactis usus, colocynthidem perfectā accipe, & semen eijce, & in ipsam tomentū siue pulpam adhuc habentem, sapam aut uinū mulsum infunde, & per diem ac noctem macerari sine, & postea calefactū exhibe. Deinde uero etiā caput purgandū est per ea quæ naribus induntur, & quæ per os pituitam extrahunt. Conueniunt autē ipsis secantia & discussoria medicamenta, eò quòd uiscosus est humor qui affectionē generat. At uero incipientes achoras, ubi totum corpus superfluitatibus caruerit, per adstringētia ac repellentia curabis. Talia autē sunt myrti, & pini cortex, & rubi folia imposita, plantago imposita, oleæ syluestris succus affrictus, salicis folia & flos imposita, similiter poligonū. Quædam uero prohibēt ne achores augescant, simul reprimētia quod influit, simulq; cōcoquentia ac discutientia quod iam cōtinetur, ut quæ mixtas uires habent, quibus sanè post principiū uti oportet. Tale est oleū myrteum & rosaceū & lentiscinum, rubi succus cū oleo, portulacæ succus cū oleo, ladanū cum uino illitum, ligustrū & lētes. Quædā uero antiquis & moderatis auxiliantur, discutientia & extergētia citra sensibilem caliditatem, nō tamen aliquid iritans habentia. Quibus utendū est maximè ubi dolor aliquis cū achoribus affuerit. Sed & in his à debilioribus initiū facere cōuenit. Cimolia igitur ad hāc rem apta est, & Cretica ac Samia terra, pompholyx itē ac spodium, & spuma argenti & Cadmia tenera, & adiantū cum rosaceo illitū, & fœnigræci decoctū affrictum, & malua trita cū loliacea farina imposita. Aut melilotū cū farina fœnigræci ex uino impositū. Item cicerū decoctum, & ipsum cicer coctū impositū, nuces rācidæ cōmansæ ac illitæ. quòd si his nihil effeceris, siccū ex charta pharmacū illine cū aceto. Si uero acrius tibi uideatur, spumā argenti pari portione adde. Si uero nō affuerit siccū pharmacū ex charta, chartam ure, & cinerem eius aceto subige, ac utere in his qui durā carnem habent. Quædā porrò uehementē adeò uim habēt, ut ualde crassos ac uiscosos humores euacuare possint, ipsosq; dissoluere achoras, etiamsi iam in scirrhum indurati fuerint. Talia sunt chalcitis, fex uini usta, sandaracha, & calx. Acetū autem fortissimū est omni tempore ad achoras, & discutiens & repellens. Sit autē acerrimū. Discutit etiam optimè lilij radix affricta, & thus cū aqua & nitro, & lupinorū amarorū decoctū affrictum, & cucumeris syluestris radix cocta, & fici folia cum aceto trita, bulbi cū nitro affricti, rutæ folia imposita, farina fœnigræci cū nitro affricta, thus cū aceto illitum, malicoriū cum laurino oleo illitum, alliū cum cauliculo ustū, ac cinere cū oleo illito. Hoc ualde bonū est. Aliud. Mulier quædā nuces regias mandebat, & puero achoras habenti imponebat, & sanatus est. Aliud. Radices anchusæ ustas, ac cū oleo ad strigmenti spissitudinē tritas, illine cū penna, & sanabis. Aliud. Thymū urito, & cinerem cū uino & oleo subactū illinito. Aliud. Cnestrū quam in Alexandria liparona uocāt urito, & cinerem cū uino tritū illinito. Aliud. Buccinarum ustarū cinerem cū aqua adhibeto. Est hoc salutare pharmacū non solū ad achoras, sed etiā ad omnem papularū eruptionem. Quòd si incideris in achoras inflāmatos & dolētes, dolorem prius liquido medicamēto concoctorio mollienteq; ac leni mitigabis, quale est parhygrū, & omnia ad sedem parata, & quæ ad carcinomata descripta sunt. Farinā itaq; fabaceā uino madefactā ac tritam, ut emplastri formā acquirat, imponito. Facit & ad feruētiora & agrestia in capite pustularū genera. Aliud ad maximos & inflāmatos dolores, leniens, dolorē eximens ac percurans. Collyriū quod aster appellatur, aut aliquod ex Libianis appellatis, aut consimile quoddā cū modico hyoscyami succo terito, & adiecta sapa ac rosaceo illinito. Alia pinguis cōpositio, ad achoras, pustulas, papulas feruidas, intertrigines. Est & ad sedem bona. Spumæ argēti drach. VIII. foliorū rutæ tenerorū drach. XXV. Aceto dilue, & rosaceo aut myteo excepta pennis illine. Hoc magno experimēto nobis constat. Alia similis. Spumæ argenti

gẽti drac. IIII. cerusę drach. VI. sulphuris uiui drach. IIII. ceræ drach. IIII. rosacei aut myrtei quantũ satis est, ut liquidi cerati spissitudinem accipiat. Liquida siccis affũde, & unitis utere. Hæc ad totius corporis pustulas cõmoda est. Alia ad humidos achoras. Ladani drach. VIII. cerusæ tãtundẽ, sulphuris uiui drac. VIII. utere cũ uino & myrteo oleo. Aliud pharmacum. Ladani, baccarũ myrti nigrarũ, spumæ argẽti, sulphuris uiui, seminis hyoscyami, malicorij, æquas portiones terito, & uino ac myrteo, aut rosaceo oleo affuso utitor. Aliud ad feruidas, saniosas & impetiginosas papulas. Verbenacæ supinæ drach. VIII. acaciæ drach. VIII. myrrhæ drac. II. uino austero trita illine. Aliud. Facit & ad eas quæ in mento sunt. Baccarũ myrti, malicorij, atramenti sutorij, spumæ argenti, æquales partes tritas cũ uino & oleo myrteo adhibe. Emplastrũ ad achoras uetustissimos. Resinæ pinus siccæ, ceræ, adipis suilli, aut bubuli, æquas portiones simul liquatas in aquã excolato, & diutius manibus emollitis utitor. Aliud. Quo usus est Aegyptius in Palladio Magistriano in Alexandria, ubi medicorũ auxilia frustra tentasset. Colophoniæ semissem, ammoniaci thymiamatis sextãtẽ, galbani scrup. IIII. opopanacis scrup. III. olei drach. IIII. mastiches, ceræ, singulorũ unc. I. resinæ pinus lignosæ drach. IIII. æruginis scru. IIII. Quòd si magna affuerit acrimonia, æruginem ne adijcias. Hoc abscessus discutit, & iam ruptos euacuat ac sanat.

Ad capitis scabriciem. Cap. LXIX.

Rutam & alumen terito cum melle, & præerasis pilis illine. Aliud. Sulphur uiuum & staphidem syluestrem terito, & picis sero ammixto illinito.

Ad parua & densa ac rubicunda capitis ulcuscula. Cap. LXX.

In paruis ac densis & rubicũdis capitis ulcusculis, mãmarũ papillis similibus, à quibus etiã sanies effluit, caput radito, & semen lini tritũ ac melle subactũ imponito. Aut cõchyliũ urito, & cũ aqua tritũ imponito. Aut emplastrum è lolio imponito. Et ubi euacuati fuerint humores hoc sublato myrsinatũ appellatũ imponito. Cæterũ ad rubicũdas papulas in capite, cerusam cũ laurino illine. Aut pini corticem cũ cerato. Aut testam clibani cũ aceto aut uino. Aut betam coctã impone. Aut betæ succũ ad ceratum rosaceum quantum eius admittit, adijce & impone.

Resiccantia & cicatricem inducentia achoribus. Cap. LXXI.

Spumæ argenti drach. XXI. calcis uiuæ tantundẽ, aceti unc. I. rosacei tãtundem, utere. Aliud ualde bonum, quod humida ulcera resiccat, & cicatrice includit. Spumæ argenti, cerussæ, ordei usti, æquales partes cum rosaceo aut myrteo illine. Emplastrum melinum, resiccans omnẽ fluxionem, & cicatricem inducens, præsertim in antiquis ulceribus. Spumæ argẽti, cerusæ, salis fosilis, singulorũ lib. I. aluminis scissi semissem, atramenti sutorij semissem, olei lib. II. aceti sextar. I. oleum, spumam argenti, & salem, ac cerusam coquito, singula per se & simul leuissimè trita. Vbi uero nõ amplius inquinauerint, alumẽ & atramẽtum aceto diluta, ad pharmacũ ab igne ablatũ & aliquo modo frigefactũ paulatim adijcito, unito, & in mortarium diffundito, & probè mollito, utitor.

Smegmata ad achoras, furfures, asperitates, ac scabriciem. Cap. LXXII.

Quòd si in declinatione fuerit affectio, & omnino ad cicatricem uergat, ad totam affectionẽ eradicandam huiusmodi smegmatis in balneo utendum est. Terræ Cimoliæ lib. II. nitri rubri tantundem, myrobalani lib. I. myrrhæ, iridis, piperis, singulorum unc. I. nardi celticæ, costi, casiæ singulorũ unc. I. contudito, cribrato, ac utitor in balneo.

De aurium affectionibus. Cap. LXXIII.

Aurium dolores fiunt, tũ ob frigiditatem à uentis inductam, aut à frigidis aquis, aut ijsdẽ medicatis, in quibus homines se lauant: tũ ob inflãmationẽ cutis in meatu, aut nerui auditorij in profundo. Fit etiã dolor propter spiritũ flatuosũ, q trãsitũ non habet.

Ad dolores ex frigiditate. Cap. LXXIIII.

Dolores itaq; à sola frigiditate obortos, calefacientia quàm celerrimè curant. Cepa igitur aut allium in oleo feruefactũ frigiditates omnes sanat. Ego uero euphorbio modico ad multũ oleũ ammixto utor. Aut pipere exactissimè trito cũ uino & oleo. Prodest & amaracinum, & optimum nardinum, & laurinum. Sed & ruta in oleo dulcissimo cocta magnifice facit.

Ad dolores ex aqua medicata. Cap. LXXV.

Quum medicata aqua circa auditoriũ meatum cõtinetur, oleum assiduè infundere conuenit, ita ut aurem eluamus, & per mollẽ lanam detergeamus, & deinde rursus infundamus. Magnopere uero ipsos mitigat oui candidum cũ lacte muliebri tepidum infusum. Omnia enim quæ adhibentur, moderatè calida sunt. Prodest ipsis & anserinus adeps. Sed & exuctio per os aquam attrahit. Aut per arundinem, uelut per aquæfusorium instrumentũ (siphonẽ Græci dicunt) exuctione facta, ceparum succũ cum anserino adipe instilla. Valde enim mitigat. Si uero quis uno pede auri affectæ proximo exiliat, inclinans quodammodo seipsum, aquam facilè excernit.

Ad dolores auriũ ob humorũ crassitudinẽ. Cap. LXXVI.

Si dolor auris cũ capitis grauitate obortus fuerit, crassi & pituitosi humores causa doloris existunt. Dinotio autẽ ex prægressa diæta tibi continget. Nitrũ igitur ac spumã nitri auricularibus pharmacis miscebis. Veratrũ item album ac nigrum, & amygdalas amaras, & ex aristolochijs eã quæ ad manũ est, & cucumeris syluestris ac bryoniæ radicẽ, & centaurij magni radicẽ, & parui comã, & iridem, & casiã. Et in summa, omnia amara citra mordacitatem ac molestiam meatus purgant, & extergent, & crassos humores impactos secant.

Ad aurium sordes. Cap. LXXVII.

Ad aurium sordes ungentũ nardinum tepidum instilla, & sequenti die per specilli cõcauum eas quæ expositæ magis sunt expurga, & rursus nardinũ infunde. Si uero locus durus fuerit, aut etiã sordes duræ, nitrum torrefactũ ac leuissimè tritum in aurem insperge, & acetum calidum instilla, & apposita lana pernoctare sine. Postera uero die, aqua & oleo calefactis elue.

De sonitu aurium. Cap. LXXVIII.

Sonitus in auribus plerunque ex flatuoso spiritu generantur. Fiunt etiam aliquando ob sensus auditus subtilitatem, ex euaporationibus. Dinotio cõtingit tibi primum ex temperatura & habitu hominis. Deinde etiam ex omni prægressa diæta. Sed & ex eo quòd aut paulatim, aut aceruatim fit sonitus, in-

uenire datur affectionem. Quin & ex eo quòd hoc sonitus accidens aut per interualla redit, aut perpetuò pemanet, affectio cognoscitur. Exacta uero dinotio hęc à te fiat. Si enim quis putet à spiritu flatuoso exitum nō habente, sonitum fieri, & secantia ac attenuantia adhibeat, & nihil proficiat unà cum hoc quod etiam his quæ pituitam per os ducunt utatur. Tunc sanè ob auditus subtilitatem, sonitum fieri coniectet. Ego uero in talibus ammisceo ex his quæ sensum stupefaciunt, uelut est mādragoræ succus, & opium paucissimū. Aut oleū in quo intestina terræ cocta sunt infundo. At uero ad sonitus ob flatuosū spiritū generatos, talia cōmoda sunt. Apollonij ad sonitus ac bombos & sibilos derepente fientes. Acetum acerrimū calefactum instilla. Aut acetum cū rosaceo calefactū instilla. Si uero perseuerarint, cuminum, rutam, anethum & nigellā, cū aceto coquito, & rosaceo adiecto utitor. Aut colocynthidis medullam in oleo coquito, & oleū infundito. Si uero adhuc remanet ampliori tempore, omnibus amaris & acribus, & attenuatorijs ac discussorijs utere, quæ paulò antea descripta sunt ad eos qui ob humorum crassitudinem aures dolēt, ita ut singula cū aceto coquas, & mel addas. Facit autē ad inueteratos sonitus, castorium & spica nardi, æquis portionibus cū aceto & rosaceo. Aliud ad sonitus diuturnos. Herbæ lanariæ, croci, castorij, ueratri albi, æquales partes tere cum aceto, & informa pastillos, & utere cū uino. Cæterum ad sonitus ex morbo, fomento per absinthij decoctum adhibito, acetum cum rosaceo infunde, aut raphani succum cū rosaceo. Aut aloën optimam cum uino mulso. Si uero adhuc perseuerarint, ueratro nigro cum aceto cocto utere.

Ad auditus difficultatem ac surditates. Cap. LXXIX.

Qui difficulter audiūt, per hieram ex aloē, aut per catapotia ex colocynthide purgādi sunt, & pituita per os detrahenda est, & caput omni modo resiccādum ac corroborandum. Vtendum est & attenuatoria diæta. In ipsam uero aurem immittenda sunt pharmaca quę findunt ac secant, & attenuant uiscosos ac crassos humores. Quorum sylua iā antea relata est in his qui ob humorum crassitudinem aures dolēt. Fomenta ad grauē auditum, Apollonij. Ad audiendi difficultatem derepente obortā, & ex capitis dolore, absinthiū cum aqua in olla coctum per arundinē pro fomento adhibe, ita ut alterā arundinis partem cauitati auris adaptes, alterā uero foramini operculi ollæ inseras, quo uapor qui exhalat ad auditorium meatū allabatur. Aliud. Baccas lauri aut folia in aqua coquito, & similiter utere, aut origanū, aut hyssopū eodem modo, aut aquā marinam cum aceto similiter. Est & hoc optimum, urinam tauri, aut bouis, tertia aceti parte addita, pro fomento adhibeto. Itē myrtum cōtusum similiter coctū adhibeto. At uero circulū ex lana auri circundare oportet, ut ne loci uicini amburantur. Elotiones porrò his conueniunt, acetum acre albū, cum pari aquæ mensura, & nitro leuissimè trito calefactū infunde per multos dies. Et postea aqua calida elue, atq; sic subscripta infunde. Quæ auribus in auditus grauitate infundantur. Porri succū irino ungento ammixto infunde. Veratri nigri radicem cum aceto tritam, & melle exceptā, in aurē inde, & per dies quinq; sine. Capræ recens mactatæ cornu urina eiusdē exple, ea maximè quæ in uesica ipsius reperitur, aut alia asseruata, & cornu in fumum ad dies nouē suspende, ac utere. Clauos caligarū ueterum numero centū, in uino Aminęo ad dies septē macerato, & donec septies ebulliāt coquito, excolato, & adseruato, & usus tēpore quātum satis est calefactū infundito. Hoc usus ego surdū curaui. Aliud. Asphodeli radicē in oleo coctā adhibe. Hoc etiā inueteratā audiendi difficultatē sanat. Optimus est etiā cucumeris syluestris radicum aut foliorū succus cū aceto infusus. Aut capræ urinā & fel eiusdē simul calefacta infunde. Aut castoriū cum baccis lauri & aceto. Aut ueratrū nigrū cum aceto terito, & melle diutius cocto excipito, & collyria ad glādis figurā formato, & in meatū indita per triduū sinito. Aliud. Nasturtij seminis quantū satis est, & nitri parū, ficus pinguis carne granulis exēptis excipe, & collyria meatui auris congrua efforma ac inde, & per triduū sine. Hoc sordes multas ducit, & statim alleuat. Aliquādo uero pro nasturtio sinapi conijcimus. Vtere hoc etiā ad aurium sordes. Multū quoq; opitulatur ad auditus grauitatem spōgia in tenues partes cōcisa, ac intorta & melle imbuta meatui indita. Idē cōmodum est ad enascentem in auditorio meatu superfluā carnē. Aliud. Omnis piscis fel infusum prodest, itē perdicis, & capræ. Aliud. Fel tauri cū anguis senecta tritissima aceto exceptum, & meatui inditū, grauem auditum soluit. Quidā cum rosaceo indunt. Aquæ uero fomentum adhibere oportet. Aliud. Saluiæ succū cū oleo omphacino in aurē instilla. Vtere, est ualde cōmodum. Aliud. Herinacei terrestris fel cum oleo infunde. Aliud. Veratri albi drach. IIII. castorij drach. I. spumæ nitri drachmam I. infunde cum aceto, & utere uelut optimo. Vtere etiam pastillo ex amygdalis amaris cum aceto mulso. Descriptus est ad aures purulentas.

Ad aurium inflammationes. Cap. LXXX.

Moderatas & nō pulsātes inflāmationes sanat rosaceū cum aceto tepefactū. Et glaucium in cote medica tritum cum uino dulci ac modico aceto. Si uero uehemētior fuerit inflāmatio, dolores quidē mitigat, tenue, ac candidū oui cum lacte muliebri tepidū infusum. Optimū uero ad ipsos pharmacū est nardinum ungentum, cū modico medicamēto Basilico appellato, aut cū adipe anserino, aut phasianino. Vbi uero magnus est dolor, necesse est stupefacientibus sensum uti, ita ut ad lac muliebre, & oui cādidum modicū opij ammisceamus. Ammiscendū est & castoriū, ad uehemētiores dolores pari mensura, ad leuiores dupla proportione. Nos autē opiū & castoriū cū sapa probè conterimus, & tepefacta infundimus. Oportet autē omnino nō cōtingere auditoriū meatum tempore doloris. Et fomentū adhibere per auricularium specillū, lana mollissima circūdatum, ita ut lanā tepido Basilico medicamēto, cum nardino aut alio ex his quæ infundūtur tingamus, & ad principiū auditorij meatus indamus, & pharmacū in profundū destillare sinamus. Et hoc assiduè facere oportet. Postquam uero repletus est meatus, lanā supernè obdito. Quòd si æstas fuerit, & multæ caliditatis sensus ægrū circa inflāmatā aurē uexarit, fomētum per rosaceū bonū fiat. Mitigat porrò feruētes inflammationes tepida cū rosaceo instillata, auriculæ muris succus, & polygoni, & portulacæ, & ramētorū cucur

cucurbitæ succus. Itē aranei cū rosaceo cocti, & aselli sub hydrijs stabulātes similiter, & intestina terræ eodē modo. Et blattæ domesticæ interanea cū rosaceo. Et oleū amygdalinū ac hyoscyaminū. Medicamentū auriculare è succis, ad inflāmationes quæ ægrè transmutātur: citò enim ipsas suppurat. Succi ramentorū cucurbitę, succi calami, succi perdicij, succi brasicæ, singulorū cyathum unum, nitri tosti, myrrhæ, croci, singulorū drach. IIII. ungēti nardini unc. I. aluminis liquidi unc. I. aceti scillitici sextantē, mellis optimi lib. I. excipe & repone in uitreo uase. Et usu postulante, cū nardino aut rosaceo diluto utere. Aliud, ad diuturnas & ægrè trāsmutabiles inflāmationes. Galbani drach. VII. seui taurini drac. IIII. ceræ, colophoniæ, saponis, singulorū drach. III. picis drach. I. Colophoniā, picem, seuū liquefacito, & galbanum cū cera præmollitum adijcito, & deinde etiā saponē, & excolatis utitor, ita ut in cote cum aqua aut oleo aliquo diluas. Ad maximos dolores. Aloën optimam uino mulso dilutā instilla, aut lanas succidas aceto feruefacto, & instillato, insupérque ipsam lanam in aurem indito. Quod si mitius facere uelis, cum aceto aut sapa coquito.

Ad aures absq; ulceratione humectas, quæ uelut exudāt, & serosum humorem excludūt. Cap. LXXXI.

Misy in linteolum illigatum & prunis obrutum, exurito, & unà cū exusto linteolo terito, & per arundinem insufflato. Aut gallas terito, & linteo illigatas exurito, ac similiter utitor. Aut alumen in testa exustū, & oleo præaffuso tritū insufflato. Porrò postquā penitus sedata fuerit inflamatio, castoriū cū oleo infūdatur, quo detrimētū ex afflictiōe soluatur.

Ad ulcera in meatu auris. Cap. LXXXII.

Recentia quidē ulcera glaucium curat solū cum aceto tritum, & omnia ex ipso collyria, & quæ ex croco, itemq; ex rosis fiunt & appellationē habēt. Curat etiā eadem collyrium Damocratis ex myrrha. Quæ uero purè manāt citra dolorem, & moderatè hoc patiūtur, per eadē curantur. Quæ uero fortiter purè manant, per pastillos. Qualis est Andronis & presertim Musę, cum sapa & modico aceto infusus. Quòd si etiā hæc superentur, recrementū ferri cum acerrimo aceto, in caniculari æstu ad solē terito, & pastillos efformato, & utere cū aceto. Si uero nō est canicularis æstus, recrementū ferri leuissimè tritum cū aceto ad prunas coquito donec resiccetur, & utere cū aceto. Auriū elotiones. Cæterum Apollonius ad auriū ulcerationes talia scribit. Vino mulso calido frequenter ipsas elue. Aut myrtū cū uino coquito ac utitor. Si uero fœtidū fuerit quod prodit, malicorium & lentē cum uino coquito, & tepidū infundito. Post elotiones autē cōueniunt ad infundendū, fel bubulum, & maximè porcinū, in malicorio tepefactū instilla. Idem facit & caprinū fel, & omnis piscis fel rosaceo ammixto. Aliud optimū. Alumen scissum tritū, cum sapa & aceto in ferueti cinere coquito ad mellis spisitudinē, ac utitor. Facit etiam omne alumen cū polygoni succo, & Erasistrati Panchrestos appellata ab omnimoda utilitate, liquida. Habetur autem inter ocularia medicamēta. Aliud. Aluminis scissi, croci, gallarum, æquis portionibus utre cū uino. Auricularis cōpositio ad dolores magnos, & pus albū. Amygdalas amaras decorticatas VIII. spumę nitri albę drach. III. thuris drac. III. opij drachmas tres, croci drach. IIII. galbani drac. II. myrrhæ drach. I. aceto trita excipe, & forma pastillos ac utere, si dolor adest, cū rosaceo. Si pure manāt, cū uino mulso, aut aceto aut sapa. Si uero auditus grauitas affuerit, cum aceto ad diuturnas ulcerationes. Aloës, thuris, myrrhæ, singulorum drach. IIII. misyos dra. II. efforma cum aceto, & utere resolutis cū aceto aut rosaceo.

Ad corruptiones ac fœtores aurium. Cap. LXXXIII.

Malicorij & lentis decocto elue uelut prædictū est, & utere subscriptis. Aluminis scissi libram unam, atramēti sutorij drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. crocomagmatis drach. VIII. uini dulcis mytei sextar. III. Alumen cū uino coquito, & ubi ad compagem redactū fuerit, reliqua prius trita cum aceto adijcito, & unitis utitor cū sapa & aceto. Aliud, ad purulentas & graueolētes aures. Vrsi fel instilla, si uero aridum fuerit, cum aceto & sapa diluto utere. Summè enim prodest. Aegyptium pharmacū ad omnes relatas affectiones, etiāsi fuerint cōgenitę. Amygdalarū amararū drach. II. piperis albi drac. II. fabarū Aegyptiarū internam partem drach. II. pōdere, croci, myrrhæ, opij, thuris, castorij, singulorū drach. II. omphacij drac. IIII. atramēti sutorij drach. IIII. spumæ nitri drach. II. Terito cum aceto in quo malicorium coctum est, & excipe ad strigmētitiam spisitudinem. Vsus autem tempore quantum satis est de hoc pharmaco accipe, & nardino ungento dilutum instilla.

Ad superexcrescentes in aurium ulceribus carnes, Heraclidæ Tarentini. Cap. LXXXIIII.

Aeruginis drach. VIII. squamæ æris drach. IIII. mellis heminæ dimidiū, hoc est dodrantē. Arida trita melle excipe, ac coque ut rubicūdum pharmacum euadat, & utere super eminentē locum hoc ponens. Aliud. Aeruginis drachmas quatuor, atramēti sutorij drach. IIII. succi marrubij cyathos tres, mellis quantū satis est, præpara & utere uelut dictū est. Aliud Apollonij Memphitæ deprimit omnē superexcrescentē carnem, citra dolorem. Aluminis scissi drach. IIII. misyos usti drac. IIII. æruginis drach. II. lemnij sigilli drac. II. gummi drac. II. (alij singulorū tot uncias pro drachmis habēt.) Terito cū aceto, & formato pastillos, ac utitor cum uino aut aqua. Deprimit & cicatricē inducit. Facit & ad nares exulceratas.

Ad uermes in auribus. Cap. LXXXV.

Vermes in auribus aut generatos, aut extrinsecus illapsos, amara & acria in summa occidunt, uelut sunt, capparis foliū aut succus, cedria, urina humana uet⁹, singula cū melle: aut aristolochiā tritā insuffla: aut calaminthæ succū infunde. Aut ueratrū album cū uino: aut colocynthidis decoctum, aut cētaurij, aut absinthij, aut polij cum uino: aut scordij, aut marrubij succum, aut elateriū cum aceto. Facit & maluę hortensis aut syluestris succus: maximè in his quę sunt inflammatæ.

Ad sanguinis ex auribus eruptiones. Cap. LXXXVI.

Ad sanguinis ex auribus eruptiones, ut ne in grumos coëat, porri succum & acetum mixta infunde, & sanguinē sistet, & grumos dissoluet. Aut malū punicum in aceto coctum infunde. Aut gallum in aceto coquito & excolato, & rubi succum misceto ac infundito. Aut poligoni succum cum modico aceto, aut acaciam, aut amurcam, aut lycium cum aceto instillato.

De calculis aut alijs corpusculis in aurem illapsis. *Cap. LXXXVII.*

Si calculus, aut faba, aut consimile quid in meatũ auris illapsum fuerit, elue. Aut specillum lana obuolutũ resina tinge, & extrahe. Aut per glutinosum aliquod pharmacũ aut dropacem idem facito. Quod si nõ successerit, sternutatorium naribus inde, & os obtura ac nares. Nam iuxta contingentem spiritus extensionem id quod incidit efflatur. Hoc autẽ assidue fiat, donec exciderit. Si uero intus manserit, auris inflãmata cõuulsiones inducit. Optime uero eorum quæ illapsa sunt eiectionẽ adiuuat concussio, ita ut si puer fuerit, pede teneatur, & cũ concussione in caput eleuetur. Si uero perfectæ ætatis quispiã ita fuerit affectus, ipsum in tabulã secundum affectã aurem reclinatũ, caput ad tabulã firmare iubeto: Deinde leuata tabulę circa caput parte deferri sinito, idq́ sæpe repetito. Mouebitur enim quod incidit, & ad expeditiores meatus partes progredietur, atque ita angusta & cõcaua specilli parte immissa scite extrahito. Si uero faba aut cõsimile quid in aurẽ illapsũ, in ea maneat, madefactũq́ ac tumefactũ dolores inducat, impossibile est ipsum integrũ eximere. Quare per specilli concauũ industriè partiri ac diuidere ipsum oportet, atq; sic particulatim extrahere. Deinde sapam aut uinum dulce calidum infundere ac lenire meatum ex lancinatione offensum.

Ad affectiones auriũ extra meatũ. *Cap. LXXXVIII.*

Foramina in pulpis auriũ in pueris inflãmata, oleo quod in ærea lucerna æruginẽ contraxit, assiduè illine, & sanabis. Ad cõtusas autẽ aures, myrrhã, mannam thuris, terrã nigram, qua quidam pro smegmate utuntur, cũ aceto ad cerati spissitudinẽ unita imponito, & nequaquã amplius iritato. Aliud. Sulphur uiuũ, myrrham, thus, cũ pice liquida in splenio imponito. Philagrij ad contusas aures. Mannam thuris aut ipsum thus, & aloẽm, cũ uino & rosaceo terito & imponito. his etiam cochleas paruas integras tritas, si haberi possunt, addito. Aliud. Intestina terræ cũ modica terra ex qua accepta sunt, tere & impone. In quibus uero fractæ sunt aures, intrinsecã expeditiorem cõcauitatẽ cartilagineam figulina terra expleto, & resiccari sinito, ac solanũ cum cerusa illinito, donec in integrũ restituantur. Si uero inflãmatio ad contusionẽ accesserit, meatui quidem butyrũ tepidum, aut adipem anserinum, aut gallinaceũ instilla. Aut etiam ocymi succum cũ aliquo ex relatis adipe. Forinsecus uero cerusam cum solani, aut polygoni, aut coriandri succo illine. Aut putamen mali punici dulcis in uino coctum ac tritum obline. Aut glaucio utere. Emplastrum autem hoc adhibeto. Sandycis lib. I. olei lib. I. aquæ semissem. Coquito simul, donec non amplius inquinent, & utere.

De parotidibus. *Cap. LXXXIX.*

Parotides ex genere sunt inflãmationum. Fiũt autem glandulis circa aures affectis. Non tamen utimur in ipsis, uelut in alijs partibus inflãmatis, in principio repellẽtibus. Imò uice uersa attractorijs utimur, affligentem humorẽ ex profundo ad cutem attrahere conãtes, & naturæ opem ferre, quæ per humorũ ex loco in locum, impetuosum illapsum, febres curat. At uero quum uehementi impetu fluxus illabitur, nihil nos curiosius agentes, omnia naturę permittimus. Si enim aut cucurbitã, aut pharmacũ quoddã humores ex profundo ad cutem attrahẽs adhibuerimus, uehemens dolor hominẽ occupat, ut ex ipso & uigiliæ succedant, & febres intendantur, ac uires exoluantur. Mitigare igitur tunc potius cõuenit, & non humorũ influxui opitulari, per cataplasmatum maximè leniẽtium usum, quæ ad hoc quod moderatè humectã habent caliditatem, per quam mitigare dolores ualent, etiã influentes humores cõcoquere possunt ac suppurare. Vbi uero suppurati fuerint, discutere ipsos aggrediemur. Si uero duricia cũ dolore apparuerit, emollientia ad attractoria miscebimus. Proinde ubi uehemẽs dolor obtinet, & humores adhuc influunt, butyro utemur locũ assiduè illinentes, aut adipe suillo, aut butyrũ & adipem simul liquefaciemus, & modica cera adiecta, ut mollius ceratũ fiat imponemus. At uero moderatas parotidas, in quibus neque multa copia influit, neq; dolor uehemẽs adest, neque suppuratio expectatur, facilè curabimus per fomenta ex muria, & cataplasmata ac pharmaca discussoria. Quale est Mnasææ emplastrum, & emplastrũ ex succis, & his adhuc magis ea quæ molliora sunt & cerat iformia, ex butyro & œsypo parata, quæ assumunt ostrea usta, aut buccina, aut purpuras. Quale est & hoc. Adipis anserini ueteris insulsi sexuncem, butyri unciã unã, ceræ sextantem, ostreorũ ustorum tritorũ sextantem. Liquabilibus liquatis ostrea insperge, & unitis utere confidenter. est enim efficacissimũ hoc. Aliud ualde bonum. Apochymatis sexuncẽ, picis bessem, ceræ quadrãtem, colophoniæ sextantẽ, adipis uitulini sesquiunciã, bituminis sextantẽ. Reliqua liquato ac excolato. Bitumen uero cũ modico aceto terito, & liquata ad ipsum affũdito, & emollitis utitor. Quin & in induratis iã ac diuturnis parotidibus, buccina usta & omnia ostrea adipi ueteri porcino liquato ammixta, uelut dictũ est, citra omnẽ molestiã discutiũt omnes diuturnas ac induratas inflãmationes. Quapropter utẽdũ est in durioribꝰ parotidibus albo emplastro ex buccinis, quod Ariobarzaniũ appellatur, & eo qđ Dionysia appellatur, & ex misy paratur. Describetur ea in sermõe de emplastris. Ego uero soleo parotidas puerorũ & mulierũ solo butyro curare.

De narium affectionibus. *Cap. XC.*

Ex genere tumorum præter naturã polypi in naribus generantur. E genere uero ulcerũ ozænæ. De excretionibus autẽ præter naturã sunt sanguinis eruptiones. Ozænæ itaq; ex acrium & putredinosorũ humorum influxu fiunt. Nam si solũ acres fuerint, incurabilia ulcera facere solent, non tamen graueolentia. At polypus appellatus, polypi marini carni iuxtà essentiæ proprietate, & colore & compage similis, ex crassis & uiscosis humoribus generatur. Cæterũ curatio utrisq; cõmunis est, ozænæ & polypo, ut primũ caput resiccetur ac corroboretur. Manifestum est enim quod uitiosorũ humorũ redundantia naribus ex capite influit. Quomodo uero caput roborare oportet, iam dictũ est, ubi de capitis dolore egimus, ubi diuersa smegmata & epithemata descripsimus, quæ sincipiti ac toto capiti prerasо imponũtur. Verũ ad iã præscripta optimè ad ipsos facit emplastrũ ex anemona capiti impositũ. Itẽq́ hoc: Myrrhę unc. I. thuris unc. I. cochleas integras V. ouorũ cãdida II. Omnia in mortario cõtusa ac mixta illinito, linteo capiti superimposito, & sinito per dies IX.

Atq;

Atque ita postea localibus auxilijs utere.

Ozænarum curatio. Cap. XCI.

Postquam itaq; per prædicta caput corroboratum præparaueris, ad nasi curationē procedes, scopum propositū habēs in ozænis, ut affectam partem per pharmaca mixtam uim habentia resicces, repellentia uidelicet ac discussoria. Repellūt igitur austera & acerba, quæ in communi adstringentia appellantur. Discutiunt autē siccam & calidā uim habentia. Archigenes autem ad dolores in naribus & ozænas talia describit. Calaminthæ succū insunde. Aut ipsam siccam tritā insuffla per arundinē. Aut erucę succum assiduè infunde. Aut mel in nasum stillato, & per sternutatoriū concussione facta, tectoria ulceri obducta excutito. Deinde ueratrū album cū multo nasturtij semine naribus attrahere iubeto, & postea amurcam cū melle illinito. Aut ranunculi succum cū alumine liquido in nasum instillato, & attrahere iubeto, atq; hoc facito donec persanaueris. Si uero antiqua fuerit affectio, etiā acetum acerrimū ammisceto. Meatus autem nasi ex hoc illinito. Spicam nardi & misy, æquis portionibus trita cū uino austero ad strigmentitiam spissitudinē illine, & lana obtura. Optime uero facit ad ozænas atramentū sutoriū melle cocto exceptū, & chalcitis eodē modo, & ærugo, & squama æris, & floridum medicamentū ori destinatum. Et hoc, chalcitidis crudæ drach. XII. cadmiæ drach. VIII. terito cū aceto ad multos dies sub caniculæ feruore, & exiccato, utere cū uino ipsum diluēs, aut siccum insufflans. Aliud. Mysios, chalcitidis, myrrhæ, singulorū drach. IIII. atramenti sutorij drach. IIII. aluminis scissi, gallarum, squamæ æris, singulorū drach. IIII. aluminis rotundi drach. II. thuris drach. I. aceti lib. I. Omnia trita simul coquito in æneo uase, & ubi ad mellis cōpagem redacta fuerint ablatis utere, linamēto intincto & naribus penitissime indito. Siccus puluillus ad ozęnas. Fructus ericæ, myrrhæ, nitri, malicorij, singulorum drach. IIII. croci, costi, singulorū drach. II. trita insuffla. Alius. Aluminis scissi, myrrhæ, singulorū drach. IIII. sandarachæ, rhois culinarij, salis ammoniaci, croci, costi, singulorum drach. II. trita insuffla, naribus prius uino mulso collutis. Aliud Theodori ad graueolentiā nariū. Amomi, myrrhæ, casię, rosarum siccarū, æquales partes tritas cū ungento nardino dilue ac utere. Aliud. Myrrhæ, casiæ, rosarū, singulorum æquales portiones contusas ac cribratas melle excipe, & mane ac uesperi illine, donec malum cesset. Aliud. Hedichroo cū uino mulso trito utere. Aliud, Iucundū appellatū. Myrrhæ drach. IIII. casię drach. IIII. floris iunci odorati drach. IIII. rosarum siccarū drach. I. terito cum uino mulso ueteri, reponito ac utitor illinens ex eo nares. Aliud. Cyperi quadrantē, sandarachæ, aluminis scissi, myrrhæ, croci, singulorū unc. I. aridum insuffla. Aliud Apollonij ad polypos. Veratrū & origanum trita insuffla. Aliud. Veratrum nigrū & sandaracham, æquis portionibus cum oleo terito, & lana excepta naribus indito. Aliud. Atramentum sutoriū, æruginem, laser, æquis portionibus, cū oleo illine naribus per specillū lana obuolutū, ad dies nouē. Deinde uolsella trahe ac exime. Aliud ad ozęnas quo assidue utor. Ad pastillum Musæ adijce chalcitidis drac. VI. aliquādo etiā XII. & ueratri albi drachmas II. Vtereq; cū uino mulso. Aliud. Auripigmētū tritū per specillū large admoue. Vbi uero intumuerit & eminuerit, ueratro nigro arido trito moderato utere, & in septem diebus ut plurimū nasus uacuus redditur. Deinde diphryge trito cū melle expurga. Aut auripigmētum, calcē, & ueratrū albū trita cum melle adhibe. Aliud celebre. Myrrhæ drach. III. chalcitidis drach. IIII. casię drach. III. spicæ nardi drach. II. mysios drach. II. ueratri albi drach. I. Vtere sicco, & cū uino mulso. Aliud bonum. Mysios torrefacti drach. VIII. iridis drach. IIII. croci drac. I. excipe melle ac illine. Aliud. Aluminis scissi unc. I. myrrhæ unc. I. thuris sesquiunciā, muscij herbę quæ & dorcadias appellatur drach. IIII. æruginis drach. II. salis ammoniaci scrup. IIII. terebinthinæ unc. I. mellis trientē, aceti quantū satis est. Aliud, facit & ad polypos. Aeris usti, squamæ ferri stomomatis, aluminis scissi, singul. unc. I. myrrhæ unc. I. thuris sesquiunciam, aristolochiæ, uerbenacæ rectæ, squamæ æris, æruginis, singulorum unc. I. aut omnium æquas portiones, adhibe aliquādo uino diluta, & per linamentū inde. Aliquando uero cum compositione ex moris, aliquādo cū melle. Aliquādo etiam siccū insuffla, aquā in ore continere iubens. Aliud cuius uilitatē ne cōtempseris. Centaurij tenuis usti, polij usti, chamæmeli usti, singulorū drach. VIII. æruginis, squamæ æris ustæ, radicis cyclamini siccæ, myrrhæ, aloës, malicorij, singulorū drach. IIII. tritis utere prout uoles. Aliud, ad ozænas, & erosiones, & nomas, & crassitudinē, & omnia nariū uitia: Succi foliorū uitis albæ quadrantē, mannæ thuris, atramēti sutorij, chalcitidis, aristolochiæ, singulorū drach. III. terito & siccato ac insufflato. Pastillus ad ozænas Cyri Archiatri Edessæ. Cadmiæ ter ustæ ac uino extinctæ, plumbaginis, plumbi usti, spumæ argenti, spicæ nardi, thuris, foliorū cupressi, herbæ sabinæ, gallarum, Lycij indici, gummi, singulorum drach. IIII. cerusæ, glaucij, folij, balaustiorum, floris iunci odorati, malicorij, aloës, acaciæ, singulorum scrup. VIII. florum rosarū & foliorum singulorum scrup. VI. cōtusa & cribrata terito cum aceto, & formato pastillos, ac utere cum uino, aut sapa.

Polyporum curatio. Cap. XCII.

Iam antea dictū est quòd ex crassis ac uiscosis humoribus polypus generatur, & propterea mixta materia opus habet, adstringēte & secante, & discutiente, ac siccante. Quorum sylua talis est. Aluminis scissi, myrrhæ, sandarachę, singulorū drach. IIII. atramēti sutorij usti drach. I. gallarum drach. I. tritis utere, ubi prius nares uino odorato elueris, ita ut postea per specilli nucleū illinas. Vtere etiā his quæ ad ozænas præscripta sunt. Aliud. Soreos drach. II. chalcitidis tostæ drach. II. fructus myricæ drach. I. croci drac. I. myrrhę drac. I. trita insufflato uelut dictū est. Aliud. Chalcitidis tostæ drach. II. misyos drach. II. atramēti sutorij usti drach. II. amomi drach. II. myrrhæ drach. IIII. croci drach. I. terito & utitor siccis. Aliud mirabile. Soreos quadrantem, aluminis scissi quadrantem, gallarum sextātem, myrrhæ sextantē, utere sicco. Aliud ad polypos, ozænas, ægilopas, & quæ citra sectionem ac ustionem remouere uoles. Disparat etiam ossa corrupta. Ramentorum æris rubri unc. I. salis ammoniaci sextantem, aluminis rotundi quadrantem, aceti acerrimi heminas VI.

VI. Arida trita adiecto aceto æris rubri uase excipe, & ad solem expone ac pistillo æneo sub caniculari æstu agita, donec resiccentur. Deinde trita uase fictili reconde. Vsus autem tempore aquã in ore teneri iube, & per arũdinem naribus insuffla. Ad polypos & ozænas. Sinapi tritũ aquæ misceto, ac subigito, & collyria glãdiformia formato. Deinde gracile linteolum sinapi obducito, quo ipsum extrahere possis ubi uoles, & naribus indito, principio lintei foris relicto, & totam diem sinito, & excidet polypus. Aliud ad polypos & ozænas ac superexcrescentẽ carnem. Aluminis scissi scrup. IX. aluminis rotundi scrup. VI. atramẽti sutorij scrup. VI. chalcitidis scrup. XVIII. myrrhæ scrup. XVIII. squamæ æris scrup. IX. thuris scrup. IIII. gallarũ scrup. XII. contusa cribrata terito cũ aceto uelut collyrium, & formato pastillos. Vsu uero postulante, quantũ satis est cũ melle contere, & linamẽtum intinge, ac naribus inde, & ad diem unam sine. Altera uero extrahe, & sequetur polypus, quod plerũq; fieri solet. Aliud Oribasij. Squamæ æris drach. VIII. sandarachæ drach. IIII. ęris drach. VI. ueratri nigri drach. II. Siccum hoc insufflato, & uelut optimo utitor. Nã in diebus decem manifestam utilitatẽ declarat. Nechepsos rex ad carnẽ in naribus enatam. Squamam æris, & squamã ferri, ac alumen scissum, æquis portionibus terito ac insufflato, aut per specillum adhibeto, aut in linamento utitor. Asclepiadæ ad polypos. Atramẽti sutorij drach. I. diphrygis usti drac. II. calcis uiuæ drach. II. sandarachæ drach. II. sicca adhibe. Aut linamẽtum intortũ aqua madefactum ac pharmaco imbutum inde. Aliud quo Antipater usus est. Atramenti sutorij, sandarachæ, æquales partes tritas insuffla, & per specillũ admoue. Aliud. Atramenti sutorij usti drach. IIII. rubricæ sinopicæ drach. I. trita insuffla. Naturale Apollonij ad polypos. Nycticoracem iugulato, & calido ipsius sanguine polypum illinito: Reliquũ uero in sole siccato ac reponito, & aridum tritũ inspergito. Aliud eiusdẽ ad exulceratos polypos, & ad ozænas. Dracunculi radicem aridam tritam insperge, facit & succus ipsius illitus. Aut cupressi folia, aut pilulæ ficus carne exceptæ. Facit & saluia imposita. Et laser cum atramenti sutorij, aut æruginis pari portione. Galenus autem ad polypos inquit & ozænas comperi egregiè facere subscripta. Primũ quidem id quod ex malis punicis paratur. Sin autem æquali numero ac magnitudine ex tribus generibus accepta, de austeris, de dulcibus, & de acidis. Oportet autem ipsa recentia matura contundere, ipsaq; tota confringere exactè, quo succus ex ipsis exprimi possit. Quẽ modicè coctum reponimus in stanneo uase. Quod uero restat solidum & crassum, diligenter in mortario tundito, & ualde bene in pila terito, ac collyria formato, oblonga, & crassitudine & longitudine differentia, eaq; siccato. Et usus tempore congruũ ex his collyrium in nasi meatum inde, in quo polypus existit. Nam citra mordacitatem & consensum tollit polypum longiori tempore. Si uero humidior & mollior polypus tibi uideatur, amplius accipies de austeris punicis malis: Si uero durior, de acidis. Quandoquidem autem molestum est semper collyrium ferre, cõuenit ab eius usu interquiescere, & interim dum collyriũ non adhibetur, succo expresso uti, & ex ipso internas oris partes illinere, hiante ægro, eo maximè loco quo nasus ad palatũ perforatus est, atq; hoc per pennam, aut lanã specillo obuolutam. Cæterũ ex siccis pharmacis noui aliquãdo di phryge polypũ consumptũ. Cõuenit in ipsis quoq; prædictum collyriũ ex malis punicis siccum, leuissimè tritũ ac insufflatum. Aut per specilli nucleũ naribus inditum. Omnia autẽ hæc assidue facere oportet, ut nunquam desit medicamentũ loco affecto. Facile enim ab influente humiditate eluitur. Philagrij. At in eunuchis & molle corpus habentibus, & propterea nullam mordacitatẽ ferentibus, rosas siccas leuissimè tritas adhibe, mirifice enim prosunt mollibus & humidis corporibus. Nã pleraq; quæ efficaciter polypos eximunt, exacerbant quodam modo ubi scopum non contigerint. At uero in diuite quodam qui odoratum pharmacum expetebat ad ozænæ curationem, pastillo hedychroo usus sum, subegiq; ipsum cum uino ueteri odorato. Et mirum est quàm breui affectio curata est. Relata est autem huius præparatio in theriaces descriptione.

Ad ulcera in naribus. *Cap. XCIII.*

Vlcera in meatibus nasi simpliciora semper curaui per pastillos Andronij, & Pasionis, & Polyidæ, & Musæ, & Bithynum appellatum, aliquando uino dulci ipsos exoluens, aliquando austero. Et quandoq; per acetũ uinosum aut acre, ita ut ab affectionũ symptomatis, pharmacorũ usum inueniamus. Archigenes autem pinguibus emplastris eiusmodi ad ipsa usus est. Plũbi recremẽtum tritum, cũ uino ueteri ac myrteo oleo, æquis partibus in fictili uase coquito ad prunas, semperq; agitato. Et ubi strigmentosum factum fuerit pharmacum, ablatũ in pyxide plumbea seruato. Oribasij ad nariũ ulcera. Spumæ argenti drach. VI. ceruse drach. VI. plumbi usti & loti drach. IIII. myrrhæ, aloës, singulorum drach. II. gallarum drach. I. uino & myrteo oleo dilutis utere. Facit etiã ad sedis uitia. Aliud Oribasij. Atramenti sutorij drach. VII. aluminis scissi drach. VI. gallarum drach. III. malicorij drach. III. Ex uino aut aceto terito. Aliud eiusdẽ, ad simpliciora in meatibus nasi ulcera. Spumę argẽti drach. VI. cerusæ drach. VIII. malicorij drach. IIII. aluminis scissi drach. IIII. terito cũ uino & affuso oleo myrteo, in plumbeo uase seruato ac utitor. Optime faciunt ad eadem: Asteris collyria, & Libiana appellata, & præsertim Cleonis ac similia, cum uino & oleo myrteo diluta.

Ad sanguinis è naribus eruptionem. *Cap. XCIIII.*

Sãguinis è narib⁹ eruptionẽ sistit foliorũ urticę succus per linamẽtũ inditus. Et ipsa folia trita frõti imposita. Itẽ chalcitis arida trita linamẽto excepta ac indita. Oportet autẽ linamentũ lucernariũ frigida aqua tinctũ in chalcitide obuoluere. Sistit & lysimachij herbę succus, & anthyllidis. Et ferulę pars lanuginosa cũ aceto indita. Thus cũ polygoni aut porri succo asinini stercoris recẽtis succus, cũ porri succo, & aceto per linamentũ inditus. Aut stercus idẽ ustũ insuffla. Aut spõgiã nouã pice liquida imbutã inde. Aut hippureos succũ, aut ipsam herbã tritã inde, & frõti impone. Aut saluiæ folia trita adhibe. Aut ouorũ testas urito ac terito, & de his duas partes sumito, & de galla omphacitide partem unã, & linamẽto aqua aut aceto tincto excepta indito. Frõtẽ uero bulbis tritis cũ porri succo aut aceto integito. Aut gypsum

ipsum oui candido subactum fronti ac naribus imponito. Magis autem facit lapis specularis translucidus cum aceto. Aliud. Cochlearum carnes cum aceto tritas adhibeto. Aut cochleas ustas ac tritas, fronti ac naso cum aceto imponito. Apollonius autem inquit, cochlearum carnes cum thure tritas naribus indito, & sanguis sistetur. Iisdem etiam frontem intege. Aut siccum ex anemona pharmacū emplastri forma fronti impone. Aut emplastrum ex salicibus. Optimum autem est hoc, ex cuius usu sæpe laudem assequutus sum. Lapidem molarem feruefactum ac ignitum acerrimo aceto extingue, & uaporem naribus admoue, ac sistetur. Commodū est & per spongias frontē frigefacere, & caput in sublime leuare, & manuum iuncturas inguinaq; ac genua deligare. Apollonius porrò ait, pedis è directo naris unde sanguis erumpit, magnum digitū ligato, & multum ac ægrè sisti se sinentem sanguinis lationem sedabis. Commodum est etiā cera aures obturare, & in ore aquam pluuiam frigidam continere. Sed & cucurbitam occipiti affige cum scarificatione. Et circa uiscera magnam cucurbitam adhibe, si dextra pars sanguine manarit ad hepar: si sinistra, ad splenem. Aliquando etiam uenam secare cogimur. Sūme uero facit hoc. Rhoidarij & ochræ æquales partes cum aceto in oppositam nari aurem instilla. Nimirū si dexter nasi meatus sanguinē fundit, in sinistrā aurem: si sinister, in dextrā. Sed & quę ad sanguinem spuentes describentur potāda præbe.

Quomodo sanguis è naribus eliciatur. Cap. XCV.

Mentam tritam melle exceptam ad collyrij formam redige, ac naribus inde. Aut rubiæ radicem leuissimè tritā oleo subige, & naribus penitissimè illine. Aut graminis florē, aut summā eius asperiorē partē naribus inde, & obtorque donec sanguis erumpat.

De narium obturatione, & odoratus oblæsione, Galeni. Cap. XCVI.

Oculis & linguę ac uniuerso corpori sensum ac motū suppeditat cerebrū per neruos. Verū odoratus sensus intra caluariā est in anterioribus cerebri uentriculis uaporosum quendam spiritū habentibus. Cæterum necessariū est prius nosse quomodo nasus cōstructus est, & quæ corpora meatibus ipsius cohærent. Quū itaq; nasus habeat mediū interseptum, & duos memorabiles meatus, qui sanè apparent, unus in singulis naribus, nosse oportet supra nasi partes utrunq; ipsorū dextrum ac sinistrū bifariam findi. Et altera quidem pars ad internā oris partem circa palatum uergit: Altera uero recta uelut ab initio ferebatur, ad ipsum cerebrū ascendit. Sunt autem in cerebro duæ propagines oblongæ ac cauæ, principiū quidē ex anterioribus uentriculis habentes, progredientes autem ad illā caluariæ partē, unde nasus initium habet. Iuxta hāc uero partem etiā ossa coliformia sita sunt, per quæ inspiratio & expiratio iuxta cerebrū cōtingit, & superfluitates in ipso expurgantur. Sed & crassa cerebri mēbrana, qua parte coliformia ossa cōtingit, tenuibus cauernis perforata est. Et per hāc sanè primam excolātur crassiores cerebri superfluitates, quas mucū appellamus. Et hæ deferuntur, primū quidem ipsam membranam penetrant, postea uero per coliformia ossa excolatur, atq; sic in nasi meatus incidūt. At in transgressu per hos meatus, aliquando pars aliqua ex his quæ deferuntur, præterfluit in os, per prædicta foramina ex naso in palatum, & præsertim ubi fuerit mucus ille uiscosus ac crassus. Reliquū autem quod defertur, per nares euacuatur. Adiuuamus autē excretiones per os ex palato, per screatum. Excretionem autē ex naso, per uiolentioris efflationis ac sternutatoriorū usum. Respirationis equidem ac olfactus gratia facta sunt foramina cerebri in nares. Vtitur autē ipsis natura ad retrimentorū cerebri purgationem. Proinde odoratus læsio nō in meatibus nasi est. Sed aut anterioribus cerebri uentriculis ad intemperiem perductis, aut meatibus in ossibus colatorijs obturatis, muco ac destillatione ut plurimū prægressis, aut his partibus perfrigeratis uel humectatis. Nam & aër qui palàm per inspirationes attrahitur, tū nares aliquando perfrigerat, tum uicinas ac cōtiguas partes, & hoc maximè ubi ambiēs nos aër frigidus factus est. Archigenis. Primum igitur cōuenit eos qui olfaciendi facultatē lęsam habent, aut colatorios meatus obturatos, in siccioribus locis diuersari, quales maximè sunt maritimi, & gymnasijs pro uiribus uti, itémque unctionibus singulis diebus, ita ut erectum habeant collum, & per alios confricentur. Caput quoq; pectine perfricare oportet, & nitro detergere in balneo, & aqua marina calida abluere, ac caput perfundere, marina calida affusa. Deinde etiam aquæ frigidæ modicè immergere in egressu. Optimum est & in marina aqua assiduè natare. Vtendū est & medicamentis quæ naribus indita caput purgant. Cæterum tota uictus ratio attenuatoriæ sit facultatis. Quare etiam acriū rerum esus ex interuallis adhibeatur. Domus in qua degunt, moderatè calida sit, pro temporis anni ratione. Somnus diuturnus incōmodus est ipsis. Dum autem dormiūt, ceruicalia sublimia habeant, & in latus reclinētur, & non secundū affectam partem, uelut si contingat unum ex colatorijs meatibus esse obturatū. Quotidiana itaq; uictus ratio talis sit. Claro autem instante aëre, primum uentrē expurgare tenta, per Archigenis ex colocynthide hieram. Deinde hirudines sublimiori nasi parti adhibe, & multū sanguinē trahere sine. Post tertium autē diem, splenio ab intermedio superciliorum usq; ad malam obturatā nasi partem intege, sit autem factū ex emplastris discussoriam uim habentibus. Quale est melinū Serapionis, & emplastrum Icesij, & nigrum Archigenis, & quod ex tithymali succo paratur, & quod ex scilla, ac consimilia. Horū autem usus nō fiat infra quindecim dies. Post hęc picra ex aloë assiduè uenter subducatur. Cōmodus est enim frequētior ipsius usus. Postea pituitā per os ducētibus utendū est, ex staphide syluestri ac mastiche. Postquam autē sufficiens euacuatio per os facta est, emplastro ex agarico, aut ex cachry, aut malagmate ex baccis lauri, aut aliquo consimili nasus integatur, & frōs usq; cutis rubificationē. Solēt enim talia mucosam humiditatē per cutē attrahere. Postea uero sternutatorio utēdū est, primū simpliciore, deinde efficaciore, quale est ueratrū albū leuissimè tritū. Tertia deinde aut quarta die à sternutatorij usu, radēdū est caput, & sinapism⁹ adhibēdus usq; ad frōtē. Deinde lauetur. Et post multos rursus dies si opus fuerit, rursus caput per narisusoriū instrumētū purgetur. Sit autē efficax medicamētū quod adhibetur. Quale est elateriū cū lacte, aut cyclamini succus.

Aut

Aut ipsam cyclaminum siccam tritam insuffla. Aut cucumeris syluestris radicem. Aut nigellã tusam ac cribratã, & oleo uetustissimo addito probè tritam, per nares infunde, & pharmacũ per respirationem uehementius attrahere iube. Aquam autem ægro in ore tenẽdam exhibe. Hoc ego usus sum in quodam adolescente, qui ex muco ac destillatione diuturna olfactus sensum læsum habuit, & ubi consequenter per triduũ hoc auxilio usus esset, magnopere auxiliũ percipiebat. Quarta uero die attracto uehementius per inspirationẽ pharmaco, fortẽ mordacitatem in profundo capitis sentiebat, & quũ hæc paulatim imminueretur, postera die penitus conualuit. Vtiliter etiã nigella assumitur cum aceto. Cõuenit autem post horum usum, post triduũ uidelicet, sinapismũ frõti adhibere, facieiq; ac naso, & postea lauare. Sed & odoramenta assiduè adhibeantur odorata hæc, Narcissus, sisymbrium, serpillum, liliĳ folia, uiolæ, menta, poliũ, ruta syluestris, & thymbra. Omnium uero utilissimũ est castoriũ aceto dilutum. Quin & potum castoriũ tritum cum aquæ mulsæ cyathis tribus, præ multis auxiliĳs proderit. Efficacius autẽ redditur, aceti scillitici cyatho dimidio addito. At uero acetum scillinũ quotidie à ieiunis trium cochleariorum mensura acceptum, utilissimũ ipsis existit. Cæterum post has omnes lancinationes, si adhuc affectio aliquo auxilio opus habet, adhibendus est etiã à raphanis uomitus, ita ut ipsi concisi aceto mulso aut garo madescant. Sequenti uero à uomitu die, æger absinthĳ decoctũ bibat, aut pulegĳ. Et post hoc imponendum est naso emplastrũ ex scilla, cuius experientiam feci, relinquendumq; aliquo tempore ut uaros in loco excitet, & strigmentosam humiditatem extrahat. Habetur autem hoc emplastrũ in Sermonis de emplastris tractatu. Atq; hæc omnia etiã bis ac ter & sæpius adhibenda sunt, ad pertinaciores affectiones.

De sternutatorĳs, Hippocratis. Cap. XCVII.

Sternutatio fit calefacto cerebro, aut humectato eo quod in capite uacuum est. Aër itaq; intus existens erumpit, sonitus autem fit, quoniam per uacuum & angustum spiritus trãsit. Consideremus autẽ quomodo sternutationes capitis grauitatem sanãt. Fiũt equidem sternutationes, maximis inspirationibus prægressis, & efflatione celerrimè sequente. Appello autem efflationem, aceruatam expirationem. Habet enim cerebrum duas has facultates, per quarum alteram superfluitates in anterioribus uẽtriculis excernit ad seipsum contractas: per alteram uero alas nasi expandit, & spiritũ attrahit. Quum itaq; à spiritu grauatur, tunc ipsum excernit per contractionẽ sui. Si uero obturatis in naribus uĳs, impeditur excernere grauantẽ spiritum, aut mucum: tunc uiolẽto motu ad sternutationẽ procedit, depellere conans ea quæ meatus obturãt. Vnde sternutationes capitis grauitatem, uelut dictum est sanant. Imò etiam affectiones quasdam circa cerebrum consistentes. Quales maximè sunt, lethargus, & profundi sopores, ac cõsimiles. Tales enim per sternutatoria maximè curantur. Sed & ad solem respicientes ad sternutationẽ iritamur, diffusis uelut arbitror à caliditate crassis cerebri spiritibus. Extrudunt autem sternutationes etiã mucos ex cerebro crassos ac uiscosos, per uehementem spiritus impetum, etiam hos foras coĕĳcientes. Porrò sternutationem mouet, ueratrum album, herba lanaria, piper, castorium, cyclaminum, euphorbium, nitrum, herba ptarmica, hoc est, sternutatoria appellata, cuminũ, singula seorsim ac simul leuissimè trita & admota. Non autẽ hæc insufflare oportet, sed motã pyxidem naribus admouere, aut per specilli nucleum naribus penitissimè indere. Et simplicia quidem sunt hæc. Sunt & composita ex ipsis adeò conflata, quale est hoc. Sternutatoriũ Heraclidę Tarentini. Cumini Aethiopici, piperis, herbæ lanariæ, castorĳ, singulorum æquas portiones, contusas ac cribratas in ęreã pyxidem repone. Vsus autem tempore agitatã pyxidem aperi, & naribus adhibe. Aut per specillũ penitissimè inde. Aliud. Piperis, ueratri albi, herbæ lanariæ, euphorbĳ, castorĳ, succi cyclamini sicci, æquis partibus utere uelut dictum est. Aliud ad diuturnos capitis dolores, uertiginẽ, capitis grauitatem, & comitialẽ. Veratri albi drach. IIII. nitri rubri, herbæ lanariæ, castorĳ, piperis, singulorum drachmam unam, utere uelut dictum est.

Ad sedandas redũdantes sternutationes. Cap. XCVIII.

Redundantes sternutationes sedant ea quæ etiam grauedinem sanant, oleũ rosaceum naribus infusum, & oleum dulce, & ungentum nardinum. Olfactu uero sedant sternutationẽ, anisum, ocymi festucæ siccæ tusæ, nigella sicca trita. Aut thymum fermento oblitum, & cinere obrutum, & ubi tostus est, tritũ adhibe. Singula uero hęc raro linteolo illigata olfacienda dato. Sedat sternutationes & grauedinem, etiam myrrha per se, uel cum thure & uino odorato trita, illitis hinc naribus. Facit & menta, & hedychroon, & cyphi. Sed & aqua tepida fronti aspersa sternutationes sedat. Quin & si ab utraque nasi parte, iuxta magnos oculorum angulos uenas sitas digitis compresseris, sternutationem sedabis. At uero Apollonius naturale auxilium prodit ad hoc, ut pueri non sternutent. Ciconiæ, inquit, pennæ in domo habeantur, & impossibile est ut sternutent.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN SEPTIMO SERMONE AETII HABENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI SECUNDAE SERMO TERTIUS, ET EX ORDINE SEPTIMUS.

De morbis oculorum.

DE NATURA OCULORUM. *Cap. I.*



CURATIO circa oculos uaria est & diuersa. Nã & ipsa particula, oculus inquam, non simplex est, sed compositionẽ sortitus est ad suam essentiam cõstituendam, tunicis nimirum & humoribus, insupérque palpebris ornatus. Natura enim neruos à cerebro ad oculorum regiones descendentes, uisiuos uidelicet, & partẽ duarũ membranarũ cerebrum complectẽtium, quæ cũ ipsis neruis excurrit, augẽs & uelut dilatãs, tunicis oculorũ originẽ essentiæ largita est, ut quæ omniũ intimam tunicã retiformẽ appellatã, ex neruo uisiuo construxit. Acinoformem uero tunicam huic præpositã, ex tenui mẽbrana produxit. Similis est enim acino uuæ, & figura, & colore, & rotũdiore foramine perforata est iuxta pupillã. At uero tunica quæ ambabus his forinsecus prætenditur corniformis uocata, ex crassa membrana originem habet. Quæ uero his omnibus foris obducta est, alba illa quam agnatam appellamus, ex pellicula forinsecus ossi capitis circũsita, quæ circũossalis & circũcalualis appellatur, generationẽ habet ex propaginibus corporum oculo circundatorũ. Cęterũ humores in oculo tres sunt: Intimus omniũ est qui in cauitate retiformis tunicę cõtinetur, uitriformis dictus: similis est enim & colore, & substantia uitro fuso. Exterius autem ab hoc situs est ad finẽ retiformis tunicæ, humor glacialis siue crystallinus, qui etiã discoformis & lentiformis appellatur: similis est enim colore quidẽ glaciei, figura uero lenti, aut disco. Forinsecus autẽ circunfusus est, ouatus siue ouiformis humor: similis est enim colore & substantia, humori albo ac tenui in ouis. Omniũ igitur intimus humor uitriformis, ad hoc ut glacialẽ alat constructus est. qui uero forinsecus ipsi circunfusus est ouiformis, ad hoc ut hunc humectet factus est, & ad hoc ut ipsum à solis splendore iniuriã affici nõ permittat. Palpebras porrò constituit tunica agnata: ex his autem singula è naturali statu emota, oculum ægrotare faciunt.

Quot & quæ affectiones circa singulas oculi partes fiunt. *Cap. II*

Quæ propriè dicuntur lippitudines, & chemoses, & perturbationes, & tumores, & suffusiones ex plaga, & pterygia, affectiones sunt tunicæ agnatæ. Eadem etiã ulceratur, & carbunculo infestatur, & cancerosam affectionẽ habet. At lippitudo dura & lippitudo sicca, cõmunes affectiones sunt palpebrarũ, & ipsius oculi. Cæterũ circa externã palpebrarũ superficiẽ, pustulę aquosæ, melicerides & steatomata. Verũ ex his quę circa internã palpebrarũ cõsistunt, est densitas, aspretudines, sycoses, grandines, calculi, cõcretio, cõclusio. Et lagophthalmi appellãtur, quibus superna palpebra reuulsa est, ut oculũ cõtegere nõ possit. Ectropij uero quibus inferna palpebra euersa est. Sed & mutilationes & corrosiones, & ulcerationes in palpebris cõsistunt. Circa palpebrę uero extremitatẽ fit trichiasis, hoc est pili pũgentes, & defluuiũ pilorũ, quod madarosis & ptilosis dicitur. Fit & morb⁹ pedicularis, ac porrigo, & paruus instar ordei abscessus. Sed & Milphosis, id est, pilorũ nuditas, affectio est extremitatis palpebræ. Rubicũda enim his est palpebræ ala, colore miltũ, hoc est, miniũ referens, unde etiã Miltosis uitiũ appellatur. At uero anguli afficiuntur quidẽ etiã in Aegilopis, sed nõ soli. Carunculę autẽ naturalis supra iustũ modum incrementũ, & eiusdem decrementũ, solorũ angulorũ affectiones sunt. Porrò circa tunicã corniformẽ, consistit caligo, nubecula, argemon, epicauma, cœloma, bothriũ, ruptio, prolapsio, unguis, pus, pustulæ, carbũculi, cãceratæ affectiones. At circa acinoformẽ tunicã fiunt, prolapsio, myocephala, staphylomata, pupillæ dilatatio, quę mydriasis & platycoria appellatur, tabes, cõfusio, pupillæ distractiones. Suffusio uero circa ipsum foramẽ acinoformis siue uuiformis tunicæ cõsistit, hoc est, iuxta pupillã. Sed & ouiformis humor amplior seipso factus, aut crassior, exactũ uisum impedit. Quin & imminutus idẽ humorẽ crystallinũ resiccat. Quę uero glaucedo appellatur, siccitas est uehemens humoris crystallini. Obscuratio autẽ obturatio est nerui uisiui, ut omnino non uideat, qui sic affectus est, pura tamen apparente pupilla. Læsos etiam oculos habẽt, citra hoc ut aliquid mali appareat circa oculos qui nyctilopes appellantur. Totorum uero oculorum manifesta læsio est, quæ expressio uocatur. Est autem prominentia oculi uelut extrà positi. Cæterum curationis tractationẽ à simplicioribus & superficialibus morbis in oculis incipiendam putamus.

Perturbationis oculorum curatio. *Cap. III.*

Perturbationes oculorũ à fumo factas, & ardore, aut puluere, aut alio consimili, facilè curabis, si iusseris ægrũ à lædente causa discedere, uelut sole aut fumo, aut alio simili. Deinde oculos lauare, primum aqua tepida dulci, postea etiã frigida. Iubendus est etiam splendorẽ auersari, & oculos claudere. Ex his enim sedatur malũ, nulla alia re adhibita, sed solũ indigentiore uictu. Si uero ex ardore obortæ sunt perturbationes, ampliore potu utendum est. Si enim somnus successerit profundior, etiã lippitudo formidata concoquetur. quare neq; à balneis abstinendũ est. Verũ diæta exquisitiore utendum. Perseuerãte uero affectione quiescere oportet, & palpebras illinere collyrijs ex croco, aut rosis, & maximè collyrio Nili ex rosis. Granas autẽ, & glutinationes noctu circa oculos fiẽtes, expurgat, & probè iuuat posca aquosissima, & ipsa aqua per se frigida affusa. Et aliquod ex

siccis

siccis delacrymatiuis appellatis, presertim quod croceum procatalepticum, hoc est, praeoccupatiuum, siue perseueratiuum, appellatur.

Inflāmationis oculorū superficialis curatio. Cap. IIII.

Quòd si inflāmatio superficialis fiat in tunica agnata, & dolor uehemēs non adsit, repulsoria in ipsis adhibenda sunt collyria, ita ut uehementiā mordacitatis ipsorū, per oui ammixtionem mitigemus. Plerunqꝫ enim tenuis oui liquor cū collyrijs Monohemeris, hoc est, diarijs appellatis, sufficit ad curandas superficiales & incipientes lippitudines, citra magnā inflammationē, & uehementem dolorem. Saepe enim ita inflāmationes mitigauit, ut homo ad uesperam balneo usus sit, & postridie collyrio nardino ad restitutionē in integrū, & corroborationē se illeuerit. Ammiscetur autē ad collyriū nardinū circa primā illitionem, minimū quiddam ex repulsorijs, circa secundā adhuc minus. In quibus igitur collyrijs dominantur adstringētia, plurimū liquorē oui esse oportet, modicū uero collyrij. In quibus autē praeualent concoctoria, uelut est nardinū, ea crassius adhibenda sunt. Fomentū adhibendū est his per spongiā, si moderatus est dolor, semel aut bis: Si uehemētior, melius est uel quinqꝫ uicibuseo uti, animaduersione tamen habita ad oculi qui curatur sensus subtilitatē aut hebetudinē: Quicunqꝫ enim oculi secundū naturā uenas amplas habēt, & sanguine plenas, itēqꝫ qui glauci sūt, omnino nō ferūt collyriorū adstrictionē. Quare aquosiora in his collyria adhibere oportet.

De inflammatione ob plenitudinem, & chemosi oculorum. Cap. V.

Si plenitudo in toto corpore subiecta est, & inflāmatio in oculis magna fit, & dolor uehemēs adest, non amplius sufficit collyriorū usus ad talē affectionē. Vario itaqꝫ opus habemus in his medicationis ductu. Et oportet prima ac maxima auxilia adhibere. Quorū etiam Hippocrates in aphorismis meminit, ubi ait: Dolores oculorū soluit meri potus, aut balneum, aut fomentū, aut medicamētum purgatoriū, aut uenae sectio. At non eidē homini omnia auxilia haec adhiberi iubet. Sed alij uenae sectionē, alij purgatorium pharmacū, alij fomentum, alij balneum, alij uini potum. Itaque à balneo initium faciamus.

De balneis. Cap. VI.

Balneum cōuenit his quibus inflāmatio tumida in oculis est. Est autē tumor mole quidē laxus, sed ad tactū frigidior, & colore albus, & qui influit fluxus, minus mordax est, & minus calidus. Imo neqꝫ chemosis in ipso oculo subrubra est, neqꝫ distenta. Haec autē affectio magis in senili aetate contingit, & plerunqꝫ hyemis tempore, & magis foeminis pinguibus. Et ut cōpendio dicā, omnibus frigidū ac pituitosum cerebrū habentibus, inflāmatio tumida contingit. Quum itaqꝫ omnia relata signa uideris, confidenter balneū assumito: adeò enim aegrum leuat, ut alio auxilio nō habeat opus. Oportet autē magis in aëre morā trahere, & oculos plurimū fouere sicciore fomento per spōgias multū expressas. Quod ubi feceris, palàm percipies tumorē in calido aëre disparuisse, & interim aegros penitus ab affectione liberatos. Si uero quid ad perfectā curationē defuerit, nardinū collyriū in balneū ituro instillato. At si moderatus apparuerit dolor, etiā crassius collyriū adhibebis, praecalefactū uidelicet in cote, ita ut loto, uelut dictū est, & è balneo egresso, humiditatē diligenter per spongiā detergeas, & sic idē collyriū illinas, obseruās ne quid ex ipso in oculū preterlabatur. Solet enim magnū damnū excitare. Quare neqꝫ sudātibus illinēdū est. Fit enim in balneo humorū diffusio, & praeterlapsum collyriū mordacitate quadā inducta, materias facilè ad oculū trahit, & duplicat inflāmationes. Si uero relata affectio durabilior fiat, & fluxionis essentia, ad frigiditatem magis ducatur, tum smegmata capitis in balneo adhibenda sunt, & pulueres inspersiles post balneum. Et primū quidē simplicibus uti oportebit. Si uero causa perseuerarit, etiā ad cōposita transeundū est, quorū sylua talis est. Baccae lauri, nitrū tostū uino extinctū, sampsuchus, fex uini usta, & similia. Puluisculi uero mulieribus presertim cōsueti adhibēdi sunt, qualis sunt ex iride, & apij semine, & cupresi pilulis, & ungentis siccis appellatis. Oportet autem nō immodicè calida esse, neqꝫ acria quae adhibētur, sed leniter calida, & habere adstrictionem ammixtā. Horū uero compositiones iā relatae sunt in praecedēti sermone. Smegmata igitur in balneo inijcere oportet sincipiti, pilis prius inter se disparatis, quo auxilium corpus contingat, precipiendumqꝫ ut in balneo os claudāt, quo calido aëre uehemēter per nares attracto, subiectā materiā citius trāsmutent. Post balneū autē detersis capillis, puluisculi inspergātur, uelut dictū est. Et de balneis quidem hactenus. Consequēter etiam de uini potu.

De uini potu. Cap. VII.

Vinum attenuat, & incrassatos humores trasmutat. Et sepe per accidēs aliquod horū euacuationē facit. Cōuenit autē esse uinū colore fuluū, & substātia tenuē, & nō uetus, neqꝫ uehemēter adstringens. Dandū est autem uinū his maximè qui ipsi adsueti sunt, & qui siccā ac frigidā intemperiem magis praedominātem habēt. Videtur enim societatē quandā ad balneū habere uinū ipsum. Quū igitur euacuatione ac trāsmutatione humorū opus fuerit, balneū assumendū est. Quū autē transmutatione, & renutritione, ac humectatione & calefactione, moderataqꝫ euacuatione, uino opus habemus: miscere igitur uinū oportet aqua calida nō multa. Sit etiā meracius quàm pro cōsueta tēperatura. Sit & aqua quae adijcitur purissima, & fumi ac odoris exors, & ualde feruida, quo etiā seipsa tenuior euadat, & sufficiat ad amplioris uini tēperaturā. Sit & poculū in quo exhibetur amplius, & conetur eger oculos inter potandū aperire. Sic enim exoluta obstructione, & multa naturali ac saluberrima lacryma influēte, à dolore liberabitur. Statim enim laxantur palpebrae, & seipsis magis mobiles fiūt, ac leuiores. Illud uero considerare oportet, ánne caput hominis facilè laedatur. talium enim caput facilè leditur ex uini potu. Caeterū ad reliquias affectionis oculi, collyrio uti oportet, primū leni ac dulci instillato, ad accessoriā perturbationem curandā. Et ubi oculi in quieto statu fuerint, & à feruore inflāmationis liberati, tunc repulsoriū collyriū adhibeatur; quale est quod Hermolaus appellatur, & cōsimilia sistentia appellata. Dū enim rubor adest, & inflāmatio, adstringentibus collyrijs uti non oportet. Conclusis enim per adstrictionem materiae reliquijs, dolorem maiorem faciunt. Et de uini potu hactenus. Dicendum & de uenae sectione.

De uenae sectione. Cap. VIII.

Adhibenda est uenae sectio, si nihil ex saepe relatis impedierit, in dolore oculorū, in his quibus multa ocu-

lorum distẽtio est, & multus rubor, & ad contactũ resultus, & ardor, & lacryma multa ac calida, & chemosis iuxta corniformẽ & agnatã tunicã, ut à uehementi inflãmatione palpebræ euertãtur, ut uix oculos operiant, & subrubra apparet tunica agnata, & maiori tumore prædita est, & totũ corpus sanguine repletum. Secãda est autem potius superna in cubito uena, humeralis appellata, faciendaq; est maior sectio, ad hoc ut crassior sanguis euacuetur, uelocq; animi deliquiũ succedat, quo dolor eximatur, & inflãmationis feruor extinguatur. Euacuato autẽ toto corpore, collyriis & reliqua curatione, reliquiæ affectionis percurentur. Vtendũ est autem collyriis, qualia sunt cygnaria, & Libiana, ita ut aquosiora calida instillemus. Fomẽta in his nõ ualde adhibenda sunt, sed per spongiã ex aqua tepida leniter detersio fiat. Alimẽta danda sunt lenia, facilia, cõcoctu & ad digerendũ uentri cõmoda, urinam ciẽtia, nihil acrè & salsum habẽtia aut crassi humoris aut ægrè cõcoctile. Post inflãmationis depulsionẽ, nardinũ aquosius instillandum est usq; ad perfectam sanitatem. Et uenæ quidem sectionis hactenus mentio facta sit. Transeundũ est hinc ad purgationem.

De pugatione. *Cap. IX.*

Si neq; ætas, neq; anni tẽpus, neq; stomachi in primis debilitas, aut alterius cuiusdam uisceris, neq; aliud quoddã maximum impedimentũ fuerit, purgatio assumenda est, in his quibus tenuis & multa lacryma defertur, aut salsa, aut acris, aut frigida. Et uniuersum corpus uitiatis humoribus refertũ, & caput superfluitatibus redundãs, & aluus assiduè suppressa. & copiã ex hoc malarũ superfluitatũ congregãs. Et ad hæc uehemens doloris uexatio adest. Nam in uenæ sectione plenitudinẽ totius corporis suspectã habemus. In purgatione uero uitiosos humores auersamur. Pugatoriorũ autẽ natura nõ una est, sed plures. Iuxta redundantẽ enim & affligentem humorẽ, pharmacorũ materia euariat. Si quidẽ igitur aluus assiduè fuerit suppressa, aloẽ ipsis exhibenda est, cũ brassicæ succo trita, & in catapotia redacta. Si uero pituita magis redundarit aquosa, exhibe pharmacũ ex euphorbio, pipere, & sale ammoniaco præparatum. Si uero bilis abũdarit, picrã ex aloẽ dato, scammoniæ leuissimè tritæ duobus scrupulis, aut minus additis, pro uiriũ ratione. Si autẽ atræ bilis humor dominatur, addãtur ad picræ dosim, epithymi scru. VI. & scammoniæ obol. III. Cæterũ post sufficientẽ per purgatoriũ euacuationem, si quidẽ simplex & sine uulnere fuerit affectio, adstringẽtibus collyriis utendũ est: quale est Hermolaus, & similia. Et hæc per instillationẽ adhibenda sunt. Si uero uulneratus fuerit oculus, teneris utendũ est. Qualia sunt cygnaria, & Libiana. Iam igitur Aphorismi Hippocratis scopus, quantum in præsens opus est, relatus est, hoc est, quomodo ad maximos dolores ac inflãmationes citò instare ac reniti oportet. Quando quidẽ uero in multis maxima auxilia relinquũtur, uenæ sectio maximè & purgatio, considerandum sanè est quomodo tales tractare oportet. Proinde cũ uniuersalibus iam relatis signis, etiam peculiaria quædam circa oculũ signa uidere est, totũ morbũ redarguentia ac indicantia. Gramæ itaq; & lacrymæ apparẽt, aliquãdo glutinosę ac crassæ, aliquãdo tenues & citò destillãtes. Et aliàs salsę, aliàs acres, aliàs mordaces. Et quãdoq; calidę, quãdoq; frigidę. Grama itaq; statim in principio lippitudinis apparẽs, magis cruditatis signũ est, & diuturnã lippitudinẽ fore significat. Oportet itaq; in talibus leniter curationẽ facere per dulcia collyria instillata, & reliquũ consimilem ductũ, quo temporis progressu concoctio uere fiat. Nã repulsoria collyria, quũ sint ferè uiribus frigidiora, obstructionẽ & corporũ condensationem faciunt, & dũ humorũ materias concludũt, maximas inflãmationes ac graues dolores inducũt. Aliquãdo etiã ruptionẽ tunicæ corniformis faciũt, propter humorũ distẽtionẽ, & maximè ubi rubor adest, & inflãmatio, & materiæ multitudo in oculis subiecta est. talia uero collyria sunt quæ ex uberiore opio & acacia præparãtur. Quale est quod Antoninus, & quod Hermolaus appellatur, & quę Pelaria appellantur, & his similia. Quidã enim collyrio Antonino amplius usi, unà cũ dolorũ augmẽto, etiam uim uisiuã iniuria affecerũt. Nã per immodicã perfrigerationẽ, portulacæ mortificationẽ magis induxerunt.

De fomento. *Cap. X.*

Fomento utendum est multò, maximè si in principio crassissimæ gramæ apparuerint, quo ipsæ extenuentur. A' balneis autem penitus abstinendum est. Aliquando etiã à uino. Cibi exhibendi sunt modici, uentri cõmodi, ac attenuantes. Quòd si duriorẽ aluum habuerint, per betarũ ac furfurũ decoctũ eluatur, cũ melle ac sale. Os autẽ per pharmacum ex moris illinatur, ad materię euacuationẽ. Aut per collutionem aliquam pituita per os detrahatur: pleriq; enim maxillares musculos læsioni obnoxios habentes, manducationem ægrè ferũt. Postea uero, uelut dictũ est, simplicia collyria infundantur. Et si quidem calida fuerit affectio, Libianis collyriis utendum est. Quale est quod à nobis ad huiusmodi affectiones experientia cognitũ est, & in Herẽtomis reperitur, & ab ipso Tephrum appellatũ est, pompholygemq; nõ habet. Vnde etiam nos descriptionẽ ipsius delegimus. Nã põpholyx rara inuenitur, & facilè adulteratur. Optima est autẽ pompholyx colore non alba, sed magis ad liuedinẽ uergens. Signum optimæ est, si in prunas inspersa, auricolorem ignis speciẽ efficit. Vtendum est igitur collyrio Tephro appellato, ad lippitudinem à calido humore obortã. Si uero non affuerit hoc, alio quodã ex Libianis appellatis utendum est, aut cygnario. At si inflãmatio affuerit, cũ lacrymæ calidæ influxu, hecatontarchiũ collyrium aquosius instillare conducit, si non ulceratus fuerit oculus. Et si quidẽ inflãmatio prædominatur, addenda sunt ad hecatontarchiũ quædã nõ adstringẽtia collyria. Si uero influxus magis præualet, ipsum per seipsum aquosius infũdatur. Omnibus autem pręstat, in quibus gramæ crassæ sunt ac uiscosæ, id quod ex uino paratur, & Isotheũ inscribitur, cum albumine oui infusum, atq; hoc aquosius, ut coloretur solum ouũ ex collyrio. Citissimam enim opem affert citra aliud auxiliũ. Post collyriorũ usum, si puncturã aliquã aut mordacitatẽ, aut caliditatem perceperit, solum albumen oui calefactum infundatur. Nam lacryma ex supernis partibus delata, apud palpebram colligitur, & arenæ imaginationẽ exhibet. Et quidam Medici fidẽ habentes his quę ab ægro dicũtur, uelut sit aliquid sub palpebra arenę, inuersam palpebram spongia detergent. Et uidentur sibi in præsens quidem

quidem ægrũ ab omni suspicione liberare. Verum maximũ detrimentum in posterũ ipsi inducunt. Dũ enim exasperãt palpebrã, pungitiuum dolorẽ conduplicãt. Proinde his quæ ab ægris dicuntur, nõ ualde attendere oportet. Doloribus enim perturbati, ignorãt id quod ipsos lędit. Cõuenit igitur post collyrij usum, largo fomẽto uti: hinc enim lacrymę influxus dissoluetur. Deinde solũ oui cãdidum præca lefactũ infundere. Statim enim à punctura liberantur. Rarefacit enim albumẽ oui meatus & per uiscositatẽ facilè euacuat, lacrymã & meatus obducit, ac humorũ acrimoniã cõtemperat, & ipsorũ tenuitatẽ ad iustam spissitudinẽ transmutat. Et in summa, siue punctura infestarit, siue nõ, infundendũ est oui cãdidũ per seipsum, post collyriorũ usum. Omnẽ enim morbosam putredinẽ deterget. Nã collyriorũ essentia quomodocũq; tenuis fuerit, tunicis tamen oculorum ac palpebris insidẽs, aspretudinẽ quandã inducit, quæ ubi oculũ cõtigerit, minimè bona censenda est. Quidã porrò dolorẽ obtundere uolentes, & caliditatẽ & acrimoniã edulcare, lac pro ouo infundũt. Decipiunt autẽ seipsos ex ignorantia, pro paruo solatio, diuturnã affectionẽ ægro propinantes. Idem enim faciunt quod hi qui uulneri pinguia adhibẽt, & carnẽ superexcrescentẽ augent. Sed & quũ lac facilè alteretur, à caliditate in oculo præter naturam acrius euadit. Et de calida quidem lippitudine hactenus. Consequenter etiam de frigida dicendum est.

De frigida oculorum intemperie. *Cap. XI.*

In frigida oculorũ intemperie minus quàm in calida dolores fiunt. Tardius autẽ curãtur, & si successerit in his inflãmatio, tumida fit & colore uelut plũbea. Plerunq; autem oculus his nõ ualde pertubatus est, neque rubicundus. Lacryma uero ipsis destillat per paruũ angulũ, aliquando etiã per magnum modica ac frigidissima. Progressu uero temporis etiã palpebræ inflãmatur, & puncturæ cõsequuntur. Conflatur hæc affectio humoribꝰ pituitosis ac frigidis in capite redundãtibus. Aliquando etiã ex mora in aëre frigido, & maximè post balneũ. His igitur tẽpestiuè pręeuacuatis per clysterẽ balneũ adhibeatur. Sed & uinũ dandum est, uelut paulò antè in aphorismo Hippocratis dictũ est. Infundendũ est autẽ ipsis incipiente lippitudine collyriũ nardinũ Zoili ad aquosiorem compagem dilutũ. Et quãtum lacrymæ imminuuntur, tantũ collyrij cõpages inspissetur. Sitq; tibi hic uniuersalis scopus curationis oculorum, ut pro decremẽto influentium humorum, crassefacias compagem collyriorum quæ adhibẽtur. Declinante uero lippitudine nardinum collyrium aqua dilutum per specilli nucleum palpebræ sublinatur.

De oculorũ inflatione. ex Demosthene. *Cap. XII.*

Inflari oculum dicunt, quũ absq; manifesta causa intumescẽs, decoloratior & pituitosior ac fortiter pruriginosus fit cũ fluxione. Cõtingit autẽ hoc plerunq; senioribus, pruritu ab angulo ad nasum incipiente, uelut si quis à musca aut culice sit commorsus. Frequẽs est hæc affectio in æstate. Curatur spongiæ fotu. Deinde palpebrã intrinsecus subline melle per se, & cũ croco trito. Commodat & liquida Erasistrati panchrestos. Illinendæ sunt & palpebræ forinsecus cũ melle. Cõducit & euacuare aluũ. Deinde etiã lauare, & temperata calida aqua caput perfundere. Et post balneũ dare uinũ. At si pruritus uehemens est, & ætas ac reliqua permiserint, & nihil aliud obstiterit, uena secanda est in cubito, aut aluus purganda. Prodest & aqua marina affusa præsertim hyeme.

De tumore oculorum. *Cap. XIII.*

Tumere oculum dicunt, ubi palpebrã forinsecus eleuari contigit, decoloratiorẽq; esse ac grauiorẽ, & ægrè mobilem. Itemq; dũ pallidior apparet. Aliquando etiã album palpebræ aliquantulũ excedit nigrum. Est autẽ tumor laxus forinsecus circa palpebrã obortus, qui digito cõpressus citò cedit, & citò rursus repletur. Est & ut plurimũ citra dolorẽ, & concolor naturali habitui. Fit autẽ plerunq; à fluxione aquosa. Curandi porrò sunt tumores qui circa solas palpebras forinsecus sunt, citra oculi cõsensum, præeuacuata per clysterẽ aluo, solis illitionibus, præmissis fomentis per spongiã. Laxi uero tumores & concolores, præeuacuata similiter aluo, & præmissis fomentis, melle illinãtur intrinsecus palpebræ sublito. Prodest & Erasistrati liquida illita. Vtendũ etiã ad ipsos apophlegmatismis ex melle cocto, uua passa, thymo & pulegio. Acriora uero uitanda sunt, uelut est staphis syluestris, & similia. In quibus autẽ oculus condolet palpebræ, præeuacuata aluo, & inedia imperata, spongiæ fomentũ adhibeatur. Aliquando etiã faciei perfusione utendum est, & præsertim ubi pruritus cõsequitur. Deinde absinthiũ aut hyssopũ tritũ supernè illinatur cũ melle. Si uero corpus debile fuerit, lentem coquito, & per colum culinarium, aut cribrũ, aut rarum panniculum seu linteum excolato, & ammixto melle expressum liquorem illinito. Quòd si æstas fuerit, crocum cum uino mulso illine, aut cũ coriandri, aut solani, aut intubi succo. Facit & glauciũ. Oculus uero Erasistrati liquida sublinatur, aut aliquo alio medicamento quod plurimam humiditatem ex oculis ducere potest.

De tumore indurato. *Cap. XIIII.*

Fiũt etiam indurati tumores forinsecus circa oculum, plerunq; renitentes ad cõtactũ ac duri, progrediẽtes usq; ad malas & supercilia. Hoc autẽ maximè contingit ex carbunculosis affectionibus, & diuturnis lippitudinibus præcipuè in mulieribus. Oportet igitur ubi palpebræ simul intrinsecus fuerint crassefactæ, ipsas euertere, & collyrijs exasperationi destinatis confricare. Si uero forinsecus solũ fuerit affectio, nequaquã oculus sublinatur. Sed frictio totius corporis & induratæ partis adhibeatur. Post hęc imperandum est ut oculos claudant, quo interim diutius confricẽtur. Deinde subscriptũ collyrium oculis illinatur. Thuris drach. VI. gummi drac. VI. aluminis scissi drach. I. malicorij drach. I. Trita ex aqua illine, & siccari permitte. Ad uesperam autem linteũ molle & lana superligetur. Imò etiã interdiu, si fuerint. Deambulatione utendũ est multa & lenta. Vitanda sunt balnea, sol, & reliqua calfactoria, legumina item & bellaria. Ira etiam & detentio spiritus, & uomitus, & coitus tollatur.

Vlcerũ in oculis cõmunis curatio. Seueri. *Cap. XV.*

Exulceratur oculus aliquãdo extrinsecus aliqua re illabente. Aliquãdo ex humorũ influxu, aut erosione tunicæ agnatæ, siue corniformis, aut palpebrarum, aut angulorũ. Curanda autẽ sunt in cõmuni omnia in oculis quomodocunque fientia ulcera, uniuerso corpori præ omnibus prouidentia adhibita, quo id quod redũdat in habitu tollatur, per uenæ sectionẽ,

aut purgationẽ, aut clysterem. Si uero rei circunstantia omnibus his opus habuerit, omnibus utẽdũ est. Diæta uero constituenda est cõtraria afflictioni, ita ut tenuem humorẽ inspissemus, crassum autem attenuemus, & uiscosum secemus, corruptorũ & acriũ temperamentũ inducẽtes, & undiq; naturale temperamentũ ægro exquirẽtes. Aluus autẽ facilè solubilis semper per cibos reddatur. Et fricatio multa infernarũ partiũ fiat. Vtẽdum & deambulationibus pluribus lentis, & aquæ potu. Et balneũ rarissimè adhibendũ. Collyria uero tenera ulcerato oculo infundatur. Quale est quod Aster appellatur, cõmodissimum ad ulcera medicamentũ. Sed & alba cygnaria à colore appellata, & præsertim quæ ex fœnigræci succo parãtur. Si uero sordidũ fuerit ulcus, cũ fœnigręci succo collyria diluere oportet, & sic infũdere. Viscositas enim ipsius facilè remouet sordes. Possidet autẽ cum uiscositate etiã laxatoriam facultatem. Quare sæpe in ulceribus ipso solo fœnigræci succo usi perfecimus quod opus fuit. Si uero multa fuerit sordes, ad fœnigræci succũ parũ mellis addere cõuenit. Oportet autẽ fœnũgræcũ exactissimè purgare, & sæpe abluere, ac pura dulci aqua madefacere in fictili uase probè torrefacto: (uitare enim cõuenit æneum uas ad eius cocturã) postera uero die diffusa aqua, aliã purã adijcere, & ad lentum ignẽ fumũ nõ edentẽ coquere. Reijciatur autẽ primũ & secundum decoctũ, quo omnis amaritudo excludatur. Deinde purissima aqua affusa, & olla probè operta, coquito ad cõpagem mellis liquidioris. postea per linteũ excolato, fœnogræco nõ expresso, sed succo sponte defluẽte cõtentus, utere uelut dictũ est. Cæterũ decoctũ hoc usq; ad secundã, aut ad summũ tertiam diem seruare oportet. Inueteratũ enim acrius euadit. Postquam autẽ pura facta sunt ulcera, à fœnigræci succo abstinendũ est. Et si profundiora fuerint ulcera, libiano utendum, aut potius collyrio ex thure. Vbi uero incarnata fuerint ulcera & explanata, aut etiã adhuc paulò profundiora, adhibẽda sunt collyria quę cicatricẽ inducere possunt, quale est Cleonis. Et de cõmuni quidẽ ulcerũ curatione sufficiũt relata. Cõsequẽs est ut dicamus quomodo ad singulas affectiones instare oportet. Et primum dicendum est de ulceribus ab extrinsecus illabentibus obortis.

De illabentibus in oculum animalculis aut paleis, aut arena, Demosthenis. Cap. XVI.

Si in oculũ inciderit culex, aut aliud quoddã animalculũ, altero oculo clauso, & affecto aperto, animalculum sua sponte prodibit. Si uero palea, aut arena, aut tale quid inciderit, tunc etiã idem facere tenta. Si uero permanserit, digito exime. Aut potius aquam, aut lac, aut aquam mulsam instilla. Si autẽ amplius oculo adhæserit per pharmacũ quoddam nõ inquinãs, & nõ acre eripe, quale est qđ ex melle paratur.

De calce uiua in oculũ illapsa. Cap. XVII.

Si calx uiua in oculũ inciderit, aqua quidẽ & lac infusa attrahũt & exurũt. Verũ albumẽ oui infusũ, ui ustoriã calcis obtũdit, & eo adhuc magis oleũ rosaceũ.

De ulcerationibus ab igne. Cap. XVIII.

Quæ ab igne fiũt ulcera, duriores crustas faciũt. Quapropter frequentius humectentur lacte infuso cum albumine oui. Collyrijs autem utendum est ex stibio, & quod Cleoni inscribitur.

De his quæ oculo infiguntur. Cap. XIX.

Si in oculum infixus fuerit aculeus, aut osiculũ, forcipe extrahatur, atq; hoc attentè in directũ, ne frangatur. Si uero nihil eminuerit, sed æquale corpori fuerit, specilla duo accipito, & nucleis ipsorum utrinq; admotis, oculum cõprimito, ut quod infixũ est, in medio consistat. Vbi uero prominuerit, uolsella extrahatur. Deinde turturis aut columbæ sanguis infundatur, aut albumẽ oui. Si uero statim eximi non poterit, oculis infusis & cataplasmatis ad inflammationes congruis curetur. Nam post dies aliquot suppurata punctura, id quod infixum est emerget.

De sugillatione. Cap. XX.

Sugillatio dicitur quum ex plaga quadã, ruptis aut cõtusis uasis in oculorũ tunicis sanguis sub tunicã subierit, & statim quidẽ cruentus color oculi fuerit, postea uero liuidus. Sic affectos curare oportet cõmuni prædicta ulcerũ curatione, per uenæ sectionẽ, aut purgationẽ, & quæ cõsequuntur, infuso cãdido oui tepido, aut sanguine turturis uel columbæ. Supernè uero imponẽda est lana uino & rosaceo ac ouo imbuta, & deligatio leuis adhibẽda. Postera die oculus sæpe foueatur per spongiã cum absinthij aut hyssopi decocto, forinsecus autẽ lana imponatur. Quum uero oculus ab inflãmatione liber factus fuerit, melle, aut Erasistrati liquida illinatur, aut collyrio aromatico. Bene facit & solani succus cũ melle infusus. Et thus suffitũ cum pari bitumine. Cęterum ad inueteratas sugillationes probè facit hoc. In æris rubri uas pueri incorrupti urinã mittito, & æreo pistillo in sole ad multos dies terito, ut multũ succum remittat, & siccatũ melle excipito, ac utitor. Apollonius autẽ Memphites ad sugillationes ac uibices, tale collyrium prodit. Lapidis hæmatitæ, sanguinis asinini de corde siccati in sole, æquales portiones cũ urina pueri incorrupti tere, & cardamines iberidis appellatæ succum adijce ac simul tere, & infunde. Aut collyria ex his efforma, & usus tempore cũ muria instilla. Aliud. Lapidis hæmatitæ drach. IIII. sanguinis columbæ sicci drach. IIII. sanguinis asinini drac. IIII. gummi drac. II. terito ac utitor, uelut dictũ est.

De puncturis oculorum. Cap. XXI.

Omnes pũcturę in oculo, quales à stylo aut aliqua cõsimili re fiunt, post cõmunem pręedictam curationẽ, sanguine turturis aut columbæ statim ab initio irrigato, aut oui candido. Et ab initio quidẽ uitãda sunt fomenta & cataplasmata calida. Post quartam uero aut tertiam diem, toto copore præeuacuato, spongijs foueto, & cataplasmata ad inflãmationes destinata imponito. Collyria uero adhibeantur leuissima, etiã si impura appareãt ulcera. Vtẽdũ igitur est spodiaco, & tephro, & astere, ac similibus. Facit & collyrium Nili ex rosis aquosum cũ ouo instillatũ.

De uulneribus profundioribus. Cap. XXII.

Quum profundius & maius factũ fuerit in oculo uulnus, ut periculum sit ne effluant ex oculo humores, animaduertendum est ne inflãmatio succedat, & febris subsequatur. Præ omnibus igitur uenæ sectione utẽdum est, si uires sustineant. nullum est enim efficacius auxilium ab initio. Si uero uenæ sectio relinquatur, purgatorio idoneo utamur. sin minus, clysteribus aluum subducentibus euacuatio fiat. In oculum uero calidum oui instilletur. Et cataplasma adhibeatur ex ouo simul contuso uitello, cum rosaceo & uino, ita ut leniter tepefactum & lana exceptum imponatur. Sequẽtibus diebus fomẽtum fiat ex decocto rosarum aut meliloti, & infundatur lac muliebre

muliebre cum ouo tepidũ. Cataplasmata adhibeantur ad inflãmationes descripta, & maximè id quod ex capitibus papaueris, meliloto, croco, & pane paratur. Illinenda est etiã frons ac tẽpora modico apio cum croco. Sint autem leuia cataplasmata, & superna palpebra sola ex his integatur, quo aperiri possit oculus, & lacrymas influentes excernere. Oculus quoq; leuiter deligetur. Si uero aliqui cataplasmata ferre nõ possint, his palpebræ, ac tempora, & frons collyrio Nili ex rosis illinãtur: Si uero uehemẽtiores fiunt dolores, caput pilis denudetur, & cucurbita occipiti ac uertici affigatur. Et in nocte quædam dolorem eximentia in potu exhibeatur. Circa quartam uero aut septimam diem Nili collyriũ ex rosis instilletur aquosissimum usque ad perfectã curationem. Cibus dandus est sorbilis, boni succi, uentri cõmodus: oportet enim uentrem semper probè solubilem esse. A uino uero abstinendum est usq; ad declinationem. Cauenda sunt autem & quæ caput replent, & fluxionem irritant.

De ouiformis humoris excretione. Cap. XXIII.

Si puncto oculo ouiformis humor excernatur, ut etiã oculus aliquãtulũ contrahatur, reliqua quidẽ similiter, uelut dictũ est fiãt, ut ne inflammatio succedat. Verum post inflammationis ac ulcerationis declinationem, balneum conducet, & uinum tenue moderatum. Et cibus boni succi, quo humor probè renutriatur ac rursus expleatur.

De oculi prolapsu. Cap. XXIIII.

Prolapsus totius oculi, ex uiolẽta quadã capitis plaga contingit, aut ex ulceribus carbunculosis, aut internis uasis ac pelliculis, quibus adhæret oculus, ruptis aut laxatis. Procidit enim quibusdã totus oculus foras, ut à palpebris cõtegi nõ possit. Aliquando etiã usq; ad malas & supercilia procidit. Atq; hoc maximè cõtingit ex casu ab alto loco, aut ex plagis capitis uiolentis. Periculosa est autẽ affectio. Itaq; curatio statim adhibenda est, per uenæ sectionẽ, aut purgationẽ. Sed & reliqua adhibeantur quæ relata sunt in cõmuni ulcerum curatione. Contrahendus est cibus, & postea in ouo & rosaceo ac uino simul cõtusis lanam imbue & impone. Deinde uero cataplasma ex meliloto & papaueris capitibus adhibe, cui addita sunt hyoscyami folia cũ pane aut psyllio modicè madefacto. Assiduè uero alterentur cataplasmata, ut ne calefactæ partes suppurentur. Sequentibus diebus remittẽte inflammatione, cucurbita occipiti cum scarificatione affigatur. Præsente uero inflamatione, cucurbitæ sunt ineptæ. Assiduè autẽ ouum & lac tepida instillentur. Remittẽte uero inflãmatione, collyrio Nili ex rosis cum ouo utendum est. Aut etiam mellis fumi exortis parum ipsi ammiscẽdum, ad saniẽ excernẽdam. Simul autẽ sub palpebrã subijciendus est specilli nucleus, ut ne concretio aliqua fiat. quòd si prolapsus magnus factus fuerit, & nulla spes est ut uisus restituatur, cataplasmatis suppuratorijs utendũ est, qualia sunt quę ex polline fiũt, Sed & lentem cum melle imponere oportet. Et inflammatione declinante balneum petendum est.

De ulcerationibus superficialib. ex humorum influxu obortis, nubecula, caligine, epicaumate, & encaumate. Cap. XXV.

Quæ ex humorũ influxu fiunt superficiales ulcerationes, diuersimodè nominãtur: caligo enim est ulcus superficiale in nigro oculi factũ, consimile caliginoso aëri, colore cæruleo, quod multũ locum nigri occupat. Quũ uero in pupilla factũ fuerit, nõ facilè ægri uidẽt. Nubecula autẽ uocatur profundius ac minus caligine ulcus in nigro, & est colore albius. Epicauma uero dicitur, quũ nigrum oculi in superficie exasperatũ, inustũ fuerit, & colorem cinereũ præ se tulerit. Encauma uero est ulcus ut plurimũ ex febre fiens, cum crusta impura, in nigro aut albo. Et in nigro dũ fit in profundo, plerunq; in purgatione, maiore tunicarũ corrosione cõtingẽte, humores paulatim foras effundũtur, & totus oculus effluit. Has igitur superficialissimas ulcerationes, cũ febre aut sine febre fiẽtes sanare oportet, aluo per clysterẽ præeuacuata, ita ut collyriũ Nili ex rosis aquosius instillemus, & in ipsis interuallis infusionis collyrij, lac infundamus. Præteritis deinde aliquot diebus, ammiscendũ est ad Nili collyriũ, chiacũ appellatũ Apollonij, aut aromaticum. Deinde uero etiã meracis his utendum. Citò enim cicatrices, easq; tenues & ferè non apparentes inducunt.

De argemo. Cap. XXVI.

Argemum est ulcusculũ circa iridis circulum factum, partem albi, & partẽ nigri occupans, & album apparẽs. Quum igitur profundius & sordidũ factum fuerit circa iridis circulũ, & citius repurgatum, aliquãdo procidit tunica uuiformis. Quapropter meatus obducẽtibus pharmacis in ipsis à principio utendum est, quo ulcera ab inflãmatione liberentur, & tunica oculi subnutrita crustam reijciat.

De fossulis, & concauis ulcerũ generibus. Ca. XXVII.

Fossulæ appellantur quũ in nigro fiunt caua, angusta, & pura ulcera, puncturis similia. Concaua uero uocantur, rotũda & ampliora fossulis ulcera, & minus profunda. Nõ igitur ipsa purgare oportet per acria collyria, sed potius per mitia renutrire, & maximè ea quæ fossulæ appellãtur. Concaua uero diuturna primũ leniter detergẽtibus curabimus, & deinde ad renutrientia transibimus, qualia sunt quæ ex thure fiunt. Vbi uero explanata fuerint, aut etiã adhuc cauiora sunt, Cleonis collyrio utendũ est. Si uero sordes multæ ulceribus insitę fuerint, aqua mulsa infũdatur. Nos autẽ ad fœnigræci decoctũ paratũ uelut antea dictũ est, modicũ mellis ammiscuimus, & citius rẽ quęsitã assequuti sumus. Vtimur etiã in cauis ac sordidis ulcerib. collyrio Theodotij Seueri aquosiore cũ ouo, & citra omnẽ dolorẽ repurgat, & celerrimè ad cicatricẽ perducit. Meminisse uero etiã in his oportet prædictę cõmunis ulcerum curationis.

De suppuratione aut ungue. Cap. XXVIII.

Suppurationes in ulceribus fientes diuersas appellationes habent. Vnguis enim dicitur quum à profundiore ulcere pus defluens, & inter tunicas illapsum, & in circulo iridis figuratum, similem ungui resecto imaginem præ se fert. Ampliore uero pure collecto, & dimidium nigri occupante, aut per totam corneam tunicã pellucẽte, suppuratum esse oculum dicimus. Fiũt autẽ hæc etiam circa exulcerationem, dolore capitis, aut lippitudine prægressa. Contingunt etiam inflammatione prægressa, propter ampliorem humorum repletionem diruptis quibusdam uasis, & sanguine ex ipsis profuso suppurato. Consequitur autem ad suppurationem dolor uehemens pulsatorius, & rubor circa oculum totum, & temporum dolor. Curatio facienda est ab initio reiectis fomẽtis, per alui per clysterẽ euacuationem

tionem. Deinde per uenæ supernæ in cubito sectionem. Ita ut postea etiã uenam circa magnũ oculi angulum secemus, citra colli ligationẽ aliàs fieri solitam. Sed & cucurbitã occipiti affigemus, aut hirudines temporibus. Deinde collyrijs ad inflãmationes destinatis utendũ est, & maximè Nili ex rosis, cum ouo aut lacte aquosius instillato. Post tertiã uero diem fomẽtum per spongiã adhibendum est, moderatè primum, deinde paulatim semper facta maiore accesione. Et collyria quidẽ meatus obstruentia uitanda sunt. Vtendũ autẽ discussorijs ac lenientibus, maximè chiaco Apollonij, & similibus ex myrrha paratis, quæ diasmyrna appellantur: Quæ enim uehementer discutiunt ac resiccãt, statim quidẽ multã tenuioris euacuationẽ faciunt. Quod uero reliquum est & crassius cõdensat, & ut ægrè dissolui posit resiccat. Galeni. Medicus quidã apud nos expertissimus ophthalmicus etiam capitis cõcussione multos sanauit. Et locabat quidem ipsos in sella erectos, & utrũq; à lateribus caput appræhẽdebat, atq; ita cõcutiebat, ut nos manifestè uideremus pus deorsum ferri, & infrà manere, propter grauitatẽ uidelicet. Quũ igitur in superficie fuerit pus, & ulceri contiguũ, dum purgatur ulcus omnino etiã in uaporẽ exhalat pus: quum uero ulcus superficiariũ fuerit, & superius. Pus autẽ amplius, & in profundo inferius ulcere, & à pharmacis non excolatur, oculũ sub pure perpungere oportet, acu obliquè circa iridẽ & coronã appellatã immisso, & pus excernere. Atque hanc chirurgiã locis non inflãmatis adhibere oportet. suppurationes autẽ in albo tunicæ agnatæ fiẽtes, scalpro uenæ sectorio ex inferna parte diuidito, & tunicã agnatã leniter subexcoriato. Cæterũ post humoris euacuationẽ, in utrisq; oui cãdidum instillato. Deinde integrũ ouum cũ uino mulso cõquassato, & molli lana exceptã oculo superponito ac deligato. Postera uero die fomento ex aqua calida per spongiã adhibito, & ouo infuso, rursus prædictũ lanæ hapsum imponito, & post triduũ collyrio Dionis illinito, aut quopiã ex his quæ ad perpũctiones adhibẽtur. Est autẽ Dionis collyriũ hoc. Spodij dra. III. thuris, squamę æris, myrrhę, acaciæ, spicę nardi, opij, singulorũ dra. I. gũmi drac. VI. excipe aqua pluuiali. Vsu uero expetẽte infunde cũ candido oui, & prædictũ lanæ hapsum superpone. Si uero postquã inflãmatio cessauit, caro ex diuisione prominuerit, prædictum collyrium cũ lacte dilutum illine. Probè etiam deprimit & repurgat chiacũ Apollonij.

De pustulis. *Cap. XXIX.*

Pustulæ fiunt & in albo, & in palpebris. Plerunq; uero circa corniformem tunicam. Et aliæ in superficie fiunt, aliæ in profundo: cõstat enim tunica corniformis ex quatuor uelut mẽbranosis corpusculis, densissimis ac fortissimis. Aliquando igitur sub prima membrana pustulã fieri contingit, quando etiam colorem nigriorẽ præ se fert. Aliquãdo sub secũda aut tertia cõsistit, quando sanè etiã albidior pustulæ color fit, eò quòd in profundo tunicę corniformis occultatur: naturalis enim pustulę color niger est. Tunica uero corniformis alba est, & cornibus simillima. In quantũ igitur in profũdo corniformis tunicę pustula occultatur, in tantũ colorẽ assimilat, & maiorem dolorẽ inducit, & molestior est. Nã siue ob plenitudinẽ rupta fuerit pustula, siue ab acrimonia corrosa, ut tunica ulceretur, facilis curatu est superficiaria ulceratio. Difficilis autẽ profunda. Periculum est enim ne reliquũ corniformis in profundo tenue existẽs rumpatur, & uuiformis procidat, ac effluãt oculi humores. Præsertim si iuxta pupillam ruptio fiat. Facta enim iuxta pupillã ruptione, etiamsi pro more ægri, tamẽ aliud quid graue cõsequitur. Nam inducta ulceribus cicatrice, homo non uidebit, propter inductas cicatrices. Quandoquidẽ uero aliquãdo etiã ob corniformis corrosionẽ uuiformis tunica procidit, & superficialis pustulæ imaginationẽ facit, operæpretiũ est de his exactius distinguere. Pustula itaque superficialis, similiter undiq; nigra est, nõ tamẽ nigredine exactè saturata. At in uuiformi tunica pars quæ procidit, aut nigra est, aut cærulea. Quod uero maximũ signum est, fundum prolapsæ uuiformis per circulũ reperies albũ. Alba est enim colore corniformis tunica, qua rupta uuiformis procidit. Sed & pupillæ magnitudo imminuitur in uuiformis prolapsu, aut sanè omnino euariat secundũ figuram: nõ enim pupilla exactè conseruat rotũdam figurã in prolapsu, sed iuxta partẽ quandã uelut diuulsa apparet. Proinde relatis signis diligenter intẽdere oportet, & affectiones inter se distinguere. Nã iuxta affectionũ differẽtias etiam curationẽ uariare oportet. In prolapsu enim uuiformis, magis adstringẽtibus ac repulsorijs utimur. In pustulis uero his quæ leniter discutiũt. Curãdæ igitur sunt pustulæ ita ut caueamus primũ multiloquiũ, sternutationes, iras, spiritus, detẽtiones, clarũ splẽdorẽ, deinde cõtrahendus est etiã potus ac cibus, & ad alui euacuationẽ acri clystere utendũ est. Tẽtandũ quoq; ut lacte aluus soluatur, in quibus id neq; acessit, neq; in nidorẽ uertitur, neq; uomitu reijcitur. In talibus enim uitandũ est lac, & utendũ gallinę iure, aut cnici succo, aut aloë, aut per simplicius quoddam aluus soluenda. Vitanda sunt etiã uehemẽtiora purgatiua, & maximè quæ stomacho sunt magis infesta. Deligationes autẽ & multos lanæ hapsos in his reprobamus. Valde enim nocent nõ solũ in his, sed etiam in omni lippitudine, ex humorũ acrimonia facta. Cataplasmata igitur adhibere oportet, ubi inflãmatio affuerit, maximè in principio, leuia quidẽ, sed lata. Sunt enim cataplasmata tenuibus ac mollibus linteolis illineda, & super totũ oculũ imponẽda, supercilio ac mala & tẽpore simul cõprehenso, & sinenda, quàm diu fuerint madida. Postquã uero siccata fuerint, tollenda & alia imponẽda. Adhibeantur ea quę ad inflãmatiões cõgruũt, uelut est tenue ouorũ, & uitelli ouorũ triti cũ croco ac modico opio, moderatoq; passo ac pane. Conueniũt etiã adstringẽtia, uelut sunt mala cydonia cocta, aut malicorium in aqua coctũ. Verum uitandũ est, uelut dixi, ne oculus in his diutius deligetur: est enim nocẽtissimum hoc. Mitigata uero inflãmatione, etiã ab emplastris abstinendũ est, propter grauitatẽ. Collyria uero in principio cõueniũt, Nili ex rosis, cũ lacte dilutũ & infusũ. Proficiẽte autẽ curatione, adhibendũ est id quod ex thure, myrrha, ac croco paratur. Postea etiã nardina. Forinsecus autem illinendæ sunt palpebræ collirio Nili ex rosis, frons uero acacia & hypocisthide, cũ croco & modico opio. Fomẽta ab initio tepida adhibeantur. Nam intenta à principio inflammationes exacerbant. Postea uero caliditatẽ intendere oportet. Deambulationes & alij motus ab initio nõ conueniũt. Balnea uero & reliqua uaporatoria fomenta

menta post principium. A uino abstinere oportet per omnẽ curationẽ, & aqua calida in potu uti, & cibos molles ac facilè concoctiles accipere. Fugienda est in his sanguinis ex fronte aut uenis angularibus detractio: procidit enim oculus, & maximè si inflãmatio simul affuerit, aut profundior exulceratio.

De carbunculis in palpebris Seueri. Cap. XXX.

Quandoquidem carbũculi sunt ex genere pustularũ, & fiunt hi quoq; aliquando in palpebris, oculumq; ad maximũ consensum perducũt, age & ad hos pauca auxilia proferamus, dinotiones ipsorũ primum exponentes, quũ sint etiam alij quidam abscessus palpebrarũ, qui imperitis carbũculi uideri possint. Nã & ordeolum tuberculũ, & pani, & uari circa palpebras fiunt, sed cum tumore quodã hæc, & ferè citra inflãmationẽ, & non cũ uehementi dolore. Carbunculi uero ruborẽ ab initio habent, ut oculũ sibi peruri putent: tumorem uero aut eminentiam nõ statim inducunt. Nam ob immodicã caliditatem, uelut ruptionẽ quandã carbunculus sustinet, & quod effluit ex ipso quũ sit acre ac mordax, superficiẽ quidẽ carbunculi resiccat, & crustã inducit, uicinis uero locis morbũ inserit. Cõsequitur igitur ad ipsos fortis inflãmatio, tũ ipsius oculi, tum partium circũsitarum, & maxime glandularum circa aures, ut quandoq; magnarum ulcerationum, & ruptionũ oculi causa fiunt, insuperq; prolapsuũ, & nuditatis palpebrarũ. Et cicatrices à carbunculis crassæ fiunt, & assiduè ulcerantur. Et in reliquo quidem corpore sanguis qui effluit ex carbũculis niger reperitur, propter superassationẽ. In oculis autẽ sanguis nõ omnino ex carbunculis manat, eò quòd neq; redũdet in oculo sanguis. Vnde plerunq; etiã albi colore sunt carbũculi in palpebris. Et si quidẽ emotio affectionis cita contigerit per cõuenientem curationẽ, carbunculus penitus disparet. si uero durauerit, & ægrè discuti poterit, necessariò locus nigrescit. Proinde incipiẽtibus carbunculis nõ statim ad cataplasmata & illitiones progredi oportet, sed per clysterem primũ aluũ euacuare. Deinde lactè moderatè cocto purgare. In sanguineis corporibus etiã uena secanda est. Postea per spongias fomentũ adhibendũ, primũ ex simplicioribus. Adstringentibus enim & frigefacientibus, & aliquando etiã resiccãtibus pharmacis usi, hos sanabimus. In principio igitur, quũ feruor adest, humorem extinguere conantes, coriandro trito ruborem oculi illinimus. Et solanũ cum passo tritũ & carbunculo adhibitũ, statim ipsum abolet. Atq; hic ductus in principijs magnopere prodest. At frigefaciẽtia cataplasmata oculo in carbunculis adhibita, repellunt quidẽ id quod influit carbunculo, & externas inflãmationes sedant, uerũ periculũ est ne in ipsum oculũ impetũ faciat: hoc enim solanũ aliquando perpetrauit. Adhibitũ enim cũ passo statim quidẽ tumorem aboleuit, oculus autẽ hinc repletus est. Cæterũ carbunculos iã depascentes uariè curare oportet. Nam quod defluit acre ac mordax existit, ut etiã uicinos locos depascatur, & periculũ sit ne oculus lędatur: solet enim erosio his cõtingere. Conuenit igitur spõgia detergere, & oculũ moderatè perfundere, rosarũ, aut rubi, aut pampinorũ uitis decocto. Sit autem tepidius decoctũ, aut potius lactei teporis. Quod si etiã sordidi fiãt loci, ex eo quod nome depascẽs pręualuit (sæpe enim etiam palpebræ excidunt) ad huiusmodi fluxiones etiam hypocisthidis succũ aquæ ammiscemus, & myrtũ & acaciam passo diluta locis illinimus. Oportet enim pro corporis curandi ratione, etiam materias eligere maximè medias. Valde enim efficacia pharmaca loci nõ sustinent, qualis est ærugo, & similia. Per mordacitatẽ enim etiãsi salutis spem habeat oculus, hac quoq; priuatur: neruosæ enim partes & præsertim carnibus denudatæ, à uehementer mordacibus læduntur, ut etiã cariem inducant. Malicoriũ itaq; ex malis punicis acidis cũ lenticula feruefacimus, & derasa interna parte, cum modico melle terimus, & ex eius usu magnopere profecimus: celerem enim purgationẽ facit, & humores qui oculis inferũtur, quodammodo supprimit. Nã pinguia nomas augent. Aucta uero noma, in uino malicoriũ coquere oportet, & per se citra lẽticulã imponere. Crustas autẽ magis malicoriũ coctum tritum cũ melle impositum resoluit. Sunt & cõposita pharmaca carbunculis conuenientissima. In principijs enim feruorũ, pastillus ex halicacabis illitus excellenter extinguit. Frigefacit enim & resiccat moderatè: Si uero cõtrahere oportet carnem superexcrescentẽ, Musæ pastillum aridũ tritum adhibemus. Si uero incarnatione opus est, ipsum Musæ pastillum cũ sapa dissolutum illinimus. At si cicatricem inducere intendimus, rursus pastillũ ex halicacabis assumimus, Apollonius autẽ ait: Ad carbunculos oculorũ hoc pharmaco utimur. Spodij drach. IIII. lapidis scissilis drach. II. croci obol. III. myrrhę paulum torrefactæ obol. III. Terito cũ uino odorato donec arescant, & passi cretici, aut alterius non acris heminã ammisce, cõtere, excipe ac subline. Disparat crustas, & purgat ulcera, siue extra palpebras affectio fuerit, siue intrinsecus in profundo. Facit & ad fluxionẽ ac inflãmationes. Si uero dolor oculum uexarit, hoc collyriũ illine, & euestigiò sistet nomẽ. Recremẽti plũbi triti loti & exiccati drac. IIII. spicę nardi drach. I. gummi drac. II. foliorũ oleæ centum uiginti succũ. Succum aquæ hemina ad folia adiecta exprimito, excolatoq;, & ad reliqua cõterenda utitor. Facit & collyriũ Nili ex rosis cũ ouo infusum. Maximè uero Nardinũ candido inscriptũ, per submissionẽ palpebræ sublitũ, usq; ad perfectam curationẽ: oportet enim ubi pura facta sunt ulcera, fomẽto præmisso, specilli nucleũ lacte tingere, & palpebris submittere, atq; angulos inter se disparare, ne distorta cõcretio fiat. Et ob hoc neq; oculũ deligare oportet, maximè post ulcerũ purgationẽ. Nam circa principia si inflãmationes maximæ & distentiones fuerint, lẽticulæ coctę cataplasma cũ pane imponere cogimur. Sed & psylliũ impositũ inflãmationes mitigat. In doloribus enim aliarũ oculi inflãmationũ adhibitũ, somnũ inducit. Sint autẽ leuissima cataplasmata. Sed neq; diu in cataplasmatũ usu perseuerare oportet. Augẽt enim putrefactionẽ, & oculum magnopere lędũt, uelut etiã in pustulis prædictum est. Postq̃ igitur aliquãtulũ mitigauim⁹ inflãmationes, statim à cataplasmatis, tũ in carbũculis tũ in pustulis abstinebim⁹. At uero in locis circa aures per cõsensũ inflãmatis, splenium ex cerato butyrino imponito.

De canceratis oculorum ulceribus. Cap. XXXI.

Vlcuscula in nigro oculi fictia, cicatricem nõ recipientia, parua, dolorosa, parua uasa habentia uaricosa, cancerata dicuntur. Et aliquando quum cicatricem accepisse

accepisse putantur, resoluuntur citra manifestã causam. Fiunt autẽ in his punctorij discursus usq; ad tẽpora. Et cõsequitur in ipsis fluxio humoris moderatè acris ac tenuis. Et albũ in oculo itemq; nigrũ, semper rubicundũ est. Et auersantur cibũ. Augentur autem ipsis uehemẽter dolores, illitis acrioribus medicamẽtis. Cõtingit hæc affectio maximè senioribus, ex diuturnis lippitudinibus. Et fœminis quibus mẽses defecerunt. Curatio porrò adhibenda est, habita totius corporis cura, cũ prædictione quòd fieri non possit ut perfectè sanentur, sed fieri posse ut mitigentur, primũ per conuenientem diætam: deinde etiam per pharmaca dolores lenire potentia. Diæta igitur huiusmodi sit. Postquã à lecto surrexerunt, corpus moderate illinant oleo dulci. Caput autẽ modico rosaceo aut omphacino. Et uiridi sindone oculo prætenta, deãbulare iubeto in tenebroso ac nõ uentoso loco, cũ silentio & absq; alia distentione, ita ut neq; caput agitent, quantũ eius fieri potest. Postquã autẽ ampliore & lenta deambulatione usi fuerint, ad domiciliũ tenebrosum, & nõ ualde lucidũ se recipiãt, & rursus ab alio corpus ipsorum illinatur, excepto capite, cõfrictis maximè lũbis ac infernis partibus. Postea uero lactis moderatè cocti, remota cõcretione superstante, heminæ mensurã accipiant. Nã acrimonias quæ affluunt hebetat, & aluum facilè solubilẽ facit. Si uero ineptus sit ad lactis potũ, pollinẽ polentę passo moderatè calido diluto inspergito, & sorbendũ dato: Postea si fame uexẽtur, duobus ouis sorbilibus utãtur, & somnum diurnũ uitent. Circa decimã autem horã confricti assumãt panem purũ, cum obsonio quodã uiscosum quippiã habente, uelut sunt oua sorbilia, cerebellum porcinũ duabus aquis coctum. Ex piscibus muræna, torpedo, glauciscus. Ex oleribus malua, atriplex, lactuca. Assumenda etiã alica ac oryza, & laganũ in gallinæ iusculo coctũ, & pedes suilli ac tali probè cocti. Omnia uero sint moderata. Vinũ bibant & tenue subadstringens, & ipsum moderatum. Ab omnibus autẽ salsamẽtis & leguminibus penitus abstineãt. Item à balneo, nisi necessariũ hoc fuerit, aut lassitudinis gratia, aut tardæ concoctionis. Atq; tunc tardandũ in ipso est, sed citò exeundũ. Dolore uerò & fluxione oborta illinãtur pharmaca lenia ad pura ulcera cõuenientia, uelut est spodiacũ, & collyriũ Cleonis, & similia. In oculũ autẽ assiduè infundendũ est ouũ, aut lac muliebre tepidum. Mitigat etiã lentis decoctũ infusum, aut plãtaginis, aut portulaca. Verũ ad temporũ dolores utendũ est collyrio Nili ex rosis. Si uero ad uehemẽtes inflãmationes cataplasmatis uti cogamur, cataplasmate ex papaueris capitibus utendũ est leuissimo. Antea enim dictũ est quòd fugere oportet cataplasmata in oculis calidã affectionem habentibus. Ammiscẽdum est autẽ cataplasmati ex papaueris capitibus, in his & crocus, & lac muliebre.

De malignis oculorũ ulceribus. *Cap.* XXXII.

Fiunt & alia maligna ulcera, partim à magno angulo initiũ sumentia, partim à nigro, partim ab albo, & oculũ citò corrodũt, & præsertim in corporibus uitiosis humoribus refertis, & quæ acrium rerum esu usta sunt. Sanies etiã ab ulcere manat multa ac graueolens, & sequuntur dolores uehemẽtes ac febres. Sæpe etiam alui fluxus. Depascuntur etiam aliquãdo ulcera uicinos oculis locos. Curandæ uero sunt etiam huiusmodi nomæ, per prędictæ diætæ usum. Veruntamen eiusmodi exhibenda sunt quæ aluum non soluũt. Vnde in his magis uolucriũ genere utẽdũ est, maximè montanarũ. In oculũ uero infundendũ est lac, aut ouũ, & prædicta collyria. Si uero nome transgressa fuerit oculos, curatio ita fiat. Pompholygem optimè lotam, ex muliebri lacte illinere oportet, & superimponere, sanie prius per aquam elota, deinde per lac. Facit similiter & cerusa lota ac siccata, & cum lacte adhibita. Et plũbi lotura sicca, quæ confricto plumbeo mortario cum plumbeo pistillo colligitur. Facit & plumbi recrementum lotum, & amylum. Singula cũ lacte muliebri. Cataplasmata uero si coacti fuerimus adhibere, mala cydonia cocta adhibeantur, aut rosæ uirides, aut siccæ uino maceratæ, polygonum item ac solanũ, & semperuiuum, & seris cum polentæ polline. Si uero uasa in fronte ac temporibus fuerint eleuata, etiam sectionis uasorum rationem habere oportet.

De myocephalis. *Cap.* XXXIII.

Quum ulcera quæ propter erosionem aut ruptionem corniformis tunicæ fiunt, profunda euadunt, pars acinoformis tunicæ procidit, & quod prolapsum est nigrum aut cæruleum apparet. In circuitu uero circa fundum eius partis quæ procidit, labia corrosæ corniformis tunicæ alba apparẽt. Et si adhuc magis pars prolapsa durauerit, labia ruptionis tunicæ corniformis callosiora facta adhuc magis alba apparent. Diuulsa est autem omnino in uuiformis siue acinoformis tunicæ prolapsu pupilla ipsa, ut omnino nõ appareat, aut & situ & figura immutata. Et per hæc discriminatur myocephalon à pustula. Dicitur autem myocephalon, quoniã figura simile est capiti muscæ. Repulsorijs autẽ & adstringẽtibus opus habet pharmacis, qualia sunt maxime quæ ex uino fiunt. Est autem & hoc celebre ad ipsum: Cadmiæ, æris, chalcitidis crudæ, singulorũ unc. I. æruginis drachm. IIII. myrrhæ troglodyticæ drach. II. & dimidiam, croci drach. III. salis ammoniaci drach. IIII. gummi drach. IIII. Excipe uino ueteri adstringente. Aliud, ad pterygia, carnis incrementum iuxta magnum oculi angulum, aspritudines. Exterit etiam cicatrices. In alio exemplari reperi, etiam staphylomata facere. Misyos crudi drach. XII. cũ aquæ cochleario terito, deinde croci leuissimè triti drach. XX. adijcito, ac rursus terito, & additis myrrhæ drach. IIII. excipito ac utitor. Post illitionẽ uero ex ipso factam, spongiam teneram imponito ac deligato. Aliud bonum. Facit & ad data staphylomata. Misyos crudi sextantem, croci unc. I. gummi unc. I. tere cum uino & utere. Mirificè etiam facit in ipsis theodotiũ Seueri, & si quidem inflammatio non affuerit, crassius illine: si uero affuerit, cum ouo infunde. Adhibeatur ipsis quoque conueniens deligatio. Et inflammatis cataplasma ex papaueris capitibus impones. Aut psyllium aqua calida madefactum. Collyrium Hori faciens ad myocephala cum Theodotio. Facit & ad diuturnas tenues fluxiones. Cadmiæ, squamæ æris, croci singulorum drachm. VIII. opij drachm. XII. misyos usti, myrrhæ, acaciæ, gummi, singulorum drachm. IIII. Excipe aqua.

De staphylomate. *Cap.* XXXIIII.

Differentiæ staphylomatum plures sunt: Nam & causæ affectionis uariæ sunt, plerũq; tamẽ quomodocunq;

cunq; factũ fuerit staphyloma, uisum destruit. Appellatur autẽ staphyloma, quum corniformis tunica fuerit eleuata, & eminentiã acino uuæ similem fecerit. Fit autem aliquando humoribus sub aliquam corniformis tunicę striam collectis, à quibus humoribus coactã corniformem tunicã sustinere contingit ac eleuari & incuruari, facereq; staphyloma citra ruptionẽ. Fit hoc etiam ex pustula quadam inter strias corniformis tunicæ satis profunde cõsistente, quæ tunicam eleuauit, non tamen rupit. Appellant etiã staphyloma quam ob corniformis tunicæ rupturam, magnus uniformis tunicę prolapsus factus fuerit. Differt hoc à primo, quoniam in illo eleuatio sola est tunicæ corniformis, unde etiã tota moles albidior apparet. In hoc uero ruptura quoq; facta est tunicæ corniformis, & quod prolapsum est, cæruleum aut nigrũ apparet. Quum autẽ maximum factum fuerit staphyloma, ut extra palpebras trãsgrediatur, & induretur, ita ut ipsa corniformis circumcirca callosa facta sit, & talem affectionẽ cõstringat, clauus appellatur, quoniã per omnia claui capiti similis existit. Hæc igitur affectio quomodocunque fiat, duobus malis subiacet, uisus uidelicet detrimento, & figuræ deformitati. Et sic quidẽ affectũ oculũ ad naturalẽ statũ reducere, impossibile est arti. Figuræ uero deformitati consiliũ cõtingere potest, maximè per chirurgiã. Quæcũq; igitur staphylomata recentia sunt, & propter inflamationẽ eleuatę sunt tunicę, curãda sunt cataplasmatũ ad inflãmationes descriptorũ usu, & simili quoq; diæta. In quibus autẽ sub corniformis strias humores aliqui collecti eleuationẽ fecerunt, si dolor affuerit, semen lini cũ fœnogræco ex aqua mulsa cocta imponemus. Declinantibus uero doloribus, farinã fabaceam cũ rosis aut semine lini ex aqua impone. Aut rubi folia, aut bryonię botros immaturos. cũ butyro & terebinthina, æqualibus portionibus impone, & deliga. Ad dolores uero cõuenit etiam solani succus cum lacte muliebri infusus. Collyriũ autem ad non inflãmata staphylomata cõmodũ hoc est. Alcyonij drac. IIII. salis ammoniaci unc. I. spumę nitri drach. I. lacrymę oleæ syluestris drach. I. gummi sextantem. Excipe aqua. At Theodotium Seueri brassicæ succo dilutum, & crassius oculo adhibitũ, unà cũ spongię deligatione, molẽ dissipat, si nõ diuturna fuerit affectio. Cæterũ ægrè curãtur staphylomata quæ ampliorẽ fundũ habent, & quæ uenas sanguine plenas habẽt. Incurabilia autẽ sunt eminentia, & colore uaria, & temporũ dolores inducẽtia. His sane nihil aliud adhibẽdũ est, quàm ea quæ dolores mitigare possunt, quæ in malignis ulceribus iam antè relata sunt.

Staphylomatum chirurgia. Cap. XXXV.

In staphylomatis quæ angustũ habent, & nõ maligna sunt, cõmoda est actio secũdum cõstrictionẽ appellata, cuius hic est modus. Duas acus accipere oportet filũ duplex intortũ habentes æquali prorsus lõgitudine. Deinde hominẽ ad pedes tuos collocato, capite ipsius reflexo, ita ut occiput ipsius genibus tuis innitatur. Et deinde disparatis palpebris, per medium staphylomatis fundum, ex supernis deorsum acum transmittito. Sit autem non ualde crassa, neq; oblonga. deinde dum detinetur oculus ab acu transmissa, alterã acum duplex filũ habentẽ similiter trãsmittito à paruo angulo ad magnũ, per mediũ itidẽ staphylomatis fundũ, quo figura duarũ acuum trãsmissarum cruciformis fiat, aut literæ græcæ X. similis. Nam quũ paulò obliquior facta fuerit transmissio, facilius acus extrahũtur. Deinde incisis duplicatorum filorũ principijs, superna duo principia, superno acus principio subijcientes, inferna uero inferno, strennuè constringimus. similiter autem & obliquę acus principia constringimus: optima uero constrictio fit rectis principijs ad obliqua ductis, & hoc modo colligatis. Deinde apicem staphylomatis resecamus, solo fundo ipsius relicto gratia filorũ, ut ne elapsis ipsis humores oculi effundantur, & oculus cautior fiat. Cur autem staphyloma excindimus: primũ quidẽ compendiariæ curationis gratia. Citius enim fila excidunt, & ulceratio curatur. Deinde etiã minori dolore æger affligitur per totũ curationis tempus, quũ & corpora transpirent, & neq; magna inflamatio cõsequatur. Post resectionẽ uero apicis staphylomatis, acus extrahere oportet, filis uelut dictũ est constrictis, & tunc lac infundere, aut oui cãdidũ. Supernè uero oculo imponatur ouũ cũ rosaceo ac modico uino cõcussum, & molli lana exceptũ. Imponatur etiã tempori alius lanæ hapsus ijsdem imbutus. Et facta deligatione, æger in quiete seruetur. Postera die fomentũ fiat per spongias probè expressas, & lacte infuso, lana ouo imbuta imponatur & deligetur. Atq; hoc faciendũ est per plures dies, donec fila excidant. Elapsis autẽ filis illinantur tenera ad ulcera descripta, ut pura exulceratio fiat. Deinde cicatricem inducentibus utendum est.

De ulceribus cicatrice indigentibus. Cap. XXXVI.

Purgatis oculorum ulceribus, & expletione indigentibus, animaduertere oportet ut ne carne redundent, sed aliquanto cauius ad cicatricem perueniant. præsertim si in pupilla fuerit ulcus. Nam supereminentes cicatrices uisum impediũt, & deformitatem afferunt, & dum ex palpebris punguntur, fluxiones inducunt. Quæ uero aliquantulũ cauæ sunt, melius apparent ac splendorem excipiunt, & decorę si fuerint partim cõcolores. Tales autẽ consequuntur, si à mollibus & meatus obstruentibus pharmacis, compendiò ad cicatricem inducentia transeamus. Præstat autem si aliquãdo clandestinè caro superexcreuit, citò reprimere ac eminentias attenuare, & sic cicatricem inducere. Vitanda autẽ sunt tingentia cicatrices pharmaca, & maximè si iuxta pupillam fuerit ulcus: dũ enim denigrantur, impediunt uisum. Sed & deligationes oculorũ in ulcerationibus uitãdæ sunt, quibus aliqui utũtur uolentes humiliare cicatrices. Deligatus enim exulceratus oculus, & immobilis factus, sæpe palpebris agnascuntur. Porrò ulcera ad cicatricẽ perducta diligenter notare oportet. Quidã enim decipiuntur, & cauiores factas cicatrices, caua ulcera esse putãtes, mollia & replentia collyria illinunt. Deinde cõtingit locos quidẽ non impleri, uerum tunicas ex hoc crassas fieri. Quũ itaq; superficiẽ ulceris clarã factam uideris, & albam ac leuẽ: & album oculi naturalem colorẽ recepisse, & totũ oculum à fluxione liberatum, scito cessisse iam ulcus, & cicatricem inductam esse. Est autem optimum collyrium quo usi sumus in puris ulceribus & cicatrice indigẽtibus, quod Cleoni inscribitur.

De cicatricibus & albuginibus. Cap. XXXVII.

Omnes cicatrices in nigro oculi albæ apparẽt. Densata enim corniformi tunica subiectus ipsi cæruleus color non translucet. Maximè tamen supereminentes

tes albescũt. Aequales autẽ minus sunt albę. Cauiores uero quodãmodo cõcolores sunt nigro. Quę uero adstringentibus pharmacis usq; ad inductã cicatricem curantur, magis obscurantur, eò quòd pelliculæ per adstrictionem multum densantur. At uero callosas ac diuturnas & crassas cicatrices curare non oportet. Necesse est enim in talibus, collyrijs ualde acribus uti, & à uehementi mordacitate aliæ oculi partes ulcerabuntur. Si uero etiã suffusio aut glaucedo affuerit, uanũ est cicatrices extergere. Oportet autem eum qui cicatricem exterere uelit, per uictũ corpus accommodare, quo moderata materia & boni succi, in toto corpore adsit. Itaq; ab omnibus acribus abstinere oportet, salsisq; ac crassi succi cibis. Et à multo uino. Et bonæ cõcoctionis maximè curam gerere, & moderatè boni succi edulijs uti. A balneo uero curationis tempore abstinendum est. Illitio autem facienda est ante cibũ, ubi probe cõcoxit, & capite ac toto corpore leuis est, uetris onere prius deposito, & nõ statim à lecto ad illitionẽ transeundũ, neq; ante cœnã. Vitanda sunt excoriantia cicatrices pharmaca. Quidã enim illinentes ipsas acribus medicamẽtis, & excoriãtes, ac candida ramenta per spõgias detrahentes, ea in coticulis nigris circumferẽtes ostentãt. Deinde illinũt aliquod medicamentũ quod tingere potest. Verum fluxionibus succedẽtibus ex pharmacorum acrimonia, itemq; inflãmationibus, & aliquando resolutis cicatricibus, ulcera magis profunda fiunt. Deinde cogantur rursus adstringentibus ac meatus obstruentibus collyrijs uti, & cicatrices magis crassas faciunt.

Materia attenuans cicatrices & albugines, Galeni. Cap. XXXVIII.

Proinde in his quæ attenuari possunt, utendũ est pharmacis moderatè extergentibus. Extersoria autẽ non minima facultate, participat æs ustum, & squama æris, & flos eiusdẽ, & chalcitis usta. Si uero lota fuerint talia, extersoria quidẽ adhuc manent. Tanto uero imbecilliora actionibus fiunt, quãto etiã leuiora. Securius est autem leuioribus uti. At fortiora his sunt, Misy, & ærugo. Quare etiam ad sycoses & callos cõueniunt, si ammiscentur. Quidam his adijciũt etiam gallas, pharmacum uehementer adstringens. Sed uehementius est adstrictione simulq; acrimonia atramentum sutorium. Multò uero moderatius euadit ustum ac lotũ. Eiusdem materiæ est & squama ferri stomomatis. Quæcunq; igitur ex adstringentibus multum terream compagem habent, asperitudines sycosesq; ac callos eliquãt, uelut sunt Misy, & ærugo, & similia. Quæ uero ex succorum genere sunt, uelut omphaciũ & hypocistis, glauciumq; & acacia, in sublitionibus facile cum lacryma eluũtur. Citra mordacitatem autẽ extergent, cornu cerui ustum, & cornua caprarum. At thus tardissimæ particeps est extergẽdi facultatis, eximitq; dolorem ac cõcoquit. Prædictorũ uero animalium cornua, extersoria quidem sunt, sed neq; uim eximendi dolorem, neq; cõcoctoriam habent, quum frigidæ ac siccæ sint temperaturæ. Thuris autẽ cortex adstringit quidem & ipse nõ instrẽnue, sed multum omnibus prædictis inferior est. Thuris uero inter onera cõfracti pollen, quod mannã dicunt, differt à thure, eo quod modicam adstrictionem assumpsit. Parua enim quædã corticis segmenta ipsi ammixta reperiuntur. Habet & armeniũ appellatũ uim extergendi, quo uidelicet utuntur pictores. Item atramentũ indicũ, & propterea ulceribus nõ inflammatis citra molestiam adhibetur. At aloë mixtæ facultatis est, uelut etiã rosa. Habet enim amarũ quiddam, quod extergit. Habet & adstringẽs quiddam, quo cõtrahit ulcera & ad cicatricẽ ducit. Sal uero ammoniacus, & lapis Asius, & flos ipsius, fortissima sunt pharmaca. Quare etiã ad scabras oculorum affectiones cõueniunt. Cæterum ex aromaticis cõmodè his miscentur, casia & malabathrum, ac amomũ, discussoria quidem facultate prædita, uerum etiam adstrictione participãtia. Nam in communi de omnibus extersorijs medicamentis nosse oportet, quæ moderata sunt, & quæ sycoses ac collas consumunt, ea omnia etiam ad cicatrices crassas conueniunt.

Auxilia ad cicatrices & albugines. Cap. XXXIX.

Ad albugines dracunculi semen habentis occultatum in terra simile piperi, idipsum semen accipe, & tritũ cum melle illine. Aliud, ad cicatrices & hebetudinẽ uisus. Seminis rutæ scrup. II. armeniaci scrup. VIII. salis ammoniaci scrup. III. ammoniaci thymiamatis scrup. III. utere sicco. Aliud. Cicatrices recentes exterit citra omnẽ molestiam, lac equinum cum modico melle assiduè illitum: Aut anethi florem purpurascentem cũ modica aqua terito, & per linteum excolato, ac succũ oculo bis in die instillato. Et postea cucumeris hortensis semen cõmande, & expressum per linteolum succum in oculum instilla, & hoc assiduè facito. Aliud ad albugines. Sideritidis herbæ fructũ leuissime tritum insuffla. Deinde cõpræhensum manu oculum, frigida aqua paululum proluе. Exterget etiã generosè: Alcyonium milesiũ cum melle. Ammoniacum thymiama tritũ cum uino & melle. Quòd si puero paruo albugo facta fuerit in oculo, mater pueri ammoniacum cõmandet, & in pueri oculum sufflet. Facit & Anemones radix bulbiformis leuissimè trita illita. Et anagallidis cęruleũ florẽ habẽtis succus cum melle. Aliud Capnij Chelidonij appellati succus cum melle. Nitrũ cum oleo ueteri, mentæ succus mirifice facit. Columbæ fimus in cote cum aqua dilutus pręter opinionẽ facit. Item felis fel illitum. Aliud ad albugines certum. Butyrum liquefactum solum illine, summe prodest, & utere. De hoc plura promittere nõ oportet, omnem enim promissionem uincit. Aliud optimũ, Lac muliebre, melanteriam ex clauis uetustis ac aceto paratam, mel bonum, hæc tria æquis portionibus simul mixta & excolata adhibe uelut diuinũ pharmacũ. Aliud. Rumicis hortẽsis & plantaginis semen in testa exurito, & cinerẽ exactè terito, ac utitor. Aliud. Crocum, piper, æquali põdere lenissimè trita, cum felis felle in collyria redigito, ac utitor. Aliud. Pullorum hirundinum capita detracta in olla exurito ac terito, & in corneo uase reponito, ac utitor. Est enim utilissimũ auxilium etiam ad percussos oculos illitum. Aliud. Lapidem sarcophagum appellatum, ex quo loculos defunctorum magnos faciunt, tundito, cribrato, & cum sputo ipsius ægri præsertim ieiuni terito, ac confidenter illinito. Aliud. Vitulæ fel heminæ mẽsura ad ignem modice coquito, & optimi mellis parẽ mẽsuram adijcito, & myrrhę drach. II. croci drach. II. simul terito, ac rursus in æneo uase sufficienter coquito, & in pyxidem æream reponito,

reponito, ac utitor. Aliud. Lapidis magnetis uiui, lapidis ophitæ, stibij, æquas portiones tusas, cribratas, ac rursus probè tritas, nicteridis herbæ succo ac optimo melle addito, illine per specillum ex lapide sarcophago factũ. Aliud. Galbanũ cũ melle liquefactum ac simul tritũ adhibeto. Aliud collyriũ, tollit albugines mirificè ac citò. Squamæ ferri stomomatis drach. II. aluminis scisi drach. II. gũmi uermiculati drac. III. terito ex aqua, & formatis collyrijs utitor. Aliud. Rhãni succum, si fieri potest de semine, sin minus, de folijs, sextantẽ, ammoniaci thymiamatis unc. I. testarũ sepiæ unc. I. mellis attici sextantem. Trita excipe ac utere. Quidã solũ ammoniacũ cum rhamni succo terentes illinũt. Ipse uero succus per se illitus cicatrices tingit. Archigenis collyriũ ad albugines, quod ex una illitione plurimã albuginis partem tollit. Summe etiam facit ad omnẽ periculosam ac diuturnã lippitudinẽ. Cochlearũ ustarũ drac. III. æris usti drac. IIII. squamæ æris drach. VI. squamæ ferri stomomatis drac. XII. ęruginis drac. VI. lapidis scisi drac. I. aloës drac. I. omphacij sicci drac. II. lycij indici drac. IIII. chalcitidis drac. III. myrrhæ drach. III. thuris drac. III. corticis thuris drac. II. croci drac. II. crocomagmatis drac. II. spicæ nardi drac. III. cytinorũ drac. II. gummi drac. VIII. terito cũ aqua, & formato collyria, ac utere cũ aqua. Quòd si aridũ facere uoles, trito collyrio utere sicco. Facit & harmatium collyriũ, & præscriptũ ad myocephala ex uino, & his similia. Probe etiam facit ad cicatrices, inquit Apollonius, collyriũ pepiesmenon, id est pressum appellatũ, quæ omnia in tractatu de multi usus collyriorũ cõpositione describẽtur. At uero theodotiũ Seueri cũ aqua crassum illitũ, ad tãtam tenuitatẽ perducit cicatrices, ut sensu cognosci nõ possint. Optimũ autẽ in ipsis est siccũ collyriũ Alexãdro regi inscriptũ ex croco, spica celtica, & terra ampelitide paratũ. Habetur autẽ inter sicca multi usus collyria.

Albuginum tincturæ. Cap. XL.

Iam antè dictũ est quòd abstinere oportet à pharmacis cicatrices tingentibus. Verũ ut ne ignorẽtur ea quæ hoc facere possunt, etiã horum mentio facienda est. Gallam inquit tritã repositam habe, & usus tempore nucleũ specilli calefacito, & eo de pharmaco excipito, ac albugini admoueto. Postea uero atramentũ sutorium aqua dilutũ adhibeto. Aliud. Malicoriũ tritum admoueto, & postea atramentũ sutoriũ cum aqua tritum. Aliud. Mali punici dulcis carnẽ tritam modica aqua adstillata, & leuissimam factã reponito. Et usus tempore, ubi hãc sæpe affricueris, & præadstrinxeris, hyoscyami succum illinito, ad dies XV. hoc & tingit albugines, & dissipat, multoties illitũ. Aliud, Facit & ad glaucos oculos. Misy cũ aqua tritum in collyria redigito. Similiter autẽ aliud collyrium ex galla formato. Vsus autẽ tempore, ubi per collyrium ex galla præadstrinxeris, collyriũ ex misy illinito. Aliud siccum. Gallæ drac. I. acaciæ drac. I. atramẽti sutorij drach. II. Vtere. Aliud collyriũ. Florum mali punicæ, atramenti sutorij, acaciæ, gũmi, singulorum drach. IIII. stibij drach. IIII. gallarum drach. II. Aqua excipe. Si uero flores punicæ non affuerint, id quod in ipsis malis inter grana mẽbranæ speciem præfert inijce.

Ad glaucos oculos ut nigras habeãt pupillas. Ca. XLI.

Malicorij punici dulcis succum infunde. Deinde interstitio facto hyoscyami cæruleum florem cum uino tritum instilla, aut hyoscyami succum. Oportet autem debito tempore flores colligere ac reponere. Aliud. Acaciæ fructũ, & parum gallarum diligenter tere, & anemones succo excipe, ut mellis crassitudo fiat. Deinde liquorem per linteum diligenter exprime, ac repone, & utere uelut dictum est. Aliud. Cucumeris syluestris succum illine. Hic mulieres glaucoculas oculis nigricãtibus facit. Aliud: Hyoscyami cæruleum florem in umbra siccato ac reponito. Vsus autem tempore florem uino austero dilutum præillinito: Et postea ipsum florem leuiter tritum per se illinito. Hoc uim suam statim declarat.

De puerorum curatione. Seueri. Cap. XLII.

Ingens gramarum copia in oculis puerorũ reperitur, & inflantur plerunque horum palpebræ à materiæ multitudine. Sunt enim pueri natura humidiores ac calidiores. Itaq; horum collyria perfrigeratoria sunt, & aliquo modo resiccatoria, participantia etiã non modica astrictione, quo sordiũ copiam influentem repellere possint. Ad tantam enim adstringendi facultatem progressa sunt puerilia collyria, ut etiam aspritudines tollant. Hebetatur enim in pueris collyriorũ acrimonia à locali humiditate, & gramarũ multitudine. Sed & per allabentium humorum copiã, propter ploratum fientẽ, collyria eluuntur. Est autẽ nobis experientia cognitũ in ipsis primariũ & mirabile collyriũ, quod recipit lapidis scisi drach. XX. lapidis hęmatitę drach. XX. æruginis drach. IIII. chalcitidis crudæ drach. IIII. æris usti drach. IIII. opij drach. VI. myrrhæ drach. VI. gummi drach. XVI. Hæc est collyrij compositio ratione approbata, & experientia utilis cognita. Teritur ex aqua. Sed & aliud collyriũ ad ipsos utile experiẽtia cõstat, quod recipit: Lapidis scisi drach. XXIIII. Lapidis hæmatitæ drach. XXIIII. æris usti drach. VIII. ammoniaci thymiamatis drach. VIII. misyos usti drach. VIII. opij drach. IIII. seminis hyoscyami drac. IIII. gummi drach. VIII. Excipe aqua. Oportet autem & in his à principio ammiscere lenia collyria, atq; sic paulatim ad efficacem auxiliorũ facultatem progredi. Mirifice etiã ad ipsos facit theophilium collyrium, & quod Mono inscriptum est, quę inter multi usus collyria habentur.

De aspritudinibus, ac densitatibus, sycosiq; ac callis Seueri. Cap. XLIII.

Quandoquidem ratio auxiliorũ cognationẽ respicit, & uelut inter se cõdependẽtes facultates reperit, admonet sanè eadem ut nihil aliud ab ipsis interponamus. Proinde asperitates quæ etiam ab aliquibus densitates uocantur, ex mala curatione sæpe fiunt, dum medici diutius collyria instillant. Quemadmodũ enim in externis uulneribus pinguium adhibitio, carniũ quarũdam inutilium causa est: Sic etiam in præsenti fieri cogitare oportet. Sint autem & ex fluxione diuturna minime mordaci: Si enim acris esset, citius oculis damnũ induceret, quàm palpebris affectionem inseminaret. Fit etiam aliquãdo non prægressis fluxionibus, neque manifesta causa præsente. Et sunt huiusmodi non similes his quæ ex fluxionibus fiunt. In illis enim densiores & asperiores ac cruentiores euersæ palpebræ apparent: In his uero uelut milij grana, aut erui parua semina uidere est, intra palpebras exurgentia. Estq; hæc species

reliquis curatu difficilior. Differunt tamen hæ inter se: Nam densitas in superficie est & cũ rubore: Aspritudo uero maiorem inæqualitatem ac eminentia habet, cum dolore simul ac grauitate. Ambæ autem oculos humectãt. Quæ uero Sycosis dicitur, altiores eminentias habet & uelut incisas, & cui alij rei quàm ficui hianti similis est. Callositas uero aspritudo est diuturna, induratas & callosas inæqualitates habens. Quidam igitur aspritudines radere conantur, partim ferro, partim folijs fici. Est autem hic conatus nociuus. Amplius enim ipsas augent, & duras cicatrices inducunt, & assiduarum fluxionũ autores fiunt, dum semper oculi ex succedentibus durioribus cicatricibus punguntur. Curare uero oportet aspritudines, nullo ulcere circa oculũ existente, collyrijs ad pueros relatis, ita ut euersis palpebris, si nõ inflãmatæ fuerint, illinantur, & per specilli nucleum diu affricentur. Qui enim cito ab affrictione desistunt, densant magis, & oculis fluxionem inducunt. Si uero permanserit causa, efficacioribus uti cõuenit. Quale est hoc. Testę sepiæ drach. VIII. punicis drach. VIII. rubricæ sinopicæ, ammoniaci thymiamatis, singulorũ drach. X. gummi drach. VIII. Excipe aqua. Ex huius usu magnã laudem reperies. Statim enim ab illitione cuticulæ quædam in spongiæ admotione excidunt. Oportet autem post collyrij illitionem, aquã frigidam per spongiã adhibere. Est & aliud collyrium ad huiusmodi affectiones, quod recipit cadmiæ drach. IIII. squamæ æris drach. IIII. salis ammoniaci drac. IIII. opij drach. II. gũmi drac. XII. Excipe aqua. Ego uero seueriano sicco collyrio usus profeci, cuius & tu experientiã magistrã habebis. Apollonius autẽ dicit, ad exasperatas palpebras utendũ est pharmacis, quibus etiã crassissimas cicatrices depurgamus. Quale est hoc. Aeris usti drach. VIII. myrrhæ drach. I. squamæ æris drach. I. acaciæ drac. II. cadmiæ drac. II. spicæ nardi drach. I. cinnamomi drach. I. croci drachmã I. piperis grana XVI. hyperici drachmas III. ammoniaci thymiamatis drachmas tres, æruginis obolos duos, gummi drachmam unã, terito cum uino ueteri austero, & collyria formato, ac utitor. Aliud. Ad fluxiones antiquas, & palpebras densas. Cadmiæ drach. XVI. æris usti drachmas IIII. seminis hyoscyami drachmã I. opij drachmas II. myrrhæ, fructus ericæ, acaciæ, singulorũ drac. IIII. gũmi drac. VIII. Omnia sicca leuissime terito, & lac muliebre adijcito, ac simul trita in collyria efformato. Et ea similiter lacte trita crasse illinito, adhibito prius fomento. Liquida cõpositio ad aspritudines: Facit & ad oculos suppuratos. Chalcitidis ustæ drachmas III. croci drac. VIII. mellis drach. IX. Arida cũ aqua terito, & ubi probè siccata fuerint, mel ammisceto ac utitor. Theophili liquida. Ad omnes ficosas eminẽtias, & omnẽ carnis extuberantiã. Aeris usti drac. II. misyos usti drach. I. myrrhæ, croci, omphacij, singulorũ drach. I. uini chij aut alterius adstringẽtis ueteris, odorati, unc. sedecim, mellis Attici dextantẽ. Sunt & alia collyria facientia ad aspritudines. Quale est phœnix, & dionysus, & similia, quæ inter multi usus collyria describentur. Cæterũ in quibus cum palpebrarum aspritudine, etiã tunicæ oculorum inflãmatæ dolore uexantur, ammiscere oportet aliquid de extersorijs, ad propria inflammationi medicamenta: Qualia sunt collyria ex uino parata. Sedata uero oculorũ inflammatione aspritudines extergere oportet. Verum in his qui ulcus habent cum fluxione mordaci, fieri non potest ut huiusmodi medicamẽto utamur. Corniformis enim amplius corrodetur, & uuiformis prolapsus maior fiet, & uehemens dolor hominem appræhẽdet. Augebitur autem & malignus fluxus. In his igitur collyrium huiuscemodi parare oportet. Pumicem leuissime tritum tragacantho aut gummi madefacto excipimus, & parua collaria formamus. Deinde euersis leuiter palpebris diutius affricamus. Et postea lac infundimus, & collyrijs ad pustulas ac ulcera destinatis utimur. Cessante uero in temporis progressu fluxione, ad acriora collyria transimus, ac cum ipsis palpebras, uelut dictum est, confricamus. Miscemus etiam ad ea quæ ulceribus conueniunt, collyria ex uino, paulatim augentes ipsorum mixturam, quo neq; palpebræ uexent tunicas oculorum, & ulcera pura facta impleantur ac cicatricem recipiant.

De oculorum debilitate. Demosthenis. Cap. XLIIII.

Debiles oculi dicuntur, qui neq; album, neq; splendidum, neq; igneum uidere sustinent, sed ex quauis occasione uisum continent & lacrymantur, præsertim inter legendum. Differunt autẽ hi à fluentibus propter carunculæ naturalis circa magnum angulũ decrementum: fluentes enim hoc modo, etiam citra aliquam externam causam lacrymantur, hi uero occasione aliqua oblata. Curãdi uero sunt deambulationibus, cursibus, exercitijs supernarum partium, cum frictione & spiritus detentione, capitisq; rasura, ac leui oculorum frictione post exercitia, & frigidæ in caput perfusione. Vtendum est & aquæ potu, & uictus ratione media. Conducit & legere cum clamore, itemq; sic scribere. Si uero pharmacis opus fuerit, adstringentibus & perfrigerantibus ac meatus obstruentibus utemur.

De myopia. Cap. XLV.

Myopes dicũtur qui ex natiuitate parua quidem propè uident, magna uero procul uidere non possunt: Et qui scripta admotis oculis legunt. Et alij quidem inæquales, alij æquales oculos habent. Incurabilis est autem talis affectio.

De nyctalope. Cap. XLVI.

Nictalopas uocant qui die quidem uident, occidente uero sole obscurius. Deinde noctu penitus nihil cernunt. Hoc autẽ magis fieri uidetur propter aliquam capitis debilitatem, & maxime uisiui spiritus crassitudinem, itemq; reliquorum oculi humorum ac tunicarum. Quibusdã uero contingit, ut noctu quidem melius uideãt, interdiu autem deterius. Et si noctu luna appareat, nihil cernunt. Sed hoc rarum est, illud autem prius plurimis contingit. Curãdi porrò sunt qui in nocte non uidẽt: Si bono habitu præditi fuerint, uenæ cubiti sectione, itemq; ab angulis oculorum: qui uero uitiosis humoribus redundãt, conuenienti pharmaco purgentur. Postea post uniuersalem euacuationem utendum est his quæ pituitam per os ducunt, & quæ per nares purgant, & sternutationes ciendæ. Narifusorium autem pharmacum ipsis commodum hoc fuerit. Piperis, staphidis syluestris, singulorum scrup. II. sinapis scrup. I. tundito ac cribrato, & radicum betæ succum adijcito, ut mellis liquidi cõpages fiat, & cõtrita naribus infunde

infunde, ac attrahere iube. Atque hoc ad dies v. aut vii. facito. Vtere etiam alijs quæ in nares mittūtur, in Sermone de nariū affectionibus præscriptis. Ante cibum uero bibant hyssopum, origanum, rutam. Diæta autem attenuatoria sit ex toto. Si uero per hæc non successerit, rursus purgatorium dandū est, quale est hoc. Scammoniæ obol. iii. castorij obol. ii. salis obol. iii. In debilioribus autem scammoniæ obol. ii. iniice. Talis enim purgatio sæpe euestigio ab affectione liberauit, aut multo meliorem dispositionem induxit. Post paucos autem dies dādum est purgatorium pituitam & bilem ducens, quale est hoc. Colocynthidis obol. ii. scammoniæ obol. iiii. salis obol. iiii. Excipe in catapotia sex, & medijs habitibus tria præbe, fortibus autem omnia. Oculi uero illinātur melle cocto, & ad continendum liquorē immissum claudantur. Aut oleo uetustissimo similiter illinantur. Aut aluminis scissi in testa exusti drac. ii. salis ammoniaci aut cappadocici drac. i. terito, & cum melle illinito, aut cū lacte muliebri. Aut hyænæ fel cum melle. Vitandus tamen est frequentior acriorum pharmacorum usus. Assidue uero utēdum est oleo uetustissimo. Putatur ipsis prodesse hepar hirci assatum, cum sale citra oleum, calidissimum comestum. Quidam etiam destillante ex hepate dum assatur sanie ipsos illinunt. Aliqui hepar coquunt, & oculos super elatum uaporem detinentes, hoc fomento utuntur. Auxiliatur etiam elateriū ex interuallis cum melle illitum. Et perdicis fel aut capræ syluestris, aut hirci. Buglossi etiam piscis fel illitum ualde prodest. At uero diæta tota attenuatoria sit. Et ab initio etiam à uino abstinendum est. Et uitanda omnia crassefacientia. Cæterum in his qui noctu melius uident, interdiu autem deterius, nos coniectamus spiritum multū attenuari, aut tunicas rarefieri, atq; ex hoc spiritū dissipari, ac uisum obscurari. Noctu uero crassefieri colligiq;, ac sensum mouere. Et oportet in his robur oculis addere. Herophilus tamē uice uersa in libro de oculis dicit, ad eos qui in die non uident, gummi, crocodili terrestris stercus, misy, hyænæ fel, trita cū melle illinito bis in die, & ieiunis hirci hepar edēdum præbe. Ego uero cōiecto hoc magis facere ad eos qui noctu nō uidēt.

De hebetudine oculorum. Galeni. Cap. XLVII.

Hebetudo oculorum est obscuritas uidendi, ob plurimas causas contingens. Aut dum uisiuus spiritus incrassatur, aut dum tunicæ densantur ac crassefiunt. Aut dum humores in oculo crassi ac uiscosi fiunt. Contingit etiam his hebetudo, qui diuturno morbo detenti fuerunt, & tristitia ingenti. At in senibus unà cum hoc quòd crassi facti sunt humores, & tunicæ, & spiritus uisiuus, etiam debilitas adest spiritus uisiui, & imminutio multa, ac collapsio, & uelut corrugatio nerui uisiui ac tunicarum in oculo densatarum ac crassefactarum. Nam dū imminuuntur humores in oculo senibus ipsis, & minus de spiritu ex supernis ad pupillam defertur, usq; adeo rugosa fit sæpe corniformis tunica, ut senes partim omnino non uideant, partim male & uix adhuc cernant. Corrugationes enim mutuo inter se incidunt, & tunica uelut conduplicatur, & aliā crassitudinem aduentitiā assumit. Porrò auxilia in cōmuni ad hebetudinē, ex eadē materia componūtur, ex qua etiā in incipiētibus suffusionibus, & partim in collyriorum formas effinguntur, partim liquida sunt, quæ etiam induratis inflammationibus tunicarum conueniunt: partim sicca. Horum compositiones in fine huius Sermonis habentur.

De obfuscatione oculorum. Demosthenis & Galeni. Cap. XLVIII.

Obfuscatio est perfectū ut plurimū uidendi impedimētum, citra manifestā circa oculū affectionē, pura uidelicet apparente pupilla. Et quibusdā paulatim affectio conflatur, alijs cōfertim incidit, ut minimū aut semel in totū nō uideant. Et obfuscationis quidē paulatim cōflatæ plures causæ sunt de hebetudine iā relatæ. Eius uero quæ cōfertim incidit causa est obturatio nerui uisiui, crassis ac uiscosis humoribus cōfertim ipsis illapsis, aut eiusdē nerui resolutio. Præcedunt affectionē assiduæ cruditates, & meri potus, insolatio, capitis inustio ac ardor, aut perfrigeratio. Aut assidua lectio post cibū, aut balnea similiter assidua post cibū. Et uomitus intempestiui, coitus immodicus ac intēpestiuus, spiritus detentio uiolenta, quēadmodū in tubicinibus contingit. Hæc enim & his similia, dū modicè fiūt, uisus hebetudinē efficiūt: dū uero immodicè, obfuscationē. Fit etiā aliquando obfuscatio ob fortes capitis plagas, aut casus ex alto, resoluto quādoq; neruo uisiuo, aut rupto, aut quod omniū mitissimum est, humorū copia per uehementem cōcussionē illata, & uisiuum neruū obturante. In resolutionibus igitur nerui, tarde mouetur oculus, aut omnino nō. Quum uero ex uiolenta plaga in caput facta, aut ex casu, à cerebri connexu ruptus fuerit neruus, primū quidē oculus prominētior fit, deinde cauatur, & alimētum nō sentit. Quum autem ob humorū crassorum aut uiscosorū copiā, neruus confertim obstructionē sustinuerit, absq; alia causa, necesse est capitis grauitatē cōsequi, maximè in profundo iuxta radices oculorū. Eos igitur quibus oculi confertim obfuscantur, curare oportet, uena cubiti incisa, si plenitudine grauatus fuerit æger. Validissimū enim auxilium in ipsis est uenæ sectio. Deinde interpositis aliquot diebus, fasciā collo circundabimus, ac cōstringemus, & postquàm frontis uenæ eleuatæ fuerint, rursus exoluemus, & hoc iterū atq; iterū faciemus: quo per spiritus motū, humores obturati uiolēter concutiantur. Postea eleuatas angulares uenas, ab utraq; nasi parte secare oportet, & fortem euacuationē facere. Ego enim ad tres heminas ex angularibus uenis aliquādo euacuaui. Post hæc confestim cucurbita occipitio affigēda est cū scarificatione. Cōtingit enim plerūq; statim incumbente adhuc cucurbita hominē respicere. Sed nō oportet hoc auxilio cōtentū esse, uerū reparatis uiribus, post tertiā diē purgare. Deinde ad diætam deducere. At uero in his quibus paulatim per multū tēpus oculi obfuscātur, præmissa recta uictus ratione, à uenis angularibus euacuationē, uelut dictum est, faciemus. Et in his qui nō multo sanguine abundāt, statim ab initio ab angulis auferatur. Deinde cucurbita occipitio affigatur. Et postea purgatio fiat. Per diætā uero maxime aluū facile solubilē facito per cibos, bonæ cōcoctionis præ omnibus ratione habita. per aliquot autem dies dāda est aloë deuorāda, terebinthina excepta in catapotia, facit & cnici succus cū melle. Vtēdū est & exercitijs infernarū partiū, & deābulationibus pluribus in umbrosis locis. Vitandus est uini potus, & aquæ potio, uiriliter tolerāda. Vitādus est etiā omnis cibus crassefaciēs, & assiduus coitus, & capitis insolatio.

latio. Neq; uero balneū cōuenit, neq; somnus diurnus, neq; uehementior à cibo motus, neq; legere aut scribere. Vitandæ sunt iræ, indignationes, & curæ pertinaces, & uehemētes perturbationes, ac timores, præsertim post cibū, & assidui uomitus. Quotidie autē proluēda est facies aqua frigida, præsertim pluuiali, & illinendū corpus per alios. Perseuerante uero affectione, etiā per narisusoria caput purgetur, ita ut naribus infundamus quæ ad capitis dolorē dicta sunt. Vtendū est & pituitā per os detrahentibus ibidem relatis. At uero illitio oculorū, diuturna iā existente affectione, primū per simplicia fiat, ueluti per mel nō fumosum, aut oleū uetus: postea etiā cōpositis utendū est. Nos autē laudem assequuti sumus in ipsis ex Diacenteti collyrij usu, & liquida Aglaidæ cōpositione ad suffusiones destinata. Cōmune uero ad omnē obfuscationē ac hebetudinē hoc est. Videtur autē & ad mēbranarū crassitudines facere. Croci drac. I. myrrhæ dra. I. piperis grana XV. spicæ nardi obol. II. succi fœniculi drac. XVI. ammoniaci thymiamatis drac. I. mellis quincuncē. Ad omnia leuissime trita fœniculi succū affunde, deinde tere ac resicca, & amixto melle æuea pyxide excipe, ac utere. Ante illitionē uero, fomentū per spongiā in aqua calida marina tinctam oculis adhibendū est. Aliquando etiā tota facies in marinā tepidam immittēda est. Atq; hæc quidē cōmunia in omni obfuscatione. Cæterum his quibus ob coarctationē multorū aut crassorū humorum ad neruū delatorum, uisus impeditur, post uenæ sectionē, & cucurbitæ admotionē, & purgationem, caput sinapismo integendum est. Et postea etiam caustico pharmaco occiput exulcerandum. Et capitis ex aqua calida perfusione utendum. Præstat autē salsuginosam aut nitrosam esse aquam.

De resolutione oculorum. *Cap. XLIX.*

Non solū neruus uisiuus, uelut prædictū est, sed etiam totus oculus aliquādo resoluitur, aliquando cū reliqui corporis dextris aut sinistris partibus resolutis. Aliquando uero priuatim circa solā palpebram fit resolutio. Aliquādo uero etiā totus oculus resoluitur. Et si quidē palpebra fuerit resoluta, oculus semper cōclusus est, & palpebra nō sentit. Si uero totus oculus resolutus fuerit, motus ad dextrā ac sinistrā, sursumq; ac deorsum perficere non potest. Et siquis acrius pharmacū sublinat, non percipit morsum. Si igitur palpebræ solius fuerit resolutio, præpurgato per aloëdaria uniuerso corpore, & post aquæ potus & frequentioris deambulationis, ac multæ infernarum partiū frictionis usum, palpebra assiduè alumine scisso cū acri aceto illinatur, & collyrijs calidioribus, aut eo quod ex sandice cōstat. Quòd si hinc nō restituatur, sursum suere ipsum oportet. Totius autē oculi resolutiones ægrè curabiles sunt, maxime in ætate prouectis. Si uero ex natiuitate cōtigerit resolutio, impossibile est hanc corrigere. In quibus igitur salutis spes est, talis curatio faciēda est pre omnibus: si bono habitu præditus fuerit, uena cubiti secetur: Deinde anus per clysterē eluatur. Postea purgatorio corpus euacuetur. Deinde pituitā per os ducētibus utendū. Deinde per ea quæ naribus induntur purgandū. Postea cucurbita occipitio affigenda cū scarificatione. Et hirudines temporibus admouēdæ.

Propinandū etiam castoriū per se, & cum absinthio. Dandū & pulegium, hyssopū, ruta, cum aceto mulso ac sale. Postea caput castorio illinatur, cū rosaceo & aceto. Et ex eodē ungento, mollis lana imbuta, oculo clauso imponatur, cauendo ne in oculū instillet. Atq; hęc curatio bis in die fiat. Palpebræ uero forinsecus & frōs, castorio cū croco ex aceto illinantur. Mihi uero uidentur liquidæ ex castorio ac melle ad affectionē commodę, quæ cōpositiones & sublinendæ & superlinendæ sunt. A uino uero, & carnoso multūq; nutriente ac crassi succi cibo omni abstinendū est, & assumēdi qui excretiones facile solubiles faciūt, ac humores attenuāt. In primis tēporibus uitāda sunt etiā balnea, & uaporatoria, & insolationes. Vomitib⁹ autē ex interuallis utēdū ieiunis à raphanis, deligato oculo, & citra multā lācinationē.

De glaucedine. *Cap. L.*

Glaucedo duobus modis dicitur. Glaucedo enim proprie mutatio est cristallini humoris ad glaucū colorem, siccitasq; ac cōcretio. Altera autem glaucedinis species ex prægressa suffusione, fit humore iuxta pupillam uehementissime cōgelato ac resiccato. Et hæc species incurabilis est. At propriè dictam glaucedinem incipientē aliquando sanare datur, ex deambulatione pro uiribus, & totius corporis frictione, ac lauacris maxime capitis. Aestate uero etiam frigidę lauacrum conuenit, & tonsura capitis ad cutem. Oculi uero solo oleo antiquo sublinantur.

De suffusione. Ex Demosthene. *Cap. LI.*

Suffusio est prætersusio humorū circa pupillam congelatorū, ut ubi perfecta fuerit, uisum impediat. Incipiente uero suffusione, talia ægris accidunt. Velut culices parui caliginosa quædam oculis sæpe obuersari uidentur. Et quidam ex ipsis piliformia uident, alij uelut lanarum filamenta, aut araneorū texturas. Quibusdā circa lucernas circuli apparent. Hæc autē ubi apparuerint, aliquādo pura pupilla apparet his qui negligentius considerant. Aliquādo uero colorem maris refert. Augescente deinde affectione, augescunt etiā accidentia: perfecta uero eadē, homo nō uidebit, pupillaq; colorem ad albedinem mutat, & omnino nō translucet. Plures autē sunt coloris species. Quædam enim suffusiones aërem assimilant, aliquæ uitrum referunt, aliæ albicantes sunt, aliæ ad cæruleū colorem magis mutātur, aliæ glaucescunt, quæ etiam incurabiles sunt. Curādi autem sunt qui suffusione tentātur, in principio sanguinis de cubito detractione. Et si nihil impedit, etiā clysteribus acrioribus, & purgationibus. Deinde quoque cucurbita occipitio affigenda est cū scarificatione, & pituitam per os detrahentibus, ac narisusorijs, ex interuallis utendū. A uino uero abstinendū est per totam curationē, & ab omnibus replētibus caput. Itemq; à balneo, nisi quis lassitudinis ac tardę cōcoctionis gratia ad lauandum se cogatur. Et tunc omnino nō in aëre balnei moretur, neq; in solio morā trahat. Sed paululū inscēdat, & cito exeat. Diæta uero omnis sit attenuatoria. Medicamētis autē utendū est, primū simplicibus, uelut melle, & oleo ueterij, ac fœniculi succo. Deinde etiā cōpositis liquidis ac siccis collyrijs, quæ paulò pòst describētur inter cōmunia auxilia.

De mydryasi, hoc est, pupillæ dilatatione. *Cap. LII.*

Pupillæ dilatatio appellatur, quū pupilla colore quidem nihil abalienatur, multo uero latior quàm pro naturali modo euadit, ut aliquando ad iridis circulum accedat, & quādoq; in totum uisum impediat.

Aliquando

Aliquando tamen uident, uerum obscure, & quae uidentur ab ipsis, omnia minora putantur, diffuso uidelicet spiritu uisiuo. fit haec affectio propter humorũ allapsum, qui aut aceruatim, aut paulatim feruntur, à quibus citra sensum uuiformis tunica distenditur, & pupilla amplius dilatatur. Est autẽ affectio ualde ægre curabilis. Quũ enim membranosa sit tunica uuiformis, ubi semel distenta fuerit induratur, neq; facile amplius cõtrahi potest. Accidit autem affectio hæc magis pueris, propter tunicarũ debilitatẽ. Sunt & quę ex natura nigros oculos habẽt, magnas etiam pupillas habẽt. Quapropter facile in hãc affectionem delabuntur. Curanda est autẽ affectio, si nihil impedierit, uenæ sectione in cubito, aut purgatione. Si uero hoc fieri nõ poterit, angulares uenę soluatur. Deinde cucurbita occipitio affigatur. Vtendũ est & deambulationibus lẽtis ac pluribus, in locis umbrosis. Et omni modo conandũ, ut materia ad infernas partes detrahatur. Quapropter in principio etiam clysteri utẽdum est, & infernarum partium frictione per alios. Post deambulationẽ & inunctionem, facies aqua marina proluatur, hyeme tepida, æstate frigida. Tota etiam facies in aquã mittatur oculis per tempus quoddam apertis. Quòd si marina non adsit, parum salis aquæ misceatur, aut posca aquosa assumatur. A uino abstinendũ est donec affectio fuerit soluta. Et tota diæta tenuior sit & uentri commoda. Balnei usus rarior sit, & tũc caput non ualde perfundatur. Pharmacis utẽdum est subadstringentibus, uelut rosa, croco, nardo, thuris cortice, pompholyge, spodio & acacia. Nã ualde acres pharmacorũ facultates, humorũ copiam attrahẽtes, distendunt membranas, & latiorẽ pupillã efficiunt. Quapropter & quæ uehemẽter astringunt, uelut est chalcitis, misy: & quæ amplius frigefaciunt, uelut cicuta, membranas indurant. Sed & amplius contrahere ac coarctare pupillam incommodum est. Nam hæc res pupillam ad tabem perducit.

De tabe pupillæ. Cap. LIII.

Tabes pupillæ dicitur, quum angustior & hebetior facta fuerit. Hoc autem plerisq; cõtingit ex periculosis debilitatibus, aut ingenti capitis dolore. His autẽ maiora apparent quàm pro naturali modo, quæ ab ipsis uidẽtur, propter pupillæ angustiam. Curationem porrò in his contrariam midryasi facere oportet, ita ut exerceamus supernas partes, humeros ac manus, cum spiritus detentione. Et caput ac faciem diligenter confricemus. Deinde oculos summis digitis. Facies etiã aqua calida proluatur. Et caput ungento quodã moderate calefacere potente illinatur, quale est irinum. Et modico facto interstitio, oculi rarefaciente, & acriore, ac humiditatẽ attrahẽte pharmaco sublinantur. Quale est hoc collyrium. Ammoniaci thymiamatis drach. I. crocomagmatis drach. IIII. croci drach. II. æruginis drach. IIII. Trita cum aqua efforma & utere. Facit & Erasistrati liquida cõpositio. Victus sit optimi succi & sorbilis. Vinũ fuluũ & odorũ. Somnus excipiat cibum. Sed & balnea cõueniunt, & capitis ex aqua calida perfusio.

De macie oculi. Cap. LIIII.

Oculus macer esse, & alimentũ nõ sentire dicitur, quũ ex uehementi capitis dolore, aut in febribus acutis, paulatim humiliatur & cauatur, & in totum minor fit, & aliquanto obscurior, & uisum impedit. Contingit autẽ hoc sæpe ex caluæ incisione & perforatione, quando sanè etiã ægrè curatur. Differt autem macies à tabe, quòd tabes pupillã solam minorẽ facit: macies autem totũ oculum minorẽ & humiliorem efficit. Curandi porrò sunt sic affecti, spongiarũ ex calida aqua expressarum circa oculos fomento. Lac quoq; tepidũ ipsis infundendũ, & ab omni collyrij adhibitione abstinẽdũ. Cibi dẽtur ipsis multũ nutriẽtes & optimi succi. Vinũ sit fuluũ & tenue. Vtẽdũ est balneis, & capitis ex calida aqua perfusione. Exercitijs itẽ partiũ supernarũ & spiritus detẽtione.

De expreßione oculorum. Cap. LV.

Exprimuntur oculi aliquãdo ut prominentes permaneãt. Et hoc cõtingit his qui strangulãtur, & in athleticis certaminibus, & fœminis quae in partus doloribus amplius distendũtur. Aut ex fluxionibus plurimis, quę aceruatim à capite defluxerũt. Qui igitur ex strangulatione in hoc inciderunt, his uena cubiti secetur. Si uero aliàs crassi humores influentes oculos impetiuerũt, purgentur ueratro nigro, aut scammonia. At expressiones oculorũ in fœminis ex partus doloribus sæpe cõtingentes, purgationes per locos muliebres soluũt. Quare has procurare oportet. In uiris autem post uenæ sectionem, aut purgationem, si permanserit affectio, cucurbita occipitio affigatur, & aquæ potus exhibeatur, & cibi contrahantur. Oculo uero imponatur lana melle imbuta cum modico croco, & hapsus lanæ superimponatur, & placida compressione deligetur. Conducit his etiam post principium, aqua marina frigida faciei affusa, & intybi succus ac polygoni, & psyllij cũ opio illitus. Et quæcũq; alia cõprimere ac cõtrahere possunt.

De confusione. Cap. LVI.

Confusio oculi plerunq; ad uehementes plagas consequitur. Sed & ex uuiformis tunicæ inflammatione contingit, ruptis in ipsa uasis, Pupilla uero colore turbida fit, & aut maior, aut minor seipsa euadit. Curandæ igitur sunt confusiones ex plaga, per uenæ in cubito sectionẽ. Et totus oculus sanguine recens mactati turturis, aut in illius penuria, columbę expleatur. Et mollis lana in ouo cũ uino & rosaceo conquassato madefacta imponatur ac deligetur. Et postera die idem fiat. Tertia uero fomentũ adhibeatur, & lac instilletur. Postea ouorũ assatorum uitelli imponãtur, cum melle & croco trito, linteolo illiti. Quum autẽ pupilla iã purgata fuerit, collyria ad antiquas affectiones destinata sublinãtur, quale est aromaticũ, & chiacũ Apollonij, & similia. Facilior autẽ curatu est confusio in his quibus pupilla sola ampliatur, colore uero & figura simili permanet. Difficulter autẽ curatur in his quibus pupilla diuulsa est.

De his quæ in albo oculi nascuntur. Cap. LVII.

Omnia quæ præter naturam in albo oculi nascuntur, quæ quidem doloris exortia sunt, in quibus pili sæpe exoriuntur, & quæ non ualde à naturali colore euariant, curabis hamo appræhendens ac extẽdens, & postea scalpro pterygijs destinato resecãs. Deinde salem tenuem inspergens, & lanæ hapsum imponens ac deligans, & reliquam curam adhibens uelut in pterygiorum resectione. Quę uero subrubra, & tumida, ac uaricosa sunt, dolorificaq; & aspera, & tempora per consensum afficiunt, ea omnia fugere oportet uelut maligna, & pericula, ac oculorum prolapsus inducentia in chirurgia.

De pterygijs. Cap. LVIII.

Pterygium, unguis latinis quibusdã uocatus, dicitur quum album in oculo amplius augescit, aut carne superexcrescit, ex scabra quadã lippitudine, aut assiduis fluxionibus. Incipit autem huius augmentum, sæpe quidem ab angulo magno appellato iuxta nasum: Rarius autem à paruo: Et adhuc rarius generatur à superna aut inferna palpebra. Extẽditurq; usq; ad nigrum. Quum uero maius factum fuerit, etiam pupillam cõtingit, & uisum impedit. Facilia uero curatu sunt pterygia albicantia, & angustũ fundum habentia. His uero contraria, ægre curantur. Nam subrubra post curationem chirurgicã, cariem ac dolores dimidiæ capitis partis inducunt, attamen post symptomatũ sublationẽ oculus liberatur. At pterygia in quibus etiã principia sunt suffusionis, curare nõ oportet. His enim sublatis, citius suffusio conflatur. Sed neq; crassa pterygia curanda sunt, & euersa, & eminentia, ac indurata, & quæ tẽpora per cõsensum afficiũt. Sunt enim maligna & cancerata. Quæ uero usq; ad pupillã pertingũt, & propterea uisum impediunt, si tollantur, liberãt quidẽ oculum à fluxionibus, cicatrix autem quæ ex chirurgia iuxta pupillam succedit, nihilominus uisum impedit. Cæterum ex pterygijs ea manu curare oportet, quæ aucta ad nigrum se extendunt: Quæ uero parua & in albo sunt, ea conãdũ est ut pharmacia cõprimamus.

Pharmaca ad pterygia. Cap. LIX.

Pterygia probe deprimit siccum ad scabiem destinatũ, ex chalcitide & cadmia compositũ, quod ad scabros angulos descriptum est. Et theodotium collyrium Seueri tritum ac siccum adhibitum, & omnia extersoria collyria, ad aspritudines & sycoses descripta, & quæ ad myocephala & staphylomata conueniunt, maximè ex uino parata. Archigenes autẽ ad pterygia, inquit, atramẽti sutorij drach. II. salis ammoniaci drach. II. gummi drac. I. terito ex aceto, & collyria formato ac utitor. Aliud, celebre quod celerrimè ipsa consumit. Chalcitidis ustæ ut fulua euadat, drach. IIII. croci drach. I. tritis utere siccis. Aliud, experientia cognitum. Chalcitidis ustæ drach. XX. cadmiæ drach. X. squamæ æris rubri drac. I. piperis drac. I. utere. Aliud, ex fundo tollẽs pterygia. Atramenti sutorij torrefacti drac. II. æris usti drac. I. siccum adhibe. Et post detractionem, collyrio ex rosis cura, aut ex croco collyrio. Aliud. Magnetẽ lapidem uiuum diligenter terito, & semel in die utitor. Aliud. Populi nigræ succũ cum duplici melle illine. Aliud. Atramentum sutorium cum felle suillo, æquali pondere trita illine. Aliud. Sepiæ testas ustas, cũ sale ammoniaco, æquis portionibus tere ac utere. Aliud, facit & ad sugillationes & hebetudines. lapidis magnetis uiui drach. IIII. æruginis drach. I. minij Sinopici drach. IIII. ammoniaci thymiamatis drach. IIII. croci drac. II. Mellis quincuncem. Hoc etiam ad albugines facit. Aliud. Glaucium tũdito, cribrato, & modica aqua terito, & sufficienti pompholygis cinere addito, collyria formato. Et utere cum aqua bis per diem. Aliud. Aes ustum cum pueri incorrupti urina terito ac utitor. Aliud. Squamæ æris rubri, nitri rubri, punicis, cimoliç, singulorũ dra. IIII. Terito ex aceto donec siccetur, & utere. Reponito autẽ in testaceo uase puro.

Chirurgia pterygiorum. Cap. LX.

Ad pterygij uero sublationẽ ita chirurgiam aggredimur. Palpebras inter se disparamus, & hamulo circa medium pterygij transfixo, leuiter distendimus, ut ne cuticula corniformis tunicæ eleuetur. Simul enim sublata maximas inflãmationes inducit. Deinde acum accipimus, quæ filũ & pilum equinum transmissum habet, & hanc distẽto per hamulũ pterygio subijcimus. deinde deligatũ per subiectũ filũ pterigium distendimus, filum leuiter sursum trahẽtes, & fili principiũ ministro industriè tenendũ prębentes. Nos autẽ utraq; manu pilũ tenentes, sursum ac deorsum ipsum cõmouemus, & pterygiũ subexcoriamus, initio à nigro facto usq; ad angulũ. Deinde cõtinuitate ipsius ad nigrũ exoluta per pilum, & distenta per filum, scalpro ad pterygia destinato funditus auferimus pterygij partẽ iuxta angulum, palpebras & angulũ cauentes. Quibus enim palpebræ simul inciduntur, his cõcretiones fiunt. Quibus autem funditus angulus resecatur, his naturalis eius loci carnis decrementum succedit. Si uero fundum pterygij fuerit relictum, regeneratur, si non pharmaco aliquo ex prædictis fuerit consumptum. Congruentis igitur modi coniecturam facere oportet. Quòd si ægri formidolosi oculos aperire non fuerint ausi, hamulo supernæ palpebræ submisso, leniter ipsam extra distendimus, atque sic uelut dictum est operamur. Post detractionem uero, muriam acriorem oculo infundimus, deinde lanam ouo imbutam imponimus, & oculum deligamus. Sequenti deinde die soluimus, & moderato fomento adhibito, album ac tenerum Seueri collyrium infundimus. Quarta uero collyrijs ad affectiones commodis utimur, de cætero uitantes tenera & incarnantia collyria. Sunt autem ad affectiones commoda, nardina & theodotia, & omnia ex uino fientia collyria.

De carnis in angulo magno incremento. Cap. LXI.

Encanthidem uocant, quum magnus oculi angulus ad nasum auctus carne superexcreuit, id quod maximè in canibus contingit. Verum in hominibus redundat, qui in mari uersantur. Proinde si benignum fuerit hoc carnis incrementum, dolore uacat, & tenerum est ac laxum: Si uero malignum, durum erit & inæquale, & dolores punctorios inducet. Oportet autem benignum curare ac paruum pharmacis siccis, tum eo quod ex cadmia & chalcitide ad scabros angulos paratur, cum hoc ipso quod optimum est. Aluminis scissi, misyos torrefacti, atramenti sutorij, partes æquales. Hoc egregie consumit omne carnis angulorum incrementũ. Vtere etiam theodotio Seueri collyrio, sicco trito adhibito, & eo quod ad myocephala ex uino paratur.

Chirurgia incrementi carnis in angulo. Cap. LXII.

At uero maius & malignũ carnis in angulo incremẽtũ, uolsella appræhensum resecare oportet. Si uero maior fuerit eminẽtia, acũ duplex filum habentem trasmittere ad fundum oportet, deinde filum cõstringere, & paruo interstitio facto, donec caro liuescat, scalpro auferre, & siccum scabiei destinatum adhibere: & hapsum lanæ aut cõduplicatum linteum superimponere. Postera uero die fomentum adhibere. Et post tertiam mellis usu curam absoluere. Cauendum est autem ne unà cum carne pręter naturam aucta, etiam ipsum angulũ funditus tollamus, alioqui rhœas, hoc est naturalis carnis in angulo decrementum succedet.

De sanguinis ex angulis eruptione. Cap. LXIII.

Fit & sanguinis ab angulis eruptio, maxime pueris, ob assiduos eiulatus ac distentiones apertis circa palpebras uasis. Curādi autem sunt poscæ frigidæ aut aquæ frigidæ perfusione, tum super angulos, tum super caput facta. Infundendū etiam oui candidum per se, & cū aliquo collyrio ad tenues fluxiones conueniente. Vtendum & infernarum partium deligatura & cibo crassefaciente. In perfectis autem ætatibus cucurbita occipiti affigenda est cū scarificatione.

De concretione palpebrarum ac contractione. Cap. LXIIII.

Concrescunt & agglutinãtur palpebræ ad album aut nigrum in oculo, aut inter se, ulceratione prægressa. Quum igitur ad album concretio palpebrarum facta fuerit, & oculi motus impeditur, affectionē hanc Ancylosim uocāt, hoc est cōtractionem. Quæcunq; igitur cōcretiones iuxta angulū factæ sunt utriusq; palpebræ, eas hamulis distentas dissecare oportet, & linamento indito disparare. Et postea uelut communia ulcera curare. Quæcunq; uero concretiones factæ fuerint extremitatis palbebrarū ad oculi tunicas, eas cæco hamulo distendere oportet, & scalpro pterygijs destinato concretionem exoluere, deinde carnis incrementum sicco aliquo deprimere, & ære leuissimè trito palpebras sublinere, & oculum usq; ad perfectam curationem indeligatum sinere.

De pediculis palpebrarum. Cap. LXV.

Pediculi generantur in palpebris lati, parui, multi, ex ingluuie, & illuuie ac mala diæta ortum habentes. Curatio igitur adhibenda est primum, ut pediculi diligenter expurgentur. Deinde aqua marina tepida affundatur. Et postea subscriptū pharmacum loco adhibeatur. Aluminis scissi drachm. II. staphidis syluestris obol. I. piperis obol. II. æris usti drachm. I. myrrhæ obol. duos, lapidis scissi obolos tres, misyos torrefacti drachm. I. terito ac utere sicco. Adhibenda præterea sunt balnea, & caput discutientibus ac corroborãtibus confricandum. Et exercendæ inferne partes, & uictu boni succi utendum. Similis autē curatio lēdibus quoq; palpebrarū adhibeatur.

De pilis pungentibus palpebrarum, & de duplici pilorum ordine, itemq; multiplici quam phalangosim dicunt. Cap. LXVI.

Pilorum pungentium in palpebris exortum, Trichiasim Græci uocant, quam sanè sub pilis naturalibus in palpebris alij exorti, & intrò nuētes, tunicas pungūt, & oculorum fluxiones concitāt. Dicitur etiam trichiasis, quum ipsæ palpebræ laxatæ sunt, aut ipsarum extremitas intrò nutat, ut pili non facile appareant, nisi quis distendat ac disparet palpebras. Vocant autem medici palpebræ laxationem phalangosim, aut casum. Pilorum uero subcretionem, duplicem pilorum ordinem, hoc est distichiasim. Fiunt autem hæ affectiones, & præsertim duplex ordo, ex multa humiditate. Qemadmodum enim in terra largitas aquarū plurimas herbas profert: sic etiam in palpebris, maxime ubi influentes humores minime mordaces fuerint. Si enim id quod influit salsum fuerit, etiā naturales pilos reijciet. Perfecta igitur pilorum pungentium curatio, est consutio palpebrarum sursum uersus. Quādoquidem uero aliqui ob mollicie mnō audent seipsos chirurgiæ submittere, auxilium ferendum est ipsis quantum eius fieri potest. Veteres itaque huiusmodi auxilia ad ipsos conscripserunt.

Pharmaca ut euulsi pili nō renascātur. Cap. LXVII.

Pungentes pilos euellito, & euersa palpebra, sanguinem ranarum recentem illinito, & frigefieri sinito. Aut cimicum sanguine similiter utitor. Aut chamæleonem album urito, & cinerem sanguine ranarum excipito. Et usus tēpore saliua diluito, & præeuulsis pilis loco illinito. Aliud. Succum Chelidonij herbæ quæ etiam capnium dicitur, sufficiente gummi excipito, siccato, ac parua collyria formato, & utitor uelut prædictum est. Aliud. Cochlearum carnes cum uiridium ranarum in harundinibus degentium sanguine, aut herinacei terrestris cruore terito, & atramento scriptorio moderato adiecto siccari sinito. Et utere uelut dictum est, uitata pupilla. Aliud. Hirudines urito ac terito, & utitor assiduè pilis præeuulsis. Aliud. Intestina terræ in testa ad cinerē exusta, ac leuissimè trita, præeuulsis pilis inspergito. Aliud Lacertam in olla exurito, & ad cinerem tritum par pondus sandarachæ adijcito, ac utitor. Aliud bonum minimè molestum. Siliquas siccas non antiquas diffringito, & humorem qui in ipsarum cauitatibus uiscosior, modicus, ac melleus reperitur, specilli nucleo exceptum, præeuulsis pilis loco illinito. Atque hoc assiduè facito. Summe autem facit, inquit Archigenes, herinacei terrestris fel, & sanguis pari mensura, cum modico castorio. Castorium itaq; leuissimè tritum sanguine ac felle excipito, & uelut piscium squamas formato. Vtere autem ita ut pilos radicitus euellas, deinde squamam unam saliua ex ore ieiuni dilutam euersæ palpebræ illinas, & ad dimidium horæ in loco detineas donec siccetur. Dolore quidem afficiuntur ægri, sed pili non amplius enascuntur. Aliud. Psyllium & cicutæ semen, ac cedriam, pari portione uespertilionis sanguine excipe, ac utere uelut dictū est, ne oculum contingas. Aliud. Linteum ex naui uetus accipe, & in lucernam pro funiculo lucernario inde, & lucerna ex oleo cyprino impleta, fuliginem in æreo uase collige, ac utere pilos euellēs, & locum assiduè illinens. Et si renati fuerint, idem repetito. Aliud. Potamogitonis succum & artemisiæ succum, æquis partibus adhibeto. Aliud. Fel uituli, & castorium, & gummi, æquis portionibus citra aquam conterito, efformato ac utitor, præeuulsis pilis illinens ter in die, & comperies successum. Aliud. Porci masculi fel, & adipem eiusdem, in fictile uas nouum densissimum ac leuissimum mittito, & aceti acerrimi heminæ quartam partem, & olei aleni tantundem affundito, & denso linteo obligatum ad dies septem sinito, & postea diffusa in mortariū terito, & uelut ungentum excipito. Idem etiam in toto corpore probe facit. At uero alenum oleum, amygdalinum oleum esse dicitur.

Agglutinatoria pilorum. Cap. LXVIII.

Pilos in palpebris præter naturam introrsum refractos, glutinat mastiche per specillum calidum admota, & sic pilis ad proprium ordinem refractis. Bitumen eodem modo. Glutinum similiter. Cochleæ glutinositas acu excepta. Hieracij succus. Medicamētorū agglutinatoriorū appellatorū liquor. Ammoniacū thymiama. Compositum autem hoc. Resinæ siccæ, picis siccę, sulphuris uiui, bituminis singulorū drach,

drae. I. cerae drachmae dimidium. Liquata reponito. Et usus tempore specillum igne feruefacito, & pharmacum contingito, ac eo pilos reglutinato.

De sutura palpebrarum sursum uersus. Cap. LXIX.

Ad suturam palpebrarum sursum uersus faciendam, æger desideat ad sinistram chirurgi partem, humilior ipso, ad splendidam lucem. Sunt autem ministri duo probè periti adstātes, alter retrorsum, alter à latere. Et chirurgus primū per collyrium, aut superficiarias scarificationes, notet sufficienter quantum in palpebra redundat, & corrugatæ cutis resectionem, ut neq; plus neq; minus quàm oportet rescindatur. Si enim latius resecta fuerit, æger lagophthalmus euadit. Si uero angustius, rursus palpebra laxatur, & pili similiter pungūt. Notetur etiam circa mediū palpebræ iuxta extremitatē locus superficiaria cęsura. Post factā uero notationē, euersa palpebra, subsectionem intrinsecus facimus ultra pilos præter naturam exortos, quo ipsi ad naturales foras tendant. Aliquando uero in ipsos pilos præter naturales, si penitus insiti fuerint, subsectionē facimus, ut succedens cicatrix ipsos rursus enasci prohibeat. Nihil autem uetat etiā duas subsectiones facere, unā ultra pilos præter naturam exortos, quo extremitatis palpebræ fiat resiccatio. Alterā super ipsos præternaturales pilos. Sit autem profundior subsectio: Adiuuat enim refractionē & palpebræ leuitatem: & ab altero extremitatis siue marginis palpebrę termino usq; ad alterū procedat. Deinde linteola parua duplicata, figura triangulari imponantur, unū iuxta magnum angulum, alterum prope paruum. Super hæc autē litea minister qui retro adstat apices magnorū digitorum firmet, & uno impetu palpebram distendat, imprimēs digitum sub supercilio, quo æqualis palpebræ tensio fiat. Signū autē sit tibi optimæ tensionis palpebrę, quū media nota proprium seruarit locū, hoc est circa medium fuerit reperta. Post distētionem uero, primū facienda est obliqua & ad ueru similitudinem sectio superficiaria infernè, ut ne ex superna influēs sanguis chirurgiam impediat. Sitq; hæc sectio propinqua palpebræ extremitati. Deinde supernè luniformis sectio fiat. Initiū autē & ipsa sumat ex infernis à magni anguli loco, & delata ad notam, rursus deorsum uergat ad paruū angulum. Sitq; etiā ipsa superficialior, ut ne musculi saucietur. Deinde minister qui à latere stat, palpebram distendat. Postea hamulus in circumscriptæ fasciolæ principium transfigatur, in sinistro oculo, ad paruū angulum, in dextro ad magnum. Distento autē hamulo per sinistrā manum, fasciola scalpro ad hanc rem destinato subexcorietur, animaduersione habita ne si profundior excoriatio fiat, musculi uulnerentur, & incurabilem habeāt palpebræ laxitatem. Post cutis autem excisionem, ad suturam sursum uersus ueniendum est. Et prima sutura media fiat. Deinde utrinq; aliæ duæ, ut in totū quinq; fiant suturæ. Post suturam, distēta palpebra propter uulnera, moderatum spleniū glutinosum suturis sub supercilio impone. Super ipsas uero sectiones spleniola parua glutinatoriā & inflammationem arcentem uim habentia imponātur. Postea lana ouo imbuta toti oculo imponatur, ac deligetur. Quandoquidem uero augescens & acris ac salsa fluxio illota, pilos naturales reijcit, & palpebræ marginem duram efficit: pilis autem præter naturam subenatis etiam augmentum præbet: difficilisq; fit in his palpebræ euersio: conuenit acum robustum filum habentem, per mediam marginem palpebræ trāsmittere, & filum sursum trahere, atq; sic per specillum palpebrā pro umoris euertere, & sectionē, uelut dictum est, facere.

De sutura palpebrarum deorsum uersus. Cap. LXX.

Quòd si inferna palpebra pilos pungentes produxerit, sutura deorsum uersus probatur. Et prius quoq; in his sufficiens laxatæ superfluæ cutis resectio notetur. Nam & hic latiore fasciola excisa, euersio contingit: angustiore uero, inutilis est chirurgia. Post factam notationem, lintea complicata uelut dictū est angulis imponantur, & palpebra distendatur. Postea minister digito malæ impresso, ipsam detrahat. Fiat autem prima sectio luniformis inferior. Deinde ad ueru similitudinem & obliqua appellata circa palpebræ marginem. Faciēda est autem excoriatio, & sutura, uelut antea dictum, & reliqua eodem modo. Cæterum sola deorsum uersus sutura contenti sumus in inferna palpebra, uitata subsectione, ut ne palpebræ euersio contingat.

De euersione palpebræ. Demosthenis. Cap. LXXI.

Palpebræ amplius euerti solēt, ulceratione prægressa, & carne ipsarum superaucta. Aliquando etiam à duriore cicatrice palpebra contrahitur ac euertitur. Cōtingit autē hoc magis circa infernas palpebras. Curanda uero sunt moderata carnis incrementa, arido subiecto. Aeris usti drachm. I. atramenti sutorij, misyos tosti, chalcitidis tostæ, singulorum drachm. I. Aliud. Aeris usti drachm. VIII. misyos torrefacti drachm. II. chalcitidis tostæ drachm. I. atramenti sutorij drachm. I. Aliud. Ad inueteratas iam euersiones. Aeruginem in testa torrefactam terito, & per se adhibeto. Aut plumbi usti parem portionem admisceto.

Chirurgia euersionis palpebrarum. Antyli. Cap. LXXII.

Maiora uero carnis incrementa scalpro auferre oportet, deinde ære usto trito contingere, aut aloē cum manna thuris. Et sequēti die fomento adhibito similiter curare. Tertia uero die post fomentum melle utendum est usque ad perfectam curationem. Si uero maior fuerit euersio, sic chirurgia facienda est. Ex interna palpebræ parte duæ sectiones fiant, literae Græcæ Λ. figuram habentes, ita ut angusta literæ Λ. pars infernè sit ad malam, lata uero supernè ad palpebræ marginem. Deinde fasciola illa literæ Λ. figuram referens excindatur, resecta simul etiam subiecta carne. Non est enim chartilaginosa inferna palpebra. Cutis tamen indiuisa seruanda est. Deinde labia excisionis sutura contrahenda. Sufficiet enim una sutura iuxta partes marginis palpebrarum facta. Sic enim incuruata & eleuata palpebra, ad internas partes reuertetur. Si uero cicatrix ex aliqua causa extra palpebram facta, palpebram euerterit, tollenda quidem est, uelut dictum est, ex internis partibus palpebræ fasciola illa literæ Λ. figuram referens, non profunda sectione facta, & labia sectionis uelut dictum est, per suturam cōtrahenda. Postea cicatrice forinsecus per hamum distenta, acum duplex filum habentem, sub totius cicatricis carnosam molem transmittimus, à paruo angulo initium facientes, & ad magnum ipsam acum ducētes.

Deinde

Deinde acu sic posita, filum utrisq; ipsius partibus subijcimus, & per ipsum totam carnosam cicatricis molem distēdimus. Et sic ipsius exectionē facimus, tollentes simul cum carnosa mole, etiā infixam acū. Post chirurgiam autē, externam sectionē linamentis disparamus, & conduplicato linteo ex frigida aqua imposito, deligatione utimur usq; ad tertiā, frigidā irrorantes, & linteum cōplicatū incumbere sinētes. Tertia uero die soluimus, & spōgias ex aqua tepida adhibemus. Fomentum enim in his non conducit. Cauere enim oportet, ne forte glutinatio intrinsecus non succedat. Postquàm uero exciderit suturæ, corporibus glutinatis, de cætero impauidè fomentum adhibeatur, ad hoc ut etiā cicatrix tenuior fiat, & oculus mitigetur. Deinde repressiua collyria palpebræ intrinsecus sublinantur. Externa uero sectio disparata seruetur, per omnem curationē mollioribus pharmacis adhibitis. Continget enim ex intrinseco cutis incremento, auxilium quoddam, ut palpebra intrò uertatur. Si uero propter carnis in angulo magno incrementum, facta fuerit palpebræ euersio, exciso eo incremento, palpebra ad naturalem habitum reuertetur. Cæterum illud nosse conuenit, quòd supernæ palpebræ euersio curabilis est. Sed & illa quæ ob infernæ palpebræ resolutionem contingit, sanari nō potest. Similiter & ea quę propter resectionē latioris fasciolæ in suturis deorsum uersus contingit. Et quæ ob latam cicatricem fit, ulceratione uidelicet pręgressa, quemadmodum in carbunculis contingit.

De lagophthalmis. Demosthenis. Cap. LXXIII.

Lagophthalmi appellantur, in quibus superna palpebra reuulsa est, & apertus est oculus inter dormiendū, uelut in leporibus fieri solet. Contingit autē affectio aliquando ex sutura sursum uersus, palpebra plus iusto reuulsa, ut oculū contegere nō possit, aliquando ulceratione spōtanea prægressa, uelut in carbunculis. Curādi uero sunt hi luniformi sectione in totā cicatricē facta, ut superior sectionis circunferentia sursum tendat, apices autē deorsum ad margines palpebrarū spectent. Postea ramētis linteolorum sectio disparetur, & palpebra deorsum detrahatur, & æqualis naturali figuræ fiat. At uero in cōuulsis palpebris qua parte contrahūtur, istic sectio fiat, & palpebra similiter laxetur. Verū in curatione fugere oportet resiccātia medicamēta, & aquā mulsam. Adhibendū est autē emplastrum tetrapharmacū, & succo fœni gręci perfundātur. Et in sūma totus curationis duct⁹ laxatorius ac impinguās in his assumatur.

De lippitudine dura. Demosthenis. Cap. LXXIIII.

Lippitudo dura est, quum palpebræ duriores fuerint, & ipse oculus durior, & ad motū pigrior fuerit, dolensq; ac rubicundus, & præsertim quum post surrectionem ex somno, palpebræ difficulter aperiri possunt, & nulla humiditas euacuatur, gramæ uero in angulis consistunt paruæ, contortæ, subaridæ. Et quum ipsas palpebras euertere uolumus, non facilè à nobis uerti possunt, ob duriciam.

De lippitudine sicca. Cap. LXXV.

Lippitudo sicca est, quū subaridus factus fuerit oculus, & pruriginosus, & leniter dolens, citra duritiā palpebrarum.

De lippitudine scabra. Cap. LXXVI.

Lippitudo scabra est, quum anguli ulcerosi sunt, ac rubicundi, & ualde pruriginosi, & palpebræ rubicundæ, & lacrymæ salsæ ac nitrosæ destillant.

Curatio lippitudinis duræ, siccæ, scabræ. Cap. LXXVII.

Prædictarū affectionū diligens cura habenda est. Neglectæ enim suffusionum, glaucedinis, & lippitudinis diuturnæ, ulcerationūq; ac staphylomatū causa fiunt. Curanda itaq; est lippitudo sicca, cum reliqua corporis cura, etiā per ea quæ humiditatem ad oculos prouocāt, qualia sunt sicca pharmaca postea describēda, stratiotica appellata, & collyriū diacentetū, ac similia. Dura uero lippitudo similiter curāda est, per pharmaca humiditatē excernere potētia, sublita Erasistrati liquida cōpositione ac similibus. Ad hæc etiā mollientibus ac humectantibus utendū est, uelut calidæ leniter temperatæ prolutione. Et fomētum per spōgias assiduè adhibendum. Vitanda uero sunt pharmaca frigefaciētia, meatus obstruentia, & agglutinatoria, & aquæ frigidæ affusio. Ex his enim oculus magis induratur. Si uero simul fuerit scabra ac dura lippitudo, (ex humorū enim acrimonia palpebræ indurari solent, ut anguli quidem erodantur & ulcerosi sint, oculus autē & palpebræ ægre moueantur & indurentur) in talibus præmisso spongiæ fomēto, primum per siccum ad scabriciem paratum medicamentū, anguli contingantur. Et moderato tempore interposito, rursus spōgia fomentū adhibeatur, & pharmacum humiditatem detrahere potens sublinatur. Quale est Erasistrati liquidū, & collyrium stratioticum, & diacentetum. Est autem cōpositio sicci ad scabros angulos medicamēti hæc. Chalcitidis crudæ drac. v. cadmiæ drach. v. Hæc trita in ollam induntur, quæ addito operculo, gypso oblinitur, & in uas acetum dilutum habens imponitur, ut olla forinsecus quidem madefiat, non diffluat autem in ipsam humor, & sinitur ad dies VII. Deinde siccatur in sole, ac teritur. Aliud. Philoxeni siccum, Achariston appellatum, (eò quòd digna ipsi gratia referri non possit) ad corrosos angulos, & scabras affectiones, & lippitudines siccas. Cadmię dra. II. chalcitidis crudę dra. I. aloës obol. II. æruginis obol. II. piperis grana x. florū rosarum drach. IIII. Tritis utere. Aliud. Ad scabrā lippitudinē. Cadmiæ drac. I. æris usti drach. I. spicæ nardi drac. I. piperis torrefacti obol. II. Terito cum aceto in sole, & siccato utere uelut probato. Aliud Meneclis, ad corrosos angulos, facit ad delacrymationē. Spodij dra. IIII. omphacij sicci drach. II. spicæ nardi obol. III. piperis torrefacti grana XV. tritis utere. Aliud. Cadmiæ sextantem, salis ammoniaci sextātem, folij malabathri sextantem, piperis unc. I. utere. Aliud. Facit & ad carnis in angulo decrementum. Costi quadrantem, æris sextantem, fuliginis cedriæ unc. I. misce ac utere. Aliud. Ad scabras lippitudines, sycoses, putredines, & carnem superexcrescentē. Cadmiæ drach. III. chalcitidis drach. VIII. piperis grana quinquaginta, spicæ nardi drach. I. Cadmiā & chalcitidem terito cum uino, & ubi siccata fuerint, nardum & piper leuissimè trita adijcito, & in puluillū redactis utitor. Aliud Capitonis ad lippitudinem siccam, & corrosos angulos, ac oculos humectos, & palpebras ficosas. Cadmiam ad polentæ magnitudinē confringimus, deinde melle Attico subactā in fictile uas mittimus, & operculo foramen habente imposito, eoq; luto oblito, uas rectū inter prunas locamus,

locamus, ac uentilamus. Quum autem albidior factus fuerit uapor exhalans, sublatam ollam aperimus, & cadmiam uino uetere extinguimus. Deinde eius accipimus drach. VIII. æris usti drach. VIII. stibij drach. IIII. Et armenij si affuerit, drach. VIII. & hæc contusa ac cribrata, cum uino uelut collyrium terimus, & resiccatum tollimus ac utimur, per specilli nucleum sublinētes palpebras, mane ac uesperi. Nos autem cadmiam, & reliqua omnia simul adipe uiperæ subacta torrefacimus, & postea uino extinctis siccatisq; ac tritis utimur. Aliud. Tomenti purpuræ ueræ drach. VIII. cadmiæ drach. XX. æris usti drach. X. lapidis hæmatitæ drach. X. Omnia trita ac melle subacta, uelut prædictum est torreto, & extinctis uino, ac tritis & arefactis utitor. Aliud. Archigenis, ad omnia prædicta. Amurcam coctam terito cum melle, & utere. Vtendum etiam collyrijs & siccis medicamentis, infra inter multi usus pharmaca describendis.

De defluuio pilorum palpebrarum, quod uitium & Madarosis, & Ptilosis, & Milphosis à Græcis dicitur. Cap LXXVIII.

Madarosis & ptilosis extremitatis siue marginis palpebrarū affectiones sūt. Et Madarosis quidē, ipsum solum pilorū defluuiū est, ex acri fluxione obortū. In ptilosi uero & crassescunt & callescunt hę partes, ut composita sit affectio ex madarosi & lippitudine dura. Quare etiam auxilia in hac similia sunt relatis ad illā. Optimum autē est ad ipsos pilos, siccum Philoxeni ad pruriginosos ac corrosos angulos. Facit & ad uisus hebetudinē. Cadmię drachmas VIII. salis ammoniaci drachmas II. croci drach. II. spicæ nardi drach. II. piperis albi drachmā I. utere. Aliud stibium muliebre, facit ad corrosos angulos, ac ptilos. Stibij usti & lacte muliebri extincti drachmas XIII. aloës, myrrhæ, spicæ nardi, singulorum drachm. II. ordei usti leuissime triti drachmas IIII. utere sicco. Aliud. Ad ptilos & corrosas palpebras. Medullam bubulam ex anteriore dextro pede, cū fuligine terito ac utitor. fuliginem autem sic facito. Papyrū pro funiculo lucernario in lucernā inde, & oleo sesamino repletum accende, & supra lucernam leue testaceum aut æneum uasculum pone, eoq; fuliginē excipe, & paulatim per prunam collige, ipsaq; cū medulla trita utere. Facit etiam egregie uituli coagulū. Aliud Sosandri, ad milphoses, & inueteratas affectiones. Facit etiam ad carnis in angulo incrementū: Cadmiæ, stibij, chalcitidis crudæ, misyos crudi, singulorum drach. VIII. Hæc contusa & melle subacta torre uelut dictū est, deinde uino extinctis ac tritis, adijce spicæ nardi drach. II. croci torrefacti drach. II. piperis drach. I. & simul contritis, utere. Cæterū simplicia ad ptilos, & corrosas palpebras facientia hæc sunt: Amurca cocta, lyciū indicum, armenium quo pictores utūtur: Nam cū aqua illitū consumit uitiosos humores, & pilos naturales auget: Rubigo ferri ad multos dies in sole trita, & cum uino ac myrrha in collyria redacta. Spodiū ceparū succo exceptum.

De abscessu in palpebris. Demosthenis. Cap. LXXIX.

Abscessus in palpebris internos, apice ipsorum inciso, & humoris expressione, curare oportet. Deinde muria infundatur, & lana ouo imbuta imposita deligetur. Postera die fomentum adhibeatur, & mel sublinatur, & de cætero collyrium repressum instilletur. Externos uero post sectionem & humoris euacuationem, impositis linteorum ramentis ex melle, & addita lana deligabimus. Quicunq; uero abscessus palpebrę chartilaginem corruperint, si quidē extrinsecus fuerint, eos possibile est ouo, ac melle purgatos, capitali sicco medicamēto incarnare. Si uero intrinsecus fuerint, euersa palpebra, & nudata chartilaginis parte derasa, æs leuissime tritum adhibeatur, & supra palpebram ouum cū uino & rosaceo conquassatum imponatur. Postera die fomento adhibito, ęs leuissimè tritū inspergatur, & rursus supra palpebrā ouum ponatur. Tertia uero die mel palpebræ sublinatur. Et postea collyriū repressiuū adhibeatur.

De calculo palpebrarum. Cap. LXXX.

Calculū in palpebris dicunt, quū euersis palpebris, tofis similia circa ipsas extiterint alba ac aspera, uarorū speciem præ se ferentia. Eorū curam facere oportet euersis palpebris, & cute iuxta apicem tenui scalpro dissecta, ita ut per specilli concauitatē tumorem molis collectæ excalpamus. Deinde æs ustū tritum adhibeamus. Et ouum cum uino & rosaceo in lana exceptum imponamus ac deligemus. Postera uero die, eadem curatio repetatur. Tertia mel sublinatur. At uero in tofis forinsecus palpebris innascentibus, post dissectionem & scalpturam, splenium emplastri tetrapharmaci imponito.

De grandine oculi. Cap. LXXXI.

Grandine affici dicunt palpebras, quum euersis ipsis rotundæ quædam eminentiæ pellucidæ grādini similes apparent, quibus dissectis humor euacuatur similis candido oui. Curatio autem faciēda est euersis palpebris, & incisione per scalprum facta, ita ut humore excreto subiectū aridum pharmacum affricetur. Aeris usti drachmas II. squamæ æris drachm. I. sandarachæ drachmā I. æruginis, salis ammoniaci, croci, singulorū drachmas III. myrrhę obulos duos, utere tritis. Fiunt etiam aliquando extra palpebras grandines subduræ, fabis similes. Has si quis uiolentius contingat, dolores intentos inducit. Et quādoq; animi exolutionem. Has autem curare oportet cute iuxta apicem incisā, & scalptura per specillum concauum facta. Sanatur facile mellis & ramentorū ex linteis impositione, & fomentis. Si uero pharmacis ad grandines uti uelis, his utaris. Fici syluestris grossos coctos impone. Aut fici folia. Alia illitio optima. Pollinis tritici quadrantem, sulphuris uiui unc. I. terito cum aqua, & formato pastillos, ac utitor. Faciunt & ea quæ ad ordeola descripta sunt.

De ordeolo siue præputiolo. Cap. LXXXII.

Ordeolum aut præputiolum uocant, quum in palpebris forinsecus iuxta pilos maximè suppuratum quoddam tuberculum factum fuerit, figura ordeo simile. Facile uero curatur nuclei specilli calefacti fomento. Sed & ceræ albæ calidæ fomento id discuties. Aut de musca capite abiecto, reliquo corpore ordeolum confrica. Aut galbanum mollitum modico intro addito impone. Aut cum cera emollita parum misyos crudi commollito, ac imponito. Faciunt & ficus siccæ cum uino mulso coctæ, & cum modico galbano tritæ. Aut sagapenum cum aceto tritum illine. Facit etiam ad grandines. Fomentum uero loco adhibeatur per spongiam, & per panem calidum. Post humoris excretionem mel illinatur. Deinde collyria ulceribus commoda.

De gan

De ganglijs, atheromatis, steatomatis, & meliceridibus palpebrarum. Cap. LXXXIII.

Fiunt aliquibus extra palpebras etiam hæ affectiones. Curantur autem gangliaceratis & malagmatis ad ganglia describendis, & aquæ calidæ affusione. Est enim nerui cõtortio ganglium. Melicerides autem, & parua steatomata, ac atheromata, curãtur aliquãdo ustorio medicamento apici ipsorum imposito, donec incumbens cutis in profundum crustam accipiat. Deinde post crustæ casum, excalpta tunica humorem continente per specilli concauitatem. Si uero tunica eximi non posit, per subiectum pharmacum erosiuum cõsumatur. Sandarachæ drach. II. arsenici drach. I. squamæ æris drachm. I. ueratri nigri drachm. I. elaterij drachm. II. chartæ in cinerem exustæ drachm. II. utere cum rosaceo. Magna uero chirurgia curantur, quemadmodum in reliquo corpore ex fundo ablata, unà cum tunica humorem continente. Deinde labia cutis per suturam contracta curentur, uelut in sutura palpebrarum sursum uersus fieri solet. Cauendum autem ne lata fasciola cutis in chirurgia auferatur, ut ne lagophthalmi fiant.

De uaricibus palpebrarum & malignis agnatis eminentijs. Cap. LXXXIIII.

Varices in palpebris ne cures: Sunt enim maligni: Neq; etiam agnatas eminentias in palpebris tumidas, dolentes & subrubras, & ad digitorum compresioně in seipsas se contrahẽtes. Sunt enim etiam hæ malignæ ac incurabiles.

De ægilope. Seueri. Cap. LXXXV.

Aegilops abscessus est iuxta magnũ angulum. Est autem affectio ægre curabilis, propter corporũ tenuitatem subiecto osse corrupto. Ob situs autẽ uicinitatem etiã ipsi oculo damnum infert aliquando, per naturale paruum iuxta angulũ foramen. Incipiente itaq; inflammatione, statim in prima die conandum est ut repellatur, ipso solo inflammato loco illito ex collyrio Antonino, aut alio quodã uehementer repellente, ac stupefaciente. Solet enim hæc illitio id quod confluxit disipare. Si uero perseuerarit inflãmatio, tentandum est ut similiter uelut aliæ inflammationes curentur, per discussoria medicamẽta, quę citra mordacitatẽ agũt. Coafficitur enim oculus ex acribus, & in ipsa affecta parte inflãmatio augescit. Nos autẽ in inflãmationibus nõdum transmutatis, ex emplastri Barbari, aut Leænæ, aut Athenæ, aut ex salicibus, aut ex aceto & oleo parati usu, abscessũ discutimus ac resiccamus. Asclepiades autẽ ad ęgilopas pharmaca talia conscripsit. Succi illecebræ, quã quidam portulacã syluestrem uocant, aut semperuiuum paruũ, succi solani, singulorũ sexuncem, thuris drachm. VIII. galbani sexuncem, mastiches quadrantem, thus tritum cũ succis coquito & ubi dissolutum fuerit, galbanum præmollitum adijcito. Mastichen enim improbamus. Aliud. Thuris drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. ladani drach. I. ceræ drach. VIII. aluminis scisi drac. IIII. spumæ nitri drac. IIII. coaguli leporis drac. IIII. Tundito hoc pharmacum, & cum fece ungẽti irini emollito. Si uero uictis discussorijs medicamentis inflãmatio suppurabitur, quàm celerrimè secare oportet, & humorem euacuare, ac subscriptis uti. Bdellij, myrrhæ, ladani, spumæ nitri, colophoniæ, singulorũ drac. IIII. ceræ drac. X. ungenti irini quantũ satis est. Alij pro colophonia, oleę folia trita habent. Et cum axungia ægilopi imponunt. Et sordes subalares ouium cũ axungia eodem modo. Aut ueratri nigri radicem madefactam impone. Aut perdicium herbã pro cataplasmate adhibe. Aut farinam erui cũ melle. Aut cinerem lignorum uitis aceto subactum impone. Aut staphidem syluestrem & ammoniacum thymiama cũ melle impone. Aut alumen scissum cum terebinthina uelut splenium impone. Si uero ad angulũ repserit, ad superficiem autẽ omnino non processerit, tunc scalpro ad uenę sectionẽ, aut pterygijs destinato, mediũ anguli corpus diducere oportet, & bonam carnẽ ex profundo producere. Deinde ipsam enatã carnem resiccare. Id quod continget, si penitus non pinguia loco adhibuerimus. Quare sanè in principio post apertionem lenticula cocta, aut malicorio cum melle utemur. Repurgato uero loco, & nascente iam carne, uitrum leuissimè tritum, siccum inspergimus, & in eius usu perseueramus usq; ad absolutam curationem. Est enim admirandum auxiliũ, cuius efficacia satis expendi nõ potest. Sed & alumẽ scissum leuissimè tritum, & modica terebinthina exceptũ, ad emplastri formam, purgat & incarnat ac cicatricem tutò inducit. Oportet autem & in ulceris cauitatem de pharmaco indere, & forinsecus paruum spleniũ ex ipso imponere. Profectò nos hoc curationis ductu usi, alio auxilio ad recentes ægilopas non indiguimus. At uero quæ ab antiquis ad hanc affectionem descripta sunt auxilia, huiusmodi sunt. Aegilopa curant, si non per profundũ corruptum fuerit os, chamęmeli folia commansa imposita. Aut maluæ folia commansa cum sale impone. Post apertionem uero ipsa malua trita utere usq; ad cicatricem inductam. Aut solanũ maxime halicacabum, aut myrtum cõmansam impone. Aut œnanthes, aut auriculæ muris folia. Facit & ægilopis frumentacei succus cum farina frumenti impositus. Et plantaginis folia manducata ac imposita. Thus item & columbinum stercus cõmiscentur ac imponũtur, & lapidescunt ac inhærent usq; ad inductã cicatricem. Aliud. Propolim, terebinthinã & thus, paribus portionibus splenio illita adhibe. Facit & siccum pharmacũ ex eruo cum melle. Aliud. Fel porci fumo resiccatũ terito, ac exulcerato ægilopi imponito. Aliud. Thus tritũ pice liquida excipe, & emplastri forma impone. Incipientes enim ægilopas hoc pharmacum disipat. Iam uero ruptos sanat, ulceri inditum, & superimpositũ. Aliud ad ægilopas experientia cognitum. Itemq; ad strumas. Radicẽ lilij recentẽ ad emplastri formã terito, & imponito. Rumpit enim, & repurgat, & usq; ad perfectã curationẽ cicatrice includit.

De ustione Aegilopis. Cap. LXXXVI.

At in quibus affectio diuturna os corrupit, aut ad angulum in fistulã abijt, cicatrice superficiei inducta, in his triãgulari incumbentis carnis detractione facta & angusta sectionis parte ad angulũ adaptata, & deinde spõgia oculo imposita, cauteria ignita ipsi sectioni adhibemus, usq; ad os ad squamæ remotionẽ inurẽtes, ita ut etiã obliquas in ulceris cauitate partes, & maxime supernas inuram⁹. Si enim post primi cauterij admotionẽ spectaueris, apparebit tibi angustissima cauernula, q̃ supernè ex obliquis humorẽ ulceri trãsmittit, uelut lacrymã. Quare oportet cauteriũ cauernulæ fortiter apprimere. Et ubi sufficiens facta fuerit

fuerit ustio, lenticulam coctam cum melle adhibere. Elapsa uero crusta, & ulcere aliquo modo purgato, alumen scissum tritũ terebinthina liquida exceptum modica, ut emplastri forma fiat, cauitati ulceris indimus, & splenium ex eodẽ factum, supra ulceris cauitatẽ imponimus. Celerrimè enim repurgat, incarnat, & cicatricem inducit. Probè etiam incarnat uitrum leuissimè tritũ inspersum. Vtere, & probabis.

De anchilope. *Cap.* LXXXVII.

Circa prędictum locũ ubi ægilops fit, colligitur etiam lentus humor melleus aut pultaceus, plerunq; in tunica contentus, dolorem nõ inducẽs, paulatimq; augescens. Curatur autem chirurgia, quemadmodum etiam reliqua circa corpus atheromata, ita ut superficies dissecetur, & subexcorietur, & tunica humorẽ continens funditus tollatur. Post sublationẽ autem ipsius, quo secura curatio fiat, & affectio non regeneretur, cauterijs ignitis crustas loco inurimus: Et deinde lenticula cum melle curamus. Elapsa uero crusta, alumine cum terebinthina, uelut antea dictũ est, usque ad cicatricem inductam.

De carnis in angulo magno decremẽto. *Ca.* LXXXVIII.

Carnis in angulo oculi magno imminutio ac decremẽtum fit, quũ exulceratione, aut pterigij, aut incrementi carnis ablatione, totus angulus funditus fuerit sublatus, & allabentem lacrymã continere nõ poterit, sed ad malas defluit. Contingit hoc etiam aliquãdo ex male curatis ægylopis. Et uocatur hoc uitiũ Græcis Rhoeas. Dicuntur autẽ etiam Rhoeades, qui ob assiduas fluxiones oculorum, semper lacrymantur. Curandi uero sunt illi quibus angulus funditus sublatus est, adhibito pharmaco locos densare potente ac consolidare, quale est quod tephrũ dicitur. Si uero callus fuerit, præiritare oportet per aliquod acrius medicamẽtum. Sed & chirurgia utendum est. Collũ enim fascia circundata cõstringitur, & uas circa nasum notatur. Deinde uas illud scalpro biangulari dissecatur. Deinde spõgia oculo imposita, cauteriũ loco apprimitur, non usq; ad os, sed ut cutis & sectio solum flammam sentiat. Sit autem cauterium triangulare. Postea lenticula cũ melle adhibetur. Vbi uero pura facta sunt ulcera, oculus dissparatus seruatur, donec angulus carne pura fuerit repletus, ut ne concretio fiat. Probè facit in ipsis etiã alumen cum terebinthina. At uero oculos præ diuturna lippitudine flẽtes, aut humectos, curare oportet præ omnibus aquæ potu, & parco cibo, exercitijsq; ac deambulationibus, & capitis frictione ac rasura, & frigidæ perfusione. Est & diæta optimi succi ac incrassante utendũ, & oculi sublinendi ex medicamentis meatus obstruẽtibus, frigefacientibusq; ac adstringẽtibus. Post aggressionẽ uero frigida aqua & posca oculi proluãtur. Optimũ autem pharmacũ ad hos experimento cõstans hoc est: Plantaginis folia exuccato & excolato, ipsumq; succum in fictili nouo ad solem exponito, & linteo tenui puro uelato, quotidieq; agitato, & resiccatum tritum reponito, & pro collyrio sicco utitor. Stibiũ ad anguli magni decremẽtum Alexandri regis ualde bonũ. Facit etiam ad ptilosim palpebrarum. Terrę ampelitidis, croci, nardi celticæ, æquales portiones tusas melle subigito, & in ollam missa, addito operculo foramen habente, eoq; oblito, prunis imponito, & non uentilato. Quum autem non amplius caliginosus uapor per foramina exhalarit, ab igne tollito ac frigesieri sinito. Deinde tusa, cribrata, ac trita in tenuissimum puluillum pro stibio adhibeto. Aliud. Stibium ad Rhoeadas. Aeris usti sesquiunciam, stibij sesquiunciam, croci unciam I. spicæ nardi unciam I. folij malabathri trientẽ, rosarum uiridium sesquiunciam. Reliqua leuissimè terito. Deinde rosas per se bene lęuigatas aridis unito, & simul tritis donec siccentur utitor. Aliud stibium, multa experientia cognitum. Aeris, cadmiæ, stibij, singulorum sextantem, piperis grana XIIII. chareophylli unc. I. spongiarum nouarum quadrantem, mellis quantum satis est. Aes, cadmiam, stibium, tusa sufficiente melle subigito. Deinde ipsa spongia excepta in ollam mittito, oblinito, urito. Et ad cinerem exactissimè tritũ piper & chareophyllũ adijce, & tusis, cribratis rursus exactissimè tritis utere.

De his qui tempora inurunt. *Cap.* LXXXIX.

Quidam barbaris legibus seruientes, in diuturnis oculorũ fluxionibus, tempora inurũt, aut per pharmacum, aut per medullã lignorũ nucis iuglãdis, quod hyscas appellant. Quidã etiã ferrum candefaciũt, & ustionẽ perficiunt. Ego itaq; eiusmodi affectionem ex temporũ ustione cõflatam uidi. Hi enim immodeste pharmaco usi, & ustione usq; ad profundum facta, unà cũ alienis humoribus, etiã naturales consumpserunt, & ad extremã siccitatem oculum deduxerũt, & nõ intelligebant se morbũ incurabilẽ præparare. Quid enim aliud contingere poterat, quàm quod hic contigit? Primum dolor molestus, & immodicus ardor. Quũ igitur tentassemus per collyria obtundere dolores, amplius ægrũ grauauimus. Liquidum enim collyriũ oculo illitum, uelut arenulas quasdã producit, ab immodica caliditate torrefactum. Et quũ rursus per ouũ mitigare uellemus, rursus per caliditatẽ etiam ipsum crassefactũ est, & uelut ad membranas quasdã redactũ, quę ægre ab oculis secedebãt. Sed & lacte usi sumus, & ipsum similiter inspissabatur, & in summa, uelut ab igne humores coacti inspissabantur. Proinde multo labore insumpto, quũ fœnigræci succũ instillassemus, moderatè dolorẽ mitigauimus. Nam & hic à morbo superabatur. Postea uero rationẽ ducẽ sequuti, ad rosacei usum deuenimus, tepefaciẽtes hoc ac infundẽtes, ut etiam æger nobis absentibus, ipsius solius usu ab accedentibus alleuaretur. Quin & ad alia multa utile nobis uisum est rosaceum ad oculos. Si enim ex natura siccitas affuerit, ut ęgre mobilis & penitus lacrymarum exors sit oculus, etiam his commodum est pro collyrio sublitum.

De arteriarum sectione. *Seueri.* *Cap.* XC.

In chirurgijs circa caput & frontem, unus generalissimus nobis scopus est, ut ægrũ à fluxionis affectione liberemus. Verũ priuatas & uelut particulares aggressiones facimus, propter uires, propter accidẽtia, propter locos, propter materiæ fluxionum qualitatem. Quum igitur arteriarum genus unum sit, loci uero diuersi, nũc de posterioribus expendemus. Hæ enim uelut principia quædam earũ sunt, quæ circa superficiem capitis existunt. Cõuenit igitur in magnis doloribus, cario, staphylomatis & prolapsibus, arterias in posterioribus capitis partib9 secare. Statim enim utilitatem inde percipiunt ægri. Præradendi autẽ sunt loci, & sic pulsus exacte per tactũ

notandus

notandus, & spatium dimetiendum ab auribus triũ digitorum, ad caluam posteriorem appellatã. Conuenit autem secare non obliquè, sed trãsuersim, usq; ad os, & membranam caluam ambientem exactissimè radere, & sanguinis excretionem usque ad animi deliquium expectare, in quibus uidelicet uires robustæ sunt, & dolor uehemẽs. Sic enim sopies accidens symptoma. Deinde cuneolum sectioni parem indimus, & linamẽta conuulsa plurimo cuneolo imponimus, & lanæ hapso posca imbuto pro linamentorũ custode utimur. Deinde ligamento utimur sufficienter adstringentes, & ad frontem ambo principia ducentes ac deligantes. Postera die uino & oleo ligamentũ rigamus, & non soluimus. Tertia die soluimus, & uibices moderatè proluimus, & os deradimus. Et postea quoq; ossis rasura utimur, & hoc facimus, usq; ad quatuor, aut quinq; dies, donec os sanguinẽ emiserit. Hoc enim signũ est sufficiẽtis rasuræ. Cæterum medicamẽtis, quæ linamẽtis illinuntur, utendũ est in his, ex pumice et cera ac oleo paratis. Et postea cephalico sicco appellato ex eruo utendũ est. Sed & id quod à nobis præparatur, unicè ad hos facit. Statim enim post ossis rasurã impositũ, carnẽ producit. Accipit autẽ farinę triticeę tenuissimæ par. II. colophoniæ liquidissimæ partẽ I. Hoc ubi siccũ inspersum est linamẽtis & splenio, custos linamẽti adhibẽdus est ex aliquo pharmaco è cerussa parato. Nã & ad cicatricem inducendã confert.

De caluariæ circuncisione. Cap. XCI.

Sed & caluariæ circuncisionem, periscyphismũ Græcis dictũ, assumimus, in quibus diuturna & tenuis oculorũ fluctio existit, & multa uasa fluctionem delegantia. Oportet igitur rasos locos notare, ut ne in coronalem suturã, aut tẽporũ musculos, sectio fiat. Faciẽda autẽ est sectio paululum supra frõtem trãsuersa initio à tempore ad tẽpus facto, ita ut mẽbrana caluã ambiens simul dissecetur, & diligenter radatur. Deinde cuneolis sectioni inditis linamẽta adhibemus, & reliqua consequẽter facimus, uelut prædictum est in arteriarũ sectione, assumpta ex uino, & oleo irrigatione. A' tertio die curatio suppuratoria fiat. Deinde ea quæ resiccationem promittit. Siquidẽ igitur à solo sincipite oculi fluxione infestãtur, prædicta sectione contenti sumus. Si uero unà cum supernis uasis, etiã ex temporibus fluxio feratur, post factam relatam supernam sectionem, alias duas luniformes assumimus, unam ab utraq; parte. Habeat autẽ principium, tum ea quæ à dextris fit, tũ quæ à sinistris, à principijs trãsuersæ sectionis supernè factæ, ita ut ex supernis ad tempora deferantur, usq; ad mediũ frontis. Procedant autẽ luniformiter ad supercilia cõuersæ, ut ne temporũ musculos iniuria afficiant. Sit autẽ figura trium harũ sectionum similis literę Græcę π, ita tamen ut apices ad internas partes incuruatos habeat hoc modo)‾(. Oportebit autem & hic cuneolos sectionis indere, & cõsequentia facere, uelut antea dictum est: Porrò dicunt Aethiopas à natiuitate frontem circuncidere, ut ne oculorum fluxione infestentur.

De frontis per submissum scalpellum excoriatione. Cap. XCII.

Frontis per submissum scapellũ excoriationem, hypospatismum Græcis appellatũ, assumũt qui deformitatem cicatricis maximæ per circulum fientis in frontis circuncisione, deuitant. Verum hæc curatio imperfectior illa est. Vnde magis frontis circũcisione periscyphismo appellato utendũ est, ita ut rei magis necessariæ curam habeamus.

De uasorum sectione. Cap. XCIII.

Vasorum sectionẽ assumimus uno oculo affecto, & in oculorũ perpetuis lacrymis, & in hemicrania. Assumimus autẽ in his, quibus manifesta & eleuata sunt in fronte uasa. Vas uero atramẽto notamus, & summis utriusq; manus digitis, frontis cutem ab utraq; notæ parte eleuamus, & superficiariam sectionem in ipsam notam, ex directo uasis facimus. Et rursus paulatim subiacentes cuti membranas dissecamus, donec nudum uas apparuerit. Atq; sic hamulis duobus trãsfixis labia sectionis eleuamus, & paulatim per scalprum subradentes, uas à circumsitis mẽbranis liberamus. Et cæco hamulo subiecto, uas ex profundo attollimus, & ita eleuato acum duplex filum habentem submittimus, & mox ablata acu filũ dimittimus. Idẽ etiã in altero uasis termino facimus. Et postea uas perpungimus, & euacuationẽ fieri sinimus. Sufficienti uero sanguine euacuato, utrosq; terminos uasis, per subiecta iã fila deligamus, & medium ipsius resecamus: atq; ita linamentis inditis, & hapso lanę ex aqua frigida imposito, deligatiõe utemur. Postera die uino & oleo irrigamus. Tertia uero exoluimus, & moderata ꝓfusiõe facta linamẽta ex aqua mulsa indimus, donec exciderint fila. Et usq; ad perfectam incarnationẽ eadem utimur. Est enim bonum auxilium. At uero cicatricis inductionem per emplastrum melinum facimus, aut per id quod ex cadmia paratur. Leonides porrò, soleo, inquit, ubi mixta est fluxio, & à fronte, & à musculis temporum, iuxta paruos oculorum angulos tẽporibus uicinos, supra fines superciliorum, crustas inurere per cauteres nucleoformes, id uehementer cauens, ut ne temporum musculos contingam. At in fluxionibus à sincipite, constringo collum, & uasa in fronte magis eleuata noto, & hæc ipsa prærasis pilis inuro. Illitio ualde celebris ad diuturnas fluxiões. Viperarum capita in olla probe exurito, & cinerẽ cum lupinorum amarorum decocto tritum temporibus illinito. Et miraberis de medicamẽti efficacia.

De musculorum temporum cataplasmatis, agglutinatorijs, ac illitionibus. Seueri. Cap. XCIIII.

Quandoquidem fluxiones ad oculos ex superincumbentibus locis suppeditantur: Nam hemicraneæ, & caries, & fluxiones capitis, dolores oculorũ augẽt: operæprecium esse puto etiam ad hos pauca auxilia referre. Vtendum igitur est agglutinatorijs & illitionibus, uelut dictum est, in his quibus oculi fluxione infestantur, & in quibus uasa circa frontem ac tempora eleuata distendũtur. Nã si influxio non ex uasis circa frontem, & tẽpora, ac palpebras contingit, sed ex profundius sitis agglutinationes & illitiones magis lædunt. Insuper autẽ si citra inflãmationẽ fluxiones oculorũ fiunt, agglutinatoria ipsas cohibent. Si uero inflammatio affuerit, humores ex circunsitis locis ad inflammatos impulsos, per compresionem magis distendent. Itaq; agglutinatoria ex similagine & ouis ac thure composita uitãda sunt. Resiccata enim distendũt uasa, & fluxiones augent. Quæ uero mollia permanent, aut distentionẽ non efficiunt, & tum frigiditate, tum adstrictione

uasa deprimunt, his utendū est. Si igitur calida fuerit intemperies quę lædit, Crocum, opium, myrrhā, thus, ex aqua trita, & ad strigmentitiam spissitudinem redacta illinimus, & statim inducto somno, dolorem depellimus. Idē præstant & fluuiatiles stratiotæ cum aloë contriti. Sed & polygonum cū mastiche tritum ac illitum, dolorem mitigat. Et mādragoræ cortex cū thure mirificè facit. Et mastiche cū succo brassicæ illotæ trita mirificè resiccat. Item fabrorum fuligo, quam uulcaniam appellant, leniter cum ouo subacta. Et calx uiua cum ouo in frigidis intemperiebus. Et hirundinum stercus cum mastiche & oui candido.

Totius capitis illitiones Seueri. Cap. XCV.

Totum caput intemperie calida affectum, acacia cum uino trita illinendum est. Nā acetum in huiusmodi capitis illitiōibus uitare oportet. Facit & samia terra cum plantaginis aut solani succo trita. Si uero frigidior fuerit causa, ut æger clarè frigiditatem in capite sentiat, & lacrymas frigidas deferri, contraria calidæ affectioni auxilia adhibenda sunt. Nasturtio enim cum ouo trito multum profecimus. Et per erucæ semen cum aceto tritum idem effecimus. Sed & thapsia cum sinapi aceto trita, magnopere prodest. Et cochleæ Aphricanæ cum thure ex aceto tritæ, multā fluxionis illationem relidunt ac excindūt. Et hirundinū nidus cum stercore in ipso reperto, aceto subactus graues dimidij capitis dolores sanat. Et euphorbium cum aceto tritū. Vtere etiā smegmatis & puluillis inspersilibus, suprà ad diuturnum capitis dolorem descriptis.

Cataplasmata oculorum lippientium, Dioscoridis. Cap. XCVI.

Cataplasmatis uice imposita mitigant oculorum inflammationes, folia rubi aut auriculæ muris, aut tribuli uiridis, aut portulacæ, aut semperuiui, aut polygoni, aut intybi, aut coriādri, aut cupresi. Aut hyoscyami folia trita. Aut cucurbitę ramēta. Aut peponis caro, aut calicum papaueris decoctum affusum. Aut ipsi calices cocti triti impositi. Cōmodus est etiam panis aqua madidus tritus cū modico rosaceo impositus. Et ouum cū rosaceo ac uino conquassatum, & hapso lanæ exceptū ac impositū. Aut ouorū assatorū uel coctorū uitellos, cū modico croco, & opio phaseoli magnitudine, ex sapa tere ac impone. Aliud Asclepiadę, ad maximos humorum influxus ac dolores. Rosarum siccarum drach. I. opij drach. I. croci drah. I. efforma in pastillos cū passo, in quo melilotum coctū est. Et usus tempore ex ipsis terito cum passo, & ammixto pane imponito.

Aliud ad maximos dolores ac uigilias. Psyllij semē in feruētē aquā cōiectū, paulùlum sinito. Et ubi dissolutū fuerit, conquassato, ut emplastri formā acquirat, & ex eo oculū integito. Suauē enim somnū inducit. Aliud Demosthenis, ad dolores & prolapsus oculorum, egregiè facit. Calices papaueris in aqua mulsa coquito, & ipsos quidē expressos abijcito, aquā mulsam autē triticeo, aut ordeaceo polline ammixto imponito, modico etiam rosaceo adiecto. Aut polentę florē ꝓ polline, aut panē purā accipito. Cæterum cataplasmata omnino tēpora compræhēdant, & supercilia cū frōte. Solam autē supernam palpebrā cataplasmate integimus, infernā non comprimentes, quo aperiri oculus possit, & lacrymam illatam excernere. Assidue uero permutētur, & maxime æstate, ut ne feruefacta exacerbent. Ad contactum autem summè tepida apponantur, hyeme uero leniter calida.

Illitiones oculorum. Cap. XCVII.

In uehemētibus doloribus palpebras forinsecus illinire oportet, maximè quidem collyrio Nili ex rosis, aut aliquo dolorē eximēte ex croco parato, aut croco trito cum modico papaueris succo, affuso lacte aut hyoscyami succo. Alia illitio Asclepiadę, ad doloris uexationes. Aloēs, lycij Indici, rosarū uiridiū, croci, opij, myrrhæ singulorum æquales portiones terito cum uino, & formato pastillos, ac siccato in umbra. Vsu uero expetente, passo dilue, & oculos ac tempora illine. Alia illitio repulsoria optima. Foliorum mali siccorum tusorum ac cribratorū lib. I. myrrhæ sextantē, glaucij sextātē, gūmi sex uncē. Excipe aqua. Illitio Asclepiadæ mordax, euestigiò fluxionem cōpescēs. Facit & ad lippitudines scabras. Aeris usti drach. IIII. croci drach. IIII. piperis drach. II. opij drach. II. gummi drac. IIII. Excipe aqua. Hæc forinsecus illita maximos humorū illapsus relidit. Verum uitare oportet ne quid de pharmaco in oculum præterlabatur. Aliud phloginū inscriptū linimentū. Aeris usti ac loti drach. XII. croci drach. VI. piperis drac. IIII. myrrhæ drach. III. opij drac. III. gūmi drach. XII. Terito cum uino ueteri odorato adstringente. Alia illitio ex sandyce, ad perfrigerationes & resolutiones palpebrarum, quales cōtingunt & in his qui canino more conuelluntur. Facit etiā ad acuendum uisum ante balneum illita. Sandicis drachm. XIIII. crocomagmatis drach. VI. piperis drachm. IIII. gummi drach. VI. Excipe aqua. Aliqui adijciunt etiam opobalsami drach. IIII. & illinunt ad hebetudinem uisus.

De aridis collyrijs, Galleni. Cap. XCVIII.

Ex aridis pharmacis quędā affectionē in oculis cōgregari prohibent, humorū uidelicet influxiones impedientia, ex quibus oculi affligi solent. Pręstantissimum autem ex his apparuit, & experientia iudicatum est, quod ego composui, inquit Galenus: & ob id apud multos in usu est, ac ferè per omnes gentes, quibus Romani imperant. Ac primū sanè ipsius cōpositionē scribā, quum præstātius esse putem, nullis omnino affectionibus corripi, quàm eas quæ iam præoccuparunt sanare. Vtilissimū aūt est sanis oculis pharmacū. Vritur lapis phrygius in fabaceas magnitudines confractus. Eum uero in ollam nouam missum, deinde forinsecus luto oblita olla, addito operculo foramen habente, eoq; oblito, ollam prunis imponimus. Quū autē lapis ignitus factus fuerit, tunc iā ollam in aliud uas purum euacuare oportet, & recenti butyro extinguere. Facta autem extinctione, rursus in eandem ollam missum, prunis adhibemus, ac uentilamus. Ignito uero lapide, ubi purum uaporem efferri uiderimus, rursus euacuatum extinguimus uino ueteri fuluo odorato. Deinde rursus missum in ollam lapidem, tertio urimus, & rursus extinguimus melle Attico non multo. Postremum autem melle extinguitur, ut mellis qualitas in lapide permaneat. Cæterum diebus trita ac prælęuigata in promptu habere oportet, ita ut in tenuissimū puluerē redacta sint subscripta. Aeris usti unc. I. piperis albi unc. I. folij malabathri unc. I. sti

bij drach. XII. His ammisce lapidis usti, tusi, cribrati ac triti lib. I. Et postquam omnia simul probe fuerint unita, & reponere medicamentum uoles, adijce opobalsami primarij drach. XII. Sit autem opobalsamum tenue, & pellucenti compage, non crassum. Impedit enim crassitudo, ne siccum pharmacũ euadat. Vtendum autem est ipso ad palpebras solas, inducto specillo citra tunicarum oculi contactum. Iubedus'que est homo cui hoc sublinitur, palpebras apertas habere. Hoc itaq; à me compositum est, non permittens hominem qui ipso recte utatur, oculorum lippitudine apprehendi. Stibium ornandis palpebris præseruatiuum, pueris maxime commodum. Stibij drach. XVI. plũbi usti ac loti drach. VIII. squamę æris drach. I. croci drach. I. florum rosarum, myrrhæ, spicæ nardi, thuris, piperis, singulorũ drach. I. palmularũ ossa decẽ. Omnia in fictile uas cõiecta diligenter torrefacito, deinde tusis ac tritis opobalsami primarij cõpage tenuioris cochlearia duo adijcito: Et tritis ac siccatis utitor. Aliud Seueri, facit ad oculorũ & palpebrarum pulchritudinẽ. Stibij quadrantem, purpuræ ueræ ustæ sextãtem, spicæ nardi unc. I. Vtere. Stibium ornans palpebras. Stibij usti & loti drach. VIII. ossium palmularũ ustorum drach. VIII. atramenti sutorij drach. II. nardi celticę drach. II. Vtere, cõstat experimẽto. Aliud, faciẽs ad decorẽ, angulos rarefactos ac humectos moderatè resiccãs. Cornu ceruini usti, purpuræ ustæ, singulorũ drach. III. folij scylmatis unc. I. Vtere. Stibiũ optimũ ad tenuẽ fluxũ, & corrosos angulos. Nutrit hoc etiã oculos debilitatos, in multis affectionibus cõprobatũ, & mirifice omnibus se opponens. Facit etiã ad ornatũ. Inductũ enim multo tẽpore in angulis permanet. Habet aũt hoc modo. Carnis purpuræ torrefactæ drach. IIII. succi anemones drach. VI. stibij usti & uino extincti drach. III. succi baccarũ sambuci drach. III. spinæ ægyptiæ drach. II. ordei usti drach. II. gallarum nigrarum drach. II. acaciæ drach. II. mororũ rubi aridorũ tusorum drach. III. costi tusi drach. III. folij tusi drach. IIII. Singula seorsim terito, & simul in uase plumbeo reponito, ac utitor. Aridũ Danai, quod uelut res sacra in regia urbe uẽditũ est numismatis CXX. & cũ multo labore ab eo impetratum. Præseruat ab omni lippitudine, palpebris inductũ. Aeris usti unc. I. ungues siue onychas aromaticos ustos magnos tres, piperis grana XXI. ordei usti grana XXI. palmularũ ossa usta IX. æreas muscas XXI. folij scrup. IX. sanguinis dracõtij scrup. IIII. Aes accipe quod ab ęris uasis deraditur, & in fictile uas missum, ac prunis impositũ, ad triduũ ure, ita ut quotidie ter ipsum urina pueri incorrupti extinguas, & postremũ aqua dulci. Aereas aũt muscas accipe ex locis ubi boues degunt, aut si ibi nõ reperias, ex mortuis animalibus. Aliud palpebras ornans, pharmacũ quod prosperè accõmodatur. Facit & ad diuturnas lippitudines. Stibij usti & uino extincti drach. III. plũbi usti ac loti drach. VIII. fuliginis thuris, spicæ nardi, myrrhæ tostæ, croci tosti, squamæ æris, singulorum drach. I. Tritis utere. Aridum ad angulos calidiores & rubicũdos ac exasperatos: Seueri croci drach. IIII. cadmiæ lotæ drach. II. cerusæ drach. I. Aliud Seueriani, cerussæ bessem, cadmiæ trientem, salis ammoniaci sextantem, piperis sextantem, folij trientem. Aliud palpebras ornãs, facit & ad lippitudinem siccã. Sanat etiã omnẽ lippitudinẽ, post mitigatos dolores illitũ. Aeris usti leuissimè triti unc. I. cedriæ puræ trientẽ. Aes cũ cedria ad strigmẽtitiã spissitudinẽ terito, & in arũdinẽ mittito, & hanc obturatã forinsecus totã luto oblinito, & in clibano prunis obruito, & per diẽ ac noctẽ sinito: & exemptam terito, & collyrij Pelarij drach. XXIIII. adijcito, & croci drac. II. & folij scrupul. II. & utitor. Aliud siccũ collyriũ celebre, resiccans multas fluxiones, & uisum acuẽs. Optime quoq; attenuat cicatrices. Aeruginis unc. I. cadmiæ unc. I. chalcitidis unc. I. stibij unc. I. mellis mensurã congruam. Omnia leuissimè trita, & melle subacta, in ollã mittito, & addito operculo foramẽ habẽte, oblinito, ac urito donec tenuis uapor progrediatur. Deinde excẽpto ac trito utere. Quod si ipsum paululũ mordax facere uolueris, post ustionem adijce piperis grana XXV. Aliud aridũ ualde bonũ: Cadmiæ sextantẽ, mellis sextãtẽ, æris usti drach. IIII. salis ammoniaci drach. II. piperis drach. IIII. spicæ nardi drac. II. Cadmiã leuissimè tritam melle subige, ure, & uino austero extingue, & cum reliquis tere ac utere. Est delacrymatiuũ. Facit & ad asperas palpebras. Aliud siccũ ad lacrymantes oculos, & eos qui à lõga lippitudine nõ probe sanati sunt. Est etiã præoccupatiuũ. Cadmię drac. VIII. æris usti drach. VIII. stibij drach. IIII. Cadmiam cũ ære in frusta crassiora contusam, & melle subactã in olla exurito, uelut antea dictum est, & uino ueteri odorato extinguito, ac siccato. Et deinde stibium per se ustum in olla ammisceto, & tusis cribratis ac tenuissimè tritis utitor. Quidam etiam armeniaci drach. duas ammiscent. Hoc siccum pharmacũ sæpe cũ uino uelut collyrium cõtriui, & siccato usus sum, inducẽs ipsum palpebris mane & uesperi. Aliquãdo autẽ etiã stibij drach. octo iniecı.

Aliud siccũ croceũ, procataleptico, id est, pręseruatiuũ. Aloẽs, croci, glauci, sarcocollę, singulorũ unciã unã leuissimè tritis utere. Aliud, quo utor, & affectiones illino. Sistit fluxionẽ in una die, si dẽse ac sæpe illinatur. Facit etiã ad ęgilopas, & palpebras corrosas, & pilos pungentes in palpebris, post euulsos pilos, pilorum locis illitũ. Sarcocollę, croci, glaucij flaui, aloẽs, chelidonię, singul. unc. I. myrrhæ troglodyticæ drac. quatuor. Chelidoniã tusam cribratã reliquis adijce, & cõtritis utere. Ego cũ aqua uelut collyriũ cõtero, & sicco utor. Aliud siccũ collyriũ celebre, uisum acuẽs, inoffensos cõseruãs oculos. Stibij scrup. IIII. fuliginis purpuræ ueræ, rosarũ siccarũ, singulorũ scrup. II. croci scrup. III. folij scrup. III. spicæ nardi scrup. III. Tritis uere. Fuliginẽ aũt sic facito. Lanã purpuræ cedria tinctã incẽde, & pelui lęuissimo, aut ęreo uase cõtege, & cõflatã fuliginẽ penna collige, ac utere. Aridũ albũ, uisum acuẽs. Facit ad pruritus, & ustiones ex sole, & lippitudines incipiẽtes ex frigiditate, ante & post cibum. Cadmiæ drach. II. salis ammoniaci drach. I. piperis drach. II. aluminis scissi drach. II. folij drach. II. cerusæ oboli dimidium. Terito cum uino albo, & siccato utitor.

Aliud siccũ acre. Cadmię drac. XXIIII. salis ammoniaci drach. II. spicę nardi drach. I. piperis albi drac. I. tritis utere. Aliud optimum. Cadmiæ drach. VIII. croci drach. II. salis ammoniaci drach. II. spicæ nardi drachm. I. piperis albi drach. VI. Tritis utere.

Aridũ Seueriani. Cadmię ustæ & lotæ drac. VIII.

 salis

salis ammoniaci drach. II. piperis albi drach. II. folij drac. I. cõtusis, cribratis, ac probe tritis utere. Aliud aridũ acre. Cadmiæ drach. VIII. testarũ sepiæ sextantẽ, salis ammoniaci unc. I. piperis unc. I. folij unc. I. utere. constat experientia. Aliud aridum uisum acuens, Oribasij. Radicis chelidoniæ sextãtem, aloës sextantem, folij unc. I. piperis decorticati drac. IIII. ueratri albi drac. I. Vtere. Aridum Apollonij ad uisus hebetudinẽ. Cadmiæ drach. VIII. fecis uini ueteris siccæ ustæ drach. V. piperis albi drach. V. salis ammoniaci drach. X. sandarachæ drach. II. folij drac. II. nitri usti drach. III. Aliud aridũ ad suffusiones & hebetudines. Viperam masculam totam uiuã in ollam mittito, & succi fœniculi cyathum unum adijcito, & thuris non secti granum magnum addito. Deinde totam ollam forinsecus luto oblitam, urito donec in cinerem redigãtur indita, teritoq; ac utitor hoc arido medicamento uelut celebri. Faciunt & uiperæ capita usta, trita, & inducta. Aliud. Incomparabile. Veratri albi & piperis æquas portiones tusas ac tritas adhibe per triduum, purgatione prius per uentrem facta, & per os ac nares. Aridum ad incipiẽtes suffusiones, glaucedines, & pellicularum crassitiem. Cadmiæ drach. XXIIII. salis ammoniaci drach. X. sandarachę drach. IIII. ueratri albi drac. II. folij drach. II. utere. Ego si aliquando opus habeo arido collyrio ad præsentes affectiones commodo, hoc trito & in leuissimum puluillum redacto utor. Aliud siccum acuens uisum, experientia cognitum. Cadmiæ drach. VIII. folij drach. VIII. spicæ nardi, drach. II. piperis, croci, auripigmenti, salis ammoniaci, chelidoniæ, singulorum drach. II. artemisiæ, folij malabathri, singulorum drach. I. utere.

De liquidis collyrijs. Galeni. Cap. XCIX.

Liquida ocularia medicamẽta cõponuntur ex succis, & liquoribus, felleq; ac melle, & ammoniaco thymiamate, ita ut ammisceãtur ipsis etiam moderatiora quædã, uerum uiribus nõ repugnãtia, myrrha inquã, & thus, & crocus, & galbanũ, & quæcunq; alia huiuscemodi, quæ tunicas rarefacere, & crassitudinẽ humorũ ac spiritus attenuare possunt, & humiditatẽ præternaturalẽ discutere, & tunicis oculorum per suum temperamentũ, robur prębere. Liquidũ acuens uisum. Succũ ex malis punicis expressum, in uas fictile Atticũ leuissimum ac densissimum mittito, & tenui linteo obligatum ad solẽ exponito, donec mellis crassitudinem acquirat, & parem mẽsurã mellis ad succũ adijcito, & fictili uase exceptũ reponito. Inueteratum enim melius euadit. Quum autẽ dormire uolueris, ex hoc leuiter oculos sublinito. Hoc pictoribus, & scriptoribus, & aurifusoribus ac senibus cõuenit. Aliud. Ampullam uitreã oleo expleto, & iniectis fœniculi folijs teneris in solẽ exponito ad dies quadraginta. Et expresso fœniculo, oleo utitor. Aliud uisum acuens. Adipẽ uiperæ in uitream ampullã mittito, & ubi liquatus fuerit, specillũ in eo tingito, ac illinito. Hoc ualde cõmodũ est. Aliud uisum acuens. Colocynthidis semen tusum, cribratũ, ac leuissime tritum cũ melle adhibeto. Experimento cõstat. Aliud ad uisum acuendũ, & ad suffusiões ac cicatrices oculorũ. Chamęleontis nigri radicem ustã, ac leuissimẽ tritã illinito. Aliud. Intestina terræ in testa ad cinerem exure, & cinere trito cum melle utere. Ego hoc arido usus sum ad albugines. Aliud ad inchoantes suffusiones. Mel, oleum uetus, & fœniculi succũ, ęquis portionibus misce ac utere. Aliud. Sagapeni drac. II. spumæ nitri drac. V. mellis lib. II. Aliud Demosthenis. Ego uero subscripto utor: Caucalidis succũ, coronopodis succũ, chamædryos succum, æquis portionibus excolato, siccato, collyria formato, ac utitor. Si uero liquido uti uoles, cum melle tritis utere. Aglaidę liquidũ ad principium suffusionis. Floris æris obol. V. piperis obol. V. croci drach. II. castorij drac. II. fellis galli drach. I. omphacij drach. III. & dimidiam, spicæ nardi obol. I. lapidis hæmatitæ obol. II. spumæ nitri obol. II. floris salis drach. XXXII. opobalsami drach. XXXII. mellis quincuncem. Omnia trita in argenteo uase reponito. Erasistrati panchrestos liquida cõpositio. Ad inflationes pruriginosas, & lippitudinem scabram, aures purulentas, ulceras ægre recipiẽtia cicatricem, cynãchen siue anginã, & ad nomas in ore ac pudẽdis. Aeris usti drach. II. myrrhę drach. III. misyos tosti drach. III. piperis drac. I. croci sesquidrachmam, uini austeri ueteris cochlearia. III. passi cretici cochlearia II. trita rursus terito cum uino, & ubi id combiberint, passum adijcito, & unita in ęreo uase ad mollem ignem coquito, usq; ad mellis spissitudinẽ, & in ænea pyxide reponito. Alia liquida ex succo uerbenacæ. Facit ad hebetudinem uisus, pupillæ debilitatem & obfuscationẽ, facit & ad corrosos angulos, ad tenuem fluxum, & inchoantes suffusiones: Fellis capræ drac. VIII. mellis attici sexuncẽ, lycij indici drach. III. piperis drach. IIII. succi uerbenacæ rectæ deuncem, & sicci succi drach. VIII. piper tusum ac angustissimo cribro excretum, postea diu in mortario terito, & sicco succo adiecto, simul terito. Deinde etiã liquidum succũ, & mox lyciũ addito. Et ubi leuigata fuerint, mel adijcito, & mox fel ipsum & unita excipe, ac utere. Quidã ipsam herbã, uerbenacã dico, tũdunt ac cribrãt, & drac. VIII. adijciunt. Si uero siccius medicamentum euadat, collyrium efformato ac utitor. Siccum cassij, ad uisum acuẽdũ & ad glaucedines, antiquas lippitudines, uisus hebetudines, ac obscurationes. Fel taurinum totũ in æneã pyxidem euacuatum, ad dies X. finito, deinde trita adijcito, croci, myrrhæ, opobalsami, singul. drach. I. piperis grana XX. mellis Attici duplum fellis. Et omnia simul trita in uas æneum inijcito, & ad mollẽ cinerẽ ad mellis spissitudinem coquito, & in ænea pyxide reponito, ac utitor uelut bono. Simul enim ut illitum est, efficaciam suam declarabit. Alia liquida Bolæ inscripta, ad suffusiones. Fellis felis partem unam, mellis Attici duplum, succi hieracij parem mellis mensuram, misce & utere. Alia ad suffusiones celebris. Fellis coruorum recentium trientem, sagapeni persici drac. I. succi cyrenaici unc. I. opobalsami unc. I. mellis dodrantẽ. Alia ualde celebris, ex cuius usu successum habui. Fellis capræ drach. IIII. opobalsami drach. II. croci drach. II. spicæ nardi, casiæ, lacrymæ oleæ æthiopicæ, aluminis scisi, medulæ struthocameli, myrrhæ, singul. drach. I. mellis unc. XVIII. præparato diligenter, & reponito in pyxide æris cyprij, ac utere. Alia. Theriaces Andromachi drachm. IIII. succi cyrenaici drachm. VI. opobalsami drach. II. mellis non fumosi drach. V. Theriacam primum uino ueteri dulci dissolue, & opobalsamum ac mel adijce, & utere.

Alia

Alia liquida Apollonij, ualida cōpositio ad suffusiones. Sagapeni drach. II. succi cyrenaici obol. II. ueratri albi drach. IX. rutæ syluestris drach. I. spumæ nitri obol. IIII. mellis quadrātem. Alia. Omphacij drach. I. myrrhæ drach. I. salis ammoniaci drach. I. opobalsami, lacrymæ oleæ Aethiopicæ, ammoniaci thymiamatis, singulorū drach. I. fellis hyænæ drachm. II. Excipe melle & utere. Alia. Fellis hyęnæ, adipis uiperæ singulorum sesquidrachmā, croci drach. I. omphacij drach. I. opobalsami drach. I. myrrhæ drach. III. & dimidiam. Mellis quantum satis est. Alia, ad suffusiones, etiam si fuerint diuturnæ. Lapidem Scyticum cum felle aspidis tritum illine. Breui liberat. Sit autem Aspis quæ Acōtias appellatur. Fel eius reperitur ad dorsum hepati annexum. Alia, ad omnem uisus hebetudinem ac suffusiones, facit etiam ad palpebras pungentes pilos producentes. Mellis sextantem, opobalsami drac. II. myrrhæ drach. II. succi cyrenaici drach. I. opobanacis drac. I. utere. Alia, ad suffusiones, ut æger intra quinq; dies uisum recipiat, adeò magnū ac admirādū auxilium est. Facit etiam ad asperitates palpebrarum. Et raro quis tale habere potest. Adipis uiperæ, fellis galli albi, floris æris, succi rutæ syluestris, lactis canini, opobalsami, æquis portionibus tritis utere. Aliquando uero pro æris flore, atramentum sutorium conijcio. Alia liquida nigra. Ad hebetudines, & fluxiones, ac affectiones. Clauorum caligarū ueterū prælotorū ac probe siccatorū librā I. in sextar. I. aceti acerrimi mittito, & per dies quinq; sinito. Deinde in olla fictili aut ferrea, lēto igne donec ter ebulliat coquito & excolato, & mellis despumati & colati lib. I. adijcito, & ad mollem ignem usq; ad strigmētitiam spissitudinē coquito, ramulis fortibus absinthij tribus simul colligatis agitando. Deinde ubi coactū fuerit medicamentum, atramenti sutorij leuissimè triti unc. I. inspergito, ac utitor per specilli nucleū angulos inde cōtingens. Alia repellens fluxiones, & detergens oculorū tunicas. Attenuat etiā cicatrices, & forinsecus supernæ palpebræ illita repellit fluxiōes, si statim ab initio illita fuerit. Melāterię, uelut iā diximus de clauis, præparatæ, & mellis parē mensuram, & succi fœnigræci tantundem, simul mixta & excolata, ad lentū ignem coquito, assidue agitando donec mellis cōpagem acceperint, & repositis utere. Cæterum fœnigræci succum præpara uelut dictum est in ulcerū oculorū tractatu. Sed & dū excolas fœnigræci succū, ne exprimas ipsum, sed spōte defluentē inijce. Si uero ubi paratū fuerit pharmacum & frigefactum, grumi in ipso fuerint, totum paulatim in mortarium transfundito, & dissolutis grumis reponito ac utitor. Alia liquida, ad ficosas eminentias, & omnem carnis extuberantiam, & ad carnis in angulis incrementum, & ad incipientes lippitudines. Misyos tosti drach. VIII. myrrhę drach. II. mellis quod satis est. Alia. Misyos tosti drach. VI. atramenti sutorij drach. IIII. myrrhę drach. IIII. mellis quod satis est. Oribasij liquida ad suppuratos ex ulceratione. Atramenti sutorij drach. VIII. croci drach. VIII. myrrhę drac. IIII. mellis lib. I. Alia liquida eiusdem. Mellis sextantem, opobalsami drach. II. succi cyrenaici sesquidrachmam, opoponacis sesquidrachmam. Ex eodem liquida Basi, ad suppuratos oculos. Croci, aloēs, myrrhæ, singulorum sesquiunciam, uini quadrantem, mellis sexuncem: Crocus teritur cum modico uino: Deinde aloē & myrrha, & ubi ad compagem redacta fuerint, inspissata melli adijciuntur, & unita reponuntur in uitreo uase. Vtere hoc bis illinens in die, aut si res urgeat, etiam ter, & oculum deliga. Repurgat, incarnat, cicatricem inducit, usque ad finem illita. In plerisq; uero post repurgationem, ad collyria transimus, & maximè id quod inscriptum est scutulare, capræ faciem præferens. Alia liquida experimēto cōstans. Succi uerbenacæ rectę, lycij indici, ęquales partes, hoc est, sing. unc. I. mellis tantūdē. Alia liquida ex adipe uiperę. Mirificè facit ad incipientes suffusiones, & hebetudines oculorum sanat. Succi rutæ, opobalsami, succi fœniculi, succi chelidoniæ circa sepes nascentis, adipis uiperæ in duplici uase eliquati, mellis non fumosi, singulorum æquas portiones simul mixtas per purum linteum excolato, & utere cōfidenter, ita ut aliquādo mellis sesquiunciam, & reliquorum unc. I. conijcias.

Collyria ex croco, & ex succis diuersa. Cap. C.

Collyrium ex croco ad initiū lippitudinū. Glaucij drach. XXIIII. sarcocollæ drach. XVI. croci drach. VIII. gummi drach. VIII. tragacanthæ drach. IIII. Arida omnia trita ac leuissima facta, tragacantha madefacta excipe. Aut sic prępara. Sarcocollam aqua terito, deinde glauciū cribratū adijcito, ac rursus terito. Deinde crocū siccum leuissimè tritum, & tragacanthā siccam in tenuissimū puluillū redactā, & gūmi similiter insperge, quo eadē die aut postera in collyria redigātur. Nam collyria diu in mortario manentia nigrescūt, & uires immutāt. Vtere aūt ipso, aquosum infundēs per ouū, lippitudine incipiēte. Incipiēte uero declinatione crassum instilla. Constāte autē declinatione fiēte, cū aqua illine. Aliud ex myrrha. Glaucij drac. XLVIII. sarcocollæ drach. XLVIII. croci drach. XXIIII. opij drach. VI. myrrhæ drac. VI. tragacāthæ drac. XLVIII. lapidis hæmatitę drac. VI. gūmi drach. XVI. Excipe aqua. Vsus est per ouū. Aliud Phosphorus appellatū, ad dolorē, & omnē inflammationē, & intētos humorū influxus. Glaucij drac. XXIIII. sarcocollę drac. VIII. croci dra. VIII. opij drach. VIII. myrrhæ drach. VIII. misyos usti drach. VIII. gummi drach. XII. Excipe aqua.

Aliud Euchron à colore bono dictū. Facit ad ea quæ Phosphorus. Cōmodat & asperis palpebris. Est & pueris cōmodū. Glaucij dra. LXIIII. sarcocollæ drach. XXXII. croci drach. XXIIII. opij drach. VI. myrrhæ drac. VI. hæmatitæ drach. VI. tragacanthæ drach. XVI. gūmi drac. XVI. Excipe aqua, & instilla in principio per ouū. Aliud dolorē eximēs ex succis ad omnē doloris uexationē. Somnū inducit cōfestim. Glaucij drach. XLVIII. sarcocollæ drach. XVI. croci drachm. VIII. opij drachm. IIII. Lycij indici drachm. IIII. succi rosarum drachm. IIII. succi mandragoræ drach. IIII. succi hyoscyami drac. IIII. succi cicutæ drachm. IIII. tragacanthæ drac. XVI. gummi drach. XLVIII. Excipe decocto meliloti. Componitur autem hoc modo. Accipe meliloti lib. I. aquæ pluuialis sextar. VI. Coquito ad tertias, & excola liquorem ad pharmaci pręparationem. Collyrium ex succo polygoni. Succi polygoni sexuncem, lycij indici drach. VI. aloēs drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. thuris drachm. IIII. opij drachm. III. acaciæ ni

græ primariæ drach. XII. Vini ueteris odorati quã tum satis est. Facit ad omnes in oculis affectiones, reprimit fluxiones, & sedat dolores. Amat autem balneũ. Quare ubi illeuisti, lauari iube. Facit & ad ulcera. Collyrium ex succo Rhamnij, ad chemoses & dolores, de quo quidam magnopere gloriantur. Aeris sextantem, cadmiæ sextantem, opij sextantem, aloës scrupu. XII. croci scrup. XII. acaciæ bessem, gũmi bessem, succi fructus rhamni lib. I. Aquæ quantũ satis est. Si uero abundas, succum fructus totum inijce, & gummi aqua macera. Collyrium è succo uerbenacæ, quod maximas humorum influxiones intra secundam illitionem exoluit. Croci drach. III. meliloti drach. VI. glaucij drach. XII. opij scrup. III. amyli drach. IIII. gummi drach. I. terito, & succum uerbenacæ rectæ affundito, efformatoq́ ac utitor. Est & alia efficax compositio, ut uix credi possit, facit ad lippitudinem, tumores laxos, & inflationes, omnemq́ humorum influxionem, & desperatas in oculis affectiones intra triduũ remouet. Croci drac. XIIII. amyli drach. XII. glauci drach. XVI. albuminis oui drachm. III. tragacanthi drachm. IIII. tere, & succum uerbenacæ rectæ affunde, efformaq́ ac utere. Collyrium ex succo fœniculi. Cadmię dodrantem, stibij bessem, misyos crudi sexuncem, omphacij sesquiunciam, chalcitidis unc. I. croci sesquidrachmam, folij unc. I. succi fœniculi bessem. Et rursus aliud fœniculum cum aqua pluuiali decoquito, & cum eo decocto prædicta terito ac efformato. Hoc multi præparatum habent.

Collyria unius diei, monohemera appellata. Cap. CI.

Collyria unius diei cum candido oui illita, plerũq́ statim ab initio lippitudines absq́ humorum multitudine factas curant. Reuera enim non parum sæpe hæc magnas inflammationes mitigauerũt, ut in uesperam quidem homo balneo usus sit, postera uero die collyrio nardino illitus fuerit ad instaurationẽ ac corroborationem. Ammiscetur autem ad nardinum in prima illitione, parum quiddam de acribus ac sistentibus appellatis collyrijs. In secunda uero illitione, paulò amplius quiddam de ijsdem. Sufficiunt enim duæ pharmaci adhibitiones, & deambulatiuncula aliqua non multa ante balneum, ad perfectam restitutionem. Collyria igitur unius diei, quæ priuatim feculenta nominantur, multam habent acaciam. Quædam uero aut omnino modicam, aut omnino non habent. Complectuntur autem in se, alia æris squamam, alia æs ustum modicum, cum multis alijs quæ moderatè adstringunt, & concoquunt ac discutiunt. Talia autem sunt, crocus, myrrha, lycium indicum. Sed & castorium ac thus citra adstrictionẽ concoquunt, simulq́ discutiunt. In quibus igitur adstringentia prędominantur, plurimum oui liquorem, & parum de pharmaco esse oportet, & præsertim si quid ex metallicis pharmacum in se complectatur. In quibus uero crocus, & myrrha, castoriumq́ ac thus, & lycium præualent, paulò crassiore pharmaco utendum est. Fomentum præterea omnino adhibendum est ipsis per spongiam, si quidem mediocris sit dolor, semel aut bis in die: Si uero uehementior dolor urgeat, præstat ter aut quater, & sæpius uti, in longis præsertim ęstiuis diebus. Fiat autem fomentum per meliloti ac fœnigræci decoctum. Oportet tamen horum collyriorum usum uitare, in quibus humorum multitudo in toto corpore adest. Nam monohemera quum sint facultate frigida, obstructionem corporum, & densationem meatuum faciunt. Si uero materię multitudo in oculis fuerit, ruptionis corniformis tunicæ causa fiunt. Nos autem in recentibus lippitudinibus, Theodotio Seueri illito ex aqua, & spõgia forinsecus oculo imposita ęgrum ab affectione liberauimus. Et plerunq́ balneo uti iubemus statim post primam illitionem. Cæterum Monohemera collyria hæc sunt. Collyrium Monomelum appellatum, eò quòd ex unica specilli inductione, inquit, curat. Est autẽ multi usus. Facit ad diuturnas ac ægre solubiles affectiones, & maximè in quibus etiam palpebræ exasperatæ sunt, per subiectionem illitum. Oportet autẽ post illitionem diu claudere oculum. Facit etiam ad confusiones oculorum, & ad staphylomata. Est etiam pueris commodum. Vtere cum aqua diluto in his qui mordacitatem ferre possunt, in alijs cum ouo. In omnibus autem per subiectionem palpebrę subline. Si uero uehemens fuerit inflammatio, cum ouo infunde. Habet hoc modo. Cadmiæ drach. XXIIII. æris drach. XII. chalcitidis tostę drach. XII. opij drac. XI. piperis grana XXIIII. mellis sesquiunciam, gummi drach. XXIIII. Excipe aqua. Mel postremũ adijcitur. Pelarium, quod in principijs aquosum cum aqua dilutum adhibetur. In uigore uero aquosum cum ouo. Ad diuturnas autem affectiones crassius cum ouo. Deinde sensim progressu facto, etiã aqua ad ouum ammiscetur. Ad finem uero ex aqua sola diluitur. In ulcerationibus tamen minus efficax est. Cadmię drac. XVI. cerusæ drac. XLVIII. acaciæ drac. XXIIII. opij drach. IIII. amyli, tragacanthæ, gummi singulorum drachm. XII. æris usti sesquidrachmam, mirrhæ drach. III. croci sesquidrach. Excipe aqua. Aliud pelarium Antoninus appellatũ. Cadmiæ drach. XXIIII. cerusæ drach. XXIIII. acaciæ, opij, singulorũ drach. XVIII. gummi, tragacanthæ, amyli, singulorum drach. IX. myrrhæ drach. III. æris usti sesquidrachmam. Excipe aqua. Hoc magis facit ad exulcerationes. Aliud pelarium, quod Comitem uiæ uocant. Cadmiæ quadrantem, cerusæ quincuncem, pompholygis quadrantem, opij sesquiunciam, acaciæ, myrrhæ, gummi, singulorum drac. VIII. tragacanthæ quadrãtem, amyli sexuncẽ, æris usti drac. IIII. croci drac. IIII. Excipe aqua. Est autem optimũ ad chemoses, & reliquas lippitudines etiam in uigore, & ad omnes ulcerationes in quibus densæ factæ sunt palpebræ. Repurgat enim & replet ac cicatricem inducit. Maximè uero hoc utor, si pro pompholyge, cadmia ter usta ammixta fuerit. Pelarium Edessenum: Tragacanthæ, gummi, acaciæ, amyli, sarcocollæ, singulorum drach. II. opij drach. IIII. cerusæ drachm. VIII. cadmiæ drach. XVI. Excipe aqua.

De collyrijs sistentibus. Seueri. Cap. CII.

Collyria quoq; quę sistentia appellantur, repulsoria sunt. Sistunt enim inordinatum fluxionis impetum. Et quædam ex ipsis Hermolai uocantur, quædam uero Hexacontarchia, ex eo, uelut puto, quòd uniuersus ipsorum apparatus sit sexaginta drachmarum. Quædam autem Hecatontarchia. Multæ uero sunt etiam horũ materiæ, ob quorũ copiam medicus

cus indignatus, uelut in pelago uertigine affectus, à scopo aberrat. Oportet igitur omniũ facultates discernere, & ad unũ finem horum efficacias adaptare. Nosse enim oportet quòd omnia sistentia collyria frigefaciũt & adstringũt, alia magis, alia minus. Sed & resiccant aliquo modo. Proinde ad calidiores lippitudines talia cõmodant, nõ tamen statim à principio, priusquàm cõcoctio apparuerit. Optimũ uero & admirandũ nobis uisum est: Album Seueri collyriũ, quod ex fœnigræci succo præparatur, & cadmia, & cerusa, ac tragacantha. Et quod post ipsum scriptũ habetur. At ubi ad concoctionem perducta est affectio, rursus ex multis sistentibus cõmodum reperimus Hecatontarchiũ, & adhuc magis ipso, id quod post ipsum scriptum habetur. Recipit autem Hecatontarchiũ: Aeris drach. XII. cadmiæ drac. XV. myrrhæ drach IIII. acaciæ drach. XXXII. opij drac. IIII. gũmi drach. XXXII. Quidam etiã croci drac. I. Excipe aqua. Hoc collyriũ aquosum ad illitionẽ assumptũ, ad complicatas affectiones cõmodum compertũ est, in quibus est inflammatio, & distentio, & fluoris influxio. Attenuat enim palpebras, & ipsarum densitates ac aspritudines exæquat, cum aqua illitũ. Sed & uisus hebetudines sistit, adstringens ac uelut exprimens incũbentes oculo humores. In his tamen qui subtili oculorũ sensu præditi sunt, cũ oui candido collyriũ diluere oportet. Si uero oui candidum desit, panem purũ non aridũ, neq; multi salis participem, aqua maceramus, & aquã excolatã ad illitionem accipimus. Sin minus, farinã purã madefacimus excolamusq; ac cremore utimur. Conuenit autem ut ne aceruatim auxiliorũ mutationes faciamus, neq; aliud illinamus, & aliud superillinamus. Oculus enim à peregrina innouatione magis perturbatus iniuria afficitur. Itaq; hecatõtarchio, uelut dictum est, utendũ est ad complicatas affectiones, ita ut aquosum ipsum faciamus in usu. Hic enim est admirãdus ipsius ductus. Est & aliud collyriũ sistens, ex eadẽ materia constans, sed dissonantiã solum in apponderatione habens. Excedit autẽ præcedens in sua actione. Vidimus enim operum ipsius euẽtum. Sed & hoc à uulgo medicorum ignoratur. Accipit autẽ, Aëris usti quadrantẽ, cadmiæ quadrãtẽ, opij, myrrhæ, singulorũ drach. IIII. acaciæ, gummi, singulorum septuncem & unciæ dimidium. Excipe aqua. Hoc collyrium inenarrabilem quandam uim habet, & tempestiue adhibitum, desperatas affectiones sanat, & graues dolores mitigat ac sedat. Tempus autem adhibitionis eius est, lippitudinis uigor, quando concoctio facta fuerit, & gramæ in oculo conspectæ, & uelut subcructum quiddam in oculo apparuerit. Siue enim chemosis fuerit id quod affligit, siue palpebrarum inflãmatio, cõgruum est ipsis hoc auxilium. Tantam enim quietem ex eius usu ægri consequuntur, ut quum antea diu uigilias tolerarint, statim ab illitione somnũ assequantur. Confidenter igitur ad pharmacum accurre, considerans num tenuis lacryma post collyrij illitionem defluat. Habebis enim & in hoc successus signum, si omnino non post illitionem lacryma defluat. In quibus enim ex prima illitione lacryma sistitur, sed inadstricti permanent, & uelut somnus succedit, in his statim sanitas expectanda est, ut non opus sit secunda illitione. Si uero adstrictio fiat in prima illitione, infundendum est ipsis oui candidum per se moderatè calefactum. Verum in secunda illitione aut tertia, ab eo symptomatis accidente liberabuntur. Primum enim oculus uelut re peregrina offensus, mordetur: Deinde uelut adsuetus, magis delectatur. Pruritus enim modicus ipsis oboritur cũ quadam uoluptate. Atque hoc est signum successus. Nã corpora in profundo liberata, causas ad superficiem propellunt. Præcipiendum est autem, ut quibus illitum est pharmacum, oculos ne aperiant ante collyrij concoctionem. Commoti enim meatus raresiũt, & collyrium ad profundum cõdescendens, mordacitatem inducit. Post concoctionem autem collyrij spõgias adhibere oportet, nõ magno facto fomẽto, & ipsũ collyriũ aquosius illinere. Distenditur enim palpebra in crassioribus illitionibus, ut ægre ferat æger, & palpebræ grauentur. In principio igitur cũ ouo illinatur aquosius dilutum. (At uero coactio eius fiat in feruida cote, calefactum enim crassius se ipso euadit). Nam sic adhibitũ in dolore admirãdũ collyrium compertũ est. Etenim ex hoc ductu etiam paruã in ipso apparẽtem adstrictionẽ penitus excludimus. In uigore uero itidem cũ aqua adhibeatur. In declinatione autẽ cum aqua, & sub palpebrã illinatur. Etiamsi enim densitas relicta fuerit, & hanc itidem sanat. Magnopere quoq; pueris confert. Curat enim etiã horum ardores. Possemus porrò plura auxilia recensendo, maiorẽ legentibus difficultatem parere, uerum quũ paruo labore susceperimus, imò potius experientia inuenerimus præscripta collyria, efficacias ipsorum simul cũ præparationis modo candide exposuimus. Collyriũ sistens ex oleo. Oribasij. Cadmiæ ustæ & lotæ drac. XL. æris usti & loti drac. VIII. opij, myrrhæ, singulorũ drach. X. acaciæ drach. centum, gummi drac. centum uiginti. Terito ex aqua, & ad excipiendum adijce olei omphacini quadrantẽ, & drac. III. Adhibetur in principio aquosum cum ouo. Aliud ex oleo, uelut expertus sum, facit ad principia lippitudinis, & fluxiones, & ueteres affectiones, & ad corrosas palpebras. Cadmiæ drachm. XXIIII. æris drachm. XXIIII. myrrhæ drachm. VI. opij drach. I. acaciæ, gummi, singulorũ drachm. XLVIII. olei omphacini sextantem. Terito cum aqua. Collyrium Scutulare appellatum, capræ faciem præferens, & sistendi uim habẽs, in principio quidem cum ouo crassum, & ad declinationes similiter. Ad uigores autem aquosum. Facit mirifice ad suppuratos oculos, & sordida ulcera paulatim repurgat, & dolorem euestigio eximit. Cadmię sesquiunciam, æris sesquiunciam, croci drachmas IIII. aloës bessem, lycij indici sextantem, acaciæ sexuncem, opij sesquiunciam, myrrhæ drachm. IIII. tragacanthæ unc. I. gummi sexuncem. Hermolaus paruus. Cadmiæ unc. I. croci drachm. IIII. myrrhæ drachm. IIII. aloës drachm. VIII. acaciæ drachm. VIII. gummi drachm. XX. Excipe aqua. Vtere hoc ammixto alijs collyrijs lenibus, & infunde in principio cum ouo. Hermolaus magnus. Facit ad prędicta multò melius. Cadmiæ bessem, spicæ nardi sesquiunciam, æris sesquiunciam, croci trientem, aloës bessem, lycij indici sextantem, acaciæ sexuncem, opij trientem, myrrhæ trientem, tragacanthę unc. I. gummi sexuncem. Excipe aqua. Collyrium Olympionici. Facit ad maximas doloris

uexationes,& chemoses, & in summa est ex collyrijs prosperi successus,statim enim liberat. Cadmiæ lotæ drachm. VIII. stibij loti drach. VIII. aloës drac. VIII. myrrhae drach. IIII. croci drach. IIII. opij drac. IIII. gummi drach. VIII. Excipe aqua. Vsus est cum ouo. Temperatura uero crassior fit. Ego pompholygis drachm. IIII. & thuris drachm. IIII. adijcio. Collyrium Ericerum Achariston appellatum, ab erica, & dignæ gratiæ desperatione. Facit ad maximas humorum influxiones. Ex huius usu in Aegypto successum sentiunt, præsertim in agrestioribus corporibus. Cadmiæ drachm. XVI. æris usti ac loti drachm. VIII. opij drach. IIII. seminis ericæ drach. IIII. acaciæ drach. VIII. myrrhae drach. IIII. gummi drach. XVI. Terito cum aqua & excipe. Vsus est cum lacte muliebri. Temperatura sit media. Vbi uero circa oculos affectio est, à collyrio abstinere oportet. Ego porrò hoc usus sum. Cadmię drachm. XVI. æris usti loti drachmas IIII. seminis ericæ drach. II. opij drac. II. myrrhae drachmã I. acaciæ drach. I. gummi drac. VIII. Excipe aqua. Vsus in principijs sit aquosus, & lauato. In declinationibus autẽ crassum cum ouo illine. Aliud Ericerum, quod cum magno labore accepi, uelut magnũ donum. Facit ad prædicta multò melius. Et ad asperas palpebras, & ad ipsorum debilitatem. Si non prius mercedem acceperis, ne illinas. Cadmiæ drach. VIII. æris usti drach. IIII. chalcitidis crudæ drach. VIII. aloës drach. VI. opij drach. IIII. croci drac. IIII. seminis ericæ drac. IIII. acaciæ drachm. XII. gũmi drach. XII. Excipe aqua. Aliud Ericerum celebre, quod appellatur fissum Achariston, eò quòd digna gratia ipsi rependi non potest. Facit ad fluxiones antiquas, & dolores maximos qui sunt citra ulceratione͂, ab initio usq; ad finem cũ aqua cohibet diuturnos fluxus in ulcerationibus aquosum cum ouo. Aspritudines autẽ attenuat cum aqua, & albugines deterit, & diuturnas uisus turbationes sanat: Et post sublata pterygia commodũ est. Attenuat enim pelliculas, & cicatrices planas efficit. Valde utile est in suffusis post perfunctione͂. Per lenem enim adstrictione͂, robur oculo addit. Est etiam pueris commodũ. Cadmiæ drach. XVI. æris drach. IIII. seminis ericę, opij, myrrhæ, singulorum drach. VIII. acaciæ drach. IIII. gummi drach. VIII. Huius equidem periculum ego non feci. Quæ uero de ipso dicta sunt, præstat id quod ipsum præcedit.

De lenibus collyrijs. Galeni. *Cap. CIII.*

Ex collyrijs lenibus appellatis quædam terreã essentiam habent citra frigiditatem aut caliditatem manifestã, in medio quodãmodo horum consistentia. Et ex his ipsis aliqua, modica frigiditate aut caliditate participãt. Aliqua uero omnino nullã talẽ uim præ se ferunt. Totũ itaq; genus ipsorum obstruendi uim habet, contrariam his quæ ab obturatione liberant. Qualis est Samius Aster appellatus, qui tenuiorum partium est quàm terra simpliciter samia nominata. Et pompholyx lota, & cinis ipsius lotus. Et cadmia usta ac lota. Huic autẽ parum quiddam facultatis extersoriæ adest, siue post ustionem, siue sine hac lauetur. Pompholyx autem & spodium modicam adstringendi uim habent, quemadmodũ etiam ustũ ac lotum plumbum. Est enim mordacitatis exors, habet autem & astrictionis quippiam. Est & amylum lene, & cerussa lota, uicina est facultati plumbi usti ac loti. Lene est item fœnigræci decoctum. Et quod in ouis est album ac tenue. Et lac boni succi in horum genere esse putandum est, itemq; gummi ac tragacantham. At stibium non lotum quidem, fortem adstringendi uim ostendit. lotum autem exoluitur, ut propè mordacitatis exors euadat. Alterum porrò genus est eorum quæ paruam habent mordacitatem, ex eo quòd ammixta sunt ipsis quædam ex modicè adstringentibus: qualia sunt rosæ & thus. quum modicam quidem adstrictionem habeant rosæ, & parũ de extersoria facultate ipsum thus. Quũ autem moderatè calidum sit thus, ob id quandam concoquendi ac dolores eximẽdi uim habet. Ex eodem uero genere cum ipso, in concoquendo ac moderatè discutiendo, putandus est crocus, & myrrha, quæ inter se differunt, eò quòd crocus moderatè adstringit, myrrha uero citra adstrictione͂ discutit, & humiditates non instrenuè resiccat. Adhibentur igitur à medicis lenissima ad affectiones ægrius curabiles, in quibus ulcus est aut solum, aut cum tunicæ corniformis corrosione, & uuiformis prolapsu, sanie mordacissima effluente. In his enim nullum aliud pharmacum conuenire uidetur. Quum adstringentia quidem effluentem saniem detineant, & propter hoc ex mordacitate dolorem augeant. Acria uero affectionem intendant. Laxatoriorum autem ac discussoriorum pharmacorũ facultas, euacuare quidem potest quod generatur: neq; autem ulceratum renutrire, aut cicatricem inducere, neque quod prolapsum est reprimere ac concludere. Quemadmodũ neq; concoctoriorum facultas, etiamsi concoquere affectiones non parum possit. Quid uero dicere amplius opus est de pharmacis acidas aut amaras uires habentibus, quòd huiusmodi affectiones mordent ac exacerbant? Ad maiorem autem malignitatem procedunt, quæ nitrosam ac salsam uim habẽt. Ad has igitur affectiones conuenire uidetur relatorum lenium pharmacorum genus, quod citra mordacitatem curare potest ulcera cũ acri fluxione, per multum tempus uitiatos humores in affecta parte consumens ac resiccãs, qui sanè uitiati humores bonum sanguinem locis influentem corrumpunt. Vocãtur autem talia collyria à Medicis Libyana & Cygni, adhibẽtque ipsa oculis trita cum lacte mulieris boni succi, eò quòd uitare cupiunt obstructoriam uim ouorum. Quum enim serosa quædã extersoria pars in lacte contineatur, usus ipsius congruus fit ad propositam curationem. Vlcera enim quæ impletione indigent, extersorijs citra mordacitatem opus habent. Si uero non affuerit tale lac, per fœnigræci decoctum talia collyria terere præstat, quum etiam ipsum aliquam extersoriã uim habeat. Proinde quæ spodiaca ac tephrica collyria, à cinere & spodio appellantur, communem habent uim leniendi ac frigefaciendi, & moderatè mordacitatis exortem.

De lenibus ac albis collyrijs. *Cap. CIIII.*

Aliud porrò est album collyrium, quod multos latet, ob præparationis utilitatem, putatúmque est à plerisq; hoc nihil posse. Magnã uero ex hoc utilitatem percepi ad propositam affectionem. Egregiè itaq; facit ad omnem calidam lippitudinem. Efficax est etiã ad pruriginosas ac corrosas palpebras. Nos enim sępe multis perpetratis in tali intẽperie, nullũ successum habuimus, serò autẽ aliquando huius copiam adepti

adepti, magnam uim cōperimus in ipso, in ægrè curabili ac ferè incurabili affectione. In tantū enim mitigatus est æger, ut ex deo esse collyrium diceret. Sed & ad suppuratos oculos eximiè facit. Resiccat enim humorē ipsorum citra mordacitatem in breui tempore, & oculum inperturbatum conseruat. Curat etiam compēdiò rubores sub paruis angulis in albo oculi fientes. Adest autem ipsis iuxta medium, uelut pustula quædam, à qua etiam totus rubor cōtingit. In prædictis igitur affectionibus, inter quas etiā ulcerationē posuimus, eximiè facit, ut neq; fœnograeco opus habeamus. Nam & hoc in collyrij compositionem recipitur. Vtimur autē ipso aliàs aliter, in doloris uexatione, cum oui cādido: sic enim ipsum statim mitigat. In quibus autē dolor non præualet, palpebræ uero crassefactæ sunt, etiam cum aqua infundimus. Aliquādo etiā illinimus. Et in summa ad omne lippitudinis principiū, reliquam collyriorū materiam superfluam ducimus. Excedit enim ui sua omnia eiusdē generis. Est enim lenius ac doloris magis mitigatiuū quàm alia: alia enim opium recipientia & amylū, & quandoq; etiā myrrham, adstrictionem aliquā inducunt. Hoc autem collyriū ab his liberum est, nam croceū excedit in efficacia, & ad feruores ac ardores palpebrarū facit. Et ad solis æstus. Sed & tenues ac acres fluxiones obtūdit cum aqua illitum, aliquando & cū rosarum decocto. Et glaucos oculos habentes, & eos qui prominentē habent crystallini humoris sitū, bene illustrat aquosum infusum. Et in quibus oculorum natura nō fert adstrictionē, his omnibus optimū est auxilium. Compositio autē collyrij hæc est. Cerusæ lib. I. cadmiæ semissem, tragacāthæ quadrantē. Præparatur hoc modo: Cadmiā racemosam prunis ignitis obruimus, & flāmā uentilando excitamus. Et ubi ignita fuerit cadmia, ablatā lacte asinino extinguimus. Deinde rursus prunis ipsam obruimus, & ignitam rursus lacte extinguimus. Et tertio idē facimus. Deinde tūdimus & angusto cribro excernimus, & in profundū quoddā mortariū coniectā, aqua fontana pura affusa terimus. Et postea desidere sinētes, per aquæ fusoriū instrumentū, aquā unà cū superstāte concretione extrahimus, & rursus aliam puram aquam infundimus, & ubi satis cōtriuimus, & rursus desidere siuimus, rursus aquā per idē instrumētum extrahimus. Et hoc sæpe facimus, donec non amplius concretio aquæ superstat. Postea uero cadmiam exactè siccamus, & semissem siue sexuncem apponderamus, ipsamq; in mortarium collyriacum cōiectam, aqua pluuiali purissima affusa, exactissimè terimus, ut nulla asperitas linguæ occurrat. Atq; sic ad cerussam prædicto modo ablutam, cadmiā adijcimus, & ipsa ad dies XV. cū aqua pluuiali cōterimus. Et tunc tragacātham albā ac lucidissimam accipimus, eamq; lotam, & reiecto quod in ipsa est arenoso, in fœnigræci decocto maceramus, & per diem ac noctē solum macerari sinimus. Plurimum autem inijcere oportet de fœnigræci succo, præparato uelut dictum est in principio huius Sermonis capite decimo quinto. Nam à tragacātha, uelut à spongia, absorbetur. Postera igitur die in mortario puro paulatim tragacantham læuigamus, & alia prius trita in mortariū adijcimus, & probè per mixta patinis uitreis excipimus, & tenui linteo contecta, in locum humiditatis exortē, ubi uentus spirat, reponimus. Dehiscit enim collyrium, & efformationem moratur, si in humido depositum fuerit loco. Non enim tantum temporis postulat ad contritionem, quantū ad efformationem. Est itaq; hæc collyrij præparatio. Et poteris ex hac methodo, ad eiusdem generis materias trāsire. Talia autē sunt libyana, & tephra ac spodiaca appellata, itemq; cygnaria, & alba quæ ex rosis, & quæ ex coriandri succo præparantur. Quibus omnibus præferendum compertū est propositū collyrium. Optimum uero experientia iudicatū est & hoc, Cadmiæ ustæ ac lotæ uelut dictum est trientē, cerusæ similiter lotæ unc. XVI. amyli recentis unc. XVI. opij drac. IIII. tragacanthę trientē: reliqua cum aqua terito. Tragacantham autem fœnigræci succo diligēter uelut dictū est præparatā, macerato. Amylum uero neq; acidū sit, neq; graueolēs. Aliud, Nilamnon appellatū, tenerum, dolorē eximens, stupefactiuū, ex genere cygnariorum. Facit & ad ulcerationes, post primū uigorē dolore præsente crassum illitum. Cerussę lotæ sexuncem, cadmiæ ustæ & lotæ trientē, pompholygis per linteum lotæ sextantē, opij sextātem, tragacanthę sextantem, gummi sextātem. Excipe aqua. Aliud collyriū Asclepiadæ dolorem eximens, facit ad fluxionē omnis generis, ulcera, doloris uexationes, pustulas, prolapsus, chemoses, affectiones omnis generis. Cerusę lotę dra. VIII. terræ samiæ drachm. VIII. cineris pompholygis lotæ drac. II. tragacanthæ drac. II. opij drach. II. gummi drach. IIII. Excipe aqua. Vsus est cum ouo. Aliud Athanasia appellatū. Cadmiæ ustę & lacte asinino extinctæ, ac lotæ lib. I. opij quadrantē, cerussæ lib. I. succi mandragoræ lib. I. amyli ordeacei libr. I. Tere cum aqua, & ad efformationē adijce ouorū recentiū albumina, quantū satis est. Collyriū, Cignus reginę, ad maximos dolores ac affectiones: Cadmię lotæ drac. XVI. cerussę lotæ drach. VIII. acaciæ flauę drach. II. opij flaui drac. II. tragacāthæ drac. II. gūmi albi drach. II. amyli drac. II. Terito cū aqua. Et amylum postremū insperge. Nā si morā traxerit in mortario, acescit, & collyriū acre facit. Ad excipiendum uero adijce ouorū recentiū quatuor candidū. Collyriū Bolæ. mitigat & cōcoquit omnē inflāmationē. Cerusæ tostę drac. XXXII. croci drac. III. opij drachmas quatuor, amyli recentis drac. VIII. gūmi drach. XXXII. Excipe aqua. Aliud collyrium ex spuma argenti quod Augustū uocant. Spumæ argēti ustæ ac lotæ sextantē, pompholygis lotæ unc. I. cadmiæ ustæ ac lotæ sextantem, amyli sextantē, gummi sextantem, tragacanthæ unc. I. Excipe aqua. Hoc maximè & dolores eximit, & fluxiones intercipit, & oculum imperturbatum seruat.

Collyria libyana, & tephra, ac spodiaca. Cap. CV.

Collyriū libyanum Asclepiadæ. Ad pustulas, epicaumata, ruptiones, cœlomata, oculos suppuratos, chemoses, staphylomata, doloris uexatiōes, & affectiones. Deterit etiā cicatrices. Cadmię ustę ac lotæ drac. XVI. cerussæ ustę ac lotę drac. XVI. stibij usti ac loti drac. XII. amyli drac. XII. cineris pōpholygis drach. VIII. plumbi usti ac loti drac. VIII. tragacanthę drac. VIII. opij drach. II. gūmi drac. VI. Et ad excipiendū ouorū cādida VIII. Oribasij inexuperabile, collyriū inquit, Philumeni tenerū libyanū, ad suppuratos oculos, in uigore, ulcera, dolores, chemoses. Cadmię, cerussę, pompholygis singulorum drach. XVI. stibij drach. duodecim, amyli drac. XII. plumbi usti,

terræ

terræ Samiæ, tragacanthæ, singulorũ drachm. VIII. gummi drach. VI. myrrhæ drac. II. opij drac. II. Excipe aqua. Vsus est cũ lacte muliebri, aut cum ouo. Aliud lybianũ Oribasij. Ad principia, & ulcerationes. Cadmiæ ustę & lotæ drach. XII. amyli dra. XII. plũbi usti & loti dra. VIII. cerusæ lotæ dra. VIII. tragacanthæ drac. XVI. gũmi drach. XIIII. stibij usti ac loti drac. XII. terræ Samiæ, pompholygis lotæ, singulorũ drac. VIII. myrrhæ drach. II. opij drachm. II. Excipe aqua. Aliud collyrium, Aster Magni, quod præparari solet. Cadmiæ lotæ drac. XXXII. plumbi usti ac loti drach. XXXVI. cerusæ lotæ drach. XXXII. stibij usti ac loti drach. XXIIII. pompholygis lotæ drach. XXXII. thuris dra. VIII. terræ quæ Aster appellatur drach. VIII. myrrhæ, opij, singulorũ drac. IIII. tragacãthę, gummi, singulorũ drac. XVI. amyli drac. XXXVI. Excipe aqua. Asclepiadæ, aster inexuperabilis, dolorem eximens. Facit ad doloris uexationes, pustulas, staphylomata, ulcera sordida & serpẽtia, facit ad inueteratas affectiones. Et cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ ac lotæ drachm. XVI. stibij usti drach. XII. cineris pompholygis lotæ drach. VIII. myrrhæ drac. II. opij drac. II. tragacãthæ drac. VIII. gummi drach. VI. Excipe aqua. Aliud collyrium Vranium, uelut Oribasius habet, ad ulcera, pustulas, ruptiones, inustiones, prolapsus, staphylomata, oculos suppuratos, corrosiones, nomas, carbunculos, & ad omnes magnas affectiones. Maximè conuenit ad ruborẽ ac glaucedinẽ oculorũ. In principijs aquosius infunditur. Quum autem tenuis fuerit & mordax & feruida fluxio, utere cũ lacte. Vbi uero crassam fluxionẽ dissoluere uolueris, cũ aqua. Cadmiæ ustę ac lotæ sextãtẽ, squamæ æris lotæ trientẽ, terræ Samiæ ustæ ac lotæ sextantẽ, cineris pompholygis lotę unc. I. opij drach. VI. gummi trientẽ, stibij loti sextantẽ. Excipe aqua, & utere cõfidenter. Collyriũ Spodiacum Demosthenis. Facit ad inflammationes & fluxiones, cadmiæ drac. XXIIII. stibij loti drac. VII. cerusæ lotæ drachm. XXIIII. terræ Asteris drac. VI. thuris drac. IIII. opij drach. VI. gũmi drach. V. Terito cũ succo foliorũ oleæ. Succum autẽ sic facito. Tenera oleæ folia lauato, deinde in pila tundito moderata aqua affusa, ut sufficientem succũ remittant, deinde exprimito, & per linteũ purũ excolato, ac utitor. Aliud Spodiacũ admirandũ, tenerum, faciens ad fluxiones & epiphoras humorũ impetuosas, ulcera, inustiones, pustulas. Cadmiæ ustæ ac lotæ drac. VIII. stibij usti ac loti drach. II. terræ Asteris drac. IIII. opij dra. II. gũmi dra. II. Excipe aqua. Collyriũ Tephron, inspissat ac adglutinat tenues fluxiones uelut præcedẽs. Optimũ uero est hoc ad calidas fluxiones. Cadmiæ ustæ ac lotę dra. XXV. stibij loti drac. VIII. terræ Samiæ dra. VI. cerussę drac. VI. opij dra. V. gũmi dra. VIII. ouorũ recentiũ albumina sex. Excipe aqua. Collyriũ Philagrij penitus lene. Obfuscat enim fluxionũ mordacitatẽ. Quapropter confidẽter ipso utendũ est in acribus ac tenuibus fluxionibus. Obtundit enim has & resiccat. Hoc Syricum aut Sandycẽ appellãt. Pompholygis lotæ dra. XXV. cerussæ ustæ ac lotę drac. XXV. terræ Asteris, plũbi usti ac loti, singul. dra. XXV. gũmi albi dra. XL. aquę pluuialis purissimæ nõ olentis quod satis est, Singula seorsim usta lota, siccata, ponderata, adijcito ac terito. Et in fine gũmi addito, deinde amylũ. Aliud eiusdẽ, ad ulcerũ repletionẽ, præsertim malignorũ. Cadmiæ ustæ ac lotæ drachm. XXV. pompholygis lotæ drach. XXV. tragacanthæ drac. X. Excipe aqua.

Collyria ex thure. Cap. CVI.

Collyriũ ex thure ad fluxiones, & chemoses, & caua ulcera. Cadmiæ drach. VIII. thuris drac. VIII. cerussæ drac. XL. opij dra. VI. terræ Asteris drac. VI. gũmi dra. VI. Excipe aqua. Vsus est cũ ouo. Aliud Delicatũ inscriptum. Ad inustiones, pustulas, chemoses, præsertim in his qui nullã omnino mordacitatẽ ferre possunt. Cadmiæ lotæ dra. VIII. cerusæ lotæ dra. XLVIII. thuris drac. VIII. opij drach. VI. amyli drac. VIII. gũmi drac. XVI. Excipe aqua. Vsus est cũ ouo.

Collyrium Cleonis. Cap. CVII.

Collyriũ Cleonis, uelut Demosthenes haber, ad ulcera pura & iam cicatrice indigentia, ex cuius usu nos ualde laudati sumus. Nam profundissima ulcera & pura celerrimè replet, & compẽdiò ad cicatricẽ perducit, tenuibus & obscuris cicatricibus relictis, & ulcera absq; inflãmatione conseruat. Habet hoc modo. Spodij loti drach. IIII. plũbi usti ac loti dra. IIII. squamę ferri stomomatis lotæ drach. I. gũmi dra. II. Excipe aqua. Et utere cum lacte aut ouo. Vtimur autem ipso, inquit Apollonius, in profundiore ulceratione, cũ cremore tragacãthæ aquoso. Quidã croci sesquidrachmã inijciunt, & pro spodio pompholygis, cadmiã ter ustã accipiũt. Est autem lene quidem & mordacitatis exors, uerũ graue. Quare nunquam crasso ipso utendum est, sed aquoso.

Collyria ex rosis uiridia, ac alba Cap. CVIII.

Collyrium Nili ex rosis, ad dolores, fluxionẽ tenuem ac multam, pustulas, prolapsus, & ulcera sordida, & palpebras asperas. Rosarũ uiridiũ resectis unguibus drac. XXIIII. croci corycij dra. XII. opij drach. I. spicę nardi dra. I. gũmi drach. VI. Excipe aqua. Vsus est cum ouo. Temperatura sit liquosissima. Quidam etiam ad confusiones & pupillæ dilatationem ipso utuntur. Collyrium ex rosis Diagoræ, quod Magnũ appellatur, aut uiride ex septuaginta duab. rosarum drachmis. Ad chemoses, & doloris uexationes, pustulas, epicaumata, siue inustiones, staphylomata, prolapsus, oculos suppuratos, fluxiones antiquas, lippitudines inueteratas, & affectiones ægrè curabiles. Rosarum uiridiũ exunguiũ drac. LXXII. cadmiæ lotæ dra. XXIIII. croci dra. VI. stibij dra. VI. æruginis drach. II. spicæ nardi drac. II. opij drac. III. myrrhæ drac. III. gũmi drach. XXIIII. squamæ æris drach. II. Excipe aqua. Collyrium quo usus est Florus in Drusi matre, quæ parũ abfuit ut ab alijs Medicis excæcata fuisset. Acaciæ drach. XLVIII. rosarum siccarum drach. XLVIII. meliloti drac. XLVIII. spodij põpholygis drac. XXIIII. croci drac. XXIIII. malorum mandragorę drach. XII. seminis hyoscyami drach. VI. opij drachm. VI. myrrhæ drachm. IIII. æris usti drachm. IIII. gummi drachm. XL. Vini falerni heminas III. aquæ pluuiæ heminas III. Aquam & uinum misceto. Et in hæc rosas, melilotum, hyoscyami semen, & mandragoræ mala, aut si hæc non adsint, corticem inijcito, & ad triduum macerari sinito. Deinde expresso liquore ad pharmaci compositionem utitor. Vtere hoc uelut probatissimo. Aliud Philagrij ex rosis, ad inflammationes congruum, si suprà relato leni Philagrij collyrio fuerit ammixtũ. Rosarum uiridium.

exunguium

exunguium drachm. LXXX. æris usti drach. XXXII. Tere cum uino odorato ueteri astringente, & utere. Collyrium album ex rosis nostrum inquit Oribasius, ad uigores & ulcera, & oculos suppuratos, inustiones crustas, & ulcerũ sordes. Cadmiæ ustæ ac lotæ, stibij usti ac loti, rosarum recentiũ exunguiũ, singulorum drac. XVI. cerusæ lotæ drac. VIII. croci drach. VIII. opij drac. IIII. gummi drac. XVI. Excipe aqua. Vsus est cum ouo aut lacte. In declinatione cum aqua. Aliud eiusdem. Facit ad uigores. Cadmiæ ustæ ac lotæ, drachm. XVI. rosarum recentium exunguium drachm. VIII. opij drachm. IIII. lactis drach. IIII. gummi drach. IIII. tragacanthæ drach. III. amyli drachm. IIII. Aliqui etiam samij Asteris drachm. II. Collyrium ex rosis album, quod cum hyoscyami succo præparatur. Cerusæ uncias XXV. croci quincuncem, opij librã I. myrrhæ quincuncem, rosarum uiridium exunguium lib. I. cadmiæ ustæ ac lotæ bessem, gummi librã I. Cadmiam, crocum, rosas cum aqua terito. Deinde cerusam adijcito. Succos autem & gummi, in hyoscyami succo macerato, & efformato. Vtere ad tenuissimas ac acres fluxiones, & in his quæ sunt cum ulceratione: generose repellit. Collyrium uiride ex galbano. Ad doloris uexationes & affectiones ueteres. Cadmiæ lotæ drach. VIII. spodij loti drach. VIII. æris usti ac loti drach. VIII. opij drach. VIII. galbani drach. VIII. myrrhę drach. VIII. gummi drac. VIII. Excipe aqua. Quidam spodium non adijciunt.

Collyria diasmyrna, & chiaca appellata ex uino. Cap. CIX.

Collyrium diasmyrnum odoratum Synerotis, pharmacum accõmodatũ ad inueteratas affectiones. Facit & ad rhoeadas, hoc est, angulos antrosos, siue carnis in angulo magno decremẽtum, & ad ægilopas. Cadmiæ lotæ drach. XXVIII. lapidis hæmatitæ loti drach. XXVIII. spodij pompholygis drach. XXIIII. myrrhæ drachm. XLVIII. croci drachm. XIIII. opij drachm. VIII. piperis grana XXX. gummi drachm. VI. Terito cum uino ueteri adstringente. Vsus est cũ ouo in recentibus affectionibus. Temperatura sit aquosa. Aliud Asclepiadeũ Paccij. Ad doloris uexationes, fluxũ tenuem & multũ, inustiones, pustulas, pellicularum eminẽtias, aspritudines, diuturnas affectiones, & eos qui à multis illitionibus læsi sunt, cõfestim opitulatur. Cadmiæ lotæ dra. XII. Aeris usti drac. XII. croci drac. XII. squamæ æris lotæ drach. XII. myrrhæ drac. IIII. lapidis hæmatitæ drac. IIII. spicæ nardi drach. IIII. piperis grana XXIIII. rosarũ siccarum drachm. IIII. opij drach. IIII. gummi dra. XII. Terito cum uino ueteri odorato adstringente. Vsus est cum ouo. Temperatura uero aquosa. Collyrium Isophoton, hoc est, uiro par, ab aliquibus autem Isotheon, hoc est, deo par appellatum. Facit ad oculos suppuratos, & ulcera impura, ac caua, & fluxionum principia, præsertim in corporibus repletis, in quibus gramarum copia crassissimarum in oculis reperitur. Est & pueris commodum, & ad aspritudines bonum. Cadmiæ drach. VIII. æris usti drach. IIII. rosarum siccarum drach. IIII. croci drac. I. folij drach. I. lapidis scissi drach. I. myrrhæ drach. I. gummi drach. VI. Tere cum uino uetere odorato adstringente, & utere in omnibus prędictis cũ ouo aquosius per se infundens. Post perfectam uero restitutionem cum ouo dilutum illine per subiectionẽ, & lauato. Si uero adstringantur post illitionem, cãdidum oui infunde. Verum ad attenuandas cicatrices, cũ ouo aquosius illine. Quidã etiam piperis grana nouem scripturæ adijciunt. Nos autem in his piper reijcimus. Collyriũ Dionysius. Facit ad myocephala, aspritudines, fluxiones, hebetudines. Maximè autẽ facit ad fluxiones inueteratas. Cadmię dra. XIII. æris drach. V. lapidis scissi drachm. III. lapidis hæmatitæ drach. IIII. casiæ drac. I. aloës drac. II. croci drac. II. spicæ nardi drac. III. folij drachm. II. lycij drac. I. piperis grana XXI. opij drac. I. myrrhæ drac. IIII. acaciæ drac. II. gummi drac. VI. Tere cum uino Chio, aut alio austero ueteri, & utere uelut efficacissimo, etiam ad oculos purulentos, & aspritudines, in principijs cũ ouo, deinde cum aqua. Efficacia eius superat omnem pollicitationẽ. Collyriũ Chiacum. Ex Demosthene, inquit Apollonius, & ad pura ulcera & proserpentia, & eminentias, & ueteres affectiones, asperas palpebras, sycoses, euersiones, clauos, staphylomata, omnes doloris uexationes, lippitudines scabras. Facit etiam cicatrices obscuras, & recentes ac crassas cicatrices attenuat. Oportet autem modò crassum, modo medium, modò aquosissimũ sublinere. Et quandoq; ex interuallis, quãdoq; assiduè. Facit ad carbunculos & suppurationes: pus enim percolat. Et in summa ad omnia oculorũ uitia optimũ est. Spodij drac. III. æris usti drach. II. croci drac. I. myrrhę obol. IIII. opij tantundẽ, piperis grana XII. gũmi dra. I. Terito cũ uino Chio, aut alio austero uetere. Aliud Chiacũ Oribasij. Ad staphylomata & oculos purulentos, ulcera pura & sordida, & ad antiquas affectiones. Cadmiæ, rubricæ sinopicæ, gallæ omphacitidis, croci, rosarũ recentiũ exunguium, gummi, singulorũ quadrantẽ, opij unc. I. Tere cũ uino chio, aut alio austero uetere maris exorte. In principijs ad cygnariũ aut pelariũ quoddã miscetur. Cicatricẽ quoq; optimè inducit cũ aliquo horũ, & per se. Fuscũ nostrum inquit Oribasius. Ad oculos purulẽtos, & magnas affectiones, & omnẽ ulceratiõnẽ, pręsertim diuturnã: Rosarũ exũguium sextãtẽ, cadmię teneræ dra. XXIIII. cerusę drac. XVI. opij drac. XXIIII. æruginis dra. XII. æris dra. I. seminis ericæ drac. XII. stibij drac. VIII. myrrhæ drac. VI. spicę nardi drac. IIII. croci drac. IIII. acacię dra. IIII. nitri drac. IIII. lycij dra. IIII. aluminis scissi drac. III. chalcitidis ustæ dra. III. castorij drach. III. omphacij dra. II. gũmi drach. XXXIIII. Terito cũ uino austero ueteri odorato, & utere aquoso, per fœnigræci succũ, aut ouũ diluto. In progressu uero crassius adhibe. Collyriũ Aromaticũ, ex Demosthene. Ad inflãmationes ex humorũ crassorũ multitudineobortas. Attenuat breui ac diffundit, & discutit humores. Facit & ad impura ulcera. Pompholygis drach. I. æris usti drac. II. myrrhæ drac. III. lapidis hæmatitæ dra. IIII. opij drachm. IIII. piperis grana XVIII. croci drach. II. gummi drac. III. Tere cum uino chio, aut alio austero. Collyrium Scylacium inscriptũ, ex semine hyoscyami. Facit ad chemoses, & affectiones fluidas diuturnas omnigenas. Facit etiã ad staphylomata, & repellit fluxiones. Primũ cum ouo aquosum, deinde etiã solidum illitũ cum ouo. Cadmiæ, æris usti, lapidis hęmatitę, chalcitidis ustę, singulorũ quadrantẽ, misyos sesquiunciã, ammoniaci thymiamatis

matis sesquiunciam, myrrhæ sesquiunciam, opij sesquiunciā, hyoscyami seminis unciā unam, aloës sexuncem, gummi sexuncem. Tere cū uino austero. Aliud collyriū mirificè faciēs ad myocephala. Consumit etiā pterygia, & carnis in angulo magno incrementū deterit, itē cicatrices. Est & ad aspritudines cōmodum. Cadmiæ unc. I. æris usti unc. I. chalcitidis crudę unc. I. æruginis rasæ drac. IIII. myrrhæ sesquidrachmā, croci drac. II. salis ammoniaci drac. I. gummi drach. IIII. Terito cū uino austero. Collyrium Philagrij, de quo ita scribit: Tertium ab his est meum collyriū, quod appellamus Præseruatiuū, repellens in principio fluxiones, & roborare potēs debiles & læsioni obnoxios oculos. Quare non solum in principijs lippitudinis, sed etiā sanis, præseruationis gratia ipsum adhibere oportet. Cytinorū, hoc est, florū mali punicæ, qui floribus anemones similes sunt, drac. XXV. acaciæ flauæ dra. XXXV. glaucij drac. XVI. aloës drach. V. myrrhæ troglitidis dra. III. atramēti Indici drac. VII. folij malabathri drach. I. omphacij sicci drac. III. gūmi drac. V. opobalsami ad excipiendū drac. V. Terito cū uino uetere austero. Collyriū ex Bdellio & Styrace concoctorium. Philagrij. Cuius multā experientiā habeo, non solū probè concoquētis, sed etiā læsiones ex frigore obortas citra inflāmationem sanantis. Bdellij drac. VI. thuris masculi drachmas X. myrrhæ drach. X. sarcocollæ drach. V. castorij drac. II. galbani drachmas V. styracis drac. V. croci drac. V. lycij drac. II. ammoniaci thymiamatis drac. II. gūmi drac. II. Excipe aqua.

Collyria ad aspritudines, & extersoria. Cap. CX.

Collyrium ad aspritudines Phœnix appellatus. Facit & ad milphos, & diuturnas affectiones, & ad eos qui palpebras & angulos exacerbatos habent. Lapidis hęmatitæ usti ac loti drac. XXXII. æris usti ac loti drac. XVI. lapidis scissi usti ac loti drac. XVI. æruginis drachmas sedecim. Cadmiæ racemosæ drachm. IIII. opij drachmas sex, chalcitidis tostæ drachmas quatuor, gummi drachmas XVI. Excipe aqua. Collyrium ad aspritudines Mono inscriptū. Lapidis hæmatitæ sexuncē, lapidis scissi sexuncē, æris usti quadrantem. Cadmiæ lib. I. æruginis rasæ quadrātem, chalcitidis tostæ unciā unam, opij sextantem, gummi sextantem. Excipe aqua. Est & pueris commodissimum. Collyrium Theophiliū, ad pueros mirificum, & aspritudinibus cōmodum. Cadmiæ lib. I. æris unc. XIIII. æruginis quadrantē, opij lib. I. gummi lib. I. Excipe aqua. Vsus est cū ouo in principio aquosi. In declinatione uero cum ouo crassius illinito. Aliud collyriū, Xyster à deradendo appellatum. Facit ad albugines. Cicatrices attenuat, & oculum imperturbatū conseruat. Ammoniaci thymiamatis, minij sinopici, singulorū quadrantē, cerussæ, gummi, singulorū sextantem, pumicis tosti unciam unā, excipe aqua. Collyriū aliud ad aspritudines. Facit ad milphoses, ulcera, fossulas, ualde uetusta uulnera, staphylomata, myocephala. Lapidis hæmatitæ trientē, lapidis scisi trientē, æris usti triētē, cadmiæ sextantē, æruginis sextātē, chalcitidis ustæ unc. I. opij triētem. Rosas uirides si affuerint, sin minus, siccas, per diē ac noctē aqua macerato, & cū expresso ac excolato cremore terito. Aliud collyrium Xyster appellatum, celebre ad aspritudines. Pumicis usti, ostreorū ustorum, misyos usti, gummi æquales portiones aqua excipe. Collyrium ad aspritudines Euronum, ab efficaciæ pertinacia uocatum. Ex Oribasio. Aeris usti drachm. XXIIII. cadmiæ drach. XXIIII. æruginis drac. II. croci drach. III. opij drac. III. myrrhæ drac. III. gummi drachmas nouem. Excipe aqua. Egregiè facit ad asperas palpebras ac callosas, lippitudines scabras, euersiones, fluxus diuturnos, citra ulcerationē, ammixto cygnario, aut collyrio ex croco, facit ad uigores. Sit autem quod ammiscetur decima ipsius pars. In summa palpebras euertere nō est opus, sed simpliciter illinere. Hoc alij Harmation, id est, currum. Alij opisthobares, à grauitate. Nos autem Euronū uocamus. Aliud eiusdem, collyriū extersorium, inquit, Gryali, ad aspritudines ex duobus lapidibus. Hęmatitę lapidis dra. XVIII. scisi lapidis drach. XVIII. æris usti drach. IX. cadmiæ drac. IX. æruginis drach. IX. chalcitidis ustæ drac. III. opij drac. VI. gūmi drac. IX. Tere cum aqua & illine donec tolerarit æger, nō confricans palpebras, neq subijciēs specillū, sed per specilli nucleum explens oculum. Aliud eiusdē, ad multas affectiones. Chalcitidis drac. XXVII. cadmiæ drac. XXII. æris usti drach. XVI. lapidis hæmatitæ drac. XIII. croci drac. XVI. misyos drac. XVI. myrrhæ drachmas sedecim, opij dra. XIII. gūmi dra. XIIII. Tere cū uino uetere. Collyrium ex oleę folijs. Facit ad diuturnas fluxiones. Deprimit etiā aspritudines, & oculū corroborat. Syrici sexuncē, æris quadrantē, opij trientem, gummi drac. VIII. Foliorū oleæ tenerorū à fibris depuratorū drac. VIII. Cum uino spathite teruntur folia exactè fibris exemptis, ita ut per se in mortario biduū probè teras, uinum paulatim irrorans. Quum autē leuissima facta fuerint, ęs adijcito, & simul diu terito, & sic uinū affundito. Si enim ab initio infusum fuerit uinū, folia innatātia incontrita permanent. Contrito autē ære, syricū adijce, deinde opium, postea gūmi, & efforma, ac utere ab initio infundēs. In declinatione uero etiā illinens. Ego uero, uelut Demosthenes iubet, folia in mortario mitto, ac cōtundo, uino sufficiente paulatim instillato, exprimoq ac excolo, & cum uino excolato reliqua tero, retrimento foliorū reiecto. Collyriū Harmation, id est, Currus inscriptum: quo usus est Ptolemęus rex. Exterit cicatrices. Acuit uisum, & ad aspritudines commodum est. Aeris usti ac loti drachm. VIII. ammoniaci thymiamatis drachm. VIII. corticis thuris drachm. VIII. gummi drachm. VIII. Excipe aqua. Vsus est cum aqua. Quædam descriptiones habent etiam æruginis drachm. II. Aliud. ex lapide Hęmatite, ad uisū acuendū, cicatrices & callos exterit. Ammoniaci thymiamatis drac. XXIIII. æris usti ac loti drac. XXIIII. lapidis hæmatitæ drac. XXIIII. æruginis drach. VIII. gummi drach. XXIIII. Excipe aqua. Extersorium Oribasij. Facit in principijs, & ad chemoses, aquosum cū ouo infusum. Cadmiæ drac. VIII. æris drachmas duodecim, croci dra. III. myrrhæ drac. III. opij drac. VI. lapidis hæmatitę drac. XVIII. lapidis scisi drac. XVIII. chalcitidis tostæ drac. VI. æruginis drac. XII. gummi drac. IX. Terito cum uino, & utere cum ouo. Collyrium extersorium Philagrij per se adhibitum, & cum collyrio suprascripto Philagrij ex rosis. Aeruginis dra. VI. pumicis drachm. XVI. testarum sepiæ drachm. XVI. gūmi drachm. XXXII. His ego inquit adijcio,

squam

squamæ æris drach. XVI. ubi fortius ipsum efficere uoluero. Collyrium Rinema, hoc est lima inscriptum. Facit ad callosas affectiones, & cicatrices exterit. Facit etiam ad suffusiones. Cadmiæ drachm. XLVIII. ammoniaci thymiamatis drachm. XLVIII. opij drach. XVI. lapidis hæmatitæ drach. XXIIII. galbani drach. XVI. aloës drach. XVI. opopanacis drac. VIII. fellis taurini drach. VIII. salis ammoniaci drac. IIII. æruginis drach. XVI. myrrhæ drachmas XVI. gummi drachm. XL. Excipe aqua. Temperatura sit aquosa. Collyrium extersoriũ albuginum, per unam illitionem multã efficaciam ostendens. Facit ad pterygia, & carnis in angulo magno incrementum. Est autem collyriũ lene & mordacitatis exors. Conchylij purpuræ carnis ustæ drachmas decem, æris usti drachmam unam, squamæ æris drachm. II. æruginis drachm. VI. atramenti sutorij drachm. III. aluminis scissi obolum unum, lapidis scissi drachm. I. lapidis hæmatitæ drachmam unam, stercoris crocodili drachmam unam, lycij drachm. I. succi omphacij sicci drachm. V. chalcitidis obolos duos, myrrhæ drach. III. thuris masculi obolos duos, corticis thuris drachmam unam, florum mali punicę drach. I. Excipe aqua. Collyrium Helsadæ, albugines tollens ualde citò, ut mireris. Lapidis armenij quo pictores utuntur, gypsi, atramenti sutorij, floris æris, æruginis, testarum sepiæ ustarum, ammoniaci thymiamatis, lapidis magnetis trahentis, lithospermi, gummi æqualibus portionibus utere, & excipe aqua. Aliud quod præparat Petrus Archiathros, & ipsi bonum testimonium præbet. Salis ammoniaci scrupulos sex, lapidis armeniaci scrupulos duodecim, seminis rhaphani scrupulum unum, seminis uiolæ albæ scrup. VI. ammoniaci thymiamatis scrupulos nouem, gummi scrup. XII. Excipe succo rutæ. Facit & ad suffusiones incipientes. Collyrium Pressum. De quo Apollonius dicit, optimum esse pharmacum ad cicatrices, & superexcrescentem carnem. Et ad asperas palpebras, & sycoses, & euersiones palpebrarum: calculos item ac grandines, & induratas affectiones, & pterygia, & carnis in angulo magno incremẽta, & lippitudines scabras, & pellicularum crassitudines, & multæ ac crassæ fluxionis depurgationem. Sed & aquosum ac multum fluxum cohibet. Consumit autem & depurgat securè, attenuatq; ac exterit sufficienter mordens. Verum oculum imperturbatum seruat, iucũdissimumq; ac leuissimum est, & quod debet facit. Est autem hoc, Aeris usti ac loti obol. V. croci drachm. II. myrrhæ trogloditidis obol. III. spicę nardi obol. II. casię obolos tres, cinnamomi obol. II. opij obol. II. piperis grana XV. gũmi drac. I. uini Chij aut alterius austeri odorati quod satis est. Quod si ad hanc descriptionem spodij drach. IIII. addere uolueris, ad omnem fluxionem ac lippitudinem optimum euadet. Collyrium Isidori Memphitæ ad acuendum uisum. Inungebam, inquit, non uidentes, & incipiebant uidere. Appellatur Rhinariũ, id est, limula. Ego hoc pręparaui. Ammoniaci thymiamatis drachm. XVI. æruginis uermiculatæ drach. XII. testarum sepiæ quod molle est, drach. VIII. sagapeni drach. VIII. opopanacis drachmas duas, succi cyrenaici drachm. I. gummi drac. I. Omnibus aqua prætritis, succi fœniculi dra. XII. adijce, & mellis Attici drac. XII. Et efforma collyrium ac utere. At uero quidam amicus ipsum nũc sic præparat. Ammoniaci thymiamatis unc. XV. æruginis rasæ deuncem, & drac. II. testarũ sepiæ trientem, & unciæ dimidium, sagapeni quadrantem & drachmas sex, opopanacis sextantẽ, succi cyrenaici sextantem. Excipe aqua. Gummi autem non recipit. Aliud, ad uisus hebetudinẽ, albugines, suffusiones, Harmatium, id est, Currus appellatũ. Fellis hyænæ drach. IIII. spumæ nitri drac. III. gũmi drac. II. æruginis drac. III. sagapeni drac. III. galbani drac. II. ammoniaci thymiamatis drac. II. baccarũ lauri decorticatarum drac. LXX. aristolochiæ rotundæ dra. I. Excipe aqua. Collyrium ad incipientes suffusiones, ut aqua etiã ex auribus fluat, uocatur Aureũ. Sagapeni persici puri drac. VIII. æruginis drachmas sex, ammoniaci thymiamatis drac. II. gũmi drac. II. Excipe aqua. Tere & utere aquosum illinẽs, & intra quinq; dies efficaciã suã tibi comprobabit: splendidã enim reddet pupillã ac claram. Collyrium Martiani, quo inquit, in meipso usus sum ad imminentẽ mihi suffusionem. Chelidonij capnitidis circa sepes nascentis, rutæ, fœniculi, coriãdri, herbas singulas per se exuccato & excolato, & de succo uniuscuiusq; quadrantem cõijcito, & opobalsami drac. IIII. mellis Attici drac. IIII. adijcito, ac terito, donec strigmentitiã habuerint spissitudinẽ, & tunc succi conyzæ tenuia folia habẽtis unciã unam addito, ac terito. Et ubi probè habuerint ad excipiendũ, gummi puri tusi ac cribrati quantũ satis est pro tua uelut Medici cõiectura adde quo collyriũ fiat, efforma ac utere, ad incipiẽtes suffusiones cum uino. Ad hebetudines uisus cum aqua, illitũ autem ad solẽ locato. Collyriũ Proteus. Cui nullũ simile est ad initia suffusionis, & ad omnẽ uisus hebetudinem. Cicatrices etiã ac callos exterit. Cadmiæ drac. XL. cerusæ drac. XL. piperis albi drac. I. succi cyrenaici drachmas octo, croci drachmas sex, opij drachmas decẽ, sagapeni dra. XII. lacrymæ oleę Aethiopicæ drachmas duodecim, auripigmẽti drac. VIII. myrrhæ drach. XII. ammoniaci thymiamatis drac. VIII. gũmi drac. VIII. opopanacis drac. XVI. opobalsami drac. XII. Excipe aqua pluuiali. Vsus est cũ aqua. Collyrium Hermophili Thalasserum, hoc est, marinum, ad omnẽ hebetudinẽ accõmodatum, & ad omnem incipientẽ suffusionem. Estq; odoratissimum. Cadmiæ drach. XVI. æruginis drach. IIII. atramẽti Indici drachmas sedecim, piperis albi drac. VIII. succi Medici drac. IIII. opobalsami drach. IIII. gũmi drac. XII. Excipe aqua, & utere cũ aqua. Temperatura diuersa est iuxta affectiones. Collyriũ Indicum Regiũ inscriptũ. Facit ad principia suffusionum, & omnẽ uisus hebetudinẽ. Et cicatrices exterit. Cadmiæ ustæ & lotæ lib. I. & trientẽ, atramẽti Indici sexuncẽ, cerussæ trientẽ, piperis albi sexuncem, fel hyenæ integrum quantũ est, fel scarorũ piscium decem, fel perdicũ IIII. opij unciã unã, opobalsami sextantẽ, opopanacis sextantẽ, sagapeni sextantem, gũmi lib. I. Excipe succo fœniculi. Collyriũ fuluũ Panchreston, ab omnimoda utilitate inscriptum, accommodatũ ad scabros ac corrosos angulos, & intentos pruritus, & palpebras ficosas, cadmiæ drac. LXXX. chalcitidis ustæ drac. XL. piperis albi drac. XL. gummi drachm. XL. Excipe aqua. Quidam adijciunt his etiam croci drachmas duodecim, myrrhæ drac. XII. Collyrium psoricum Ptolemæi, accommodatum

datum ad scabros ac corrosos angulos, & intentos pruritus, milphoses, hebetudines: Psorici drach. XL. sandarachæ drac. XXX. chalcitidis ustæ dra. XXVIII. croci drac. XXIIII. myrrhæ drac. XII. opij drach. IX. casiæ drach. XII. piperis albi drach. XL. piperis nigri drach. XVII. omphacij drac. XVI. misyos usti drach. III. folij drach. I. gũmi drach. XXXVI. Excipe aqua. Collyriũ Hygieni aureũ, ad corrosos angulos, & scabras affectiones, sandarachæ drac. XXIIII. piperis albi grana XII. myrrhæ drach. VI. croci drach. VI. gũmi drach. XII. Excipe aqua, & utere cũ aqua. Collyrium Diaceteton ex Demosthene, Aeruginis obol. III. misyos tantundẽ, succi papaueris tantundẽ, gummi drach. IIII. Excipe aqua. Facit ad prædictas affectiones, & ad uisus hebetudinem, & incipientes suffusiones. Attenuat etiam cicatrices. Sit autem calidum. Collyrij Stratiotæ compositio hæc est. Cadmiæ drach. VIII. cerusę drach. XVI. piperis albi drac. II. æruginis, opij, omphacij, singulorũ drach. II. gũmi drachm. IIII. Facit etiam ad asperas palpebras. Collyrium exterforiũ. Aeris usti, croci, ammoniaci thymiamatis, singulorum sextatem, gummi unc. I. Excipe aqua. Facit ad oculos purulentos, argema, nubeculas, caligines. Ad aspritudines uero cum melle. Collyrium celebre, priuatim ad cicatrices in oculis faciens. Facit etiam ad uisus hebetudines, aspritudines & pterygia. Testarum sepiæ, pumicis, squamę æris, ammoniaci thymiamatis, æruginis, cornu ceruini usti, singulorũ lib. I. myrrhæ sextantem, thuris sextantem, opij quadrãtem, gummi bessem, ossium palmularũ ustorum dextantẽ, mellis sextantem. Excipe aqua. Hoc præparabat Afer, & ualde ipsi confidebat. Nominabat autem ipsum Phœnicem nigrũ, eò quòd ossium ustorum palmularum, (quæ phœnices appellantur) dextantem recipit.

Collyria enstacta, hoc est, instillatitia appellata. Cap. CXI.

Collyrium instillatitiũ Paccianum appellatũ, cadmiæ drac. LXIIII. misyos dra. XXXII. stibij dra. XXXII. atramẽti sutorij dra. XXXII. piperis albi drac. XXXII. æruginis dra. XVI. opij drac. XVI. opobalsami drac. XVI. gũmi drac. LXIIII. Excipe aqua pluuiali. Facit ad acuendũ uisum, & callos exterit. Collyriũ Aromaticũ inscriptum. Aeris usti drach. XVI. æruginis dra. IIII. myrrhæ dra. IIII. spicæ nardi drac. II. piperis albi drac. IIII. opij drac. IIII. croci drac. IIII. opobalsami drac. II. gummi drachm. IIII. Excipe aqua. Aliud instillatitium nõ perturbans, Oribasij. Cadmiæ drach. XVI. cerusæ drach. VIII. opij drachm. III. opobalsami drach. III. æruginis drac. II. omphacij drac. II. piperis albi drach. II. gũmi dra. V. Aliud instillatitiũ, uisum acuens, cadmiæ ustę, & urina pueri extinctæ drach. X. stibij dra. VI. atramẽti sutorij sesquidrach. æruginis sesquidrachmã, piperis drac. II. misyos drach. II. opij drach. I. opobalsami drach. I. gummi drac. VI. Excipe aqua. Aliud nigrũ, uisum acuens. Facit & ad corrosos angulos. Stibij usti ac loti drac. XL. acaciæ drac. XL. gummi drac. XL. cadmiæ drach. XVI. nardi celticæ drach. VIII. myrrhæ drachm. VIII. croci drachm. VIII. omphacij drachm. VI. opij drachm. VI. Excipe aqua.

Collyria ex cornu ceruino. Cap. CXII.

Collyriũ Asclepiadæ ex cornu ceruino. Ad ulcera, & pustulas, & cicatrices exterit. Cornu ceruini usti ac loti drach. IIII. plũbi usti ac loti drach. IIII. squamæ æris lotæ drac. II. thuris dra. IIII. opij drachmã unã, gummi drach. IIII. Excipe aqua. Aliud, ad calidiores affectiones, & acerrimas fluxiones cum ulceratione. Cornu ceruini usti ac loti drachm. XVI. spodij pompholygis lotæ drac. VIII. squamæ æris drac. II. croci drac. II. acaciæ drach. VIII. thuris drac. VIII. opij drac. II. myrrhæ drach. I. gũmi drac. VIII. tragacanthę dra. I. amyli drac. IIII. terito cum hyoscyami cremore. Collyriũ ex cornu ceruino, uelut Oribasius habet, maximè quidẽ ad ulcerationes in uigore, clauosq́ ac staphylomata, & huiusmodi omnia, ut non simul sint palpebræ densatæ. Et ad ulcera ægrè recipientia cicatricẽ, & resolutas cicatrices. Cadmiæ drachmas sex, acaciæ drach. XL. stibij drachm. XXXII. plumbi usti ac loti drac. VIII. cornu ceruini usti ac loti drach. VIII. gummi drach. VIII. æris dra. XVI. opij drachm. XVI. myrrhæ drachm. IIII. thuris drach. IIII. Excipe aqua. Vtere uerò ad caua ulcera cum lacte ad sordida, cum succo fœnigræci. Aliud collyrium è cornu cerui, efficacissimè exterit cicatrices in oculis, cũ aqua illitum. Vtere etiã ad exulceratos oculos, cum ouo instillans. Aeris usti ac loti deũcem, & scrupul. VI. cornu ceruini usti ac loti tantundem, stibij loti sextantem, & unciæ dimidiũ, testarum sepiæ trientem, & unciæ dimidium, æruginis sextantem, ammoniaci thymiamatis sextantem, & unciæ dimidium, myrrhæ sextantẽ & unciæ dimidium, thuris sextãtem & unciæ dimidium. Opij sextantem & unciæ dimidium, acacię quincuncem, & scrupul. XV. gummi deuncem. Excipe aqua.

Collyria Nardina & Theodotia. Cap. CXIII.

Collyrium nardinũ Zoili, ad ueteres lippitudines, & myocephala, & ulcera uetera ac staphylomata. Cadmię dra. VIII. æris usti dra. VIII. stibij drac. VIII. cerusæ dra. IIII. castorij dra. IIII. spicę nardi sesquidrachmã, aloës sesquidrachmã, folij, croci, chalcitidis tostæ, atramenti sutorij, lycij Indici, opij, singulorum drac. I. myrrhæ drac. II. acaciæ drac. XX. gũmi drac. XX. Excipe aqua. Collyrium nardinum Candidi leuissimum ac ualidissimè resiccans. Facit ad myocephala & staphylomata mirificè, & maximè glaucis oculis conuenit. Vtere etiam in his qui nullam omnino collyrij mordacitatẽ sustinere possunt. Cadmiæ ustæ & lotæ lib. I. cerussæ septuncem, stibij loti sextantem, croci trientẽ, myrrhæ troglodyticæ trientem, aloës unc. I. acaciæ unc. I. opij sextantem, spicæ nardi unc. I. gummi bessem. Excipe aqua. Theodotium nardinũ. Cuius multã experiẽtiam habemus in myocephalis, & diuturnis ulceribus oculorum, & confusionibus. Maximum extersorium est & uehementer corroborat debiles oculos. Cadmiæ lotę, stibij loti, acaciæ, gummi, singulorum drach. XXV. rosarum siccarum depurgatarũ drach. XII. æris usti loti drach. VIII. myrrhæ troglodyticæ drach. VIII. castorij, lycij indici, croci, folij, spicæ nardi, chalcitidis tostæ, cerussæ, glaucij, seminis ericæ, opij, gallarum omphacinarum, singulorũ drach. II. Excipe aqua. Vtere in principijs cum ouo instillans. In declinationibus cum aqua. Collyrium Nicarium Zoili, ex lacte nardinum. Ad affectiones & fluxiones diuturnas, ulcera, fossulas, myocephala, staphylomata, ueteres lippitudines. Tingit etiam cicatrices, & ipsas incõspicuas facit. Cadmiæ ter ustæ & muliebri la-

ctæ extinctæ ac lotæ drach. c v i i i. stibij usti ac muliebri lacte extincti ac loti drach. x. æris usti et extincti ac loti drach. x x x v i. cerusæ lotæ drach. x x i i i i. myrrhæ drach. x i i. opij drach. x i i. spicæ nardi drac. i i i. aloës drach. i i i. acaciæ drach. c v i i i. gūmi drac. c v i i i. Excipe aqua. Collirium Hygidium, quod quidā Ammonij dixerunt. Facit ad incipientes suffusiones, & inustiones. Et ad omne ulcus, & oculos purulentos, confusiones, chemoses, prolapsus, & ad diuturna myocephala, staphylomata, ungues ulceris genus. Repurgat, replet, & ad cicatricem perducit. Eos uero qui ob aliquā causam, aut propter capitis aut oculi dolorē, dormire nō possunt, præclare ad somnū perducit, uelut somniferū medicamentum. Vtere cū ouo, aut lacte, aut aqua, tēperatura sit media aut crassior, pro sensus ægrorum subtilitate. Habet autem hoc modo: Cadmiæ lotæ drach. x v i. cerusæ lotæ drach. x v i. castorij drach. v i. nardi Indicę drach. i i i i. stibij loti drac. x l. æris usti loti drac. x v. rosarum drach. x x. squamæ æris ustæ drach. v. Aloës drach. v i. casiæ drach. i i i i. myrrhæ dra. v i. lycij Indici drac. i i i. lapidis scisi loti drac. i i i i. & dimidiam, croci drach. v i. plumbi usti ac loti drac. v i i i. & dimidiā, opij drach. i i i. acaciæ drach. x l. gummi drac. x l. Excipe aqua. Est ex ualde celebribus. Collyrium Indarium: Piperis drach. i i. cadmiæ drach. i i i i. costi drac. i. stibij. drach. v i i i. gallarum drach. i i i i. spicæ nardi drach. i i i i. nardi drach. i i i i. acaciæ drac. i i i i. gūmi drac. i i i i. opobalsami drac. i i. Excipe aqua. Facit ad uisus hebetudinem. Exterit etiā cicatrices. Collyriū Theodotiū Paccianū. Facit ad maximos humorum illapsus, et doloris molestias. Liberat citra uenæ sectionē. Cadmiæ ustæ ac lotæ drac. v i i i. æris usti ac loti drach. v i i i. stibij loti dra. x v i. croci drach. i i i. castorij drachm. i i i i. ęruginis drach. i. aloës drac. i i i i. myrrhæ trogloditicæ drac. i i i. lycij Indici drach. i i. opij. drac. i i. acaciæ drach. x x i i i i. gummi drac. x x i i i i. Excipe aqua. Vsus est cum ouo. Temperatura sit crassior. Collyrium, quod tumorē laxum palpebris inducit, appellatur Testamentū Aurifabri, reliquit hoc moriēs templo Ephesio dicatū, quò hi qui à Medicis relicti essent, in tēplo sanitatem cōsequerentur. Inuentum est autē ab Adriano Cæsare. Facit ad humorum illapsus, & aspritudines, & ad omnes desperatas affectiones, pustulas sanat, caua ulcera explanat, cicatrices incōspicuas facit, oculum imperturbatum cōseruat. Instillatur cū ouo aut lacte, prout necessitas expetit. Sit autem in omnibus dilutū aquosum. Optimū est insuper ad acuēdum uisum. Habet hoc modo: Cadmię lotæ drac. v i i i. stibij loti drac. x v i. spicæ nardi dra. i i i i. myrrhæ troglodyticæ drac. i i. croci drac. i. castorij drac. i i. squamæ ferri stomomatis drach. i i i i. ęris usti ac loti drac. x i i. ęruginis drac. i i. cerusę dra. i i i. piperis lycij, Indici, opij, thuris, opobalsami, casiæ sing. dr. i i. lapidis scisi drac. i i i i. æruginis uermiculatæ drac. i i i. atramenti sutorij drac. i i. succi fœniculi drac. i i i i. fellis capræ dra. i i i i. gummi drach. v i i i. Terito cū uino Aminæo aut Falerno, aut alio austero ueteri odorato. Collyriū Testamentū, uelut habetur apud Asteriū. Cadmiæ drac. l x x. stibij dra. l i i i i. myrrhæ drach. v. & dimidiā, spicæ nardi drac. x. croci dr. x. castorij drac. v i i. squamę ferri stomomatis drac. x i i i. folij drac. x i i i i. æris usti drach. v. & dimidiā, piperis drac. v i i. cerusæ drach. x i i i i. lycij, thuris, casiæ, opobalsami, singulorum drach. x i i i i. opij drac. v i i. lapidis scisi drach. x i i i i. æruginis uermiculatæ drac. v i i i. atramenti sutorij drach. x i i i i. gummi drac. l x x. succi fœniculi drac. x i i i i. fellis caprini drac. x i i i i. Terito cum uino aminæo.

Collyrium Theodotiū Magnum. Cadmiæ lotæ bessem, æris loti bessem, stibij loti uncias x x v. rosarū siccarū, cerusæ, chalcitidis, gallarū, æruginis, lycij Indici, croci, aloës, spicæ nardi, myrrhę troglodyticæ, ramentorū ebeni, castorij atramēti Indici, thuris, opij, sarcocollæ, pōpholygis, singu. unc. i. cornu ceruini usti ac loti unc. i. acaciæ unc. x x v. gūmi un. x x v. Excipe aqua. Quidam uero etiam folij unciā unam adijciunt, & amomi unci. i. rosarū uerò quadrantem, gummi uero & acaciæ, singulorum unci. x x i i i i. Reliqua autem eodem modo. Facit ad incipiētes lippitudines, & exulcerationes omnes, & fluxum recentem, ac ueterem, inflammationes, carbunculos, oculos purulentos, nomas, puncturas, prolapsus, myocephala, staphylomata, palpebras asperas, & ad desperatas affectiones. Et ad ardores solis, aut calcis, aut pulueris, aut similis rei. Tollit etiā pterygia inflāmata cū butyro. Ad ulcera uero cū ouo adhibetur. Ad maligna autem cum lacte muliebri. Theodotium Seueri. Aliud quoddā collyrium etiā apud nos reperitur, inquit Seuerus, à ueteri quodā descriptum. Et hoc quidem cōpositā materiā habet, uerum efficaciā diuersam. Nam omnibus simul relatis collyrijs cōmodius cōpertum est. Quare etiam ipsius præparationē referre necessarium puto, quū necꝫ oībus hoc sit notū. Recipit autē cadmiæ drac. x x i i i i. æris usti drach. x i i. stibij drach. x l. cerusæ drac. v i i i. chalcitidis tostæ drach. i i i i. misyos tosti drac. i i i i. ramentorū ebeni dra. i i. nardi Celticæ dr. i i i. folij drac. i i i i. spicæ nardi dra. i i i i. croci drach. i i i.. castorij drac. v i. aloës drac. v i i i. lycij Indici dr. i i i i. rosarum siccarum drac. i i i i. gallarum drach. i i. opij drachmas i i. myrrhæ drach. v i i i. acaciæ drach. x l. gummi uermiculati drac. x l. Cadmiam prunis obruimus, & uentilamus, & ubi ignita facta fuerit, ablatam lacte asinino extinguimus. Stibium uero in fictile uas coniectū, addito operculo, foramen habente urimus, & similiter lacte extinguimus. Vsta uero singula per se tusa ac cribrata lauamus, & diligenter siccamus, & deinde pōderata ad præparationem adijcimus. Cęterū gummi nō cōtusum inspergimus siccū, sed madefacimus: sic enim necꝫ lignosum quiddam, necꝫ arenosum, cū ipso penetrabit dum excolatur, & optima coactio collyrij fiet. Quidam ad relatā præparationē adijciunt etiā costi dra. v i i i. Et magis ita cicatrices exterit, inquit, & pterygia ac carnis in angulo incrementū consumit. Verū ad inflammationes & ulcera incommodus est costus. Huius igitur auxilij actiones ac efficaciam dicere non est facile. Audiētes enim uix crediderint. Nā desperatas affectiones ad naturalem statum reuocat. Et ut in summa dicā, omnia quæ Theodotijs appellatis nardinis, & his quæ ex cornu ceruino parātur adsunt, multò plus in hoc comperiuntur: in recentibus enim affectionibus eo illito, & spongia oculo imposita, ægrum ab affectione liberauimus. In diuturnis autem ac desperatis, partim instillantes, partim illinentes, scopum attigimus. Nam in facili so

lubilibus oculi affectionibus ipsum illinimus. In cauis autem & sordidis ulceribus, diluto ipso utimur cum ouo aut fœnigræci succo. Quandoq; etiã cum aqua mulsa. In myocephalis autem, crassius cũ aqua sublinimus per subiectionem. Sed & cicatrices similiter attenuamus. Ad tantam autem tenuitatẽ perducit cicatrices, ut penitus nõ cognoscãtur per sensum. Et in summa, inenarrabilem quãdam uim possidet. Etenim in staphylomatis, brassicæ succo dilutũ collyrium, & crassa copia oculo adhibitum, unà cũ spõgiæ deligatione, molem inconspicuam facit. Quin & carnis in angulo magno incrementum consumere potest hoc collyrium tenuiter tritum, & in siccũ puluillum redactum, itemq; pterigia attenuare. Sed & ad alia mirificum compertum est collyrium. Et nos quoque permittimus posteris per experiẽtiam deductis, ut auxilio testimonium præbeant: iam enim quidam ad diuturna ulcera ac fistulas sedis ipso usi, scopum attigerunt. Vnde non absurdum fuerit etiam ad polypos ac ozænas narium ipsum adhibere. Collyrium ex succo fœniculi. Cadmiæ dodrãtem, stibij bessem, misyos crudi sexuncem, æruginis sexuncem, piperis quincuncem, atramenti sutorij sesquiunciã, chalcitidis unc. I. croci sesquiunciã, folij unc. I. omphacij sesquiunciam, spicæ nardi trientem & unciæ dimidium, opij quincuncem, & unciæ dimidium, opobalsami trientem, gummi sextantẽ, succi fœniculi bessem. Et rursus aliud fœniculum in aqua pluuiali decoquito, & cum decocto illa terito ac efformato. Hoc à multis præparatur.

FINIS.

INDEX EORUM QUAE IN OCTAVO SERMONE AETII HABENTUR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI SECVNDAE SERMO QVARTVS, ET EX ORDINE OCTAVVS.

*

De faciei, oris, & tonsillarum affectionibus: Cui annexum est, De destillatione, & tussi, asperæ arteriæ, pulmonis, ac thoracis affectionibus.

AD SVPERCILIORVM ORNATVM. Cap. I.



QVANQVAM quod ad hanc rem attinet, iam antè à nobis dictũ sit, ubi de defluuio capillorum capitis, Sermone sexto mentionẽ fecimus, dicemus tamen & hic nõ importunè, sed ut habet, paucis. Illitio augẽs superciliorũ capillos, atq; etiam aliarũ corporis partium, eadẽ etiã eosdem nigros reddit. Nucũ ponticarũ interiora in uase figulino torrefacta contere, & pinguedine capræ syluestris excipe, atq; cũ hoc ipso partes inũgi præcipe. Aliud. Adiati unc. I. ladani sextãtem, passi cretici heminã unã, cõtunde ac subige cũ passo: deinde torre, ut dictũ est, ac rursus cum pingui capræ syluestris, aut ursi cõtere, & utere. Potes & huc accõmodare ea, quorũ meminimus Sermone VI. Itẽ ex armeniaco lapide, de quo Sermone II. cap. XII. diximus, sicco trito supercilia inspge.

De hipopijs, hoc est, his quæ sub oculis fiunt sugillationibus. Cap. II.

Quòd hipopia sub oculis fiant, ipsum nomen indicat: siquidem hypopium Græcis hypophthalmiũ significat, quod Latinis, sub oculis sonat. Sunt autẽ hypopia ex genere suffusionũ sanguinis in locum contusum: fiuntq; ex plaga, quum tenuibus sub cute uenulis contusis, sanguis per fissuras sub ipsam cutẽ, affatim effunditur, neque id uno loco. In grumos enim coit statim, & liuet locus, progressuq; tẽporis nigrescit. Quare medela occurrendum est, antequàm nigrescat, cura potissimum ad hoc adhibita, ut concretus sanguis discutiatur. Quòd si tunicula quoq; rũpatur uenularũ, ex quibus effunditur sanguis, miscendũ est his quæ discutiendi uim obtinent, parum quiddã ex cõstringentibus. Nã si in principio sola discutientia exhibeantur, nõ tantũ id quod effusum est discutient, sed per ipsas uenarũ contusarũ fissuras amplius quiddã elicient ex sanguine in ipsis uenis contento. Quum uero in naturam suã redierint uenulæ, etiã citra admixtionẽ cõstringentiũ, ad discussoria trãseundũ. Atq; ego sanè in principio utor Nili ex rosis collyrio, ex eo in aqua dissoluto, locũ suggillatũ illinens. Vtor autẽ pro fomẽto, decocto meliloti & fœnigræci. Deinde collyrium quoq; in eodem decocto dissoluo, aut etiam in solo fœnigræci decocto. Quod si reliquię quędã restiterint ipsius affectionis, dissolutis ex myrrha collyrijs in fœnigræci decocto, illino bis in die, prius tamen cum spõgia in decocto madefacta loco foto. Idẽ præstat in principio, nõ præsente ex rosis collyrio glauciũ illitum, & fex olei coquẽdo cõdensata. Inueteratũ autẽ iam malũ ex sandice collyria tollũt, & quæcũq; præclarè omnino discutiunt, qualia Diosco. inter facile parabilia enumerauit. Ea enim quæ sub oculis fiũt sugilata, inquit, & liuores iã inueteratos tollũt, raphani cortex cũ melle illitus, bryoniæ radix uino aut cerato excepta, bulbus cũ uitello oui impositus, aqua marina calida pro fomẽto, aut muria uel salsugo, caseus antiquus cũ decocto hyssopi impositus. statim autẽ tollit sepiæ testa cũ aceto illita, sinapi cerato exceptũ, cucumeris syluestris radix cõtrita cũ melle, lini semen cõtritum cũ lacte. Critonis compositio. Ad liuores altè infixos, & ea quæ sub oculis fiũt sugillata, seminis uiticis albi drach. III. radicis herbæ lanariæ siue radiculæ drach. tres, nitri rubri, corticis raphani, hyssopi, farinæ fabarũ, uniuscuiusq; drach. tres, mirobalani drachm. XL. cineris pulmonis agni exusti drach. XL. bulborũ rubrorũ drach. XL. radicis tapsiæ aut succi drah. XL. corticis thuris drac. unam: excipe cerato ex oleo rosaceo apparato, ac linteolo infartũ impone. Oportet autẽ assiduè amouere, cum cautione, ne locus exulceretur. Ego autem expertus sum, nucem pinguẽ, uetustate rancidam, certissimũ ad liuores remedium. Porrò reclinato ac supino remedia adhibere conuenit, ut adhæreant spatio horarum trium quàm optimè contrita.

Circunlitiones præseruantes faciem, ne à sole aut uento exuratur. Cap. III.

Circunlitio faciei, quæ aurea appellatur: Lupinorum siccorum sextarios III. aquæ pluuialis sextar. XIIII. injce in uas æreũ stãno obductũ, sinasq; madefieri per triduũ: quarta autẽ die decoque ad prunas usq; quò dissoluantur lupini: deinde per colũ exprime liquorẽ, ac eũ seorsim decoque, atq; ubi condensatus fuerit, in uas uitreũ repone. Vbi uero uti uelis, quãtum satis uidebitur accipe, & cũ eo in modica aqua dissoluto faciẽ illine. Alia ualde laudata. Similaginẽ lotã & per pãnũ percolatã sinas desidere, aquãq; abijce, fecem autem cum albumine oui permisce, donec mellis crassitiẽ accipiat, & cum hoc faciẽ obline uersaturus in sole: quum uero à sole recesseris, frigida multa ablue. Alia. Boni coloris faciẽ hæc reddit, atq; itẽ uniuersum corpus. Mastichẽ cũ oleo omphacino dissolutã circũline: aliquãdo autẽ & olei loco medullam ceruinã, aut uitulinam accipimus: aliquãdo induratũ liquidum. Alia. Cupressi ac ilicis scobem in oleo decoctã oblini. Alia. Solani succum cum oleo illine. Alia. Nuces pineas cum modico aceto cõtere, adiecto melle sufficienti, ac oui crudi uitellis, atq; hoc ipso faciẽ oblini: neq; refert etiã si citra acetũ eo utaris. Alia. Hęc in æstate conuenit, faciẽ pręseruãs: tragacanthi, ammoniaci thymiamatis, costi contusi, cuiusq; sextantem, aluminis liquidi drachmas

chmas IIII. thuris sextantem, amyli sexuncem, oua cruda recentia XIII. mellis libras tres, mulsi sextarios tres. Tragacanthũ, ammoniacũ, & thus in mulso madefieri per noctẽ unam, in uase uitreo finito: oua autẽ integra in acetũ uetus & acre proiecta, per triduum macerato: alumẽ uero optimè lauato: deinde omnia simul in mortariũ fictile coniecta ac diligenter cõmixta, melle cocto excipito, atq; utere, faciem ex eis oblinendo. Ante ingressum uero balinei medicamentum hoc tollatur, atq; id particulatim auellere conuenit leni tractu ex facie induratum: deinde aqua tepida abluere, & spongia abstergere: quod ubi factum est, manna thuris in albumine oui dissoluta, faciem illinito.

Vt ne rugosa fiat facies. Cap. IIII.

Faciem corrugatam extendit medicamẽtum hoc: cornu cerui non antiquũ in aqua decoque, donec succu lentum quid remittat, percola deinde ipsam aquam, & cũ ea farinã fabaceã subige, ac pastillos informa, eosq; in umbra exicca. Vbi autem usus postulauerit, quantum opus fuerit in aqua dulci dissolue, ut cerati liquidi crassitiem accipiat, & cum eo faciẽ oblinere iube, atq; cum adglutinatum fuerit, faciẽ aqua tepida abluere præcipe.

Ad faciei nigredines. Cap. V.

Ad faciei nigredines his utendum est, iridis contritæ, farinæ ptissanæ, farinæ fabaceæ, cuiusq; sextarium unũ & dimidiũ, salis ammoniaci, cornu ceruini usti ammoniaci, thimiamatis, cuiusq; sextãtem, in aqua dissolue, & pastillos informa, quos in umbra exiccatos adserua, atq; usus tempore, in aqua resolutos ante balineũ faciei illini. Aliud. Farinæ ptissanæ, thuris, iridis, farinæ fabarũ, farinæ erui, spumæ nitri, costi, cuiusq; chœnicis partẽ quartam, amygdalas amaras XX. informa cum cãdido ouorũ & lacte asinino, exicca in umbra, ac utere ut dictum est.

Smegmata & medicamenta faciem nitidam reddentia. Cap. VI.

Quandoquidẽ post unguentorum ablationem plerique faciem extergere conantur, utendũ ad hãc rem cõpositionibus infrà scriptis. Smegma illustriorẽ reddens faciẽ. Amygdalas decorticatas XL. thuris, spumæ nitri, gummi cuiusq; drachmam unam, farinæ fabaceæ drachmas XII. excipe oui candido, & in pastillos digere, quibus cum aqua solutis, passim tum in balineo, tum citra balineũ utaris. Aliud. Smegma faciei celebre & admirandum, quod & faciem illustriorem reddit, & rugas expolit, asperitates pellit, incipiẽtem elephantiasin arcet, si quidem cũ alijs remedijs adhibeatur: usus eius etiam reliquo corpori cõueniẽs est. Mastiches, thuris, ammoniaci thimiamatis, iridis, cuiusq; unciã unam, tragacanthi sesquũciam, succi uuæ acerbæ immaturæ dodrantem, seminis peponis unà cum concluso in ipso humore dextãtem, cãdidũ ouorum XXI. similaginis sextarios quinque: contunde omnia, ac cum candido ouorũ, & humore peponis, succoq; uuæ acerbæ commisce, & in pastillos redige, ac exicca, pòst uero contusos ac attritos, in uase uitreo ad usum adserua. Smegma faciei, quod simul & ipsam rubicundam reddit. Farinæ erui, fabarũ, lupini, ptissanæ, ciceris, bulborum narcissi, cuiusq; sextarij Italici dimidium, similaginis sextarium unum, contunde ac cribro tenuissimo excute: deinde oui candido commixta, in pastillos digere, & in umbra desicca. Vsu uero expetẽte, quãtum libet accipe, & in aqua dissolue, atq; à balneo utere. Aliud faciem illustrans, & uniuersum corpus: dissipat autem & rugas, & cutem depurgat. Vitis albæ radicem delibra, ac in sole æstiuo exicca, deinde contusæ ac cribratæ Italici chœnicis dimidium accipe, iridis contusæ tantundem, myrobalani siccæ decorticatæ tantundem, farinæ fabaceæ chœnicem unũ: hæc in uino ueteri odorato subacta, in pastillos digere, quos in umbra exiccatos adserua: & usu expetente, contusis & cribratis cum aqua utere.

Aliud Cleopatræ reginæ odoratum & preciosum. Costi, myrrhæ troglodyticæ, iridis, spicæ nardi, amomi, folij malabathri, cassiæ, floris iunci odorati, cuiusq; unc. I. Myrobalani lib. IIII. spumæ nitri lib. I. cõtundito, cribrato, utitor. cõfert uniuerso corpori. Aliud efficax & odoriferũ. Floris iunci odorati, iridis cuiusq; drach. II. mastiches drach. I. contere, & cum succo ptissanæ crassissimo pastillos forma, & in umbra desicca. Vbi uero usus expetit, in aqua dissolutos illinito, & post horę spatium frigida abluito. Aliud, splendidam & erugatam reddens faciem, ac totum corpus: Farinæ fabaceæ Italicum modium unum, similaginis Italicos sextarios quatuor, trifolij cõtusi sextarios quatuor, myrobalani tantundem, iridis contusæ tantundem, ammoniaci thymiamatis libram unã, costi tantundem, cãdidum ouorum recentium crudorum sexaginta, seminis peponis unà cum humore chœnicem unam, succi uuæ acerbæ tantundem, subige & informa pastillos, quos sufficienter in umbra exiccatos à balneo illine. Pręclarè facit, & ad eas quæ in collo sunt & reliquo item corpore nigredines. Aliud ad faciei nigredines, multo usu exploratum. Thuris sesquunciam, cerusæ probè lotæ, spumę argenti in decocto cicerum alborum, ad solem frequenter ablutæ, amyli recentis, scobis marmoris albissimi, mastiches puræ, spumæ nitri albentis, testarum sepiæ, singulorum unc. unã, saponis Gallici unci. duodecim, cãdidum ouorum decem, appara, & utere, ut dictũ est. Aliud mirabile faciem depurgans & illustrãs. Farinæ fœnigræci trientẽ, terræ Samiæ quæ Aster appellatur, quadrantẽ, amyli trientẽ, mastiches sexũcẽ, medullæ ceruinæ recentis sexuncem, tragacanthi triẽtem. Tragacanthũ in lacte muliebri, aut asinino macerato, ac cum eo dissoluto, reliqua tenuissimè trita in pastillos digerito, quibus in umbra desiccatis, ut pędictum est utitor. Aliud smegma. Ricini seminis interioris dra. VIII. bulborũ narcissi siccorũ ac decorticatorum drac. VIII. similaginis drac. IIII. thuris drach. II. candidum ouorum VIII. appara ut dictũ est, & utere. Sapo quo usa est Pelagia patricia, ad faciem illustrandam. Saponis Gallici sexuncem, cerusæ sextantem, mastiches unciæ dimidium, medullæ cerui unc. I. spumæ nitri albæ trientem, ceræ albæ quadrantem. Præmacera saponem in aqua in uitreo uase ad dies V. aqua pluuiali quotidie permutata, & sapone excolato. Postea in ollam nouam immitte saponem, & sexta die rursus affusã pluuiali aqua, ad lentas prunas decoque, donec sapo dissoluatur. Deinde ceram & medullam adde, & ad dissoluta mastichẽ & spumã nitri insperge, olla amota, et assiduè per spathum commota. deinde etiam cerussam modica aqua tritã adde, & medicamẽtũ in testã missum

missum contentè manu subige, & reposito in uitreo uase utere uelut dictum est. Smegma ex Rufi libris, ad totius corporis erugationē. Ficus pinguissimas, uitis albę radicem siccā delibratā, sepiæ testā ustam, farinā erui: unumquodque seorsim contunde: deinde etiam simul, & modico adstillato melle, utere. Aliud smegma, quod uniuersum corpus odore imbuit. Terræ cimoliæ bessem, iridis tenuissimè tritæ drac. XXIIII. nardi Celticæ drac. XXIIII. cyperi, cardamomi, styracis flaui & pinguis, cuiusq; drac. XII. styracē in uino ueteri odorato dissolue, & in prōptu habe: terrā uero cimoliā in fictile uas cōiectā carbonibus impone, atq; ubi satis cāduerit ab igne, eā ad dissolutum styracē inijce, deinde reliqua sicca tenuissimè trita insperge, ac simul sufficiēter unita in pastillos digere, quibus in umbra exiccatis, pòst uero tritis & cribratis utere.

Cataplasmata æstiua, odorum corpus reddentia.

Ex Critone. Cap. VII.

Quū sudores corpus uexāt, magna oboritur ex eis molestia, præsertim in æstate. Nā & sordes multas inuehunt, & tetrum odorē de se præbent. Quare subscriptis remedijs uti conuenit, non ad mulieres tantum, sed ad ipsos etiam uiros. Non importunum enim esse puto & in hoc smegmatum tractatu harū rerū mentionē facere. Cataplasma, hoc est, inspersio totius corporis odorē bonum efficiēs, æstiuum. Rosarum siccarum quadrantē, casiæ quadrantē, amomi, costi, spicę nardi, cuiusq; drach. II. aluminis liquidi sextantē, dissolue in uino ueteri odorato, & in pastillos digere, quos in umbra exiccatos usu expetente contundito, ac cribrato, atq; in balneo inspergendos exhibeto, ita ut diligenter perfricent, & cū frigida aqua abluant. Aliud. Spumæ argenti in decocto cicerū ad solē inalbatæ, amomi, casiæ, folij malabathri, costi, spicæ nardi, aluminis liquidi, iridis, omniū par pondus, appara, & utere ut dictū est. Potes autē pręscriptis cataplasmatis uti quocunq; tēpore uelis. Aliud odorum & lene. Rosarum uiridiū & tamē siccarū dra. XL. myrrhę troglodyticę drachmas octo, iridis Illyricæ, spicæ nardi, casiæ, cuiusq; drach. VIII. uino odorato subige, & pastillos informa: quibus ubi uti uelis, cōtritis & cribratis corpus insperge, maximè à balneo. Aliud. Amomi, casię, spicæ nardi, costi, folij, myrrhæ, singulorū æquales portiones. Vini quod satis est, para ac utere uelut dictū est. Aliud. Casię, iridis, myrrhę, aluminis optimi, pares portiones uino subige, & pastillos forma ac utere. Aliud. Iridis, spicæ nardi, floris iūci odorati, cuiusq; drac. IIII. amomi drach. II. myrrhæ dra. II. meliloti drachmas quinque, appara & utere similiter. Archigenes autē inquit: Ad omnes corporis tetros odores, atq; eos qui grassoniæ à Græcis appellātur, ante omnia cōducūt exercitia, inūctiones, siccę fricationes, alui frequēs subductio. Sunt etiā cibi ad destruendū hoc malū cōmodi, itēq; illitiones. Conueniunt itaq; oleū rosaceū, melinū, myrteum, iris sicca per se in puluerē redacta & intrita. Aut, alumē liquidū in aqua uel uino dilue, & myrrham tenuissimè tritā admisce, ac ad mellis crassitudinē redige, & ex eo collū, locos sub alis, inguina, & reliquos exudantes locos inunge. Aliud. Aluminis liquidi drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. spumæ argenti lotæ drach. II. casiæ drach. I. contere, & cum eis sub alis locos, intermedia coxarum & inguina cōfrica: tollit enim euestigio eorum fœtorē. Aliud. Casiæ drac. IIII. aluminis scissilis drachm. II. utere cum uino per se.

Aliud. Mastiches quadrātē, aluminis scissilis unc. I. utere cum uino. Aliud. Myrrhæ troglodyticæ, iridis illyricæ, florum rosarum siccarū, æquales partes cōtunde, & cribra, ac forma pastillos cum uino, eosq; in umbra sicca, ubi uentus non spirat. Deinde cōtusos ac cribratos in pyxide repone coopertos, ut ne transpirent, & utere à balneo inspergens ac defricans locos leniter, atq; ita imbibi sine, & postea frigida ablue, & manet odor, de quo meritò mireris. Probè facit & alumen cum uino, & crocomagma cū myrrha. Et cupresi ramenta ac alumen cū uino.

Potiones ad eos, qui tetrum habent corporis odorem. Cap. VIII.

His uero qui fœtentē habent corporis odorē, eiusmodi potiones exhibere conuenit. Cardui radicē in uino albo decoctā propina, & eijciēt urinā crassam & fœtentē. Aliud. Resinā terebinthinā oliuæ magnitudine cū pari melle decoque, & quotidie deglutiendā exhibe, & uinum insuper absorbendū. Aliud. Myrrhā & serpyllum paribus partibus terito, & in pilulas formato, quarum duas deuorandas dato, & uinū insuper absorbendum. Hæc etiam ad oris grauεolentiam faciunt.

Ad menti scabricem, ex Galeno. Cap. IX.

Fiunt & in mento aspredines ut plurimum seroso humore à capite destillante, & præcedentibus furfuraceis in collo ac uicinis partibus squamis, aliquando autē usque ad auditorios pertingit ac perreptat meatus. Estq; omnino hæc affectio dolorosa, pruritum inferens, ac distendēs corpus: quare subscriptis remedijs est subueniendum. Critonis. Amurcam ex oliua prius quàm exprimatur destillātem, decoque quousque cogatur, eáque assiduè locos inunge.

Aliud. Myrrhæ unciā unā, ouorum crudorū uitellos quinque, myrrhā cum lacte dilue, deinde adijce ei oua, eaq; simul passo excipe, ac assiduè illini, & miraberis effectū. Aliud pharmacū efficax, quo multos hac affectione detentos liberauimus. Glaucij dra. XVI. gūmi drachmas quatuor, lacrymæ oleæ tātundē, dissolue, & ad strigmentitiā crassitudinem cū passo redige, atq; assiduè illine. Exulcerata autē cute & circundolente, sequentibus utendum. Pinguis compositio ad faciei manantes & squamosas affectiones, ac asperitates, utilis etiam existit sedi, conuenitq; ambustis ab igne. Spumæ argenti unciā unam, ceræ tyrrhenicæ trientē, ouorum assatorum uitellos tres, adipis anserini bene subacti trientem: spumam argenti in farinā redige, ac adijce ei oua, deinde his simul unitis infunde quantū sufficit lactis, ut ad strigmentitiā crassitiē redigātur, postea cerā liquefactam unà cū pingui, refrigeratāq; ac erasam, conijce, ac simul cōmisce, atq; in pyxide reconde. Vsu uero exigente, de eo quātum satis esse uidebitur accipe, ac cū rosaceo dilutum impone. Potes autem & sedis remedijs, & quæ ad ambustos ab igne descripta sunt, consimiliter in hac affectione uti.

Ad faciei lentigines remedia, quibus etiam ad maculas à sole prouocatas, & ad uaros utilicet. Cap. X.

Vitis albæ itemq; nigræ radices cum oleo decoque, donec succulentæ reddantur. Tollit etiam tum

lentigines,tum uaros,oleum amygdalarum cum cera,radix lilij cum melle. Maximè omnium autem lentigines delet gummi & nitrum æquali pondere, melle permixta. Aliud. Brasicæ semen aqua contritum illini,absterso tamen & confricato prius loco. Vbi uero exaruerit atq; cutis attollatur,prolue aqua multa frigida, & illinito pingui anserino, aut medulla cerui,aut etiã cerato ex aliquo huiusmodi apparato. Cauẽdũ aũt est,ne quis post excoriationẽ incidat in ea quę faciẽ offendere possunt, qualis est aër frigidus,aut uentus, aut prolutio faciei. Aliud. Sandarachã attere cũ melle ad strigmẽti densitatẽ,& per dies sex illinito,arefacta autẽ cute atq; eleuata, utere galbano cũ modico nitro & aceto dissoluto. Aliud,ad uibices ac lentigines:Columbę stercus cũ acri aceto tere ac utere,& miraberis. Ad diuturnas autẽ lẽtigines his utere. Radicis cucumeris syluestris sextãtẽ,cimoliæ unc. I. in puluerẽ redige ac repone. Vsu uero expetẽte,quãtũ suffecerit in aqua dilutũ illini. Aliud. Bulborũ depuratorũ unc. I. thuris unc. I. cõtere,adiecto cochlearũ terrestriũ magnarum cruore. Oportet autẽ ipsas adhuc uiuas stylo pũgere, atq; id quod effluit muccosum,pharmaco inijcere:quod ubi usus tẽpore dissolueris, melle exceptũ inũge. Eũdem effectũ pręstat ari radix,sicca cũ melle,& umbilici,ueneris radix, cerato liquido excepta ac illita.

Smegmata ad lentigines in calli modum obduratas. Quandoquidem contingit aliquando sublatis lentiginibus callosam reddi cutem, ac uix curabilẽ fieri affectionem,utẽdum est post lentiginũ excoriationem huiusmodi smegmatis. Farina erui chœnicis Italici dimidium,farinæ hordaceę tantundem, scillę assatæ sextantem,omnia in puluerem redacta, candido oui excipe, & in pastillos redige, quos in umbra desiccatos adserua:usu uero expetente cum aqua dissolutos illinito,& post modicã temporis intercapedinẽ frigida abluere iubeto:aut cremore in quo furfur maceratus est, maximè si adest inflammatio.

Aliud. Spumę nitri drachmas octo,alcyonij dra. VIII. galbani drachmas octo,amygdalarum amararum delibratarum drachmas tres,melle excipe,ac illitum sinas arefieri. Deinde iube faba dentibus contrita extergi,ac ablui aqua moderatè frigida : cautosq; esse pręcipe,ne aut à uento,aut à sole lædantur.

De maculis à sole prouocatis, quas Græci ἐφηλίδας *uocant, ex Critone.* Cap. XI.

Fiunt etiam in facie maculæ,quas Græci ἐφηλίδας uocant,eò quòd à sole prouocentur, maximè circa malas & nasum:& apparent sanè non in alto fixæ, sed instar flosculorum productæ,quare leniter eas confrictas attollere oportet, ac sinere arefieri, cõmonereq; ut uno aliquo ex smegmatum genere extergantur. Discutiũtur enim ab illis,aut certè ita abscedũt, ut digitis auelli queant. Verum non uiolenter id facere conuenit,sed leniter & paulatim. Quòd si adhuc inhæreat,nihilo leuiores reddite,subscriptis utẽdum est. Brasica contrita,& illita,ad maculas à sole productas,& lentigines,atque omnia alia quæ mediocri extersione ac repurgatione indigẽt,utilis est. Similiter autem & sepiæ testæ ustæ, aut testæ purpurarum,ac buccinorum cum melle illitæ. Oportet autem has testas in crudam ollam coniectas in fornacem immittere ac assare. Oribasij ad maculas à sole prouocatas,uarosq; & uitiligines. Farinæ erui libras duas,seminis erucæ libram unam,amygdalarũ amararũ,cucumeris syluestris radicis,cuiusq; librã unam,in uino mulso dissoluta & contrita illini, ac post horæ spatium spongia absterge. Aliud ualde admirabile. Ceræ tyrrhenicæ drachm. XV. olei rosacei drachmas septem & dimidiam,pinguis anserini unciam unam,spumæ argenti lotæ & dealbatæ unciam unam,cerussæ unc. I. gummi drachmas quatuor,mellis Attici unc. I. dissolutis illini faciem : & post spatium horarum sex spongia deterge,ac laua cum sapone. Aliud Oribasij. Lupinos in lixiuio per triduum maceratos contere,& cum eis lentigines illini, donec auelli possint. Aliud. Saponem Gallicum aqua tritum modico adiecto melle inunge,& per horas tres inhærere sine,aut stercus columbinũ linteolo exceptũ ac in puluerem exustũ, cum oleo contere,ac illine cõfidenter. Idem probè efficit myrobalanos contrita illita:itemq; bulbus crudus per se uel cũ oui luteo & aceto aut melle. Exusti autem bulbi unà cũ alcyonio illiti depurgãt lẽtigines: quod facit elateriũ quoq; illitũ,& casia cum melle, brasicæ semen cũ aceto,hederæ folia uino decocta, radix umbilici ueneris cũ cerato liquido illita : aut cucumeris syluestris radix:aut fici uirgulta in aceto decoque,ac cõtusis utere:quod idẽ & uitiligines sanat. Aut rubiã oleo cõtritã,aut costũ aqua cõtusum, aut nitri spumã cerato liquidiore exceptã, aut lupinos crudos cũ lixiuio coactiliariorũ decoctos & cõtusos,cũ melle illini. Aliud. Radices narcissi delibratas in aceto decoque,ac tere, iniecta farina erui sufficiẽte,& pastillos informa:quos in umbra exiccatos,in usum adserua. Qui ubi postulauerit contritos cũ melle,ad uesperam illine:mane autẽ rursus ablui præcipe. Aliud. Lilij bulbos quinq; cõtere, & conijce spumæ nitri lib. I. deinde melle quantũ suffecerit cõmistũ illini, usquequo integrè curentur, ut iã antea dictũ est. Aliud. Amygdalarũ amararũ partes II. melãthij torrefacti partẽ I. unumquodq; seorsim contere, & cũ melle cõmisce:illinito autẽ ad uesperã, maneq; abluito cũ aqua dulci. Vtere autẽ uno aliquo ex smegmatis superius ad faciei nigredines præscriptis:itemq; his quæ sunt illis uicina, ac similia. Vtile aũt est & hoc,præsertim si fuerint diuturnæ,buccina exure,ac cũ melle contere,& ad uesperã illine:mane autem ablui cum aqua dulci præcipe.

Aliud ad solares maculas,ualde pulchrũ. Oua integra in aceto macerato, donec testa quàm tenerrima fiat, deinde superius perforato,ac extrahe ab eis candidũ:pòst uero iridis Illyricę tusæ ac cribratę,& melanthij in tenuissimum puluerẽ redacti, & thuris ęquas partes cũ eis cõterito, adiectoq; melle sufficiẽti,ut dictũ est,utitor. Quòd si adhuc perseuerauerit affectio,huiusmodi excoriatorijs utendũ erit. Excoriatoriũ macularũ à sole prouocatarum & lentiginũ. Melanthij quadrantem, seminis ocymi quadrãtem,radicis ari quadrantem, aqua subigito & imponito,ac sinito adglutinari:post aliquantũ uero interstitiũ detrahito,atq; aqua calida quàm plurima proluito. Aliud. Quod ad callosam faciẽ cõducit, siue per ætatem, siue per continuã pharmacorũ acriorũ excoriationẽ calli sint cõtracti, seminis erucæ sexuncem,ammij, cardamomi, radicis ari, costi, cuiusq; quadrantem,contundito,cribrato,ac reponito. Vbi uero necessitas exigit,quãtũ satis uidebitur accipito, acetoq;

aceto & subactum imponito satis cōdensatū: quū uero adglutinatum fuerit, acetum aut aquam per spōgiam instillato. Facta autem excoriatione, multam aquā calidā adfundito: à prolutione uero subie tam mixturā panniculo laneo exceptā imponito. Cerussæ drac. VIII. spumę argēti lotę drac. IIII. adipis anserini sexūcē, medullę ceruini sexuncē, œsypi medicamēti quadrantē, adipis suilli recētis quadrantē, olei sesamini quantum sufficit. Oportet autē fomentū adhibere bis in die: eleuata autē cute, sequens ceratū est imponendū. Adipis caprini à fibris depurati & loti lib. II. olei susini sexuncem, olei rosacei, & amygdalini, ceræ, masticheś, cornu ceruini usti, salis ammoniaci, cuiusq; unc. I. terræ cimoliæ trientē. Ea quę eliquari possunt liquefacito & percolato, deinde rursus ad carbones lentè decoquito, & ad ea quæ sicca sunt in mortariū adfundito, ac probè unitis utitor. De exulcerata mēti scabricie. Vtendum est ad eā his, quæ paulò pòst in capite uidelicet decimoquinto descripta sunt, ad manātes menti papularū eruptiones.

De stigmatis siue notis à uerbere illatis. Cap. XII.

Stigmata appellant, quę in facie, aut alia quapiā corporis parte infliguntur, notas, quales uidemus in manibus eorum qui militiam exercent. Atramento autem utuntur illi tali: lignorum spinę Aegyptię & maximè corticis libram unā, æris usti sextantē, gallarum sextantē, atramenti sutorij unciam unā, cōtundito ac cribrato, primumq; æs ustum cū aceto terito, deinde & reliqua cōtrita conijcito, affusisq; aquę quidē partibus duabus, succi uero porri parte una, & probè unitis utitor. Oportet autem locis prius cū acubus punctis sanguinem extrahere, & primū porri succo illinire, postea uero ipsum adhibere pharmacum. Porrò quibus eiusmodi stigmata extirpare penitus uolumus, illis subscriptas mixturas adhibebimus. Calcis partē I. nitri assati partē I. cum lixiuio coactiliariorū terito, & nitro asperso locū prius pręparato & extergito: deinde illinito continenter. Idē quoque ad uerrucas myrmecias dictas, efficax existit. Aliud, quod stigmata tollit. Piperis drach. II. rutæ dra. IIII. auripigmēti drac. IIII. cōtere, & adiecto melle, in pyxide figulina repone. Vbi uero usus expetit, supra stigmata prius nitro confricta, resinā terebinthinā impone, uinculo adhibito in dies V. postera autē die sexta solue, atq; acu stigmata penetra, & cū spōgia sanguinē exterge, salemq; tenuissimū in ipsas puncturas insperge: quē tamdiu inhærere sinas, donec stadia decem quis cursu cōfecerit: deinde prędictū pharmacū linteo exceptū impone, neq; soluas per dies quinq;: sequēti uero sexta solue, & stigmata scalpēdo expoli, atq; ubi quod nigrū fuerit detraxeris, rursus pharmacū ipsum illinito cum pęna. Eruit enim in uiginti diebus citra magnā exulcerationē, non relicto etiam uestigio cicatricis. Idem efficiunt mordendo erodentia medicamina in uulnerū tractatu descripta.

De uaris faciei, qui tum Ionthi, tum Acnæ Græcis uocantur. Cap. XIII.

Solet circa faciei cuticulam tuberculum oboriri, paruum quidem, sed durum, quod uari nomine appellatur. Id sanè à crasso humore producitur. Quare cura eius per ea quæ duriciem emolliunt, & tumorem discutiunt, medicamina perficitur: quorum syluam eiusmodi tibi parabis. Lilij radicem tritam cum melle illinito, aut cyclamini radicem cum melle, aut narcissi radicem cum melle, aut cassiam cum myrrha & melle, aut plumbaginem cum aceto, aut pulegium tenuissimè tritum, ac cerato exceptum impone.

Aliud. Mellis & aceti acerrimi, cuiusque æquales partes simul permixtas illini, ac digito circumterere. Aliud. Sepiæ testæ ustæ sextantem, costi sextātem, myrobalani unciam unam, contere cum aqua & illini, arefactum uero rursus humecta. Aliud. Costum contunde, & cribratum in tenuissimum puluisculum redige, deinde cum felle caprino commixtum in cerati modum effinge, & cum eo uaros ad uesperam illini: mane uero à somno, lacte, qualecunq; adfuerit, faciem abluere iube. Aliud. Alumen scissile quàm tenuissimè contere, & resina terebinthina exceptū impone. Quū autē diu perstiterint uari, his utendū erit, Saponis Gallici drach. IIII. ammoniaci thymiamatis drach. I. thuris drach. I. dissolutio in aqua, & ad cerati densitatē reducito, sicq; illinito, ac post horę spatium ablui cū calida pręcipito.

Aliud. Rhois culinarij, hissopi, pulegij, salis fossilis, seminis ocymi, cuiusque æquales partes, cerato rosaceo excipe, ac utere. Aliud, quod ad eminentiores faciei affectiones, itemq; pruritus efficax est, necnō ad principiū elephantiasis. Gummi albi & nitri ęquas portiones, acri aceto dilue & illini. Vbi uero exaruerint, subscripta mixtura depurga. Saponis Gallici lib. I. ammoniaci, spumæ nitri, thuris, mastiches, cuiusq; quadrantē, saponem, & ammoniacū in uase fictili cū aquę chœnice unà decoquito. Vbi uero dissoluta fuerint, sicca cōtrita ac angustissimo cribro excussa, inijcito: deinde transfer in pilā, probeq; cōtusum uitreo uase recōdito. Necessitate uero expetente faciem illinito, & post paruū interstitiū multa aqua abluito: prius leniter facie confricta. Hoc pharmaco semper ad uaros utere. Aliud ad uaros, celebre. Nitri rubri sextantē, cimoliæ unciā unā, thuris drach. IIII. farinæ erui unciam unā. Vtere autē hoc modo: Accipe halcyoniū, ac per se optimè cōtere, deinde iniecto oleo simul tere, & ex eo faciem ad uesperā illini. Mane uero à somno præscripta compositione exterge. Aliud smegma, quo per omnē curā uarorū uti conuenit. Farinæ fabarū, farinæ sesami, medullæ peponis siccę, cuiusque drach. IIII. contere, & cum his exterge. Aliud. Nitrum cū myrrha tritum aqua permixtum exhibe, eoq; extergatur.

De ficosis faciei tumoribus. Ex Galeno. Cap. XIIII.

Est & hæc una aliqua ex menti affectionibus, in hoc differens à uaris, quòd non solum crassus existit humor à quo producitur, sed serosa etiam tenuitate participat, ob quam & citius exulceratur, si quidem nō ut conuenit cures, & siccioribus etiamnum indiget remedijs, quàm ea sunt quæ uaris adhibentur. Oribasius ad Eustathium. Ficos appellant germina ulcerosa, rotunda, subdura, rubicunda, quæ consequitur etiam dolor. Nascuntur autem ut plurimum in capite, atque etiam reliquo corpore, de quibus Crito sic scripsit. Ad ficosas menti eminentias, Critonis. Spumæ argenti drach. IIII. thuris drach. II. salis fossilis drach. II. sandarachæ drach. I. contrita simul impone. Aliud ualde præclarum. Elaterij drach. II. salis fossilis tantundem, chalcanthi drac. II. sandarachæ drachmam unam, misce: & cum specilli instrumēti, quod melā Græci appellant, extremo admota impo-

impone, præhumectato prius loco quo pharmacum melius insideat: post impositionem uero cataplasmate seminis lini aqua dissoluti superne contege. Aliud, Archigenis, ad capitis & mẽti ficos. Chalcanthi assati, aluminis scissilis, glutinis, cuiusq; ęquales partes, squamæ æris duplum: glutinum in aceto maceratum dilue, & cum eo reliqua trita committe. Vbi uero uti uelis, in aceto rursus dilue, ac ex eo ficosas eminentias inunge, & rasura tenuis linteoli contege. Inhæret autem pertinaciter, atq; citra cicatricem ficos depurgat. Vtor autem & hoc ipso pharmaco ad callos fistularum leniẽdos in collyria informato. Quòd si humidi sint tumores, nimirum aqua effluẽte ex eis, uelut à fonte, pura, subscriptis remedijs utendũ erit. Pastillus ad ficosas mẽti eminẽtias. Reprimit autẽ omnes tumores qui accidũt illis, qui male cicatricem obduxerunt: quemadmodum uidemus in his, quibus palpebræ aut labia sunt consuta: Squamæ æris sextantem, misyos assati sextantẽ, auripigmenti sextantẽ, diphrygis drachmas tres, chalcitidis ustæ drachmas quatuor, æris usti drachmas quatuor, glutinis fabrilis drachmas quatuor: cõpone & utere ut dictum est in priore. Nam & ob eius usum, magnum nomen adeptus sum.

Ad manantes menti papularum eruptiones, ex Critone. *Cap. XV.*

Conferunt quidem & his plurima eorum quæ antea ad capitis ulcera manantia præscripta sunt. Proprie autem prosunt hæc: Spumæ argenti, chalcanthi, mali corij, baccarum myrti, singulorum ęquales partes cum uino & oleo myrteo tritas illinito. Aliud. Pręclarum & hoc est: Verbenacæ supinæ drachmas octo, acaciæ drachmas octo, myrrhæ drachmas duas: cum uino tritis utere. Aliud. myrrhæ unciã unã, thuris sextantem, acaciæ trientem, utere cum uino. Aliud. Spumæ argenti, ladani, baccarum myrti nigrarum, seminis hyoscyami, mali corij, æqualibus partibus cum uino & oleo myrteo aut rosaceo permixtis utere. Aliud, quod & ad ea quæ instar faui melle manant ulcera, melicerides Græcis appellata, cõducit: siue ea in mẽto, seu in capite existãt: quę à Syris appellãtur Sanalia. Spumę argenti & baccarum lauri, ęquales partes cum aceto ac oleo myrteo illinito. Experimẽtũ enim bonũ de se prębuit sæpe.

De impetiginosis tum menti, tum reliqui corporis tumoribus ex Galeno. *Cap. XVI.*

Præterea & hæc affectio ex mixto quopiam generatur humore, nimirum serosis & tenuibus acribusq; humoribus unà cum crassioribus permixtis: quapropter etiam facile in psorã & lepram transit. Indiget itaq; hęc affectio pharmacis fortiter desiccantibus. Quòd si uero in psorã aut leprã trãsierit, ad hoc quòd desiccantia remedia adhibẽda sunt, necesse erit & repurgantibus uti. Itaq; Crito ita scripsit, ad eas quæ in mẽto prodeunt impetigines, lichenas appellatas: Affectio, inquit, est insuauissima, & pruritum inferens, & circumtensionem, & periculum nõ minus. Proserpit enim aliquando per uniuersam faciẽ, & oculos ipsos cõtingit. Quare diligẽtiori cura utẽdum erit, ubi ea quæ iam longo tempore perseuerarunt, ab his quæ recẽs prodierũt discreuerimus. Ad recẽtes igitur impetigines cõueniũt hęc: Perdicij herbæ folia cõtinenter in loco cõfrica, aut thus, aut ammoniacũ cum aceto terito, aut etiã cũ perdicij succo, ac illinito. Aliud. Liquorem qui ex humidis oleę lignis dũ cõburuntur effluit, illini. Idẽ facit quod ex brassicæ caule dũ aduritur, destillat, illitũ. Aliud. Maluę agrestis semẽ depuratum collige, contereac expressum inde succũ repone, eumq; assidue illine. Aliud. Portulacæ succum continenter illinito. Aliud. Lacrymam syluestris oleæ cũ aqua diluito, & adiecto modico styrace, unito ac imponito. Vbi uero iã diu durauerint impetigines, uiticis folia cum aceto trita illini, aut hastulæ regiæ radicem in aceto decoctã & tritã adfrica. Aliud ad diuturnas impetigines. Chamæleonis nigri radicẽ in aceto decoque, cõtere, & illine. Verũ quũ ad diuturnas impetigines multa & uaria excogitata sint remedia, particulatim de singulis dicã, initiũ sumẽs à pastillis. Pastilli. Pastillus ad impetigines in quacunq; corporis parte cõsistãt: Alcyonij usti drach. II. sulphuris uiui, thuris, pyretri, spumæ nitri, cuiusque drah. II. chamæleonis nigri radicis dra. IIII. hastulæ regiæ radicis dra. IIII. glutinis drachmas quatuor. Glutinũ in aceto dilue, & cũ eo reliqua excipe, desicca, & utere cũ aceto. Pastillus ualde celebris. Foliorũ fici siccorũ dra. XII. chalcitidis crudæ dra. X. calcis uiuæ drachmas octo, misyos crudi drachmas quatuor, thuris drachmas quatuor, sulphuris uiui drachmas octo, aceto subige, & cum aceto utere. Pastillus ad impetigines. Qui & callos extirpat, & cicatrices supra opinionem: Thuris, testarum buccinorum ustorũ, fimi columbini, alcyonij, gummi, singulorum æquales partes contere cum lacte, & informa pastillos, ac utere cum aceto. Pastillus alius. Lacrymæ oleæ syluestris drachmas quatuor, thuris drachmas quatuor, sulphuris uiui, alcyonij, spumæ nitri, halicæ cõtusæ & cribro excussę, cuiusq; drachmas octo. halicam in acetum multũ atque acerrimũ coniectã tã diu decoque, donec uiscosa reddatur: reliqua uero cum ea ipsa cõmissą in pastillos informa, ac cũ aceto utere. Circũlitiones ad impetiginẽ. Ad impetigines maxime feras: Nitri, chalcitidis assatæ, ammoniaci thymiamatis, succi serapiadis tres testiculos habẽtis, ęquales partes cõtunde, & cũ aceto illini: efficax est & ad humentes impetigines, atque ego sane usus sum, & ex animi sententia successit. Aliud. Stercoris dorcadis unciã unã, thuris unciã unã, contusis utere cũ aceto, ita ut cum nitri spuma impetiginẽ prius cõfrices, & miraberis. Aliud, quod & ad impetigines & uitiligines ac lepras ualde cõmodũ existit. Stercoris muris, chalcanthi, sulphuris uiui, cuiusq; bessem, farinæ fabarum uncias XIIII. aceti sextarios quatuor. Muscerdam contunde, & cum aceto decoque: atque ubi bis aut ter efferbuerit, sulphur insperge & chalcanthum, animaduersione habita, ne efferueant & effundantur: deinde ubi parum saltem concocta fuerint, etiam farinam fabaceã inijce, & simul ad strigmenti crassitiẽ decocta redige, & ablatis ac reconditis utere. Ad lepras quidẽ linteolo exceptũ impone, ac post quintum tandẽ diem abstrahe. Ad impetigines uero aceto dissolutum continenter inunge. Illitio cocta, ad diuturnas impetigines, quæ citra exulcerationem eas summouet. Halicæ mola tritæ ac cribro quàm arctissimo excussæ uncias quatuordecim, chalcitidis, cimoliæ, sulphuris uiui, misyos, cuiusque sextantem, spumæ nitri, aluminis scissilis, alcyonij, radicis hastulæ regię, thuris

ris, lacrymæ oleæ, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, cuiusque unciã unã, aceti chœnicas tres. Alcyonium, hastulam regiam cum aceto decoquito: atque ubi ad medietatem redactũ fuerit, percolato. In colamento uero ammoniacum, thus, & reliqua sicca dissoluito: halicam uero in aceto quod superest decoquito: deinde reliquis adiicito, ac simul commissis utitor. Aliud ualde præclarum. Aceti acerrimi sextarios octo, farinæ hordeaceę uncias uiginti quatuor, mannæ thuris uncias quatuordecim, radicis rumicis syluestris drachmas octo, radicis albuci drach. VIII. ueratri albi drach. X. alcyonij dra. X. cardamomi drachmam unã, terræ cimoliæ drachmas octodecim, glutinis drachmas XVI. spumæ nitri drachmas XVI. uirgultorũ halicacabi uiridium fasciculũ quantum manu comprehẽdere potes, appara & utere ut dictum est. Quòd si hæc affectio diutius producatur extendaturq́, & in callos transeat, nihilominus his quæ dicta iam sunt utendum est: maxime uero congruum est quod sequitur. Misyos, myrrhæ, thuris, aluminis scissilis, cuiusque drachmas octo, aloës, sulphuris uiui, cuiusque drachmas quatuor: hæc cũ passo ad strigmenti crassitudinem redige, & bis ac ter in die loco prius confricto, illine: foris autem conseruandi pharmaci gratia pelliculam uesicę, aut ex ouo suprapone. Oribasij lichenicum pharmacum, facit idem etiam ad pruritus. Chalcanthi, sulphuris uiui, nitri, thuris, æqualibus portionibus utere: ad impetigines quidem, cum aceto: ad pruritus uero, cum uino. Aliud, quod impetigines in paucis arcet diebus, ualde commodum, quare præexigendam suadeo mercedem. Sulphuris drachmas octo, calcis drachmas octo, chalcitidis crudæ drachmas octo, thuris drachmas quatuor, misyos drachmas quatuor, foliorum capparis uiridium depuratorũ drachmas duodecim, cum aceto tere, ac informa pastillos, & utere. Emplastrum liquidum, multi ad impetigines experimenti, cuius rei nuper adeò periculum feci. Picis siccæ, ceræ, resinæ colophoniæ, ueratri triti, olei, æquales partes. Per experientiam cõmẽdatum hoc tibi habe, propterea & mercedẽ præexige. Quãdoquidem uero plurimi sunt, qui illitionum usum auersantur, malũtq́ adhibere emplastra, utpote quæ neque per sudores obortos defluant, neque arefacta etiam cutem circumtendant, annectam & horum aliquot apparatus. Emplastrum ad impetigines, quod citra exulcerationem eas submouet. Ceræ, picis liquidæ, thuris, resinæ terebinthinæ, sulphuris uiui, cuiusque sexuncem. Quæ liquefieri possunt, liquefacito, siccaq́ cũ eis committito. Aliud quod similiter citra exulceratione opitulatur. Picis liquidæ libram unam, mannæ, sulphuris uiui, farinæ lupinorum, cuiusque unciam unam, galbani sextantem. Picem calefacito, & galbanum præmollitum adiicito: liquefactis uero, ac ab igne ablatis reliqua inspergito ac unito. Vtere autem hoc ut uehementer commodo. Aliud, quod citra exulcerationem auxiliatur. Chrysocollæ siccæ qua aurifabri utuntur, chalcitidis assatæ, misyos assati, squamæ æris, diphrygis, salis ammoniaci, terræ cimoliæ, cuiusq́ drachmas quatuor, æruginis drachmas duodecim, chalcanthi drachmas VI. lapidis asij, æris usti, utriusque drachmas sex, soreos drachmas quinque, aluminis liquidi drachmas quatuor, contunde omnia diligenter, & adiecto aceto sedulo in sole subferuentis caniculæ æstu contere, donec ipsum pharmacum æruginem contrahat. Apparetur autem in alio quopiam mortario, thuris sextãs, myrrhæ sextans, aloës uncia una, ladani uncia una, opoponacis uncia una: hęc in aceto diluta & ad strigmentitiam crassitiem redacta, illis quæ antea in æruginem commutata sunt iniice, ac rursus contere, atque his omnibus aristolochiæ contusæ & cribratæ unciam unam adiice, & rursus tere. Quum uero omnia in formam emplastri redacta fuerint, liquescibilia liquefacito, ac affundito. Sunt autem liquescibilia hæc, ceræ drachmas centum, terebinthinæ drachmas CC. galbani drachmas nouem, olei libram unam, emollita in usum adseruato simul omnia. Hoc ipsum pharmacum duplici aspectu se uidentibus offert. Aliud, quod similiter ad dictas impetigines efficax est, ut etiã ea quæ intus relinquũtur reprimere possit. Picis, bituminis, resinæ pinus, ceræ, sulphuris uiui, mãnæ, æquas portiones, olei cyprini quantum sat fuerit: Liquescibilia liquefacito, & inspergito sicca: in tenui autem pellicula excepta imponito. Emplastrũ aliud ad impetigines. Picis siccæ quadrantẽ, picis liquidæ unciam unam, salis unciam unam, resinæ colophoniæ, ceræ, sulphuris uiui, cuiusque unciam unam, nitri fului unciam unam, chalcitidis unciam unam, olei sextantem: utere. Excoriatoria impetiginum. Verum ubi iam affectio stabilis facta fuerit, & pharmacorum adhibitioni & molimini resistit, utẽdũ erit excoriatorijs. Ea enim ex facili superficiem auellunt. Excoriatorium impetiginũ, quo Pamphilus usus est Romæ: & plurimum sanè profecit, quum in urbe mentagra grassaretur, quæ impetigo uera existit. Squamæ ęris drachmas octo, auripigmenti drachmas quatuor, sandarachæ drachmas quatuor, æris usti, ueratri albi, cantharidum, reiectis alis & pedibus, singulorum drachmam unam & dimidiam: unumquodque per se contere: deinde simul contusa cedria excipe, ac in densitatem strigmentitiã redacta, in pyxidem æris Cyprij repone. Vbi uero necessitas exigat, nitro ac modico aceto impetigine confricta, pharmacum hoc cum specillo lato, spathomelam Græci uocant, illine: atque ubi iam adfricueris, modicúmque temporis spatium intercesserit, cũ specillo derade, ac rursus aliud illine: bisq́ ac ter eodem repetito, locos illitos cum pellicula uesicæ bouillę, aut alterius cuiusdam animantis contege: post pelliculæ uero impositionem fasciola leuiter colligato, ac sinito pernoctescere, si quidem tamdiu sustineat: si uero non, ad horas aliquot, donec bullas exsuscitet sanie crassa & glutinosa repletas: quibus productis lauari iubebimus, atque remorari aliquãdiu in balineo: etenim hoc ipsum curã adiuuare solet. Sit autẽ calidius ipsum balineũ. Quòd si prohibeat quid balineo uti, fomenti utendum est calida aqua multa: quæ ubi iã ad molestiã usque affusa fuerit, extergere cõuenit, ac panẽ cũ aqua mulsa subactũ imponere. At ubi sordibus ulcera scatuerint, emplastrũ uiride spleniolo exceptũ adhibeto, modico itidẽ de excoriatorio præscripto admixto. Exclusa autẽ sanie, & nullo amplius tectorio ulceri incumbente, exemplestro albo linteolum paruum illitum imponimus: eoq́ utimur donec omnino ad cicatricem perducatur, quotidie fomento adhibito,

ac nouo spleniolo ex emplastro albo illito. Porrò ante admotionē excoriatoriorum, uicinas impetigini partes munire oportet pharmaco quopiā ex his quæ ab inflammatione locos tuentur, atque ita excoriatorium ad impetiginem solam adhibere. Excoriatorium ad mentagras, ut citra cicatricis uestigium ad sanitatem perducantur. Efficax est & ad alopecias ad solem uel ad ignem illitum. Vbi uero bulla producta fuerit, eā acu penetrare oportet, excluso autem humore, ceratis curare: cicatrice enim inducta, enascuntur pili. Atque ita quidem ad alopecias adhibetur. Ad impetigines uero utendum est eo modo qui prædictus est in excoriatorio primo. Pharmacum uero ipsum huiusmodi est: Sandarachæ, auripigmenti, squamæ æris, ueratri nigri, cuiusque drachmas duas, elaterij drachmas quatuor, uentrium cāntharidum drachmam unam, excipe cedria. usus autē iam antè ostensus est. Emplastra uiridia post excoriatoria adhibenda. Post ipsum excoriatoriorum usum, subiecta uirida emplastra adhibenda sunt: nimirum ad ulcerum ipsorum repurgationem. Viride emplastrū, quo Pamphilus usus est ad mentagram, post eruptionem scilicet bullarum. Ceræ libram unam, resinæ pinus siccæ libras duas, æruginis quadrantē, olei ueteris bessem, aceti acerrimi quantum suffecerit. Aeruginem ad solem cū aceto conterito, liquescibilia liquefacito, & frigefacta, ac in mortarium coniecta simul unito. Aliud. Aeruginis drachmas II. mannæ drachmas IIII. galbani drachmas III. adipis uitulini drachm. XII. ceræ drachmas octo, resinæ pinus drachmas octo, aceti quantum satis uidebitur, committe. Aliud, quod euchron, hoc est, boni coloris, appellatur. Aeris usti quadrantem, aluminis rotundi, æruginis, salis ammoniaci, mannæ cuiusq; sextantem, ceræ libras duas, resinæ pinus siccæ libras duas, olei dextātem, aceti quantum ad sicca conterenda suffecerit. Emplastra alba ad cicatricem perducentia. Verum ubi iam per præscripta emplastra uiridia, ulcera ipsa repurgata uideris, utendum erit emplastris albis, quo absq; cicatricis uestigio ad sanitatem perducantur, quare neutiquam hæc reliquenda censeo, ut quæ ea multa ad tactum lenitate cōmittunt. Emplastrum album, quod aquosum appellatur. Hoc emplastro Magnus medicus usus est, post impetiginum excoriationem. Cerussæ, spumæ argenti, ceræ thyrrenicæ, aquæ puræ, singulorum libram unā, olei omphacini libras duas. Spumam argenti, cerussam, & aquam simul contere, atq; ubi tenuissima facta fuerint, oleum guttatim instillatum simul contere, donec sufficienter fuerint counita: deinde in fictili uase ad ignem adhibe, ac continenter agita: quum uero aqua cōsumpta fuerit, injice ceram: Atque hoc modo in mortarium infusa emollito, ac utere. Aliud. Cerussæ libras duas, misyos crudi sextātem, terebinthinæ unciam unam, ceræ sexūcem, olei libras tres, aquæ chœnicas duas, compone ut prædictum est, ac utere. Licebit etiā uti ceratis sedis, & quę ad ambustos descripta sunt tenerioribus.

Ad molestum oris odorem. Cap. XVII.

Ad grauem oris odorem, qui citra exulcerationē accidit: Irin in uino ueteri odorato maceratā, ad colluendum continuè exhibe, atque etiam in ore retinendam aliquandiu: aut myrrham in uino meraco dilutam colluendam præbe: aut acre acetum colluat quotidie, uespere dormitum iturus: mane uero spicæ nardi decoctum ore colluat, aut ipsam sub dentibus conterat: aut potamogetonis folia quotidie dentibus contrita expuat: aut rosarum floribus continuè confricato: aut fici syluestris radicem urito, & cinerem eius cum melle illinito: aut parum cyperi, aut floris iunci odorati contundito, & gingiuas continuè confricato: aut cimoliam cum sale terito & affricato. Aut hordeum cum sale, melle subactum & linteolo illigatum urito, & contritis utere: aut similaginem melle subactam ac exustam adhibe. Aliud. Salis albi, pumicis, origani, cuiusq; unciam unam, iridis sextantem, floris iunci odorati sextantem: his simul contritis dentes fricato & uniuersum corpus. Bonum enim odorem facit, & dentes dealbat.

Aliud, ad fœtorem oris. Chalcitidis crudæ drachmas XII. ueratri albi drachmas octo, trita illine.

Aliud. Chalcitidis drachmas XII. cadmiæ drachmas octo, in aceto tere, & per aliquot dies ad solem æstiuum expone, desiccatoq; utere. Vtile est & ad sanguinolentas gingiuas, itemq; putrescentes. Bibāt autem & ipsi ea quæ præscripta sunt illis, à quibus per totum corpus teter odor transpirat, in hoc ipso Sermone, capite octauo. Aliud, ad crassitiē labiorū. Prominet in plerisq; superius labrum, aliquādo etiam inferius, ex defluxu uehemēti à capite delato, ut præ densitate labrum intumescat, & ad sermonis prolationē præpediatur: ultra hoc, quòd aliàs indecentia quadā faciem dehonestet. Quare curabis hos aut incisa uena, aut purgatos per consuetas excretiones. Post hæc aūt adhibebis illitiones ac pophlegmatismos, quibus defluxus pituitę à capite tollitur ac sedatur. Deinde illitionibus ad os descriptis illines palatum: quibus præmissis, porri succū cum oleo uetustissimo ad interna labiorū illini, aut foliorum brassicæ succum unà cum oleo ad affectum labrum continue admoue: aut glauciū cū uino, aut cimoliā, aut Musæ pastillum, aut pastillū ex halicacabis cū uino.

Ad labiorum fissuras. Cap. XVIII.

Oui internam pelliculam fissuris labiorū adglutina, aut quod pelliculæ similitudine, circa palmarum ossicula adheret, aut araneorū à trabibus depēdentium texturam maxime albā. Eas uero quæ in altum magis se extendunt fissuras, cum adipe anserino, aut caprino curabis, aut cū medulla bouilla, aut ceruina, ita ut cū semperuiuo atq; terebinthina unita, illinas. Aut gallā omphacinen tritā, terebinthina aut œsypo liquido, aut melle excipe, & impone.

Aliud. Gallā & mastichen quàm tenuissime trita, œsypo, id est, lanæ succidæ sordibus, in formā cerati redactis, excipe, ac utere. Aliud. Gallarum unciā unā, cadmiæ unciam unam, cerussæ quadrantem, cōtere cum rosaceo, & illine. Aliud. Cyperi sextantem, gallarum unciam unam, aluminis scissilis drachmā unam, contere, ac siccū insperge. Aliud. Mastichen cum uino tritā & dilutam illine. Aliud. Fecem aceti ustam, myrteo aut rosaceo cerato exceptam, impone. Idem etiā ad magnas in extremis ac summis corporis partibus inflammationes conducit. Aliud. Testarū ouorum ustarum, gallæ, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum æquales partes lanæ succidę sordibus exceptas impone. Ad omnia labiorū ulcera, & ad ea quoq; quę cacoëthe appellāt.

Ostrea usta tenuissimè trita insperge. Ego autẽ & non usta contriui, eisq; usus sum, neq; male cessit.

Aliud, ad fissuras labiorum. Musę pastillum cum sapa aut uino dilutũ, satis crassum illinito. Optime prodest & id quod ex amurca, ad ulcera oris quæ aphthas appellant, apparatur. Idemq; similia remedia efficiũt, quę ad fissuras sunt descripta, atq; etiã pastillus ex halicacabis cũ uino. Ad tubercula in labris.

Vtẽdũ est & ad hæc pręscriptis ceratorũ formis, atq; etiam hoc ipso quod subieci: Radicis rumicis ustæ, nitri usti, terebinthinæ ustæ, singulorũ æquas portiones, cõtritas cerato excipe, & illine. Aliud. Adipem anserinum, melle ac solani succo mixto adhibe. Confrictis autem prius ulceribus, cum penna sæpe illini. Repurgat enim tubercula in internis labris oborta. Colluat autem ea & ante illinitionẽ & post eam, cum lacte.

De dentium affectionibus. Cap. XIX.

Pars quædam ex tertia coniugatione neruorum à cerebro utrinque delatorum, distribuitur quidem in pelliculam quæ ipsum os, & linguam, ac gingiuas complectitur ac ambit, sensum eis suppeditans. Ingenerat autem seipsam tum superiori, tũ inferiori maxillæ inuoluens, ac omnibus dentibus ad eorũ radices substrata, ut ob hanc causam inter ossa soli dẽtes dolore afficiantur. Illi ipsi sanè nerui delatum ad se nutrimentũ suscipientes: quod in ipso liquidius existit, sibi lucrifaciunt: quod autem siccius quàm cõueniat existit, tanquam alienum à se abijciunt. Ea ipsa uero à neruis redundans superfluitas in concauitatibus locellorũ, in quibus ipsi dẽtes sunt infixi, aggregatur, paulatimq; tenacior ac densior seipsa facta, ob diuturnam isthic conuersationem, in ossium formã transmutatur. Atque hoc modo nutrimentũ dentibus accedit. Itaque dẽtes hac nutricatione suscepta, usq; in senectutem augescunt. Vnde sanè in senibus ob defectum connutrientis materiæ attenuantur dẽtes, mobilesq; fiunt, ac excidunt. Cæterum quantũ augescunt ipsi dentes, tantum ex attritione ciborum cõsumuntur. Impossibile est autem citra nutricationem augeri. In uniuersum itaque duabus affectionibus dentes sunt obnoxij, & his quidem cõtrarijs: Indigẽtiæ uidelicet, & abundantiæ eius quod defertur ad eos alimenti. Indigentia ergo sicciores & alimentum non sentientes, atque ob id tenuiores eos efficit. Abundantia uero consimilem in eis dispositionem facit, ei quæ contingit in carnosis partibus inflãmationi. Huius igitur adfectionis cura iuxta eundẽ scopum fiet, quem propositum habent hi, qui inflãmationibus medẽtur. Nimirum ut abundantia partim discutiendo, partim repellendo euacuetur. Eius uero quæ indigentia alimenti contingit, tenuitatis dentiũ nullum remedium existit. Necessarium est enim laxari ac commoueri dentes, ubi compages eorũ flaccidiores reddantur, quum nõ solum ipsi dentes, sed & loculi eos continentes graciles fiant. Hæc igitur adfectio necessario accidit senibus, quibusdã citius, alijs serius. Auxilio autẽ eis erunt pharmaca adstringentia, quæ gingiuas confirment, & ad arctius complectendum dentes adiuuent. Qui uero facile exteruntur dentes, eos, si quidem id ex mollicie eorũ cõtingat, duriores reddere conuenit, & affectionibus minus obnoxios, per austera uidelicet & acerba adhibita remedia.

Ad inflammatas gingiuas. Cap. XX.

Gingiuis autem ob inflammationem dolore affectis, optimum remedium existit oleum lentiscinum conduplicato uasculo calefactum, ac in ore retẽtum: Sit autem recens oleum, Nociuum enim existit inueteratum. Repellit autem oleum lentiscinum citra asperitatem, & discutit absq; mordacitate quibus maxime indigent inflammata. Atqui asininũ lac in ore retentum, ubi maxime infestauerint dolores, eos mitigat, ac ex tempore sedat. Et hoc quod ex uino ad tertiam usque mensurę partẽ decocto, apparatur, quod sapam dicimus itemq; hepsema, & palmularum stillamentum similiter ore retentum calidum uehemẽter lenit. Oportet autem aquam calidam ad palmarum stillamentum adfundere, quo crassities eius diluatur. Valet etiã semperuiui minoris decoctũ per se, aut cum rosaceo melle: aut cum sapa, aut palmarũ stillamẽto in ore retentum. Conuenit etiam inflammatis gingiuis hyoscyami succus, aut decoctum per se calidum, aut cum sapa ore retentum. Supra opinionem autem lenit succus portulacæ. Infensissimũ uero inflammatis gingiuis est acetum, omniaq; acerba, & acria, & salsa.

Ad cruentas gingiuas. Cap. XXI.

Cruentis uero ob bilis acredinem gingiuis, pręter opinionem utilis est foliorum hyoscyami succus, aut decoctum cum sapa, aut cum palmarum stillamento calidum ore retentum. Folijs autem ad manum non existentibus radicem eius decoque cum passo, & retinendum exhibe decoctum. Vtile est & alumen scisile cum myrto, si quàm tenuissimè trita adhibeantur. Vbi uero adstrictas iam cognoueris gingiuas, colluendã sapam calidam exhibeto. Aliud, Asclepiadæ, ad cruentas gingiuas. Balaustiorum, florum rosarum, ramorum myrti, singulorũ ęquales partes, cum posca dilutione decoquito, & liquorẽ inde percolato, ac eum in ore retinendum exhibeto. Aliud. Ramorum lentisci, balaustiorũ, radicis mali cotoneę, singulorũ ęquale põdus in posca decoctũ exhibeto. Epithema ad sanguinẽ ex gingiuis erumpentem. Polentę partem unam, uinaceorum uuæ tantundẽ, succi sanguinariæ quantũ satis est, cõtere, & ad cerati crassitiem redacta, impone ad sanguinolentũ locũ, aut simul cũ succo tãdiu tere donec arefiãt, atq; hoc modo trita insperge. Aliud. Spongiam nouã siccam in sanguine taurino madefactã in uase fictili exure, contere ac repone. Vbi uero uti uelis, cineris ipsius drachmas quatuor accipe, thuris drachmas duas, chalcitidis crudæ drachmas duas, & simul trita insperge. Aliud. Terebinthinæ aceto torrefactæ drach. IIII. æris drach. II. tritis utere. Calidas uero in ore inflãmationes & gingiuas corrosas, in quibus salsæ cuiusdam aut mordacis humiditatis sensus percipitur, maxnopere iuuant dulcium aquarum balnea, quę superfluitatem quidem per sudores euacuant, sanguinis uero acredinem obtundũt. Quare si nihil prohibuerit, bis ac ter lauans, nõ lædes. Illinendum est autem caput oleo rosaceo cum aceto.

Ad excrescentes gingiuas, putrescentesq;, ac tumentes. Cap. XXII.

Ad gingiuarum tumores, easdemq; excrescẽtes & putrescentes, conueniunt tum colluta, tum ore retenta, oleũ ex immaturis oliuis expressum, oliuarũ colymbadum muria, cedria cũ aceto, gallarũ decoctũ,

pruni folia ex aceto decocta, cytinorum decoctum, corticis mori aut etiã foliorũ eius decoctũ. Arida uero & trita, gingiuis admoueri cõmode possunt hęc: radix aristolochiæ, plantaginis semẽ tritũ, bitumẽ tritũ, fœniculi radix usta, pulegiũ ustũ, diphryges, rubigo ferri, chalcanthum assatũ, gallæ, cytini, malicoriũ, balaustia. Optime aũt prodest gingiuis à fluore affectis: aceti & mellis, cuiusq; librã I. aluminis sextantẽ. Decoque ad consumptionẽ aceti, & utere.

Aliud. Aluminis scissilis, myrrhæ & thuris, ęquales partes cũ melle illine, ac postea uino collue. Medetur aũt exesis gingiuis & humore pręgnantibus, lac asininũ calidũ collutũ: foliorũ oliuæ decoctũ, aspalathi decoctũ. Platani folia in aceto aut uino decocta. Sicca aũt adhiberi possunt, rubigo ferri, balaustia, & cytini. Aliud siccũ: Quod ad putredines oris gingiuasq; depastas ac cruentatas efficax est: ad tõsillas etiã, ac glãdulas & columnellã siccũ admouetur: ad quassatos uero dentes, aceto dilutũ detinetur in ore. Gallarũ quæ omphacitides appellãtur, aluminis scissilis, æquales partes accipe, ac ut ualde efficaci utere. Siccũ floridũ, quod Græci antherõ appellãt. Cyperi dra. VIII. crocomagmatis, myrrhæ, aluminis scissilis, iridis, cuiusq; dra. II. croci dra. I. sandarachę drac. III. permixtis utere. Alius siccus puluis, floridus Oribasij. Cyperi, croci, utriusq; dra. II. aluminis scissi, sandarachę, iridis, gallæ, cytinorũ, singulorũ dra. IIII. floris rosarum, dra. VI. misce ac utere. Ad putredines in ore. Foliorũ oleę ustorũ, radicis lactucæ, malicorij, singulorũ dra. I. costi parũ, utere.

Ad corrosas & ab ulcere serpente infestatas gingiuas. Cap. XXIII.

His qui corrosas gingiuas habent cũ tumore atq; etiã dolore, atque etiam quibus à serpente ulcere depascuntur, summe auxiliatur fomentum hoc. Specillo auriculario lanam innecte, ac in feruẽs oleum intinge, eamq; donec exæquentur gingiuis adhibe, & quousq; undiquaq; appareant albæ. Ita enim ulcus serpens sistitur, atq; ex sana carne id quod corrosum est connutritur. Post hæc autem utere adfrictorijs ad gingiuas descriptis. Proprie autem cõuenit galla tenuissimè trita, acetabuli mensura, cum myrrha magnitudine fabæ, quibus tritis utere siccis. Præter opinionem autẽ ad corrosas, & quæ serpente ulcere infestantur gingiuas prodest id quod ex chalcitide & cadmia constat siccũ. Sint autem chalcitidis crudæ drachmæ duæ, cadmiæ uncia una. Cadmia in aceto ad solẽ ęstiuũ aliquot diebus sufficienter conteratur: deinde adijciatur quoq; chalcitis, & similiter cũ ea cõteratur, adfuso sæpe aceto: pòst uero ambobus exiccatis, tritis & cribratis: utere siccis, sed cum cautione, ne quid ex pharmaco hoc deglutiatur. Pręclare facit etiam in serpẽte gingiuarũ ulcere, id quod Heliocaẽs, hoc est, sole ustum appellatur siccum, constans ex calcis partibus duabus, auripigmenti una & dimidia. Verũ cõterere oportet & hoc ipsum in aqua, sub exoriẽtis caniculæ ardoribus, ita ut ter aqua diffundatur, & postea pharmacũ desiccetur. Cauẽdum etiam, ne ex hoc quicquam deglutiatur. Admirãdã etiã opem corrosis gingiuis affert, id quod ex charta usta constat siccum, siue per se solum, siue cũ melle adhibeatur. Aliud, ad ulcera serpentia gingiuarum. Aluminis scissilis, florum rosarum, cuiusq; drach. II. salis fossilis drach. IIII. croci drach. I. utere sicco, aut cum melle cocto. Floridum ad gingiuarũ abscessus, ac ulcera oris ꝓfunda ac crustosa. Aluminis scissilis, cyperi, cuiusq; drachm. III. myrrhæ drach. VIII. sandarachæ drach. IIII. iridis drach. III. croci drach. unam. Aliud: Cyperi drach. III. sandarachæ dra. III. myrrhæ, croci, aluminis scissilis, iridis, cuiusq; dra. II. utere sicco, & cũ melle. Denudatas autẽ gingiuas carne implet pharmacũ hoc. Seminis rosarũ nõ antiqui partes duas, calami odorati Indici partem unã, siccũ tritũ adhibe. Aliud. Florum rosarũ dra. IIII. calami dra. III. malicorij drac. II. aluminis scissi drach. I. Optime autẽ carnem gignit & hoc quod ex eruo constat, siccum capitale. Relatum est autem in his quæ uulneribus adhibentur remedijs.

Ad parulidas, hoc est, gingiuarum inflammationes. Cap. XXIIII.

Parulis est inflammatio partis alicuius gingiuarum cum tumore, quæ ubi non dissoluitur, suppuratur. Quare in principio adiuuare oportet quo submittatur, per dissoluẽtes uidelicet collutiones, quales sunt succus ptisanæ, decoctum seminis lini, aqua mulsa calida, aut mulsum. Deinde siccis deprimẽda est eminentia carnis. Conuenit autem eis hoc: Sulphuris usti, piperis, aluminis scissilis, partes æquales. Deprimit autem parulidas alumen omne ustum, aut etiam sori, si trita adhibeatur. Quod si suppuretur, ferro uenæ incisorio distractam & excisam linamento imposito disparato, aut cum linteoli rasura. Amãt autẽ magis excisionem gingiuarũ abscessus. Simpliciter enim incisi, in fistulam proficiunt. Post excisionem medicandum est ipsum hulcus per collutiones: & cauum quidem eius, eo quod ex eruo constat sicco capitali impleto: ubi uero ad æqualitatem perueneris, eo quod floridum appellatur utitor.

De epulide, id est, excrescente gingiuarum carne. Cap. XXV.

Epulis est excrescentia carnis ab inflammatione consequuta, iuxta interiorem dentem molarem, aliquando cum febre & uehementi dolore internarum mãdibularum, ut neque os ægro aperire liceat, contingens. Primum itaque inflammationẽ soluere oportet per collutiones eam submittentes, qualis est aqua mulsa, succus ptisanæ, decoctum seminis lini. Proderit autem & totam maxillam cataplasmate ex semine lini & aqua mulsa integere. Vbi uero inflãmatio soluta fuerit, & hiare iam poterit infirmus, medicari oportet epulidem sicco deprimente: maxime eo quod iam in parulide dictũ est, atque etiã eo quod ad serpentia gingiuarũ ulcera descriptum est, ex chalcitide & cadmia. Imponenda est etiam rasura linteolorũ. Vbi autẽ serius caro cõsumeretur, siccũ quod carnẽ excedit apponatur: uelut est ærugo per se, aut cum æqualis ponderis galla, aut siccum quod appellatur flauum: deinde rursus rasuram lintei impone. Qđ si adhuc morã traxerit epulis, forcipe arrepta, excindatur cum tenui scalpello, aut si mauis ensiculo paruo. Sequentibus uero diebus curetur hulcus per collutionẽ aquæ mulsæ, & per capitale siccũ, rasura linteoli adimposita. Postremũ florido sicco tota cura cõpleatur. Deprimit autẽ epulidas, galla per se, chalcitis cruda & usta, sori ustum, alumen omne ustum, balaustia, squama æris in aceto ad solem aliquot diebus exposita, contrita, & rursus exiccata.

Probe facit & hoc: aluminis scissilis drachmas II. gallarum drachmas quatuor, salis torresacti drachmam unam. Vtere sicco.

De gingiuarum fistulis. Cap. XXVI.

Gingiuarum fistulas dissecare ac explanare conuenit, atque post incisionem curare hulcus eo modo quẽ paulo antè diximus. Vbi uero usque ad radices propinqui dentis fistula ipsa extenderetur, conandũ est, ut quãtum possibile sit, per fistularia collyria explanetur, & per siccum, quod flauum appellatur, melle exceptum curetur, & consimili modo id quod constat ex eruo postea adhibeatur. Quòd si confusio & perturbatio ægri non comitetur aut potius libenter hoc ferat, priuabis eum dente affecto. Hocq; modo eruetur & fistula, & considet gingiua: atq; omnino facilis erit, ea quæ deinceps requiritur, cura.

Cura dentium à calido morbo doloroso affectorum, ex Adamanto sophista. Cap. XXVII.

Gingiuis dolore affectis propter inflammationem aut corrosionem, conuenientia ad hanc rem remedia locis affectis nudis adhibenda sunt, quæ sanè aut omnis mordacitatis expertia sint, aut mediocriter acerba, & terrei temperamenti. Vbi uero dentes solũ patiuntur, aut cum eis simul cõcreti nerui & pelliculæ: tum ipsis curatiuis pharmacis, ea quę tenuium partiũ in sua substantia existunt adijcimus, quo uis ipsorum in profundũ perferatur. Et si quidem frigidus sit morbus, calida tenuium partiũ adnectimus. Si uero calidus, ea quæ refrigerare possunt, & simul tenuium partium existunt, commiscemus. Calida itaq; existente affectione, & uigente ætate, & temperamẽto calido, & regione & aëris statu cõsimili, ad collutionem oris pręparabimus, in aceto albo decoctam radicem halicacabi, semperuiuũ minus, portulacam, perdicium, & glycyrrhizam. Quòd si intolerabilis existat caloris sensus, utẽdũ est hyoscyami folijs, aut semine papaueris hortensis, & semine lactucæ, decoctis in aceto albo. Si uero unà cum dentibus gingiuæ ipsæ doluerint & inflãmatæ fuerint, acetũ ut acutũ & hostilẽ gladium deuita: suo enim acore gingiuas corrodit: maxime itaque cõsolatorium eis existit, lac asininũ. Ego autem aliquando cuidam huiusmodi temperamenti existenti, & in hanc affectionem delapso, oleum rosaceũ & myrteum in ore detinendum exhibui, & sanè uri sibi uidebatur hic homo, tanquã à face accenderetur. Niuẽ itaq; cũ melle rosaceo miscui, & moderatè tepefeci, quo frigoris uehementia frangeretur, & ore detinendã exhibui, & à dolore liberaui. Maximũ etiam auxiliũ affert, ea quæ ex papaueris capitibus apparatur antidotus soporifera, si tepida ore retineatur. Similiter & lac asininũ assidue collutum; & sapa quoq; ore retenta. Optimum etiã remediũ eis existit, pastillus qui ex seminibus cõstat soporifer, & consimiles, sapa subacti, & affecto loco obducti. Oportet autem & caput madefacere ex rosaceo cum modico aceto diluto: idemq; auribus instillare cũ aceto. Aut terrenos uermes oleo decoctos in propinquã aurẽ instilla. Aut millepedes sub aquario uase stabulãtes, quæ & aselli à Gręcis appellantur, eodẽ modo. Similiter & araneos, & blattę interanea oleo decocta in aurẽ infunde. Nutriatur aũt ex ptisana, halica, ouis, lactucis, & cucurbita, & quęcũque tandẽ his potestate sunt propinqua. A uino autẽ abstineãt. Ad cõmanducandũ uero exhibe sub dolentem maxime dentem, herbæ perdicij radicẽ, aut hyoscyamum: præsertim in balineo, ita ut contineat in ore succum ex eo donec inde egrediatur. Suffire etiã conuenit ęgro hyoscyami semẽ, aut canis mortui dẽtem. Inde enim statim dolor sedatur. Eodem modo etiã terrenos uermes suffito.

Cura eorum quibus ex frigiditate dentes dolore afficiuntur. Cap. XXVIII.

Frigidus dentium morbus cognoscitur ex figura tum capitis, tum reliqui corporis, & ex ea quæ pręcessit diæta, itemq; exercitio, ac reliquis quæ ad hunc ordinem referuntur. Medeberis autem diæta omni ad caliditatem ordinata. Sint itaq; cibi, ptisana cum pulegio decocta aut cũ ruta, aut cui post coctură additum est piper. similiter & halica, olera, petroselinũ, & similia. In potu exhibendum est uinum, modicũ tamen, & mulsum, atq; etiam quod appellant Conditum. Sero uero ubi dormire uoluerit, confectionẽ ex calamintha cito penetrantem, aut potu, aut linctu deuorandam exhibe. Ad oris collutionem, in aceto decoquito origanum, calamintham, hyssopum, pulegium, dictamnum, satureia, tithymalli radicem, chamæleonis nigri radicem, uerbenacę rectæ radicem, eryngij radicem, uerbasci radicem, ueratri nigri & capparis radicem. Vnumquodque enim eorum aceto decoctum ac ore collutum dolores dentiũ sedat, qui à frigiditate sunt oborti. Ad eos uero quorũ sensus citius afficitur, hęc cum posca decoquãtur. Porrò ex uino si decoquas prædicta ac colluas ter aut quater in mense, pręmuniunt ac conseruant eos qui frigidiore temperatura sunt, ne dolore dentium adficiantur. Obseruatum est & pinguium lignorũ, ueluti tedarũ ac picearum, decoctũ ipsis prodesse: cõtunduntur autem hæc ac cũ caricis decoquuntur adfuso uino: collutum enim hoc ipsum dentium dolores mitigat. At uero & ipsas tedas contusas in oleo decoquere licebit, oleumq; calidum in ore continere. Quinetiam ipsas tedas conquassatas solas ore detinere commodũ existit, circa affectum maxime dentẽ. Succus etiã balsami in ore retentus, non paruã de se præbet cõmoditatem. Itemq; castoreũ cum nardo auribus infusum. Quòd si omnes ex æquo doleant dentes, in ingressu balnei cedriã in os coniectã usquequo egrediatur contineat, & dolore liber erit. Commodum etiã erit manducandas & loco dolenti admouendas exhibere, radicem pyretri, radicem tithymalli, & ricini. Similiter autem & theriacen, aut Esdræ antidotum, sapa dilutum ore detinendũ exhibe. Præclarè facit & Philonis antidotus illita, & quæ appellatur Sotira. Suffito autẽ canis mortui dentẽ, ita ut fumus inde progressus ore excipiatur. Post uero ipsum dentẽ ustum, & modico aceto tritũ, calidum ore retinendũ prębe, & dolore liber erit. Poteris & alcyonium suffire. Capitis uero cura in primis habenda est. Ad id ergo huiusmodi inspersione utaris: helenij quadrantẽ, iridis sextantẽ, aristolochiæ lõgæ unciã unã. Quod si fortiter infestauerint dolores, fomentũ adhibe ex milio, aut eruo, aut tritico torrefacto cũ baccis lauri, modico adiecto sale. Vt ne putrescãt molares immobilesq; conseruentur. Succi racemorũ uitis albæ libram unam & dimidiam, corticis radicis mori sexuncem, decoque ad dimidium, calidũq; ore retinendum per septem continuos dies exhibe. Qui enim hoc utitur nunquam dentis dolore afficie-

tur. Collutio, proprie ad dentes uales. Corticis radicis hyoscyami drach. VIII. pyretri drac. IIII. spicae nardi drach. I. mellis dodrantem, aceti libras tres: decoque cum aceto in fictili nouo, & percola: deinde adiecto melle utere.

Cura dentium ab humiditate dolore affectorum, & laxatorum. Cap. XXIX.

Assumamus autem mox alium ęgrotum, qui uniuersam corporis mixturam, in primis uero capitis habeat humidiorē, uiuatq; delicatius, & domū habeat in humiliore loco sitam: instet aut tēpestas humida, & hora uerna, quū adficitur. Quisnā sanā mentē habens, his uisis, non dixerit à superabundante humore in hoc morbum esse productum? Etenim quum nerui qui se ad dentes inserunt, permadescunt, laxioresq; fiunt unà cum circumadherentibus corporibus, necessariò dentes mobiles fiunt: uerum multis hoc citra doloris sensum accidit. Saepe enim iam diximus, humiditatē per se non solere dolores inferre. Et dictū quoq; antea est, ob ætatē senilē quibusdam dentes laxari, & quòd pharmacis adstringentibus gingiuas, ac densantibus easdem, senes queāt iuuari. Porrò percussis etiam dentes laxantur, his maximo pere prodest alumē scissile, cū myrrha troglodytica tritū, ac inspersum ad dolentē dentē, atq; id ubertim & continuè facere oportet. Nā ipsum cōfirmat. Eos uero quibus ab humiditate uacillant, curare conuenit per diętā ad siccitatē ordinatā, & cū diuturniore abstinētia ciborū. Cibi itaq; eis cōuenientes sunt sorbiles, halica, panis ex iure madidus, aut oryza, aut polenta cū aqua mulsa. Neq; male cōuenit eis miliū & lenticula, pisces muria cōditi, uolucres montanæ & sicciores. Ex oleribus, brassica, & similia. In potu aqua exhibēda est, sed nō multa. Quod si concoctioni non officeret, aqua mulsa danda esset: itaq; si hanc ferre nequeunt, ad aquā modicū uini addatur. Tēpore autē adflictionis, fouere cōuenit locū cū milio & sale. Collutiones exhibendæ adstringentes, & desiccantes, aut salsæ, nisi gingiuę simul sint affectæ. Quare gallas, quas omphacitidas appellant, ex acri aceto decoctas, & alumen aceto permixtū exhibebimus: itemq; spinę Aegyptiæ semen, malicoriū, myrti baccas, cytinos, balaustia, oliuę folia, platani folia, cupressi pilulas, rumicis syluestris radicē, lappæ radicē, folia rubi, & quæcunq; alia acerbā in se qualitatē complectūtur: ita ut his cū aceto puro, aut etiā aqua mixto, aut uino decoctis, os colluere præcipiamus, & in eo detinere adhibitū liquorem, sensui uidelicet ægri maxime gratū & conuenientē. Iudicata etiam & perpēsa eorū quæ offerimus potentia, nimirum plúsne an minus exhibere oporteat, iuxta exuperātis humoris multitudinē. Ego autē optimā ad collutionē oris expertus sum, oliuarū muria conditarum aquā, in quā uidelicet cōdiuntur. Etenim omnē oris humiditatē muria ipsa extergit: corporū uero hiatū & laxitatē, oliuarū spissamētū coërcens corroborat & firmat. Aliquando etiam oliuarū albarū contusarū & expressarū accepimus succū, eoq; cū rutæ succo & melle permixto, confricauimus dentes: postea uero inspersimus indicam nardum cum pari pondere aluminis rotundi, & salis duplo adiecto. Optime quoq; faciunt ad hanc rem illitiones acerbæ: uelut est confectio de moris ori ualde conducens, maxime si alumen scissile habeat adiectum, & ea quæ ex nucum succo apparatur eodem modo. Aut alumen scissile, & misy pari pondere cedria excepta, in cerati liquidi densitatem redige, & cum eis dentes illine, ac pituitam defluere permitte: deinde lacte asinino calido mordacitatē eleuant, aut uino dulci. Aut alumen, & myrrham troglodyticen inspergito, aut cū aceto, aut melle illinito. Siccæ autē inspersiones semper eis sunt cōuenientes. Vltra hoc enim quòd dentes commotos firmant, etiam ex humiditate hiantes gingiuas cōmittūt. Itaq; spodiū cypriū lotū, & exiccatū inspergēs, os collui præcipe ex aqua myrti aut rubi, aut alicuius consimilis decocti. Postea rursus spodio insperso, quiescere iube. Aut etiam rubiginē ferri siccam tritā admoue, aut sori ustum. Aliud, ad laxatos dentes & gingiuas humectas. Aluminis scissilis in fictili usti drach. VII. myrrhæ dra. IIII. gallarum, florum rosarum, iridis, singulorum drac. II. croci dra. I. utere. Aliud. Cornu cerui usti drach. VIII. rhois culinarij drac. IIII. omphacij sicci drachmas II. balaustiorum drach. IIII. corticis pinus, myrrhæ, croci, singulorum drach. I. Aliud. Alumē rotundum cum duplo salis pondere tritum, dentibus ob humiditatem labātibus inspergito. Aliud. Myrrhæ, aluminis scissilis, amyli, pompholygis, æquales portiones, siccę, tritæ, inspersę, labātes dētes firmant. Aliud remedium, quod laxatis ac dolētibus dentibus præsentem fert opem. Aluminis scissilis sextantem, radicis struthij siccæ tritæ unciā unā. contritis simul affectum dentem adsperge, teneatq; donec saliua os impleatur: & tūc sanè ipsam expuat, & effundat, moxq; dolore liberabitur. Aliud, quod & dentes dealbat. Aluminis scissilis trientē, masticheS unc. I. thuris drach. IIII. folij drachm. IIII.

Aliud, quod & firmat, & corroborat dētes. Aeruginis, aluminis scissilis, aut magis quod appellatur phorimō, minij, singulorum æquales partes: utere sicco, aut cū passo. Aliud. Florū rosarum, balaustiorum, myrrhæ, mastiches, cuiusq; unc. I. chalcitidis assæ, thuris masculi, corticis pinus, cuiusq; dra. IIII. salis ammoniaci unc. I. Vtere sicco. Aliud, quod & ad exulcerationes oris cōmodū est usurpare. Rubiginē ferri, aut ipsum ferrum multa rubigine oppletū, igni candefacito, & in aceto puro, aut cum aqua diluto, aut uino, in his quibus sensus facile læditur, extinguito, ac liquorem ipsum in quo extinctio facta est, ore cōtinendū exhibeto. Dentes enim firmat, & ulcera curat, præclarè etiam facit siccum, quod floridum appellatur. Aliud, Galeni. Quo ego utor, inquit Galenus, polytrichi palearū ustarū sextarium unū: continet autem sextarius harū unc. XXVIII. aluminis scissilis quadrātem, aluminis rotundi quadrantem, spicæ nardi sextantem, folij unc. I. piperis unc. I. pyrethri drachmas. V. contusa & cribrata gingiuis usque ad dentium radices adhibeto. Vtile etiam existit his, thus cum pipere manducatum: itemq; rubus commanducata ac ricini radix. Prodest etiam Esdræ antidotus sapa diluta ac ore retenta, eodemq; modo theriace Andromachi. Quinetiam in uesperam potu accepta theriace magnificè auxiliatur. Scribit Archigenes, ut uerum & naturali modo ad labantes dentes accommodatum. Dentem, inquit, canis mortui in nomine eius, qui ægrè habet acceptum, super prunas pone, uaporemq; inde prodeuntem æger aperto ore admittat, & fir-

& firmabuntur ei dentes. Similiter autem & exustũ canis dentem cum aceto calido tritum, ore retinendũ exhibe. In his uero qui facile ab aceti sensu offenduntur præbe cum uino.

De dentibus lima atterendis. Cap. XXX.

Solent ferè dentes moti ac labantes reliquis esse prominentiores, maximè quum ex uerbere hanc affectionem incurrerint. Quare uisum est mihi eos lima atterendos esse, inquantum scilicet præ alijs prominent, ne in loquendo uel etiam manducando, eos qui obijciuntur, offendant. Adtestatur autem & experimentum ipsum, quantum sanè ego eius rei periculum feci. Ferream namque limulã ad hanc rem apparaui, quo citius ac efficacius res procederet. Nam multæ aggresiones cõcutiunt dẽtem, quiete opus habẽtem, si modo aliqua spes est, moti dẽtis firmandi. Sit autem caput ipsius limæ obtusum, forma nuclei, & quàm leuissimum. Itaq; aliquando quidem inæquales quædam dentiũ eminentiæ apparent, in quibus partes tãtum aliquas lima atterere opus est. Aliquãdo autem æquali planicie extremitates prominent, quare ęquali etiam ac plana per limam attritione indigent. Oportet autem molle quoddam linteolum gingiuis ipsis usq; ad dentium radicẽ adhibere. Deinde leniter sinistræ manus digitis appręhẽdere, cauteq;, ac citra offensionem limam adfricare: ne dum limam tolerat, dens ipse cõcutiatur. Quòd si omnino dolorem percipiat ęger, dum lima adhibetur, aut ob id quòd uehementius digitis dentes appręhẽdantur, quiescere statim conuenit, interimq; collutiones, dolorem mitigantes, offerre: deinde rursus, ut dictũ est, rem aggredi, & paulatim lima deterere. Atque hoc non prima saltem die bis aut ter conari, uerum & secunda repetere: ita ut ægro imperes, ut neq; sermone nimium utatur, neq; ullum aliquem duriorem cibũ adsumat. Vtatur autẽ cibis sorbilibus, aut pane madefacto. Quòd si citra laxitatem, quibusdam dentes præter morem augescant, eos similiter lima atterere oportet, ac collutiones eos cohibentes ac densantes offerre.

Cura dentium à siccitate dolore affectorum, ex Adamanto Sophista. Cap. XXXI.

Quartus iam ex ordine subijciendus est ægrotus, qui uidelicet à sicca intemperie afficitur. Eam autem efficiũt, autumnalis tempestatis cõstitutio in primis, & uita ærũnosa, tenui accedente diæta. Præterea regio sicca, & ambientis nos aëris status cõsimilis. Ad hęc accedit id quod nunc adest corporis ipsius temperamentũ siccũ, & maximè si caput eiusmodi sicca intẽperie est affectum. Sitis aũt insidet semper, nisi adsit frigiditas unà cũ siccitate. Minimũ etiã sputi eijciunt sic adfecti. Et ob siccitatẽ dolor intolerabilis ferè eos concomitatur: austerorum & acerborum usus maximè contrarius eis existit. Quare confectio ex moris sępe his uehementẽ dolorem induxit. Itaq; collutiones minimũ adstringentes, & mediocriter humectãtes apparare oportet: aquam calidã per se, aut furfurum decoctum, aut radicis dulcis, aut prisanę succũ, aut amylum cũ sapa aqua calida diluta: lac per se, maxime asininũ, maluę decoctũ, & alia quęcũq; his sunt similia. Cibus autem his conueniens est succus ptisanæ, micæ madefactæ, cucurbitę, maluę, oua sorbilia, & quæcunq; his prosunt qui humectatione indigent. Atq; hactenus quidem simplicium intemperierum curam ostẽdimus. Manifesta uero & hinc fit ea, quam cõpositæ requirunt: Nimirum ex dictorũ mixtura cognobiles, & ex tẽperatura ostensorũ auxiliorũ curã accipientes. Verũ propter eos qui se nuper ad hanc disciplinã contulerunt & inexpertos adhuc, age paucis unius tantum compositæ intemperiei mentionem faciamus, quæ ut manifestum exemplum ad reliquas cognoscendas statuetur.

Cura dentium ob caliditatem & humiditatem dolore affectorum. Cap. XXXII.

Sit sanè regio calida & humida, tempus autẽ anni uernũ, & aëris quoq; status calidus & humidus, qualis est austrinus. Cõtingat itaq; ęger, qui caput habeat, quod facile eiusmodi humiditate impleatur, cuiusq; coma plurima sit & subrusa, & totius corporis temperamentũ calidum & humectũ, & cõsimili quoq; utatur diæta. Quis autẽ, qui saltẽ probatus medicus haberi uelit, in hoc calidũ & humidum esse morbũ nõ imaginetur: Medeberis igitur ita affecto bifariã: Si enim excessus naturę cõtigerit iuxta qualitates tãtũ, scopus curationis dirigendus est ad alterationem solam: Si uerò unà cum qualitatũ excessu, & humorum multitudo adfuerit, palàm est primum oportere corpus euacuare, deinde ad temperiem reducere: cuius rei in omni corporis intemperie memorem esse conducit. Eũ uero qui à calido & humido morbo affectus est, de quo nũc dicere instituimus, per uenæ incisionẽ euacuare cõueniẽs est, utpote à sanguinis multitudine exagitatum. Calidus enim & humidus sanguis ipse existit. Incidere autẽ oportet uenam cubiti superiorẽ, quæ Græcis humeralis appellatur: quæ si non contingat, eam quę media existit. Quòd si quid prohibeat uenæ incisionem facere, modico & tenui uictu superfluum & non necessarium detrahito humorem. Atq; hoc modo etiam circa reliquas cõpositas intemperies operaberis: ita ut eas quę iuxta qualitatem tantum cõstiterint, alteres, & contrarijs qualitatibus permutes. Eas uero quæ cum substantia quadam cõsistunt, humore per conuenientes purgatiões detracto euacues: nisi quid & in his purgationem fieri præpediat. Reliqua autem quę adferre oportet auxilia, ueluti sunt collutiones, & uictus constitutio, facile ex prædictis inuenire licet. Qui enim formam tractandi simplices morbos cognouerit, in promptu habebit & circa mixtos conuenientia remedia inuenire. Cognoscitur autẽ affligens humor, quum ex reliquis circa corpus signis, tum ex consequenti dolore. Flauæ namq; bili dolor pungitiuus comes existit. Pituitam uero sequitur unà cũ frigiditate distensio locorum: & fece quidẽ sanguinis siue atra bile affligente, sensus adest, uelut corpuscula quædam in profundo confringantur: ubi uero æqualiter omnes augescunt, multitudine eorum in corpore coaceruata, grauitas concomitatur. Verum enimuero & sapor ipse influentis humoris ægro specimen sui ostendit. Aut enim amaritudinem, aut salsedinem, aut acedinem sensu perceptat.

Curatio erosorum dẽtium ex Galeno. Cap. XXXIII.

Erosiones & cauernæ dentium ex influxu acrium & erodentis maxime naturæ humorum generantur: quemadmodum etiam ulcera in cute, citra aliquam externam causam. Manifestum igitur hinc erit, quo modo sanandi sint erosi dentes: nimirum per exiccationem influentis uitiosi humoris, qui si paucus

fuerit, localia remedia ex desiccãtibus pharmacis cõflata suffecerint: si uero multus fuerit influens humor, totius capitis respectũ habere conuenit: contingit autẽ aliquãdo caput affici, ob reliquum corpus affectum, quare in his uniuersi corporis curã nos gerere oportet. Archigenes itaq; ad hos hæc remedia descripsit: Sori resina, terebinthina exceptũ, dẽti circumlinito, atq; in cauernã indito. Præclare facit & hoc: Sulphur uiuum lycio exceptum cauernæ impone, & prius depurgatum dentẽ per orbem ex eo intege: aut gallam tritã lycio aut resina terebinthina exceptam ad cauum intrude, similiterq; depurgato dẽti appone. In maximis uero dẽtium doloribus summe prodest hoc: Senectam anguium ustam ac tritã cum oleo in mellis crassitudinem redige, eodemq; modo, ut dictum est, utere. Aut senectam ipsam nõ ustam dentibus adfrica: inde enim excident, aut melanthium torrefactum ac tritum cum oleo similiter adhibeto: aut melanthium torrefactum & acri aceto adfuso tritũ cauo denti indito ac circumlinito. Sistetur enim erosio, neque quicquam addet ultrà.

Aliud. Melanthij partem unã, allij dimidiam, & salis parum quiddam, simul contrita circumponito. à dolore enim liberat. Proderit autem & ad erosiones dentium uti ea quæ suprà ad motos dẽtes descripta est collutione, ex succo uidelicet bryoniæ & cortice mori. Aliud. Veratrum nigrum tritũ & melle cocto exceptum in cauernam impone, & præmundatũ similiter ex eo integito dentem. Aliud. Thuris partem unam, atramẽti sutorij partes duas, contere cum passo, donec cerati crassitudo fiat: utere ut dictum est, & cito sedabis dolorẽ. Aliud. Galbani partes duas, thuris partem unam, contere cum passo ad cerati crassitudinẽ: utere ut dixi, & eo ipso die sedabitur dolor. Aliud. Alumen scissile in caua intrude, & à dolore liberabit. Aliud. Fel ursi indito, & ab erosione liberabis. Aliud. Rhododaphnes uirgultũ exustum & tritum, insperge cauernis, & medeberis. Andromachi compositio, ad dentes molares, quæ eadem hora dolores sedat. Piperis, pyretri, succi tithymalli, galbani, singulorum æquales partes, galbano exceptas, cauernis impone.

Aliud Asclepiadæ. Eo, inquit, usus adseruaui caua dentium citra dolorem. Gingiber in aceto mulso decoctum, & probè tritum, in caua imponito, similiterq; extrinsecus ad dentẽ admoueto. Prẹclarè etiã facit ex duobus piperis generibus cõposita antidotus, cauis indita: atq; etiã oleo amygdalino aut nardino aut rosaceo diluta, & in uicinam affecto denti auriculã instillata. Aliud. Ego autem ad caua dẽtium cum dolore affecta, Esdræ Antidoto utor, quã sapa dilutã, & calefactã ore retinendã exhibeo. Mirum enim quàm dolores ea mitiget, uerum si ad manum non adsit, theriaca Andromachi eodem utor modo. Fomentum etiam affecto denti adhibere conuenit huiusmodi. Origani sicci ramulos feruente oleo imbutos ẹgro dẽti apprime. Aut ricini uirgulto similiter utere: aut staphida syluestrem scalpello probè adaptatam, ac affixã, itemq; pyretrum adhibe similiter: aut cerã super affectum dentem pone, eamq; cum specilli extremo ignito apprime. Id enim continuè facere non ab re est. Est autem & hæc quædam fomenti species: primum optimè præmundato dente, hyoscyami semen suffito, exurgentemq; hinc fumum æger admittat infundibulo adhibito, ad affectum dentem: mirum in modum etiam erosiones dẽtium mitigat, canis mortui dens, quemadmodũ & antè dixi, eodem modo suffitus & exustus in aceto tritus oreq; retentus. probè etiam auxiliantur uermes terreni suffiti. oleum quoq; in quo uermes terreni decocti sunt, in uicinam affecto dẽti aurem tepidum infusum, dolorem uehementer lenit. Idem præstat blattæ domesticæ capite detracto adeps, cum rosaceo liquefactus ac auri instillatus. Eodẽ modo & hederæ albæ acinos quinq; cum rosaceo tritos & in punico cortice calfactos in aurem assiduè instilla. Auxiliatur etiam radicis hastulæ regiæ succus, itẽq; nasturtij similiter instillatus. Prodest quoque in uicinam affecto denti narem infundere anagallidis ceruleæ succum, aut radicis betæ succum aut atramentũ sutorium cum lacte. Apollonij. Cumini quantum tribus digitis appræhendere potes, myrrhe, magnitudinem fabe, interioris cucumeris syluestris, duplum cum lacte muliebri in collyria redige, eaq; in utramq; narem immitte: atq; ubi tamdiu hæserint, donec quinq; stadia quis cursu cõficere possit, extrahere iube, fortiterq; ipsum pharmacũ emungere. Idẽ etiã ad auriũ dolores eodẽ modo sumptũ prodest.

Vt dens citra dolorem, & absq; ferro extrahatur. Cap. XXXIIII.

Quòd si dẽtem tollere animus sit citra dolorem, hocce pharmaco auferendus erit uehementer ad hanc rẽ congruente. Pyretrum acerrimo aceto in dies quadraginta conditum, deinde tritum, in usum adserua: qui ubi postulauerit, reliquos dentes cera premunitos custodito: ipsum uero qui dolet circumcirca purgatum hoc pharmaco integito, & post horæ interstitiũ digitis extrahito, aut scapello exigito. Aliud. Sori acerrimo aceto, ad dies decem, in sole æstiuo contritum ac exiccatum, præmundato denti imponito, & excidet. Aliud. Sandaracham eodẽ modo apparatam, imponito. Aliud. Sori & tithymalli succum galbano excepta depurgato prius denti apponito. Aut cucumeris syluestris radicẽ, ut pyretrum apparatam, eodem adhibe modo. Aliud. Grana cnidia trita ac galbano excepta, circumponito, & excidet. Aliud. Prẹclare facit lappæ herbæ radix feruenti cinere calfacta, & denti assiduè apposita: pauca enim mora dẽtes tollit. Aliud. Cucurbitæ syluestris radicem cauo impone, & dentem eruet. Aut ipsam cucurbitam tusam & cribratã per aliquot dies in aceto macerato, donec ad mellis spissitudinẽ redigatur: deinde in eo ipso pharmaco scalpro imbuto frequẽter dentẽ circũradito, atq; os claudere parumper iubeto: deinde dentem digitis apprehensum trahe, & sequetur. Aliud. Vermes terrenos in testa exustos, in cineremq; redactos contere, & circumraso prius denti ubertim adsperge, & per diem ac noctem excidet sua sponte. Itaq; eo confidẽter utere: ut mysterium enim celebratum est iam sæpe. Poteris autem & citra scalpelli rasionem inspergere, idemq; opus patrabit. Aliud. Corticem radicis mori teneriorem tritum, ad dentem quem erutum cupis, solũ impone, & excidet. Aliud. Sori, gallam, staphida syluestrem, alumen scissum, sulphur uiuum, piper longum in puluerem redige, & adiecta cedria subige: deinde ceram modicam liquefactã adfunde, simulq; cõmitte, Vbi uero uti uelis,

ex hoc, quantum opus fuerit emollito, ac depurgato prius denti circumponito. Aliud. Erucam è brasica natã frequẽtius ad ipsum dentẽ adhibe, cadetq; sua spõte. Eijcit etiã dentẽ syluestris oleæ lacryma cauo eius indita. Itẽq; rhus qua coria inficiũtur. & lacryma & succus syluestris fici, itemq; tithymalli. Cauernã aũt supnè galbano aut cera obturato.

Smegmata uaria ad denigratos, liuentesq; ac rarefactos dentes. *Cap.* XXXV.

Liuent aliquando dentes per uniuersam ipsorum substantiã, nõ dissimile quiddam inflammationi patiẽtes, ob influxum uidelicet uitiosorum humorum. Quare consimili cum his qui erosionem passi sunt, indigent curatione: nimirum per desiccantia pharmaca: suntq; smegmata eis conuenientia. Apollonius itaq; ad denigratos dentes hæc præscribit: Sal fossile melle subactum in fictili uase torreto, ac tritũ modica myrrha misceto, eoq; dẽtes cõfricato. Aliud. Pulegij ac salis æquales partes melle subige, ac aceto acerrimo adfuso exure. Aliud, quod gingiuas adstringit. Polentam aceto acerrimo subactam in olla exure, ac contere, cumq; ea dentes confrica. Hoc enim & gingiuas ipsas coërcet. Aliud. Cõmuniter autẽ ad omnes, eiusmodi dentifricijs utimur: radice aristolochiæ exusta, aut osse ceruino usto & trito, utere: nã & dẽtium doloribus medetur. Aliud. Cornu cerui ure, modicaq; mastiche admixta utere. Aliud. Talos ouillos exure, ac cõtritis utere. Ad eadem pollent etiam buccina sale expleta & usta. pumex assatus & uino extinctus, sepię testa usta, cõchę ustę, cochlea terrestris usta cũ melle: his autẽ singulis odoris cõmendandi gratia parũ iridis illyricæ miscetur, aut floris iunci odorati, aut calami Indici, aut spicæ nardi. Optimè autem facit, inquit Archigenes tum ad dẽtes à dolore præseruandos, tum ad gingiuarũ erosionẽ, atq; etiã decorẽ dentium pharmacũ hoc: Lanas succidas linteolo illigatas ure, & salis torrefacti tertia earũ parte admixta contere, & pro dentifricio utere. Aliud. Mel & salem in cerati formã contrita, linteoloq; ligata exure, deinde parũ iridis Illyricæ admisce, & dentes ex eo confrica. Aliud dentifricium, Sulphur uiuum tritũ dentibus adfricato. Smegma Oribasij. Salis ammoniaci, cyperorum, iridis, singulorũ æquales partes aliquandiu adfricato, postea uero gingiuas ex uino odorato colluito. Aliud smegma optimum. Pumicis trientem, testarũ sepiæ quadrantem, mastiches, aluminis scissi, foliorũ malabathri, cuiusq; unc. I. Aliud. Pumicis usti quadrantẽ, testarum sepiæ quadrantẽ, cornu cerui usti sextãtem, salis assati sextantẽ, spicę nardi trientẽ, cyperorũ unciã I. costi scrupu. IIII. Smegma pulchrũ. Marmoris drach. IIII. foliorum malabathri unciam I. amomi unc. I. cornu cerui usti sextantem, balaustiorũ unc. I. iridis sesquunciã, mastiches drac. IIII. myrrhæ drach. VI. costi drachm. III. Bouis etiam talus ustus optime dẽtes extergit, motos firmat, affectos à dolore liberat. Aliud dentifricium, quòd oris odorẽ cõmendat, dentes dealbat, & ab erosione ac labefactatione custodit. Nitri, testarũ sepiæ, myrrhæ troglodyticæ, æquales partes cõmitte, ac utere. Aliud optimũ. Aluminis scissi sesquunciã, mastiches unc. I. iridis unc. I. rosarũ calyces siccos un. I. cõtritis utere, & aqua calida inde os collue, Aliud dentifriciũ. Buccinorũ ustorũ, salis torrefacti, testarũ sepiæ ustarũ, scobis marmoris proeconesij, singulorũ unc. I. costi scrup. VIII. cõtusis utere. Aliud, Timocratis, q^d ad gingiuas humore prægnantes & cruẽtas, ad putredines, parulidas, hoc est, gingiuarũ inflãmationes, motos dẽtes, dolẽtesq;, oĩa itẽ oris uitia pdest. Accipe perdicij herbæ foliorũ teneriorũ modiũ Italicũ, salis albi & tenuis sextariũ I. mellis sextarium I. contunde simul ac in massam molliorẽ redige, quã in ollã cõiecta luto obtura: ita ut circa os operculi foramẽ relinquas, per quod cũ uirga agitetur, tã diu autẽ super prunas positã torreto, quousq; fumus inde procedens purus uideatur. tum sanè ab igne ablatã frigefieri sinito: atq; piperis longi drach. IIII. accipito, piperis albi drach. V. piperis nigri dra. VI. pyretri dr. VI. aluminis scissilis usti & cũ uino austero extincti drac. II. pumicis usti, myrrhæ, hyssopi, pulegij, seminis apij, singulorum drac. II. mentæ siccæ drac. III. iridis drachmas III. hæc omnia in sole prius exiccata, contundito ac cribrato, ijsq; quæ in olla usta sunt admisceto, ac utitor. In aliquibus uero, utpote in frigidis dentium affectionibus, hęc magis conueniunt, siue ex potu frigidæ, aut pomorum frigidorum comestione sint obortæ. Conueniunt etiam his qui à frigido humore afficiuntur, ubi prius per collutiones ac manducationes pituita sufficienter fuerit detracta.

De ancyloglossis, & qui uix loqui possunt.
Cap. XXXVI.

Ancyloglossi quidam fiũt ex natiuitate, quidam uero ex aliqua affectione: Ex natiuitate fiunt, quum membranæ inferiores, quibus lingua innititur, duriores & mutilæ è natura sunt productæ. Ex affectione autem ancylosis & incuruatio linguæ contingit, præcedente ulcere, & cicatrice dura sub lingua relicta. Qui hoc modo affecti sunt, difficulter loquuntur, quare etiam Mogilali à Græcis sunt appellati. Qui uero ex natura ancíloglossi existunt, principio quidem tarde in sermonem prorumpunt, ubi uero loqui cœperint, citra obstaculũ & satis festinanter loquuntur. Impediuntur tamen in prolatione nominum aut uerborum, quorũ aliàs difficilis pronuntiatio existit, ueluti in quibus R, aut L, aut K, literæ, frequenter occurrunt: hos sanè adhibita manu per solam chirurgiam curare oportet. Ad eam itaque perficiendam ægrum desidere oportet, eiusq; linguam sursum ad palatũ attollere: & si quidem membranæ ipsæ curuitatis causa existãt, incuruo uncino eas appręhensas & extensas excindere, animaduersione habita ne simul subiacẽtes uenas dissecemus. Si uero cicatrix curuitatis causa fuerit, similiter uncino appræhensa extendatur, & quicquid durum adest, & quod cum naturali carne non consentit excindatur. Ab opere autem patrato aqua frigida aut posca os colluãt: postea inspergatur manna thuris, imponaturq; linamẽta conuulsa: sequẽtibus uero dieb. curetur ulcus collutione aquę mulsæ, aut illitione unguẽti Aegyptij, linamentis cõuulsis simul impositis, ut per eorũ interstitiũ cicatrix diducta, coalescat, neq; rursus eadẽ cicatrix relinquatur.

Ad ranunculum sub lingua. *Cap.* XXXVII.

Ad ranunculum sub lingua (est autem tumor earum quæ sub lingua sunt partium, præcipue uenarum) utendum sanè ijsdem remedijs quæ ad aphthas oris

ulcera describemus, maximè tamē his quæ sunt ex eis fortiora. Proprie autē eis prosunt etiā hæc: æruginis rasæ, chalcitidis, gallæ, æquales partes insperge. Cū passo potes etiā pro collutiōe usurpare. Aliud: Farinam erui cū melle præfrictis locis, illine. Aut etiam gallā tritā cum melle, aut rosarū semen eodē modo. In corporibus autē molliori sensu præditis, rhoēm rubrū cū melle: aut rhoïs drac. VIII. florū rosarum drac. IIII. croci drac. II. costi drach. II. misyos, æruginis, æquales partes, cōmisce, & cū his locos sub lingua confrica. Decoctum uero foliorum oleæ colluant assiduè. Aliud. Nuces iuglandes ueteres integras, unà cū cortice exustas contere, deinde piperis grana XII. adijce, thuris grana mediocria III, hęc cū melle sufficiēti mixta illinito, & miraberis. Aliud In inueteratis uero & perfectæ ætatis, eas quæ sub lingua sunt uenas dissecato. Extrinsecus uerò mento adhibendū ex ouis pharmacū. Magis autē conuenit id quod Græci uocant Sphærion. Aliud. Artemisiam maximè uiridem cum sale tritam ad locos sub lingua adfricato.

Ad linguam inflammatam, desquamatam, ac tumentem, & ad palatum ac gingiuas. Cap. XXXVIII.

Glaucium in cote cum aqua dilue, eoq́ locos illine, & eodem die sedabitur. Aliud, ualens etiā ad linguę exulcerationē. Paliuri folia manducēt & expuāt. Vbi uero lingua infletur, doloreq́ afficiantur eius partes uicinæ, similiter & mandibula, ita ut loquela præpediatur, folia oleæ tenera trita, & oleo perfusa, illinito, egregię enim auxiliantur. Aut origanum passo decoctum colluendum exhibeto: aut pruni folijs cum melle tritis utere. Ad linguam uero cui superficies instar squamarum aut corticis decedit, optime facit, amurca æreo uase, donec cogatur, decocta, & illita. Ad linguam putrescentem, & fere demortuā. Succum foliorum uitis albæ cū misy permixtum illinito: depurgat enim, et carne replet. Quidā etiam hic mel adijciunt. Vt uero ad cicatricē perducatur, radicē uitis albæ, contritā et cribratam insperge. Melius autē erit eam melle permiscere, ne dissipetur. Ad linguæ abscessus. Quod si abscessus in lingua fiat, furfures in aqua decoctos donec liquor lubricus fiat, percolato, & huic succo mel adijcito. Simulq́ calidū ore detinendum exhibeto. Hoc autē sæpe facere oportet. Aut enim abscessum discutiet, aut rumpet. A ruptura uero florido sicco utendum est.

Ad aphthas, hoc est, oris ulcera, ex Gal. Cap. XXXIX.

Quæ in superficie oris fiunt ulcerationes, Græci aphthas appellant, habentes in se quiddā igneæ caliditatis: fiunt autem ut plurimum infantibus, quum uitiosum existit lac nutricis, aut aliàs puer non probè concoquit: facile autem medelam recipiunt, utpote quæ ex his quæ mediocriter adstringunt, ut plurimum contingit. Aliquādo tamē diuturniores existunt, ob temporis uidelicet tractum, indissolubili quodam marcore emergente, aut etiā ea quæ appellatur Nome, malo nimirum semper ulterius serpente. Fiunt etiam aliquando in his, qui ad perfectā ætatem peruenerunt, tum propter uitiosorum humorū ad os defluxum, tum propter acredinē eorum quæ bibuntur ac comedūtur. Cognitio omnium facilis est, utpote uisui ac tactui subiecta. Ad tactum quidem, calidiores quàm conuenit loci fiūt, tumoresq́ excitantur. Visu uero cognoscuntur ob colorem. Quæ enim rubicundiores existunt, sanguinei humoris dominium indicant: flauiores, bilis amarulentæ: albidiores, pituitæ. Liuentes uero & nigrę factæ, bilis atræ. Etenim qui ista probè discreuerit, singulorumq́ simplicium uirtutem cognouerit, facile constituet modum utendi tum simplicibus, tum compositis pharmacis: consideratione simul super corporū naturis habita, num'ne molles sint, & humectæ, an duræ, & siccæ. Siquidem fortioribus corporibus, fortiora etiam remedia sunt adhibenda: imbecillioribus autem molliora: infantibus itaque conuenientia sunt, ea quæ in cibis eis offerunt mulieres, uelut est lens cum modico pane, & medulla ceruina, aut uitulina. Oportet autem miscere cibis aliquid ex malis acerbis, pirisq́ ac mespilis: aliquando etiam lactucæ quiddam & intubi, ac portulacæ cibo admiscendum est, inflammata uidelicet ulceratione existente. Quòd si infans ipse cibū capere non possit, nutricē eius huiusmodi uictu curare oportet: necnon ora infantium pharmacis conuenientibus illinire. Si quidem enim subrubræ infantium ulcerationes fuerint, à principio cū his quę mediocriter adstringunt & refrigerant: consequenter uero his, quæ citra mordacitatem discutiunt. Si uero subflauę ulcerationes fuerint, ijsdē similiter est utendum, uerū magis frigidis. Si uero subalbæ & pituitosiores fuerint, extergētibus utendū est. Si aut nigræ, his quæ generose discutiunt. Ad maiores uero pueros, pharmacis eiusdem generis facultate prędictis utaris, uiribus tantū ipsorum auctis ac extensis. Ad eos autē qui iam perfectæ ætatis existūt, duriora q́ corpora habēt, efficacioribus remedijs utimur. Moderata itaq́ remedia ad oris ulcerationes recētes hæc sunt. Omphaciū in uino dissolutum aut mulso, rhus culinarius eodē modo. Pro infantibus in principio sufficit flos rosarū, ipsæq́ rosæ siccæ cū mulso, aut melle rosaceo. Inueterato autem iam malo, in minoribus quidem pueris admirādam opem contulit hoc, inquit Asclepiades. Remedium Asclepiadæ. Gallas contusas aqua decoque, & cum decocto percolato parem mensuram mellis permisce, rursusq́ decoque, donec ad mellis crassioris spissitudinē redigatur: eoq́ ut maximo remedio utere, ita ut locis illitū satis diu digitis adfrices, aut tomento lanæ purpureæ digito circumuoluto locis apprimas. In his uero qui perfectioris ætatis sunt, duriora q́ corpora habēt, in uniuersum satis mihi fuit crudo misy uti, cū uino adstringēte: quod sanè tū intendit, tū remittit uires suas, iuxta uini uim aut magis, aut minus adstrictoriā, atq́ etiā secundū quod densior aut liquidior uini & misyos mixtura apparatur. Si uero sordidū apparuerit ulcus, misy cū uino mulso tero. Alijs autē & qui adhuc fortioribus indigent remedijs, ærugo & cū uino & cum mulso utilis existit. Neq́ uero malū pharmacum his chalcitis existit cruda cum oleo trita. Illiniuntur autē ex his pharmacis, solæ particulæ oris affectæ. Quòd si collutiones obtulerimus, siue mediocriter, siue intense adstringētes, ea cautione utemur, ut fortioribus corporib. fortiores, mollioribus imbecilliores exhibeamus. Porrò si in putredinē aphtha uertatur, nō cōuenit amplius aphthā, eā affectionē appellare. Neq́ enim ea quę aphthas sanāt pharmaca, his adhibemus, sed

sed fortiora, qualia quaedam in capite De crustis oris paulò pòst dicentur. Atqui si putrescere incipiat, maximè in infantibus, praeclarè facit praescripta ex decocto gallarum & melle illitio, & anthera stomatica cũ melle illita, et id quod ex rosarũ floribus constat: rhoẽ, croco, et costo, quod ad colũnellas inflãmatas describetur, siccũ pharmacũ: oportet autem id illinire cũ melle. Nec minus egregie facit centaureae minoris exustae cinis illinitus cũ melle, & sphaeritis, hoc est, cupressus pilulas ferens, exusta eodem modo. Proprie autẽ, inquit Archigenes, facit cornu ceruinum ustum, tritum, & adfrictũ. Ad aphthas autem quae proserpunt summè efficax est, foeniculi radix usta, per se, & cũ melle illita. Itemq; amurca in aereo uase, donec in mellis crassitudinẽ cogatur decocta, ac illita. Aliud, quod & ad aphthas & ad reliqua oris ulcera cõducit, Aluminis scissilis sextãtẽ, gallarũ unc. I. cõterito, ac oleo subigito, aut digito in oleo madefacto siccũ excipito, eoq; exulceratos locos quàmplurimũ extergito. Detrahit enim cutẽ, asperitates tollit, ulceraq; ad cicatricem perducit.

De *gurgulionis affectionibus, ex Galeno.* Cap. XL.

Gurgulionem quidam etiã columnellã appellant, uuę uero nomine accipienda est quaedam in eo affectio, quum scilicet uuae acino simile summum gurgulionis apparet. Lorum uero uocant aliam quandam eius affectionem, quum ex suffitu nimium ignitus gracilescit, & loro similis propẽdet. Verum hae adfectiones raro circa gurgulionem accidunt: inflammatur autem frequentissime. Euenit etiam aliquando, ut citra inflammationem nimium humectus laxior fiat: uelut in destillationibus continuis contingit: itaq; inflãmatione incipiente repellentibus pharmacis opus erit, quę adstringẽtis facultatis esse oportet. Et si quidẽ moderatus fuerit humorũ influxus, ea quae moderatè adstringunt sunt adsumenda, ubi uero fortius inualuerit, acerba etiam sunt adiungenda. Collutiones igitur moderatę sunt ex palmis decoctis, aliquando in sola aqua, aliquando etiam adiecto modico melle. Similiter autem & ex rosis, radice dulci, pampinis uitis, rubis, iunco rotũdo odorato, terebintho, rhamno, cypero, & siliquis. Itẽq; ex radice mori, hypocistideq; & malis cotoneis, ac piris austeris. His autẽ fortiores existunt, myrti, & baccarũ eius decoctum, & uirgultorũ molliũ ilicis, & uniuersi quercini generis, similiterq; & glandiũ: itemq; decoctum mespilorũ & cornorum. Praeclarissime autem omnium facit decoctum gallarum, rhois culinarĳ, eiusq; quo coriorum infectores utũtur, spinae Aegyptiae, myricae, aut ericae seminis siue fructus, utriusq; mali punici floris & putaminis. Horum unumquodq; & singulatim & cũ alĳs decoctum in aqua, gargarissandum exhibere oportet. Mirum uero quantum eorum mixturae, simpliciũ & immixtorum usum excedunt. Vtilis est etiã affrictus cochlearĳ frigidissima aqua repleti, & posca frigida in balneo colluta. Conuenit quoq; arida trita gurgulioni admouere, ita ut submisse & paulatim ad superiorem & extrinsecã regionẽ adferantur, & per cochleare aut specilli cõcauum supra linguã immittantur. Itaq; ex aridis moderata sunt, rosae siccae, & flos earum, & praedictarum plãtarum germina exiccata, hypocistis, rheon ponticum, lapis coriariorum quo calceamenta ut resplendeant expoliunt, à Graecis ageratos, uelut non senescens, appellatus, & is quoque qui samius aster appellatur, & omphaciũ siccum. His imbecilliora sunt minorisq; acrimoniae, gummi, tragacãthus, sarcocolla, & amylũ, quibus utẽdum erit, ubi gurgulio à nimium adstringẽtibus remedĳs fuerit compressus, aut à mordẽtibus ac discussorĳs iritatus. Fortiora praedictis sunt, lapis haematites, necnon phrygius ustus, minium sinopicum, & terra lemnia, quę appellatur sphragis, diphryges, fructus Aegyptię spinę, rhus culinarius. Adstringunt enim haec euidenter, citra tamen exasperationem. Acerba autem sunt, balaustia, & cytini, & malicorium, ac galla. Adstringunt etiam sufficienter omnia aluminis genera. Atq; haec quidẽ simplicia sunt huic loco conuenientia. Ex quibus & cõposita fieri possunt, quum uehementi molle & lene quoddam adiungimus, aut discussorio quiddã adstringens admiscemus, iuxta temperaturam corporis cui medemur. Diuturnae autẽ adfectioni impossibile est per repellentia perfectũ auxilium adferre, maximè ubi aegroti corpus plurimo humore repletum, aut affecta particula natura debilior extiterit. Itaque saepe in principio statim, aut paulò pòst omnino aliquid ex discutientibus ad adstringẽtia adĳcere cogimur. Si uero uehemens adfuerit dolor, etiam ea quae eum mitigant adnectemus, atq; quum multa omnino sint quae discussoriã uim obtinẽt, à mollioribus est incipiendũ. Ab acribus enim inflãmata exacerbãtur. Ob eã igitur rẽ cõposita in usum uenerũt, tum ad reliquorũ membrorũ inflammationes, tum ad eas quę fiunt in gurgulione, ueluti quũ alumen miscemus cum iride Illyrica, aut thure, aut myrrha. Tu uero perspecta caloris in ipsa inflammatione magnitudine, considerataq; influxus ad eam multitudine, atq; amplius in toto corpore humorũ quantitate ac copia perpensa, uel eorum quę adstringunt, uel quae discutiunt, augebis mixturam. Optimum autẽ pharmacum ad inflammatos gurguliones, tum in principio, tum in uigore adhibitum existit hoc: rhois culinarĳ drac. octo, florũ rosarũ drac. IIII. croci drac. II. costi drac. I. contusa & cribrata in uitro repone. Vsu uero expetẽte dimidium cochleare in duobus aquae mulsae aquosioris cyathis dissolutum ad gargarissandum adsumatur. Vtilis est etiã eis pastillus ex croco, qui iris à quibusdam appellatur. Cõplectitur autem myrrhae dra. VIII. aluminis liquidi drac. II. croci drachm. VIII. dissoluitur in uino. Quidam etiam aloẽn adĳciunt, quam nos reprobamus. Hic itaq; pastillus fluidioribus, & magis humectis inflammationibus summe conuenit, dilutus in uino ac illitus. Miscetur etiã gargarismis. In corporibus durioribus prodest quoq; pastillus Musae. Prodest etiam efficacissime pastillus Andronis: facit & id quod Asclepiades descripsit, lapidis agerati drach. IIII. floris lapidis asĳ drach. IIII. terrae samiae drach. IIII. aluminis scissi drach. II. croci torrefacti drach. II. gallarum drac. II. cõtritis utere. Hoc etiam nos usi sumus, inquit Galenus, optimumq; saepe sumus experti, praeter quàm quod statim à principio, & quum rubicundus & calidus existit inflãmationis tumor, minime adhibẽdũ uidetur. Vbi uero diutinum adest malum, & corpus prius est euacuatum, semel tantum in usum assumptum, magnam statim ostendit utilitatem. Ad laxatam columnellam,

Gallarum

Gallarum drach. XXXII. diphrygis drach. XII. illini cum melle. Aliud philosophi. Apparatur temporis necessitate instante. Inueteratum enim uires amittit. Nuces uirides accipe & exiccato, & palmarum ossa, atque de ipsis ubi uelis sufficiēter exurito, & amborū æquales partes misceto, ac siccis tritis utitor. Sufficiēter enim discussoria existunt. At uero quum in aliis adfectiōibus, tum ad columnellas citra inflāmationē laxatas, gallæ omphacinæ, salis ammoniaci, amborū æquales partes, per cochleare admotæ, præter opinionē auxiliantur. Præclare facit & in his, cyrenaicus succus tritus adhibitus: qui si non adsit, ipsum laser. Aliud, ad columnellas laxatas. Mellis librā I. florum rosarū sexuncem, aluminis liquidi bessem, succi hypocystidos quadrantem. Alumen, & mel simul decoquito, deinde reliqua trita adiicito, ac rursus paululum decoquito, eoque utere aliquādo aqua calida dissoluto, aliquādo aqua mulsa ad gargarissandum, aliquando quoque eius illitu ipsam columnellam reprimes ac eleuabis. Bonū hoc remedium esse adstruit Galenus, eoque uti iubet. Aliud, quod & colūnellas iam excidēdas sanat: facit idē & ad ulcera gingiuas depascētia, omneque oris ulcus serpens. Fructus spinæ Aegyptiæ, gallarū, fructus myricæ, balaustiorū, foliorū malabatri, aluminis scissi, casiæ, singulorū æquales partes. Vtere sicco. Aliud, Asclepiadæ. Rosarum siccarum non madefactarū sextarium Italicū unum, nardi celticæ cum radicibus ac circumsita ipsis terra, fasciculum manipularem unū: fimi columbini agrestis sicci ex ipsis nidis detracti drach. III. myrrhæ drac. VIII. gallarum omphacitidū numero XLV. contusa & cribrata per arundinem insufflato, & per specilli cauum adhibeto. Aliud, siccū ad ualde laxatas colūnellas, itemque tumentes. Piperis drac. I. myrrhæ drach. I. aluminis scissi drach. II. gallarum drach. II. contritis utere: e uestigio enim eas firmant, ac resiccant. Aliud parabile, quod & ad laxatā & suffocantem columnellam ualet. Nitrum tritum digito excipe, & adfrica, destillabit enim inde plurima pituita, eaque cruēta, & sanabitur. Aliud naturale, Philumeni. Picem liquidam accipe, eaque extremum pollicis tui infice, alteraque manu sincipitis capillos distende, ac picē illine. Recurret enim statim uua. Quod si quis omnino ab adflictione uuæ & tonsillarū securus esse uelit, quotidie per morborum interualla quum lauatur, & à calido lauacro egreditur, modicam frigidā aquam sorbendo deglutiat. Quod ipsum & ad tussim, & lateris dolorem, humidisque stomachi uitiis multis utile fuit. Per ea itaque quæ dicta sunt in naturam suam reducere gurgulionem oportet, omni conatu & molimine adhibito, neque festinandum ad eius excisionem.

De ablatione columnellæ ex Galeno. Cap. XLI.

Quòd si cōtinuè adfligat colūnella, periculumque sit ne suffocatio aut tabes inde inferatur: aut quum gracilis & loro similis sit, propterea quòd alimētum nō sentit, quod sanè aliquādo accidere solet: aut quū resolutionem patitur: fit enim & hoc in aliquibus: tūc sanè refert utrū excidatur, an non. Optima eius auferendæ oportunitas existit, quum suffocatio urget, ut tum imminente periculo, ægroto auxilium feramus: itaque quo manum commodius adferas, æger in splendenti & claro loco collocetur: & tunc quidem os eius diducatur: mox uero immisso forcipe producatur, ita ut uolsellam huic rei idoneā, iuxta mediū ipsius colūnellæ, aut magis adhuc inferius adhibeamus: atque ita pducta obtorqueatur. Obtorta enim uelut stupida efficitur, & uelut illaqueata curuatur ac liuescit, citra magnā sanguinis eruptionē. Quapropter immorari oportet aliquādiu, ac eā detinere quousque æger tolerare possit: tuncque auferre non supra forcipē incisiōe facta, sed ad eius fundū. Quum enim pelliculis referta sit ipsa colūnella, & ob pductionē cedat, plixa sanè inspiciētibus apparet. Vnde multi inexperti medici, siue p errorē, seu per ignorātiā altius incidētes, eam funditus auferūt, maximique incōmodi autores ægro existunt. Quare relinquere oportet fundū eius circa palatum. Ab excisione aūt ægro offerenda est posca diluta, qua leniter os colluat. uehemens enim ipsius allabentis plaga, sanguinis eruptionē excitat. Quum aūt hinc morsum perceptat, aquā frigidā colluat, atque hæc uicissim fiant, donec sanguis sistatur. Sequētibus deinde diebus ex radicis dulcis & palmarū decocto gargarismus exhibeatur. Similiter & illitiones ad tonsillarum inflāmationes descriptæ. Porrò Galenus ait, ab excisione semper diphryge utor, donec cicatrix obducatur. Cicatricem enim tum huius membri, tum reliquorum omnium exulceratorum probè constringit ac committit.

De oris inflammationibus. Cap. XLII.

Quum uniuersum corpus multitudine humorū redūdat, aut unius tantum alicuius noxii humoris multitudo in corpore augescit, conuenienter utimur incisione uenæ, aut purgatione, aut clysteri, & abstinentia ciborū. Quod si neutrū horū adfuerit, ad localiū auxiliorum opem statim confugimus, in principio quidē reprimendo per ea quæ adstringunt & frigefaciūt. Ex adstringentiū sylua est atramentum sutoriū, & similia. Verum adeo fortibus, & quæ simul uim uenenosam complectuntur ac nociuam, minimè conuenit uti ad oris adfectiones sanandas, nisi magna cogente necessitate. Plurimum enim nocumentum infert, si quid ex his ad stomachum ac uentriculum fuerit delapsum, aut ad asperæ arteriæ extremum & pulmonē. Inest autem huiuscemodi remediis & circa gustum insuauitas quædā, quæ quidem usus tempore molestiam infert, & permanet etiam totam diem. De fœminis quid attinet dicere? maximè opulentis, quæ ob delitias in totum pharmacorū ad os descriptorum adfrictum ægrè ferunt. Iam & uiros quosdā uideas, qui non ob delitias solum, sed ex natura fastidientē stomachū habent, atque huiusmodi pharmaca non ferunt. Itaque ea quæ ex stomaticis appellatis pharmacis, hoc est, quæ ori cōueniunt, mitiora existūt, crocum cōplectuntur, & myrrhā, & alumen. Cæterum cōfectio ex moris & malis punicis, & similes quędā, cū solo melle medētur, habētque gustū amplius suauē. Quin & cōfectio ex succo nucū cū solo melle apparata suauem exhibet saporem. At uero succus mororum pro debiliore habendus est pharmaco. Fortius uero, & quod nulli inferius existit, est succus corticis nucū. Inter hæc medium tenet, quod ad uim adstrictoriam attinet, succus mororum nascentium in rubo. His singulis admiscere potes, si quidem uehementius efficere uelis pharmacum, succum uuæ acerbæ

nondum

nondum maturae, pari pondere: aut si id non uideatur, eius dimidium. Andromachus conijcit, croci, myrrhae, succi uuae acerbae immaturae, aluminis scissi, singulorum drachmam unam.

Illitiones stomaticae ori commodae. Cap. XLIII.

Confectio ex moris.

Confectio ex moris sic adparatur, quẽadmodũ docet Eras: succi mororum heminas V. uini austeri heminam I. mellis heminam unã. Succum unà cum uino decoquito, donec ad strigmentitiam crassitudinem redigatur, deinde adiecto melle rursus decoque, donec probè cogatur: deinde in pila eis admisce croci sesquidrachmam, myrrhae sesquidrachmam, omphacij sicci sesquidrachmam. Optimum autem est omnibus oris illitionibus simul incoquere, radicis dulcis drachm. VIII. ad eiusmodi sanè mensuram, qualem praescripsi. Est enim radix dulcis natura mitis, & ob id asperitatem ex astringentibus illatam lenire potens. Facit, inquit Eras, hęc cõfectio tum ad tõsillas, tum ad inflãmationes oris, illita, & gargarismi modo colluta. Poteris autem succũ mororũ cum solo melle adparatum, in usum recondere, ob dulcedinẽ ori cõmendãdam. Confectio ex malis punicis Galeni. Accipe mala punica in uigore perfecta, matura, & recẽtia, ita ut ex triplici eorũ differẽtia, dulciũ, acidorum, & austerorum, ęquales partes unà cũ corticibus in mortarium coniectas, contundas, & ab eis succum exprimas: deinde confectionem adpares hoc modo. Conijce succi heminas quinque, mellis heminam I. radicis dulcis drach. VIII. Primũ uero succum cũ radice dulci decoquito, ac percolato, deinde adiecto melle simul coagmentato, & utitor. Haec confectio commodius exhibetur his qui oris inflammationem patiuntur, habentq; simul stomachũ fractũ, & qui cibũ auersatur. Vtilis est etiã bibita ad alui adfectiones Expedit aũt ei, ueluti reliquis oris remedijs adijcere, in principio quidem ea quae adstringunt circa uigorẽ, ea quae concoquunt, iuxta inclinationẽ, ea quae discutiunt. Facit etiam ad oris ulcera, & quae adpellantur Aphthae. Cõfectio ex malis punicis, Asclepiadae. Pharmacũ ad os prospere accommodatũ, quod etiam ad ulcera serpentia cõducit: Succi mali punici Italicos sextarios VI. mellis lib. I. croci drac. IIII. myrrhę drac. IIII. Succũ per se satis diu decoquito: deinde adiecto melle rursus donec probè coagmẽtetur decoquito: postea in mortario crocum & myrrham simul cõmittito, atq; hoc ut maximo remedio, utitor. Remediũ oris ex musto. Andromachi: quo inquit, ut pulcherrimo utor. Galla numero XXX. rhois quo coria inficiũtur choenice I. musti optimi ex uua aminaea alba sextarios sex. gallas contusas unà cũ rhoẽ per diẽ & noctẽ in musto macerato: deinde ad quartas decoquito, & p linteolũ percolato: rursumq; succũ donec mellis speciẽ accipiat, decoquito, & adiecta croci drach. I. aluminis scissi drach. I. myrrhae drac. I. probe misceto, & in usum recõdito. Facit enim & ad auriũ & sedis quoq; exulcerationes. Cõfectio ex succo uuae acerbae, ex ferula medicamẽtario libro. Sorani.* Illitio ad os adparata ex succo uuae acerbae, incipiẽtibus inflammationibus accõmodata. Valet etiã ad humore praegnãtes gingiuas, & ulcera pura tõsillarum. Succi uuae acerbae ad coagmentationẽ decocti sextariũ I. florum rosarũ drac. XII. croci drac. IIII. mellis heminã I. adpara ut prędictũ est. Eodẽ modo etiam adparatur confectio ex succo malorũ cotoneorum & pirorũ, pirastrorũq; & mespilorum, ac mororũ rubi, similiterq; ex aliorũ pomorũ succo, atq; item cornorum: nisi quòd plus mellis inijcitur ad ea quę magis adstringũt. Succus enim pirorũ & reliquorũ pomorũ ac fructuũ aliquãdo aequalẽ portionẽ mellis admittit. Eorũ uero quę plurimũ adstringunt, ueluti est succus corni, aliquãdo duplũ mellis suscipit. Cõfectio ex nucibus, Galeni. Fit etiã ex succo uiridiũ nucũ pharmacũ ori cõmodũ, hoc modo. Extrinsecum corticẽ nucis uiridẽ, quo tinctores utũtur, in pilã coniectũ contunde, succumq; expressum per linteolũ excola: eiusq; heminas V. mellis heminã I. & radicis dulcis drac. VIII. hoc modo cõmitte. Succũ unà cũ radice dulci usquequo cogatur decoque, & percola: deinde adiecto melle simul decoque rursus, ac utere iuxta eã quã describemus methodũ. Est itaque pharmacum ex nucibus omnium efficacissimũ. Verum stomacho utilissimum existit id quod ex malis punicis est confectum.

Summaria doctrinae de usu omnium illitionum ad os apparatarum. Cap. XLIIII.

In principio inflammationũ, oĩbus oris remedijs utiliter quiddã ammiscetur ex his quae restrictorię facultatis existũt ac repellũt. Quapropter cõmodũ est solum succũ cũ melle adparare, ac reponere: Sũt autem restringẽtia parabilia quę in principio miscere conuenit: rosae, flos earũ, baccae myrti, myrtus ipsa, lentiscus, rubus, omphaciũ. Post hęc cytini et balaustia, mali punici cortices, gallę, fructus spinę aegyptię, omnia aluminis genera, rhus tũ culinarius, tũ quo coria inficiũtur: horũ unũquodq; aqua decoquitur donec probè cogatur, atq; ita pcolatũ decoctũ illitionibus cõmiscetur. Optimus est etiã mali punici succus in principio ammistus. Frãgẽda autẽ sunt ipsa mala ac cõtũdẽda in mortario unà cũ corticibus suis. Deinde exprimẽda ac percolãda decoquẽdaq; donec in totũ cogãtur, atq; sic in praesentes illitiões ex eis ammiscendũ est. Quod si sumptuosius adparare uelis pharmacũ, nẽpe diuitibus utendũ, adijcies corticem casiae, indicã nardũ aut celticã, aut foliũ malabathri. Post principiũ autẽ ubi constiterit influxus, sufficit confectio ex moris, croco modico ac myrrha adiecto, ad inflãmationis concoctionẽ. Quum uero ad uigorẽ peruenerint inflammationes, parum utendũ est illitionibus oris. Verũ collutionibus & gargarismis mitioribus inflammationem concoquere oportet, uelut est ea quae ex furfuribus fit, & radice dulci. Aliquãdo etiam remedium oris ipsum decoctũ ex caricis constans gargarissandum exhibere conuenit aqua mulsa permixtũ, aut sapa calefacta, aut cũ sola aqua calida, non praesente melle aut sapa. Optimum cẽsetur circa inflammationum uigorẽ oleum lentiscinum cõduplicato uasculo calefactum, & ore retentum: uerum cauẽdum ne sit inueteratum. Vbi uero iam concocta fuerit inflammatio, & dolorum uehementia quieuerit: tum sanè & discussoria ad oris remedia admiscemus, cuius generis sunt, hyssopum, pulegium, thymus, calamintha, thymbra, menta, in sapa, aut aqua mulsa decocta & percolata, ita ut ex decocto cuiuscunq; tandẽ istorũ oris remedium permisceatur. Ex parabilibus discussorijs est decoctũ caricarũ ad mellis spissitudinẽ redactũ. Nã singula

singula prædicta efficaciora fiũt, si diutius coquantur. Fortius autẽ prędictis existit spuma nitri, & nitrum ipsum maxime Bernicariũ ustũ, atq; nitro adhuc potẽtius est sulphur uiuũ. Porrò ad diuturnas et obduratas inflãmationes adhibẽda sunt ea quæ præclarius discutere possunt: cõtusa uidelicet ac cribrata, de quorũ numero hęc sunt. Si diuites existãt ęgri, costus & amomũ, & quod appellatur macer, perquã calidũ & adstringẽs, & succus sanè cyrenaicus ad discusionẽ obduratarũ inflãmationũ aptissimus, aut aliquis eorũ qui ei successerũt, uelut est laser. Pauperibus autẽ pro sumptuosis illis pharmacis adijcere cõuenit dictamnũ, aut acorũ, aut meon, aut pyretrũ, aut parũ cardamomi, aut sinapis. Sit aũt pondus singulorũ quæ adijciuntur, iuxta eã quã in principio diximus apponderationem. Nimirum ut ad libras quinq; succi, una mellis adijciatur, & annexorũ sint drachmæ quatuor uel quinque.

De tonsillarum inflammationibus ex libris Philumeni. Cap. XLV.

Tonsillæ frequẽtissime inflãmationẽ incurrunt: calidi enim & humidi sunt earũ loci. Verũ hac adfectione magis arripiuntur hi qui plurimo sanguine abũdãt: & pueri, utpote mixturã habentes tenerã & multo cibo se explẽtes: & infantes adhuc lactẽtes ex haustu lactis id malũ cõtrahẽtes. Infertur autẽ hæc adfectio plerũq; à nimia meri potiõe, & à multa ac auidiore deuoratione ciborũ, maxime acriũ & asperorũ: accidit q; ita adfectis difficultas trãsglutiẽdi, & dolor aliquãdo etiã febris. Incipiẽte itaq; inflãmatione, cibũ subtrahere oportet, & aquæ potũ exhibere, præsertim febre simul irruẽte. Exhibẽdi etiã gargarismi adstringẽtes & repellẽtes, uelut est lẽticulę decoctũ cũ rosis, myxis, & palmis: reliquaq; quę in pricipio inflãmati gurgulionis adsumũtur. Cauendũ autem ne mel in principio ad gargarismos cõijciamus, ne per acrimoniã malũ iritemus. Verũ quum uehemẽtius adfectio ipsa inualescit, & periculum suffocationis suspectũ est, uena cubiti incidẽda est, repetita sanguinis detractione: maxime si iuuenis sit æger, & multo sanguine abũdet, cibi autẽ offerendi sunt sorbiles & uentri cõmodi: quòd si uẽter nõ probè egerat, inijciendus est clyster: infantium uero uẽtres glãde immissa, & sedis illitionibus iritare oportet. Post euacuationẽ gargarissent decoctionẽ furfurum calidam aut ptissanæ succum, in quo decoctæ sunt uuę passę, aut sapã tepefactã, aut decoctũ radicis dulcis, aut passum cum decocto ficuum & hyssopi. Hæc omnia tepida exhibenda sunt, frigus enim nõ tolerãt inflãmata, sicut neq; plurimũ calorẽ. multũ autẽ proderit oleũ amygdalinũ auribus infusum. Extrinsecus leniter fouere cõuenit spõgijs expresis, & cataplasmata quoq; imponẽda sunt ex farina ordei aut semine lini, aut fœnigræci, aut his simul mixtis. Remittẽte autẽ iã inflãmatione & decrescẽte, mel in gargarismos admiscere cõuenit: quod in principio & in augmento minime facere oportebat: quo tẽpore etiã calidiores gargarismi prosunt. Extrinsecus aũt lana mollis oleo tincta collo circũponẽda. Quod si ex usu acriorum collutionũ aut illitionum inflãmatio exasperetur, & mordacitas inde accidat, leniores gargarismi colluendi sunt, quales sunt, succus ptisanæ, aut halicæ, & micarum siligineariũ cremores, qui tepidissimi offerantur: lac etiã tepidũ gargarisandũ. Remittẽte autẽ inflãmatiõe et dolore prædicta oris remedia sunt illinẽda, immisso digito medio, ita ut cum leni adhibita illitione partes tonsillarũ, quę intumuerũt, cõprimãtur, quo contentã in se materiã excludant. Verũtamẽ non uiolenter cõprimere oportet, quẽad modum quidã faciunt, qui autores ob id fiunt, quo inflãmatio amplius augeatur. Si tamẽ obtigerit aliquis ab eiusmodi curatione læsus, cõtẽti erimus exhibitione gargarismatũ lenientium, nihil illinentes. Permanẽte uero ac immorante diutius inflãmatiõe, atq; ubi tonsillæ ipsæ subrubri coloris fuerint, neq; melius à prædictorũ remediorum admotione habuerint, permutationẽ in pus expectare oportet: cito enim tonsillæ abscedunt. Abscessu aũt facto, inflãmationis signa augescunt, & exacerbationes ad uesperã fiunt fortiores, cũ horrore & inæqualitate, aliquãdo etiã cum febre. Quare ubi suppurationẽ futuram speramus, coadiuuare oportet ut quàm citissimè fiat. Sint autẽ gargarismi eis exhibẽdi calidiores uelut aqua mulsa calida, & decoctũ caricarũ ac hyssopi. Verũ ad molliendos & maturandos tõsillarũ abscessus, maximopere auxiliatur unguẽtum quod appellatur Aegyptiacũ, quod ex resina therebinthina, & melle & oleo dulcissimo adparatur: & extrinsecus cataplasma impositũ ex ordeacea farina & fœnograeco cũ decocto caricarum & altheæ ac melle. Quũ autẽ pus perfectũ fuerit, dolores minuũtur, et inflãmationis tumor mollior redditus digito cedit: tunc sanè acriores collutiones exhibẽdæ sunt, atque prædictæ quoq; oris illitiones. In cibo accipiãt frusta panis aqua macerata quàm maxima, & reliqua similiter quę eis ꝓ cibo offerũtur aceruatim ingerãt. Vehemẽtiore enim ex his circa tõsillas obuolutiõe facta cõsimili modo tumores adficiuntur, ueluti sectionẽ sustinerẽt. A ruptura autẽ aqua mulsa gargarissanda ꝑ se, postea etiam admixta lẽticula & rosis, atq; his sanè immorãdũ est, donec penitus ad cicatricẽ perducatur. Neq; uetat sępe adijcere quiddã ex ꝓdictis oris remedijs. Quòd si ruptura eis serius contingat, ob soliditatẽ uidelicet corpusculorũ incũbentiũ, inferatq; inflãmatio ipsa dolorẽ, diducere abscessum cõuenit ad prolicięda puris excretionẽ. Leonidæ. Itaq; si perfectæ ætatis sit æger, eũ desidere facito, postea diducto ore linguã cũ specillo lato, aut instrumẽto linguæ deprimẽdæ apto, deprimito, ipsumq; abscessum cũ scalpello aut acicula penetrãtẽdiducito. Si uero puer sit æger, caput eius intra genua eius qui manũ admolitur cõtineatur. Deinde facta abscessus dissectione caput eius inclinetur ad humoris cõmodiorẽ exclusionẽ. Ab opere autẽ patrato aquã lactei teporis frequẽter colluãt. Post multã autẽ intercapedinem ab opere patrato, & in sequẽtibus deinde diebus aquam mulsam gargarissent: adhibeatur q; eis unguẽtũ ad exulceratas tonsillas cõueniẽs: quale est quod ægyptiũ croceũ appellatur, & quę ei similia existũt. Est autẽ Aegyptiũ hoc. Vnguentum ægyptiũ croceũ. Croci dra. III. mellis sesquilibram, olei rosacei sextantẽ, succi fœnigræci & seminis lini decocti quadrantẽ. Crocum in succo dissolue: deinde oleo adiecto, ea simul commisce, et mel prius despumatum conijce, & permixtis utere.

De crustosis & pestilentibus tonsillarum ulceribus. Cap. XLVI.

Crustosa & pestilentia tonsillarũ ulcera ut plurimum nullo

nullo præcedente tonsillarum fluxu incipiunt, aliquando autē à consuetis fieri inflāmationibus, maxime efferatis perficiūtur. Fiūt autē frequētissime pueris, atq; etiā ætate iam perfectis, maxime his qui uitiosis humoribus abundant, in his quæ uere contingere solent pestilentibus constitutionibus. In pueris uero oris ulcere, quod aphtham uocant, præcedente omnino perficiūtur. Sūt aūt partim alba, maculis similia, partim cinereo colore, aut similia crustis, q̄ ferro inurūtur. accidit aūt ægris siccitas in trāsglutiēdo, & suffocatio coaceruatim incidit, maxime quū rubor subeat mentū, aut ubi hæc acrimonia præterierit. Nome quæ depascitur, locos excipit, succeditq; unà putrefactio. Archigenis. Festināter itaq; auxiliū adferre oportet his qui sunt ætatis perfectæ, atq; cōfidēter uenā brachij incidere, si quidē nihil sit, quod id fieri ꝓhibeat. Multæ enim uirgines circa uigoris ætatē mēsiū purgationē appetētes, hac affectione appræhendūtur, quę præcipuæ uenæ incisiōe opus habēt. Incidēdę aūt sunt in eis tali uenę, & unica sanguinis detractione facta euacuādæ, nō autē ad usq; animi defectionē. Deinde glandulis & sedis illitionib. ac clysteribus utendū erit: itemq; cucurbitulis iuxta lumbos, ac colligationibus extremitatū, atq; omnibus modis conandum est, ut diuersio ab affectis partibus fiat. Postea etiā gargarismis uti cōuenit, uelut est lenticulę decoctū, & myxarū ac palmarū cū melle & ptisanę succo, deinde furfurū decoctum in decoquēdo uiscosum factū, adiecto melle. Potest etiā remediū oris ex moris, & maxime id quod ex malis punicis cōstat colluendū exhiberi, hydromelite permixtū. Philumeni. Infarcitur aūt hydromeliti & costus & iris, ac aristolochia, & similia post principiū. Probè aūt facit id quod ad columnellas præscriptū est. siccū pharmacū ex rhoē, flore rosarū crocoq; & costo. Foliorū etiā glaucij siccorū decoctū optime facit, quāquam gustus uehemēter amari existat. Ego aūt & glaucij succo cuius ad collyria usus existit, in aqua mellis meraciore diluto, ꝓ gargarismate utor, aut etiam cū iridis decocto. At uero fruticis ipsius sicci, glaucij inquā, cōtusi & cribrati optimus usus existit si insuffletur. Conādū autē est in uniuersum ne digitū quidē locis admoueamus, aut leni saltē tactu manū admoliamur. Etem̄ inscij ad quos maxime in rebus dubijs homines cōfugiūt, uehementius illinūt, simulq; inflāmatū locū comprimūt, simulq; crustā detrahūt, q̄d minime facere conuenit prius quàm eleuatā, & uix innitentē crustā cōspiciamus. Quòd si enim adhærentē adhuc crustā auellere aggrediamur, ulcerationes magis in profundū ꝓcedunt, & inflāmationes cōsequūtur, augēturq; dolores, & in ulcera serpētia proficiunt. Itaq; sicca quidē remedia insufflare cōuenit: liquida uero cū pinnula illinire, ita ut quantū licuerit quàm penitissime pinnulā immittamus. Vtēdū est etiā cōpositione ex semine rutæ syluestris ad anginā descripta, & ea quæ ex ustis hirūdinibus cōstat, ita ut cū melle liquefactas illinamus, & cū hydromelite permixtas colluēdas exhibeamus. Profuit etiā aliquibus aristolochia & iris, & chalcitis adhibita cū melle. Aliquādo etiā Andronis & Musæ pastilli. Mirabiliter aūt crustas aufert caninū recrementū melle illitū, & ustarū hirūdinū cinis, & cētaureę minoris ustæ cinis cū melle, & cochlearū terrestriū maxime nudarū ustarū cinis cum melle. His uero de quibus medici desperarunt, fel crocodili exiccatū & tritū ad crustā insperge, aut illine cū melle. Oportet autē post iritationes à pharmacis eiusmodi factas, lenire cū radicis dulcis decocto, et qui ex uino scybelite, mastiche chia, myrrha, & croco cōstat gargarismo, deinde cū amylo & tragacantho. Cohibito aūt iā ulcere pascēte, lac gargarissandū, samia terra permixtū: et febriū quoq; curā habere cōuenit: uehemētes em̄ incidere solēt: atq; in repurgādis explanandisq; ulceribus maxime sollicitū esse: cōuulsionē enim infantes plurimi passi sunt in ulcerū repurgatione: aliqui uero uia transglutiendi exiccata, sunt strāgulati. Sunt etiā quibus corroduntur gurguliones, atq; ubi diutius perstiterint ulcerationes, & in ꝓfundū proserpserint, cicatrice iam inducta, adstrictiorē uocē edunt, reflecturq; ipsis potus in ipsas nares. Nam et ego puellam noui, quę post quadragesimū tandē diē consumpta est, quum se iam à morbo recolligeret. Verū ad septimū usq; diem plurimi periclitantur. Vbi uero inflammationes & ulcera serpentia semper amplius extendātur, forinsecus fomētū adhibere oportet, & cataplasmatis cōmunibus uti, cū cautione ne refrigeremus. Feliciter enim res procederet, si intrinsecus detentā materiam extrà queant transferre. Contegātur itaq; semper post cataplasmata, partes circa mentū, cū nardino & cyprino cerato, cū circumpositione lanarum molliū. Vbi aūt crustæ solutæ fuerint, & ulcera ipsa mundata, antheris, hoc est, floridis remedijs utendū est. Sanant enim in totū ulcerationes ipsas, tum siccę adhibitæ, tum illitæ cū melle. Sunt autē crustarum tum oris, tum tonsillarū, cōposita pharmaca huiuscemodi. Asclepiadæ illitio ad exulceratas inflāmationes. Florū rosarū drach. VIII. croci drac. IIII. balaustiorū drac. I. myrrhæ drac. I. nucū pinearū repurgatarū drac. III. Subactis melle ad illitionem utere. Asclepiadæ, ad oris putredines. Rhois culinarij dra. IIII. acaciæ drac. I. omphacij drac. I. medullæ ceruinæ aut uitulinæ drac. IIII. in uino dulci diluta, melle despumato excipe, & ad illitionem utere. Andromachi remediū oris odoratū ac tenerū, ad inflāmationes ac crustas optimū. Nucū pinearū depuratarū drac. III. amyli dra. II. aluminis scissillis dra. I. florū rosarū drac. I. croci drac. I. mellis quantū suffecerit.

Aliud, ad omnes tum oris, tum tōsillarū adfectiones. Rhois culinarij dra. IIII. florū rosarū drac. I. croci drac. I. costi drac. I. illine cū melle, aut cū aqua mellis gargarissandū exhibe. Critonis ad crustas. Misy assatum aut crudum illine cum melle: statim em̄ eas tollit. Sint aūt misyos drac. III. & libra una mellis, quo modo etiā uti poteris chalcitide. Archigenes autē inquit: Ad crustas optime conuenit stercus caninū cū melle: quod tum optimū erit, quū ossibus canes fuerint nutriti. Magnopere enim auxiliatur, neq; odium sui inducit in cibo oblatū. Licebit etiam uti plurimis eorū quę ad anginā descripta sunt auxiliorū. Aliud Archigenis, ad crustas in ore. Hirūdinū ustarū & stercoris humani æquale pōdus cū melle illine. Accipiendū est stercus nō quodcūq; obtigerit, uerū puerū biduo prænutrire oportet pane & lupinis, ac uino modico, atq; deinde tertia die stercus eius accipere & exiccare, atq; repositū seruare. Vsu uero expetēte cōtrito uti. Efficax enim & ad anginas existit. Experti etiam sumus, inquit Galenus,

pharmaca à Sorano descripta praeclare facere, quae sanè ille iuxta dictionũ seriẽ descripsit. Remediũ ad crustas oris cõferẽs & ad gingiuas humore pręgnãtes & graueolẽtes. Misyos usti drac. VIII. iridis illyricę drac. IIII. croci drac. I. in puluerẽ redige, ac pyxide lignea repone. Vtere aũt p se uel cũ melle. Florida cõpositio, ad praedicta similiter efficax. Iridis illyricae drac. IIII. sandarachę dra. IIII. cyperi dr. IIII. aluminis scissi dra. II. myrrhae dra. II. crocomagmatis dra. II. in puluerẽ redige ac utere. Quidã etiã flores rosarũ, & gallas adijciũt, singulorũ dra. II. Vtere aũt ad putrefacta, et ad abscessus gingiuarũ sicco: ad crustas uero cum melle. Philagrij, ad oris erosiones. Seminis lentisci nõdum denigrati drac. IIII. gallarũ dra. IIII. costi dra. I. folij dra. I. utere. Theodori, ad tonsillarũ ulcera, gingiuarũq; & pudendorũ, ad putrefacta & carbunculos. Aluminis scissilis, sandarachae, myrrhae troglodyticae, singulorũ ęquale pondus accipe, ac utere sicco. Hermi, ad omnes oris adfectiones, ab ulcere quod aphtha adpellatur usq; ad crustas & carcinomata. Ericae semẽ tritũ, succo hyoscyami excipe, & utere cum melle. Aliud, ad ulcera quae serpũt in ore, gingiuis, ac lingua. Misy cũ succo foliorũ uitis albae, quã bryoniam adpellant, dilue, et cõiecto simul melle tere, ac ad illitionẽ utere. Diuinitus extergit ac repurgat. Vbi uero repurgata fuerint & carne expleta, bryonię radicẽ cõtusam & in puluerẽ redactã adhibe. Ea enim ad cicatricẽ perducit. Aliud eiusdẽ, ad oris putrefactiões, ulcerationes, & ulcera quae serpũt. Foliorũ uitis albę quadrantẽ, aluminis scissilis trietẽ, misyos crudi dra. IIII. atramẽti sutorij dra. II. cõtere quousq; arida fiant, & in puluerem redactis utere siccis. Repurgat, explet, reprimit illatũ fluxũ. Ego uero pręcedẽs expertus sum. Collutione aũt utendũ est ad oia oris ulcera, & ea q̃ serpũt, putrefactionesq;, & gingiuas denigratas. Verbenacae rectę decocto ex uino, quod calidũ ore retinẽdũ exhibe. Aliud diuinũ remediũ. Oleae uiridis folia aqua decocta colluenda exhibe.

De angina, et eius speciebus, ex Galeno. Cap. XLVII.

Anginae quatuor differẽtiae existũt. Vna, quũ fauces fuerint inflãmatae: fauces aũt pharinga Graecis appellatã, uoco intra os locũ, ubi tũ stomachi, tum asperae arterię extrema cõueniũt. Altera quũ neq; circa oris regionẽ, neq; iuxta fauces, imò nec forinsecus, quicquã adparet inflãmatũ: & tamẽ suffocationis sensus infestat aegrũ iuxta asperae arteriae extremũ. Tertia, quũ exterior gutturis regio unà cum interna fuerit inflãmata iuxta mẽtum. Ad haec aũt & circa ceruicẽ quędã adfectio oboriri solet, ex luxatione & discessu cuiusdã in collo uerticuli in anteriorẽ regionem: unde cauus apparet locus, & quũ extrà attingitur, dolore adficitur: q͞d cõtingit ob distracta intrò uerticula, & cõsistẽtẽ circa musculos faucium, aut extremitatis arteriae inflãmationẽ. Hęc aũt species ꝓprie cynãche à ueteribus est adpellata. Lingua enim à luxato uerticulo iuxta radicẽ suã impulsa, ex proprijs locis excedit, & difficultas magis circa respirationẽ infestat, unde cogũtur aperto ore semp hiare, atq; aẽrẽ adtrahere. Oẽs autẽ praedictae adfectiones cõmunẽ habẽt difficultatẽ trãsglutiẽdi: ita tamẽ ut in alia plus, in alia minus hoc malũ augescat. Accidit etiã eis potũ adsumptum ad nares reflecti. Atq; hae sanè sunt adfectiones: curatio aũt earũ in paucis uariat.

Aretaeus autẽ inquit, Anginae causae multae existunt, maxime aũt frigiditas magis quàm ardores, & plagae, & ossa ex piscibus ad tonsillas impacta, et potus frigidae, ebrietas, nimia satietas, & quae spiratione attrahũtur mala. Archigenes aũt ait: Occultae anginae causam esse in quibusdã, neruos qui ad stomachũ deferuntur, dum male adficiuntur, et pòst inferioribus mẽbris, pulmoni inquã & cordi, respirandi principiũ inflãmant. Arterijs uero quae carotides adpellãtur, itemq; alijs adiacentibus inde inflammationẽ trãsmittũt. At uero quòd hi qui sic adficiũtur nõ fiant attoniti, inde est quòd huius adfectionis causa intẽperies sola existit, nõ etiã coartatio locorũ. Cõueniunt igitur, inquit Archigenes, eis ea quae uomitoriã uim obtinẽt, uelut est elaterium, & squama ęris illita cũ melle. Ego aũt, inquit, ab occulta angina pręhẽsos ex sinapis gargarismo releuo, moxq; in balneũ induco, atq; ita multos à periculo liberaui, quibus adfecta particula, obliuioni tradita fuit, p distributionem uidelicet in uniuersum corpus sanatos. Aretaeus autẽ inquit, Cucurbita accipiatur, primũq; infra umbilicũ adhibeatur, mox ad latera deorsumq; & scapulas, ita ut assiduè à loco uno ad alterũ trãsferatur, & in admotione ex supernis locis deorsum trahatur. Quòd si uehemẽter urgeat suffocatio, sinapi aqua tritũ & uili panniculo exceptũ pectori impone. Ad delingendum uero cõueniunt eis: sinapi, nitrũ, hyssopum, scylla assa, sulphur uiuũ, omnia paribus portionibus cũ mellis cochleario permixta delingenda exhibe. Archigenes. In principio igitur compendiarium & pręceps auxilium omnis angina requirit, quandoquidem autẽ ferè iuuenibus accidit, e uestigio cubiti uenam eis incidere oportet, nisi quiddam maioris periculi impediat: auferre aũt sanguinem parce, non usquequo animi defectio sequatur: citius enim hi animo linquuntur, & aliàs sanè ex refrigerationibus & animi defectione perfacile materia à faucibus ad pulmonẽ defertur, et ineuitabile periculũ infert. Curandũ etiã ut modica fiat diductio uenae. Nã quum in alijs, tũ in magnis uenę diductiõibus aceruatim animi defectus irruit: neq; tamẽ angustiorem facere uenae incisionem cõuenit, ne sanguis uelut percoletur, & crassior eius pars intus remaneat, quae caussa huius adfectionis existit. Vtilis est autẽ eis repetita detractio in sequẽti die, nisi prępediat ęgri timor, aut animi deliquiũ. Quòd si quid uenę incisionẽ fieri prohibeat, per clysterem infundendũ est centaureae, absinthij, calaminthae, & aristolochiae decoctũ, admixto melle & plurimo nitro: postea etiã purgatiua danda, quae magis pituitam ducunt: cõuenientissimum autẽ aliquãdo in angina esse uidetur, elaterium: uerum non oportet nisi cum sero lactis & cnico in sero cocto ipsum propinare. Conuenirent etiam eis ex aloẽ & colocynthide catapotia, si modo queant ea deglutire. Si uero confidentior contingat medicus, bonum est et hierę Archigenis ex colocynthide drac. III. cum aliqua ex praedictis decoctione per clysterem infundere, ubi prius aliquo stercorum eductiuo euacuauerit. Post uniuersales autẽ euacuationes, cucurbitas adponere oportet, et si quidẽ tumor circa maxillas, aut sub mẽto persistat, in ipsum tumorem, & cũ scarificatione plurimum sanguinem extrahere, saleq; respergere scissuras, & cõfricare. quòd si nullus extrinsecus

trinsecus tumor adpareat, ueluti fieri solet in ea quę occulta adpellatur cynanche, retro sub colli neruo infigenda erit cucurbita iuxta primũ uerticulũ, et cõstanti adtractione utendũ, & frequentius cucurbita auellenda. Ea enim instantia factis uertebrarũ discessibus, ac luxationibus probe se opponit. Deinde ubi paulisper à reliquorũ remediorũ adhibitione quieueris, cataplasmatis utendum, tum eadem die, tũ etiã in sequenti. Maiorẽ uero spem in sequentibus dieb. in illitionibus & gargarismis reponere conuenit. Itaq; ubi initium sit cũ multa inflãmatione, ea quæ leniter adstringunt offerẽda sunt primũ: uelut est rosarum, lentium, palmarumq; decoctum, flos rosarũ ex hydromelite, rhus cum hydromelite decoctus, et decoctum myxarum. Quòd si excoriatio contingat corpusculorum, panis cremor exhibendus est calidus, aut furfurum decoctum colluant, aut etiam lac solum. Ego autem, inquit Archigenes, siccũ pharmacũ in promptu habeo. Ex rhois culinarij drachmas VIII. florum rosarum drachmas IIII. costi autem & croci, cuiusq; drachmas II. Ex quo sanè in aquã mulsam inspergo, & in gargarismate utor, atq; inflammationes & ulcerationes tõsillarum facilime sano, etiamsi contingant quibus illæ ad summũ progressum minentur. Quin & illitiones mansuetiores inflammatis cõmodæ sunt, uelut est ea quæ ex moris cõstat, & rhois culinarij cremor in hydromeliti coctus donec cogatur. Oportet autem pręmacerare sufficienter rhoẽm ipsum, donec abũde aqua mulsa ex eo colorem accipiat, & in sapore uim eius repræsentet. Probe etiam facit mali punici integri unà cum corticibus fracti ac contusi succus melle permixtus: ita ut ad succi partes tres una mellis cõijciatur, & donec cogatur decoquatur, ac illinatur. Quòd si ad dictorũ remediorum malum cedat, sed semper multitudo humorum augescat, uenæ sub lingua incidẽdæ sunt, aut quæ sunt in fronte, aut etiam circa magnos angulos oculorum: forinsecus autẽ assidue lanæ circum collum ponantur oleo calido madefactæ, aut ceratũ ex oleo cyprino adparatum adhibeatur, aut si malis ex gleucino siue musteo. Quòd si diutius moram traxerit, abscessum expectare oportet, & tũ sanè conuenientius erit ficuum decoctum ad colluẽdum: multoq; magis si hyssopũ ei conijciatur. Neq; uero incõmodus fuerit in his qui aliquo modo sunt exulcerati, crocus cũ aqua mulsa: & decoctũ radicis dulcis. In uigore autẽ omniũ utilissimus existit succus ptisanę aut halicæ ore collutus: nã et à multis minis liberat, et abscessus metum eximit cõfestim. Qui si nõ adsit, furfures probè cocti ei succedere possunt. Atq; hęc quidẽ his cõueniunt. At in angina siue inflãmatione ac ulcere, ubi sola multitudine ægri obturati periclitãtur, in his quæ acriora sunt periculũ est faciẽdũ. Sunt enim tunc etiã in principio cõuenientiora: post uniuersales tamẽ euacuationes: itaq; hydromeli meracius ꝓfuerit, si cũ eo hyssopũ aut origanũ decoquatur. Si uero in superioribus partibus, aut iuxta fauces malũ persistet, sinapi tritũ cũ aqua mulsa et percolatũ gargarissandũ exhibebimus. Cõuenit etiã cassiæ decoctũ, & iridis, & radicis panacis, gentianæ, cẽtaureæ, aristolochię, agarici, & radicis cucumeris agrestis: unũquodq; autẽ cũ hydromelite satis diu decoquatur, donec succulentum reddatur. Vsus sum etiã in occulta angina ex sinapi gargarismo, & sæpe à periculo ægros liberaui. Illitio aũt his ualde cõueniens, his inquã, qui citra exulcerationem anginã patiuntur, est ea quę ex semine rutæ syluestris adparatur: & quæ ex ustis hirundinibus constat: quarum apparatũ paulò pòst unà cum alijs remedijs describã. Iuuantur etiã fotu uaporis intra os accepto hoc modo. Origanum, hyssopũ, satureiã, fœniculi semẽ, cum aceto plurimo & nitro feruefacito in olla diligẽter operta, operculo foramẽ habẽte in medio, deinde arundine ori ægri & foramini adaptata, sinas foueri. Si uero ex feruore arundinis os aduratur, ouum uacuũ paruũ utrinq; perforatũ ore contineant, & per ipsum arundo immittatur. Mollius autẽ fomẽtum fuerit, si pro aceto poscã affuderis, aut aquã. Cæterũ magis lancinantia offerre illis oportet, quo rursus insurgat caro, & transmutare queat eam quã in profundo pertulit coarctationem. In dubium enim sæpe uenit & ferè desperationem præ feritate morbus, ut & odiosa exhibere quibusdam necessarium fuerit: si quidem humano stercore quosdã usos esse constat pro illitione, & magnũ sanè cõmodum repererunt. Alij autẽ recenti usi sunt, alij uero exiccato et trito, ita ut cum nardo uel myrrha id permiscẽtes fœtorem celarẽt. Ab acrioribus autẽ & his quæ dilaniantẽ uim obtinent, ad mediocria est trãseundum: uelut est Andronis pastillus, et similia. Vtilia etiã his sunt, ea quæ uomitoriã uim obtinẽt, maxime illis quibus grauitatis sensus circa uentrẽ hæret. Archigenis remediũ, quo utor, inquit, ad occultas anginas, mirabiliter etiam cõducit anhelosis. Elaterij oboli dimidiũ, spumæ nitri obolos tres, sinapis drac. I. contere cum aqua et informa. Mouet aũt uomitum elaterium cum oleo aut melle tritum & penitissime illitum. Multò autẽ efficacius id pręstat, si squama æris ei cõmisceatur, aut ipsum æs ustum, oleo cyprino tritũ & illitum. Probè etiã facit fel tauri illitũ, & nitrum cum aceto mulso potatum, & cẽtaureæ succus cum melle, & aselli sub aquario stabulãtes uase cũ melle delincti. Quidã nasturtij semẽ tritũ bibẽdum exhibuerunt quãtum cochleari accipi potest cum aqua mulsa. Nec ita lõge post pituitã uomuerunt illi crassissimã & tenacem, statimq; à plurimis molestijs sunt liberati. Aliud. Stercoris gallinacei albi, & colore cerusam referẽtis bonã copiã exiccatã & repositã adserua. Vbi uero usus postulat, quãtũ cochleari accipi potest, in aqua aut aqua mulsa dilutum ꝓpina. Etenim desperatos etiã sanat: quod si bibere nequeãt, tritum cũ melle ꝗ penitissime illini. Aliud, ad idẽ. Cẽtaureæ drach. VIII. nitri dra. VIII. salis cõmunis dra. VIII. cõtere et repone siccũ. Vsu uero exigẽte melle imbue, et cum pinnula illine, aut quomodo uidebitur utere confidẽter. Nã periculũ eius factũ est. Aliud. Absinthiũ cõtusum & cribratum, adiecto nitro trito, illine cũ melle. Aliud. Elaterium cum felle taurino & melle cõtritum illine. Cõpositio ex semine rutæ syluestris ori cõmoda, Andromachi. Ad anginas & desperatos, inquit, hac utor. Sũme etiã prodest stomachicis, & ad tormina intestinorum, fabę magnitudine exhibita ex frigida: Seminis anisi, seminis apij, floris iunci odorati, ammij, aluminis scissi, iridis illyricæ, seminis rutę syluestris, quod quidã harmala, alij besasa adpellãt, cinnamomi, myrrhę troglodyticæ, aristolochiæ lõge, singulorum unc. I. cassiæ, cro

comagmatis, rosarũ siccarũ cuiusq; unc. I. costi quadrãtẽ, cineris hirundinũ recẽs ustarũ quadrãtẽ, croci sesqunc. spicę nardi dra. IIII. amomi dra. IIII. gallas omphacitidas numero octo, cõtere & melle excipe ac utere. In principio quidẽ pharmacũ hoc cũ decoctione aliqua mediocriter adstringẽte, quales sæpe diximus, dilue. Iuxta uigorẽ uero cũ ptisanæ succo. Iuxta remissionẽ autẽ & declinationẽ melle aut hydromelite, aut uino mulso. Inueterata autẽ & uelut indurata inflãmatione aceto mulso. Philagrius autẽ inquit, Aliquãdo post prædictas uniuersi corporis euacuationes, & adhibitiones cucurbitularũ, & incisionẽ uenarum sub lingua, miscemus etiã alia q̃dam ad præscriptũ pharmacũ, quæ partim quidẽ irruẽtẽ fluxũ restringunt, partim autẽ oĩa quæ iã incidẽt discutiunt. Cõijciuntur autẽ ex rutæ cõpositione dra. VIII. gallę omphacitidis dr. VIII. & stercoris canini albi, ac humani stercoris sicci, cuiusq; dra. VIII. Verũ quẽadmodũ & antè dictũ est, stercus canũ accipere oportet eorũ, q antea p biduũ ossibus sunt nutriti, humanũ uero ex puero biduò pane & lupinis nutrito. Vomitoriũ Martiani, q̃d & ad opertas & manifestas anginas prodest: præexige, inquit, mercedẽ. Aeris usti dra. XII. atramẽti sutorij drac. XII. myrrhæ dr. I. elaterij dra. I. spumæ nitri drac. I. fellis taurini dr. IIII. excipe melle & cũ pinnula quàm penitissime illine. Archigenes autẽ inquit: Stercus humanũ quale prædiximus accipe & exicca, ac in uili pãniculo ligatũ exure, atq; cũ aqua mulsa dilutum propina. Est eñ remediũ eorũ qui iã suffocãtur. Antonius uero Musa inquit: Stercus caninũ quale prædiximus accipe & exicca, cõtusoq; & cribrato utere ad anginas cum melle, quàm penitissime illinẽs, ut trãsglutire possint. Eo eñ nullũ potẽtius pharmacũ noui, inquit Gale. neq; ex angina laborantibus, neq; ad magnas tonsillarum inflãmationes, neq; ad glandularũ tuberculorumq; gutturis suffocationes iã periculũ minantes, pbè facit etiã cũ aceto mulso & pice liquida illitũ caninũ stercus. Summe etiã auxiliatur ad anginas, cõfectio ex ustis hirũdinibus, cuius cõpositio hęc est. Cõpositio ex hirũdinibus ustis. Cineris hirũdinũ syluestrium ustarũ drac. VIII. croci dra. II. spicę nardi dra. I. excipe melle, & permisce hoc modo ubi iã incubuerint adfectiones. Oportet aũt exurere hirũdines hoc modo: Pullos hirundinũ uiuos nõ deplumes, addito cõgruentis modi sale in fictile uas conijcimus, idq; obturatum super prunas ponimus, donec puluis & cinis fiat, quo cõtrito utimur. Aliud, ex hirũdinibus, itidẽ ualẽs ad anginas. Hirundinũ ustarum numero XI. succi myrti uiridis cyathos XII. myrrhæ obolos III. mellis cyathos II. hirundinũ pullos exure et contere, deinde omnibus simul mixtis utere. Aliud cuius experimentũ constat. Folij, costi, gareophylli, piperis, cuiusq; unc. I. sandarachæ trientem, excipe melle despumato, & illine. Aliud. Cochleas nudas citra testam in hortis repertas in ollula exure ac cõtere, cineręq; melle excepto utere. Est eñ eiusmodi remediũ, quòd pręsentem opem affert. Simili modo etiã cancrorũ ustorũ cinere utendum est cũ melle: & decoctũ quoq; cancrorũ ore collutũ utile existit. Ego autẽ cancrum in aquæ hemina tritũ percolo, ipsamq; aquã calefactã gargarissandã exhibeo: crassa eñ educit multa, & releuatur cõfestim æger. Aliud. Centauream minorem siccatam exure, cineremq; illine cum melle.

Aliud. Maxillæ porcelli ustæ unc. I. stercoris canini albi dra. IIII. malicorij unc. I. gallarũ unci. I. costi drac. IIII. piperis torrefacti scrupulos VI. misce cum melle ac utere. Valde autẽ magna sollicitudine ac cõtẽtione opus est etiam tum quum malum remittere uidetur: etenĩ ea quæ iam ex profundo corporũ circa fauces adtracta sunt, ex improuiso in pulmonem transferuntur, si negligantur, atq; ita repẽtina mors ægro infertur.

De glandulis. Cap. XLVIII.

Omnibus hominibus carunculæ quædã exiguæ naturales iuxta utrasq; tonsillas extant, antiades Græcis, Latinis glandulæ appellatæ, quæ quũ naturalẽ modũ seruant, nihil molesti inferunt. Verũ ubi iuxta affectionis proprietatẽ augescant, & modi maioris q̃ secundũ naturã suam fiant, tunc sanè & transglutionis & spirationis difficilis causæ existunt. Cõsistunt autẽ ferè in totum citra inflãmationẽ, & paulatim etiã augescunt. Aliquando autẽ & inflãmationẽ patiuntur. Diducto itaq; ore manifeste apparent glandularum tumores maiores, citra quidẽ inflãmationẽ tonsillarum corpusculis cõcolores. Inflãmatæ uero rubicundæ & inferẽtes dolorẽ. Quare quum inflãmatio affuerit, gargarismis & illitionib. ad tonsillas inflãmatas descriptis est utendũ. Quũ uero citra inflãmationẽ cõsistunt, conari oportet ut per cõmoda pharmaca paulatim deprimantur, & per admoti digiti cõpressionẽ. Remedia aũt ad glandulas absq; inflammatione auctas talia conueniunt. Gallæ omphacitidis, salis ammoniaci, aluminis scissi, cuiusq; unc. I. adhibe siccum. Aliud. Myrrhæ sextãtẽ, gallarum drac. VIII. misyos dra. II. salis torrefacti drac. II. utere sicco. Aliud. Gallarum, misyos, myrrhæ, aluminis liquidi æquales partes accipe, & siccis utere, uel cum melle. Aliud, Asclepiadę. Remedium ad glãdulas accõmodatum: gallarum omphacinarum drac. IIII. diphrygis dra. I. myrrhæ dr. III. croci dra. III. mellis quantum suffecerit. Hoc pharmacũ citra ulceratione glandulas reprimit. Aliud, Apolloniadæ. Diphrygis dra. II. chalcitidis assatæ dra. II. gallarum dra. I. croci dra. I. myrrhæ drac. I. excipe melle & utere. Chirurgia. Verum si pharmaca uincantur, excindere glãdulas oportet. Quod ut cõmodius fiat, æger in claro & splẽdido loco collocetur, & diducto ore unaquæq; glandula uncino producatur & excindatur: excinditur autẽ ex ea id quod supereminet, iuxta medium eius, quod præter naturã excreuit. qui eñ dum omnẽ quæ præter naturã accreuit carnẽ excindunt, etiã naturalẽ carnẽ ex fundo auferũt, periculosę sanguinis eruptionis autores fiunt. Post excisionẽ autẽ posca frigida colluẽda detur, ad sanguinis uidelicet inhibitionẽ, & post eã frigidissima aqua. Postquàm autẽ sanguinis eruptio constiterit, satis lõga intercapedine tẽporis facta aqua mulsa tepida exhibeatur. Sequẽtibus uero diebus etiã cũ ea illitiones adferãtur, quales sunt ad ulceratas tonsillas descriptæ. Raro autem, quando uidelicet ulcera eminentiora adparent, florido sicco ipsas tonsillas attingimus. Per hoc enim eminentiæ deprimuntur, & cicatricis inductio perficitur.

De suffocatorum reuocatione. Cap. XLIX.

Reuocantur aliquando suffocati ac strangulati, aceto ori infuso cum pipere, & semine urticæ. uerum diffi-

culter

culter tractari possunt ut admittāt: cogere itaq; oportet ac ori infundere, ad uomitionemq; iritare. Rubore autem circa collum dissoluto, statim respiciunt ac relaxantur: quare oleo multo calido & lana, aut cerato, collum asidue circū circa est amplectendum. Similiter etiam naufragos reuocare oportet, si quidem respiratio adhuc in eis seruetur. prius autē in caput ipsos suspendere conuenit, ac cogere quo absorptā aquam euomant, siue pinnularum, seu digitorū iritatione, forinsecus uero manuum impositione iuuare oportet uentris firmitatem.

De deuoratis ac fixis in tōsillas spinis, atq; his quæ in asperam arteriam delabuntur. Cap. L.

Si in asperæ arteriæ extremū, atq; ipsam adeo asperā arteriam, aliquid eorum quæ degluttiuntur prætermlapsum fuerit, tussis prouocāda est, per acetosam aliquam qualitatem: & sternutatorium quoq; naribus admouendū. Ex uehementi enim agitatione, & instantia, & spiritu simul cum uiolentia quadam expulsionē adiuuante, eiusmodi consueuerunt excerni. Si uero iuxta tonsillas, aut iuxta principium stomachi seu gulæ spinæ aut ossa fuerint infixa, ita ut oculis subiaceant, atq; plurima sui parte extra tonsillas promineant, uolsella appræhensa extrahere oportet. Quum uero in inferioribus gulæ locis quid adhæserit, hoc modo educatur, Spongiam paruam resina terebinthina madefactam, aut carūculam crudam recentem incisam, unà cū filo ualido ipsi alligato, deglutire coge, & mox cōpræhensam per alligatum filum rursus extrahe, hoc enim modo sæpe etiā id quod infixum fuit, simul extrahi consueuit. Conuenit etiam panis recentis interioris buccellas degluttiendas exhibere citra commanducationem: aut caricam aliquantisper circummanducatam, non tamen penitus dissolutam. Quum autem ad fundum usq; ipsorum corporū penetrarit, neq; extrahi potuerit, aqua mulsa gargarissanda exhibeatur, & cibi sorbiles, uelut ptisana cū melle, aut halica similiter: aut micæ aqua mulsa calida maceratæ offerantur, forinsecus uero ceruici atq; uniuerso collo lanam oleo calido imbutam imponere oportet: similiterq; cataplasmate calido laxante ac deprimente collum contegere conuenit: uelut est id quod ex semine lini cū aqua mulsa adparatur. Hoc enim ductu tū locus ipse suppuratur, tum spina commota, simul cum his quæ degluttiuntur, deducitur. Aliud, ad eductionē eorū quæ in tōsillas deuorata sunt. Statim te ad ægrū desidentem conuerte, ipsumq; tibi attēdere iube: ac dic, Egredere os, si tamē os, aut festuca, aut quicquid tandem existit: Quēadmodum Iesus Christus ex sepulchro Lazarum eduxit, & quēadmodum Ionam ex ceto. Atq; adprehenso ęgri gutture dic: Blasius martyr & seruus Christi dicit, Aut ascēde aut descēde.

De arteriarum pharmacis. Cap. LI.

Asperæ arteriæ extremum & subiacentem ipsi asperam arteriam, cum suis proprijs musculis, pellicula quædā fortiter cōplectitur & ambit. Quādo igitur adfectio aliqua siue iuxta eā ipsam pelliculam, aut circa extremi ipsius arteriæ musculos contingit: remedia quæ uim medendi eam obtinent, arteriaca cōmuniter adpellantur. Afficitur autem pellicula hæc aut ob nimiam humectationem, aut asperitatē, aut ulcerationem. Vocis enim nocumēta, uidelicet eius interceptio, hoc est non posse loqui, & raucitas in loquendo, ad plures causas consequuntur: aliquando quidem propter diuturnos ex capite defluxus, aliquando uero propter suppurationem thoracis & tabem. Ex uociferatione etiam magna & plurima raucedo uocis oboritur, & ob frigidi & insueti flatus inspirationem, & ob plurimam ac insuetam potionem uini meraciorem. Verum hæ affectiones magnitudine inuicem distant. Etenim uehementius humectis uocis instrumētis, uocis interceptio cōtingit: mediocrius aūt rigatis, uox raucosa perficitur. Itaq; qui ex uehementi clamore, amplius uoce uexantur. cōsimile quiddam patiuntur his, qui reliquis corporis particulis fatigatis & ex labore afflictis afficiuntur. Nam & pellicula quæ arteriæ extremum atq; ipsam asperam arteriam ambit, per magnas uociferationes extrà prolato spiritu percussa, inflāmatur. Et iuxta arteriæ extremum, ultra hanc plagam, musculorū ipsum mouentium actio offensa, maiorem affectionem operatur. Musculi enim illi uocem operantes, ob magnas uociferationes, non solū ab erumpente spiritu percussi læduntur, uerum etiam superextensi uehementer, maximam sustinēt lassitudinē. Curatio autem horum coincidit cum his, qui alias particulas corporis habent fatigatas. Balneū enim dulcium & bene temperatarum aquarum magnopere iuuat omnes phonascos Græcis appellatos, qui uocis exercitio magno utuntur: citharœdos inquam & præcones, & tragœdos, quum contendendo oblæserint uocem. Quēadmodum autem oleum forinsecus illitum omne corpus à fatigatione refocillat: sic & cibi mordacitate carentes & deprimentes, ac laxantes, tum affectam arteriæ pelliculā, tum ipsos musculos, et pharmaca arteriaca uim obstruēdi meatus habentia iuuant. Quum igitur afflictiones ac lassitudines uelut distendentes circa extremi ipsius arteriæ musculos, & ipsam pelliculam generantur: in principio quidem lenissima edulia cōueniunt: pharmaca uero obstructoriam meatuum uim habentia. Sedata autem inflammatione aliquod ex modice repugnantibus est adhibendum: deinde rursum aliud, sed priore præstantius, ut paulatim ad medium repurgantium perueniatur: deinde ab hoc adhuc fortius discussorium adhibeatur, ut hoc modo semper ad uehementius progressus fiat, quādo uidelicet diutius ueluti indurata adfectio in uocalibus organis perstiterit. Primi itaq; ordinis erit tragacanthus, & gummi, & aster samius, amylumq;, & ex halica ac trago probe decoctis sorbitio: lac etiam conueniens est, & dulciarij panes, oua sorbilia, & nuces pineæ madefactæ, sesama, & sapa quæ sireon quoq; & hepsema adpellatur. Hæc itaq; inflammatis affectionibus circa arteriam arteriæq; extremum conueniūt: quibus utendum donec moderatior inflāmatio fiat. A' uini aūt potu abstineant hoc tempore in totum. Postquàm autē inflāmatio moderatior reddita est, passum theræum exhibendum est, & sapa: butyrum quoq; conueniens est, & amygdalæ unà cum sorbitionibus decoctę, lac item ac mel diutius cocta, amylo ipsis iniecto, quod si non adsit, panis siligineus siccus contusus & cribro excussus, lacti dum coquitur infarciendus est. Manifestum itaq; est quòd per huiusmodi uictum, tum pellicularum, tum musculorum circa arteriæ extremum atq; ipsam arteriam, inflammatio sedatur. Relinquitur autem humiditas

multa,propter quam impossibile est uocem esse claram,nisi rursus eduliis utatur & pharmacis mordacitate carentibus & repurgantibus,uelut est faba elixata, & ptisana, & semen lini torrefactum. Hæc enim medium obtinent,inter ea quæ mediocri ui prædita sunt, & ea quę meatus obstruũt pharmaca. His autẽ amplius repurgat resina terebinthina, & thus cũ despumato melle,amygdalæ amaræ, brasicaq; & probe decocti porri. His uero adhuc fortiora sunt, farina erui,hormini semen,iridis radix & panacis. Omnibus aũt prędictis maxime mollibus,passum creticũ,deinde theræũ & scybelites couenienter miscentur:sapa quoq; quã sireon & hepsema uocãt, ex musto ad tertiam partem mensuræ decocto adparata omniũ maxime meatus obstruit,citra etiã mordacitatẽ meatus lenit. Quod uero ex caricis adparatur decoctũ ad mellis spissitudinẽ, magis discutit ac repurgat. Omniũ itaq; simpliciũ pharmacorum uires nosse oportet,eum qui aliquod compositũ est facturus. Qui enim eas nouerit,etiã eis quæ ab aliis composita sunt rectè utetur, maximè quum indefinite fuerint descripta. His igitur præexplicatis, arteriacas cõpositiones à ueteribus descriptas subnectemus. Arteriaca ad uocis asperitates,in principiis exhibita lenissima: gummi drac. II. tragacanthi drach. I. sapæ sextarium I. Gummi & tragacanthum contusa et cribrata,cũ sapa contere donec dissoluantur, deinde super prunas fumum nõ emittẽtes decoque,donec nõ inquinent testæ instillata. Exhibe autẽ ex ea sub lingua tenendũ. Alia arteriaca. Gummi quincuncẽ, passi sextarium unum,mellis lib. I. Gummi modica aqua dilue, & ad reliqua cõiectum super prunas nõ fumantes decoque,ut prædictũ est. Ante somnũ uero delingendum exhibe. Antonii Musæ,ad uocis interceptiones. Brasicæ uiridis cauliculos depurgatos manducandos exhibe, & quod instar palearum exuccũ est expuere iube:succum autẽ ipsum deglutire. Aliud. Succi eryngii aqua decocti heminam I. succi ficuum aqua decoctarum tantundem, gummi leuissimè triti drac. VIII. decoque simul diligenter,donec ad arteriacæ crassitudinẽ redigatur, & delingendum exhibe ex eo ante somnum usq; ad cyathi mensuram. Alia arteriaca,ad asperitates, raucitates,tussesq; & sputum sanguinolentum. Amygdalarum amararũ decorticatarum numero XXV. seminis lini torrefacti drach. IIII. tragacanthi drach. II. oui in fermento assati uitellum,tragacãthum in modica aqua maceratam,unà cũ reliquis omnibus passo excipe. Si uero sonus uocis sit fractus, mel pro passo ammisce, maximè si ex pectore aliquid educi oportet. Aliud. Brasicæ succũ cum melle decoctũ delingendum præbe, & confestim auxiliabitur.

Ad inueteratas affectiones uariæ arteriacæ. Cap. LII.

Oribasii ad asperitates & suppressam uocem.

Croci drac. VII. radicis dulcis,spicæ nardi,cuiusq; drachmas IIII. myrrhæ drac. III. thuris dra. III. seminis hyoscyami drac. I. mellis despumati unc. VI. piperis albi grana L. exhibe sub lingua tenendam magnitudine fabæ. Alia arteriaca sub lingua tenenda, ad suppressam uocem, raucosos & cruenta reiectantes. Tragacanthi drac. VI. gummi dra. VI. myrrhæ drac. II. obolos II. thuris sesquidrachmam, piperis albi grana XX. croci drach. I. succi radicis dulcis drach. VI. carnis phœnicobalanorũ numero III. passi Cretici quantum satis est. Gummi & tragacanthus contusa & cribrata passo macerantur cum radicis dulcis succo: quòd si non adsit succus, radicem tusam, & donec cogatur decoctam cõiicimus quadruplici põdere. Alia arteriaca, quæ etiam ad tussim prodest. Seminis lini contusi & cribrati, uuarum passarum pinguium sine uinaceis nucum pinearum tostarũ, nucum auellanarum mundatarum, æquales partes in farinam redactas melle cocto sufficienti excipe, et cochleare exhibe ante somnum. Eclegma quo utimur. Vini scybelitæ sextarium I. gummi sexuncẽ, mellis dodrantem. Gummi pauca aqua præmacera, deinde omnia simul contrita in diplomate decoque ac utere. Aliud, Charixeni. Succi radicis dulcis drac. VI. tragacanthi drach. VI. croci drac. II. myrrhę, thuris, cuiusq; dra. I. spicæ nardi drac. I. passi protropi chœnices III. decoque donec in mellis modum cogantur, siccis probè cõmixtis, ac utere. Eadẽ enim potestate ualet qua & sequens. Aliud, sub lingua tenendum ad suppressam uocem, ac reliquas circa arteriã affectiones. Tragacanthi drac. XII. gummi drachm. XII. myrrhæ drac. III. thuris drach. III. carnis phœnicobalanorũ numero VI. radicis dulcis drac. VI. passi protropi aut theræi quantum excipiendis his satis est. Sit autẽ passũm ipsum præcoctum ad mellis crassitudinẽ. Exhibe fabæ Aegyptiæ magnitudine sub lingua detinendum, & dissolutum deglutiendum.

Alia arteriaca faciens ad uocem fractã, raucosam & suppressam, inflãmationes tonsillarum: utilis est phonascis & ante & post certamẽ exhibita: iuuat refrigeratos: prodest ueteri & recenti tussi, spuentibus sanguinẽ, & sursum reiectantibus, & cœliacis: cõducit etiam ad anhelitus fœtorem. Croci dra. III. myrrhæ drac. I. succi radicis dulcis dra. I. passi Cretici sextarios III. passum ad tertias decoque, & cũ eo prædicta excipe ac utere. Aliud, ad ulceratã arteriam, Charixeni: cõuenit etiã phonascis, hoc est, qui uocis exercitio utũtur ante certamen, & post exhibita: facit & ad circũdolentes oculos, extrà imposita lana ex eo madefacta, & ad interaneorũ adfectiões delincta. Gummi drac. XII. tragacanthi dra. XII. thuris drac. III. myrrhę drac. III. croci dra. II. succi hypocistidis drac. II. passi scybelitæ sextarium unũ. Gũmi & tragacanthũ contundito & cribrato unũquodq; seorsim, et cũ modico passo diluito, reliqua uero fracta & præmacerata similiter cũ modico passo conterito. Crocum uero in raro laneo panno ligatũ, in ollam appendito, in qua reliqua coniecta, ac assiduè agitata decoquuntur: deinde extracto croco, et probè contrito, reliqua omnia in pilam coniiciãtur, & ut cocta sunt cum croco uniantur, & utitor. Alia arteriaca, ex cuius usu sæpe magnam laudẽ adsequutus sum. Nuces pineas sexaginta, amygdalas amaras delibratas quadraginta, carnem phœnicobalanorum VI. succi radicis dulcis scrup. XII. croci scrup. I. myrrhæ scrup. I. tragacanthi scrup. VI. passi Cretici quantum sufficit. Quibus uero eductione ex pectore opus fuerit, mel & sapã adde. Alia, Andromachi. Pinguedinis gallinæ recentis quadrantem, mellis heminam I. decoque simul, & cum rutæ ramulis agita donec cogatur. Exhibe eam ieiunis, & post cibũ, & ad noctem. Sorbitio ad suppressum sonum maximè ab humore: conuenit etiam phonascis. Porros in aqua ad tertias decoque, atque ipsos quidem

abiice

abijce, aquę uero halicę succum ammisce, & mel, & ouorum lutea III. quae ubi commiscueris ad tertias decoque, & excola: deinde adfusa sapæ optimæ sextario uno, rursus donec cogantur decoque, ac ramulis anethi circumagita. Da ex ea mane & uesperi cochleare unum. Arteriaca necessaria, phonacis commoda: expertus sum etiā eius ualorem ad raucescentes ob humiditatem plurimam. Costi, folij, spicę nardi, amomi, piperis, casiæ, mastiches, cuiusq; drachmas quinque, opij drachmas duas, mellis & succi mororum æqualiter mixtorum quantum satis fuerit. Excipe pharmacū cum eis, quo uiscosa coactio reddatur, & utere. Exhibe sub lingua tenendum magnitudine nucis auellanæ: caueto ne nimis solidum facias, ut facilius sub lingua liquescat. Alia arteriaca, ad affectiones asperæ arterię, & pulmonis ad reiectātes sanguinem, & omnia uitia manifesta: maxime uero prodest crebrum & rectū anhelitum ducentibus. Scillæ depurgatæ coctæ drac. VI. seminis lini drac. II. seminis urticæ drachmas duas, succi uerbenacę exiccati drachmas duas, thymi drachmā unā, farinæ erui drach. II. pulegij, iridis, betonicæ, anisi, nasturtij, apij, seminis fœniculi, seminis anethi, piperis, fœni græci, cuiusq; drac. I. excipe melle Attico, exhibe mane & uesperi quātum cochleari accipi potest. Alia, ad arteriæ adfectiones, & pulmonis ulcera, reiectiones puris et sanguinis, destillationes ad pectus, & ad eductionem eorum quæ in pulmone coaceruata sunt ualde efficax. Resinæ terebinthinæ, croci, thuris, myrrhæ trogloditicæ, terræ quę Aster appellatur, cinnamomi, nucum pinearum purgatarū, radicis dulcis, singu. dra. IIII. amomi, tragacāthi, carnis palmarū pinguiū cuiusq; drac. III. spicæ nardi drachmas duas, casiæ drachmas duas, costi drac. unam, galbani depurati obolos quatuor, mellis Attici libras sex. Mel & terebinthinam in diplomate decoque, atq; ubi cōdensari cœperint, galbanū præmollitum ammisce, ac donec non inquinarint amplius decoque, deinde agitando frigefacito, & cum reliquis cōtusis in pila permisceto. Vsus eius est sub lingua detentæ. Alia, quæ similiter ad omnia prędicta efficax est. Spicæ nardi drach. IIII. croci drach. I. piperis grana triginta, radicis dulcis drach. I. nucū pinearum depurgatarum numero centum, styracis drach. II. balaustiorum drach. III. tragacanthi drac. I. cinnamomi drac. I. amomi drach. I. thuris drach. I. mellis sesquilibram, aut passi Cretici heminas VIII. passum in duplici uasculo siue diplomate coquitur ad mellis spisitudinem, & ad reliqua arida in pila trita affunditur. Tragacanthus autem tunditur, cribratur, & diluitur unà cum styrace in uino modico dulci, atq; ita ammiscetur, exhibe ex eo cochleariū unum. Expertus enim sum ambo hæc adscripta magna celebritate probari. Compositio ex capitibus papaueris uaria. Capita papaueris centum & uiginti in aquæ sextarios tres coniecta ad dies quinq; macerato, deinde ad tertias decoquito, & abiectis capitibus ad aquam mellis sextarium unum ammisceto, quibus simul ad spisitudinem mellis decoctis, ita ut non diffluant, croci, myrrhæ, acaciæ, succi hypocistidis singu. drach. I. infarcito, & ante somnum delingendum exhibeto. Prodest reiectantibus sanguinem, cœliacis ac disentericis. Ego autem ad huiusmodi ex capitibus papaueris compositionem, quādo scilicet ad libram unam aquæ, decem papaueris capita inijciuntur, prędicta commisceo, & pro pharmaco fluxiones sistente ac repressiuo utor. Alia, ex libris Asclepiadæ, panacea Mithridatis. His qui uocis exercitio utuntur ante et post certamen utilis, facit ad glandularum inflammationes, columnellā laxatam, & ad gingiuas humore turgentes, & ulcera serpentia oris, ad motos dentes, & destillationem, tussim ueterem & recentem sanguinem spuentes ac sursum reiectantes. Vtor ea aliquādo citra admixtionem, aliquando autem passo aut scybelite uino, aut aqua calida diluta. Etenim ad tonsillarū inflammationes atque consimiles adfectiones utendū est pharmaco hoc diluto: ad eas uero quæ in profundo hærent, immixto & puro. Verum compositio ipsa hoc modo habet. Radices filicis quàm crassissimæ diligenter lauantur, donec terrenæ sordes in totum discedant, deinde refrigerantur, in frusta digitali magnitudine dissectæ: ex quibus lib. III. accipimus, & capita papaueris agrestis mediocria centū & quinquaginta, radicis symphyti depuratæ, corticis radicis mandragoræ, rhei pontici, rosarum siccarum, iridis illyricæ, radicis dulcis, balaustiorum, singulorum quadrantem, casiæ trientem, nardi celticæ sesquunciam, aquæ pluuialis sextarios quindecim. Omnia prædicta crasso modo contunduntur, & per triduum madescunt, deinde sequenti die in diplomate ad tertias decoquuntur, exprimuntur, & percolātur: in huius autem decocti parte, subscripta per diem & noctem maceramus. Sunt autem gummi puri libr. I. tragacanthi pellucidi libr. I. myrrhæ trogloditicę sextans, succi radicis dulcis sextans, croci sextans, succi hypocistidis sextans, mastiches uncia una. Sequenti deinde die diligenter, & paulatim hæc trita diluimus, & quod superest ex ipso decocto ac expresso liquore, paulatim adijcimus. Et postea uinum scybelites, aut theræum, aut aliud dulcissimum, sextariorum XXIIII. mensura in uas fictile diffusum decoquimus, donec ad mellis crassitudinem redigatur: deinde adiectis etiam tritis omnibus rursus ad coactionem decoquimus, & ablatis utimur. Datur ex hac quātum cochleari excipi potest.

Compositio ex capitibus papaueris, ad tusses humidas, dolore adfectam arteriam, & fauces, & ad destillationes à capite ad pectus: utilis est etiā ad uigilias: Capita papaueris Thebaici mediocria unà cum ipso semine decem, aquæ pluuialis sextarium unum, radicis dulcis parum quiddam, per diem unum præmacerato, deinde donec flaccida tactu fiant capita, decoquito, exprimito, & percolato, ac ad decoctum dimidium eius mellis adijcito, & rursus super prunas ad mellis crassitudinem decoquito, ac utitor. Accuratior huius antidoti adparatus, atq; etiam partim usus prædictus est Sermone quinto de proprijs ægrorum potionibus, loco. Quod si magis adstringens alui profluuiorum facere uelis, & sanguinem spuentibus commodum, succi rhois rubri drachmas duas adijce, & acaciæ drachmas duas: hæc autem in passo diluta, tum demum quum ab igne ablaturus es pharmacum, in ollam conijce, & parumper feruefieri sine, ac utere, cochlearium exhibens ante somnum.

De destillatione siue catarrho, & narium muco, ex Galeno. *Cap.* LIII.

Destillationis & muci causa est cerebrum, quod quidem à frigore ad frigidã intemperiem deducitur, ab æstu uero calefit & repletur. Vinũ quoq; ultra modum potatũ caput replet, & balnea calidiora, & largior perfusio capitis ex aqua calida, maximè si aliàs calidius caput existat: & cibus sanè qui in uentre incoctus perseuerat, neq; infrà excernitur, in caput impetũ facit. Repletũ itaq; caput rursus ad subiecta mẽbra humores demittit: & si quidem ad nares hoc ipsum excrementũ defluat, Coryzan siue mucũ adpellare consueuerũt, & Latini amplius grauedinẽ: si uero ad gurgulionẽ, morbum Vuã appellatũ generat. Est autẽ affectio circa gurgulionẽ consistens, aut aliàs ipsum gurgulionẽ tumidũ facit. Promptissima itaq; est ad nares & ad os defluxus delatio, quãuis aliquibus etiã ad oculos, aliquando & ad aures deferatur. Atqui delationem ad os etiã stomachus siue gula excipit, & aspera arteria, atque ipsum adeò arteriæ extremũ. Quod sanè extremũ, ob ipsum ad se delatũ à capite defluxũ superhumectatũ, in principio raucosam uocem producit, & progressu temporis etiã paruã. Quod si amplius augescat malum, uox ipsa in totum perditur. Nam ipsa aspera arteria unà cũ suo extremo permadescit. At si acrior fluxus ipse existat, non tantũ uocis damnũ prædictæ particulæ patiuntur, sed grauissima etiã erosio accedit, talis naturæ, quales circa cutẽ accidere sępe uidemus citra ullã externã caussam, eoq; modo etiã pulmo ipsis exulceratur, uocaturq; hæc affectio tabes. Quod si ad gulam & in uentriculum fluxus deferatur, si quidẽ frigidus existat, in frigidã intemperiẽ corpora perducit, calidus uero in intẽperiẽ calidã: exulcerat etiã ea temporis progressu, in principio uero appetitioni nocet & concoctioni. Si itaq; frigidus fuerit defluxus, tardas cõcoctiones & cruditates, ac ructus acidos efficit. Si uero calidus fuerit, in corruptionẽ adiget cibos, unde nidorosę, aut fœtentes, aut acidę eructationes ꝓducẽtur, aut etiã alterius cuiusdã quæ nominari nõ potest, aut etiã nomẽ habentis qualitatis. Vbi uero altius penetrarit nocumentum, etiã intestinum ieiunum adficit, & ad colũ usq; pertingit, atq; ad mesenterij uenarum uasa, per quæ ad hepar distributio atq; digestio alimenti contingit. aliquibus itaq; deiectio appetitus accidit, aliquibus uero appetitiones pręter naturã, quas adpellãt caninas, aut etiã uitiosorum ciborũ cõcupiscentia, qualis mulieribus prægnantibus pica morbo infestatis contingere consueuit. Manifestum autem est & gurgulionem & tonsillas adfici. Quin & parulides & glandulæ, & dentiũ erosiones, ulcerationesq; & putredines oris, ad serosas ex capite in ipsum os destillationes sequũtur. Cæterum uulgus Medicorum aut gurgulionẽ resecat, aut pharmaca exhibet quæ per asperam arteriã sputi eiectione in pulmonẽ dilapsa educant. Alij uero uentris curam gerunt, quemadmodum alij dẽtium, & oris, aut etiam affectionum in naribus, aut oculis, aut auribus curam moliuntur. Principium inuentionis Galeni. Melius autem erat, mea quidem opinione, uelut fontem malorũ excindere, sanato uidelicet capite, quod si impossibile sit facere, ob uehementiam naturalis intemperiei, omnino tamen eius saluti consulere oportet, indicatione ex figura ipsius accepta quomodo ei subueniri possit: non enim mox, ueluti aliqui Medici omnibus capitibus semper ex thapsia & sinapi cataplasmata adhibent, sic et te facere uolo. Etenim si à calida intẽperie caput uexatur, omnia calida pharmaca nociua existunt. Oportet itaq; ipsos balneis multis calidis potabilium & dulcium aquarum consolari, simulq; generatos in capite uapores calidos discutere, & temperaturam omnem in melius mutare. Nociuus autẽ est eis usus aquarum natura sua calidarum. Quæcunq; enim sulphurulentæ sunt, & bitumẽ olent ob caliditatem suam, contrarię sunt capitibus natura calidis. Quæ uero aluminosæ, coarctatione sua caput offendunt: uerũ calidas dulces non adpellamus sua natura calidas: neq; enim inuenire est quæ suapte natura calidæ existant, ac non aliqua medicamentaria qualitate participent. Qui uero caput uehementer calidum & perustũ habent, & ob id assiduè à destillationib. uexãtur, his melius est hora ęstiua ex rosaceo ungi, ex solis rosis et omphacino oleo citra spissamẽtorũ adiectionẽ adparato. Quędã autẽ capita ꝓpter calidiorẽ arteriarum tẽperaturã, tũ uertigine, tum dolore appræhenduntur: in quibus etiã arteriarũ incisione utimur. Quare cõsiderare oportet præcedentẽ destillationis causam, & præhabitã diætã, atq; ita remedia cõtraria afferre: in uniuersum autẽ pauco cibo & quiete utendum est, uitato etiã frigore & calore: si uero cibi incocti amplius in uẽtre innatent, ad uomitũ æger est inhortãdus. Philumeni. Valde utile est his qui destillationẽ patiuntur, si eorũ plantæ pedis cũ pice in oleo plurimo dissoluta cõstanter fricẽtur, ex eadẽq; inguina & sedes perungantur, nares uero ex thure & myrrha cũ uino & oleo cõtritis, ac ad mellis crassitudinẽ redactis illinãtur, & unguentum irinum simul naribus instilletur. Melanthium etiam torrefactũ linteolo illigatum odorent, aut hedychroõ manibus teneant & assiduè odorẽt, aut cyphi eodẽ modo. Cõuenit etiã inflammationẽ arcẽtia emplastra frõti imponere, uelut est Icesię, & emplastrũ oxerũ adpellatũ, itemq; barbarũ cruentis uulnerib. destinatũ, & athena. Gargarissent autẽ assiduè passum scybelites, aut sapã calidã: sorbitionibus uero utantur decocto hyssopi, ficuũ & nucũ pinearũ, atq; iridis, itẽ halica ex passo decocta. Si uero ab his nihil leniatur destillatio, neque tamẽ amplius augescat, sed eodem modo ad plures dies persistat, præsentissimũ auxiliũ capitis irroratio existit, maximè in æstate, & capitis temperatura calidiore. Oportet autem in balneis ex alto frigida aqua delabente caput subdere, ut uiolentum inde sustineat insultũ: eue stigiò enim densitatem dissoluit. Animaduersionẽ tamen habere oportet, an thorax inde facilè offendi possit: consueuit enim promptè à capite frigidatem transsumere ac fortissimas uexationes perferre. Porrò diuturnas destillatiões fortis clyster sanat, aut uomitus à raphanis ieiunis factus, aut purgatio exuberãtis humoris, & irrigatio capitis ex unguento irino, aut optimo nardino. His uero qui cõtinua & inueterata iam destillatione adficiuntur, caput radere oportet, & factis scarificationib. bituminosa emplastra imponere: pharmacis autẽ deglutitijs utẽdũ huiuscemodi. Eclegma ad destillationẽ. Mellis sextãtem, butyri recentis unciam unam, decoque, & in duas partes diuisum delingendum exhibe, his qui eductione opus habent. Manducatio ad eandem. Semen hormini, semen papaueris nigri, semen lini torre=

torrefactum æquis portionibus cõtunde, & cribro excute, melleq; cocto excepta commanducandam mane exhibe. Probè etiam ad destillationes facit antidotus ex capitibus papaueris soporifera, ante somnũ exhibita: etenim somnũ dulcẽ infert, & reprimit influxũ. Eius adparatus paulo antè inter arteriacas compositiones dictus est, & in quinto similiter Sermone de proprijs ægrorũ potionibus loco. Catapotiũ ualde celebre ac dolorẽ leuãs. Styracis dra. VI. myrrhæ dra. I. & dimidiã, terebinthinæ drac. II. opopanacis dra. II. iridis dra. II. piperis albi, spicę nardi, nitri, seminis hyoscyami, opij, cuiusq; dra. I. arida cõtundito ac cribrato, reliqua uero in pila citra liquoris admixtionẽ contusa simul committito, & grana in erui magnitudinẽ informata ante somnum deglutiẽda exhibeto, neq; quicquam ultra sorbitiones admittito. Dantur ad summũ grana IIII. medium III. minimum II. Aliud, quod etiam dolorem leuãs, tum tussi, tum destillationi opitulatur. Styracis, drach. IIII. myrrhæ drachmam unam, opij drach. I. galbani drac. I. contunde in pila, & sapa affusa subige, & catapotia erui magnitudine informa, quorũ similiter ad summũ IIII. exhibe, medium III. minimũ II. absorbeant etiã insuper passi calidi diluti cyathos duos. Asclepiadę remedium. Pyrethri, costi, utriusq; drach. II. pyperis albi drach. I. contusa & cribrata repone. Vsu uero expetẽte apprehẽsis naribus pharmacũ adtrahere pręcipe. Aliud. Piperis dra. II. seminis urticę drach. II. croci, myrrhæ, costi, cuiusque drachm. I. Vtere ut dictum est. Caseus autem tener & recens comestus utilis est, & cauliculi brassicæ crudi à ieiunis comesti, similiter & brassica delicatior cocta & comesta. Qui uero calidiori præditi sunt tẽperatura, lactucæ cauliculos parumper ferue factos comedant, in posca uero ipsos intingant.

De tussi. Cap. LIIII.

Tussis causæ uarię sunt. Nam & humor à capite ad asperam arteriã destillans tussim efficit, & asperitas sola pelliculæ asperã arteriã intrinsecus ambientis tussim iritat: qui præterlabũtur etiam cibi ac potus tussim mouẽt, & lumbrici stomachũ infestantes, tussiculas paruas excitant: & acris humor stomachũ perturbans, ac iritatiuam aliquam qualitatem ad fauces demittens, imaginariã tussim producit, quemadmodum etiam in his qui stomachi morsum sentiũt, & saliuæ ad eũ influxu uexantur, euenire solet, quũ nihil molesti iuxta asperam arteriam obuersetur. Intemperies quoq; frigida respirationis instrumentorum, tussis causa existit: uerum hi moderatè ac minimè uiolenter tussiunt, adeò ut non solũ per spiritus compressionẽ, retinere queant & impedire tussim, sed sanare etiam sæpissimè, per respirationis inhibitionẽ frigefactas particulas calefaciẽdo. Signum autẽ ob solam intemperiem frigidã tussientium est, si per crebras inspirationes iritentur, frigiditate uidelicet exinde intensiore facta & aucta. Quãdo igitur hi leniter inspirant ac aërẽ adtrahunt, & in calida domo uersantur, parũ uel omnino nihil tussiunt. Quæ uero cum titillatione partium, ab utraq; palati parte contingunt tusses, palàm ostendunt defluxum à capite ad asperam arteriam deferri, itemq; ad pulmonem. quòd si nihil expuant sic adfecti, tenuẽ esse defluxum indicat, qui expulsione spiritus dissectus, præ tenuitate sua rursus fluxum reflectit, id uero ex humore per sputũ reiecto manifestè apparet: crassiorẽ enim priore habet compagem, etiã si sit à spiritus impulsione reiectum. Manifestum autẽ est, quòd humor in pulmone & thorace detentus, in morbo laterali, inflãmatione pulmonis, & tabe, maxima tussis causa existit. Medemur autẽ tussi à tenui defluxu factæ, per antidotum ex papaueris capitibus inspissantes, aut per alterius cuiusdã pharmaci dolorem leuãtis usum, & per cibos boni succi. Si uero crassus aut uiscosus fuerit affligẽs humor, per ea quæ extenuãt & discindunt medebimur. Instrumentorũ autem respirandi frigiditatem per calefacientia emendamus. Quę uero ab asperitate fit, per lenientia & mordacitatẽ arcentia sanatur, qualia sunt ex arteriacis cõpositionibus simpliciora. His itaq; pręexplicatis, ea quę à ueteribus descripta sunt ad tussim remedia subnectemus. Nos uero ad præscriptã methodum animũ conuertentes, atq; uniuscuiusq; simplicium pharmacorum uires docti, facilè ad quamcunq; affectionem cõueniẽtia remedia afferemus, etiã si à priscis indefinitè sint descripta. Remedia autẽ hæc sunt. Styrax, nucis auellanæ magnitudine deuoratus, tusses sedat ac destillationes. Vtilis est etiam ad raucedinem.

Aliud. Ficus siccas pingues in uino dulci meraco madefactas, unà cũ uino deuorãdas exhibe, hoc tusses mitigat. Terebinthinã & mel coctum delingẽda prębe, & uinũ dulce dilutũ insuper absorbendũ: hoc enim attenuat, & educit. Aliud. Filicẽ cõtusam & & cribratã passo instar polẽtæ insperge, & absorbẽdã exhibe. Prodest etiam sanguinem reiectantibus.

Aliud, quod ad tusses noctu molestiã exhibentes cõducit. Mẽtæ ramulos tres tritos, affuso aceti cochleari, ante somnũ absorbẽdos præbe. Adiuuat cõcoctionẽ, stomacho utile est, & crassitiem discindit.

Aliud. Nucũ pinearum torrefactarum, amyli, radicis dulcis, seminis urticæ, seminis lini, cuiusque sextantem, iridis, piperis, hyssopi, seminis nasturtij, amygdalarũ amararum, singulorũ unciam unã. Excipe melle probè despumato, & prębe ex eo cochlearium mediocre. Compositio ex marrubio ad tussim. Marrubij sextãtem, hyssopi unciã I. iridis drac. IIII. pulegij drac. IIII. calaminthæ montanæ drach. IIII. bulborum scillæ scrup. VI. nucem unam pineã bonam & integrã, caricas pingues V. aquæ sextariũ unum & dimidiũ, mellis heminã unã, utere. Eclegma tussientibus aptum. Nucum pinearũ repurgatarũ drach. XII. palmarũ pinguium dra. XVIII. iridis dra. XII. seminis lini torrefacti drac. VIII. tragacanthi drach. XII. amygdalarum dulcium delibratarum drac. XVI. mellis despumati quantum sufficit. Tragacanthum in uino dulci modico maceratam & dilutam, primum cum despumato melle decoquito, atq; ubi semel ebullierit, reliquis in mortario probè contritis affundito, & utitor, cochleariũ exhibens mane & uespere de digito delingendum. Mellis enim tantum adijcere oportet, ut delingibile pharmacũ fiat.

Aliud eclegma ad tusses recentes. Vini dulcis ueteris sextariũ unum, mellis Attici libram unam, decoque, cum rutæ ramulis assiduè agitando, exhibe ex eo mystri I. mensura. Est etiam utile stomacho. Alia remedia ad tussim cõducentia. Coptarium, hoc est, placentula, tussi accomodata. Seminis lini cõtusi & cribrati, uuæ passæ pinguis & exacinatæ, cuiusque sextarium Italicum unum, nucum pinea

pinearum torrefactarum, nucum auellanarum repurgatarum, singulorum sextarium dimidium, piperis sextantem, myrrhæ unciam unam, croci unciã unam, mellis sextarios quatuor. Semen lini contusum cum melle decoquito, atque ubi coactum fuerit & inspissatum, reliqua optimè contrita ammisceto, & simul unito. Exhibe ex eo magnitudine nucis auellanæ. Ad tussim inueteratam remedium optimum. Cumini, piperis, seminis urticæ, cuiusque unc. I. mellis despumati sextarium I. contrita cum melle subigito, ac parumper feruefacito, reponito, ac utitor ex eo præbens cochleariũ delingendũ. Aliud admirabile. Piperis, pulegij, hyssopi, calaminthæ, cuiusque sextantem, petroselini unc. I. mellis despumati sextarium I. da cochlearium. Aliud simplicius bonum. Mellis quadrantem, butyri recentis quadrãtem, cumini quàm tenuissimè triti drach. IIII. Melli prius despumato butyrum ammisce, & simul calefactis cuminum insperge, & paulatim delingendum cochlearium unum exhibe. Aliud, ad tusses pituitã repurgans. Hyssopi unc. I. pulegij sextantem, iridis, sinapis, seminis nasturtij, anisi, piperis, singulorum un. I. tusa ac cribrata, melle despumato sufficienti excipe, & cochlearium exhibe. Hyemis autem tẽpore, & febre non infestante accepturum, piperis sextantem adijce, & pro aniso, fœniculum aut cuminum, & pro nasturtio sinapi, ut sit sinapis sextans siue unciæ duæ. Aliud, ad diuturnas tusses. Comæ hyssopi, pulegij, de superiore anno, ammij, piperis, erui rufi decorticati, iridis cuiusque sexuncem, spicæ nardi drac. IIII. terebinthinæ trientẽ, butyri recentis sextantem, mellis despumati sextarios II. Butyrum & terebinthinã cũ melle liquefacito, ac reliquis unito: utere exhibito cochleari paruo. Aliud, thoracis affectionibus cõmodum. Lomẽti fabacei fricti ac tenuissimè triti septuncẽ, seminis lini septuncem, iridis contritæ quadrantẽ, nucũ pinearũ torrefactarũ dra. II. pulegij triti dra. II. seminis urticę dra. I. piperis dra. IIII. mellis despumati chœnicem I. Melli despumato lomentũ insperge, ac parũper decoque: deinde reliquis in mortario ammixtis utere. Aliud, Acholij. Hyssopi, pulegij, ammij, piperis, erui rufi, iridis, cuiusque dra. VI. terebinthinæ drach. IIII. spicæ nardi dra. III. butyri recentis sextantem, mellis despumati sesquilibrã, utere. Aliud, ad tussim ex styrace. Amomi sextãtẽ, cassię sextantẽ, styracis sesquũciã, spicæ nardi sesquunciã, croci unc. I. piperis unc. I. mellis despumati sextarium I. exhibe cochlearium.

Ad tussim siccã. Siccam tussim sanant etiã paulo antè præscripta pharmaca. Aliquãdo autẽ & aquæ feruefactę sorbitio. Qui enim ob pituitæ crassitudinẽ nihil educere possunt, ab humectãtibus plus emolumenti sentiunt: maximè eo quòd quodammodo simul extenuatoria participent facultate.

De pharmacis dolorem leuantibus & simul conferentibus tussi. *Cap.* LV.

Hocce pharmacorum dolorem leuantiũ genus, hi qui ante ætatem nostrã fuerunt, cõposuerunt, tussiẽtibus & sanguinẽ reiectantibus præcipuè conducens, atque etiã his, qui ultra has affectiones tabescũt: itemque ad alios dolores & affectiones quæcunque circa pulmonẽ & pectus, ac asperã arteriam, reliquaque interiora mẽbra cõsistunt, prę terquã quę propriè colicę appellantur. Differunt enim hæc à colicis similiter anodynis, hoc est, dolorem leuantibus appellatis, tũ aromatũ & odoratorũ seminũ, tũ eorũ quæ urinã cient admixtione. Colicę autẽ facultates ac cõpositiones his uehementiores sunt, excellentẽ uim stupefactoriam complexæ, ob multitudinem uidelicet eorum quæ refrigerandi naturæ existunt, uelut est hyoscyami semen, & cicutæ, papaueris succus, & mãdragoræ cortex: quibus sanè ad colicos necessariò ob doloris magnitudinẽ utimur. Atqui in thoracis affectionibus aliqui styracem & crocum ammiscuerunt: aliqui autem calefacientia: alij etiam aromatica, & cum pauca ui adstrictoria exiccantia: quidam etiam nobis familiaria, uelut anisum, apium, fœniculum, daucũ, & seseli, quæ uehementiũ pharmacorum uires & iniucunditatem obtundunt, ampliusque urinã expellunt: quidã etiam ea quæ asperitates leniunt addidere, uelut est tragacanthus & radix dulcis, ac uinum dulce. Quæcunque autẽ ex eis de pharmacis stuporem inducentibus, minus participant: ea etiam tabidis exhibemus. Sunt autem à ueteribus cõposita doloris leuamenta huiuscemodi. Catapotium. Pharmacum ad tussim accomodatũ, inueterata maximè existẽte affectione. Efficax est ad diuturnam destillationem, dolorẽ capitis difficulter spirantes, & inflãmationes pulmonis, ad uesicę quoque ac uuluę affectiões. inscribitur Panacea, ab alijs etiã Stichus. Myrrhę, opij, piperis, styracis, castorei, galbani, æquales partes cũ sapa dulci subige, & in catapotij figuram redige, ac ciceris magnitudine exhibe: absorbeat autem à sumptione aquæ mulsæ cyathos duos. Harmonia.

Aliud pharmacũ uehemẽter efficax quod harmonię adpellatione inscribitur: ualet ad destillatiões, & inexuperabilẽ defluxũ. Styracis, castorei, piperis, cardamomi, cuiusque drac. III. opij, myrrhę, seminis hyoscyami albi, cuiusque dra. IIII. passo probè cocto excipe, & catapotia ciceris magnitudine informa, & ante somnũ præbe deuorãda. Alia confectio, ad tusses diuturnas egregiè & cõcinnè ualẽs: itemque ad humẽtes & ob humoris crassitudinem diu durantes, quæ Symphonos adpellatur, & febrẽ optimè sedat. Ea omnes ueteres celebres usi sunt. Piperis, opij, cardamomi, cuiusque drac. I. croci, sulphuris uiui, myrrhæ, seminis hyoscyami albi, cuiusque drac. IIII. mellis cocti cochlearia III. Hoc enim modo nos apparamus: uerũ sunt qui gentianæ, & dauci, cuiusque drac. II. ammiscẽt. Alia, ad tussim & tabẽ Isostathmos appellata. Folij, petroselini, hyssopi, rosarũ siccarũ, anisi, opij, croci, costi, seminis hyoscyami, myrrhę troglodyticę, spicę nardi, iridis, ęquales partes cũ melle sufficienti subige, datur fabę magnitudine ad noctem:

Alia, isotheos adpellata, ad tussim, tabem, omnes morbos internos, & certo circuitu affligẽtes affectiones. Spicæ nardi dra. II. myrrhæ dra. I. croci, costi, piperis albi, cuiusque dra. I. galbani dra. I. fecis opobalsami, cinnamomi, mandragoræ succi sicci, castorei, cuiusque dra. II. seminis dauci sesquidra. cassię sesquidra. mellis despumati quãtũ satis erit. Facit ad dolorẽ stomachi, iecoris, pulmonis, oculorũ, sanguinis reiectationẽ, abscessus dysentericos, uoluolũ, renũ ac coxendicũ affectiones, difficulter spirantes, dolores laterũ, unicè tamẽ iliorũ ac pręcordiorũ, profluuiũ muliebre, & muliebres suffocationes. Prodest cõtra letalia uenena ante & post cibũ sumpta, & ad omnẽ sanguinis eruptionẽ cũ frigida, ad uiperę & phalãgij morsus in

sus in uini cyathis III. quartanarijs ante febris acces sionē dātur ex ea oboli II. cū uini cyathis II. sed prę loto tamen antea ægro. Sanat ægrè spirantes, & qui nisi erecti spiritum ducere nō possunt, & anhelosos, etiam si iam ad multos annos affectio durauit. Sanat quoq; antiquas à capite ad pectus defluxiones.

De suffitionibus. Cap. LVI.

Quanquam antea sufficientissimè de suffitionibus dictum sit, in Sermone De clysteribus & euacuantibus, ac alijs quæ ægris offeruntur, qui sanè tertius huius operis fuit, dicetur tamē nūc quoque, sed paucis. Pastillus suffumigabilis tussientibus & orthopnoicis commodus. Abrotoni, sandarachæ, sinapis, cardamomi, ęquales partes cōtundito & cribrato, & cū aqua in pastillos redigito ac suffito, ita ut æger ore fumum suscipiat. Alius pastillus. Sandarachæ sextantē, terebinthinæ sextantem, costi scrupulos sex, folij scrupulos VI. mastiches scrup. VI. laseris scrupulos III. piperis grana XL. redige in pastillos ac utere eodē modo. Alius. Castorei, sandarachæ, galbani, sulphuris uiui, colophonię, propolis, terebinthinę, mastiches, croci, chamæleuces æquales portiones, cū aqua in collyria redige, & ipsa per infundibulum suffito. Si uero non adsit chamæleuce, his conyzam paruam aut capparis corticem adijce. Aliud bonum suffumigium, per experientiā à nobis inuentum, quatuor speciebus constans. Styracis, terebinthinæ, sandarachæ, mastiches, æquales partes excipe, ac similiter utere. Creditur anhelosos & purulentos sanare: itemq; tussim & laterum adfectiones, quemadmodum etiam ea quę paulo antè hic sunt præscripta, atq; ea quoq; quę tradidimus in tertio Sermone. Epithema ad tussim optimū, ex sertula campana. Sāpsuci, sertulæ campanæ, prasij, iridis, cuiusque sextātem, myrrhæ unc. I. thuris quadrantem, resinæ pinus lib. I olei irini lib. I. utere.

De orthopnoicis, anhelosis, ac ægrè spiritū ducentibus. Ex Galeno. Cap. LVII.

Qui frequenter respirant citra febrem, quemadmodū solent à uehementi cursu fatigati, eos asthmaticos, hoc est, anhelosos, Medici uocare consueuerunt, ab accidente uidelicet, hoc est, anhelando: eosdem etiam ab altero accidēte orthopnoicos adpellant: desident enim ac pectus erectum habere uidētur, ob timorē, ne suffocentur, & stratum quoque iuxta superiores partes, ad quas pectus ipsum reclinatur, erectius sibi adparant, ne dormientes strangulentur. Inspiratio enim minor ipsis contingit, quàm respirationis frequentia expostulat, quamuis pectus plurimū ipsis diducatur. Ex quo manifestū fit, coarctationē locorū præter naturā intrinsecus adesse, cuius etiā manifestè ægri sensum perceptant. Fit aūt coarctatio locorū inspirationis, quum aut crassorum & tenaciū humorū multitudo pulmonis bronchia obstruxit, aut tumor quispiā abscessui similis in ipso consistat. Similiter autem difficulter spirant, qui asperā arteriā à multa destillatione habēt repletā, aut quadam defluxione ex uicinis locis aceruatim in ipsas arterias delabēte. Distinguuntur autē inter se hæ affectiones: nēpe quod destillatio etiā sanis ex manifesta caussa repente accidit, in totum ferè citra febrem concomitantibus etiam proprijs destillationis signis. Si uero tumor abscessui similis in pulmone fiat, necessariò febris consequitur, neq; ita diu pòst, inflammatione in pus trāsmutata, pus reijcitur cum tussi. Si autem crudum tuberculum gignatur, uelut Antipatro Medico contigit, iuxta leues pulmonis arterias, hi neq; grauitatē magnam sentiunt, neq; ab orthopnoea in tantum infestantur. Qui uero propriè orthopnoici & difficulter spirantes adpellantur, in totum febrem non habent: grauitatis autē sensus eis contingit, neq; quippiā purulentū per sputū reiectant. Porro curatio prædictarū affectionum quiddā cōmune habet, quiddā etiam cuiq; proprium. Cōmune quidem ut superflua substantia humoris has affectiones generātis consumatur, & expēdatur. Proprium uero, ut si à crassis & tenacibus humoribus fiant, per extenuantia & incisiua pharmaca cōsumptio fiat: si uero à tumoribus abscessui similibus affectiones fiant, per extenuantia & desiccantia consumantur: quæ curatio omnibus in profundo corporis abscessibus cōmunis existit. Vini autem potio ambabus conuenit, tenuis saltē temperaturæ, in uniuersum aūt paucus potus conuenit, quibus abscessus alicubi adest, multus uero, quibus brōchia tenacibus & crassis humorib. sunt obstructa. Etenim repurgantia hos humores pharmaca necessariò tusses commouent, uerum non facilè per sputum reijcitur ob crassitudinē id quod repurgatum est: humectatione igitur multa indiget, quo facilius efferatur: & ob id sanè largior potus anhelosis est exhibēdus. Pharmaca uero eis conueniūt incidentia citra uehementem calefactionem. Crassi enim & tenaces humores à uehementi calore uiscosiores redduntur, glutinosiq;, & ut difficulter auelli possint: quapropter maximè prodest eis acetum scillinum, & ipsa quoq; scilla assa cum melle trita & delincta, & acetum mulsum ex ea adparatum. Maximum autem remedium inquit Archigenes, purgatio frequentior existit per pharmaca fortiora: & uomitus à radicibus, per interualla suscepti. Cataplasmata uero ex ficubus & ordeacea farina: magis uero ex loliacea habente resinā & mel ac cerā ammixta, infarciri potest etiam ei iris & manna. Malagmata autem conueniunt, quæcunq; exulcerāt cutem & attrahunt saniem, quale est Cissophontis, & quod constat ex baccis lauri, & quod ex semine rosmarini constat, & emplastrum ex herbis, & quod icesiū adpellatur, itemq; quod uocatur Thraseæ. Quod uero cyzicenū emplastrum dicitur, si irini cerati ęqualem sibi portionem assumat, & uniuerso pectori imponatur, humiditates cōsumit, & habitum corroborat. Omnium autē conuenientissimum huic affectioni hocce est, inquit Archigenes. Emplastrum nigrum Archigenis. Ceræ lib. I. resinæ pinus siccę lib. I. iridis sesquilibram, bituminis lib. I. picis lib. I. æruginis unc. I. myrrhæ sexuncē, thuris sexuncē, radicis cucumeris syluestris, centaureæ, lapidis asij, styracis, cuiusq; sextantem, misyos crudi sesquiunciā, chalcitidis crudę sesquiūciā, salis ammoniaci unc. I. galbani, terræ cimoliæ, terræ ampelitidis, cuiusq; unc. I. olei lib. II. aceti lib. I. aut ut ego soleo lib. II. styracem cū modico oleo liquefactū in mortario ꝓbè cōtere, metallica uero cū aceto dissolue, herbas autē cōtunde, & cribro excute, liquefactis uero quę eliquari possunt, & percolatis, ac ab igne ablatis, cōtrita adijce, atque herbas insperge, omnibus autē simul unitis & emollitis utere. Hoc sanè multos occultos abscessus discutit, & in uaporē resoluit, alios autē aperit: quicunq;

autem

febriant

autē iā rupti sunt, & fluidi tamen adhuc permanēt, eos mirabiliter exiccat: eiusmodi enim pharmacis uix aliud præstantius reperiri posit. Couueniens est etiam prædictis affectionibus Amythaonis epithema, atq; eo adhuc magis Polyarchion, maximè tem pore coarctationis locorū. Pectus uero cū urticis cō fricetur ac cędatur, ac scilla decorticata fricetur, dein de lauacro ac oleo calido loci rubefacti curētur: asi duè autē lenioribus solutiuis aluum emollire opor tet, quale est, cnici acetabula duo optimè contusa, & cum sero lactis decocta, ita ut percolatum serum, & modico melle permixtum bibatur. utendum est etiā ex thymo, lasere, & pipere salis confectionibus, quibus addita est scammonia, aut etiā his quæ fiunt ex rosmarino. Ego uero etiam herbæ sabinę optimum usum expertus sum, si per seipsam drach. pondere trita sumatur, & sequenti die duarum drachmarū pondere, tertia triū. In aliquibus autē & quarta die usq; ad quartā drachmā pondus auxi. Quòd si bene procedat purgatio, simulq; cruēta educat, non est quem nō melius spirātem in posterū reddat. Porrò interie ctis duobus aut tribus diebus, absinthium potandū exhibui, maximè si stomacho æger langueat, quod si non contingat stomachum languefieri, irim bibēdā dedi, aut abrotonū, aut castorium ex aceto mulso. Mirum in modum autem efficax est, quod ex ela terio cōstat, & octaobolon appellatur. Elaterij æreo los II. spumæ nitri obolos III. sinapis drac. I. hæc in aqua diluta in octo catapotia informo: maneq; duo, tantundemq; uesperi exhibeo. Purgat enim citra molestiā supernè, aliquandiu quidem permanēs & soluens. His uero qui robustiores sunt, post triū dierū spatiū rursus exhibeo. Atqui quę ex colocynthide cōstat hiera nostra, hoc est, Archigenis, asiduè præbita mitiorem spirandi difficultatē correxit sæpisimè, atq; id breui & perfectè. Verū si magis in profundo hæserit, auxiliatur cum aceto mulso scilli tico potata. Aliud ad difficulter spirantes, qui etiā asthmatici appellantur. Aristolochiæ clematitidis, abrotoni, sulphuris uiui, seminis rutae agrestis, cacuminū thymi, ammoniaci thymiamatis, æquales partes cum aceto tritas in pastillos redige, & ex eis obolos III. exhibe cum aceto mulso ad triduū. Alia remedia asthmaticis commoda, ex Asclepiade & Dioscoride. Aristolochia rotūda cū aqua bibita, anhelosis auxiliatur: itē centaureæ maioris radix, & minoris succus: & stœchas trita ac cum aqua potata, & sphōdylij semen, & calaminthæ montanæ coma, & hyssopū, & iris, ac melanthiū, & radicula & uitis alba, itē asellos, qui & millepedæ appellātur, sub aquario uase stabulātes, sextarij mensura in fictile uas cōiectos, ad carbones ignitos torrefacito, atq; ubi inalbuerint, terito, ac melle exceptos cocto, ante & post cibum duorum cochleariorū mensura delingendos exhibeto. Aliud. Scillæ crudæ succū exprime, & cum eiusdem mēsuræ melle permixtū ad prunas decoque, eiusq; cochlearia duo delingenda prębe ante & post cibum. Summè autem hoc prodest, euidensq; eius rei periculum feci, inquit Archigenes.

Aliud, Archigenis. Radicis centaureæ maioris drachmas VI. petroselini drach. VI. ammoniaci thymiamatis drach. III. sulphuris uiui, bituminis, cardamomi, radicis panacis, seminis urticæ, iridis Illyricæ, cuiusque drachm. II. thuris, myrrhæ, castorei, nitri, sagapeni, abrotoni, polij, chamæpityos, saluię, cuiusq; drachm. I. piperis albi drac. III. Hæc omnia trita cum melle miscentur despumato, dantur ex hoc oboli IIII. Etenim asiduè potatum hoc, quibusdam perfectè medetur, citra molestiā autē efficax existit, dato hoc cum hydromelitis calidi cyathis IIII.

Aliud, quo etiam ego utor, ad multos usus cōmodū. Scillam fuluam manum magnitudine sua implētem, fermento obductam, in furnum conijcio, ut quàm optime assetur, deinde ubi mollisima facta fuerit, superficie eius exusta reiecta, reliquū optimè contero, atq; ei quantum trimembri sectione facta, duæ assatæ scillæ partes ponderant, tantum farinę erui albi adijcio, & ammoniaci thymiamatis drach. IIII. radicis panacis drac. IIII. iridis, & abrotoni, & acori, cuiusq; drac. II. piperis grana XX. hęc omnia simul trita & unita in orbiculos digero pondere sesquiobolares: ex eis autem drach. I. aut etiam obolos tres, aut duos, cum tribus cyathis lactis asinini recēs mulcti, aut aquæ mulsæ exhibeo. Pueris uero tantū unum orbiculum præbeo. Aluum hęc mensura mouet: quod si hac amplius quiddam exhibeas, & urinā cies, & cōpactā ac instantē mali iritationē dissolues: etenim & comitiales sanat, & uuluā strāgulatā, & lumborū languidos dolores, & febres debiles ac per circuitum repetentes. Cū aceto menses ducit per crasitudinem suppressos, ad quos cōsequuntur uertigines, interceptiones uocis, contractiones, dolores articulorū, pigrities, & spirādi difficultas. Euestigiò enim sanguinem euellit, & ab omnibus molestijs liberat: quare tenuitatem huius pharmaci ne contemnas, sed abundantem uirium eius supellectilem, qua si per manus à maioribus traditam assumas. Alia potio ad suspiriosos. Polij, abrotoni, castorei, chamæpytios, ammoniaci thymiamatis, ęquales partes melle excipe, & fabæ magnitudine exhibe. Quidam spumæ nitri albi cochleare, in aquæ mulsæ cyathis tribus exhibuerūt. Aut hoc modo. Spumæ nitri drach. IX. piperis drach. I. laseris drachmam unā, da cochleare cum aqua calida. Alia. Castorei drac. VIII. ammoniaci thymiamatis dra. VIII. piperis grana XL. excipe passo, & fabæ magnitudine præbe in aqua mulsa. Alia. Abrotoni drac. II. radicis bryoniæ drach. VIII. rutæ hortēsis drac. VIII. castorei drachmas quatuor, artemisiæ drachmas IIII. epithymi drac. IIII. dātur ex ea scrupulus unus & dimidius cū aceti mulsi cyatho I. Alia. Iridis drach. VIII. ammoniaci thymiamatis drachmas IIII. datur drach. I. cū hydromelitis cyathis tribus. Alia. Herbæ sabinæ, his qui integra ætate consistunt, scrup. VI. alijs uero scrup. III. butyri scrupulos XII. mellis sextārē. Præbe delingēdam ad dies III. & intermissione per triduum facta rursus præbe. Pastillus doloris leuamentū orthopnoicis & ægrè spirantibus præbens. Opij drac. I. sulphuris uiui, plātaginis, seminis hyoscyami, succi radicis dulcis, styracis, myrrhę, thuris, terebinthinæ, cuiusq; drac. II. croci drachm. I. cum uino maris experte contere, ac in pastillos triū scrupulorum digere, quos bibendos exhibe. Porrò si radicis dulcis succus non adsit, ipsam radicem fractam ac tusam satis diu decoquito, atq; hoc totū cum decocto eius committito. Alius, Andromachi, ad idem. Scillæ assatæ, sulphuris uiui, bituminis, æquales partes, melanthij drachmas II. castorei drach.

drach. II. anisi obol. IIII. cum aqua pastillos informa trium aut quatuor scrupulorum: exhibe ante somnum, cũ aquæ calidæ cyathis duobus. Catapotium, suspiriosis dolorem leuans, Rutæ uiridis sextantem, styracis sextantem, terebinthinæ sextantem, opij drach. IIII. ex his catapotia siliquæ pondere singula informa, triaq; ante somnum exhibe deuoranda, à sumptione autem ebibant aquæ calidę cyathos duos. Remedium pulchrum Philagrij, ad anhelosos. Radicum symphyti in petris nascentis, radicis centaureæ maioris, iridis illyricæ, singulorum sextãtem, aquæ sextariũ I. radices fractas per biduum in aqua macerato, deinde ad tertias decoquito, & percolato, & tantundem mellis decocto adijcito, rursumq; donec cogatur decoquito: deinde rhei pontici contusi ac cribrati unc. I. inspergito ac unito. Exhibe circa primam horam diei cochlearia duo. Quòd si non adsit rheon, centaureæ maioris radicem contusam & cribratam unciæ pondere inijce, aut eodẽ modo radicem symphyti. Hocce pharmacum pulmoni & thoraci firmitatẽ & robur præbet, simulq; humores ad eũ delatos repurgat, desiccat, & expellit. Aliud, ad orthopnoicos. Boli armeniæ dra. I. cum uino diluto bibendam præbe. Ad tusses autẽ inde sequentes antidotum, Isotheũ appellatam, paulò antè inter tussis remedia descriptam, exhibe ante somnum nucis auellanæ magnitudine cũ aqua mulsa. Assiduus enim huius antidoti usus in totum ab hac affectione liberat, etiam si fuerit inueterata: confidenter itaq; ea utaris. Quòd si non adsit, pæoniæ antidotum præbe: quę ipsa quoq; si haberi non possit, eam quæ zopyrios appellatur, quarũ descriptiones in Sermone De colicis habetur. Suffitiones etiã eis sunt cõmodissimæ: de his in tertio Sermone plenissimè dictum est, & paulò antè inter remedia tussis. In earum autem usu undiquaq; stragulis contegantur, atq; ore sedulo hiantes fumũ fortiter admittant: mucus enim & lacrymæ multæ sputũq; ubertim ducuntur, & per uehementem tussim pituita uiscosa ex profundo effertur. Verum quod latere te nolim, antequam ad eiusmodi rerum ac lancinationum adhibitionem perueniatur, uentrẽ subducere oportet, uel per clysterem, uel pharmacũ solutiuũ. Prosunt etiam suspiriosis fricationes pectoris, ex pumice cum nitro, fece uini usta, cum flore iunci odorati. Cuius generis & hoc est. Auripigmenti, pumicis, spumæ nitri, cuiusq; unc. I. alcyonij sextantẽ. hæc contusa & cribrata cum unguẽto aliquo calorifico commisceto, pectusq; & dorsum donec ignescat cõfricato. ex frequenti enim huiusmodi perfrictionis adhibitione spirandi difficultatẽ & tussim, omnẽq; purulentam pectoris affectionem propulsabis. Cæterũ inueterato malo, & medicina omni frustra adhibita, ad ustionem confugiendũ erit: itaq; iuxta medium commissuræ clauicularum, utrinq; una crusta inuratur, cum cautione tamen admotis manibus & distẽta cute, ne aspera arteria oblædatur. Deinde alię duæ paruæ iuxta carotidas colli arterias infligendę paululum sub mento utrinq; una, incumbentis cutis tantum perustione facta. Infligendæ autem adhuc aliæ duæ sub mammillas, inter tertiam ac quartam costam: rursumq; aliæ duæ retrorsum uersus inter quintam ac sextam costas. In medio etiam pectore unam inurere oportet: & iuxta principium ossis pectoris (quod à capitis gladij similitudine xiphoides Græcis appellatur) supra os ipsius uentris, unam simili modo. Et adhuc alias duas inter octauã & nonam costam utrinq; unam. Tres etiam retro inurendæ sunt crustæ, una iuxta medium dorsi, reliquæ duæ ab utraq; uertebrarum parte, paululũ infrà mediam crustam. Omnes autem infra collum inustas, mediocriter latas esse conuenit, neq; ualde in superficie consistentes, neq; rursus nimium profundas. Vlcera autem crustarum satis multo tempore fluida permittere oportet.

De cordis tremoribus, Ex Galeno. *Cap.* LVIII.

Cordis tremor siue palpitatio, multis tum adulescentibus, tũ senibus inculpatè sanis accidisse uisus est. Dolẽt aũt caput ita affecti, citra aliquam alterã externã causam: atque omnes hi ex uenæ incisione opẽ senserunt: aliqui etiam ex eis in totum ab hac accessione sunt liberati per extenuatoriam dietam & pharmaca consimilia, post uenæ incisionem adhibita. Noui autem & ego quẽdam, qui singulis annis, ueris tempore, tremoris accessione afficiebatur. Hunc ubi expertus essem per triennium ex uenæ sectione iuuari: in quarto per uenę sectionẽ euasit, antequàm hoc malo appræhenderetur: atque hoc modo pluribus deinceps is agebat annis, cõsentanea simul utẽs dieta: ueruntamen & is quoque ante senectutem fato functus est, quemadmodum alij omnes. Aliqui quidem in febribus acutis compræhensim animo destituti, similiter mortui sunt: aliqui uero etiã citra animi deliquium, stuporis attoniti modo affecti, repente uitam cum morte commutarunt. Plures autẽ hac affectione laborantes ad ætatem peruenerunt, minorem quidem annis quinquaginta, quadragesimum tamen ætatis annum excesserunt.

De sanguinis reiectatione, ex Galeno. *Cap.* LIX.

Sãguis qui ex pectore & pulmone, aut aspera arteria educitur, omnino cum tussi reijcitur. Si uero ex locis circa fauces, aut gurgulionem sanguis feratur, per excreationes excernitur. Si uero ex aliquo loco oris aut gingiuarum, simpliciter expuitur. Aliquando autem à capite aut partibus gurguliõis delatus sanguis, ad asperæ arteriæ extremum incidit, & tussim commouet, imaginationemq; facit uelut ex pectore educatur. Itaq; si quis pluribus ex ordine diebus sanguinẽ excreet & emungat, neq; capitis dolore, aut grauitate aliqua quæ etiámnum adsit, antegressis, neq; plaga istic illata: cõsiderare oportet diligenter omnẽ narium meatũ, atq; etiam oris locũ illum ubi nares ad palatum sunt perforatæ. Contingit enim aliquãdo hæc accessio, hirudine ad locum hunc affixa. Cæterũ aliqui per uomitũ citra tussim sanguinem ex uentre reiectant, aut ex uenis adiacentibus in ipsum delatum, aut hirudine deuorata. Verũ sanguis uenarũ ex hepate aut splene in uentrẽ delatus grumosus est, nigerq; euomitur: qui uero ex hirudinis præsentia procedit, tenuis est, & saniosus siue ex uẽtre, siue ex naribus, siue ex stomacho ꝓferatur. Atqui & localis dolor qui cõcomitatur, affectam particulã ostẽdet. Si em̃ ex stomacho eductio fiet, non magna sanguinis eruptio continget: graciles enim sunt stomachi uenæ. Sed & cum nausea ac uomitu sanguis effertur, et in deglutiendo mordacitas percipietur, maximè si adstringẽtia, aut acria deglutiantur: si uero ex uentre educatur, nauseæ pluri

mæ comitantur & uomitus, & si à cibo sumpto eductio cõtingat, sanguis cibis permixtus efferetur. aliquãdo etiã pituita ac bilis simul euomẽtur. Si uero ex hepate & splene sanguis in uentrẽ deferatur, aderit tumor. Si uero ex pectore & pulmone, aut aspera arteria sanguis expuatur, impossibile est eum citra tussim per sputum reijci. Fit autem sanguinis eductio ex pectore, aut ob uenæ rupturam, aut oris uenarum apertionem, aut ob corrosionem. Venarũ itaq; pulmonis rupturæ cognoscuntur ex eo, quòd post aliquam præcedentẽ causam manifestã, statim sanguinis eductio consequitur. Præcedentem autem causam dico, delapsionẽ ex alto, aut si grauius aliquod corpus pectori inciderit. Aliquibus autẽ ob clamorem magnum, quomodocunq; editũ uasis uenarum ruptura accidit: & citra manifestam externã causam copia sanguinis cum crudo ac flatuoso spiritu, distendens pulmonis uasa, rupturam efficit. Cæterum ob sanguinis multitudinem factæ rupturę cognitionẽ exhibet sanguinis effusio repentè & coaceruatim facta. Magna enim pulmonis uasa existũt, ac arteriarum speciem habentia: sanguis aũt in eis tenuis & calidus est, perq; saltum spiritus ui ac impetu excernitur. De uenarum apertione. Venarũ autem ora aperiuntur, si quidem dispositiones præcesserint calidæ: ueluti si calidis balneis plurimis usus sit homo, habitetq; in calida regione, consimili existente maximè anni tẽpore, cibis quoq; et portionibus calidis utatur. Etenim multitudo sanguinis calida existens, uenarum pulmoni incubentiũ ora aperit & dilatat, atq; hoc modo coaceruata effusio contingit. De uenarum corrosione. Quibus uero ex corrosione uenarũ pulmonis sanguinis euacuatio contingit, his per interualla modica sigillatim cum tussi expuitur. Ipsa autem uasorum corrosio ex acribus contingit humoribus, siue à capite in pulmonẽ delabentibus, seu in ipso pulmone generatis. Possibile est etiam propter corrosionem, coaceruatã sanguinis eductionem cum tussi fieri. Quum enim pręcedenti tempore per modica interualla sigillatim, ut dictum est, & cum tussi sanguinẽ expuerit quispiam: & pòst sequentibus dieb. neq; casus, neq; alia quædã externa uiolenta causa acciderit, & tamẽ sanguinis eruptio multa prodierit, magnã corrosionẽ factam esse ostendit. Multi autem hoc modo affecti particulas pulmonis simul cum sanguine extulerũt, aut tectoria ulceribus obducta. Impossibile itaque est latere eductionẽ propter corrosionem uenarum factam. Quare diligentem animaduersionẽ habere conuenit, númne spumosus sit sanguis: nam & hoc firmissimum signum eductionis ex pulmone existit: deinde númne bronchij particula quædam, aut tuniculæ arteriæ seu uenę simul efferatur. Horũ enĩ nihil apparet in his, qui ex succingente thoracẽ mẽbrana sanguinem spuẽdo educũt. Maximum etiam signũ elationis ex pulmone est, si omnino citra dolorem effertur. De eductione sanguinis ex alijs pectoris partibus. Sanguis autem qui ex alijs pectoris partibus educitur, nigrior est, & iam in grumos coactus, cum tussi etiam & dolore reijcitur particulæ affectæ, ac fœtidum odorẽ de se præbet: aliquando & pure ammixto effertur. Verũ hoc signum cõmune est. Si uero iuxta asperã arteriã ulceratio fiat, paucissimus sanguis expuitur, paucissimo omnino pure permixtus, doloris autem sensum iuxta exulceratam arteriæ partem æger perceptat. De sanguinis à capite eductione. Si uero à capite sanguis deferatur, si quidẽ plurimus sit, plurima adest capitis grauitas aut dolor: si paucus, pauca. auriũ sonitus iuxta proportionem affectionis, rubor faciei: uenæ frontis emicant, & uertigines accedunt. causa autem ista præcedens manifesta est, nimirum plaga, aut frigiditas, aut calor, aut ebrietas. Vini enim potatio larga cumulatim caput replet, & cumulatim etiam ex rupto uenæ uase effundit. In parua autẽ ebrietate modicum adest sanguinis sputum, & consueta fieri per nares sanguinis excreatio cohibetur: aliquãdo etiam ad palatum conuersa, imaginationem exhibet, ueluti ex pectore sanguis ipse educatur. Si itaq; à capite sanguis deferatur, titillatio palati accidit, & frequẽs excreatio, atq; hoc modo expuunt: iritantur enim ad tussim, & tamẽ non ualde tussiunt. Si autẽ à palato ad asperã arteriã destillat, tum tussiunt, & qđ delapsum est educunt: & ob id quidã decepti, ex pectore eductionẽ fieri autumãt. Defluit aũt aliquãdo à capite per gulam seu stomachum in uentrem, uomituq; reijcitur, atq; ob id putatur à stomacho prodire. Habet autem & suam figuram sanguis à capite delapsus. Est enĩ nõ adeo crassus, colore nigro, leuis, æqualis, immixtus, altero uidelicet aliquo pure uel pituita, & cũ excreatione statim se in linguã infert rotundus, facileq; reijcitur per sputum. Si uero palatum consideraueris, densius atq; uelut exulceratum ipsum inuenies, & ut plurimũ sanguinolẽtũ, ꝓpter destillantẽ ad ipsum à capite sanguinẽ. Curatio autẽ his qui sanguinẽ à capite educunt, sufficit simplicior & exigua. Adstringentia enim per collutiones palato adhibita frigida sufficiunt: nã à calidis & rarefacientibus collutionibus plus sanguinis erũpit, quare signum id est adeo à capite prodeuntis eductiõis. Si itaq; à capite feratur, multũq; sit quod defertur, euacuatione opus erit. Quare citius per nares, aut ꝑ uenæ alicuius incisionẽ euacuare oportet, ne per negligentiam consuetudo fiat sanguini in hos locos delabendi.

Curatio eorum qui ob destillationem sanguinem expuunt. ex Gal. Cap. LX.

Qui ob destillationẽ sanguinẽ expuunt, his uenã incidere oportet statim in principio, acri simul clystere adhibito & euacuata aluo: deinde confrictis quàm plurimũ manibus, brachijsq; ac cruribus per pharmacũ calefactorium ac extenuatorium, extremę eorum partes colligentur, postea uero capiti raso pharmacum ex stercore syluestrium columbarũ impone, & post horarum trium interstitium in balneum deducito, citraq; capitis cum pinguedine contactũ lauato: post uero capite mediocri pileo cõtecto sorbitione multa ex solis austeris pomis connutrito: deinde dormire uolenti, theriacen Andromachi ex uiperis recens adparatam exhibeto. Sequẽti aũt die omnibus corporis partibus, capite tãtum excepto, cõfrictis in quiete adseruato, rursusq; in uesperã theriacen exhibeto. Quod si ex his destillatio sistatur, tertia die mane mel parum coctũ præbeto, quiescereq; sinito, ac totũ corpus defricato. In cibo exhibe ptisanæ succũ, modicumq; panẽ madefactum. Quarta autẽ die mane post acceptum ex uiperis pharmacũ, rursus plurimũ mellis præbeto, capiti simul pharmaco

maco ex stercore columbino imposito. Deinde lotis & mediocriter nutritis, quinta die ea quae humores qui in pulmonem defluxerunt, uehementer repurgare queant exhibeto. Pòst uero per interualla ad caput cerato ex thapsia apparato utaris. Vniuersam autem curationem renutriendo ac refocillando corpori destinatam impendito.

De his qui ob frigiditatem organorum respirationis sanguinem expuunt, ex Galeno. Caput LXI.

Qui uero ob frigiditatem membrorum respirationis ruptis pulmonis uenis, sanguinem expuunt, his e uestigiò uenā secare cōuenit, secūdaria facta detractione eadem die, & postridie similiter, uidelicet ut paulatim euacuationem faciamus, & ut ad contrarium diuersio fiat, quam antispasim Graeci appellāt. Eius enim gratia uenae sectio adhibetur. Deinde fricatione extremarum partium, & ut dictum est, ligatione facta, in uesperam ex seminibus pastillū exhibeto. Sequenti uero die post repetitā sanguinis detractionem, uniuerso pectori ceratū ex thapsia imponito, quod in uesperam rursus ne ulterius quàm cōuenit calefaciat, detrahito, atq; iterum pastillos ex seminibus dato. Tertia autem die ex thapsia ceratū ad horas circiter tres rursus imponito, hominemq; lauato. Cibū autem praebe primis diebus sorbitionem, tertia autē ad succum ptisanae, pisces qui facilè cōcoquuntur probeq; conditi sunt adde: ante somnū etiā rursus pastillum ex seminibus exhibe. Nam & somnum conciliat, & dolores leuat, & exiccat. Inflammatione autem ruptarum uenarum sedata, & particulis ad bonam temperiem redactis, ea quae thoracē repurgant praebe, adhibito simul usu theriaces ex uiperis apparatae. Deinde etiam lactis potu, alijsq; cibis utaris. Hoc modo sanè eos qui se mox eodem die medicandos exhibent, poteris curare, non tamē similiter qui post duos aut tres obueniunt dies. Aliqui enim eorū immedicabile ulcus habēt, maximè qui per uitiosos humores erosionē sunt passi. Quorum aliquibus sputum ipsum salsuginis aut muriae saporem exhibere referunt.

Curatio eorum qui iuxta alium quemcunq; tandem modum sanguinem ex pulmone reiectant. Cap. LXII.

Difficiliorē autem curam ulcera in pulmone consistētia habent: conari itaq; oportet quēadmodum nos fecimus, ita ut aegro praecipiamus, ne respiret ualde, & ut sileat semper. Incidere aūt statim uenam oportet in cubito internam, ac sanguinis detractionē reiterare, bis, aut etiam ter, paulatim, gratia diuertēdi. Non enim euacuatione indigent tales, nimirum ab affectione ipsa euacuati. Quapropter etiam fricationibus utantur, aut etiam totius corporis membrorum cum latis linteolis constrictione. Posteaquàm uero haec exacta fuerint, primum quidē poscam dilutam & tepidam bibendam exhibere conuenit: ut si quis sanguinis grumus in uiscere haereat, inde dissolutus eijciatur, neq; quicquam obstat, bis & ter in tribus horis hanc potionem iterare. Post haec autē pharmaca inductoria & obstruendi meatus uim habentia, simulq; adstringentia exhibeantur, aut ex posca diluta in prima sanè die, aut ex decocto malorū, aut baccarum myrti, aut alterius cuiusdam adstringentis. In uesperam uero rursus exhibendū est pharmacum: abstineatq; ęger ab omni cibo, si uirium robur adsit: sin minus, satis erit sorbitionem praebere. Optimum autē est & secunda die rursus parum sanguinis detrahere ex eadem quae prius incisa est cubiti uena, si modo uires ad id tolerandū sufficiant. Cibis etiam & pharmacis similiter utendū usque ad diem quartū, pectore in orbē madefacto, aestate quidem ex uino, oleoq; melino & rosaceo, hyeme uero ex unguento nardino. Si uero emplastris uti uelis, optimum pharmacum nostrum Barbarum appellatum habebis. Conducunt etiam reliqua ex bitumine, aceto & pice apparata, & maxime quod ex salicibus, & quod ex lolijs cōstat. Maximū eñ hoc est, cui diligenter attendere animum oportet, ac mox facta uasorum ruptura inde remedium offerre incipere, quo cruentū adhuc uulnus cōcrescat, prius quàm inflammatio apprehēdat: etenim si inflāmatio praeuenerit, parū spei est ad huiusmodi uulneris cōglutinationem, quippe quae se in multum tempus extēdit. Eluere enim oportet, tum pus, tum serosum sanguinem ipsius ulceris posteaquā inflammatio fuerit soluta: reliquam aūt curam, quemadmodum ad tabidos fieri solet, ordinare. Ex Archigene. Porrò si à stomacho aut uentre sanguinis reiectiones cum uomitu procedant, uena incidēda est in cubito superior, humeralis appellata, etiā si ex hepate in ipsum uentrem deferatur. Si uero à splene sanguis feratur, quod ex tumore circa splenem considēte cognosces, incisa uena quę inter paruum & anularem digitum in sinistra manu est, probè ac propriè auxiliaberis. Caeterum & cibos & potus magis adstringētes dare conuenit his, qui ex uētre per uomitum, citra tussim sanguinem reiectant, non tamen uehementer & actu frigidos: Ex uehementi enim frigiditate plagae inferuntur: Quare suffecerit, si nō calidi existāt, neq; nimiam humectationē inferāt: fontana igitur aqua, nō ualde frigida, neq; multa, in potu exhibeatur: Et cibi pauci similiter mediocriter frigidi, ac naturae quoq; adstringentis.

Communes methodi exhibendorū auxiliorū in singulis reiectationis sanguinis speciebus post sanguinis inhibitionem. Cap. LXIII.

Ex Galeno. Primum periculū in reiectatione sanguinis est, ne ultra modū eius euacuatio fiat. Curatio autem post eius cohibitionem eiusmodi existit. Reiectatio quidem sanguinis quae ob apertionem fit uenarum, per obturationē occlusionemq; dilatati oris ipsius uenae curatur: quae uero ob uenae rupturam fit, per conglutinationem sanatur: quae ob corrosionem, per renutricationem, & ea quae carne implent corrosa. Obturatur quidem dilatatum & apertū os uenę ab adstringentibus. Conglutinatur autē rupta uena ab ijsdem, & quaecūq; in compositione eis ammixta citra mordacitatem desiccant: ac glutinosum quiddā in se complectūtur, uelut est lemnia terra, et quae samius aster appellatur, & his similia. Renutritur autem corrosum à cibis boni succi, & pharmacis carne explentibus, siue sarcoticis à Graecis appellatis. Conueniunt igitur adstringentia eis qui non tussiunt, qui corpus boni succi habent, & qui ob apertionem oris uenarum, aut rupturam sanguinem reiectāt. Adstringit autem optime acetum, & portulaca comesta: succus autē eius bibitus efficacior existit: plantaginis succus cyathis tribus, aut sanguinariae succus eodem modo: Succus uuae acerbae in sole probè desiccatus drac. una, rhois aut gallae decoctū

cyathi mensura, cortex glandis maxime castaneæ drachma I. radicis rubi decoctum mẽsura cyathorũ trium, mora rubi, & flos balaustiorum drachma I. acacia & hypocisthis eodẽ modo. Vinacea cochlearĳ mensura, similiter lapathi acuti semen. Efficacius autem operatur radicis althææ decoctum, radicis symphyti decoctum, atq; ipsa quoq; sicca trita potui inspersa, centaureæ radicis drachmæ duæ, quas febricitantibus cum aqua, febre carentibus cum uino exhibebis: lapidis hæmatitæ drachma una cũ mali punici succo, aut coralliĳ lapidis eodem modo, radix equiseti. Mora ualde cruda & immatura. Forinsecus autem pectori irrigatio adhibenda ex uino adstringente cũ oleo rosaceo aut myrteo. Si uero multa sanguinis eruptio fiat, maxime in æstate, & citra tussim eius reiectiones contingant, neq; debilis sit æger, sed robustus & carnosus: Acetũ pro uino adhibendum est, non in sordidis amplius lanis, sed spongĳs exceptũ, fasciaq; lata æger conuinciendus. Aliquando aũt acaciam, aloën, aut omphacium aceto permiscere conuenit, & cutem ex oleo myrteo prgillinire, ne mordacitas ex irrigatiõe succedat, aut etiam emplastrum Barbarum, aut ex salicibus, aut aliud simile impone. Quòd si æger ferre nequeat ex irrigatione prouenientem iniucunditatem & molestiam, neq; toleret item emplastrorum incõmoditatem, huiusmodi cataplasma est admouẽdum: ex palmis uidelicet & acacia, alumine, malicorio in puluerem redacto, symphyto, polenta aut lentium farina apparatum. Si uero neq; cataplasmatum grauitatẽ ferre queat, neq; calfieri sustineat, illitionibus utẽdũ. Loti itaq; aut mespili corticem, & rhoëm culinarium, paucaq; rhamni, aut sanguinariꝫ folia in aceto decoquito: deinde in eo decocto aloës succum, aut acaciæ, aut omphacĳ, paucumq; gũmi diluito, & pectus ac dorsum ex eo illinito, atq; ubi exiccatũ fuerit, rursus inungito, quo crassitudinẽ accipiat illitio seu unguẽtum, & ne denudati frigore circũueniantur. Illa uero hora qua arescit illitum, ab ægro multus aër est arcendus. Quòd si inflãmationes succedentes febres inferant: solent enim uehemẽter acutæ irruere & periculosę, aliquãdo etiam lenes & obtusæ, quum uidelicet in tabẽ sunt transiturę: tum omnis ueluti in febribus est ordinãda diæta: nõ tamẽ aceruatim, sed quiete & paulatim, ut ne rursus rumpantur cõglutinata, abstinendum à uino & sorbitionibus, ammiscenda quæ leniter adstringunt, uelut sunt palmæ, & similia. Cataplasmate utendũ pane calido, deinde semine lini. Vbi uero perseueret malum, omnia ut ad tabidos facienda. Exiccatoriã porrò citra mordacitatẽ uim obtinet succus ocymi: qui si aceto cõmisceatur, cõuenientior fiet, & est quoq; nobis in usu familiaris, citraq; formidinẽ eũ porrexeris. Adstringit autẽ & desiccat simul rheon ponticum. Assumere autẽ oportet hanc ipsam põticam radicẽ ad recẽtes ac inueteratas sanguinis reiectationes & ad pectoris fluxiones, in principio quidẽ ex posca decoctam. Si uero per circuitus redierit reiectatio, omnino parũ quiddã bibẽdũ præbe cum aqua. Quum uero asperitas & tussis molestiã intulerint, passo cretico decoctã, deinde contritam præbe. Magis autẽ desiccat arefacta in potum inspersa. Exiccat etiã citra mordacitatem samius aster, & minium sinopicum, & terra lemnia bis in die data drachmæ pondere ex aqua. Citra mordacitatem etiam & præclare omnino desiccat bolus armeniacus, ut nihil eo hac parte præstet: eius itaq; drach. I. exhibere potes cum aqua cõfidẽter. Exiccat etiam coagulum hœdi, cerui uero magis inspissat. Quòd si stomachus æger sit, semel exhibe quod adstringit, & semel quod desiccat. Aliquando autem mane adstrictoriũ damus, circa sextam autem horã desiccatorium, in uesperã uero q^d inspissat. Quando uero inspissantibus opus fuerit, amylum detur, & gummi, ac tragacanthus, quodlibet per se, atq; etiam inuicẽ permixta. Simplicia ad sanguinem reĳcientes pharmaca. Huius generis, inspissantium uidelicet, est & gluten pisciũ, & symphytum manducatum ac deuoratum. Cibos etiam eiusdem cũ prædictis pharmacis facultatis exhibere oportet, tum his qui propter apertionem uenarum, tum qui ex stomacho sanguinem reĳciunt: nimirum adstringentes, uelut est halica ex posca, aut micæ panis eodem modo, aut oriza, oua mollia, rhoëm culinarium tenuissimè tritum infarctum habentia, plantago cocta, intubũ, lens cũ prędictis condita, aut lapathum acutum: in quibus uero inspissante materia magis opus est, lac coctũ refrigeratur, daturq; tum ob corrosionẽ, tum à stomacho sanguinẽ educentibus. Hi enim adstringente materia et carnis expletione opus habent: aliquando autẽ lacti cocto amylum infarcitur, ac modicum omnino coaguli. Cauere enim oportet immodicum eius usum, neq; statim post eius admixtionem lac ipsum exhibere, sed post aliquantulam dilationẽ: ualde enim in uentre concretum mortẽ inferre consueuit. Conducit etiam palmas cum halica decoquere, aut cum similagine. Inspissant autẽ simulq; adstringũt oua crassiora rhoẽ infarcta, maxime si sint assata, lens cum ptisana decocta, miliũ coctum. Fugienda autẽ in omnibus uehementer adstringentia, & excellenter inspissantia. Eligenda uero simpliciora & minus molesta ex uniuerso genere eorum quę sunt prædicta. De cõpositis ad sanguinem reĳcientes pharmacis, Galeni. Iuxta primam quidẽ rationem ex adstringentibus & desiccãtibus ac inspissantibus pharmaca cõponuntur ad curationem reiectionis sanguinis conuenientia. Quum uero adstrictoria, & tenacia ac desiccantia, uias præcludant, & difficulter per corpora digerantur, ui quadã opus habẽt præparante ac aperiẽte eis uias ipsas, & ob hoc ipsum calida & tenuiũ partium eiusmodi pharmacis miscentur, quæ iuxta omnẽ ipsorum cõsiderationem cõtraria sunt sanguinis sistendæ reiectioni. Miscentur etiam eis stuporẽ inducentia, quo profundiorem somnum inducant: quæ sanè cõmodissima sunt his qui à tusse lancinantur omnibus, maxime tamẽ qui simul sanguinẽ reiectant. Hi igitur scopi sunt cõpositionis pharmacorũ ad sanguinis reiectionẽ conuenientiũ: quæ uero per experientiam cognita sunt à priscis medicis composita pharmaca, deinceps dicẽtur. Potio hemoptoicis cõmoda. Lapidis coralliĳ, terrę samię quę aster appellatur, succini, mastiches, cuiusq; drach. VI. amyli, thuris, gũmis, cuiusq; drac. IIII. Exhibe cochlearium unum siccum cum posca, aut cum aliqua prædictarum decoctionum. Alia potio. Terræ samiæ asteris, lapidis agerati, terræ lemniæ, æquales omnium partes accipe, & ex eis cochlearium unũ præbe cum cyathis duobus decoctionis plãtaginis.

Alia

Alia. Terræ lemniæ drachm. XVI. terræ asteris drach. VIII. sarcocollæ drach. IIII. gummis drac. II. præbe cochlearium cum decocti palmarum cyathis duobus. Sit autem decoctum ipsum crassum. Alia Andromachi. Corallij torrefacti drac. I. thuris obol. IIII. acaciæ drac. I. balaustiorum obolos V. gũmis obol. II. candidum ouorum duorũ. Huius quartam partem cum aquæ cyatho uno & dimidio exhibe. Alia, Asclepiadæ. Radicis sanguinariæ manipulum, radicis symphyti tãtundem, rhois rubri acetabulum, aquæ sextarios III. decoque ad tertias, & expresi, ac percolati liquoris cyathum unum præbe, & ad singulas exhibitiones gummis triti drach. I. conijce. Alia ualde præstans, cui testimoniũ præbeo. Thuris, terræ asteris, cuiusq; drac. VIII. croci drach. I. amyli drac. I. succi plantaginis sicci drach. I. contusorum & cribratorum cochleare unũ dato cũ posca. Alia, per experientiam. Corallij drach. VIII. thuris drach. VIII. dato cochlearium cum uino myrtite diluto. Eadem etiam ad fluxum muliebrẽ efficax est. Pastillus ex electro. Prclare facit ad hęmoptoicos undecunque sanguis efferatur, ad tussim ueterem & recentem, tabidos, cruenta reiectãtes, suppurationẽ pectoris, tormina intestinorum, uesicę fluctiones, & ad inflatos: est etiam auriũ affectionibus cõmodus. Psyllij drachmas quadragintaquinq;, ramentorum electri, iridis, mastiches, croci, cuiusq; drac. quatuor, opij drachmas quindecim. Psyllium in aquæ calidæ sextarios tres cõiectum, parumper macerato: atq; ubi uiscosum ac lubricum factum fuerit, liquorem inde exprimito, eoq; præscripta diluito: terito, ac pastillos informato. Ex his obolos tres cubitum ituris exhibeto. Pastillus Dosithei, ualde celeber. Virgultorum rubi sextantem, radicis symphyti, fructus spinæ ægyptiæ, succi hypocisthidis, lycij, opij, thuris, rhei pontici, terræ asteris, singulorũ sextantem, rhois culinarij quadrantem, rosarum siccarum drachmas quatuor, baccarum myrti quincuncẽ, croci, terræ lemniæ, corticis qui macer appellatur, cuiusq; drachmas duas. Excipe succo plantaginis, aut uino scybelitę, & informa pastillos. Eos cum decocto symphyti aut sanguinariæ exhibeto.

Alius pastillus, ex cuius usu magnam nominis famam sum adeptus. Terræ asteris quadrantem, amyli recentis quinquuncem, tragacãthi, sesquiũciã, gummis quadrantem, glutinis piscium unc. I. aceti quantum suffecerit. Gluten more eorũ qui arcus faciunt dissoluito, per triduum in sufficienti aceto maceratum, quarta deinde die exemptis ex eo pelliculis repurgatum paulatim tolle, & in mortario cum pistillo contunde, & quàm diligentissime dissolue, aut super calidum cinerẽ pone. Difficulter enim solubile existit. Vbi uerò solutum fuerit, rursus in ære aut ferro, aut, ut dictum est, cinere calido cum aceto decoque, & sufficienti tẽpore assiduè agita, ut quàm crassissimum fiat, deinde in mortarium coniectum satis diu utere. Atque unumquodque prædictorũ per se contusum ac cribratum in promptu habens, maximè tamen tragacãthum, in mortarium ad dissolutum gluten insperge, omniaq; diligenter unita uitreis lancibus solidis excipe, & exicca, pastillosq; informa mediocres. Durant autem aliquandiu donec formentur. Eos cum posca exhibe, & utere ualde confidenter. Pastillus ex Corallio, qui nunc celebris & in usu apud omnes empiricos existit. Terræ asteris, balaustiorum, corallij, succi hypocisthidis, acaciæ, myrrhæ, rhei pontici, dauci; omphacij, tragacanthi cuiusq; unciam unam, thuris sextantem, opij drachmas quatuor, amyli scrupu. sex. aluminis scissi scrupulos duodecim, terræ lemniæ scrupu. VI. rhois rubri quadrantem, radicis dulcis sexuncem, symphyti radicis trientem, gummis scrup. XVIII. croci scrupulos sex, fructus spinæ Aegyptiæ drach. quatuor. Digere in pastillos cum succo plãtaginis, aut uino austero uetere, & exhibe ante somnum obolos tres cum posca. Facit etiam ad tormina intestinorum. Pastillus ex Aegyptia spina, quo plurimum utor. Pharmacum Clidion appellatum, quod prospere omnibus sanguinem reijcientibus conducit: itémque cœliacis, intestinorum torminibus, & stomachi fluxionibus. Cytinorum, fructus spinæ Aegyptiæ, balaustiorum, acaciæ, succi hypocisthidis, singulorum drachmas sex, lycij, rhei pontici, opij, cuiusque drac. quatuor, myrrhæ drach. III.

Contusa & cribrata diligenter baccarum myrti, aut rosarum decocto excipito: aut uino myrtite, & in pastillos redigito, & iuxta cuiusque uires cum rosarum, aut baccarum myrti, aut pampinorum uitis, aut palmarum decocto exhibeto, aut cum frigida aqua. Quod si lycio non abundes, hoc modo apparare potes. Rhus, qua coriorum tinctores utuntur in quadrupla aquæ portione ad triduum maceratur, uirga frequenter agitata: quarta autem die decoquitur usque quò aqua ipsa rhois comam exæquet. Et tunc quidem rhus expressa abijcitur: aqua uero percolata, donec in mellis spissitudinem cogatur decoquitur, atq; ita pharmacis adijcitur. Quum uero bibendum præbes hoc prædictum pharmacum, spongias posca madefactas stomacho aut pectori impone: atque ubi restiterit sanguis, pectus aut locos fluxione laborantes ex omphacio in aceto diluto & aliquantulum tepefacto inunge. Conuenit etiam sanguinem reijciẽtibus pastillus Philippi, qui in tractatu De intestinorum torminibus describetur. Potio ad sanguinem reiectantes. Succi saluiæ cyathos duos, mellis unciam unam, exhibe ieiunis in potu, & euestigio sanguinem sistes. Quæ grumos sanguinis concretos dissoluant. Sanguinem in grumos concretum lixiuium ex cinere fici, & uitis, & quercinum dissoluit, similiter etiam thymus & satureia, cum aceto. Coagulum leporis aut hœdi, ciceris magnitudine ex aceto: Itaq; mox ubi quis ex alto ceciderit, ac sanguinem reiecerit, lixiuium per se bibẽdum exhibeto, aut cum modico aceto.

De asperæ arteriæ ulceribus. Cap. LXIIII.

Quæcunque in aspera arteria ulcera fiunt, iuxta pelliculam eam intus ambiẽtem, & maximè prope eius extremum, aut in ipsa adeò arteriæ extremitate, sanabilia omnino existunt: Et nos nõ paucos hoc modo affectos curauimus. Reijciunt autem hi per sputũ purulenta pauca ac cruenta, aliquando etiam tectoria quædam ulceri obducta, sensusq; doloris ab eis manifeste percipitur iuxta exulceratum locum. Hos itaq; in quiete adseruare oportet supinos reclinatos, atq; ijs quæ capiti subijciuntur sublimius instratis. Admonere etiam ut quantum possibile sit renitantur, & ne tussiant: Deinde forinsecus loco affecto desiccantia imponere. Veluti sunt Emplastra Barbarum,

rum. Ex salicibus, & ex lolijs adpellata, ac eis similia. Pharmaca aũt eis exhibẽda sunt, quæ suprà ad ulcera inter arteriaca, & ad pectore suppuratos sunt descripta: Quæ etiã sub lingua detinere conuenit, ut paulatim liquefacta in asperã arteriã delabantur: tũ uero maxime obniti, & non tussire. In potu autem exhibendũ est lac quotidie recens mulctum ab adstante adhuc animali, adijciendum etiã mellis quiddam his qui lac difficulter concoquũt, & quibus in casei modum in uentre concrescit.

De pectore suppuratis, ex Archigene. Cap. LXV.

Empyici, hoc est, pectore suppurati uocantur, quibus abscessus in succingente costas intrinsecus membrana, aut in aliqua alia pectoris pellicula factus, aceruatim ruptus est, & in uacuum pectoris locum effusus inter pulmonẽ & mẽbranã costas succingẽtem. Qui si non quàm citissime per sputum reijciatur, tabidi fiunt. febricitant aũt pectore suppurati indesinenter hecticen, hoc est, habitualem febrẽ. Rumpuntur autem suppurationes, aliquæ quidem sursum uersus, aliquæ uero deorsum. Quæ deorsum rumpuntur, in aluum & intestina, ac uesicam transfunduntur, per uasa quædã transmissione ad ea membra facta. Quæcunque uero sursum rumpuntur, in uacuum uidelicet thoracis locum, periculosiores existunt. Cognosces autẽ suppuratos hoc modo. Quũ lateris dolor præcesserit, deinde uehemẽtes febres ąeuerint, & ex magna parte quoque dolor, grauitatis autẽ sensus remanserit intus in lateribus in ꝓfundo thoracis, simulque trãsfluere aliquid appareat, iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maximè quum ab uno latere in alterum decumbũt, tũc sanè multitudo puris manifestatur, & fluctuationis cuiusdam sonitus sæpe sensibiliter in reclinatiõibus ipsorum auditur. Cognoscitur itaque suppuratio facta tũ ex prædictis, tum quòd nihil relatu dignum per sputũ reiectarũt in eo qui præcessit uehementi lateris dolore. Nouimus autem quosdam citra febrem suppuratos, ex seroso aut pituitoso humore ex reliquo corpore in uacuum thoracis delapso, isticque putrefacto. Itaque quibus ex gymnasiorũ exercitijs, aut ex casu aliquo sæpe sensibilis conuulsio facta est, quæ dolorem circa profundum thoracis intulit, Nitrum, acetum, & oleũ cyprinum coniciantur, his addatur rosmarini semen, Canchry appellatum, large probeque cõtritũ, aut pyrethrũ eius loco, seu staphis syluestris: hæc simul calefiãt, deinde excolata ipsis locis ex lana succida repletis irrorentur, aut cũ lana imponatur. Vtilis enim hæc irrigatio existit, sæpeque sola malum omne discussit. In quibus aũt inflammatio præcessit, ultro uenã cubiti incidere oportet, si nihil ꝓhibeat, & mediocriter euacuare, ut alleuatio tãtũ aliqua cõtingat. Nutrire uero ex ptisanæ succo & aqua mulsa, excretioni cõsulẽdo, & in quiete diligẽter custodiẽdo. Ad primũ quidẽ ex oleo pingui irrigatiões lana cõuoluta exceptæ ac impositæ cõducũt. Quòd si febris absit, passum etiã moderatũ cũ multo oleo cõmisceatur, lanaque succida excipiatur. Hæc em̃ irrigatio in his qui febre carẽt, usque ad tertiã sufficiet diẽ. Si uero febres simul adsint, & ruptura consequatur ipsius puris, rutaceo, aut anetino oleo, fœniculũ aut flos cypri madesciãt: Aut quod magis ad hãc rẽ cõueniet, ipsi oleo incoquãtur cũ radice maluæ. Conueniẽtius est aũt oleũ cyprinũ, cũ spissamẽtis apparatũ. Hæc autẽ calefacta & lana molli excepta imponantur. Post hæc autem cataplasmata adhibere conuenit ad febres quidem sedãdas, ex pane in aqua mulsa decocto, uiridi apio, aut fœniculo, simul decoctiõi iniecto, aut apij aut fœniculi semine insperso. Cõmodius autem ad hæc butyrum pro oleo adijcitur. Deinde cataplasma quoque ex semine lini adhibeatur: quòd si maius malum sit, etiam fœnũgræcum addatur. Quòd si frigiditas suppurationis causam præbuit, irionis etiã semen cataplasmatis indatur. Tardãtibus autẽ suppurationibus, ordeaceæ farinæ caricas coctas addere oportet, & althææ radicẽ, terebinthinãque resinã ac stercus columbinũ. Fit etiã ad tardantes rupturas utile cataplasma ex solo stercore caprino, quod & collectionẽ maturat et discutit. Optimum etiam discussoriũ est ex lolijs cataplasma, si bitumine permisceatur. Ablatis autẽ cataplasmatis, ceratis affectæ partes contegãtur ex butyro apparatis, & habentibus quoque admixtam irin, parum de baccis lauri, & rutam. Etenim ad hoc quòd à frigore tutantur, adiuuant etiam reiectationem. Tẽpore reiectionis congruit emplastrum ex succis constans, & mnaseæ, & simpliciora melina, postea uero icesij & quod ex lolijs apparatur. Si uero fluxus timor immineat, id quod Thraseæ appellatur, erit aptũ. Ego uero assiduè eo quod ex syluestri cucumere constat utor, omnium enim efficacissimum existit. præscriptum autẽ hoc est in anhelosorum tractatu. Adiuuare igitur oportet puris excretionẽ quocunque repere cognoscatur. Quòd si ad aluum proreptet, magis emollientia sint ea quæ offeruntur: si uero ad uesicã serpat, ea quæ urinam magis cient adhibenda. Si uero per tussim puris repurgatio fiat, nihil conuenientius aut familiarius exhiberi potest quàm ptisana optimo melle permixta. Cæterũ ea quæ urinã cient, cibis cõmodè ammiscentur, undecunque tandem puris excretio contingat. Commoda est etiam faba cocta in omni suppuratorum differentia exhibita, si ei parũ ex seminibus erui maceratis, & duplici ex aqua decoctiõe dulcoratis adijciatur. Allij comestio quoque utilis ad repurgationẽ existit. Inter potionũ genera simplicissima est aqua mulsa cũ iride & plurima radice dulci decocta, utilis est & radicis dulcis succus commanducatus, & cum ammixto sesamo tẽperatus. Cõuenit etiam hyssopum aqua mulsa decoctum. Eclegma autem prodest hoc, Nucum pinearum, tum quæ pityides, tum quæ strobili appellantur, amygdalarum amararũ, seminis lini, amyli recẽtis, æquales partes, mellis quantum suffecerit. Optimum aũt est & piperis parũ ac seminis irionis addere. Quòd si tussis infestet, butyrum recens tepidũ cum melle tepefactum delingendũ præbe. Aliud eclegma, internos abscessus repurgans, ut etiã pelliculas maximas educat. Cardamomi drac. VIII. sagapeni drach. IIII. myrrhæ drach. IIII. opij drach. II. castorei drac. II. piperis dra. I. cũ aqua in pastillos duorum obolorum põdere redige, & cũ aqua calida pastillum unũ pro una uice exhibe. Thespiana ad internos abscessus. Seminis apij drac. III. opij drac. III. melanthij drac. III. castorei drac. II. seminis dauci, iridis, sinapis, cuiusque drach. VII. excipe melle cocto, & præbe nucis auellanæ magnitudine ex aqua.

Eclegma ex eruo, suppuratis commodum. Erui madefacti & inde torrefacti, decorticatique, & in farinam

nam redacti, drac. VIII. nucum pinearum drachm. VIII. amyli drach. VI. piperis drachmas V. succi rutae drach. I. mellis cocti quantum suffecerit. Eclegma magnum ex marrubio. Spicae nardi, piperis, succi marrubij, cuiusq; unc. I. mellis libr. III. uini ueteris dulcis libras II. Succum cum uino & melle decoque, atq; ubi ea coacta fuerint, sicca cõtusa & cribrata insperge, ac simul unitis utere. Aliud. Amomi sextantem, casiae quadrantem, styracis calamitae sesquiunciam, spicae nardi sesquiunciam, croci unci. I. piperis unc. I. nasturtij drach. IIII. thuris drac. IIII. mellis libras III. utere ut optimo. Antidotus Panchrestus ab omnimoda utilitate appellata. Conducit tussi antiquae, suppuratis, orthopnoicis, tabidis, praecordiorum distensionibus, & omni inflationi. Mouet mẽses foeminarum, & quae ex abortu aut partu relinquũtur, secundas etiam ac partus educit, & uesicae abolet affectiones. Terebinthinae drachm. VIII. styracis drach. VI. myrrhae drac. V. croci, iridis, galbani, cuiusq; drach. IIII. seminis hyoscyami, corticis mandragorae, irionis torrefacti, opopanacis, cuiusque drac. II. piperis drach. I. spumae nitri drab. I. cũ passo coge in pastillos, ex quibus obolos II. cum aquae mulsae cyathis III. praebe. Alia antidotus Aristarchi, Paulina appellata. Vim habet admirandã. Prodest tussientibus, reiectãtibus sanguinẽ, tabidis, suppuratis, pulmonis abscessibus, conuulsionibus, & rupturis: ad stomachi subuersiones, bilis per uomitum ac secessum eruptionem, coeliacos, dysentericos, uesicae affectiones, uteri strangulationes, et ad febres per circuitum repetentes, una hora ante exacerbationẽ exhibita. Facit & ad malũ habitum corporis, & ad eos qui alimentũ nõ sentiunt, ad exitialia pharmaca, & uenenatorũ morsus. Habet autẽ hoc modo: Cinnamomi, costi, galbani, castorei, opij, piperis nigri & longi, styracis, singulorũ unc. I. mellis sextarium I. Sicca contundito ac cribrato: galbanum aũt cum modico melle decoquito ac excolato: deinde omnia simul unita in uase uitreo reponito, ac fabae Aegyptię magnitudine exhibeto cum aquę mulsae cyathis duobus irrorato de pollice modico aceto. Vtere etiam his quae ad tabidos describemus. Exhibe quoq; confidenter antidotum Isotheum appellatam, ad tussientes suprà praescriptam. Licebit et paeonia appellata antidoto uti, quae in Sermone tertio & decimo cum alijs multi usus antidotis describetur. Farinas quoq; apparare conuenit ex eruis albis madefactis primum, deinde resiccatis ac decorticatis & mola tritis. Haec enim farina & lacti dũ decoquitur adijcitur, ammixto etiã melle, et uehementer cõmoda redditur. Admiscetur etiam alijs sorbitionibus: & eclegmata ad difficulter purulenta rejicientes apparata, ex hac confiunt. Commodum est autem & amygdalas amaras delibratas sorbitionibus infarcire. Facilem autem puris reiectionem facit porrum capitatum cum sorbitionibus decoctũ, atq; etiam per se aquae incoctum, & in cibo acceptum. In potu aqua offeratur probe cocta: si uero uino opus habeat, theraeum detur, aut aliud dulce paucum. Ab aceto autem & omni alio uinoso genere, et ab aqua quoque frigida abstineant. Tempore uero quo cicatrix obducitur, uinum scyllinum utile est praepotatum, aut absinthites, & oenanthinum in uomentibus & purgatis per uesicam: hyssopites uero & scyllinũ his qui per tussim: pulegiatum, qui per aluũ purgãtur: maximè si nigricantia subeant unà cum purulẽtis, aut grumosae quaedam coactiones. Quoniam autem per interualla colligi solent & rũpi quoque suppurationes, curam adhibere cõuenit ne post factam earum curationem recurrant: id fieri potest per lactis potationem, & hierae ex colocynthide constantis purgationem. post etiam dropaces locis adhibeatur, & smegmata seu extersoria acriora cutem rubefacere potẽtia, & epithemata eiusdem usus, uelut est id quod ex euphorbio fit: item quod ex baccis lauri. Assumendae etiam arenae ingestiones: & acrium ciborum comestio utilis eis existit per interstitia adhibita, maximè uero alliorum coctorum. Multos autem suppuratos post cicatricis obductionem illaesos conseruauimus per salsamentorum comestionẽ. Assiduè etiam acetum mulsum praebendum est, sit autem ex scylla apparatum. pectus quoque assiduè ex abrotoni decocto repurgandum: item ex centaureae & hyssopi alijsq; consimilibus decoctionibus frequenter potatis. Quòd si saepe puris collectio cõtingat, securius est crustas per cauteria pectori in orbem inurere: quemadmodum in anhelosis est praedictum.

De peripneumonicis. *Cap.* LXVI.

Peripneumonia inflammatio est pulmonis, cum febre acuta. Cõsequitur autem affectos thoracis grauitas absq; dolore. Quòd si pelliculę ipsius, quae cum thorace secundum longitudinem ipsius sunt connexae, sint inflammatae, etiam dolorem percipiunt, & spirandi difficultas simul irruit, & surrecti sedere uolunt. Pulmo enim cordi incumbens suffocationem infert. Rubicunda eis est facies, & maximè malae, nasus in summo fit simus, uenae temporum eleuantur, prostratus est appetitus, respiratio calida, linguae siccitas, aquae frigidae, magis autem aëris frigidi cõcupiscentia, tussis sicca. Si uero quid efferatur, spumosum est ac biliosum, & aliquãdo cruentum & floridum uehementer, quod etiam pessimae significationis existit. & si quidem mortale malum fuerit, uigiliae amplius aderunt, aut somni breues stuporem ac delyrium inducentes: & imaginatione mẽtem uicissim perturbante non sentiunt ualde praesentia mala: extremitates frigidę, ungues liuidi incuruãtur, quarta aut summũ septima die hi moriuntur. Verũ si ad salutem permutetur morbus, sanguinis eruptio ex naribus abũdãter sequitur, aut alui exturbatio multis exeuntibus biliosis & spumosis humoribus. Aliquando autẽ inflammatione in pus commutata, per uentrem aut urinam pus excernitur, statimq; ab omni molestia liberãtur. Quòd si in pulmonẽ irruperit aceruatim, aut suffocat, aut cũ grauibus accessionibus in tabẽ permutatur. Itaq; si nihil obstiterit, statim uena secanda est in cubito, & si sustinuerint uires, ex utroq; brachio sanguis extrahendus. Primũ quidẽ modicus & non usq; ad animi defectionẽ, ut uidelicet adseruetur ad repetendã detractionẽ. Si uero quid prohibeat fieri uenae incisionem, acri clystere sublu ere oportet ex decocto hyssopi, et colocynthide, & ruta melleq; ac oleo plurimo, iniecto etiã nitro ac sale. Eorũ uero qb. uena incisa est, sedẽ illinire oportet his q̃ flatus educũt, & secessum iritant: ueluti est mel cũ cymino & ruta, ac modico nitro. Post uniuersales aũt euacuatiões peripneumonicis aqua

ex utroq; brach

mulsa in potu exhibēda est, in qua decoctum sit hyssopum, aut iris sicca trita, mēsura duorū cochleariū aquæ mulsæ inspergēda. Quòd si suffocatio urgeat, etiam nitrum inspergere conuenit ad decoctionem hyssopi. Cibus sit extenuatorius, ptisana cum origano aut hyssopo decocta, aut modico pipere trito ad eius succū insperso. Aliquando aūt sal pro nitro cōijciendus est, prout expedierit, & sustinuerint uires. Porrum etiam capitatum bis coctum præbeatur, & halica cocta ex aqua mulsa: quæ omnia inflationis sint expertia. Potus exiguus sit quantitate: humiditas eñ noxia pulmoni existit. Sub lingua aūt detinēdum præbe mel in pastillos redactum, cui in decoquēdo inspersa sint hyssopum & calamintha quàm tenuissimè trita. Vti quoq; cōueniet eclegmatis quę in pleuriticis describentur: atq; uniuersa diæta eorū qui à peripneumonia conualescunt, eadem sit quæ pleuriticorū & suppuratorum. Pectus uero lanis cooperiatur cum oleo & nitro. Conueniet etiam cerato cōtegere tum pectus, tum latera, ex oleo rutaceo, aut cyprino apparato, quod habeat simul iridem siccam tritam inspersam, aut epithema ex cera, & terebinthina, medulla ceruina, œsypo liquido, butyro, & iride tenuissimè trita imponatur. Sint autem horum partes æquales.

De phthisicis seu tabidis, ex Galeno. Cap. LXVII.

Phthisis proprie est exulceratio pulmonis, ad sanguinis spuitiones consequēs, quum uidelicet sanguinis eruptione suppressa, ulcus nō fuerit cōglutinatum, neq; cicatrix inducta consequitur etiam phthisis in suppuratis & peripneumonicis, aliquando etiam in adfectionibus pleuriticis, difficilimè aūt curatur ulcera pulmonis, propterea quòd citra tussim non repurgantur: tussientibus autem mutuo ulcus dirūpitur, ipsisq; quasi per circulum reuoluūtur mala. Iancinatis namq; à tussi inflammatis, altera rursus maturatione inflammatio opus habet, rursusq; periculose per tussim pus repurgare necesse erit: quare ex omnibus difficilis curatio ipsi subornatur, quòd neq; pharmacorū uires ulcus ptingere ualeāt, prius quàm in uentre permutetur: & quòd iuxta respirationes pulmo semp mouetur, & tussiēdo lācinatur. Progressu uero tēporis cartilagines quoq; asperę in pulmone arteriæ adurūtur: quēadmodum in externis ulceribus ossa, quę scalpturam ad squammularū discessum ac detractionē nō admittūt. Diuturna autem pulmonis ulcera etiā si aliquādo curentur, callosas tamen & fistulosas reliquias post se in ipso pulmone relinquūt, quæ tēporis progressu ex leui occasione facile refricātur: unde contingit aliquando & tectoriū ulceri obductū, & modicas sanguinis guttas unà cū alijs quæ inde per sputum reijciuntur, efferri: ut alio planè principio opus sit ad ulceris curationem. Notæ aūt quæ ex sputo sumuntur, in tractatu de febribus sunt præscriptæ, nimirum quinto huius operis sermone: unde superfluū existimo hic de eis uerba facere. Medicari itaq; pulmonis ulceribus oportet, eo apparatu quo facile sursum efferātur humores, cura simul adhibita ne alij cōgregētur. Itaq; cataplasmata in principio assumenda sunt, ex semine lini & tenuissimo polline, cū decoctione fœnigręci & althææ, oleoq; & melle ammisceri possunt, etiā ipsis althææ folia trita. Adhibeantur aūt hæc omnia statim pòst exacerbationum remissionē. Post temporis deinde intercapedinē, ad cerata transcēdū ex butyro & oleo laurino ac cera apparata. Repurgationis autē tēpore, epithemate utendum est, ex terebinthina, & oleo cyprino, & butyro, & ex medulla ceruina, ac adipe taurino, iridisq; farina, & œsypo, hoc est, lanæ succidę sordibus, æqualibus omniū partibus cōmistis. Pòst etiā emplastro Mnaseæ, aut aliquo ex simplicioribus melinis utendū. Locis aūt fluxione laborantibus, id quod ex salicibus constat adhibēdū, quod etiam exiccationis tempore conueniens existit. Sicut & hoc quod ex syluestri cucumere apparatur suprà ad anhelosos descriptū, & quod ex lolijs fit eodē modo. Ne autē cutis ipsa distendatur, primum locū ipsum inūgito, atq; ita glutinosa pharmaca imponito: sic enim facilius auellūtur. Optimum aūt ad eos malagma tempore quo cicatrix obducitur, hoc est, Ceræ libr. I. picis lib. I. uisci quercini unc. I. ammoniaci thymiamatis trientē, gallę hypocisthidis, aluminis scissilis, acaciæ, malicorij, seminis apij, rhois culinarij, cuiusq; unciā I. olei myrtini aut rosacei triētē. In hyeme autē paulò plus. Sicca cū succis in aceto contere, liquefactisq; quæ elquari possunt, & ab igne ablatis uiscum inijce: ad quod deinde liquefactum in cacabo etiam reliqua trita cōijce, ac simul unita in pilam transfunde, & emollitis utere. Inter pharmaca uero potabilia simplicissimū est aqua mulsa per se, & cum amylo, aut iride & radice dulci in ea decoctis. Omnium autē conueniētissimū phthisicis est lac asininum potatū: quòd si non adsit, bubulū aut caprinū, & cācri crudi triti cum lacte potati, aut cocti in cibo sumpti, assidue iure eorum insuper absorpto. Conuenit etiam eis adeps ceruinus recens in sorbitionibus eliquatus. Quòd si molesta tussis incubuerit, thymus tritus & hyssopum melle cocto excipiuntur, & sub lingua tenenda exhibentur. Congruit etiam butyrum recens cum mellis & terebinthinæ æqualibus partibus decoctis. In his uero qui tolerare possunt, plus butyri accipiatur, si tamen recens existat: optime enim repurgat. De hac itaque mixtura cochlearium unū ieiunis detur. Bonum est et amygdalas amaras maxime cum ptisana decoquere, & porrum capitatum cum ptisana, aut altera sorbitione decoctum, aut etiam per se bis coctum accipere. Vinum autem thereum & scybelites præbeatur, mediocri tamē ualde mensura. Eclegma uero phthisicis congruum tale est. Mellis optimi libram unam, uuarum passarum pinguium exacinatarum sextātem, croci, iridis, seminis hyoscyami, tragacanthi, cuiusque drac. IIII. styracis flaui unc. I. nucum pinearum drach. VI. amyli unc. I. Exhibe ex eo cochleariū ieiunis. Tragacanthus in uino dulci modico teritur: styrax uero in pila dissoluitur reliquis coniectis ac permixtis. Aliud. Fœniculi succum cū pari melle decoquito, & ad sextarij mensuram croci drach. I. rhei pontici drach. II. aliquando etiā hypocisthidis drac. I. adijcito. Quòd si iuxta asperæ arteriæ extremum asperitas adsit, conijce & radicis dulcis tritæ drac. II. detur cochlearis mensura à cibo. Aliud. Scillam optime assato, eiusq; medium siue medullam terito, & ad unam scillæ sex mellis partes cōijcito, & ieiunis inde cochlearis exhibeto. Aliud eclegma celebre. Marrubij, hyssopi, iridis, radicis dulcis, pulegij, dictāni, saluiæ, caricarū, palmularū passarū, sing. unc. I. crassius cōtūdito, ac in aquæ sextarijs

tribus ad triduum madefacito: deinde ad tertias decoquito ac percolato, mellisq; libra I. adiecta, rursus donec cogatur decoquito, & pòst farinae orobi scrupulos XII. terebinthinae unc. I. amyli drac. IIII. mastiches tritae drac. IIII. tragacanthi unc. I. adijcito. Tragacanthũ primũ in modico decocti madefactũ conterito: deinde adiectis ei reliquis siccis, etiã ea quae decocta sunt affundito, simulq; coactis utitor, exhibito ieiunis cochleari. Licebit & ante somnũ exhibere, experimento eius utilitas cognita est. Aliud, ad phthisicos fluxioneq; thoracis laborãtes. Seminis cucumeris satiui desquamati drach. VIII. amygdalarum delibratarũ dra. IIII. seminis lini drach. II. seminis papaueris albi drac. II. Cõtusa & cribrata cũ tragacanthi cremore cogito, & in pastillos digerito. Iuxta uirium autẽ tolerãtiam alijs drachmã I. alijs obolos II. praebeto: eis qui febre carent, cũ uino dulci & myrti cremore: febricitantibus uero, cũ cremore solo. Aliud, quod & ad phthisicos & suppuratos praeclare facit. Farinã erui albi succo scillae subactã exiccato: aut scillã assatam ac tritã, farinaq; erui subactã eodem modo exarescere sinito. Vsu autem expetente, pastillos ipsos exiccatos contundito ac cribrato, melleq; permixtos cochlearis mẽsura ieiunis dato. Optimè eñ repurgat. Aliud, multo usu cognitum, citra molestiam repurgãs. Farinae erui unc. I. hyssopi quadrantẽ, seminis urticę quadrantẽ, iridis unc. I. mellis quantum suffecerit. exhibe ieiunis cochleare, ac confidenter utere. Aliud, experimento cognitũ, quod ad phthisicos & suppuratos facit: magis tamẽ frigidis tẽperaturis cõducit. Iridis illyricae sextãtẽ, farinae erui albi sextantẽ, hyssopi, pulegij fumo nõ siccati, seminis urticae, cuiusq; dra. VIII. piperis gran. XII. Excipe melle, ac prębe cochlearia II. mane unũ, alterũ ad uesperã. Potes et catapotia inde formare, atq; alternis dieb. exhibere. Aliud, phthisicis, & tussi ueteri aptum. Cardamomi torrefacti drac. XVI. thuris, galbani, iridis, piperis, cuiusq; dra. IIII. casiae, croci, myrrhae, cuiusq; drac. III. opij drachmam I. cõtundito ac cribrato: & cum aquae cyathis tribus, ac passi duobus, cochleare I. aliquando etiam duo praebeto. Licebit etiã pastillos inde formare cũ passo. Aliud coptarium, siue placenta, ad phthisin, ex eclegmatum materia apparata. Ex amygdalis uidelicet amaris decorticatis, nucibus pineis recentibus, propter oleaginosum in eis saporẽ aqua praemaceratis: semine lini, amylo recẽti hoc modo. Nucum pinearum quae pityides appellantur sextariũ I. seminis lini sextarij quartã partẽ, amyli quincuncẽ, piperis drac. I. mellis boni cocti & despumati quantum satis erit. In his qui caput quod facile oblęditur habent, pityidas uitare oportet, proq; eis semẽ urticae conijcere. Eclegma ex orobis apparatũ Dionysio praetori. Erui albi torrefacti & desquamati, ac triti unc. I. costi trientem, croci sextantẽ, iridis unciam I. nucum pinearũ unc. I. piperis grana L. seminis lini, uuarum passarum à uinaceis depuratarum, terebinthinae, sing. unc. I. butyri drachm. IIII. mellis quantum his cogendis satis erit. Summe hoc phthisicis auxiliatur. Antidotus ex orobo, ualde celebris, ad phthisicos suppuratos, & inueteratã tussim: optime repurgat, & cicatricem obducit. Amygdalarum amararum delibratarum sextantẽ, farinę erui trientẽ, hyssopi trientem, iridis trientem, amyli sextantem, piperis, panacis radicis, croci, cuiusq; scrupulos VI. succi omphacij exiccati drac. IIII. nucũ pinearum torrefactarum sextantem, mellis despumati libr. I. aceti unciam I. Farina erui in aceto per diem unum maceretur, postea simul coactis omnibus, ex eis cochleare unum ieiunis praebeatur. Alia antidotus ad phthisicos, quae etiã ad omnem tussim inueteratam conducit. Amygdalarum amararum decorticatarũ sextãtem, seminis urticę torrefacti dra. IIII. succi radicis dulcis sicci, radicis symphyti, cuiusque sextantem, terrae asteris, nucum pinearũ torrefactarum, seminis lini torrefacti, sesami, uuarum passarũ à uinaceis depuratarũ, singu. sesquunciã, farinę erui albi sextantem, iridis unc. I. terrae lemniae unc. I. sapae & mellis quantum suffecerit ad eorũ coactionẽ. Exhibe ieiunis cochlearis mensura: aliquando etiã ante somnum. Vtere & uaria ex capitibus papaueris cõpositione, supra ad destillatiões descripta, exhibẽs ex ea ante somnum. Vtere & his quae ad suppuratos sunt descripta. itẽ arteriacis remedijs suprà praescriptis conuenientissima etiam eis est cõfectio isotheos appellata, ad tussim descripta: & antidotus paeonia, quae in Sermone XIII. cum alijs multae utilitatis antidotis, est relata: ea confidenter utaris. Prodest & Mithridatis confectio, & quae Esdrae inscribitur, miro modo: itẽ ex uiperis theriace Andromachi, per interualla exhibita: quę omnes in tertio & decimo Sermone sunt descriptae. Vltra opinionẽ autem efficax est, bolus armeniacus drachmae pondere ex uino tenui albo. Catapotion phthisicis ualde commodum & bonum, cui nullũ cõparari potest: faciens ad omnẽ tussim inueteratam, & purulentas reiectationes: quod in tribus diebus utilitatẽ suam demonstrat. Styracis flaui, piperis albi, myrrhae troglodyticae, castorei, galbani puri, opij Achaici, aut Asiani, omnium aequales partes, cũ galbano & styrace subige, ac catapotia informa erui magnitudine, quorũ tria aut V. ante somnũ exhibe deuorãda: calida aqua insuper ad sorbendũ data, & admirandam uim uidebis. Porrò diutius perseuerante malo, ac iã inueterato, cauteria admouere oportet, pectore in orbem inusto, quẽadmodum in suspiriosorum praediximus curatione.

De pleuritide siue laterum morbo. Cap. LXVIII.

Pleuritis exquisita & propria, inflãmatio est membranae intrinsecus latera succingentis, dolorem pungitiuum uehementer inferens cum acutissima febre. Cõsequitur hac affectos spirãdi diffi cultas, & tussis aliquando quidem sicca, aliquando uero cũ reiectatione, ac primũ quidẽ cruentorũ: inflammatione uero matura facta, purulentorum, pulsus adest durus, & secantis quippiam modo habens. Si itaq; dolor circa mammas innititur ac usq; ad clauiculam se extendit, citra dilationẽ cõfidenter uena secãda est. Si uero deorsum ad praecordia uergat dolor, corpus purgãdũ. Quòd si mediocris infestet dolor, & nõ pungitiuus: neq; adsit tussis, neq; febris acuta, non opus est magna remedia adhibere. Clyster eñ efficacior eis primũ infunditur, deinde euacuatione aliquod operaepreciũ faciẽte, adhibetur etiã irrigatio ac fomẽtatio lateris affecti: itẽ sacculi ex furfurib. et pulegio ac mẽta impleti: et diȩta extenuatoriã uim habẽs. Archigeñ. In his uero q acuto morbo, ut diximus, infestãtur, si qdẽ circa mãmas ac clauiculã haereat dolor, uenam

nam incidere oportet, ut dictũ est, in brachio, nõ eo quod rectà ab inflammato latere procedit, sed opposito. Sanguinis autẽ multitudo extrahatur, nõ usq; ad animi deliquium, periculũ enim ne in peripneumoniã morbus permutetur: si quidẽ refrigerato ualde corpore, pulmo rarus & calidus existens lateriq; uicinus prõpte & facilime morbũ susceptat. Itaque modicum extrahere oportet, & post sufficientẽ temporis intercapedinem, rursus repetita incisione modicum auferre. Quòd si animi defectionem timeamus, usq; in sequẽtem diem eius repetita ablatio differenda erit. Deinde clyster aluo adhibeatur, si non ut cõuenit, feratur. Clysteri autem cõfidenter uti oportet ex oleo rutaceo, eliquatis in eo terebinthina & butyro: deinde forinsecus latus ex oleo calido fouere, in quo ruta, anethũ, flos cyperi decocta sunt. Lanam item sulphuratam, aut ipsum sulphur inspsum habentem, adhibe calido oleo imbutã, ita ut insperso modico thymo trito imponatur, leniterq; ac prouide colligetur, atq; hac sanè irrigatione utendũ est ad tertiam usq; diem: quarta deinde cataplasma adhibeatur ex polline ac lini semine, melleq; ac oleo rutaceo: sitq; uehemẽter leue ipsum cataplasma. Quòd si liquidior reiectio existat, farina etiam lolij, & seminis irionis ammiscenda, aut fœnumgræcũ ac nitrum inspergendum. Si uero repurgamẽto liquido prodeunte adhuc perseueret dolor, suppuratũ fieri hominẽ spes est. Quare sinapi etiam in cataplasmata commiscendum, & nasturtij semen, ac rosmarini semen canchry appellatum, itemq; pyretrum: aut farinam lolij, ceræ, & bitumini, cũ oleo eliquatis permixtam impone. Cura etiam adhibenda est ut calida permaneant cataplasmata: quod hoc modo fieri potest. Oleo calido uesicam bubulam semiplenã redde, eamq; frequẽter cataplasmati admoue. Post septimum autem diem, si eodem modo dolor persistat: cucurbita lateri affigẽda est, & cutis scarificãda. Manifestisima enĩ in pleuriticis utilitas ex cucurbitulæ appositione apparet: uulnuscula aũt scarificati loci sale aut nitro inspergẽda, si quidẽ sustinere queãt: in alijs uero linteolum oleo madefactũ ac sale conspersum imponatur. Sequenti deinde à scarificatione die optimũ est rursus cucurbitã affigere, quo sanguinis saniosus ex impactis uulnusculis extrahatur. Hæc enim detractio priore cõmodior existit: non enim sanguis, sed sanies in secũda detractione aufertur. Tertia uero die post sanguinis detractionẽ, ceratum cyprinum aut rutaceũ tum pertusæ cuti, tũ uniuerso lateri imponendum: neq; unquam affectus locus nudus relinquendus: quòd si permutati in pus humoris signa appareant, & non per exhalationem discutiatur, coadiuuare permutationem oportet, althæa & caricis in complexum cataplasmatum cõiectis. Pòst uero etiam epithematis utendum: reiectionis maxime tempore, huiusmodi mixtura apparatis. Butyri, terebinthinæ, œsypi, id est ex lanæ succidæ sordibus pharmaci, ceræ, medullæ ceruinæ, iridis, omniũ æquales partes conijce, modico oleo cyprino aut rutaceo ammisto. Optimũ est etiã sulphur tenuisime tritũ cerato liquefacto inspergere. Admirabiliter quoq; eis auxiliatur brasicæ radix sicca, unà cum cauliculis exusta, cinere eius axungia ueteri suilla sufficiente excepto, ita ut ne perfluat in corpus, ipsumq; inquinet. Præclare enim discutit, & mitigat dolores. Probè etiã auxiliantur brasicæ, itemq; cupresi folia tenera trita, & cũ axungia imposita, aut marrubiũ eodẽ modo, aut cinis sarmẽtorũ, aut ficus pingues cũ pari axũgia cõmixtæ. Eundẽ usum præstat stercus caprinũ cũ axungia impositũ. Aliud epithema, pleuriticis ualde cõmodum. Opopanacis unc. I. foliorum rutæ sextantẽ, olei cyprini lib. I. ceræ sexũcẽ, terebinthinæ sexuncẽ, galbani sesquiunciam. Opopanax in oleo cyprino dissoluitur: galbanũ autem cũ rutæ folijs conteritur: quæ uero eliquari possunt, liquefiunt, & refrigerata tritis ammiscentur. Aliud, experimẽto cognitũ. Rutæ sextantem, sulphuris uiui unc. I. nitri sesquunciã, adipis suilli trientem, ceræ sexuncẽ, olei cyprini sexuncẽ, butyri, œsypi liquidi utriusq; sextantẽ, terebinthinæ unc. unã. Aliud epithema ad pleuriticos, in quibus dolor diu perseuerat. Ceræ, resinæ pini, picis, baccarũ lauri decorticatarũ, singulorũ lib. I. ammoniaci thymiamatis sexuncem, galbani trientem, pyretri sextãtem, æruginis unc. I. nitri sextantem, euphorbij unc. unã, alij tantum dimidiam accipiũt, olei laurini aut communis antiqui trientẽ. Appara & utere. Rubefacit cutem, & grauitatem leuiorem facit. Epithema fœtidũ, pleuriticis commodum. Resinæ pini lib. unã, ceræ sexuncẽ, rutæ uiridis trientem, olei cyprini sexuncem, sulphuris uiui, opopanacis, sagapeni, galbani, cuiusq; drachm. IIII. De potionibus pleuriticorum. Potionibus iuuantur pleuritici in principio quidem aquæ mulsæ, in qua ruta est decocta, post etiam hyssopum, aut calaminthæ, aut origanũ, aut iris, aut radix aristolochiæ. Alia, euestigio auxiliatur. Radicis phu fasciculũ in tribus aquæ sextarijs decoquito: & expresso liquore ad sextarium unum, mellis trientem conijcito, rursusq; decoquito, ac cyathos tres ante cibum exhibeto. Alia. Chamepityos manipulum in tribus aquæ sextarijs appara, & utere, ut dictum est. Alia. Stœchadis tenuisime tritæ drac. I. exhibe ex aqua mulsa, aut simili modo chamedryn, aut chamæpityos modo apparatam præbe in potu. Prodest & dracũculi radix cocta in cibo sumpta, aut ari radix eodẽ modo. Sub lingua uero tessellas ex melle cocto eliquantes deuorent. Eclegma autẽ eis conueniens hoc est. Eclegma ad pleuriticos. Seminis urticæ, seminis lini, nucum pinearum, amyli, singul. cyathum unum, amygdala amara decorticata XXV. piperis grana quinquaginta. Nuces pineas ac lini semen parũper torreto, deinde alia trita ac cribrata simul cum his melle despumato sufficienti excipito, et ieiunis cochleare unum exhibeto. Aliud. Butyrum recẽs cum pari mellis mẽsura decoquito, ac inde cochleare præbeto. In pluritide uero diuturna exhibe seminis balsami drac. I. ex aqua mulsa, aut etiã gẽtianæ dra. I. radicis cẽtaureæ maioris dr. II. ex uino, aut radicis symphyti ex aqua mulsa. Quòd si liquida & cruda reiectet, cõuenit hoc: myrrhæ troglodyticæ dr. II. croci dra. I. pipis gra. XV. mellis despumati lib. I. cogito simul, ac inde cochleare dimidiũ præbeto. Oribasij antidotus ad pleuriticos & oẽs pectoris fluxiones. Seminis rosmarini, opopanacis, sagapeni, castorij, anisi, seselis, cuiusque drac. VIII. myrrhæ, opij, cuiusq; drac. IIII. bituminis dra. III. & dimidiã, piperis drac. II. thuris sesquidrach. Vtere, araci magnitudine exhibẽs cum hydromelitis cyathis III. Antidotus alia pleuriticis

ualde

ualde commoda. Baccarũ lauri dra. VIII. seminis rutæ syluestris drac. octo, aristolochiæ longæ dra. VI. myrrhæ drac. IIII. gentianæ drac. IIII. mellis despumati lib. I. Datur nucis pōticæ magnitudine, aut fabæ, aut araci. Prodest suppuratis, cōuulsis, itéq; ruptis. Cæterũ & antidotus quæ ex quatuor rebus appellatur, præclare facit. habet aũt hoc modo: Gentianæ, myrrhæ, aristolochię, baccarũ lauri, ęquales partes melle cocto excipe, & fabæ magnitudine prębe: his qui febre carēt ex uini cyathis III. febricitātibus uero cũ aqua mulsa. Efficax est ad conuulsiones, rupturas, orthopnœã, tormina interaneorũ, et morbũ regiũ, & eos qui uenenũ hauserunt: resistit etiã serpētiũ uenenis potata: præstat idē & ad morsus locum imposita. Quidã eã mysteriũ appellāt. Alia antidotus ad pleuriticos pharmacũ accōmodatum. Extrahit menses & partus, & quæ à partu relinquūtur secundas. Dictāni, sagapeni, opoponacis, trisaginis, cuiusq; drac. IIII. myrrhæ, seminis rutæ syluestris, herbæ sabinæ, comæ cētaureæ minoris, piperis, cuiusq; dra. octo, radicis gētianæ drac. VI. baccarũ lauri dr. XVI. aristolochiæ rotundæ drac. II. mellis despumati quātum cogendis his satis est. Datur nucis auellanæ magnitudine cũ hydromelitis cyatho I. cibi porrò pleuriticis exhibendi sunt sorbiles qui in principio uētrē subducāt: uelut est ptisanę succus cũ melle, citra salē aut alterius rei admistionē. Post hęc etiã nō colata integra ptisana exhibēda: deinde micę quoq; ex aqua mulsa. quòd si à melle abhorreat æger, oleum optimum in principio ptisanæ affundes, decoquesq; simul capitatũ porrum, deinde modico sale condies, et exhibebis. Remittente uero ac declinante iam malo in petrosis aquis degentes pisces exhibendi, & colũbæ, omnisq; diæta tenuis cōstituēda. Aluus autē assidue subducatur, in maximis præsertim doloribus: sed tamē cauendũ ne fortiora solutiua exhibeātur. Mastichen itaq; tenuissime cōterito, eiusq; scrupulos IX. cũ cum aqua tepida, aut lact ei teporis aqua præbeto. Soluitur eñ à calida aluus. Vbi uero hanc potionē obtuleris, amygdalas amaras decorticatas XX. in promptu habe: easq; tritas cum pauco melle delingendas præbe, aquã etiam calidam modicam insuper bibendam. Profectu autē ex his consequente, etiã cum subscripta Asclepiadæ hiera purgabis, quo omnes morbi reliquiæ extergantur: quę enim relinquuntur à morbis, recidiuas facere cōsueuerũt: & non pura corpora quo plus nutries, eo amplius lædes. Hiera Asclepiadæ, quę omnes abscessus in profunda corporis parte cōsistentes unà cum tuniculis ipsorum educit, phthisicis ac pleuriticis cōmoda: facit & ad eos qui assidue reuomunt cibũ. Colocynthidis medullæ drac. XXXII. marrubij, stœchadis, trisaginis, cuiusq; drac. XIIII. myrrhæ, spicę nardi, piperis longi, floris iunci odorati, cassiæ, cinnamomi, cuiusq; drac. III. croci drac. IIII. radicis cētaureæ maioris drac. IIII. galbani drac. IIII. Excipe melle cocto, & pleuriticis duarum nucum ponticarum magnitudine exhibe ex aquę mulsæ cyatho I. phthisicis uero & suppuratis unius tantum nucis magnitudine itidem ex aqua mulsa.

De ea quæ pleuritis esse putatur, quum tamen non sit. Cap. LXVIII.

Ex cruditatibus plurimis, & cibis humoris crassi ac pituitosis, ueluti sunt bulbi, ac fungi, & consimiles: crudi humores uiscosiq; & tenaces in corpore generantur: qui aliquando repente se in uacuum thoracis locum ingerunt, aut in ipsum etiam pulmonem. Multitudine itaq; sua succingētem latera intrinsecus pelliculam distendentes inferunt dolores: ut imaginatio factæ inflammationis in expertis exhibeatur: quin etiam uias spiritus intercipientes uehementem spirãdi difficultatē inducunt. Vnde quidã medici errore seducti, uena cubiti incisa, multoq; sanguine euacuato, mortis causam ægris præbuerunt. Quare interrogare oportet, num eo cuius mētionē feci, usi sint cibo, diligentérque perdiscere formam ipsius respirationis, contingere etiam pulsus, & tactu explorare caloris qualitatem. Etenim in his non ob dolorem respiratio utplurimum intercipitur, sed quod uiæ spiritus sunt obturatæ, & respirationis forma uelut laqueo collo circundato contingit. Supini autem ferè in totum decumbunt semper, præ impotētia etiam, neque probè loqui ualentes. Vtplurimum uero non febricitant hi: aliquando & frigidius solito corpus eorum inuenitur. Quòd si febre afficiātur aliquando, debilissima ipsis febricula existit, minimeq; sunt siticulosi: & quod ad hæc uel maximum signum est, pulsus difficulter mouetur, minimus & tardissimus præter solitum morem existens. Horũ itaq; curatione suscepta, calefacientia, incisiua, & repurgātia intrinsecus & extrinsecus offeremus: & primum quidem à simplicioribus incipiemus. Clysteri ergo cōsueto aluum à stercoribus repurgabimus: deinde etiam efficaciori utemur ex decoctione calaminthæ, aliquando centaureæ, melléque plurimo, ac nitro et oleo. Colocynthis autem in his quod ualde stomacho aduersetur deuitanda. Post alui euacuationem rutam & anethum in oleo decoquemus, & ex eis quàm plurimum fouebimus affectos locos: lanas etiam oleo madefactas imponemus. In potu dabimus aquam mulsam, in qua hyssopum, aut pulegium, iris, caricæ plurimæ sint decocta. Succum etiam ptisanæ tenuissimum exhibebimus cum melle, quo inde uenter leniter subducatur. Eclegma autem ipsis commodum huiusmodi est. Seminis urticæ, hyssopi, iridis, nucum pinearum, amygdalarũ amararum, singulorũ æquales partes, modico pipere adiecto, optimo melle despumato excipe, ac inde ad summum cochlearium unũ ieiunis prębe: deinde interstitio facto, exhibe aquã mulsam, ut dictũ est, ac post horas duas succum ptisanæ: tertia deinde die ex farina ordei, ac semine lini, multoq; fœnogræco cataplasma imponatur: adijciamus etiam sinapi tritum, & lauri baccas, ac parum nitri, & ex liquidis oleum rutaceum, aut cyprinũ, aut anethinũ. Apparandum aũt est eo modo, ut thoracem & costas cōprehendat. Ablato autem cataplasmate, thorax cerato ex butyro & terebinthina, œsypoq; liquido, et cera, taurino adipe, ac iride, æqualibus portiōibus acceptis contegatur. Aliquando etiam ex medulla ceruina & oleo cyprino. Sulphur quoque uiuum cerato liquefacto infarciendum. Stomacho uero lanam conuolutam, unguēto nardino ac modico uino madefactam imponemus, eiq; incumbere semper sinemus. In his uero quibus suffocationis periculum imminet, uomitorijs ad anginam descriptis confidēter utemur, & maxime eo quod ex elaterio, sinapi ac nitro constat, primum quidem ipsum cũ oleo &

pauco

pauco melle quàm penitissimè illinendo: deinde etiam bibendum, quemadmodum illic diximus exhibebimus. Assidue etiam aquam mulsam absorbẽdam præbebimus, in qua hyssopum est decoctum. Porrò humoribus dissolutis reiectare eos incipiet, & tussis in eis augescet: quare antidotum isotheum appellatam, tunc eis ante somnum exhibebimus, nucis auellanæ magnitudine ex aqua mulsa. Sõnũ enim dulcem infert, & humores quo facile sursum efferantur præparat, ac tussim sedat, doloresq; dispgit. Est autem suprà ad tussim descripta. Quando uero etiam uenter eis non bene excernit, mastiche tenuissime trita scrupulorum nouẽ pondere cũ aqua tepida, aut lactei teporis bibenda offeratur, deinde amygdalæ amaræ decorticatæ tritæ ex melle præbeantur delingendæ, & aqua calida post eorũ sumptionem absorbenda. Feliciter autem procedente curatione, & columbarum pullos in cibo offeremus, cum porro capitato cocto, anethoq; & oleo, modico sale & pipere adiecto. Vinum bibant fuluum, uetus, mediocri mensura. Atqui eclegma prædictum ex semine uidelicet urticæ quotidie ieiunis præbebimus. Ante somnum uero isotheum antidotum alternis aut singulis diebus, donec ab omnibus molestijs ægri liberentur. Ceratum autem quod pectori adhibetur, singulis diebus renouetur. Et si quidem uenter adstrictus sit, mastiche cum amygdalis & melle prębeatur. Eclegma Galeni, ad diuturnum pectoris dolorem citra febrem. Fœnumgræcum aqua macerato, deinde decoquito, & prima aqua diffusa, & palmarum pinguium carne adiecta rursus coquito, ac exprimito succum: quem deinde melle largius permixtum rursus ad prunas decoquito, donec ad mediocrem spissitudinem redigatur: & ex hoc multo antè reliquum cibum tempore delingendum exhibeto.

OCTAVI SERMONIS AETII FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN NONO SERMONE AETII HABENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE MEDICINAE TETRABIBLI TERTIAE SERMO PRIMUS, ET EX ORDINE NONUS.

*

De stomachi, alui, ac interaneorum affectionibus.

De cardiacis. Cap. I.



VOMODO eos, qui cardiaci appellantur, curare oportet, aut eos etiã qui aliter ob stomachi afflictionem animo linquũtur, iam absolutissimè prædictũ est in quinto huius tractationis sermone, ubi ad febrium curã hæc annexuimus. Nunc uero quum affectionẽ stomachi ac alui remedia opportunè ex ordine describemus, necessariũ uisum est & hic paucis eorũ mentionem facere. Cognoscemus igitur eos qui cardiaci dicuntur, quum acuta febri & maxime æstuosa affliguntur hoc modo. Pulsum si inuenero densum & obscurum, & extremarũ partium frigiditatẽ, sudores circa faciẽ & ad pectus usq; glutinosos, & odorem corporis terrestrem nares percellentem, & pulsus circa ipsum cor uehemẽtiores & magnos, & ad hæc accedant desperatio, angor animi, & corporis iactatio. Hoc modo affectum, cardiacũ esse dico. Os uero uẽtris primũ est quod in ipsis afficitur, per consensum uehementer oblædẽs cor ipsum, propter uicinitatẽ. Porro ueteres os uentris cordis appellatione Cardian uocarũt, ab accessionibus nimirum quæ ex eo accidunt & inferuntur. Aëris itaq; frigidi admissione & uentilatione eis auxiliari oportet. Spõgia igitur ex posca frigida imbuta, facies permadescat, & aqua lactei teporis paulatim absorbẽda præbeatur. Odoramẽta autẽ uaria offerantur, malum cotoneũ, pulegium, cucumer, & similia. Stragula eis incũbentia tollantur: operimenta uero quibus cõteguntur, mollia sint, & usu priore detrita: pauimentũ irroretur, ac folijs consternatur myrti, platani, ac quercus, maximè uero uitis atq; ipsis etiam rosis. Solẽ autẽ domus in qua decumbit nõ admittat, sitq; minimè alta, sed depressior, et nõ ualde lucida. Exudantibus uero partibus myrtus sicca trita inspergatur, aut cimolia, aut œnanthe, aut ordeũ: imprimis uero collo & thoraci, & locis sub alis ac inguinibus ea sunt adhibenda. Eodẽ modo auxiliatur malicorium cũ manna inspersum: aut galla per se, & cũ sulphure uiuo, aut samia terra admixtum habẽs gummi. Illinũtur etiã ad coërcendos sudores, oleũ myrteum, œnãthinũ, rosaceũ, melinum, & lentiscinum. Circũlita autem sudores cohibẽt, manna & amylum cãdido oui excepta, aut bulbus albus, & piper, ac urticæ semẽ, et gũmi, modico cerato myrteo excepta, aut oui candido subacta, quæ sanè crassius inungere conuenit: adglutinantur eñ & ex arescunt, & potissima in eis spes cõsistit naturalis caloris reexuscitandi. Neq; uero pinguefactæ cuti huiusmodi inunctiones sunt adhibẽdæ: uerũ linteolo probè prius extersæ inũgãtur. neq; mox ubi calor apparere incipit, auferatur, sed postq; sufficiẽter extremę corporis partes fuerint cõcalefactę, quod ubi cõtigerit statim tollatur, et thorax cooperiatur, atq; sicubi uarosum quippiã aut ulcerosum ex inunctionis adustiõe circa thoracẽ appareat, blãde tractetur, ac aliquo ex his q̃ ad ambustos ab igne descripta sunt, pharmaco locus curetur, maxime uero cõueniet id qd ex ordeo cõstat. Extremę uero corporis partes, siue ad genua usq; & cubitos, siue usq; ad locũ sub alis & inguina sint refrigeratę, fece usta & sulphure uiuo cõspergẽdæ, aut pyretro, aut piperide, aut bulbis tritis cũ pipere illinẽdę à brachijs usq; ad digitos, & à fœmore usq; ad extremos pedes, gracilibus linteolis simul circũpositis. Idẽ pręstat sinapi & pyretrũ, ac adarce. Porrò mollibus corporib. sufficit aliquando oleũ sicyoniũ aut gleucinũ illitũ, cũ multa fricatione ac cõcalefactiõe partiũ extremarũ: quanq̃ nihil uetet piperis ac ceræ modicũ his ammiscere, quo spissiora fiãt, & melius adhæreſcant. Fasciculus quoq; ex lana pura in oleo calido madefactus incũbat semp circa uesicę regionẽ. Capitis fomẽta frigida sint, qualia ad phreniticos sunt descripta: frõs spõgia ne madefiat, sed ex acacia, galla, terra samia, ac syluestris punici flore illinatur. Optime facit etiã omphaciũ, & gũmi, uerũ unũquodque eorũ ex rosarũ decocto aut succo, aut aliquo cõsimili diluatur prius, & deinde illinatur. Quod si quis sanitatis tẽpore nimiũ repletus existat, & stercora antiqua recto intestino insideãt, tũc sanè clysteri simpliciore euacuare oportet: ex succo ptisanę, et modico melle, paucissimoq; sale, & oleo quoq; modico adiecto. Illinenda est etiã singulis dieb. sedes ipsa ex cumino, ruta et nitro, cũ modico melle cõmistis, ob inflationũ uidelicet eductionẽ. Si uero nulla stercora in intestino recto subsideãt: neq; aliàs etiã excremẽtorũ multitudo insit intestinis: ægri aũt cibũ nõ sentiãt & tabescãt, ptisanæ succũ aut halicę p clysterẽ infundere oportet tepefactũ, cõquassato cũ eo ouo crudo. Vltra hoc eñ quod ea q̃ stomachũ inferne molestia afficiũt, euocat et educit, etiã alimẽtũ optime corpori sufficit ex lãguore ob nõ acceptũ cibũ misere affecto. Auxiliatur itẽ cardiacis cataplasmatis modo, stomacho, ac sinistræ mãmæ imposita, folia rubi cũ pane, aut myrti folia, ipsæq; myrti baccę, aut pãpini uitis, aut plãtago cũ pane, aut mala cotonea & palmę, aut intubus cerato exceptus. Imbecillioribus polentam cum palmis imponere sufficiet, aut palmas uino madefactas unciæ unius mẽsura contere, deinde adiectis aloës drachmis quatuor, mastiches drac. IIII. simul tere, & affuso eliquatæ ceræ sextãte, & olei, si quidem hyems sit, neq; multus caloris sensus ægrum cõtingat, nardini: in æstate uero rosacei, aut melini triente simul misce, ac utere eodem modo. Quod si ex uisceribus quoddã inflãmatum sit, panẽ cũ modico uino et melle decoctũ impone, admixtis in his qui imbecilliores sunt malis repurgatis, aut œnanthe. Reprimit autem sudores stomachumq; & cor ipsum firmitatis autorem placat ac cohibet cataplasma

taplasma ex palmis, & œnanthe, & acacia, rosis, alumine, hypocisthide & rhoë rubro: ita impositũ ut si sinistrã mãmam atq; ipsum uentrẽ cõplectatur: sit etiã tactu molle & leue, ac assidue permutetur. Reuocato aũt ex accessione ægro, si loci quidã circa præcordia sint inflãmati, ꝓuidere oportet ut per cõmunia cataplasmata ab inflãmatiõe liberentur. Cibi offerẽdi, panis ex aqua frigida, aut ex uino albo & tenui frigidoq; ac diluto: pedes suilli, taliq;, & rostra: ex uolucribus macræ, & nõ fœtidæ, in ptisanę decoctione eliquatæ, aut etiã per se. Frigida autẽ hæc exhibeantur, si caloris sensus circa stomachũ sit, et ęger inflãmatione nõ uexetur. Aliĳs calida exhibenda, similiter autẽ & potus calidus dãdus, uinũ tenue, album, dilutũ: immodicam autem uini exhibiti multitudinem pulsus ægroti ostendet. Eo usque enim exhibendum est uinum, donec pulsus subtremulus esse desinat, & robustior fiat.

De his quibus atra bile stomachus infestatur. Cap. 11.

Ex Herodoto. Quibus stomachus ab atra bile in febribus uexatur, similes accessiones cardiacis patiũtur. Accedũt aũt ad hæc, fortis stomachi morsus, cũ eius exolutione, & capitis uertigine, ac frigido sudore, paruusq; & obscurus adest pulsus. ꝓgressu uero tẽporis augetur morsus, atq; hinc in dolorẽ q difficulter leniri potest, trãsit. Cæterũ manifeste apparẽs flauæ bilis uomitus has accessiões leuiores reddit, atrę aũt bilis soluit. Vomũt autẽ ferè in totũ hoc modo affecti pituitã acidã in uentre coaceruatã ex assidua cruditate, propter uẽtris ipsius debilitatẽ. Qui uero citra febrẽ ab atra bile stomacho infestãtur, his accedit tẽpore quo humor ipse generatur et producitur, tristitia, & somnus cũ accessione imaginationũ alienarũ, contractioq; & dolor poplitũ ac surarum. Acutius quàm antè consueuerunt, cernũt, & deiectum habent appetitum: ructus autẽ & excreationes fœtidas & pisces olẽtes. Coaceruata uero bile cũ multa desperatione intolerabiliter ignescunt, ut omnia eis mẽbra ardere uideãtur: in primis autẽ stomachus uelut à palis igne candefactis pũgatur, afficitur. Sudores animi deliquiũ inducẽtes per omne corpus destillãt, & ferè semper sputi influẽtis reiectione uexãtur, quum morsum sentiũt, multamq; habẽt uomendi cupiditatẽ. Et aliquãdo quidem frustra lãcinãtur, quãdoq; aũt pauca quædã biliosa aut acidã pituitã, quæ in uẽtrẽ defluxerũt euomũt, modicoq; tẽpore à malo leuati, rursus idẽ patiũtur, atq; in uniuersum his qui ueratrũ sumpserũt similes existũt. Pulsus autẽ aliquãdo densiores, aliquãdo etiã rariores & minores fiunt. plurimum uigiles permanẽt, & si quidẽ dormierint cũ perturbatione æstuosiores exurgũt, ebulliente ut uerisimile est delato in uentrẽ humore. Sæpe etiã acceptũ cibũ unà cũ atræ bilis humore euomũt: ferè in totũ ẽm post duas ab accepto cibo horas accessione appræhẽdũtur, maxime quũ acrẽ aliquẽ aut salsum cibũ aut potũ ingesserũt. Excremẽta alui retinẽtur, aut pręter naturã incocta excernuntur. Effertur aũt aliquãdo & bilis inferne per aluum, atq; adiuuat affectionis declinationẽ. Aliq aũt ob retẽtã bilẽ, etiam atræ bilis affectionibus, & delyrĳs mẽte alienantibus sunt appręhensi. Quod si contingat, siue febris adsit, siue nõ, si quidẽ iuuenes sint, sanguineq; abundẽt, & reliqui numeri ad uenę incisionẽ requisiti adsint, uena secanda est, repetita sanguinis detractione, & hoc tamẽ per infusum clysteris, corpore prius euacuato. Atqui ad animi usq; deliquium id facere nõ oportet, ꝓpter stomachi imbecillitatẽ. Colligãdæ aũt ad strictæ ex tremæ corporis partes, & ad paucum cibũ ægri cogendi, stomachus uero lanis succidis fouendus est ex aceto plurimo, modicoq; rosaceo, aut melino, aut lentiscino. Quòd si amplius permaneat stomachi imbecillitas, ex rosarũ succo foueantur, siue intubi aut portulacę cum rosaceo: adstringẽtia etiã & leniętia cataplasmata imponantur. Qui uero unà cũ morsu circa uentrẽ ac intestina inflantur, ĳs cõueniętissimũ est acre acetũ, in quo pulegiũ est decoctũ, & cuminũ calidum forinsecus uentri per spongiã impositũ. Dolore uero perseuerante, alumẽ liquidũ cum atramẽto sutorio trito, & aloë melle excepta imponito, & alumine in acetũ coniecto & calefacto, stomachũ per spõgias foueto, aut aluminis ac aloës æquales partes cerato myrteo exceptas ad os uẽtris apponito, aut hederę folĳs in uino decoctis uentrẽ integito, aut plantagine cũ sale trita, aut marrubio cũ pane & rosaceo subacto, aut bulbis rufis cum pari põdere aluminis cooperito. Optimũ ẽm hoc est, inueterato malo remedium: quin & bulbi ipsi cum nitro triti & impositi celerẽ curationẽ præstant. Optimè etiã conducit eis gregarĳ bouis stercus aridum uino decoctum & impositũ. Epithema quoq; ex seminibus adhibẽdũ: itẽ bulbi cũ stercore bouis ac nitro ꝑmixti. Ex Dioscoride. Conueniętissimũ omnium his qui atrã bilẽ generãt, inflatisq;, & morsum sentientibus, pulegĳ decoctum existit potatũ, aut aqua in qua ferrum est extinctum: itẽ intubi succus potatus: bibant autem aquã, eamq; calidã. Si uero plurimi caloris sensum percipiant, frigida danda, sed modica, & maximè tẽpore exacerbationum. Aestuantibus enim & in anxietate existẽtibus, omniq; miseria afflictis, frigida ad absorbendũ cõcedẽda, per interualla tamẽ, & nõ ultra cyathi mensurã. Nõ enim humectatione opus habent, sed refrigerationis tantũ gratia, frigida permittitur, et ut melior intrinsecus tẽperatura fiat. Vtilis est ipsis & mentæ succus cũ succo mali punici dulcis. Quòd si aquam bibere non possint, parum uini aquosi cõcedendũ est inter cibos, calida aqua probè diluti. Cibus maxima ex parte sit frumẽtaceus, et optimi succi in omnibus: simplicior autẽ & qui facilius concoqui ac cõmutari possit in febricitantibus. His uero qui febre carẽt, adĳci possunt ex oleribus, lactucę cauliculi ac maluæ, pisces petrosis aquis degentes, & ex uolucrũ genere, nõ graue olẽtes, macrę & mõtanæ: ex ostreis quę testa integũtur, herinacei recẽtes. A' salsis uero & acribus in totum abstineãt. Molestas aũt mordacitates & nauseas, hausta plurima tepida aqua per uomitũ soluãt. Si uero id nõ bene tolerent, quiescere iubeto, & extẽsę manus palma stomachũ foueto, quo delatũ ad ipsum biliosum infernè per aluũ excernatur. Quòd si uenæ incisionẽ non faciamus, secunda ac tertia die per clysterem euacuandũ est, & modico cibo æger cõnutriendus, deinde in potu exhibendũ pulegĳ decoctum ieiunis, reliquaq; suprà dicta. Fomẽtum etiã ex aceto adhibendũ, & cataplasma ex stercore bubulo ammixtis bulbis & nitro. Porrò postquã febris cessauerit, aut ubi etiam in totũ nõ febricitauerint: & tamẽ diutius malũ molestia afflixerit, & iritationes per longa interualla

teruallo repetiuerint,purgãdum est corpus ex hiera Archigenis,aut Rufi. Qui uero sputi multitudine stomacho uexantur,his conyza arida maximè tenuis mãducanda,aut pulegium,& mastiche chia ex aqua potanda. Exhibendũ est etiã lac in potu ĳsdem quẽmadmodũ in proprio capite de ipsis ex professo est ostensum. His uero qui stomachũ ualde exolutũ habent,serũ lactis per acetũ mulsum fissi exhibeatur,ita ut ad primũ seri haustũ epithymi tenuissimè triti scrup. IX.& scammoniæ obolum I.aut II.iuxta uirium tolerantiã inspergamus. Deinde serũ ipsum per interualla paulatim bibãt,sicq́ eius potati mẽsura ad minimũ quinque cyathorum. Bonũ est & cucurbitulã ad dorsum affigere,aliquando etiã ad stomachi regionẽ,& scarificatione facta,sufficientẽ sanguinem ex fissuris extrahere. Quo uero penitus affectio hæc destruatur,quotidie horã unam ante ciborũ sumptionẽ exerceantur,ac frigida lauẽtur,maximè in mari,& arena sub caniculæ ardoribus obruãtur. Abstineãt autẽ ab omnibus atrã bilem generãtibus,maximè carnibus bubulis,uino nigro,brassicaq́ & lẽte. Diligẽtissimè autẽ de ipsorum diæta in sexto Sermone,ubi de atra bile affectis egimus,est prędictũ. Quòd si inflatio eis augescat,rutã & cuminũ in oleo decoquemus:indeq́ uentrẽ quàm plurimũ irrigabimus,ex eodẽq́ oleo quincuncẽ per clysterẽ infundemus,si tamẽ clysteri stercorũ eductiuo prius ipsos euacuauerimus,in quo decocta sint ruta & cuminũ. Deinde splenium magnum aluo ac uisceribus imponendum ex epithemate quod ex seminibus cõstat. In cibo uero succus ptisanæ detur,qui ex aceto,melle,cumino,& aniso sit conditus. pòst etiã gallina ĳsdem cõdimentis apparata exhibeatur,potus uero sit uinum rufum mediocri mensura.

Ad eos qui flauam bilem euomunt. Cap. III.

Ex libris Philumeni. Qui flauam bilem euomunt, siue in febribus,siue citra febres id contingat,eis cõueniunt ea quæ ad nauseã,ac nimiã stomachi humectationẽ describẽtur. Quare omnibus ad illos descriptis odoramentis,manducatorĳsq́ & fomentis utãtur. Decubitus autẽ eorum,à cibo præsertim & potu supinus adornetur,& spõgia ex posca imbuta ad os uentris imponatur,maximè si non uilis & contemptibilis sit dolor. Fricatio etiã & constrictio iuncturarũ manuum,ubi pulsum exploramus,adhibeatur,& reliquarũ similiter extremarũ corporis partiũ. Cataplasmata autem ex palmis,malicorio,& similibus accipiatur,quę ex uino quidẽ aut posca sint decocta,cũ pane autem & acacia,& hypocistide permixta ac contrita:quin & rhus & syluestris punici mali flores cõmodè cataplasmati admiscentur. Atq́ uniuersi corporis curatio ex oleo fiat,modico nitro ammixto,quo sudorẽ ex cute eliciamus,& fluores transferamus:& ob id etiã alui per inferna excretio plus quàm oportet facta uomitus desiccat,quare ex absinthio & aloë potionẽ cõueniẽter exhibebis. At uero affectione diutius perseuerãte,si ægri uires nõ repugnẽt,etiam hieræ catapotia ex colocynthide ab Archigene descripta apparabimus,deq́ eis minimũ drac. I.summum III.dabimus. Et si nihil obstet cataplasmate ex sinapi præcordia rubefaciemus. Præclarè enim sensum ipsum ad cutẽ transfert. Verũ hæc diuturnæ affectioni remedia cõueniunt. Tẽpore autẽ exacerbationis & circa accessionis acumẽ,cucurbitula plurimũ auxiliatur cũ multa flãma ori uẽtris affixa,fortiterq́ abstracta,rursusq́ secũdo ac tertio adglutinata. Cibos quales uomẽtibus solemus exhibebimus,sæpe & paulatim sumẽdos,& quotiescũq́ reuomuerint acceptos,toties alios post modicum interuallũ offeremus. Ante cibum aquã tepidam dabimus,& uomere cogemus:bilioso enim humore circũ circa adhærente unà cũ aqua reiecto, stomachus elotus ac leuior redditus statim retinet oblatum sibi cibũ. Mitigat autẽ dolores & stomachi morsus portulacæ succus tũ per se,tum cũ unguẽto nardino aut melino mixtus. Qui uero stomachũ habẽt uehementer exustũ,eis utile est lapathi acuti semen,triũ oboloruũ pondere ex aqua:aut mastiches tenuissimè tritæ cochleare bibendũ præbe ieiunis ex aqua. Maximè omniũ autẽ morsus sedat lac asininũ:aut si hoc non adsit,bubulũ recens mulctum potatũ,absq́ dilatione enim auxiliatur:si uero neq́ hoc adsit calidũ,quartã eius partẽ aquæ addere oportet,& serue factũ bibendũ præbere. In balneũ quoq́ & ad uini potationẽ celerius ducẽdi sunt qui bilẽ uomũt,quo uidelicet ad cutẽ materiã transferamus. Cæterũ & uinũ subadstringẽs firmitatẽ corporibus addit,ac cibos retinere cogit. Vtendũ est etiam aliquando ceratis ex lentiscino aut œnanthino oleo,admixtis absinthio,aut aloë,aut galla,aut œnanthe.

Ad eos qui stomacho exuruntur, & siticulosi sunt. Cap. IIII.

Sitis fit aut ob penuriã humiditatis,aut abundantiam caliditatis:siccitatis remediũ est somnus, caliditatis uigiliæ. Verũ his qui ob multi uini potum sitiunt, frigida aqua potata auxiliatur. Quibus autẽ longo iam tẽpore stomachus ęstuat,eis auxiliatur,simulq́ sitim sedat,radicis dulcis succus potatus, atq́ ipsa etiã radix ex aqua,pampinorũ uitis cremor,& portulacæ succus. Ab imbecillitate autẽ uires recolligẽtibus sitim sedãt,ficus siccæ cibo acceptę,& symphytum in petris nascens cõmanducatum. In cataplasmatis uero ad stomachi ardores conducunt,sanguinaria,intubum,sonchus,apium hortense,pampini uitis,portulaca,unumquodq́ cum polenta aut pane. Qui in superficie uruntur,his ramentorũ cucurbitæ succus opitulatur cum rosaceo,aut omphacĳ succo. Sitim autẽ quæ in febribus oboritur, lenire solet capitis irrigatio ex frigidissimo oleo,aut rosaceo, ex alto nimirũ sincipite irrorato. Sitim etiã adimit stomacho exustis cucumeris semen cõmanducatum,decorticatũ uero & tritũ ex aqua potatũ ualde ĳsdem auxiliatur. Eodẽ modo prodest lactucæ semen manducatũ & potatum:item semen portulacæ. Aliud adipson,sitim optimè tollens. Cucumeris satiui seminis decorticati dra. VIII.tragacanthi dra. IIII.tragacanthum contundito & cribrato,semen uero conterito,eisq́ ouorum crudorũ recentium cãdida adĳcito,& simul omnibus contritis catapotia informato,ac in umbra exiccato. Ex his deinde unum sub lingua detinendũ præbeto,ut paulatim dissolutũ deglutiatur. Aliud adipson,ad stomachi nimiã humectationẽ commodũ,in his præsertim quibus humida & calida dispositio adest. Rosarum uiridium unguibus earum resectis drachm. VI. radicis dulcis drachm. IIII.spicæ nardi drach. IIII.excipe uino dulci,& redige in catapotiorum formam,indeq́ ciceris magnitudine sub lingua detinendum prębe, refrigerat,&

rat, & firmitatem addit. Aliud. Seminis cucumeris, seminis portulacæ uiridis, tragacanthi, cuiusque drac. IIII. radicis dulcis drach. II. Excipe portulacæ succo, & in catapotia redige magnitudine fabæ, & utere uno pro uice sub linguam exhibito. Absorbeant etiam malorum cotoneorum cremorem, aut pirorum, aut omphacij succum cum aqua. Aliud adipson. Seminis portulacæ uiridis, seminis peponis, succi radicis dulcis, tragacāthi, singulorum æquales partes, aqua subigito, & ad fabæ magnitudinem reducito, ac utitor.

De singultu. *Cap.* V.

Singultus accessio stomacho accidere solet ob repletionem, aut euacuationē, aut frigiditatē: aliquando etiā ob humorū acrium & medicata qualitate præditorū mordacitatē, quos ubi uomitu reiecerint, statim à plurimo singultu liberantur. Quin & hi qui pharmacū ex tribus piperis generib. biberunt, aut ipsum adeo piper, si statim uinū à sumptione eorū ingesserint, omnino singultiunt. Cibus quoque in mordacē qualitatē corruptus aliquos singultire facit, & oris uentris frigiditas singultum inducit, maximè uero omniū pueris frequētes singultus accidūt ob stomachi frigiditatē, & alimenti corruptionē. Fit etiā in febribus singultus, stomacho præsertim aut aliquo alio uiscere inflāmato. Frigiditate itaque singultū præcedēte, oleū lana exceptū stomacho imponendū, in quo ruta, cuminū, & absinthium sint decocta. In potu etiā ruta cū uino exhibēda, aut apiū in aqua mulsa decoctū, aut cuminū tritū, aut calaminthe, aut asarū, aut pulegiū, aut dictamnum, aut celtica nardus, quodlibet eorū per se aut simul mixta. Vtile est & acetum scyllinum sorbillādo acceptum. Castorium autē eis qui integræ sunt ætatis, tum ob frigiditatem singultiētibus, tum ob humorum multitudinē similiter affectis, drachmæ pōdere ex posca dādum: quin & stomacho forinsecus impositum utrisque cōmodū existit cum oleo sicyonio aut antiquo. Quando uero ex repletiōe singultus oboritur, quomodo in totū frequētissimè cōsistit, uiolento motu opus habet. Vomitus itaque remedio fuerit, & extremarum partiū adstrictio, cōpressio spiritus, uociferatio concinna, cū plurimo clamore, deābulatio longa & cōcitata, gestatio atque adhuc magis equitatio, cucurbitulæ cum plurima flāma pectori, stomacho, & dorso affixæ: sternutatio etiā cōuenienter prouocatur, eis qui ob humorū multitudinē singultiunt. Singultui autē ex euacuatione oborto maximè contraria sternutatio existit: sanantur autē hi per alimēti conuenientis assumptionē, & per ea quæ defectum explēt. Singultus in altiore sopore, aut animi deliquio, aut tetanis obortus, mortē nō longè abesse præsagit. Cæterum & his aquā mulsam assiduè bibendā exhibere cōuenit, aut aquā purā mediocriter feruefactā. Conducit & castoriū ex aqua mulsa potatū pondere triū obolorū. In his uero q à malo uicti sunt, præclara remedia recusanda sunt. Porrò mordacitate singultū producente, primum sufficiens remediū uomitū ipsum reperiemus: deinde etiā sensus stupefactionē, & morsum inferentium alterationē ac discussionem. Stupefiunt itaque sensus per refrigerātia. Alteratur aūt mordacitas per obtundētia. Eiusmodi mixtæ facultatis subiectū pharmacū existit, & quæ ei assimilari possunt. Habet autem hoc modo. Asclepiadæ pharmacum, ad eos qui stomacho exuruntur, & ad uehementes singultus, uoluulosasque stomachi affectiones. Costi, spicæ nardi, chrysobalani, croci, rosarum uiridium, mastiches, cuiusque drachmas IIII. asari, aloës, cuiusque drach. II. opij drach. I. subige cum psyllij cremore, & digere in pastillos, quorum tres pro uice dato. Ego uero chrysobalano reprobata, pastillo qui aster appellatur ad hos utor, qui paulò mox ad stomachi subuersiones describetur. Obtundit autem mordacitatem, & ex ea obortum singultum sedat, intubi succus potatus, cucumeris semen decorticatum tritumque bibitum: lactucæ semen eodem modo, item portulacæ succus potatus, ipsaque portulaca in cibo sumpta: myxarum decoctum in potu acceptum: maximè omnium tamen præstat lac recens mulctum potatum.

De bulimo, id est, ingenti fame. *Cap.* VI.

Bulimos ex stomachi frigiditate oboritur, indigētiaque ac uirium imbecillitate, & ab externo frigore ferè in totum initium capit. Vox ipsa Græca est, & à Latinis magna fames interpretatur. Fames ēm in principio multa adest, quæ tamen non usquequaque perdurat. Nam postea repente animo linquuntur, cum extremarum partium refrigeratione, & spiritus defectione. Et sanè quidā in locis desertis, aut in balneo in malum istud collapsi, ex instanti perierūt, auxilij facultate destituti. Peregrinationes autē & itinera lōga, maximè per niuem facta, affectionem hanc inducunt. Eos itaque qui in itinere, aut aliàs fame magna citra febrem infestātur, refouebimus ac reuocabimus aceto aut pulegio ad odorandum exhibito, aut terra quæcunque tandem obtigerit aceto conspersa: item pomis ac alijs qui inueniri possunt fructibus. Auxiliatur & panis recens naribus admotus, & caseus boni odoris, caro suilla assata aut cocta: & in uniuersum omne quod ualde nutrit, maximè uero quod nidorosum ac probè conditū habet odorē: his enim ut plurimū multi refocillātur. Cæterū & extremæ eorū partes fascijs cōstringendæ sunt, manuumque ac pedū summitates calidæ aquæ feruētiori imponēdæ, & ipsi quoque stimulatis eorū maxillis, crinibusque ac auribus uellicatis excitādi. Reuocatis autē ab exolutione panē ex uino diluto offeremus, aut aliud quid dā eorum quæ aceruatim uires reparare possunt, uelut sunt, oua sorbilia, halica cū uino. Compēdiosissimū enim auxiliū ex cibo sperare possunt, quem etiā si oblatū acceptare nō possint, ori indere oportet uiolēter, cogereque ut ipsum trāsglutiant. E uestigiò enim & à fame & ab animi deliquio liberātur, & celeriter excitantur. Accedit etiā in febribus, raro tamen, neque cito, uerum circa uigorē ac declinationē. Si itaque remissionis exacerbationū febrilium tēpus, eius accessio irruat, aut circa exacerbationis declinationē, intrepidè eis cibi sunt offerendi. Si uero in principio accessionis febrilis, aut in uigore apparuerit, per prædicta odoramēta conabimur eos primū reuocare, maximè per ea quæ frumētacei generis existunt: uelut est, polēta aqua madefacta, aut posca, aut panis calidus uaporē adhuc emittēs. Fricatio etiā extremarū partiū adhibeatur, & cataplasmata ex palmis, aut malis cotoneis, aut polenta, in uino diluto decoctis, atque hæc usque ad remissionē facere oportet, ut opportunè cibum offeramus. Quòd si ex his nihilo melius habeant, audendum est per ciborum ingestionem

auxilium

auxilium adferre. farinæ itaq; crassioris cochleare unum ex aqua mulsa, quæ lactis speciem ac teporẽ in tactu de se præbet exhibeto. Buccellas item unam atq; alterã uino madefactas. His enim refocillati ac respiciẽtes, ex improuiso deinceps usq; ad remissionis tẽpus perueniunt, in quo tũ corporis curationẽ, tũ sufficientẽ ordinabimus cibũ. Vitabimus autem omnino in his qui hac affectione sunt apprehẽsi, lõgiorẽ cibi dilationẽ ac inediã, & ne alternis tãtũ diebus cibũ offeramus. Verũ solerti ratiocinatione facta, singulis horis simplicissimum modicumq; cibum dabimus. Assidui enim bulimi & exoluũt & in animi deliquia incidunt, quibus ægrè auxilium reperitur.

De animi deliquio, ex Philumeno. Cap. VII.

Animi deliquium siue in febribus, siue citra febres cõtingat ex præmanifesta causa, uelut est, plurima sanguinis aut uẽtris excretio, aut assidua surrectio, aut motus, aut dolor, aut timor: auxilium fert ex causarũ ablatione, de quibus absolutissimè in febriũ tractatu à nobis est prædictũ, quinto uidelicet Sermone. Dicetur autem summatim, & paucis etiam hoc loco de ijsdem. Frequentes igitur surrectiones eis prohibendæ sunt, & aceruatim facta euacuatio cohibenda, doloresq; mitigandi: causæ etiam quæ timorem inducunt soluendę, siue forinsecus accedant, siue ex humoribus in corpore oboriantur. Extremæ corporis partes animi deliquijs irruentibus constringantur: cucurbitæ etiam aliquando tum posterioribus, tum anterioribus stomachi partibus affigãtur, & in latus etiam apponantur. Caput autem agitatũ leui manus impositione cum coarctatione etiam cõprimatur. Odoramẽta quoq; offerantur, & aperto ori digitus aut penna immittatur, facies uero ac stomachus uehementissimè fricetur. Hoc enim modo præoccupati refocillãtur, uiresq; recolligunt, neq; in periculum animi deliquij incurrunt. Reuocatis autẽ, si quidẽ febre careant, cyathi III. aut IIII. frigidæ aquę in potu exhibendi, quam tamen paulatim & per interualla absorbeant, aut cremorem palmarum, uuarum passarum, malorum cotoneorum, rosarũ, aut pampinorum, aut alicuius consimilis, aut uuæ acerbæ nondũ maturæ succum cum frigida aqua. Aut mentæ ramulos tres tritos cum mali punici dulcis siue acidi succo præbeto absorbendos: aut polentam cum punici succo. Forinsecus autem stomacho ea imponenda sunt quæ suprà ad cardiacos & bilem uomentes sunt descripta.

De his, qui in balneo animo linquuntur. Cap. VIII.

Qui in balneo animo linquuntur, aut magis animo linqui incipiunt, eos celeriter educere oportet, neq; multa aquæ infusione humectare. Qui autem iam inciderunt, celerrimè exportandi sunt: & reliquum quidem corpus leui quopiam uelamine cooperiendum: facies uero spongia frigida imbuta madefiat, aut frigida aspergatur. fricanda etiam facies, stomachusq; & pedes: os quoq; aperiendum pennarũ aut digitorũ immissione, omniq; modo conandũ quo humor ipsius animi deliquij autor euomatur, aqua tepida ori instillata. Etsi enim nihil inde euomant, stomachus tamen iritatione firmatur, quæ animi deliquium soluit: auxiliatur etiam ad oris apertionem auditoriorum meatuum cõpressio, similiterq; ossium quæ à petræ duritia, lithoidea, hoc est, petrosa appellantur. Qui uero uilioris sunt conditionis etiam alapis sunt cædendi, capillorum quoque facta euulsione. Et uociferatio quidem unius, utilis est: multorum autem & simul edita, nocet. Cæterum à uehementi animi deliquio cõualescentibus, tũ in calidam, tum in frigidam aquam demissiones, uelut mortis causæ timendæ. Aut enim laxatis corporibus, calore discusso & resoluto pereunt: aut à frigiditate adstrictis, extinguuntur.

De stomachi imbecillitate, & supinitate, ac subuersione, ex Galeno. Cap. IX.

Quæ supinitas stomachi appellatur, ex intẽperie quacunq; tandem oboritur, nullis humoribus uitiatis. Oboritur etiã ex multitudine humorum, nulla tamen maligna qualitate accedente: stomachus enim à largo humore fortiter madefactus, ad similitudinẽ amplitudinis totius uẽtris laxatur, adeò ut cibis obuolui, eosq; contegere non possit, & propterea circa ipsum humores supernatant, quos ubi uentriculus abrumpere omni impetu annititur, anxietatis accessionem perfert, ac prius quàm cibus præbeatur, extremæ imbecillitatis. Facilimè autem hæc affectio curatur, inter reliquas stomachi affectiones longo tempore perseuerantes. Opus uero habet pharmacis humorem desiccare ualẽtibus, cohibereq; ac adstringere laxatum corpus. Itaq; si in profundum usq; humiditas extendatur, & crassa tenaxq; existat, pharmacum miscere oportet extenuatorium & ueluti consumptiuum, quale est acetum & acetũ mulsum. Si uero eiusmodi humiditas non existat, neq; in profundum usq; corporum extendatur, adstringentia sola ad curationem sufficiunt. Magnum autem signum ad cognoscendum, frigidáne sit an calida hæc affectio, sensus ægri præbet; siquidem aut nullam, aut aliquam sitim perceptet. Supinitates igitur stomachi ex uitiatis humoribus obortę, picra curãtur, quemadmodum paulo pòst dicetur, utpote quæ celerrimè uitiatum humorem repurgat. Subuersiones uero & nauseæ ex imbecillitate stomachi factæ, per intemperiei correctionem sanantur, & per incumbẽtis humiditatis desiccationem. Si quidem autem calida affectio existat, catapotia adipsa & sitim tollentia exhibeantur, quæ ad eos qui stomacho exuruntur sunt descripta, & maximè quod ex rosis, spica nardi, & radice dulci constat. Ad frigidiores uero & humectiores affectiones conueniunt subscripta. Asclepiadæ, ad stomachi subuersiones. Succi acinorum mali punici acidi sextarios III. succi mentæ sextariũ I. conijce in uas fictile, & decoque assiduè, agitando, & ubi coacti fuerint ablatos recõdito, & ante cibum mystrum unum aut duo exhibeto. Aliud. Vuam acerbã immaturam aresactã, contusamq; & cribratã in promptu habe, & cochlearij mensura ex aquę frigidę cyathis duobus præbe. Aliud, quod calidioribus dispositionibus magis commodũ est, sicut etiam præcedens: Mala punica matura & in uigore perfecta quinque aut sex numero, integra unã cum putaminibus contunde, & infusis aquæ pluuialis sextarijs tribus usque quo ad tertias omnis liquor redactus fuerit decoque, exprime, ac percola, liquoremq; expressum rursus per se decoque, donec ad mellis spissitudinem redigatur: ac inde cochleare unum aut duo exhibe: his qui febre carent, cum uino: febricantibus uero, ex aqua. Aliud ualde bonum

num: Succo mali punici acidi, ac intubi, æqualibus portionibus permixtis, mentæ siccæ tenuissimè tritæ, parum quiddã insperge, & cyathi mensura bibendum præbe. Idem facit oxylapathi semen tritum ex aqua potatum: similiter & semen portulacæ. Vtere etiam confidenter ad stomachi subuersiones, amazonum pastillo, & eo qui aster appellatur, quorum compositionem paulo pòst in nauseę tractatu describo. Vtere quoq; cataplasmatis & epithematis, quæ mox post sermonem De nausea describentur.

De nausea, ex Galeno. *Cap.* x.

Nauseæ ex uitioso humore tum calido, tum frigido gignuntur. Qui in uentre continetur, aut in concauitate ipsius innatat, aut in tuniculis eius infartus instar uisci adhæret, atq; ægrè auelli potest: aut serosior & medicatior existens in ipsis uentriculi tuniculis, uelut aqua in spongia, imbibitur. Atqui eiusmodi humores ex uentris intemperie tum calida tum frigida aliquando generantur. Aliquando autẽ ex alijs partibus prius affectis in ipsum uentrem, uelut excremẽta illarum cõfluunt, utpote ex hepate, aut splene, aut capite, aut ex uniuerso corpore. Quando igitur aliæ partes prius afficiuntur, omni modo uniuscuiusq; propriæ accessiones cõcomitantur: & ipse æger primum affecti membri læsionem sentit: aut enim caloris sensus iuxta affectum membrũ ipsi cõtingit, aut frigoris, aut grauitatis, aut etiam tactui nostro durũ succũbit. Si uero uniuersum corpus uitiosis humoribus repletũ est, idipsum ex colore, & eruptionibus papularũ circa cutem cognoscitur, atq; ex ipsa adeo urina. Quòd si nihil horum adsit, certum est uentrẽ ipsum aliquo modo ęgrotare. Si itaq; cibi in uentre nidorosi fiunt, nullo huiusmodi cibo assumpto, uelut sunt pisces, aut oua in sartagine fricta, aut alij cõsimiles, necesse est ratiocinari causam calidam esse, quæ hoc in uentre operatur. Si uero acescunt in uentre cibi, nullo huiusmodi cibo sumpto, uelut sunt pisces, aut oua in sartagine fricta, aut alij cõsimiles, necesse est cõsiderare frigidam causam esse, aut atræ bilis humorẽ uentrem infestantem. Manifesta autem erit cognitio & scientia causę, quã habes suspectã: frigidis enim pharmacis cibisq; ac potibus statim adiutum hominem uidebis, si quidem calida dispositio extiterit. Si uero frigida, calidis cibis & pharmacis iuuabitur, à frigidis uero lædetur: cæterum & sitis ad calidam affectionem concomitatur: siti autem ferè in totum carent, qui frigidam intemperiẽ habent, nisi salsa sit pituita. Atqui ex diligenti uomitus inspectione eiusmodi quoq; cognoscũtur affectiones. Si enim intemperie quadam uenter afficitur, assumptos cibos ad intemperiei naturam permutat, ut appareant uomitu redditi cibi, citra alicuius humoris complexũ, in nidorẽ aut acorem permutationem suscepisse. Si uero humor quispiam uitiosus amplitudini uentris innatet, & cibũ corrumpat, ipsi cibi manifeste eiusmodi humore madefacti apparent, & in illius naturam permutati. Quum uero cibi amplitudini uẽtris innatent, humorẽ ipsum affligentem producunt, qui ubi infartus, aut imbibitus, ut dictum est, in uentris tuniculis fuerit, si quidem calidus sit, siticulosos facit, & ciborum inappetentiam inducit: si uero frigidus sit, ciborum appetentiam excitat, & sitim extinguit. Nauseę autẽ utrisq; accedũt, & inanes uomendi irritationes, quæ lancinant tantum, & nullũ humorem educunt. Prædictum autem & antea est, quòd si tenues humores & uenenosi existant, quos etiam Græci ἰχῶρας, hoc est, serosos appellant, per profundum solidorum uentris corpusculorum procedũt, & uelut aqua in spongia imbibuntur. Si uero tenaces sint, circa internam uentris superficiem uisci modo adhærent. Serosi itaq; humores, utpote tenuium partium existentes, non solum ante cibos, sed & post acceptum cibum, uomitum inducunt, perpetuo nimirum motu uersati. Qui uero superficiei uentris infarti adhęrent, ante cibum magis inanes uomitiones mouent. Diligenter itaq; cõsiderare oportet, num uentris tantum affectio hæc sit, aut alicuius alterius membri. Deinde qualis affectio existat, an calida, aut frigida, humidáue aut sicca. Et si quidem ex alia quadam parte, aut ex uniuerso corpore humores in uentrẽ confluant, priorem curã membri prius affecti habere oportet: ita tamẽ ut neq; uentrẽ ipsum negligamus. Qui enim primum affectam particulã curat, uelut fontem omnium in uentrem influxionũ excindit. Ventre autem solo affecto, dispositionis in ipso qualitate cognita medebimur. Calidã itaq; intemperiem semper refrigerare oportet, in quocunq; tandem membro existat, frigidam autem calefacere: eodemq; modo humidã desiccare, & siccã humectare. Innatãtes autẽ amplitudini uentris humores euacuare, siue per uomitum, siue infernè per aluum cõmodius id fiat. Qui uero in tuniculis uentris infartus adheret, aut imbibitus est uitiosus humor, per repurgantia ipsumq; incidentia ac euacuantia pharmaca est curandus. Intemperaturæ enim in humoribus consistentes pharmacis humores euacuantibus opus habent. Qui uero absq; uitiato humore, ab intemperie sola quacunq; tandẽ, maximè tamẽ calida & sicca infestantur, in tabẽ omnino perueniũt, pharmaco euacuãte purgati, etiã si exhibitũ pharmacũ imbecillius existat: quale est ex aloë picrũ appellatũ. Quo modo igitur unãquaq; intẽperiẽ, siue simplicẽ, siue mixtã curare oporteat, iam pręddictũ est in quarto huius tractationis Sermone: dicetur tamẽ oportunè & hic de eadẽ re, sed paucis. *De intẽperie frigida.* His itaq; qui ex frigida intemperie afficiũtur, pharmacũ ex tribus piperis generibus commodum existit, aut quod ex calamintha cõstat, aut aliud quoddã cõsimile, ex uino tenui aut aqua potatũ. Forinsecus aũt stomacho mastichẽ chiã, unguẽto nardino dilutã & tritã, purpureaq; exceptã lana imponito. Vinum uero exhibẽdũ est rufum, subadstringens & uetustius, & consimiles etiã cibi. *De intẽperatura calida.* His uero qui à calida intẽperatura afficiuntur cũ mediocriter adstringentibus & refrigerantibus forinsecus stomacho ac uẽtri adhibitis, medeberis, ita ut quãto magis calor excellat, eo amplius refrigerantia adaugeas. Cibũ autẽ exhibebis halicã ex uino albo & tenui, & subadstringẽte: ex uolucribus, macras & nõ fœtidas, ac quæ his cõsimiles existũt. Si autẽ humor tenuis biliosus aut serosus in uẽtris amplitudine cõtineatur, tenuissimo ptisanę succo exhibito uomere cogimus, digitis aut pinnis immisis. Aut aloës dra. I. cum aqua tritam potandam damus: calidorum enim in uentre humorum optimum pharmacum est aloë, & in una sæpe die stomachicos sanet: si uero pituitosi aut uiscosi & crassi humores amplitudini uẽtris innatent, aceto mulso utendum est, in quo ex incidentibus.

cidētibus, ac repurgantibus, mediocriterq́ calefaciētibus quędam sunt decocta: his uero quibus uitiosus humor intrinsecus circa superficiē uētris infartus adhęret, ut ęgrè auelli posit, ex aloē picra appellata cōpositio utilis existit, quæ uiscosum humorem repurgare cōsueuit, crassumq́ extenuare, per uires eorum quæ cū aloē sunt cōmixta: quòd si serosa humiditas tuniculis uentris sit imbibita, quæ ut prędictum est, non solum ante cibum, sed post acceptum etiam uomitus mouet, primum Amazonū pastillus cōuenienter exhibetur, qui picræ est subscriptus. Mediocriter enim per hunc uomitibus prohibitis, deinde ex aloē picra appellata utimur. Cuius compositio hæc est: Aloēs drach. c. xylobalsami, masticheṣ, croci, spicæ nardi, asari, cinamomi, cuiusq́ drac. VI. cōtere & repone arida, & exhibe perfecto pondere scrupulorū XII. ex aquæ frigidæ aut calidæ cyathis XII. Andromachus ad prædicta etiam floris iunci odorati drac. VI. adijcit: & aloēn lotā conijcere iubet. Verū quod cognoscere operęprecium est, ad uētris subductionē illota aloē conuenientior existit: quæ enim lota est, multū à medicamentaria facultate deponit: quā cōfidentius etiā exhibere quis posit, eis qui nō ualde febricitāt, & quibus firmitatē uentri addere uolumus. Quare scire oportet ex uitiatis humoribus affectiones circa stomachū & uentrē, per pharmaca ex aloē utiliter subduci & euacuari posse: quæ in maximam perniciē perueniunt per adstringentiū eduliorū, potionū, ac pharmacorū exhibitionē. Asclepiades autē picrā eodem quo Themison modo apparare iubet. Habet autem hoc modo: Aloēs dra. c. masticheṣ, croci, spicæ nardi, asari, cinamomi, cuiusq́ un. I. & pro xylobalsamo carpobalsami unc. I. cōtundito ac per angustisimū cribrum excutito, siccumq́ ne in aërē transpiret adseruato, & drac. I. tantū ex frigida præbeto, nisi menses ciere uelis, nam tum præstat præbere ex uino. Educit mēstrua fœminarū: facit & ad uuluæ affectiones: propriè autē ad stomachi subuersiones: conducit hepaticis, affectionibus renum atq́ omnino admirandā potentiā habet. Ad refrigeratos autem & qui pituitā crassam & uiscosam in uentre habent, subiectū pharmacum cōmodum existit. Calefacit enim & extenuat ac dissecat crasitiem, uiscositatemq́ repurgat. Habet autē hoc modo: Corticis radicis fœniculi uiridis sexuncē, aceti sesquisextariū, aloēs quadrantem. Cortex cum aceto ad tertias decoquitur: deinde percolato aceto mellis attici unc. XV. adijcimus, & ad mellis crasitudinē coquēdo redigimus, & cōtritæ in mortario aloē paulatim hoc ipsum acetū mulsum coctū affundimus: postea uero simul unita tollimus, ac utimur. Datur ad summum mensura cochleariorū trium. Alia cōpositio quæ dulcis appellatur. Aloēs septuncē, iridis sextantē, masticheṣ sesquunciam, nardi celticę unciā unā, piperis drachmas quatuor, myrrhę dra. IIII. aceti chœnices septē, cyathos septē, mellis libras tres, sextarium unū, corticis radicū fœniculi libras tres. Corticē fœniculi in aceto præmaceratum ad tertias decoque & percola, residuoq́ aceto mel adijce, ac rursus decoque usquequo probè cogatur, deinde sicca in mortario simul ammisce, & cochleariū unū exhibe. Cōducit frigidioribus temperaturis, & aluū pituitosiorē mediocriter soluit, & caput leuius reddit. Amazonum pastillus. Facit ad uoluulosas stomachi subuersiones. Voluulosas autem fortes stomachi subuersiones appello, quemadmodū enim in uoluulis uomitus cum uehementi cōtentione fiunt, & stercora reuomunt: ita etiam alios uomitus cōcitatos uoluulosos appellare possumus. Consequuntur autem huiusmodi uomitus, ubi magna molestia affectis membris à serosis medicatisq́ ac uenenosis humoribus est illata: & si aliquo modo imbecillior fuerit uēter, geminatur malū ex mordacitate. Quapropter ita instruenda curatio est, ut simul odoras qualitates affectis membris offeramus: quales sunt aromatum quorundam & seminum in ciborum usum uenientiū: uelut est anisum, & apiū, & similia. Quemadmodū enim graueolentia omnia stomachū subuertere consueuerunt: sic odora corroborant, maximè quæ nobis sunt familiaria, & in cibo accipiuntur. In quibus itaq́ cōiectamus serosos humores in uentris tuniculas imbibitos esse, his hoc pharmacū magis conueniet. Quibus uero circa superficiem uētris tunicularum infarti adhærent, eis picra utilius exhibetur. Quod si exhibitā picrā reuomant, coniectare oportet mixtā esse affectionē, & tū tuniculis imbibitos, tum superficiei infartos humores, in uentre abundare: quare utile fuerit pastillum præbibendum exhibere, ut mediocriter uomitū prohibeat: deinde autē pharmaco picro uti. Est autem pastilli cōpositio hęc: Seminis apij drachmas VI. anisi drachmas VI. comæ absinthij dra. IIII. myrrhæ drach. II. piperis drac. II. opij drac. II. castorij drac. II. cinamomi drach. VI. in pastillos redigito, & ad summum drach. I. exhibeto. Ego uero, inquit Galenus, præscriptum pharmacū citra myrrhæ admixtionē apparare cōsueui, ob medicamētariā eius uim, piperis pro eo conijciens dra. II. ita ut in uniuersum piperis drach. IIII. accipiatur. Datur stomachicis ex uini diluti cyathis III. Cholericis autē siue bilem effundentibus ex aqua frigida. His autem qui cibum reuomūt, si quidem siticulosi fuerint, & caloris sensus eos circa os uentris infestet, & sanitatis tempore frigidam bibere sint adsueti, similiter ex frigida præbe: si uero non ita habeat, ex calida. Cœliacis, & ad intestinorum tormina ex decocto myrti, splenicis cū aceti mulsi cyathis tribus.

Asclepiadæ pastillus inexuperabilis, aster appellatus. Pharmacū quod prosperè accōmodatur, dolorē leuans, somnum inducens, multæ omnino utilitatis: etenim morbos circa stomachum mirabiliter sanat, acidos ructus & difficilem concoctionē aufert, intestinorum tormina, & uoluulos, inflationesq́ curat. Prodest hic pastillus ad capitis dolores potatus, & aceto dilutus forinsecus frōti illitus. Ad dolores aurium facit perdicij succo liquefactus: facit & ad dentiū dolorem tritus & galbano exceptus, aut fici succo, & cauernę inditus. Ad oculorū affectiones & fluxionū impresiōes passo diluitur, & lana ex eo irrigata imponitur. In tonsillarum affectionibus tepefactus ac dilutus ex aqua mulsa præbetur gargarissandus. Vtilis est ad omnē sanguinis fluxū uino myrtite dissolutus. Ad destillationē inueteratasq́ & recentes tussis affectiōes, uino scybelite aut thereo eliquatus. Prodest suppuratis, & phthisicis marrubij decocto liquefactus, prodest dysentericis, cholericis, & sanguinē reiectantibus, sanguinariæ succo dilutus prodest ad omnium reptiliū plagas ex rutę decocto potatus. Soluit per circuitum repetentes febriles ac-

cessiones, si duabus horis ante aduentantem febrem ex uini diluti cyathis III. exhibeatur. Fœminarum menses ciet artemisiæ succo dilutus ac potatus, facit & ad uesicę affectiones uino mulso solutus, quomodo & ad uuluæ strangulationes prodest potatus, facit ad articulorum dolores & podagram gentianæ decocto dissolutus ac potatus. Compositio autem eius hoc modo habet: Castorei, opij, myrrhæ, cuiusq; drac. IIII. spicæ nardi, casiæ, terræ lemniæ, corticis mandragoræ, cuiusq; drac. IIII. croci drach. VI. dauci, styracis, anisi, seseleos, seminis hyoscyami, cuiusq; dra. VIII. myrrham, styracem & opium in uino odorato dissolue: reliqua autem contusa & cribrata insperge, ac simul unita in pastillos redige, ciceris magnitudinem æquantes, quibus in umbra desiccatis utere. Et de pharmacis quidem quæ in potũ sumuntur hactenus. Decubitus autẽ sursum uergens in omnibus quomodocunq; nauseantibus & uomẽtibus adornetur, in conuenienti & affectioni contraria domo. Quæ frigida quidem sit, affectione existẽte calida. Contrà uero calida, ubi frigida affectio existat. Extremæ corporis partes fricentur, manibusq; calefactis palpentur, quin & uiolentius adstringantur, deinde pedes & manus in aquam solito calidiorem demittantur. Odoramẽta autem admoueantur naribus olfacienda boni odoris: uelut rosæ, mala cotonea, pulegium, menta, malabathrum, spica nardi. Caput uero fomento olei dulcis frequentius irrigetur: in calidioribus uero ex rosaceo. Stomachus absinthij cremore irrigetur, rosaceo in calidioribus ammixto: nardino autẽ in frigidioribus, apio insuper, aut cumino, aut petroselino adiũcto. Ex quibus si nullũ cõmodum sentiatur, ad cataplasmata ex palmis transeundum, quæ paulo pòst dicentur. Conueniunt etiã ea quæ aloẽn, absinthium, & mala cotonea accipiunt, & aliquãdo quoq; alumen. Idem præstant & cerata ex his apparata. Si uero inflammatio circa præcordia existat, communia cataplasmata adhibeatur. His qui stomacho exuruntur, frigida etiã aqua quàm plurimum decocta, deinde rursus refrigerata absorbẽda præbeatur, ita ut cyathi unius mẽsura, aut duorũ, aut etiam trium, paulatim tamẽ absorbeatur. Colluta etiã & in ore retenta, nauseas tollit, his quibus propter obstaculũ aliquod potus eius negatur. Eodem modo assumitur posca diluta. Portulaca etiã cõmanducata, & ossa myxarum, & cucumeris semẽ cochlearij mensura mirabiliter prodest. Porrò affectione diutius permanente, & cibis præ morbo non retentis, cucurbita ad os uentris cũ plurima flamma affigatur, donec locus rubefiat, atque ipsa adhuc affixa cibus præbeatur. Ad quotidianas autem nauseas, & acescentem cibum, ac uomitus, coriandri semen tenuissimè tritum, cochlearij mẽsura, ueluti farinã aquæ inspersum bibendum prębe, aut mastiches cochleare ex frigida aqua, aut lactucæ albæ semẽ cochlearij mensura ex aqua, præbe his qui stomacho exuruntur.

Cataplasmata & epithemata ad nauseas & uomitus. Cap. XI.

Cataplasmata ad eos qui cibum non retinent, quos ueteres propriè stomachicos appellauerunt. Farina fœni græci, & maluæ semen aridum tritum, melli commisceatur. Si uero præ duritie contundi non posit, maluæ semen, ipsum decoctum & tritum modico oleo adiecto in malagmatis formam reducito, & utitor. Aliud. Lolij & irionis farinam subige cum melle, & pro oleo liquidam picem ammisce. Ceratum autem conuenit ex olei irini fece, ceraq; ac modico castorio. Aliud ceratum. Ceræ quadrantẽ, olei irini sexuncẽ, galbani unc. I. opopanacis dra. IIII. castorij dra. IIII. Opopanax aceto teritur. Manifestũ est autẽ talia in frigidis dispositionibus adhiberi. Cæterũ epithemata hæc ad prædictas affectiones per experientiam, ut Galenus inquit, conducunt: nõ modo eorum qui ea descripserunt, uerum nostro quoq; iudicio comprobata. Asclepiadæ epithema ad stomachi subuersiones & choleras, siue bilis effusiones. Oenanthes, croci, florum rosarum, sertulæ cãpanæ, mastiches, singulorum drach. VIII. cum passis palmis subige, modico rosaceo affuso, & uestis detritæ panniculo excipe, stomachoq;, ac uetri impone. Aliud. Oenanthes, omphacij, florum rosarum, mastiches, singulorum drach. IIII. aloës, aluminis scissi, utriusq; drac. IIII. uini dulcis myrtei quod satis est. Trita excipe palmis passis, & utere. Aliud epithema, ad stomachi imbecillitatẽ, & dolorem, & ad eos qui cibum retinere non possunt. Palmarũ passarum sex uncẽ, œnanthes unc. I. thuris unc. I. mastiches unc. I. ceræ lib. I. unguẽti nardini aromatis inspissati libr. II. uini quantũ sufficit. Palmas in uino ueteri maceratas optimè cõtere: deinde mastichen & thus unum quodq; per se optimè tritum adijce, ac rursus simul tere. Liquefactæ autem cum unguento nardino ceræ œnanthen tenuissimè tritã insperge, simulq; unita & refrigerata ad reliqua in mortariũ conijce, & probè remollitis utere. Aliud epithema, ad stomachi subuersiones, & circa ipsum uexationes, facit & ad particulares inflãmationes. Oenanthes bessem, croci, rosarũ siccarum, sertulæ campanę, mastiches, ramentorũ electri, sin. dra. IIII. carnis phœnicobalanorũ quadrantẽ, uini myrtitis quantum sufficit. Arida cõtunde & per angustissimum cribrũ excute, & uino myrtito diluta ad cerati crassitudinem redige: deinde palmarum carnem adijce, simulq; contunde, & cerato ex oleo rosaceo apparato excipe. Pòst uero linteolo infartum ad os uentris impone. Prodest etiam oculorum inflammationi.

De cholera seu bilis effusione. Cap. XII.

Cholera appellatur quum ob multas cruditates uomitus biliosus & nidorosus & acidus oboritur, ad plures horas continuè perseuerans, & uenter infernè eadem excernit, sequiturq; sitis, & exudatio, & impeditus pulsus, musculorũq; manuum ac pedum, maximè uero surarum contractio & tensio. Si quis igitur mox in principio, aut coaceruatim, ea quæ efferuntur cohibere aggrediatur, is maioris mali autor erit: inutilia enim quum sint, euacuatione opus habẽt, quare conuenit si nõ sponte ferantur, oportunè iritare, aqua tepida exhibita, ac ęgro uomere iusso: aqua enim mulsa mordacitatẽ operatur, torsionesq; auget: aqua uero oleo mixta, auget fluxiones. quare aqua tepida potata uomant, quotiescunq; quidẽ cibis nimiũ fuerint expleti, prius quàm illi corrumpantur. Adiuuare etiam oportet per sedem excretionẽ: alũ enim uelut uenenũ insidens, & uentrem ac intestina rodit, & humores ex uniuerso corpore ad trahit. Per uomitus itaq; oportunã prouocationẽ, uomitus ipse soluitur & cessat. Quũ uero humorũ

excretio

excretio quieuerit: colliquamenti autē & tabefactionis signa in excremētis ipsis appareant, ueluti si sint rasuræ similia, strigmentitiaq; & mucosa, & gracilitas per ambitum corporis fiat, & maximè si uenter considat & adstringatur, pulsusq; imminuatur ac præter modum condensetur, tunc sanè uentrem cooperire & fouere oportet, membraq; & artus ac musculosos similiter locos, oleo multo calido impinguare, & uinculis adstringere extremas corporis partes. cataplasma quoq; uentri imponendū ex palmis & œnanthe, quibus hypocisthis, & acacia, & rhus ruber, & malicoriū sint ammixta. In potu uero frigida aqua cyathi mēsura præbeatur absorbenda: cauendū tamen ne nimiū frigida existat. Aceruatim enim exhibita reuomitur: & quæ ualde frigida est, aliquando innatum calorē stupore suo extremè offendit, aut inflāmationem stomachi aut uisceris alicuius efficit. Inspergantur autem aliquādo aquæ sorbendæ pampini uitis, aut mali punici succus modicus instilletur. Si uero & hoc reuomat, crassa etiam sorbitio ipsa faciēda est, per micarū intritionem, & per cochleare exhibenda. Etenim si aceruatim deuoretur, aut reuomitur, aut infrà detrahitur. Annitendū est etiam ut priore sorbitione uomitu reiecta, rursus altera exhibeatur: dandus itē mali punici succus cū mentæ succo absorbendus, micis minutissimè tritis adiectis. Sit autē acidi mali punici succus, & multa quantitate mentæ succum excedat. Quòd si acriora sint ea quæ excernuntur, cucumeris semen maceratū, desquamatū & tritum ex aquæ cyathis III. præbeatur: datur etiā utiliter cum amylo. Pòst uero somnus procurādus, & quies omni modo. At uero ubi intolerabilis effusio existat, & pulsus emolliatur, apprehendatq; frigiditas & exudatio, aliquādo etiā singultus, ad uinum transeundū est mediocriter adstringens, neq; uiribus ualidum, & quod dulce quidē sit, non autem odorū. Interant autē in ipsum micas, aut halicā iniiciant, si fieri possit, calidū, si uero non, frigidū: atq; ita paulatim & per interualla cochleare absorbeant. Sitim uero arcet polenta tenuis sine sale uino diluto inspersa & absorpta. Vini multitudo uitanda est, ac omni arte conandū ut ipsos sopiamus, ex rosis ac myrto domus pauimento cōstrato. Odoramenta quoq; naribus admoueantur, mala cotonea, & similia. Reliqua autem omnia eo modo adhibeātur, quo suprà in æstuātibus febribus est prædictum. Illitiones etiam soporiferæ circa frontē assumantur. Aluo autem adhuc egerente, amylum cum decoctione capitum papaueris per clysterem infundatur: simul enim & cohibet & refrigerat, & somnū inducit. Ad uomitus uero coërcendos cōmanducare cōuenit, succumq; deuorare, mespilorum, malorū cotoneorum, pyrorum crustuminorum, & uuæ, maxime quæ uinaceis interpositis seruatur, & pensilē quoq; unà cū uinaceis expedit manducare. Ad cōtractiones autem in musculis factas, uestis detritæ panniculi oleo calido madefacti conueniunt, contractis musculis impositi: & cerata humida aliquando castoriū accipientia, & ex sicyonio aut irino oleo facta. Quibusdā eorum etiam maxillares musculi dolent: quos quum lana operire non sit facile (est enim iniucundum, & sudor quoque inde elicitur) illitionibus leniter factis molliores reddere oportet. In cibo exhibendi sunt pedes suilli cocti, pulli columbini & gallinarum, perdices, palumbi, turdi, & consimiles his existentes. Asclepiades autem cholericis eiusmodi electum planè remedium describit, inutilibus tamē omnibus prius sufficiēter euacuatis. Baccarū myrti nigrarum exacinatarū Italicum sextarium unum, florū rosarum tantundē, carnis palmarū numero uiginti, aquæ potabilis sextarios sex. decoque ad tertias, & expressum ac percolatū liquorē rursus per se decoque, donec ad sextarium unū redigatur: cui deinde passi myrtitæ sextarium unum affunde, rursusq; decoque donec ad mellis crassitudinem cogatur, & utere. Datur ante & post cibum cochlearij mensura. Vtere etiam ad hos potionibus & epithematibus ad stomachi subuersiones præscriptis.

De stomachi adstrictione. *Cap.* XIII.

Oboritur aliquibus post cibum acceptum, circa cōcoctionis & digestionis tempus, stomachi adstrictio itemq; alui. æstuat autē uniuersum corpus, maxime uero manuum ac pedum extremitates: & facies ipsa rubescit: pulsus autē in densitatem permutatur. Hos multi etiam febricitare existimant. Nocumentū autem omne circa digerendi alimenti difficultatem cōtingit: consistit enim ut plurimum in aridis & condensatam habentibus carnem, spiritu circa uias concluso & coarctato: utpote qui per uapores ab alimēto prodeūtes inspissatur, & ob id quod non effletur immodicè concalescit. Curantur autem hi in principio quidem constrictione & colligatione extremarum corporis partium, fricationeq; brachiorū, cruriumq; ac coxarum: sæpe etiam extremitatum compressione, ita ut præcipiamus ipsis ut desideant, & decubitus quoque formā erectiorem faciant. Quosdā & lectica gestare expedit, donec alimentū omnino subductum digeratur. Ante augmenti tempus diligentiore totius corporis curatione utēdum est, studio adhibito ut carnem mollem & humectam reddamus. Vtilis itaque eis tunc ex oleo inunctio existit parum nitri habens admixtum. Inclinante autē morbo & uigore præterito, aquæ infusio ad manus pedesq; lauandos commoda est, quo tempore aliquando & calidæ plurimum potum non improbo: nos enim remittente morbo, & paulo longioribus existentibus interuallis, plurimos ante cibum lauimus, & uehementer iuuimus. Perfectiore autem declinatione apparente, etiam uinum exhibendum est, quo tota affectio corrigatur. Cibi autem sint facile digestibiles, & quibus cōcoquendis corpus sufficit: quos diuidere etiam conuenit, maxime si bis cibum sumere sint adsueti. Quod si in uisceris inflammatione, adstrictionis stomachi accessio contingat, illam ipsam prius curatione aggredi ac demoliri oportet, per fomentorum & cataplasmatum adhibitionem. Cæterum hæc ipsa adstrictionis stomachi accessio frequentius in eis apparet, qui hepar præter naturā dispositum habent.

De humoribus à capite in uentrem destillantibus, ex Galeno. *Cap.* XIIII.

Capite ex intemperie affecto ut multa generat superuacanea recremēta, omnibus subiectis organis inde nocumentū infertur, recrementis uidelicet ad ipsa delatis, & promptissima quidē ad os & ad nares delatio existit: deferuntur autē & ad thoracē, aliquibus etiā ad aures. Delationē autem ad os, stomachus excipit atq; aspera arteria. De aliorū sanè mēbrorum nocumento

mento, iam prædictũ est. Quũ uero ad stomachũ fluxus deferatur, & frigidus existat, ad frigidã intẽperiem corpora perducit, calidus cõtrà in calidam: hic exulcerat quoq; tẽporis progressu: in principio uero appetitui nocet & cõcoctioni. Si igitur frigidus fuerit defluxus, tardas cõcoctiones & cruditates efficit: si uero corruptus, in corruptionẽ adiget cibos: unde nidorosæ, aut fœtidæ, aut acidæ eructationes producẽtur, aut etiã alterius cuiusdam quæ nominari non potest, aut etiã nomẽ habentis qualitatis. Vbi uero altius descẽderit nocumentũ, etiam intestinum ieiunũ afficit, & ad colum usq; pertingit, atq; ad uenarũ mesenterij uasa, per quę ad hepar ipsum alimẽti distributio contingit. Et quibusdam quidem deiectio appetitionis accedit: aliquibus uero appetitiones rerum præter naturã, quas appellãt caninas, aut etiã ciborũ uitiosorum cõcupiscẽtiæ. Optimũ itaq; est in his uelut fontẽ malorum excindere: capitis uidelicet sanitati prospiciendo: aut si hoc impossibile sit facere, ob uehemẽtiam naturalis intẽperiei: omnino tamẽ eius saluti consulere oportet: indicatiõe ex figura eius accepta, quomodo ei subueniri possit: non eñ quẽadmodũ aliqui medici, qui ad omnes diuturnas capitis affectiões semper ex thapsia & sinapi cataplasma imponunt, sic & te facere uolo. Lauacris itaq; multis calidis potabiliũ & dulciũ aquarum cõsolari eos oportet, discussis simul calidis in capite uaporibus, & omni tẽperamẽto melius permutato. Nociuus autem est eis usus aquarum natura sua calidarũ: quæcunq; eñ ex eis sulphurulentæ sunt, ac bituminosæ, ob caliditatẽ suã capitibus natura calidis aduersantur. Quę uero aluminosę, coarctatione sua caput offendũt. Solis itaq; dulcibus aquis citra læsionẽ uti poterint. Quicunq; uero ualde calidum ac perustũ habent caput, his melius est ut æstatis tempore ungantur optimo rosaceo, ex solis rosis ac oleo omphacino præparato. Aliquãdo uero caput euaporationes calidas ex uentre suscipiens, dolore ac intemperie afficitur. Et propterea uẽtris curã habere oportet, ipsiq; robur indere, ut biliosus humor aut omnino nõ cõfluat in ipsum, aut quàm celerrime euacuetur, atq; hoc per absinthij, & picræ ex aloë cõpositionis potũ. At uero quæ forinsecus adhibẽtur uẽtri in his ungẽta, moderate sint adstringẽtia. Tale autẽ est æstate melinũ, hyeme uero nardinũ. Aut mulierũ ungẽta quę foliata & spicata appellant. Nam & ipsa calefaciunt ac roborant uentrem. Vere aũt idoneum est mastichinũ. Quòd si non solũ caput calidos serosos humores ad uentris locos demittat, sed etiã ipse uenter propriã intẽperiem calidã habeat, refrigerãtibus edulijs ac potibus & illitionibus semper uti conuenit, ita ut plus aut minus permutatio saltẽ in his fiat. Similiter aũt etiã ubi ambæ partes, uenter uidelicet ac caput, frigidam habuerint intemperiem, calidis quidẽ edulijs ac potibus et illitionibus uti oportet, uerum uires ipsorum permutare, iuxta anni tẽpora temperamẽto ipsorũ aucto, aut remisso. Cæterũ grauis mixtura est, quũ aut in uentrẽ calidũ defluxerunt ex capite frigidi ac pituitosi humores, aut in frigidũ calidi. Intractabilior est aũt ea, in qua in calidũ uentrẽ pituitosi ac frigidi humores deferuntur. Pessima uero ubi cũ his etiã uenter supprimitur. Corrũpuntur eñ humores in uentre morã trahẽtes, ut & mordeãt ipsum, & uitiosos uapores ad caput remittãt. Etenim pituita in uentrẽ defluẽs calefacientibus ac attenuantibus opus habet. Os autẽ uentris ubi natura calidum fuerit, à calefacientibus. Quare conari oportet in his, ut pituitã in uentrẽ defluẽtem, per ea quę nõ ualde calfaciunt secemus. Quale est acetum mulsum simplex, cuius præparationem inter concoctoria referemus. Quũ uero pituitosus humor à capite in frigidũ natura uentrẽ defluxerit, huius affectionis medela facilis est, si mane simplex pharmacũ ex tribus piperis generibus cõstans sumatur. Sed & solum piper exactè tritum, aquæ ammixtum bibere licet. At uero absinthij potus ita affectus ualde aduersatur. Pituitosum eñ humorem ipsorum uentri infarcit. Sed neq; aloë sola per seipsam his prodest. Biliosi enim humoris attractoriam uim habet, non pituitosi. Et propterea bene inuenta est compositio picra appellata, quę propter aliorũ acrium ac calidorum ammixtionẽ crassos ac uiscosos humores secat. Verũ fieri nõ potest, ut quis hac assiduè utatur, quẽadmodũ ea quæ ex tribus piperis generibus constat, & similiter quę ex calamintha. Etenim si omni hora etiam his utatur, qui frigida uẽtris intemperie laborat, nullum amplius nocumentum experietur.

Diæta conueniens his qui stomachum ha bent dissolutum, aluum autem adstrictam. Cap. XV.

Grauis & ægre tractabilis cõplexus huiusmodi corporis apparatus ac dispositio existit, in quo dissolutũ, & nauseabũdũ est os uentris, quod stomachi quoq; appellatione uenit: aluus uero est adstricta: quæcũq; enim ipsam ad egerendum impellunt, ea omnia stomachũ subuertũt, utq; & in eo cibi innatent, & nauseabundus sit efficiunt, ad quæ necessario consequitur, cibum quoq; non probe concoqui. Si uero rursus ea quæ stomacho grata sunt edulia eis exhibueris, ad tres aut quatuor dies aluus inde adstringitur. His igitur in tempore dięta cõstituẽda est, ac in principio quidem exhibenda sunt olera ex oleo & garo condita, & alia quæ uentrem emollire consueuerũt. Postquàm uero sufficiens nutrimentum ingesserint, ad extremum aliquid eorum quæ stomachũ corroborant, accipiant: uelut sunt poma et pyra, & aliqua mali punici genera, quæ citra acorem adstringunt. ipse autem homo affectus, omnibus his partim experimento cognitis, quodcunq; tandem minime nociuum & iucũdissimum repererit, eo deinde utatur: neq; tamen multum ex singulis horũ generibus acceptandum est, sed quantũ imbecillitati stomachi curandæ suffecerit. Facile enim solubilis aluus ita adfectis fit, quando, ut dictum est, à cæteris cibis aliquid eorum quæ stomachũ adstringunt comederint. His enim os stomachi corroboratum, ea quæ uentri innatant, deorsum propellit.

De stomachi inflammatione. Cap. XVI.

Os uentris quemadmodum & ipsum hepar, eorum quæ adstringũt complexu semper quidem opus habent, multò maxime uero ubi fuerint inflammata. Si enim per laxantẽ diętam ac ductũ, citra eorũ quę corroborant admixtionem curentur, periculum uitæ incurrunt. Medici namque qui laxante dięta in eis utuntur, uelut est oleum dulce per se, animi deliquij ipsis autores existunt: neque enim ullum noui stomachicum aut hepaticum, qui in eiusmodi medicum inciderit, seruatum. Oportet itaq; siue oleũ sit,

quo inflammationem patientes fouentur, siue cataplasma ipsis imponatur: semper aliquid ex adstringentibus amiscere: uelut est unguentum nardinum, aut melinum, aut ipsum malum cotoneum in oleo decoquere, mastiche simul ammixta. Ceratum autem quo asidue in stomachi inflãmatione utor, hoc est. Ceræ tyrrhenicæ unciam unam, unguẽti nardini tantundem, uel quantũ sufficit, aloẽs dra. I. mastiches dra. I. Quòd si maiori adstrictione indigeant, tãta nimirũ imbecillitate & dissolutione existente, ut neq; cibos cõtinere posint, omphacij succi sicci dra. I. aut succi absinthij tantundem est ammiscendũ: aliquando etiã ambos addere oportet, & tertiũ quod ipsis conuenit, hypocisthidis succus existit, & œnanthes, & rhois rubri succus, iuxta eam quæ adest uidelicet dispositionẽ. Cerati autem amplitudinem augere oportet iuxta proportionẽ & mensuram reliquorum pharmacorũ: ueluti si quatuor drachmæ aliarũ rerum congregentur, cerati nardini uncias quatuor esse conuenit, duas quidẽ ceræ, duas reliquas unguẽti nardini. Quòd si durius adhuc pharmacũ ipsum appareat, apponendum est unguenti nardini quantum omnino satis erit. Aliud ceratum. Ceræ trientem, rosacei unci. X. gallarum, aluminis scisi, aloẽs, florũ rosarum, mastiches, singulorum drac. I. Vtere in his qui uehementi adstrictione opus habent. Cataplasmata autem inflammatis conuenientia, fiunt ex hordeo & semine lini, melleq; & unguento nardino, modicoq; uino, adiecta mastiche & absinthij coma. Ad diuturnas autẽ inflammationes & iam induratas, magis uaria pharmaca adhibere oportet: quæ & emolliẽtium generis & discussoriorum existunt: ueluti est quod fit ex sertula campana, seu meliloto. Compositio autem eius multorum modorum est, propterea quòd omnibus iuxta præcordia inflãmatis cõducat: magnaq; differẽtia eius sub alia atq; alia forma apparati existat: alius enim apparatus circa stomachũ inflammationibus, alius inflãmato hepati, aut spleni utilior extat. Epithema stomachi, quod Philagrius composuit, & frequenter apparatur. Ceræ quadrantem, œnanthes unc. I. aloẽs sextãtem, mastiches sextantem, ammoniaci thymiamatis, bdellij, cuiusq; unciam I. adipis anserini trientem, styracis unc. I. œsypi bessem, olei rosacei libras II. uini quantũ sufficit. Stomachicũ contusum, Andreæ Comitis. Cypheos, styracis, terebinthinæ, cuiusq; quadrantẽ, bdellij, aloẽs, mastiches, cardamomi, cuiusq; sextantem, comę absinthij unciam I. propolis triẽtem, ammoniaci thymiamatis sexuncem, ceræ unc. X. contunde & utere. Ceratum emolliens & relaxans ad induratas inflãmationes. Olei sestarium I. aquę cyathũ I. adipis suilli recentis sexuncẽ, ceræ trientẽ, chamęmeli quadrantẽ, scillę quadrantẽ, anchusę sesquiũciã. Epithema ex meliloto, Oribasij. meliloti bessem, ammoniaci thymiamatos quadrantẽ, bdellij quadrãtem, myrobalanorum sextantem, œnanthes sextantem, cardamomi unc. I. croci, cyperi, iridis, myrrhæ, zingiberis, aloẽs, amomi, spicę celticę, casiæ, cuiusq; unc. I. ceræ librã I. terebinthinæ unc. XVI. melini, aut nardini aut rosacei lib. I. Aliquãdo & succi balsami sextantem, thuris unc. I. Arida contusa & cribrata cũ modico uino in pila conterito: reliqua uero in uino diluito, & liquefactis quæ liquescere possunt, affusisq;, omnia simul unito ac utitor. Aliud ex meliloto, ad omnẽ præcordiorum induratam inflãmationẽ, & ad colicos ac dysentericos, quod & in Alexãdria apparare cõsueuerunt, quo uti soleo, hoc est: Meliloti, cyperorum, myrrhæ, nardi celticę, cuiusq; unc. I. croci drach. VIII. cardamomi drachm. VIII. cypheos drach. XVI. ammoniaci thymiamatis drach. XL. terebinthinæ drac. LXXX. ceræ drachmas CLX. olei cyprini drachmas CXX. uini quantum sufficit. Epithema ex mastiche. Terebinthinæ dodrantẽ, ceræ unc. XVIII. mastiches dodrantem, adipis taurini dodrantem, mellis lib. II. rosacei lib. II. Epithema aliud, ad induratas stomachi inflãmationes, & ad omnem duriciẽ, ac diuturnam in ipso affectionem: in senibus præsertim & qui uergentis sunt ætatis, experimento clarum. Colophoniæ pellucidæ sextãtẽ, ceræ puræ unc. I. mastiches puræ unc. I. olei cõmunis cocleare unũ tantum. Omnia depurata in ollam coniecta super carbones liquefacito, asiduè agitando, donec exploratũ habueris quod in frigidã aquã destillata in pastilli modum emollire ac cogere posis. Vtere, non cõtempta ipsius utilitate. Epithema stomachicum ualde celebre, ad stomachi inflãmationes & duricias, itemq; debilitatẽ. Micarũ siligincarũ quadrãtẽ, carnis palmarũ pinguium unc. I. meliloti unc. I. comæ absinthij drachm. IIII. mastiches unc. I. aloẽs drach. IIII. adipis anserini recentis sextantem, ceræ quincuncẽ, olei amari præ immaturitate acerbi sexuncẽ, stiracis unc. I. pilularũ chamæmeli unciã I. palmas, melilotum, chamæmela, ad uesperã in sapam maceranda conijcito, & sequẽti die lento igni decoquito, exprimito & percolato, atq; in decocto micas maceratas rursus percoquito ac conterito: styracem uero per se cũ pauco oleo liquefacito, atq; ita solutum micis tritis ammisceto, & ceratũ affundito: pòst uero liquefactis quę liquefieri possunt, aridisq; inspersis simul omnia in mortariũ diffundito, ac subactis & simul unitis utitor. Ante pharmaci impositionẽ stomachum ex oleo et modico uino irrigato, in quibus absinthiũ sit decoctũ. Emplastrũ ex micis emolliẽs, relaxans, ac diffundẽs: facit ad inflãmationes in quocũq; tandẽ loco induratas, emolliẽs, & discutiẽs, ac firmitatẽ addẽs. Radicis althęę lib. II. phœnicobalanorum lib. II. fœni græci lib. I. seminis lini lib. I. chamæmelorũ, melilotorũ, singu. sexuncẽ, uini ueteris odorati adstringentis sextarios octo, spumæ argenti, cerusæ, colophoniæ, cuiusq; libr. II. ceræ lib. I. terebinthinæ lib. I. olei ueteris libr. II. aquæ lib. II. panis siliginei aridi cõtusi & cribrati libr. V. Herbæ uino præmaceratæ, deinde decoctæ exuccãtur, in succo uero panis contusus & cribratus maceratur. Sequẽti deinde die spuma argenti & cerusa in aqua terũtur, & adiecto eis oleo, donec nõ amplius manus inquinent, decoquuntur, eisq; liquefacta inijciuntur: atq; ab igne ablatis, fermentata panis farina emollita paulatim ammiscetur, asiduè tamẽ omnibus cum spatula agitatis: & pòst in mortarium cõiectis, ibiq; primum pistillo, pòst etiam manibus fortiter emollitis utitor. Epithema Nilei, ad induratas tum stomachi, tum hepatis inflammationes. Ceræ libr. I. croci drachm. quatuor. ammoniaci thymiamatis sextantem, rosacei aut nardini libr. I. Crocum & ammoniacum aceto trita diluito: ceratum autem liquefactum & refrigeratum eis affundito, ac counitis utitor.

De stomacho exulcerato. Cap. XVII.

Vlcere in stomacho aut uẽtre existente, omniũ acrium rerum comestione abstinere oportet: succo aũt ptisanæ, aut halicæ uti modico ammixto melle, quo per ipsum ulcera repurgentur & extergantur. In cibis enim exhibere oportet, aliquando quidẽ ea quę ulcera repurgant, aliquando autẽ & quæ dolores mitigant, & mordacitatem obtundunt. Post repurgationem uero quæ carne explent, deinde quæ ad cicatricẽ perducunt: uelut sunt ea quæ adstringunt. Forinsecus autem epithemata his cõueniunt ex palmis & malis cotoneis, ac polenta. Ceratum uero imponendũ ex melino aut rosaceo, ammoniaco thymiamate, & thure ammixto. Epithema autẽ eis conuenit Nilei. Et tempore inductionis cicatricis emplastrum ex salicibus, & quod Iceseum appellatur.

De his qui à stomacho, comitialis morbi modo conuelluntur. Cap. XVIII.

Quidam homines ubi diutius ieiuni permãserint, præsertim cum tristitia interim affecti, aut ira concitati, aut curis anxie torti fuerint, comitialis morbi accessione compræhenduntur, & concidunt cõuulsi. Plures autẽ eorũ qui hoc modo afficiuntur, gracilis habitus sunt, & asiduè bilis in stomacho ipsis efferuescit. His sanè stomachus subtiliore sensu præditus existens, & cerebrum per consensum affectũ, uniuersum corpus conuulsionis modo lancinat. Commune autem consilium omnibus hominibus medicinæ quidem ignaris, ratiocinatione aũt nõ inexercitatis subijciam, ne quẽadmodũ pleriq; è uulgo homines rationis expertiũ animaliũ more uiuãt, eorũq; modo se habeãt: uerũ per experiẽtiam iudicẽt, qui cibi ac potus eis noceãt: itẽ quales ac quãti officiant motus. Similiter aũt et circa rei uenereę usum obseruẽt, nũ innocuus eis existat, an cõtrà nociuus: multos ẽm noui, qui ex rei uenereæ usu maximũ periculũ incurrerunt. Oportet itaq; hos ipsos bonã & exquisitã cõcoctionẽ sibi ꝓuidere: & tertia aut quarta diei hora panẽ diligẽter apparatũ accipere: solũ quidẽ, si non siticulosi existãt: siti uero urgẽte, ex uino diluto mediocriter adstringente & albo. Hæc enim uentrem corroborãt, & caput nõ percellunt, quẽadmodũ fortia facere cõsueuerunt. Exhibere etiã eis oportet ex aloë pharmacum, bis aut ter in anno. A superfluis ẽm recremẽtis totum uentrem repurgat, & ad propria munia obeũda efficaciter corroborat. Vidi aũt & alios in ore uẽtris comitialis morbi modo cõuulsos, quum uehementi cruditate laborassent, aut uino multo meraciore se ingurgitassent, aut intempestiuius re uenerea fuissent usi. Quosdam etiam in febribus uidi repente conuulsos: qui bilioso uomitu succedente, e uestigio ab omnibus afflictionibus sunt liberati. Quidam autem ex ita affectis fusca uomuerunt: quidam uero porri succo consimilia: quidam à multitudine uitiosorum ciborum aggrauati, sensus ac motus priuati munere à sopore grauissimo sunt appręhẽsi ac detensi, quousq; ea quæ os uẽtris compresserãt, omnia euomuerunt. Multis uero, nõ insomnia modò, sed & somni perturbãtes, & deliria, ob uitiosum humorẽ in ore uentris congregatum, accesserunt. De inflatiuo autẽ & pręcordiali appellato morbo, nullus est qui non uerba fecerit, quo modo uidelicet tristes, et desperãtes, & mœsto adspectu reddat, & (ut uniuersum dicam) nulla re ab ijs qui atra bile afficiuntur differẽtes aut inferiores. Apparet autem & hos uehementius post cruditates pręditis accesionibus appræhendi: plerique autem ex ipsis splenetici sunt: quæ res facit ut æstimemus, & quendam ex splene confluere in uentrẽ uitiosum ac serosum humorem. Curatio uero his conuenit eadẽ quæ ad affectos ab atræ bilis delirijs est prædicta, in eo quo de capitis affectiõibus egimus Sermone. Itẽ ea quę paulò antè est descripta, de his quibus atra bile stomachus infestatur, & qui uentrem habent inflatum.

Viridis iaspidis usus, Galeni. Cap. XIX.

Viridis iaspis lapis stomacho, qui & os uentris appellatur, utilis existit pro amuleto appensus, cuius rei multum experimentum fecimus. Oportet autem filo innexos ex collo suspendere, eo modo ut lapides os uentris contingant.

De appetitus perditione. Cap. XX.

Ventrem natura promptuarium creauit, ueluti terrã plantis: dedit & indigẽtiæ sensum, cuius impetu animalia ad cibum ac potum concitata, ijs se expleant: & uocatur quidẽ eiusmodi expletionis desyderiũ, Appetitus. Contingit autem ob indigentiæ sensum, quum uenæ ex cibis in uentre ad se attrahunt, uelut emulgentes & exugẽtes: quam exuctionem quum uenter ferre non posit, sed inde ueluti diuellatur, huius angoris remedium cibum exquirit. Itaque exuctionis sensus, ipsa fames existit, & Appetitus appellatur, naturale opus, non animale existens. Huiusmodi autem appetitum euacuatio præcedit: & contingunt sanè quinque accesiones ordine mutuo sese ipsas consequentes: Quarum prima, Euacuatio est: secunda, Appetitus naturalis membrorum euacuatorum: deinde per uenas ex uentre Exuctio: post, Exuctionis sensus: et quinta, Appetitus animalis, qui omnium postremus existit. Itaq; appetitus perditio contingit, aut ob sensus exuctionis uenarum perditionem, aut quòd exuctio non fiat, aut quòd corpus non euacuetur. Contingit autem sæpe etiam ob immoderatam uentris & intestinorum fluxionem, & ob biliosi humoris in uẽtrem delationem, tenacisq; & acris, ac porri speciem habentis: & ob pharmaci potionẽ: & ob sanguinis immoderatam detractionem: & in continuis ac uehementibus febribus, stomachiq; & uentris inflammatione, item hepatis, uesicæ & uuluæ. Contingit etiam in colica & uoluulosa affectione. Maxima autem quòd quis non esuriat, causa caliditas existit, quę solida corpora laxãdo exoluit, & ad attractionem imbecilliora reddit: humida autem diffundit, atq; amplius extendit. A plurimis etiam alijs causis appetitus perditio cõtingit. Itaq; si iuxta principium morborum accesserit, aut iuxta uigorem, quum uires adhuc sustinere possunt, nihil molestiarum infert: modico enim alimẽto ægri opus habent. Si uero in declinatione totius morbi appetitus perditio accedat, aut in diuturna imbecillitate, aut uiribus debilitatis, aut ex immodica euacuatione, periculo nõ uacat. Augetur autẽ affectio hæc & ab ætate. Incõmode enim hoc malo pueri afficiuntur, utpote qui natura uoraces sunt, & asiduo fomite opus habent. Quare magnus præter naturam excessus significatur, si pueri appetitus perditione fuerint affecti. Siquidem igitur ex uitiatorum humorum præsentia, appetitus perditio contingat: antequam

antequam aliam curam adhibeamus, delatos in uentrem humores, uomitu reijciendos praeordinabimus. Quòd si ægre uomant, sorbitiones exhibere oportet, quæ eiusmodi humores infernè expellere cosueuerunt. Deinde per ea quæ ad hanc rem commoda sunt, corpora ad bonum perducemus temperamentum. Si uero ex uirium imbecillitate appetitus perditio accedat, consyderare oportet qualis intemperies uires exoluit: & per contraria eam ipsam corrigere. Si uero ob inflammationem, aut obturationem alicuius alterius membri, appetitus perditio concomitetur, tum & illius habere curam conuenit. Conandum est etiam ut per odoramenta appetitum reuocemus: per polentam uidelicet posca madefactam, aut uino odoro diluto, aut malorum cotoneorum decocto, aut pyrorum, aut cucumerũ uiridium maturorum cremore. Inunctione item leni & non nimium sedula idem conabimur, ac moderata corporis fricatione, atq; etiam pedũ ac manuũ palpatione ac cõtrectatione accuratiore. Insessus etiã lumbos ac pectinẽ amplectentes adhibendi sunt, & aquæ affusiones, ac gargarissationes: absorbitiones quoq; aquæ frigidę modicę & dulcis. Ab istis enim moliminibus sæpe ad accipiendos cibos profecerũt, quin & digitorum in os immissione stomachus lancinatus sæpe ad accipiendos cibos est conuersus, quare hoc ipsum tum ante curationem, tum post eã est faciendũ: euomuntur enim aliquando biliosa aut pituitosa quædam, quę perditi appetitus in quibusdã sunt causa, atq; ita ab hac accessione eos liberabis. Cibi apparentur plures & uarij ac optimo apparatu, & ultra dulcedinẽ etiã illicientes & appetitũ irritãtes: frumentacei in primis generis, ac multi alimẽti: uelut est halica ex decocto palmarũ, aut prunorũ damascenorũ lota, aut ex aqua mulsa diluta præparata, oua sorbilia, panis ex calida aqua lotus, aut si ita adsueti fuerint, frigida. Diuitibus autem, gallorũ testes exhibẽdi sunt, & ex uolucribus non graueolẽtes, & macræ ac montanæ: pedes suilli in decoctione plurimum eliquati. Eiusmodi enim cibos si gustauerint tantum, sufficiens alimentum deinde corpori offerendũ est. Omnia autem quę exhibentur, eiusmodi esse conuenit, ut facile deuorari posint: quæ enim multa commanducatione indigent, iniucunditatem quandam afferunt, & appetitum auertunt. In his uero qui iam prompti sunt, cupidiq; cibum accipiẽdi, cõiectare oportet ne sufficientem mensuram excedamus. Considerare etiam oportet, num ob naturalẽ infirmitatem, an consuetorum ciborum cupiditatẽ simulent appetitus perditionem: quod si ita contigerit, quantum in nobis est, grauiter obiurgatos admonebimus, ne utilibus negligant obtemperare. Quòd si non obtemperent, sed præ alimenti negligentia contabescant, uicissim contemnere ac negligere eos oportet, ac cibum parum deteriorem exhibere: postq; primos affectionis dies, cataplasma ex palmis, malis, œnanthe, absinthio, & aloë stomacho imponere: licebit & ceratis uti ex eadem materia apparatis.

De appetitu canino. Cap. XXI.

Contraria appetitus perditioni affectio est, quæ caninus appetitus appellatur: plures enim cibos appetiũt, atq; quũ appetitũ cohibere nequeant, in ingerendis nimijs cibis modũ excedũt: deinde multitudine eorũ aggrauati, & assumptos citra nocumẽtũ ferre nõ potẽtes, ad uomitum diuertunt: deinde rursus cibo se explentes, rursus ad uomitũ reuertuntur, quẽadmodũ canes: ex hoc autem aliquãdo & ad uomẽdi consuetudinem delabuntur. Sæpeq; etiã alijs affectionibus obnoxij fiunt, cœliacis uidelicet & dysentericis, atq; aquæ inter cutem: propterea quòd prius quàm priores cibi sint cõcocti, alios ingerant. Quòd si huius accessionis causa humor quispiam uitiatus & acidus existat, qui os uentris mordeat & irritet, appetitumq; excitet: frigidus enim humor uitiatus exuctioni consimilem mordacitatem infert, ciborumq; appetitionem exuscitat, & affectionis naturalis, quæ fames appellatur, modo corpora ipsa uacua reddit, tuniculis eorũ coactis & adstrictis: quapropter & egestiones multæ ex ipsorum uentribus procedũt, crudis existẽtibus nimirum cibis, aut semicoctis. Itaq; ubi cognouerimus ab humoribus pituitosis & acidis fieri hanc affectionem, qui in ipsum os uentris impacti, ac uelut aqua in spongiam imbibiti, cogantq; & iritent & ad appetitũ exuscitent, picrũ appellatum pharmacum conuenienter exhibebimus, quod non tantum calefacere potest, sed dissecare, ac repurgare, extrahereq; ex profundo oris uentris imbibitũ humorem, & per aluũ inferne euacuare: quin & robur uẽtri addit, ut ne facile nociuũ humorem susceptet. Exhibeatur autẽ põdere drachmarum quatuor ex uino cum aqua calida diluto: si uero puer hac affectione laboret, & ob amaritudinem bibere nequeat, si quidem posibile fuerit, in catapotia drac. duas huius pharmaci digeremus, melleq; forinsecus oblinentes deuoranda dabimus cũ ouis sorbilibus aut ptisanæ succo: quod si neq; sic tolerare queat, ea quę dissecare & repurgare calefacereq; possunt, in cibis annectemus: ueluti sunt allia, porri, thymus, satureia, origanum, pulegium, & quæ his similia existunt. Potum autẽ præbebimus ante cibũ multum ac aceruatim bibendum, calidum sanè aut certe tepidiorem. Sorbitiones item appetitum destruentes, ueluti sunt pultes cum melle multo & oleo plurimo, aut adipe anserino, gallinaceo aut suillo: ex oleribus cõuenit malua, cerebella item & pinguiores uolucriũ partes, pisciumq; eodẽ modo, & omnino quæ appetitũ auertunt, ac satietatem inducũt, & quę magno cumulo accepta, modicè alunt. Ammiscere etiã cõuenit panibus dũ fermẽtãtur acriora & urinã ciẽtia, similiter & uino quod in potu sumunt, uelut est cuminum, anisum, petroselinum, & quæ eius generis existunt: ad uinũ etiã piper & mel & spica nardi ultra ea quæ dicta sunt, conijciantur. Panis uero nõ sit recens, neq; ualde bene fermentatus. Vinũ uero quod bibunt, colore fuluum, substãtia tenue, odorumq;, & nõ ualde uetustũ. quod tũ ieiunis, tũ sumpto cibo plurimũ præbeatur, quantũ uidelicet bibere posint. Ventrẽ enim excalfacit, & humorum destruit acorẽ, ut sæpe solum suffecerit cum pinguibus & oleosis cibis ad perfectam curationem. Abstinere autẽ oportet ab omnibus acidis ac adstringẽtibus cibis ac potibus, maxime uero à fructibus. Bellaria eorum sint pistacia, amygdalę, nuces pineæ, colymbades etiã oliuæ exhibendæ ex melle. Conandũ est etiã, ut lac ipsis exhibeamus, tum per se, tũ cũ passo aut melle: ita tamen ut obseruemus ac uitemus in eis, quibus in stomacho acescere consueuit: in his

enim maius nocumentum quàm utilitas consequetur. Probe uero concoctum non solum appetitum obtūdit, sed & aluum obturatam emollit, fluxionesq́ eius sistit, apparandæ etiam ex ipsa lacte potiones & placentæ, ueluti sunt dulciaria & oryza. Viscera uero cataplasmate hordeaceę farinæ contegere utilissimum existit. Lauare autē per interualla oportet, cuticulamq́ ipsorum large pinguefacere.

De canino appetitu, qui ex immodica transpiratione, ac cutis exolutione contingit. Cap. XXII.

Est & alia canini appetitus species, quum uniuersum corpus rarius existens, & per obscuram respirationem exhaustum, præter modum in assidua alimenti indigentia cōstituitur. Cōtingit autē id, aut ex facultatis retentiuæ in toto corpore imbecillitate, quæ cibis dominari nō potest: aut ob plurimi caloris fortitudinē, qui instar ignis cibos consumit, & cutē rarefacit, ac exhalationē efficit. His sanè uētris egestiones lōge pauciores procedunt, quàm pro eorū quę ingerūtur modo ac proportione. Et stercora quæ egerūt, existunt sicciora. Itaq́ pharmacū ex aloē eis infensissimū existit, item extenuatorij generis & discindentes tum potiones, tū cibi. Cutem enim magis rarefaciunt, exhalationē mouēt, ac appetitū augent. Quare eorū qui hoc modo affecti sunt, cutē cōdensare ac spissiorē reddere melius est, cū oleo quopiā ex immaturis oliuis expresso, in quo myrtus, aut rosæ, aut eius generis quippiā ad lentū ignem sint decocta, admixto etiā alumine scisso in aceto acerrimo prius trito, intantū ut ad strigmentitiam formam unguentū reduci possit. Abstineant autē à balneis calidis, consimiliq́ aëre, ac uini potu, & ab omnibus quæ tum intrinsecus calefacere possunt. Ducantur ad lauacra frigida, si quidem nihil id fieri prohibeat: utpote corporis gracilitas, aut membrum aliquod refrigeratum, thorax nimirum, aut aliud quoddam. Cibi eis exhibendi sunt stabiles, & ægre corruptibiles. Eius generis cochleæ existunt, & totum ostreorum quæ testis integuntur genus, si ex duarū aquarū reiterata decoctione apparētur: & polypi eodē modo. Carnes suillæ in uigore existentes: maxime uero uētres & uuluæ. Bubulæ quoque pinguiores, & omnia simpliciter pinguia, & quæ uentri innatant, tardeq́ concoquuntur, ac digeruntur. Ex ouis, ea quæ coquendo sunt indurata, aut sartagine fricta. Et similago absque melle ex pinguibus iusculis apparata, similiter & dulciarij panes, & oryza, & panes nō fermentati. Iuxta proportionem autem quantum accessio imminuitur, tantum ex crassi humoris cibis est detrahendum, & ex adstringentibus forinsecus admotis imminuendum. Aliquando enim sedata uehementis apetitus accessione, in aliud grauius malū transitio contingit: nimirum quum corpus ex crudis & crassis humoribus repletur.

De uitioso appetitu, ex Galeno. Cap. XXIII.

Vitiosas ciborum qualitates concupiscunt, qui in tuniculis uētris superfluum uitiosum recrementū imbibitū habēt: id autē maxime mulierculis uitioso humore repletis euenire solet, quum uterum ferunt, & uocatur hæc affectio pica. Concupiscunt autē in ea maxime quidē acida & acerba, aliquādo etiā acria, quandoq́ etiā terram, aut testas, aut extinctos carbones, aut alios quosdam absurdos cibos: atq́ hoc affectu plures ex ipsis infestantur usque ad secundū aut tertium mensem completum: in quarto uero quiescere incipit malum, partim quidē uitioso humore per uomitū euacuato, partim uero cōcocto & per tēpus consumpto, utpote quū mulier modico cibo usa sit, propter appetitus ab edulijs nutrientibus auersionē: quin & fœtus in utero auctus plurimū alimenti ad se trahit, adducto simul cū sanguine & uitiato humore. Porrò idē affectus uiros quoq́ infestat, quū & ipsis uitiatus humor quispiā ad os uētris fuerit delapsus. Cōueniēs autē eis remediū, Amazonū pastillus potatus existit: pòst uero etiā ex aloē cōfectio picra appellata. Euacuato autē plurimo uitioso humore, exhibēdus est eis mali punici dulcis succus, mēta sicca inspersa, aut aliud quippiam eius generis, quod est ad stomachi subuersiones ac nauseas præscriptū. Cōueniunt etiā muria cōditę oliuæ albæ, & quæ colymbades appellātur. Itē amygdalę amarę à ieiunis acceptæ, & antidoti ad letalia pharmaca aptæ. Quo modo uero à pica appellato morbo mulieres infestatas curare oporteat, in muliebrib9 remedijs dicetur.

De cruditate, Galeni. Cap. XXIIII.

Concoctio, est iuxta qualitatem permutatio, quæ nutrire potest. Contingit autem à uentre sibijpsi cibos assimilante: quapropter manifestum est, quód circa permutationem, offensæ concoctionis accessio continget. si itaq́ cibi in totum non permutentur, cruditas ea accessio appellatur, & est perditio & perfecta priuatio actionis: si uero permutentur quidem cibi, uerum non ut oportebat, uitiatam significat concoctionem, non autē ut antea eius priuationē: aut enim tardat, & nunquam propriā transmutationem suscipit, & difficilis cōcoctio appellatur: aut cibos omnino corrumpit, ac transmutat in alienam qualitatem. Atque hæ quidem concoctionis offensiones existūt. Causæ autem ipsarum sunt intemperies uentris, inflammationes, scirrhi, abscessus, & quæcunque eius generis existunt. Aliquando autem uentre nihil male affecto cibi crudi permanent, aut propter immoderatam ciborum ac potuum ingestionē, aut ob uitiosam ipsorum ciborum qualitatem, aut ex intempestiua, aut etiā inordinata sumptione, aut ob recrementum uitiosum, aut ob uigilias. Cæterum ex uitiosis ciborū qualitatibus, & recrementis quæ iuxta uentrem consistunt, cum corruptione cruditas oboritur: aliquando & ex inordinata sumptione, si quidē poma, aut mala punica, aut aliquid aliud tale primum comederint, deinde olera assumant ex oleo & garo, aut etiam alia quæ uentrem emollire consueuerunt. Intempestiuam autem acceptionem appello, si prius quàm prior probe subierit cibus, prādeat, aut etiam præter consuetam horam. Corruptiones autem fiunt, nidorosæ quidem in calidioribus & biliosioribus: acidæ uero in frigidioribus natura & magis pituitosis. Eodē modo & de excremētis quæ in uentre præexistunt iudicandum erit: quæcūq́ enim ex eis pituitosa & frigida sunt, acidas corruptiones efficiunt: quæ uerò calida & amara bile mixta, nidorosas. Ipse quoq́ uentriculus aliquo modo affectus, si quidē frigidus morbus existat, acidas permutationes facit, calidus uero nidorosas. Tardas autem cōcoctiones, cibi difficulter corruptibiles faciunt, & si ultrà quàm uires tolerant sumuntur, itemq́ uigiliæ. Quum uero citra corruptionē perfecta cruditas oboritur, ut quales accepti sunt cibi, tales permaneant iu

xta omnem

xta omnem suam qualitatem, ex hoc cognoscere da
tur uictum esse uentriculum, aut ab immoderata ci-
borum multitudine, aut per uehementem refrigera-
tionem insiti caloris. Vt nequis igitur in cruditatem
incidat, cautione in omnibus prædictis est utēdum,
ut neq; in multitudine, neq; in qualitate eorum quę
in cibo accipiūtur, neq; in acceptionis oportunitate,
neq; in ordine delinquat: & ut quæcunq; concoque
re ualeat, ea tantum ingerat, & non quæ appetitus
expostulat: mensuræ enim maxime omnium diligē
tem respectum habere oportet, appetitumq; refrenare,
& neq; plus quàm uires tolerant accipere, neq; quæ
natura difficulter concoquuntur, ueluti sunt carnes
natura duræ: natura autem dico, uelut carnes bubu-
læ, & consimiles: ætate uero, si mactata animalia se
niora existant. Cauendum est etiam à partibus car-
nium multi nutrimenti existentibus, & pinguibus
salisq; cōdimento seruatis, ac uetustis. Ex oleribus,
quæ igneæ sunt naturæ, ualdeq; frigida: item quę in
flationē pariūt, incōmoda existunt. Ex piscibus, qui
duras carnes habēt, et repositione arefacti. Abstineāt
quoq; à cibis corruptis & fœtidis ac graueolētibus.
Vitent fructus dulces aut flatus generantes & imma
turos: bellaria quæ difficulter cōcoquuntur & olea
ginosa, & quæ ægre diuidi possunt, uelut est sesa-
mum, quod commanducationem ob paruitatem
suam effugit. Non minus autem uitādi cibi peregri-
ni & inconsueti ac medicamentariam uim habentes,
quales frequenter placentis ac panibus immiscētur.
Iuxta tempus autē accipiendi cibi neq; impetuose,
neq; aceruatim, neq; solidis partibus aut absque cō-
manducatione eos ingerere oportet: neq; etiā potus
cibum interpellet: id enim unitionem ciborū impe-
dit, singulosq; uentri innatare facit. Ex condimentis
uero oxyporon quoddam, quod cito penetrat, assu-
mere nō incommodum neque iniucundum existit:
maxime uero huiuscemodi. Caroi drachmas XVI.
fœniculi drachmas sex, seminis apij drachmas octo,
ligustici drachmas octo, ammij drachmas octo, pi-
peris drachmas decem: aliqui autē & zingiberis dra
chm. tres, in frigidioribus temperaturis, omnia mel-
le excipiantur, & cū carnibus ac piscibus exhibean-
tur. Melius autem est cum cibo & piper maxime lō
gum exhibere, in his qui magis pituita abundant: uē
tosi enim flatus crassitudinem dissoluit: & quę circa
pręcordia consistunt, inferne ad aluum propellit. cō
coctionem etiam omnium maxime piper adiuuat,
quod si forte non adsit, albo utendum erit: quod si
neque hoc adsit, nigro. Vtēdum etiam alijs cōcoctio
nem iuuantibus pharmacis, quæ ad finem huius ca-
pitis sunt subiecta. Post acceptum cibum uexationes
inæquales ac conturbantes uitandę, item æstus & re
frigeratio: hæc enim concoctioni ciborum resistunt.
Adiuuant autem eandem fricatio pedum, calidius
cōtuberniū, & calefactio præcordiorū. Quòd si gra
uitas adsit circa uentrem, & ex ea molestia quædam
in uniuersum corpus diffundatur, expassa manu os
uentris apprehendendum est, aut puerulus carnosus
admouendus. Ex his enim sępe alimētum corruptio
ni proximum est conseruatum. Cæterum quum ru
ctus iniucundus proueniens manifeste corruptionē
factam indicat, citra cunctationem ad uomitū uenie
dum est, atq; aqua tepida ingesta, omnia corrupta ad
excretionem cogenda. si enim in uentre permanse-
rint, & torsionū, & dolorū, & grauitatis capitis cau
sa existunt: aliquando autem bilis superne ac infer-
ne effusionem, aut profluuium uentris, aut etiam fe-
bres inducunt. Quare eos qui difficili cōcoctione ap
pręhendi solent, longo ante tempore adsuefaciemus
ut facile uomāt: cōmodissimus enim in plurimis pe
riculis uomitus existit. Quòd si quis natura difficul
ter uomat, aut ob aliquam aliam incommoditatem
uomere impediatur, omni modo conandum est ut
cibus subeat, & ex præcordijs deducatur. Ad hęc ere
ctior decubitus apparetur, ut ea quæ capiti subijciū-
tur sublimius insternantur, & reclinatio ipsa in sini-
strū latus fiat: atq; si quis uigilijs infestetur, citra cor-
poris uexationē permaneat, eādemq; decubitus for-
mā obseruet: frequentes enim agitationes cibos per-
turbāt, intestinaq; inflata reddunt, flatus autē cibum
sursum uergere facit. Si uero quis ob nullā causam
male dispositus sit ad frigidæ potum, non inconue-
niēs erit cyathū unum aquæ frigidæ puræ absorbe-
re: corroboratus enim inde uenter celerrime quæ in
ipso hęrent extrudit, & ad subiectas partes demittit.
Sequenti deinde die in quiete æger asseruetur, frica-
tioneq; pedū utatur, & præcordiorū concalefactio-
ne, donec murmura & flatus circa intestinū rectum
eruperint, eructationesq; cum qualitate mansuetiori
recurrerint: & tunc sanè exurgere cōuenit, primūq;
aluus ea quæ corrupta sunt egerat: deinde ad deam-
bulationem moderatam æger procedat, atq; otium
agat, propter commotos uapores ex corruptione in
caput delatos. Post hęc autē ad quotidianas actiones
mens applicāda est citra perturbationem ac indigna
tionem: deinde rursus uēter cogendus est ad eorum
quæ reliqua sunt excretionem. postea quiescere iu-
bebimus, atq; aqua calidiore pedes perfundere ac
fouere: frigida uero pura facie proluta, in lecto qui-
escere omnibus conatibus somnum illiciendo. post
quē modica deambulatio, deinde balneum suscipia-
tur, quod calidius solito existat: cæterum refectis
prius uiribus lauetur, corporeq; nitro cōsperso exu
det, atq; hoc modo in calidius soliū descendat: dein-
de etiā in frigidū insiliens, largiore oleo uniuersum
corpus pinguefaciat. Cōmodissimum est etiā aqua
calida in balneo hausta uomere: uelut abluendo ea
quæ in stomacho desident biliosa aut pituitosa. ab-
sinthij quoq; prælibatio à balneo quod cōuenit fa-
cit, & aliena uentri adhærentia extergit. A lauacro ci
bum capere conuenit moderatū, & cui cōcoquendo
corpus sufficit. dabimus itaq; herinaceos marinos re
centes, aut cancros fluuiatiles, ita ut ab eorū acceptio
ne, maluam aut oua sorbilia, aut pisces in petrosis
aquis degentes adsumant, & ex uolucribus non gra
ueolentes & macras. A reliquis autē carnibus absti
neant, & à leguminibus ac cepis, salsamētisq;, & quę
eius generis existunt. A bellarijs item, & omnis ge-
neris placentis, & à fructibus dulcibus ac facile aces
centibus in uentre. his enim omnibus concoquendis
ęgre sufficit uēter, ampliusq; inflantis naturæ ea ipsa
existunt. Non solum autem qualitates eorum quæ
in cibo exhibentur permutatas esse conuenit: sed etiā
multitudinis adhibere modum. ea enim quæ facile
concoquuntur, his quæ non concoquuntur paria fi-
unt, si præter modum ingerantur. Deinde uero som
nus imperturbatus, & æqualis procuretur, illito uē
tre ex unguento nardino. Pharmacum concoctio

nem adiuuans, ex malis cotoneis, Galeni. Pharmacū ex malis cotoneis conueniens est apparando appetitui in his qui eum perdiderunt, conuenit & concoctioni, in his qui non probè concoquunt cibum, & ut summatim dicam, uentrem robustiorem reddit, eisq; qui debile habent hepar, utile existit. Manifestum autē esse arbitror, quòd ieiunis exhibere hoc oporteat, mystri mediocris mensura, quanquam nihil offendat, etiā si quis à cibo ipsum acceptet. Recte etiā exhibetur, si pranso atq; inde cœnare uolēti præsumendū detur. Oportunè uero duabus ante cibum horis datur. Apparatur autem hoc modo: Ex malis cotoneis maiora iucundioraq; & minus acerba, quę uidelicet struthia appellantur, eligito, expresiq; eorum succi sextarios Romanos duos accipito, ac mellis quàm optimi parē mensurā ammisceto: aceti uero sesquisextariū affundito, hisq; simul ad prunas ardentes moderatè decoctis ac despumatis, zingiberis quadrantem, piperis sextātem adijcito: atq; hoc modo rursus ad ardentes prunas, donec ad mellis crassitudinem perueniant, decoquito. Quòd si magis adstringens ipsum facere uelis, etiam ex carne malorū cotoneorū appara. His uero qui intemperie uentris calida afficiuntur, & qui quomodocunq; tādem bile sunt referti, magis cōuenit, zingibere & pipere detractis, succū malorum cum aceto ac melle solo decoctum præscripta cōmensuratione exhibere. Quando uero mediæ temperaturę fuerit uenter, ut neq; biliosa neq; pituitosa in eo aggregentur recrementa, dimidium prædictæ cōmensurationis tum piperis, tū zingiberis radicis inijcere expediet, ita ut piperis quidē uncia I. zingiberis uero sesquiuncia conijciatur. Si uero frigidioris temperamenti fuerit uenter, zingiberis triēs, piperis quadrās, aut unc. II. s. ammisceatur. Licebit etiam iuxta mediam cōmensurationē apparare, atq; ubi opus fuerit usus tempore reliquum adijcere. Pharmacū concoctionē adiuuans, Diospoliticū appellatum. Conuenientior autē diospolitici pharmaci usus erit, in his præsertim qui assiduè inflātur. Duplex autem compositio eius existit: aliquando quidem æqualibus omnium partibus cōiectis, cumini uidelicet & piperis rutæq; & nitri: hoc enim modo magis aluū subducit. Aliquādo autem reliqua singula inter se pari pondere miscentur: nitri uero dimidium aut quarta pars adijcitur. Præstat cuminum cōiectum æthiopicū esse, piper autem longum aut album. Cuminū in acerrimo aceto maceretur, deinde moderatè torreatur. Sint & rutæ folia pręarefacta. Recentia enim superfluo humore abundant. His autē omnibus tenuissimè tritis, mel despumatum sufficienti mensura ammiscetur. Aliquādo tamen sola hęc citra mellis admixtionem trita & exiccata, repositaq; adseruantur, ac ptisanæ succo inspergruntur, aut alijs etiam cibarijs, quibuscunq; tandem maximè conuenire uidentur. Ammiscetur etiā ipsum mel usus tempore, exhibeturq; inde cochlearij mediocris mensura ante cibum. Porrò peregrinationis tempore pręstat ipsum pharmacum aceto subactum in pastillos redigere, atque usu expetente similiter cum melle exhibere. Crasso autem modo cōtundere oportet ea quæ ad huiusmodi pharmacorū compositionem conijciuntur, ea gratia, ut ita uenter melius inde subducatur: tenuissimè enim trita & in puluerē redacta, ad emolliendam aluum inepta reduntur. Cæterum urinam nō modicam cient. Crassiora uero iuxta uentrem persistunt, quum angusta uenarū ora penetrare non posint. Pharmacū ex tribus piperis generibus, Galeni. Hoc autem modo dispositis, frigidum uidelicet & pituitosum habitum nactis ac inflatis, ex tribus piperis generibus pharmacum conueniens existit, si quidem nō nimis medicato ac uario modo apparetur, quemadmodū multi id cōficere solent: ut satis operosum sit eis, qui hoc accipiunt, ea quę ad eius compositionem ingrediuntur concoquere, uelut est ammium, & seseli, & ligusticum, & quæ eius generis existunt. Talia itaq; ex pharmaco hoc sunt adimenda, ampliusq; & helenium, spicaq; nardi, & cassia. In promptu autem duplicem eis apparatum habere conuenit, quemadmodum nos sumus consueti. Alterum quidem simplicem, his qui nō concoquunt cōuenientē, & qui recēti circa uentrem frigore, aut pituitoso humore adfligūtur. Alterum medicamentarium, quo maximè in defluxionibus à capite ad thoracē utimur. Simplex igitur quo etiā ad crudos humores, circa primas & magnas uenas cōsistentes utimur, hoc modo habet. Ad quinquaginta drachmas uniuscuiusque triū piperis specierum, sufficit ammiscere anisi, cacuminū thymi, & zingiberis, singulorum drachmas octo, atque hoc sanè simplicius existit pharmacum: quanquam adhuc simplicius apparari posit, si citra zingiberis admixtionem paretur. Alterum autem ex ijsdem cōstat: uerum ad quinquaginta uniuscuiusq; trium piperis specierum drachmas, singulorum ex his tribus, aniso uidelicet, cacuminibus, thymi, & zingibere drachmas XVI. conijcimus. Pharmacum ex calamintha oxyporon, hoc est, citò penetrans, quod polyetes, id est, annosum, appellatur. Prædictorum quidem igitur pharmacorum caliditas circa primas uenas extinguitur, minime per uniuersum corpus se diffundens: quemadmodum id quod ex calamintha constat, solet, & ei similia. Neque enim uolumus ea quæ cum cibo cōcoctionis gratia exhibemus, in uniuersum corpus diffundi, sed tantū concoctionē ciborum in uentre adiuuare, itemq; humorum crudorum in primis ac magnis uenis contentorū. Quare quemadmodū in Diospolitico pharmaco dictū est, nō nimis in puluerē redigere oportet ea quę ad concoctionē solam ad iuuandā apparantur. Hoc uero pharmacū in uniuersum corpus usq; ad cutem ipsam digeritur ac distribuitur: quare ijs ipsum exhibere cōuenit, quibus crudorum humorū multitudo in solidis animalis partibus consistit. In talibus enim, omnium quæ ego noui optimum, id quod ex calamintha constat, existit. Attenuat enim crassa & uiscosa: discutitq; ea similiter, urinamq; & mēses ciet. Compositio autem eius talis est. Calaminthę montanæ, seminis petroselini, pulegij, seselis, cuiusq; dra. XII. seminis apij, cacuminum thymi, sing. drach. IIII. ligustici drach. XVI. piperis drach. XLVIII. mellis despumati quātum sufficerit. Aliqui & zingiberis unciam unam adijciunt. Iucundissimū autem est quod plurimum mellis ammixtum habet. His uero qui dulcia auersantur, & à mellis usu abhorrent, parū in compositione ammisceatur. Quidam tamen mellis libras IIII. & dimidiā ammiscēt. Potest & absq; melle siccum adseruari, eodemq; ut reliqua modo salibus cōmisceri, edulijsq; ac liqua

ac liquamentis inspergi. A cibo uero nunquã, neq; hoc, neq; aliud quoddam pharmacum, quod uehementem penetrationem facit, accipiatur: distribuitur enim ac digeritur simul cum ipso aliquid crudorũ ciborum, & obturationem operatur. Vsus eius conuenit post matutinam fricationẽ, duabus ante exercitiũ balneumq; horis. Aceti mulsi apparatus ac usus, Galeni. Pituitosis in uentre humoribus etiã acetum mulsum conuenit, quod hoc modo apparare oportet, Melle optimo ad prunas decocto ac despumato, dimidia eius mensura acetum affunditur, atq; ita rursus ad prunas decoquitur, quo ipsorum qualitates optimè permisceantur, & ne appareat gustantibus aceti acor. Ad eos uero qui aceti multitudinẽ auersantur, hoc modo apparato. Aceti pars una accipiatur, despumati mellis duæ, & aquæ partes quatuor. Quod si fortius facere uelis, tantum aceti, quantum mellis conijcies, & absque aqua apparabis. Præstat autem iuxta sensum eorum qui accepturi sunt, mixturę congruentẽ modum iudicare, nõ uero secundum quod nostri sensus perceptant. Quod enim naturę accipientis familiarisimũ est, id iucundisimũ existit, & ob id etiã utile & accõmodatum. Nocentisimũ autem cõtrà est, quod minimè iucundũ. Cæterũ usus tẽpore aqua calida mixtũ, uelut uinum exhibendum est, prout ægro iucundius uisum fuerit. Pharmacũ ex malo citrio, tardè concoquentibus cõmodum. Carnis mali citrij lib. I. hyssopi, rutę, origani, cuiusq; fasciculũ exiguum, aceti heminas III. per quinque dies ac noctes aceto macerata ad tertias decoquito, & expressa reijcito: ad acetum uero mellis sextarium I. ammisceto, rursumq; ad mellis crassitudinẽ decoquito, deinde asari, mei, piperis, cuiusq; sextãtẽ inspergito. Mane & uespere exhibetur. Pharmacum ex uino scybellite, Archigenis. Vini scybellite sextarios IIII. succi rutæ sextariũ I. sisonis, piperis, cuiusq; unc. I. zingiberis sextantem, petroselini unc. I. mellis sextarium I. Liquida ad compagem crassam decoquito, aridaq; inspergito, ac cochleariũ unum aut alterũ exhibeto. Efficax est ad tardas concoctiones, ac inflationes, itemq; colicos. Vinum autem scybelites est, quod sua sponte ex passis uuis destillat, utpote uinum ultro effundentibus uuis. Sales Iamblichi. Salis ammoniaci libram unam, salis cappadocici sexuncem, piperis quadrantem, zingiberis quadrantẽ, seminis cnici scrupulos XVIII. seminis crucæ scrupulos XVI. ammij scrupulos XVIII. hyssopi scrupulos XVIII. silphij scrupulum I. cacuminum thymi, phylli, seminis apij, petroselini, cuiusq; scrupulos XVIII. origani unc. I. Cõtundito ac cribrato, indeq; dimidium cochlearium, cum ouis sorbilibus, aut cum ptisana ieiunis exhibeto, potes & cum carnium aut piscium liquamento exhibere, aut quomodocumque tandem uelis. Huius medicamenti auxiliarem facultatem nemo pro dignitate laudare potest. Quare ut breuiter dicam, ad frigidiores temperaturas non reperias aliud pharmacũ, quod conuenientius crudos humores concoquat: unde & colicis prodest, uentrem citra molestiam mediocriter mouens.

Sales Poletis, aluum emollientes, pituitam à capite dissoluentes, per palatum transpirantes, reliquasq; distentiones attenuantes. Salis torrefacti splendidissimi drachmas CXLIIII. floris chamæmeli aridi & cõtusi trientem, conyzæ tenuis trientem, calaminthæ montanæ trientem, radicis eryngij montani, origani, cuiusq; trientem, silphij trientem, piperis trientẽ. Contusis & cribratis utere. Sal dodecatheos, hoc est duodecumanus, seu duodenarius. Hyssopi trientem, pulegij quadrantem, cumini sextantem, ammij unc. I. salis torrefacti uncias triginta. Cõtundito & cribrato, proq; quotidiano sale, utcũq; placet, utitor. Qui enim eo assiduè utitur, nullis morbis per omne uitæ tempus infestatur. Pręcipuè tamen caput alleuat, & uisum acuit, pituitamq; in thorace congregari non sinit: concoctionem bonam operatur, & mesaraicas maximè uenas ab obturatiõe liberat, & renes repurgat. Quidam & origani sextantem adijciunt. Ego uero semper spicæ nardi unc. I. annecto. In hyeme amplius piperis unciam I. addo. Ad eos quibus alimentum in uentre acescit, utiliter hoc remedium adhibetur. Piperis drach. IIII. seminis anethi drach. I. cumini drac. IIII. contere, ac exhibe cochleariũ ante somnũ ex uino diluto. Embamma optimum ad intinctus, concoctionem adiuuans. Cumini, piperis, foliorum rutæ, mentæ uiridis, anethi uiridis, cuiusq; drach. IIII. pulegij sesquidrachmam, salis unc. I. gari albi cochleare I. mellis cochlearium I. Vtere, ualde enim cõmodum existit. Posca, cõcoctioni ualde commoda, Cyrilli Archiepiscopi. Pulegij, seminis fœniculi, seminis apij, cuiusque scrupulos sex, caroi sesquiscrupulum, seminis coriandri sesquiscrupulum, baccam lauri unã, cyperi, folij malabathri, costi, cuiusq; scrup. I. salis sexuncem, aceti sextarium I. Sicca contundito & cribrato, acetoq; ammixta ad paucas horas macerato, ac utitor.

De crapula, Philumeni. *Cap.* XXV.

Cruditates ex uino multo obortas, crapulas appellamus, easq; consimili methodo tractamus, quali ad difficultatem concoctionis præscripta uti solemus. Itaq; his qui ad frigidæ potum adsueuerunt, aliasq; stomachum habent æstuosum ac exustum: aquæ frigidæ puræ cyathi duo aut tres per interualla ad absorbendum exhibendi sunt pòst uero per somnum meridianum turbationibus depulsis, confestim eos in balneũ inducemus, prolixioreq; exudatione procurata, ab aquæ tepidæ haustu ipsos uomitũ facere cogemus, aut digitorum tantum immisione eundẽ lacessemus. Deinde prædictos cibos exhibebimus, dilutiore ac pauciore addito potu, donec caput à grauitate liberetur. Statim uero à principio caput ex olei omphacini fomento irrigetur. Sequenti autem die bonæ concoctioni consulatur. Optimum autem fuerit, si quis uinum absinthites ad plures dies à balneo præbibat, itemq; post matutinas deambulationes. Prodest & acetum scillinum absorbere I. mystri mensura: deinde in quiete breui sanè tempore degere, atq; ita ad reliqua facienda procedere, quemadmodum in capite De cruditate est prædictum.

Quæ cura aluo adstrictæ adhibẽda, Galeni. *Cap.* XXVI.

Recrementorum iuxta uentrem retentio, aut propter acceptos cibos ac potus contingit, aut propter uentrem ac intestina. Et propter cibos quidem, aut ob ciborum ac potuum acceptorum tum qualitatem, tũ quantitatem, aut propter ordinem, & utendi modũ contingit. Ob qualitatem quidem, si acerba & austera ac sicca temperatura & commixtione cõstent ea quæ accipiuntur. Ob quantitatem uero, si plura aut pauciora & citra conuenientem exhibeantur mensuram.

suram. Circa ordinem autem retentio excrementorũ contingit, si arida & acerba prius, humẽtia uero pinguiaq́ & dulcia postea ingerantur. Circa modũ uero utendi, si bis cibum accipere cõueniat, & semel omnem assumat. Quæ uero circa uentrem ac intestina consistit recrementorum retentionis causa, ea & ex natura ipsorum, & ob acquisititiã contingit dispositionem. Causæ itaq; circa naturam ipsorũ, sunt uitiosæ corporũ constitutiones. Octo autem existũt uentris acquisititiæ intemperaturæ. Quatuor quidẽ simplices, caliditas, frigiditas, humiditas, siccitas: reliquæ quatuor commixtæ, caliditas simul cum humiditate, caliditas cum siccitate, frigiditas mixta humiditate, frigiditas mixta siccitate. Oportet autem unamquanq; intemperiem in eam magnitudinem excedere, ut euidenter excretiuã facultatem imbecilliorem reddat, aut in uẽtre solo, aut in gracilibus intestinis, aut etiam crassis, aut simul in omnibus prædictis, quemadmodũ in uoluulis fieri consueuit. Ad hæc amplius & in febribus aliquando aluus adstringitur, ob acrimoniã uidelicet resiccantibus & consumentibus humores: aliquando autem materia ad alios locos diuersa, perq; illos ipsos exclusa. Sudoribus enim multis per cutẽ exclusis aluus coarctatur, & stomacho ex fluxione affecto stercus cohiberi cõtingit: propter inflammationẽ item intestino recto uicinã, ipsumq; deprimentem, uelut est uesicæ, aut uuluę, & propter ulcerationẽ aut dolorem circa eas partes obortã, excremẽta recurrunt. In his uero qui à morbo uires recolligunt, uenter cohibetur, propterea quòd plurima digestio ciborum in corpus fiat, & ob id exiguum & aridũ, & quod difficulter excerni potest, stercus relinquitur. Ad hæc etiã uenter adstringitur ob flauæ bilis cohibitionẽ, quæ ad intestina delabi consueuit: ea ipsa enim in animali, quod secundũ naturã habet, confluens intestina mordet & irritat, & ad excretionẽ excitat recrementorũ. Quapropter etiã semper cibo uacuum ieiunum intestinũ reperitur, in quod procedit meatus, q ex bilis susceptrice uesica bilẽ ad intestina deducit, atq; ob has sanè causas uenter adstringitur. Commune autem in omnibus præceptum est, ut causæ noxam inferenti contrariã curationem opponamus. Propriũ uero ut secundum singulas causas cuiq; quotidie cõtraria remedia exhibeamus. Et si quidem ex pauciorum ciborum acceptione homo aluum habeat adstrictam, plures simulq; humidiores ei offerantur: si uero siccioribus sit usus, humidiores quidẽ dentur, non autẽ multi. Si uero austeri & acerbi cibi retentionis fuerint causę, dulces & pingues exhibeantur. Si uero ob permutatum ordinem adstrictio fiat, in eum qui conuenit, reducatur. Si uero semel cibum accipiẽdo, quum bis id facere oportuerit, uenter cohibeatur: non solũ bis, sed & sæpius conuenientes cibi dentur. Eodem etiam modo recentes intemperaturæ per cõtraria curentur: ita ut exiccata corpora humectemus, humecta uero resiccemus, & calefacta quidem refrigeremus, refrigerata uero calefaciamus, atq; in coniugatis siue mixtis qualitatibus eadẽ iuxta proportionẽ faciamus. Cohibita autem quæ ad intestina defluere consueuit bile, aut ob crassitudinem, aut ob biliosorum meatuũ obturationem, extenuatoria diæta utẽdum est. Similiter autem omni conatu instare & reniti oportet, ad reliquas alui adstrictæ causas tollendas, atq; uiscerum quidem inflammationem soluemus, ubi per ipsam cohibitio contingat, materias uero ad intestina conuersas deducemus, si quidem aliò proreptent: qua autẽ medicinali materia id fieri possit, in simplicium pharmacorum Sermone est prędictum in principio huius tractationis, atq; in eo qui hunc sequitur, De purgantibus pharmacis inscripto. Communis autem omnis quomodocunq; euenerit, adstrictiõis alui curatio talis est. Ex decubitus figuris erectior eis cõuenit, & ad sinistrum latus reclinatio. Et silẽtium quidem ac quies uentrem cohibẽt, motus autem & deambulatio impellunt. Paucus potus, & non præpotare, neq; inter medios cibos potum accipere, uentrem resiccant: præpotatio uero & multa potio stercora humectant. Somnus cõcoquit, & recrementa fluida facit: uigiliæ uero materias distrahunt, & suspensas tenent. Plurimum autem ciborum qualitates possunt, quare eas quæ uentri gratę sunt exhibere oportet, quanquã omnino melius fuerit absinthĳ succũ dare, aut ex aloë catapotia deuorãda. Quibus si nihil proficimus, durisq; adhuc stercoribus insidentibus, & lumbis aggrauatis, circuntensoq; & inflato uentre superiore, humectantibus immorari cibis absurdum. Sæpe enim lapidis modo recrementa indurantur, & in intestino recto cõdensantur, quare accepti cibi stomachũ quidẽ & uentrẽ humectant & effœminãt, ad intestinũ uero rectum peruenire non possunt: ut inde aliæ quædam molestiæ consequantur. Melius igitur in istis fuerit aluo prisanæ succum per clysterẽ infundere, ammixto oleo & melle, aut maluæ aut fœni græci uel furfurum decoctum similiter cũ oleo & melle: utendum etiam glãdibus ac illitionibus sedis. Alumen autem liquidũ melle tritũ donec indurescat decoquitur, ex eoq; sedes illinitur, & facilè quidẽ plurima stercora prolectat, quanquam inde aliquandiu dolore afficiantur. Optimè autem facit & cyclamini succus cũ melle illitus, & in tomento quoq; appositus. Mercurialis etiã uiridis contrita, & ad glandis modum redacta, exiccatur & supponitur, ualdeq; cõmoda existit. Alia glans, purgatoriã uim habens. Comæ absinthĳ contusæ ac cribratæ drach. IIII. nitri drach. IIII. elaterĳ drac. I. melle cocto excipito, glandesq; informato ac subindito: fomento tamen prius ad locum adhibito. De his autem absolutissimè in tertio huius tractationis Sermone est prædictum, ubi etiã pharmaca purgantia quæ circa umbilicũ illinuntur, descripsimus, eorumq; etiam quæ per os exhibentur ac uentrem emolliunt, tum simpliciũ, tum mixtorũ remediorũ mentionẽ fecimus, quare superfluũ existimo hic de eis producere sermonem. Absinthati emollientis utilis apparatus. Costi un. I. spicæ nardi scrupulos IIII. folĳ scrupulos IIII. mastiches scrupulos II. mellis sextarios duos, uini sextarios decem. Absinthatum bonum, emolliens, & dulce. Sisonos unciam unã, floris iunci odorati scrupulos VI. mastiches scrupulos duodecim, folĳ scrupulos II. spicæ nardi scrupulos duos, mellis sextarium unum, uini sextarios quinque. Absinthatum amarum pituitosis magis conueniens. Agarici, folĳ, amomi, spicæ nardi, casiæ, cuiusque scrupulos tres, costi scrupulos II. rosarum siccarũ scrupulos II. aloës scrupulos VII. mastiches scrupulos duodecim, mellis sextarium I. uini sextarios V. Aliud, atra bile abundantibus, & pituitosis

tuitosis similiter cõmodum. Folij scrupulos VI. spicæ nardi scrupulos sex, agarici scrupulos quatuor, epithymi scrupulos XII. mastiches scrupulos XII. aloës scrupulos quinque, mellis sextarium unum, uini sextarios V. Aliud optimum. Folij, spicæ nardi, casiæ, amomi, cuiusque scrupulos IIII. costi scrupulos IIII. agarici scrupulos IIII. mastiches scrupulos IX. aloës scrupulos XII. mellis sextarium I. uini sextarios quinque.

De inflatione, Galeni. *Cap.* XXVII.

Inflationis principium cibus male concoctus existit. Cõtingit autem flatuũ generatio in uẽtre, ex humorib. in ipso pituitosis, aut ex cibis in uapores per mediocrem caliditatem resolutis. Perfecta enim frigiditas nullum omnino uaporem efficit, propterea quòd neq; omnino attenuat, neq; consumit, neq; dissoluit etiã ipsum cibum: uehemens autẽ caliditas cibum attenuat, si flatuosa natura existat, & tunc sanè nebulosus flatus generatur, uerum paucus, adeò ut per unũ aut alterum ructum euacuetur. Mediocris uero caliditas minoris efficaciæ existens, cibos quidẽ dissoluit, non autem perfectè consumit: unde sanè flatus generatio contingit. Vna autem eademq; ratione quemadmodum extrinsecus frigidissimæ & aquilonares in hyeme constitutiones, & calidissimæ æstatis tempore consistentes, purum aërem reddũt: quæ uero inter has mediæ existunt, nebulas gignũt: sic eodem planè modo, in animalium corporibus, neque in extrema caloris debilitate, neque quum uehementer calor inualescit, sed quum inter hos excessus medio modo habet, flatuosum recrementum generatur, atque hoc ipsum ubi per stomachum excluditur, ructus operatur: per sedem uero aut strepentem, aut absque strepitu flatũ. Quum uero neque per os, neque per sedem excernitur, inflationem appellatam producit. Archigenis. Accedit affectis stomachi grauitas & distentio, multosq; fallit tanquã in ipsum solum dolor innitatur: etenim malũ ipsum aliquando quidem iuxta totum pectus, aliquando uero retro iuxta collum ac dorsum, atq; ipsa uertibula irruit: sæpe autem & utrinq; occupatos tenet: aliquando autem & tumorem circa os uentris efficit, ructusq; inanes fiunt modicè alleuantes, inhibitioq; flatuũ qui per aluum excerni cõsueuerunt. Succumbit autẽ & tumor ipse iuxta uentrẽ, ad manuũ impositiones sublaxus cedens. Quibusdã eorum & dolores accidunt, & appetitus perditiones, ac capitis dolor: si uero ante perfectam restitutionem cibum accipiant, amplius membra ipsa inflantur, & cũ dolore amplius distenduntur, qui sæpe ad claiculam usque defertur ipsasq; scapulas ac uniuersam spinã, ultra hoc quòd & ructus cohibentur: ut aliqui iam non disimile quiddã suffocationi se perpeti æstimarint. Leuantur autem alimento infernè subeunte, & flatibus siue per ructus, siue per intestina exclusis. Eos igitur qui nõ ita diu antè cibum sumpserũt, primum uomere præcipe: deinde uero fouere oportet cum lana in fasciculum conuoluta & leuiter calido oleo madesacta. Si uero dolor urgeat, fomentũ fiat per uesicam bubulam aqua & oleo calidis semiplenam. Glandes quoque confidenter & citra dilationẽ supponendæ sunt, ex rebus flatus prolectantibus informatæ, uelut est rutæ semen & cuminum æquali pondere cum melle cocto, ac modico nitro coacta. Inedia etiam affectioni necessaria existit, per unam quoque atq; alteram horam tempore iritationis, irrigationes ex oleo conueniunt, in quo absinthium, ruta, & anethum sint decocta. Lanæ uero conuolutæ cuminum tritum, aut apij semen, aut sisonis magis inspergatur. Deinde & cucurbitæ adsumantur inanes multæ, & cum multa etiam flamma admotæ. Perseuerante autem diutius affectione, cataplasmata ex semine lini, ordeaceaq; & loliacea farina imponãtur: ex cumino etiam trito, semineq; anethi, aut apij aut fœniculi, aut chamælæç, aut tragoriganι, aut centaureæ coma, aut eryngij semine, uel radice: ex hydromelite etiam & oleo, in quo ruta, baccæ lauri, & melanthium sint decocta. Ammiscendũ est & bitumen, oleumq; laurinum. Si uero inflãmatio unà cum inflatione adest, pro calefacientibus ea quę relaxant ammiscere oportet, uelut est anethum oleo incoctũ ammixto adipe gallinaceo aut anserino. Cibus uero frumẽtacei generis sit & paucus: post multum etiã assumpti cibi tempus, potus tandem prębeatur: à cibo fricationes extremarũ corporis partium adhibeãtur. Aluus uero tum per cibos, tũ per aloẽn subducatur. Cerata etiã imponãtur ex oleo apparata, in quo cucumeris syluestris radix sit incocta. Ad finem uero malagmatis utendum, quę ex seminibus aut lauri baccis constant. Marciani irrigatio siue fomẽtum, ad eos qui ex morbo circa septũ transuersum inflationẽ habent, & murmura circa interiora, aut quibus uiscera inflammata sunt, aut inflãtur. Rutæ uiridis trientẽ, fœni gręci sexuncẽ, meliloti trientem, absinthij trientẽ. fœnum græcũ in pauca aqua diem unũ præmacerato: deinde reliquis ei adiectis, atq; olei sextarijs III. affusis, ad non fumantẽ ignem decoquito, percolatoq; ac in eo lanam conuolutam quàm plurimũ madefacito. Si uero dolor intendatur, in solium ex oleo apparatũ eos imponemus, si tamen nihil id fieri præpediat, althææ itaque radicẽ, lauri folia, fœnum græcum, pulegium, rutã, in aqua decoquemus, & oleo ad decoctum affuso, eos inscendere faciemus: quod ubi feliciter processerit, cibum accipiant, panẽ ex aqua, & pisces teneras carnes habentes. Qui uero se iam recolligunt, diæta restituendis uiribus apta utantur: sinapismisq; & cucurbitulis cũ multa flamma post exercitia admotis, uomãt. Si uero fixa perseuerauerit accesio ipsa, tẽpore exacerbationis cataplasma ex sinapi imponendũ est, & paulo pòst aloës drachma una propinãda, aut smyrnij semen ex uino. Aristolochia autem longa siue rotunda drachmæ pondere potata flatum dissoluit, & tarde concoquentes iuuat: quod & calaminthæ decoctum, aut etiam polium decoctum cum melle modico & paucissimo pipere tenuissimè trito, facit. Ouillus autem talus ustus & potatus torminibus ac inflationibus medetur. Aut rhamni folia uiridia trita in pastillos redige, eosq; in umbra exiccatos drachmæ pondere exhibe: non febrientibus, cum uino diluto, febrientibus uero cum hydromelite. Facit & ad uoluulosas affectiones, omnesq; inflatiuos dolores miro modo: per ructus enim ac flatus infernè prodeuntes discusso & resoluto malo sani fiunt, inquit Dioscorides. Vtile etiam eis castorium ex posca bibitum existit, drachmæ pondere acceptum. Idem quoq; forinsecus cum oleo sicyonio impositum, eitam si cum torminibus

& inflationibus prędictę affectiones cõtigerint, eas sanat. Acetum uero scillinum tum ante, tum post cibum absorbeant, aut ante somnum. Apparatur autẽ simplicissimè hoc modo. Scillæ repurgatæ & dissolutæ libras V. aceti sextarios XLVIII. sub caniculæ ardoribus ad dies quadraginta insolato, ac utitor. Oxyporion etiam quod cito penetrat eis conueniẽs est huiuscemodi: foliorum rutæ drach. XXXII. cumini drach. XIII. ligustici, caroi, seminis apij, piperis, zingiberis, helenij, nitri, cuiusq; drachmas VIII. exhibe cochlearium quomodocunq; uelis congruenter. Exhiberi etiam potest ad noctem ex tribus piperis generibus pharmacum, erui magnitudine: robustioribus uero, Aegyptię fabæ. Aluo autem adstricta citra dilationem clyster infundendus: balneo uero ex interuallis utendum est tempore remissionis. Præfricent autem istis tum dorsum, tum stomachum, conspergantq; nitro assato: solijs etiam calidioribus utãtur, & à balneo cibus detur, minimè inflans, & post omnem cibum uinum meracius exhibendum. Cibus autem ipsorum diuidatur, ita ut in prandio tertiam, in cœna uero reliquas duas accipiant partes. Fructuum uero atq; olerum humidorum esum semper habeant suspectum. Multum autem potum tanquam infestissimum hostem deuitent.

De uolulo, Archigenis. Cap. XXVIII.

Voluulus, adfectio est intestinorum, letalem dolorem inferens, causa adfectionis, continua ciborum corruptio existit, præsertim si multi accipiantur, uarijq;, & ad quos non adsueuimus, & maximè ex pinguibus carnibus. Oboritur etiam ex plagis quibusdã, & frigore uehementi, & ex aceruata frigidæ potione, maximè si ab exudantibus accipiatur. Cõtingit & his quibus intestinum in scrotum unà cum stercore delapsum est: indeq; uiolẽter retrusum, ex eoq; inflammatum existit. Fit etiam ob ueneni potionem, & ob induratum stercus circa tenuia intestina impactum, in uno loco dolore innitente circa tenuia uidelicet intestina, ut admota manu durities tactui succũbat, quam adfectionem chordapsum ueteres uocarũt, hoc est, intestinorum emollitionem. Et multi sanè ex dolore statim intereunt. Alijs uero inflammatio suppuratur, rursumq; intestinum ipsum denigratum ac putrefactum excidit, eoq; modo deficiunt. Familiaris autem hæc adfectio ætati puerili est, euadunt tamẽ naturalis beneficio humiditatis. Senibus uero nõ ualde familiaris est: si tamẽ ipsi hãc adfectionẽ incidant, ferè nunquã conualescunt. Accidit ęgris dolor circunuolutus, stomachi nimia humectatio, exolutio, ructus inanes nihil alleuãtes, murmura intestinorũ, cohibitio perfecta stercoris & flatuum. Si uero intendatur affectio, omnia sursum feruntur, obidq; & uomitus pituitæ ac bilis accedunt, frigiditas totius corporis, dolorq;, plurimis etiã spirandi difficultas. Morituris autẽ amplius sudor frigidus, urinę difficultas, podex ita adstrictus, ut neq; specilli extremũ suscipere posit: aliquando & stercus uomitu rejicitur. Si quidem igitur cibus crudus uentri insidere uideatur, aqua mulsa cum nitro exhibita uomere cogemus: deinde rursum aquam calidam puram dabimus, ut mordacitas obtundatur. Si uero nihil crudorũ ciborum in uentre contineatur, omni conatu enitendũ est, quo tum flatus tum stercora infrà trahãtur: idq; per glãdes illitionesq;, & clysteres, magna diligentia in singulis adhibita perficiendum. Glandes itaq; conueniunt ex semine rutæ & nitro, cuminoq; ac melle. Valent etiam quæ ex brassicæ cauliculis apparantur cũ melle cocto: ex profundo enim attrahunt. Cæterum glandulas longiusculas facere oportet, quæ adstrictiorẽ internam ani partẽ sphinctẽrẽ Græcis appellatam, trãsire queant. quibus appositis, podex per spongias calidas foueatur, quibus sanè cyclamini succus utilissimè excipitur, quanquã cum melle etiam ac nitro idem illitus efficaciter opitulatur. Idem facit centaurea cum melle & nitro: uerum in his conandũ ut quàm penitissimè illinantur. Per clysterem autẽ oleum infundatur, in quo cuminum, ruta, althæę radix aut folia, fœnum græcum, centaurea, cucumeris syluestris radix, sint decocta: adijciatur autẽ & butyrum, & resina terebinthina, ut inde crassitudo infuso ipsi accedat, per ampliorẽ etiam fistulam largius infundatur, iuxta corporum rationem, aliquando usq; ad duarum heminarũ mẽsuram. Quin & clysteres ex prædictis apparentur. Probè facit & syluestris cucumeris radix contusa, & in aqua satis diu decocta absinthio adiecto: si quidẽ ad decoctum ipsum mel & nitrum, oleumq; ammisceantur. Si uero stercus durius intestinis insidere cõiectamus, aut inflammationis obstructio adsit, althæam ac fœnum græcum cũ caricis decoquemus, butyroq; & anethino oleo plurimo ad decoctũ adiecto, per clysterẽ injiciemus, & quamdiu quidem queat, retinere præcipiemus. Optimum autem infusum hocce est. Bituminis drach. IIII. nitri drach. I. aloẽs unc. I. olei rutacei dodrãtem. Commodum est etiam cuminum, rutam aut absinthium cum oleo coquere, deinde percolato modicum salis injicere, aut opopanacis drach. I. aut galbani drach. IIII. Prosunt & caricæ ac ruta in oleo decocta. Eiusmodi autem infusa ante cibum infundere oportet, & maximè quod ex asphalto apparatur: urgente uero malo etiã à cibo. In soliũ etiam aqua & oleo refertum desidere eos conuenit: in aqua uero althęa, ruta, & conyza decoquãtur. Fomẽta quoq; adhibenda sunt ex furfuribus, & per pyriateria phacota, id est, uaporatoria uasa lenticulata, & per uesicas bubulas ex oleo semiplenas. Cõueniunt etiam fomenta ex lanis oleo madefactis, in quo cuminũ, anethum, ruta, conyza maximè parua, & nasturtium sint decocta. cuminum quoq; per se tritum uentri inspergendum est, deinde lana imponẽda. Cõuenit enim ab irrigationibus incipere, ipsisq; etiam inter cataplasmata uti. Cataplasmata uero ex melle sint apparata, aut hydromelite meraciore: assumant autem semen lini, fœnum græcum, pollinem hordeaceum, loliaceã farinam, & fabarum. Infarciendum est etiam ipsis plurimum rutæ & cumini, anethiq; semen aut apij, aut rutę semen siccũ: inspergantur autem hæc crassa, & post impositionem calefiant, posteaq; assiduè permutẽtur. Post hæc cucurbitę affigantur, primum quidem ad remotos locos, inanes: deinde ad ipsos etiam dolore affectos, scarificationesq; profundiores fiant, saleq; impacta uulnuscula conspergantur, quibus postquam cicatrix fuerit obducta, malagmate ex seminibus utendum, aut eo quod ex lauri baccis constat. Potus eis conueniens est anethi decoctum. Est enim usitatum & accommodum. A potu panem in aquam feruentem conijce, eiusq; frusta calida confestim

edenda

edenda præbe. Hoc enim modo seruabitur, etiam si iam instet ei suffocationis periculum. Oribasius autem inquit: Anethũ in aqua & oleo decoquatur, atq; ita bibatur, deinde frusta panis ex aqua feruenti præbeatur. Mirum in modum enim inde iuuantur, inquit, etiam si iam stercus uomãt. Ruta etiam ac cuminum trita & potui inspersa commoda existũt, & sinapis arida trita inspersa. Commodum est etiam maluæ semen, tritum ac potui inspersum. Balsamũ quoque non adulteratũ, in potu utile existit. Alius potus. Bituminis drachmas quatuor, cum modico nitri contere, & ex aqua bibenda confidenter præbe.

Alius. Radicis panacis drac. II. nitri dra. I. cumini drachmas II. excipe melle, & nucis ponticæ magnitudine ex aqua calida præbe. Alius. Castorij, anisi, piperis, cuiusque æquales partes cõmisce, atq; inde sesquidrachmã ex aceto mulso præbe. Asclepiadæ potus, qui & recremẽta multa soluit. Elaterijũ sufficienti terebinthina exceptum, in catapotiaq; redactum, deglutiendum præbe, aquamq; insuper bibendam. Aliud ad uoluulum remedium, quod uentrem soluit: confert etiã anhelosis, splenicis, aquę inter cutem, ex lapide laborantibus, urinæ difficultati, paralyticis, tremoribus, comitialibus, uuluæ strãgulationi, mensesq; ducit. Medullæ scillæ crudæ, ammoniaci thymiamatis, iridis, cuiusq; drach. L. galbani drac. XXV. opopanacis drachmas XII. Scillam seorsim cõtere, deinde ammoniacum cum acerrimo aceto tere: postea etiam galbanum & opopanaca, simulq; mixta omnia in catapotia redige: ex quibus drachmam unam deuorandam præbe, & uinum dilutum insuper bibendum, aut aquã mulsam, aut acetũ mulsum. sit autem liquoris mensura cyathorum quatuor. Concoctionẽ adiuuat, si ante cibum deuoretur, ultra hoc quòd aluum facilimè soluit. Feliciter usi sumus, inquit Archigenes, ad uoluulos absque inflãmatione, hiera nostra ex colocynthide pondere drachmarum duarum, aliquando etiam trium in catapotia redacto. Aut enim uomitu reijcitur ipsum pharmacum cum multa bile ac pituita, aut infra ad intestinũ progressum omnes causas adfectionem operantes secum subducit. Doloribus uero perseuerantibus, & maximè quibus infusi clysteres nõ infra rursus prodeunt, etiam ea quæ dolorem leuãt exhibenda, itemq; cõuenientes antidoti ante somnũ. Communissima igitur & optima, ea quæ ex piperibus constat, & Andromachi ex uiperis theriaca existit, post eam uero quę Mithridati nomen debet. Propriè autem in his colicæ antidoti faciunt, qualis est uel in primis quæ Zopyrios, & quæ Pæonia appellatur, quarũ descriptiones in XIII. Sermone cõtinẽtur. Si uero à uenenoso pharmaco quis in uoluulum incidat, aquam tepidam multam bibẽdam dabimus uomereq; cogemus, deinde oleum calidum in potu dandum, aut pinguia iuscula, ut rursum uomant ex moderato eorũ potu. deinde ita parumper quiescãt, & statim postea theriacen accipiant cũ uino dissolutam. Cibi eis exhibeantur boni succi: aluus uero lacte scisso euacuanda. In eo autem uoluuli genere, quod chordapsum appellari diximus, in quo in uno loco dolor innititur, ut admota manu durities & tumor tactui succumbat, circa tenuia uidelicet intestina, subitum periculum instat, ut plurimum tertiam aut quartam horam non excedens; quando uero ad suppurationem inflammatio uergit, aut longior remoratio contingit, neq; ea ferè citra periculum existit, quãquam sint qui ex eis sunt seruati. Venæ igitur sectio ante localia remedia assumenda est, deinde cucurbita, & reliqua cura quemadmodum in inflammatione fiat. Danda uero & his assiduè ex uiperis theriaca ciceris parui magnitudine ex aqua calida infusum, etiam immittendum ex his quæ inflammationibus conducunt, uelut est fœni græci & maluæ decoctum, cum oleo & butyro. In potu exhibeatur rosmarini decoctum, florisq; iunci odorati, mei, fœniculi, & maximè omnium anethi. Probè etiam ad eos facit, foliorum rhamni uiridium tritorum, & in pastillos redactorũ, exiccatorumq; drac. I. ex calida aqua exhibita. porrò ex conuulsione aut ruptura obortos uoluulos uenæ sectione curare oportet, locosq; ubi dolor insignitur profundioribus fissuris impactis scarificare & diducere, lanisq; succidis irrigare: antidotos etiam dolorem leuantes bibendos præbere, uerum clysteres omnino deuitare. Si uero uoluulus propter intestini in scrotum delapsionẽ contingit, confestim tentandũ est, ut decubitu sursum uersus uergẽte adornato, delapsum intestinum ad inguinum partes retrudatur, atq; pòst leniter citra uiolentiam ac compressionẽ, ligamento adhibito contineatur. Si uero iam ex compressione inflammatio oborta sit, torminaq; ac inflationes accedant, etiam hos ipsos uenę sectione curandos censeo, in inediaq; ad tertium usq; diem seruandos. In principio uero lanis succidis ex uino & oleo madefactis irrigandos: adhibito postea etiam cataplasmate crudæ hordeaceæ farinæ. Aliquando autem & inflammatæ partes commodè per ambitum scarificantur, per althæę quoq; ac fœni græci decoctum & oleum utiliter irrorantur ac adsperguntur.

De his qui ab acri humore coli dolore infestantur, Galeni. Cap. XXIX.

Quibus in colo & intestinis acris & mordax insidet humor, hi à calidis cibis ac pharmacis itemq; infusis læduntur, & à cibis abstinẽtes magis iritantur. Melius autem habent ex temperamentum inducentiũ & mordacitate carẽtium usu. Tenues enim & acres humores uehementissimũ inferunt dolorem, aliquãdo uero & conuulsiones, maximè ubi circa os uentris fuerint aggregati. Accedunt quandoq; & animi deliquia, & humiditates sudoris frigidæ. Hoc itaq; modo affecti, calida potata ac uomitu reiecta biliosum humorem excernunt, quiq; etiã ærugini aliquãdo in colore similis existit. hic quidẽ igitur humor ubi in uentre cõstiterit, mordens, & animi deliquia inferens, per uomitũ expurgare ipsum oportet. Vbi uero in intestinis aggregetur, per sedem infundere conuenit ea quæ humores eluere atq; citra mordacitatẽ repurgare possunt, cuiusmodi est ptisanę succus. Cibi uero boni succi & qui non facile corrumpantur eis exhibendi, attenuantibus & calefacientibus uitatis. Oportet enim infestantem humorem aut euacuare, aut temperare. Exempli uero gratia mentionem faciam quorundã à nobis curatorum. Quidam etenim quadraginta annorum, qui colicus esse putabatur, à perfusionibus & fomentis, cataplasmatisq; & acrioribus infusis non modo nõ iuuabatur, uerũ & magis exacerbabatur, & ubi mel cũ pipere accepisset, extremũ dolorem incurrit, & ubi fœni græci succum

succũ cum melle sumpsisset, plurimum fuit iritatus. Coniectationem igitur feci, mordaces in ipsis intestinorũ tunicis imbibitos esse humores: non facilè corruptibiles ei exhibui cibos: deinde ubi uidissem eũ minus à dolore infestari, uitiati humoris purgatione ei opus esse cognoui: cæterum pharmaco ex aloë amaro hominem aceruatim purgare minimè ausus fui: nimirum ob dolorem ac indigentiam, temporisq; diuturnitatem uiribus attenuatis. per interualla itaq; mediocria paulatim purgatione per picram ex aloë facta, in paucis diebus ipsum perfecte sanaui, nullo altero remedio admoto. Alter quidam adolescens nõ paululũ antea à colicis doloribus uexatus, accepta scamonia purgatus est: quumq; pro ratione accepti satis multũ fuisset euacuatus, illa maxime membra quæ prius habuit imbecillia morsu infestata sensit, ut inde quasi fluidã quandã & dolorosam circa intestina haberet affectionẽ. Itaq; & hũc curaui, colica remedia reijcere iussum, & ex halica cũ aqua calida decocta nutriri, granis mali punici simul incoctis. Quumq; totã noctẽ absq; dolore dormijsset, mane exhibuimus ei rhois succũ dilutiorẽ bibendũ: ut si qua ulcerosa adfectio circa intestinũ esset oborta, eã adstringeret, siue quippiã ex superioribus partibus ad affectam influeret, idipsum repelleret. In prandio etiã halica similiter cũ mali punici acinis & aqua decocta uti iussimus. In uesperam uero panẽ ex uino quopiam austero ac ueteri madefactũ dedimus. Cõcessimus etiam ut ex austeris fructibus pro libitu, modicè tamen, caperet. Tertia autem die quũ eodem modo fuisset refectus, in quarta hausta theriaca perfecte sanus euasit. Alium autem quendã similiter affectum æstatis tempore quum plurimũ sitiret, eodem uictu curauimus, ampliusque frigidũ potum ei indulsimus. Cæterum euacuato humore, & remanente adhuc dolore, ad stupefacientium usum confugere oportet. In huiusmodi enim affectionibus non solum quod sensum stupefacit, sed & quæ humores tenues inspissant, caloremq; refrigerant, maximè opitulantur.

De his qui à frigidis & pituitosis humoribus coli dolore infestantur. Cap. XXX.

Quum uero crassi & lenti fuerint humores, qui doloris causa existunt, nequaquam stupefacientia erunt offerenda: etenim alleuantur quidem ex eorum usu, ob sensus uidelicet stupefactionẽ: uerũ rursus peius inde habent, quòd amplius per ipsa humores inspissentur, & difficulter omnino excerni possint. Atqui nauseæ unà cum uomitibus magnæq; & frequentiores illis oboriuntur. Vomuntur autẽ pituitosa & corrupta, retinentur excrementa, adeo ut ne flatus quidem excernatur, neq; ructus etiam procedat. Sæpe enim ueluti sursum reuoluitur dolor, ac plurimũ occupat locum: aliquando uero ex loco ad locum digressus uehementius augetur. Manifesta uero cognitio coli affecti est, quãdo aliquando quidẽ altius dolor infestat, quàm pro renum situ, aliquando autem longe inferius: si enim iuxta renũ situm dolor innitatur, atq; id in uno loco cum dolore ac grauitate, renũ affectionem eam esse censendum est. Considerandę autem ad hæc urinæ: aquosæ enim & purę in principio à nephriticis minguntur: quemadmodum in sequenti tempore subsidentiã habentes asperã, deinde exquisitè arenosam. In colicis uero etiam si egerat aliquando uenter, tamen flatuosiora excernit: sæpeq; stercora aquæ inuehuntur boum stercoribus compage non absimilia. Contingit etiam quandoque humorem aliquem frigidum cum ipsis excerni, quo facto confestim melius habent. Per fomenta autem & cataplasmata nephritici quidem doloris mitigationem accipiunt, laxatis uidelicet iuxta obstructum lapidem corporibus. Colici uero parumper quidem uidẽtur mitiores redditi: paulo pòst uero uehementius intenduntur eis dolores, diffusis uidelicet per adhibitarum fomentationum calorem humoribus, generatisq; flatibus, qui plurimam distentionẽ operantur. Quomodo igitur oportet dolores ex frigidis in intestinis humoribus obortos curare, ita ut neq; uehementibus irrigationibus, neq; cataplasmatis calefiant? A calefacientibus enim diffunduntur & inflantur omnes frigidi ac crassi humores, qui intestina distendendo augent dolores. Conuenit itaq; ipsos dissecare & concoquere citra uehementem calorem, & per minimè inflantiũ usum. In exacerbationibus igitur consimilis colicorum cura fieri debet, qualis ad uoluulosos est prædicta, irrigationes uidelicet ex oleo rutaceo & sicyonio & anethino, inediæq; & fomenta ac cataplasmata, infusa item & glandium admotiones, illitionesq; sedis. Vomitus uero ante cœnã, si quis facilè uomat, præ omnibus auxiliatur. Vbi uero malũ ipsum producitur ad plures dies, insessio in solium ex oleo repletum adsumẽda est: aut si hoc fieri non potest, ex aqua & oleo repleatur, in quibus althæa, pulegium, ac lauri folia, similiaq; sint decocta. Fomentum uero siue uaporatoriũ adhibeatur ex furfuribus & milio, & cataplasmata quoque ad uoluulosos prædicta. Pòst dies uero septẽ purgatio ex hiera Archigenis suscipiatur. Licebit tamẽ & nõ purgare, uerum ab acrium ciborum esu inchoare. Quãdo uero allium ipsum omniũ minimè inflat nisi febris adsit, cõfidenter ipsum afferemus. Sitis autem sequitur acrium rerum comestionem. Præalleuetur itaque pręcedente uictu ęger, ubi ad acrium rerum esum procedere uolet: aquæq; potu utatur. Flatu autem uentoso infestante, egregium remediũ cucurbita sæpius affixa, cum largiore flamma existit: ut incantationi similem effectum pręstare uideatur, & in quacunq; corporis parte apponatur, confestim à dolore liberare ac perfecte sanare cognoscatur. Quòd si humor quoq; unà cũ flatu adfuerit, e uestigio quidem à dolore leuantur, mox uero rursus redeunt dolores, maximè ubi quippiam peccati circa diætã fuerit admissum: aut si plus quàm oportuit, calefecerint ipsa membra. Maximum autem signũ & hoc tibi fuerit ad affectionis cognitionẽ. Ne calefacito itaque manifeste, sed diæta attenuatoria utaris. Oportet autem & ante infusorum usum, cucurbitam dolẽtibus locis adhibere: indeq; oleo rutaceo, & huiusmodi cũctis infusis uti. Multi uero accepto clystere uehementer dolent, & uitreo humore excreto statim liberãtur. Febre autem ut plurimum carent, sitiq; in totum non infestantur. Nascuntur & in colo lapides, sed raro: quare oportet eos urinam cientibus, & stomacho gratis uti, sanitatisq; tẽpore etiã uenam secare, & catapotijs ex aloë gratia pręseruandi uti. Quandoquidem autem colum ipsum in quibusdam debilitatum ex leui occasione, & per interualla quædam dolores inferre cõsueuit: melius utique

utique fuerit exquisitiore diæta uti, & curã quoque adfectioni conuenientẽ subornare. Qua de causa ubi à somno surrexerit æger, uentrẽ exonerare tentet: deinde ad deambulationẽ procedat. Deambulet autem & hyemis tempore, nisi frigidior sit aër, aut ipsius debilitas hoc nõ permittat: idq; faciat in loco sub dio, aëri exposito, & patenti: primum quidem lentius, pòst uero cõcitatius. Quiescatq; ubi crura incaluerint fuerintq; delassata. Deinde domum reuersus bibat aliquod pharmacum affectioni conueniens, modiceq; quiescat: & ubi quotidianæ alicui ac consuetæ actioni uacauerit, per horam equo uehatur, assiduè ei insidẽdo: quod si facere non posit, in curru: si autem imbecillior sit, per nauigium. Iacens enim uectari poterit, quum omne corpus unà cum nauigio cõmoueatur. Pòst uero ubi molestiam ex uectatione obortam modica deambulatiuncula excluserit, leniter exclamet, aut concinne cum uociferatione procedendo legat: deinde rursus modicè quiescens ad inunctionem ac fricationem exuatur. Exercitatione itaque facta, & cura admota cibum accipiat circa sextam horam, ut & ad cœnam sufficiens interstitium fiat. partiatur autem cibos, maioremq; eorum partem in cœna assumat. Vtilissima enim colicis ciborum partitio existit: præpotato igitur absinthite uino, panem in clibano coctum recentem probe apparatum accipiat cum oliuis colymbadibus muria cõditis, aut paucis uuæ pensilis acinis, aut ficis uiridibus tribus aut quatuor: deinde à potu, nisi ualde urgeatur, abstineat. Si uero siticulosus sit, modico potu uehementiæ sitis medeatur: otioq; & iucunda animi uoluptate fruatur. Deinde per circuitum affectione repetente, deambulet: ciboq; probe disposito, ad cœnam accedat. In cœna si siticulosus sit, modicum præbibat, & post paruum interstitiũ cœnet: ex uarijs quidem pauca, & commoditatibus abunde referta. Potus mediũ cibum non dirimat, sed post ipsum reseruetur, qui sufficit etiam potus exhibeatur. multa enim potatio incõueniens affectioni existit. Non longo deinde à cœna interuallo facto, ad somnum diuertat: & si quidem noctu sitis urgeat, ei parce medeatur, aqua paulatim absorpta. Atque de quotidiana quidem diætæ ordinatione hactenus. Cæterum paucis subnectam etiam commodos adfectioni cibos, potionesq; & pharmaca. In uniuersum igitur omnia quæ colicis exhibentur, attenuatoriæ sint diætæ. Panis itaque neq; sit aridus, neque calidus, in clibano coctus, aut si is nõ adsit, in furno. Olera autem cruda quidem nõ sunt danda, cocta uero conueniũt, cichorium, intubũ, rarius autem cauliculi lactucæ, cucurbita in calido cinere assata, cocta enim stomachum lędit: malua cocta: uerum nihil horum absque pane exhibendum. Dandę etiam colymbades oliuę cum aceto mulso ac ruta præparatę. Ab alijs uero abstinendum. Legumina omnia per se quidem affectioni incommoda sunt. Verum uarietatis gratia aliquãtum adsumatur lenticula cum beta colliquata, optimeq; contrita, aut cum ptisana: aut faba cum ptisana diligenter subacta. Cæterum rarum leguminum usum probo, ptisana excepta: commoda enim hæc est, lapatho cum ea colliquato. Conuenit etiam salsamentum piscium petrosis locis degentiũ: itemq; limaria non inueterata, nec muria condita. Pipere autem & ruta cum aceto mulso condita exhibeantur. Ex carnibus conueniunt in primis uolucrium, secundo loco pisciũ numerãtur, tertium ordinem terrestrium carnes habent. In unoquoq; genere omnia inconsueta reprobanda. Inter ea uero quæ pro consuetudine in cibum nostrum accipimus, uitanda sunt dura, siue natura, siue ætate talia existant: item quæ neruosam ac fibris refertam habent carnẽ, graueolẽtiaq; ac fœtida, & quæ aliàs mali sunt succi, aut grauioris qualitatis, & pinguia, atq; ea etiã quæ omnino macra sunt & infirma, & quæcunq; prę humiditatis multitudine diffluunt. Quapropter ex piscibus, hi qui in fluminibus & stagnis degunt, uitandi sunt. Ex marinis autem, qui in petris degunt, his qui intra pelagi profundum uersantur, sunt præferẽdi. Qui tamen in profundo maris degunt, littoreis præstant: & littorei rursum, potiores sunt his qui in marinis paludibus nutriũtur, etiamq; his qui in magnarum urbium stagnis uictum quærunt. Eligendi autem sunt maxime lupi & aselli mediocri magnitudine: scari autem & turdi ac gobíj tenerrimi quidem sunt, & facilime secedunt: alimentum autẽ paucum, roburq; corpori addunt. Scaros autem hic non magnos intelligere oportet. Mulli autem & scorpíj & passeres, nutrimenti quidem ac roboris gratia omniũ gratissimi existunt, grauiorem autem omnẽ habitum reddunt, ut ob eam causam frequentiorem eorum usum uitare oporteat. Murenas autem & loligines, sepiasq; & polypodas, omniaq; simpliciter mollia, ut quæ difficulter cõcoquantur, inflationes pariant, noxios humores generent, censeo reprobanda. Ex his uero quæ testa integuntur, squilla omniũ minimũ noxia existit: cancer turbationem inducit: gammaro autem siue astaco pro uoluptate fruatur. Ex ostreorum porrò genere, purpurę, & buccina reliquis præferenda: deinde pelorides præstant: postea herinacei recẽtes: deinde quæ propriè ostrea appellãtur: reliqua uero relinquẽda. Ex uolucrium genere, gallinæ omnibus præstantiores. sint autẽ feræ, & in mõtanis altæ, deinde perdices, & palũbi, debilis nutrimenti gratia exhibẽdi, turturesq; feri ac per agros nutriti & colũbæ. Fugiẽda omnia uolucriũ genera, quæ in aquis degũt, tanquam graueolentia, & quæ superfluitatibus multis abũdent. Ex quadrupedum animantium genere præstant carnes suillæ, tũ cõcoctionis & alimẽti robori sq;, quod inde corpori accedit, gratia, tũ quòd facile secernãtur. secundo loco hœdinæ habendæ: reliquæ uero domesticæ fugiẽdę. Ex syluestribus & feris paucæ, uarietatis tãtum gratia dẽtur. Omnes autem carnes quas exhibere uelis, ad duas dies promptas & paratas habere oportet, in hyeme præsertim, ut friables reddantur: ex aqua etiã omnes coquantur. quę enim in sartagine fricta sunt, quantum fieri potest uitentur. Cauendum etiam à uisceribus omnibus: sunt enim frigida, & turbationẽ mouent: difficulter concoquuntur: grauiaq; sunt, & saniosa, ac fœtida: nimiasq; humectationes ac nauseas producunt: maxime tamen omnium cerebrum. Pulmo sanè hœdinus bis assatus, ac in cibo acceptus superabundans alimentum subtrahere uidetur. Qui uero eum lacte replent, deindeq; coquunt, aut assant, uoluptatis gratia non utilitatis respectu id faciunt: multoq; magis qui eum frustatim concisum in sartagine torrent. Sale conditi arietis pulmo maxime uetusti, difficulter & grauiter à uentre exuperatur. Cochleæ autem terrestres succulentæ in cibo sumptæ,

ptę, obluctari & sese opponere colicæ affectioni uidentur. In liquamentis & cōdimentis cōueniunt, cuminum, menta, ruta, sison, fœniculum, origanū, ammium, thymum, piper, zingiber, daucus, succus silphij, acetum, mel, garum, uinum. Pyrethrū uero & ligusticum, ac helenium, similiaq; magis medicamētaria ul prædicta sunt: & ob id in quotidiano usu ac diæta uitāda. In uniuersum autem, ut summatim dicam, unius coniectationem facere oportet, ut scilicet accepti cibi optime cōcoquātur. Particulatim uero, ut ne siccitas excremēta appręhendat, neq; fatigetur uēter in multis cibis cōficiendis: ne uēter ciborū qualitatibus obluctetur, ueluti si ægre eas conficiat, & nimiam humectationem ei inferant, ne noxij humores generentur, neq; in uētre, neq; in uniuerso corpore. Omnia enim inutilia recremēta ex leui occasione ad affectū ac infirmum mēbrum detruduntur. Quare uitare cōuenit omnia dulciaria & placentas: plurima etiam ex bellarijs ac fructibus: iucunditatis tamē & gratificādi stomacho gratia, uua alba dulcis præ ariditate corrugata cū pane præbeatur: ficusq; maturæ cuticula auulsa: uua etiā uinaceis exemptis. Reliqua uero omnino sunt fugienda. Vinum sit sub adstringēs, album, tenue, pellucidū, mediocri ætate, tēperatura dilutiore, modiceq; bibatur. Quòd si sitis à cibo accedat, aqua calida præbeatur. Infensissima enim ipsis frigida existit. Dulces autem prælibationes ex uino & melle apparatæ, propomata Græcis appellatæ, eò quòd ante cibos biberentur, omnes de uitandæ. Atq; hoc sanè modo ea quę ad colicorū dięta pertinent, dijudicantur. Colicum remedium ex stœchade, nephriticis commodum. Hoc omnes ueteres interiorū membrorū affectiones curauimus. Datur autem ex ordine diebus XXX. & perfectè ab omnibus affectionibus liberat. Stœchadis drach. XVIII. radicis panacis drach. V. agarici drach. II. cinamomi, myrrhæ, seminis brasicæ syluestris, iridis, mādragoræ, hyoscyami albi seminis, costi, nardi cretici quod phu appellāt, spicæ nardi, piperis, opij, cususcq; drac. XII. (accipio autē piper longū) mei drac. XVIII. seminis cicutæ drac. XXIIII. dauci drac. VIII. Cōtusa excipe melle despumato, ac exhibe robustis scrup. II. reliquis obol. III. febre carentibus, ex uino mulso: febrientibus, ex aqua. Infusum quoq; nucis ponticæ magnitudine cum oleo in quo fœnum gręcum & ruta cocta sunt, colicorum dolores sedat.

Pharmaca ad colicos. Cap. XXXI.

Conuenientissimum ad colicos pharmacū uinum absinthites existit, si prælibatione à balneo aut exercitio opus habent: estq; etiam nō sitientibus ualde cōmodum, si laxiore ac debiliore appręhendēte aluo, cyathi temperati mensura ante aridorum ciborum comestionem accipiatur. Apparatur autem uinū absinthites, & pro occasione, uirgis recentis & pleni absinthij quindecim numero, per diem ac noctē in fictili uase uini tenuis & adstringētis mediocriter uetusti maceratis: mensura autem uini sit sextariorum trium. Decoctū etiā herbæ ipsius, ubi semel tantum ebullierit, pari modo ad uinum quod aliàs pro consuetudine bibunt, admixtū, utiliter à balneo ac exercitio præbetur. Melius autem est quod ubi otiū sit sic præparatur. Selibra absinthij in amphoram uini optimi recētis, quod mustū appellamus, conijcitur, oblinitur, in eaq; permittitur, donec mustum cessauerit feruere: deinde absinthium quidem abijcitur: uinum uero reponitur ac inueterascit. Habet autem omnino amphora sextarios octo & quadraginta. Vinum absinthites aluum corroborat potenter, & quicquid lubricum inferne in aluo ac intestinis hæret, citra animaduersionem detergit: bilis generationem præpedit: flatusq;, alios quidem depellit, alios uero auertit: quodamq; modo spiritum dispensationi præfectum defecat. Aloë etiam optima trium drachmarū pondere deuorata aptissima est, ubi nō pro ratione ciborum egestio excrementorum fiat. Quēadmodum autem optima aloë etiam sola sanitati restituere potest: ita uitiosa medicamētaria superfluitate uentrem replet. Intercidentes uero obiter inflationes syluestre cuminum, quod & ęthiopicum appellant, cochlearij mensura ex aquæ calidæ cyathis duobus aut tribus potatum dissoluit: aut sison simili modo: aut rutæ ramuli in aqua ipsa feruefacti. Castorium etiam assidue potatum totius affectionis apparatum demolitur, omnibusq; medicamentis præstare repertum est: datur eius drachma una in tribus cyathis optimæ aquæ mulsæ. Lupi autē stercus maxime album ex aqua, aut uino albo & tenui summe colicis auxiliatur, inquit Galenus: non solum in accessionibus & iritationibus, sed tempore etiam interualli. Aut enim perfecte morbū sedat, aut ita præparat, ut ad tempus aliquāto mitius adfligat. Melius autem stercus censetur, quod non in terrā delapsum reperimus, uerum in fruticem aut herbam excretū. Ossa quoq; in ipso stercore inueniuntur, quæ ipsius animalis concoctionem effugerunt, quæ si trita bibātur, magnopere colicis auxiliantur: quare mundioribus hominibus repurgatiora exhibenda sunt cum sale ac modico pipere mixta, aut alio quopiam ad commendationem odoris. Mirum in modum etiā manifeste colicos iuuat, instar amuleti alligatū ilijs ægroti idem lupi stercus: oportet autem filum quo amuletū colligatur ex oue à lupo discerpta sumere, cum stercoreq; ipso in pelle ceruina excepto, ac filo colligato, ilia præcingere. Si uero non suppetet lana ex ouicula à lupo discerpta, ligamentū ex ceruina itidē pelle accipere oportet. Corydus itē passerculus, qui & corydalus, hoc est galerita, appellatur, simplici iure coctus, assidueq; unà cum iure acceptus, summopere colicis prodest. Vtilitatē enim ex eo expertus sum, inquit Galenus. Cæterum passerculis, quos pyrgitas à turribus, & troglitas ab antris & cauernis appellant, similis est, qui sanè circa urbium muros uersantur ac degūt: uerum his maior est corydalus ipse: habetq; in capite ueluti cristam siue galeā ex pennis sponte naturæ enatam, & circa uias reperitur hyemis præsertim tempore. Aliud. Talum suillum ustum & tritum, totū ex aqua bibendū præbe. Aliud. Thymi cacumina in aqua ad tertias decoquito, & ad percolatum decoctum mel despumatum adijcito, bibendumq; prębeto. Aliud. Radices uerbenacæ rectæ tenuiter concisas in aqua ad tertias decoquito, ieiunisq; per quinq; dies bibendum decoctum hoc præbeto: & colicis medeberis. Vtere, est enim experimento cognitum. Aliud. Hoc itidem experimento constat, eoq; ipse liberatus sum. Mentam uiridem aliquandiu decoquito, decoctūq; bibendum ad dies tres exhibeto, & nunquam dolore adficietur. Cauendum autem ne olla in qua mentam

tam decoquis, per tres dies terram contingat. Remedium uero hoc eiusmodi est, ut præsentem opem ferat: estque multo usu cognitum. Lauri etiam teneriora uirgulta arefacta comedenda præbe per tres dies, quibus mentæ decoctum potant. Aliud mirabile. Marrubium in uino mulso decoctum bibendum præbe. Liberabiturque æger à dolore, neque unquā postea incidet in affectionem. Aliud. Rhamni folia uiridia trita in pastillos informa, & exicca: drachmamque unam inde exhibe febre carentibus, cum uino: febricitibus uero cum hydromelite. Facit & ad uoluulosos, omnemque dolorē flatuosum miro modo. Per ructus enim ac flatus exoluti à malo, sani fiunt. Aliud. Rhamni succum poculi mediocris mēsura tantundemque pasli cretici misceto: dumque in solium in balneo descendit, bibendum præbeto: plurimumque tolerare id iubeto. In frigidæ autem aquæ solium nequaquam conscendat. Experimēto cognitum est. Ex apparatis uero pharmacis hocce nobis familiare est, inquit Archigenes. Castorium & ammium tenuissime trita duorum cochlearium mensura præbe ex aqua mulsa. Secūdum uero locum hoc habet. Castorei drach. III. ammij, seminis apij, fœniculi, cuiusque drac. I. exhibe eo modo quo pręcedēs. Aliquando autem pro apio panacis radicem adjciens præbeo, assequorque rite quod uolo. Præstabile est & hoc. Anisi, castorij, æquales partes misceto, indeque dra. I. ex uino mulso exhibeto. Aliud. Gladiolum unà cum radice exiccatam, contusam, & cribratam cum piperis granis undecim bibendā præbe, diuturno malo hoc medetur. Cæterū duo efficacissima ex multis omnino coli pharmacis usus approbatione præstantia, inquit Archigenes, unicuique cōmunicabo. Sagapeni, piperis, galbani, pyrethri, croci, spondylij, myrrhæ, cuiusque drach. I. radicis panacis drac. VIII. excipe melle, & ad cerati crassitudinem redige. Vbi uero usus expetat, manipulū I. chamæleuces aut chamæpityos in uino optimo, leui, anniculo heminarum quindecim mensura, usque ad tertias decoque. In hemina deinde decocti una, ex pharmaco ad fabæ magnitudinem dissolue: idque semel primo mense bibendum præbe: secundo deinde mense bis: & tertio ter: atque hoc modo usque quo quinquies exhibueris, secundum menses auctione facta procedes: nisi alui ramenta inde succedant. ea enim leniter detrahere hoc pharmacum consueuit.

Alterum uero ad dissoluendas accessiones, ualde efficax existit. Myrrhæ stactæ, opopanacis, succi cyrenaici, croci, pyrethri, galbani, sagapeni, cuiusque drach. VIII. olei picini drach. I. mellis despumati quantū suffecerit, ut ad cerati spissitudinē redigatur. Ex hoc pharmaco drachma una, in tribus cyathis pasli cretici diluti calidi liquefacta exhibetur. Neque uereor hęc etiā in accessionibus, nisi ex cruditate laboret æger, præbere, atque etiam in interstitijs per aliquas dies ex his affectionē expugnare, ualdeque mihi ex sentētia res procedit. Theriace porrò Andromachi ex uiperis cōstans interualli tēpore assidue accepta, prohibuit ne facile ab accessionis irritatione rursus impeterentur. Antidotus Zopyrios appellata, præsens auxilium in debilibus doloribus existit: facit ad colicos & alui inflationes, & incipientes aquæ inter cutem suffusiones, maxime eam quæ tympanites appellatur: ualet etiam ad iocineris affectiones: prodestque his qui uenenum hauserunt. Myrrhæ troglodyticæ drac. V. spicæ nardi drac. V. croci drac. IIII. floris iūci odorati drac. IIII. & dimidiā, cassiæ drac. IIII. cinamomi drac. III. thuris dra. I. piperis albi sesquidrachmā, costi dra. I. Excipe melle despumato, ac nucis pōticæ magnitudine præbe ex uini mulsi, aut passi ueteris cyathis duobus, aut ex aqua. Exhibeatur etiā in colica diuturna, habita tamen prius corporis cura, paululū ante horā cibi sumēdi, ad dies ex ordine quindecim: deinde ubi ab eius exhibitione per quinque dies quieueris, rursus exhibe ad dies decē: iterumque post multorū dierū intercapedinē, parū præbe, donec ea amplius opus non habeat æger. At qui propria sua efficacia corpus se melius repræsentaturū promittit, tū carne, tū colore, tum sensu, tū firmitate. Archigenes porrò Zopyriū antidotū sic parare iubet. Spicæ nardi drach. VI. floris iunci odorati dra. V. myrrhæ dra. V. croci drac. IIII. cassiæ dra. IIII. cinamomi drac. III. piperis drac. VI. costi obolum, thuris obolum. Cæterum præter opinionē colicis conueniens antidotus est, quæ pæonia appellatur. In ipsis enim uehemētibus accessionum irritationibus ante somnū exhibita compescuit dolores, somnumque dulcem simul produxit, ac morbum dissoluit. Quidam etiam ipsam cum oleo infundentes scopum attigerūt. Descripta autem habetur in tertio decimo De theriacis Sermone huius uidelicet tractatus: quare ea ipsa censeo confidenter esse utendum.

Aliud ualde bonū oxyporium, cito penetrans, tū colicis, tum inflatis commodum. Cumini trientem, piperis albi, cacuminum thymi, foliorum rutę, nitri, singulorum unc. I. cōtere cū aceto, ac redige in pastillos pondere unius aut duarum drachmarum. Exhibe iuxta cuiusque uires cū aqua calida. Aliud. Sisonis, cassiæ, foliorum lauri in umbra exiccatorū, singulorum drach. VIII. petroselini drachm. IIII. spumæ nitri albæ drac. V. excipe melle, ac utere. Aut cochleare eius sicci ex aqua mulsa, in qua ruta decocta est, prębe. Aliud. Cumini syluestris cochlearia III. seminis coriandri, fœniculi, anisi, apij, seminis rutæ, cuiusque cochleare I. piperis grana IX. uini sextarium I. Hæc tenuissime contrita uino permisce, & quotidie cyathum unum bibendum cū aquæ cyathis tribus præbe. A potu autem ęger deambulet, & probe concoctionem iuuabit. Poteris & ipsum uinum calefactū præbere. Aliud Asclepiadæ, quod ab omni affectione penitus liberat. Corticis salicis uiridis drac. V. zingiberis drach. IIII. piperis drach. II. palmas passas III. rutæ uiridis ramulos V. aquæ pluuialis sextarios III. Omnia simul ad tertias decoquito, atque ad horas siue dies tres pro qualibet uice cyathos duos exhibeto: & post triginta dierum spatiū idem rursus facito: quo per anni spatium unius, triginta & sex potiones contingant. Hoc enim pharmacū potatū hoc modo totam affectionem aufert.

Aliud. Cornu cerui recens enati adhuc capillis obsiti, tenerrimique ac usti, cochlearia maioris modi III. piperis albi grana IX. myrrhæ parum quid, ad commendandum odorem. Contere omnia, eisque cochlearum terrestrium magnarū unà cum testis suis tritarum, quantum uisum fuerit adjce: omniaque simul trita, & uino falerno mari mixto trium cyathorum mensura permixta, & ad mites prunas in uase fictili calefacta, ac sedulo, ne quid in fundo resideat,

agitata, præbe bibenda, ita ut nihil reliqui maneat: atq; id maxime tẽpore accessionis, & ieiuno adhuc ægro fiat. Deinde uero cibũ qui facile cõficitur præbe, atq; hoc ex ordine ad dies tres exhibe. His uero qui cochleas sumere nõ possunt, reliqua præbe sicca cũ uino. Potio ad colicos, quæ etiã inflatis, & difficulter cõcoquentibus, uoluulosisq; est accõmodata.

Absinthij, pulegij, piperis albi, cumini syluestris, baccarũ lauri decorticatarũ, omniũ æquales partes exiccatas ac tritas, cochlearij mẽsura præbe ex aqua calida. Vtereq; eo confidenter. Aliud colicũ remediũ per experiẽtiam receptũ. Baccas lauri IX. piperis grana VII. opopanaca magnitudine ciceris. conijce in aquæ cyathos III. totũq; simul feruefactũ bibendũ præbe, quiescatq; inde æger, & perfectè sanitati restituetur. Oportet autẽ, inquit Galenus, ad uiros masculi, ad fœminas muliebris sexus herinacei internã mẽbranã accipere, exiccareq; ac contundere: eiusq; partes tres prędictis ammiscere. Aliud, ad colicos præclarũ. Colocynthida maximã nõ solũ ferro perforatã, sed & semine eiecto euacuatã, ita tamẽ ut id quod instar tomẽti in ea est relinquas, uino ueteri dulci quantum eius capere potest exple, eaq; per noctẽ integrã repone: mane uero uinum ipsum per panniculum diligenter exprime, ac percola, ut nihil ex medulla eius in ipso potu residuum maneat: uinumq; ipsum calefactum bibendum præbe, quo facto æger deambulet & liberabitur.

De antidotis dolorem leuantibus, infusisq; colicis accommodatis, Galeni. Cap. XXXII.

Pharmacis dolorem leuantibus, medici uti consueuerunt, ubi magnus adest dolor, aut uigiliæ, aut ne ob uiolentã tussim lãcinentur ægri, uelut in sãguinis reiectatiõe, & destillationibus à capite cõtingere solet. Verum in illis mediocria exhibere solemus: quales sunt ex seminibus cõstantes tussi accõmodatæ facultates, quę & ipsę omnino aliquid ex soporẽ inducẽtibus pharmacis admixtum habent: uerũ modicũ id est inter multa adeo semina, quæ & boni odoris sunt, tenuiumq; partiũ, & urinã cient: cuminũ dico, daucumq; & anisum, & quæ his similia existũt. Cæterũ quæ ad colicos apparãtur pharmaca dolorẽ leuãtia eiusdẽ quidẽ generis cũ illis sunt, uerũ lõge maiori facultate prædita, atq; id ob magnitudinẽ in eis doloris. Opiũ igitur fortissimũ est stupefactiuũ: ammiscere autem ei oportet, ea quæ aut dolorosam affectionem cõcoquere possunt, aut humores ab ipso factos discutere, aut secare & attenuare, aut secundum totã ipsorũ substãtiam permutare. Scopus enim nobis in his est, primũ quidẽ ut sensum stupidũ reddamus, deinde ut nihil in posterũ ex stupefactiuo pharmaco relinquamus, quod mẽbro nocumẽtum inferre possit. Amplius autem, ut quod maximũ est, affectioni opitulemur. Ad hæc itaq; respectu habito, uidetur mihi debito modo & iuxta rationẽ propositũ componere pharmacũ: ex hyoscyami quidem & opij permixtione, quicũq; altiorẽ somnũ ac soporẽ, sensitiuæq; facultatis stuporẽ inducere uelit: quo uero citius digeratur, omneq; profunditatẽ affectorũ corporũ penetret, calefaciẽtia ammiscere oportet, piper uidelicet ac euphorbium & pyrethrũ, quę nociuos humores discutere possunt, & repurgare uiscosos, secareq; crassos, & flatus uentosos attenuare, concoquereq; & euacuare. Neq; uero parum concoctoriæ facultatis frigidorum præsertim humorum in indica nardo existit: quemadmodum autem ex aromaticis nardum cõiecit Philo, sic & hi qui ei successerunt, alij aliud adiecerunt: florem iunci odorati, cassiam, amomum, ac costum. Quemadmodum autem rursus crocum conijcit Philo concoctorium pharmacum ad humorẽ & affectionẽ crudã: ita alij myrrhamq; & castoriũ ammiscuerunt: plurimiq; ex ipsis, neque id male, etiam familiaria nobis semina, apij uidelicet & cumini, anisiq;, ac dauci, & petroselini, & quęcunque eius generis existunt, adiecerunt, quo uidelicet amarorum pharmacorum iniucunditatem lenirent, ad digestionemq; & urinæ expulsionẽ totum pharmacum impellerent atque inhortarentur. Si uero uaporum aut humorum crassitudinem attenuare oporteat, & hoc ipsum per ea cõtingit. Prima itaq;, ut apparet, ex omnibus uetustioribus pręclara Philonis antidotus existit, de qua ipse hæc scribit.

Philonis antidotus. Philonis Tharsensis medici magnum mortalibus inuentum ad multarum affectionum dolores, siue colum quis doleat semel datum, siue iecur, siue etiam urinæ difficultas, aut calcularis morbus, aut orthopnœa, aut tabes infestet. Sanat & conuulsionem & pleuritidem, ac sanguinis reiectationem, aduersusq; mortẽ se opponit, omnes uiscerum dolores sedat, tussimq; & suffocationem, singultumq; & destillationem. Hanc etiam Andromachus in suos commentarios retulit, hoc modo de ea scribens: Colica antidotus admirabilis, qua utor & ad uoluulosos, & ad eos qui stercora per uomitũ reijciunt in maximis doloribus: datur magnitudine fabæ ex cyathis tribus aut quatuor aquæ frigidæ. Compositio autem hoc modo habet. Piperis albi drac. XL. opij drac. XX. croci dra. X. seminis hyoscyami albi drac. XL. spicæ nardi, euphorbij, pyrethri, cuiusque drach. II. excipe melle cocto, ac utere. Alia antidotus colica, Nicostrati Isotheos appellata, duobus talentis empta, faciens ad stomachicos qui cibũ continere non possunt, oculorũ affectiones, & magnas uexationes, & dolores uuluæ, ex hydromelite in quo ruta sit incocta. Croci sesquidrachmam, myrrhæ drac. II. spicæ nardi drac. II. costi, piperis albi, piperis longi, galbani, cuiusq; drac. I. cinamomi, succi mandragoræ, castorij cuiusq; drach. II. seminis dauci sesquidrachmam, alij drach. III. & dimidiam eius conijciunt, opobalsami drachm. IIII. sagapeni drac. III. casiæ drachm. IIII. excipe melle despumato, & fabæ magnitudine præbe.

Quæ colicis infundantur, & per anum subdantur. Cap. XXXIII.

Huius generis sunt etiam, quæ sedi applicantur, quæq; ad leuandum dolorem per anum, tum subduntur, tum infundũtur. Opium itaq; ex genere eorum est, quæ fortiter sensum stupidum reddunt, ac somnum soporiferum inducunt. Atq; hęc facit tum per se solũ, tum cũ pari castorio in sapa aut oleo rutaceo imbutum, tomentóque exceptum, & ano inditum. Miscere enim hæc pharmaca oportet quopiam uires ipsius opij mitigante, nocumẽtumq; quod inde mẽbris infertur impediente, ampliusq; affectionem iuuante. Aliud, quod subditur colicis, ad dolorem leuandum. Castorij, croci, opij, myrrhæ, styracis, æquales partes in collyria longa redige cum aqua, & utere. Infusum ad colicos mirabile. Cedriæ quadran

quadrantem, picis liquidæ semissem, castorij sesquiunciam, opij sesquiunciam, piperis grana LX. unito cum digito medio, uel eo qui index appellatur, usq; ad primam flexuram uncto, & simul cũ olei rutacei cyatho I. inquinato, ammixtaq; butyri unc. I. terebinthinæ sesquiuncia, tepefactum per fistulam ampliorem infundito: subsidet enim & dehiscit, ac ab unione discedit. Aliud infusum, quod ante somnũ acceptum, somnum conciliat, dolorem lenit, concoctionemq; probe iuuat: Succi absinthij drachm. IIII. opij drach. IIII. aloës drachm. XII. picis liquidę unc. I. cedriæ unc. I. myrrhæ unciam unam, centaureæ drach. IIII. castorij drach. X. costi drachm. VI. mastiches unc. I. foliorum rutæ unciam unam, styracis unc. I. mellis & terebinthinæ liquidæ quantum ad coactionem sufficit, quo ad mellis crassitudinem redigatur. Vsu uero expetẽte ex pharmaco hoc drachmas plus minus quatuor, iuxta ægri uires ac ætatẽ, in diplomate cum oleo cyprino, gleucino, anethino, telino, in quibus cuminum contusum coctũ est dissolue, modicúmque butyrum ammisce. Et ubi aluum per clysterem stercoris eductiuum prius euacuaueris, deindeq; laueris, & cibum exhibueris, ac caput ex anethino aut omphacino illeueris, ante somnum infunde. Vtere, experimento enim constat. Aliud, quod inferne infunditur, quo ego usus magnum nomẽ assequutus sum. Castorij drac. IIII. croci sextantem, allij tamen drac. II. tantum habent, opij trientẽ, myrrhæ drachm. IIII. succi rutæ drach. II. nitri rubri drach. II. quidam uero pro nitro spicã nardi scribunt, excipe melle despumato cocto. Vsus uero tempore nucis auellanæ paruæ magnitudine, aut fabæ tantum accipe, ac in uini mẽsura unã dissolue, affusaq; olei rutacei mẽsura una, ut uidelicet duæ mensuræ sint in totum, permisce, ac præloto ægro, ante somnum infunde. Cæterum præscriptas ad dolorem leuandũ antidotos & infusiones uitare oportet, ne in nimis assiduum usum conuertamus: sedant enim cõfestim dolores, causas uero intus reseruant: & aut paulo pòst animi deliquium inferunt, & mortem, aut diuturnas & indissolubiles affectiones reddunt. Aliud infusum mirabile. Butyri quincuncem, adipis anserini, adipis gallinacei, medullę ceruinæ, terebinthinæ, cuiusq; sextantem, adipis ursini unc. I. cumini, foliorũ rutæ, castorij, cuiusq; quadrãtem, euphorbij recẽtis drach. VI. opobalsami septuncẽ, nardi celticæ trientẽ, unguẽti nardini lib. II. olei rutacei sextarios IIII. Vtere hoc ipso in uehementibus doloribus: euacuatione tamen prius per clysterem facta, & post horæ spatium mensuram unam mediocris poculi tepefactam infunde, quiescereq; iube, ac aliquandiu pharmacum retinere: atque ita diuinã eius uidebis facultatẽ. Aliud infusum, quod etiam causas euacuat, ac dolorem leuat, facit & ad diuturnam renũ affectionem, & ad calculosos: eosq; qui inuoluntariè urinam eijciunt. Allij capita magna tria, rutę uiridis manipulares fasciculos duos, olei dulcis lib. IIII. Allia decorticato, & cũ ruta ac oleo donec torrefiát coquito, atq; id ad prunas fumũ nõ emittentes facito, ac deinde percolato, ad oleũq; butyri lib. I. affundito, picis liquidæ sextarij italici quartam partem, cedriæ tantundem: unito, ac in uitreo uase recondito. Vsu autem expetente, sextantẽ inde, aut minus iuxta ægri uires accipito, oleoq; & uino pari mensura acceptis, ita ut totũ hemina una fiat, cõmisceto, tepefactumq; infundito. Aliud infusum. Olei cyprini lib. V. castorij sexuncem, antidoti regiæ quæ etiam tetrapharmacum appellatur, sexuncem, emplastri ex succis sexuncem, terebinthinæ sexuncem, butyri sexuncem, baccas lauri centum & unam, baccas allij magnas quinquaginta unam, cumini lati unciam unam, rutæ manipulum unum. Baccas lauri & allia mundato: latum uero cuminũ & rutam in pila tundito, & in hemina una uini ueteris dulcis macerato. Sequenti uero die affuso oleo & butyro, in diplomate decoquito, percolato, ac reliqua ammisceto, pariterq; castorium cum oleo tritum. Vtitor. Vbi uero usus postulauerit, pharmaci huius sextantem accipito, & adipis anserini liquefacti itidem sextantem ammisceto, tepefactumq; inijcito. Infusum colicum admirandum. Fœni græci ac lini seminis æquales partes, quantum satis uidebitur accipito, & in aqua præmacerata decoquito, atq; ubi succus inde prodierit, quantum ad usum satis uidebitur percolato, ac in eo ipso quod percolaueris, lanas succidas eluito, expressisque lanis, ad aquam, salem & oleum moderate adijcito, simulque unito, ac tepefacta infundito.

Cataplasma colicũ, ex libris Seueri. Cap. XXXIIII.

F arinæ cicerum nigrorum, seminis brassicæ, farinę fœni græci, singulorum æquales partes decoque cum melle, oleoq; cyprino, modico uino affuso. Est & alterum admirabile remedium, cuius efficaciam experimẽtum ipsum approbauit. Accipit autem fœni græci partes II. baccarum lauri contusarum, mastiches chiæ, & terebinthinæ, singulorum partẽ unã. Coquitur cum uino & melle. Epithema colicis, inflatis. Silphium plurimum cerato cyprino excipe, & impone. Ego uero, inquit Archigenes, etiã castorij paululũ admisceo, efficaciusq; redditur ad stomachi præsertim inflationes. Aliud epithema ad colicos, inflatos, coxendicum dolores, pleuriticos, ac stomachicos, & diuturnũ uomitũ cibi: attrahit etiã, ac duritias emollit. Ceræ, picis, resinæ pinus, adipis taurini, baccarum lauri, singulorũ quincuncem, ammoniaci thymiamatis trientem, galbani quadrantem, piperis sesquiunciam. Aliqui etiam cãchryos quadrantem, ammij tantundem conijciũt.

Aliud. Ceræ libras II. celtici nardi, floris iunci odorati, cassiæ, cyperi, cuiusq; sextantem, colophoniæ libras II. terebinthinæ sesquilibram, thuris, pyrethri, cuiusq; sesquunciam, euphorbij unciam I. costi drachm. XXX. unguenti irini quantum suffecerit. Arida in uino rigata ac exiccata cõtundito & cribrato, atq; ita liquefactis inspergito. Ad finẽ etiã opobalsami sextantẽ aut quadrantẽ ammisceto. Facit quæcũq; etiã polyarchion: maxime tamẽ inflatis conducit. Vtendũ quoq; ad colicos paulo mox subscripto polyarchio appellato, atq; eo quod ex baccis lauri constat, quod ad hydropicos describetur, & si qua his similia existunt. Propriè autẽ colicis conuenit, inflãmatisq; & inflatis, quod in epistolis Archigenis refertur, ex seminibus constans. Ceræ drachmas centum, terebinthinæ drach. L. ammoniaci thymiamatis dra. L. opopanacis, iridis illyricę, anisi, meliloti, nitri, adipis taurini, fœni græci, seminis apij, cuiusq; drach. XXV. mellis sexuncem, aceti cyathos duos. Arida contundito & cribrato: ammoniacum

autem in aceto mulso per noctem unam maceratum reponito, postera die liquescibilia feruefacito, in mortarioq́ꝫ cum pistillo tusa commisceto. Hoc epithema hoc modo purum citra aliarum rerũ admixtionem impositum, cutem exasperat, eisq́ꝫ qui uitiosis humoribus amplius abundãt, serpiginosum pruritum excitat: quare in his qui teneriores carnes habent, ex cerato rosaceo quantum tibi satis uidebitur pro curandi corporis ratione, ammisceto. Dropax etiam assiduè super omnem uentris amplitudinem inijciatur, atq́ꝫ etiam super dorsum. Cõponatur autem is ex pice & resina, modica cera, sulphure, bitumine, manna, nitro, adarce. Intenditur autem usus eius si calidiori & non pinguefactæ cuticulæ admoueatur, atq́ꝫ etiam inter exercitia incumbere sinatur. Aliquando etiam balneum suscipiatur, ex nitro asso toto corpore large consperso. Huiusmodi enim dropacis usus uiolẽtius adfectionẽ destruit, sicut & sinapismus & thapsiæ usus multis q̃ antea exquisita diæta sunt usi, & per aluũ, si quidem adstricta fuerit, sunt euacuati, affectionem omnẽ excidit. Porrò dropacum & sinapismorum apparatus in tertio Sermone sunt descripti. Aliud, Archigenis, uile quidem, uerum ob efficacem ipsius lenitatem in precio habẽdum. Picis liquidæ libras II. ceræ sexũcem, sulphuris uiui, nitri, aluminis scissilis, cuiusq́ꝫ quadrantem. Ad picem liquidam præcoctam usquequo non amplius inquinet manus, ceram inijcito, qua liquefacta ab igne tollito, aridaq́ꝫ tenuissime trita inspergito, unito, emollito, ac utitor. Flatus inferne educit, cutẽ uellicãdo iucũde afficit, ac per omnia colicis auxiliatur. Prodest etiam coxendicũ doloribus, & articulis refrigeratis, lieniq́ꝫ indurato. Epithema ex baccis lauri, ad colicos. Ceræ, colophoniæ, picis siccę, spumæ nitri albi, ammoniaci, cuiusq́ꝫ dextantem, baccarum lauri decorticatarum sesquilibram, piperis sextantem & unciæ dimidium, ammij, canchryos, iridis, cuiusque sesquiunciam, galbani sesquiunciã, unguẽti irini librã unam. Quod si cachrys nõ adsit, pyrethrũ cõijce, & liquefacta cũ siccis permisce. Hoc etiam approbat Oribasius. Polyarchion, quod in Alexandria præparatur. Casiæ, amomi, rosarũ, cyperi, cardamomi, spicæ nardi, nardi celticæ, folij, iridis, ænanthes, cõpositionis hedychroi, mastiches, croci, meliloti, succi absinthij, ammoniaci, thymiamatis, aloës, bdellij, myrrhæ, cuiusque unc. I. xylocinamomi, piperis cõmunis, helenij, styracis, cypheos, thuris, cuiusq́ꝫ sequiunciam. Succos cum aridis committito, ammiscetoq́ꝫ xylobalsami scrup. XII. floris iunci odorati scrupulos XII. terebinthinæ sexuncẽ, unguenti nardini bessem, rosacei lib. I. hederæ unc. XVI. opobalsami sextãtẽ. Succulẽta uino diluta terito. Polyarchion, quod dialemma, id est intermissio, appellatur: quod ipsum & in Alexãdria præparatur. Castorij unc. I. piperis longi sesquiunciã, myrrhæ, opobalsami, hedychroi, foliorum malabathri, casię, radicis panacis, spicę nardi, cuiusq́ꝫ quadrãtẽ, costi sextantẽ, amomi sextantem, cinamomi sesquiunciã, aut pro eo casiæ quadrantẽ, floris iũci odorati triẽtẽ, croci sextantẽ, cyperi, cardamomi, iridis, aristolochiæ lõgæ, aristolochiæ rotundę cuiusq́ꝫ sextãtẽ, pyrethri trientẽ, ammoniaci thymiamatis quadrãtẽ, aloës quadrantem, ceræ lib. IIII. terebinthinæ lib. IIII. resinæ trientem, unguenti nardini lib. III. quidam etiam styracis sextantem addunt, uini uero quãtum omnino sufficit. Polyarchion multo experimento cognitum, quo confidenter ad omnes diuturnos frigidiores, præsertim circa uiscera morbos utaris, ego sanè eius usu semper clarus euasi. Styracis pinguis dextantem, foliorum malabathri sextãtem unciámque dimidiam, malorum cotoneorum repurgatorum uncias XV. masuaphij uncias duas & dimidiam, spicæ nardi, croci, cuiusq́ꝫ sextantẽ, dimidiamq́ꝫ unciã, micarũ purarũ dextantẽ, cypheos dextantem, œnanthes quincuncem, carpobalsami sequũciam, comę absinthij unc. II. & dimidiam, masticches unc. II. & dimidiã, chareophylli unc. I. scrupulos VI. ammoniaci thymiamatis unc. XX. colophoniæ unc. XVI. opobalsami unc. XII. & dimidiam, olei gleucini deuncem, nardini dextantem, melini unc. XX. propolis dextantem, rosacei sextantem unciamq́ꝫ dimidiam, mellis cochlearia uiginti, terebinthinæ chiæ unc. XX. ceræ unc. XV. uini spathitę quantum sufficit ad reliqua cum eo conterenda, & ad rigandas micas. Arida quidem omnia contundito & cribrato, mala uero cotonea concisa cum uino spathite coquito, ac per se terito, deinde ammoniacum & mastichẽ cum uino conterito. Styracem uero cum opobalsamo in altero mortario dissoluito, atq́ꝫ omnia trita ac dissoluta simul unito, liquefactisq́ꝫ quæ liquefieri possunt, & ab igne ablatis arida infarcito, ac donec refrigerentur agitato: deindeq́ꝫ ad ea quę in mortario trita sunt adijcito, ac unito, adiecto etiã simul melle, pòst uero emollito ac optime subacto, tanquam ualde probato utitor. Aliud epithema præter opinionem efficax ad omnes præcordiorum uetustissimas etiam affectiones, præsertim in stomacho ac uentre. Quibusdam etiam quibus aqua inter cutem iam suffundi incepit, profuit. Duritias enim in stomacho unice dissoluit, supra hoc quod uisceribus robur & firmitatem addit. Compositio hoc modo habet. Resinę pinus libras XX. cerę libras quinq́ꝫ, terebinthinę deunces duas, olei lẽtiscini uncias XVI. gleucini uncias XVI. thuris quincuncem, ladani quadrantem, ammoniaci thymiamatis, nardi celticę, succi absinthij, masticches, bdellij, casiæ, cuiusque quincuncem, cardamomi, floris iunci odorati, iridis, balaustiorum, singulorum trientem, carpobalsami quadrãtem, chareophylli quadrantem, herbę sabinę quadrantem, stactæ albæ quadrantem, piperis sextantẽ, suffimentorum subscriptorum libras IIII. œnantharij quantum sufficit. Suffimentorum uero quæ ad huius epithematis compositionem conijciuntur, apparatus hic est. Liliorum alborum depuratorũ lib. II. styracis pinguis libras duas & dimidiam, folij libr. I. careophylli trientem, costi trientem, spicæ nardi trientem, masticches quincuncem, amomi sexuncem, onychum aromaticorũ ustorũ & extinctorũ, opobalsami, singulorum bessem, carpobalsami sexũcem. Apparato ac redigito in pastillos, eisq́ꝫ ad præscriptam compositionem utaris.

Quomodo aluum fluxione laborantẽ curare oporteat: ex libris Philumeni. Cap. XXXV.

Aluus tum in febribus, tum citra febres, fluxione laborat, maiori uero difficultate eorum, qui febricitãt, cura perficitur, coniecturaq́ꝫ exquisitiore opus habet. In principio enim aliena à natura salubriter euacuare consueuit, ipsa uidelicet natura undiquaque ad superfluum

perfluum & incommodum reijciẽdum cogere, quẽadmodum in febribilibus morbis frequenter fieri uidemus. Conuenit itaque rebus sic stantibus, aut usquequo natura omnem curam suam impenderit expectare, aut ipsius etiam motus adiuuare. Etenim obluctari & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit: siquidem quæ cohibentur sursum perlata dolores capitis, aut phrenitidas, aut lethargos, aut parotidas inferunt planè perniciosos. Quare in principio ea quæ in corporis commoditatem utiliter excernuntur, minime inhibere oportet. Postquam uero iam diutius perseuerauerint fluxiones, non solum superflua euacuantes, uerum habitũ ueluti colliquantes, uiresq; cõsumentes: tunc sanè resistere eis oportet, tũ per ea quæ per os sumuntur, tũ quæ per anum infunduntur, atq; ea quæ forinsecus imponuntur. Si itaq; biliosa pura recremẽta prodierint, in magis salubria permutare ipsa oportet, non tamen per cohibitionẽ eos curare. Biliosum enim tũ in uentre, tum in ieiuno intestino aggregatum, atq; post coaceruationem retentum maximopere lædet: nam & stomachum subuertit, & uisceribus inflammationes infert, & sitim accẽdit, & febres instaurat, omnesq; prædictas affectiones in capite efficit, atq; in totum grauiorem affectionem reddit. Lac igitur in tali incommoditate bubulum aut caprinum tepidum, recens, mulctum ac potatum auxiliatur, aut ad ignẽ decoctum, assiduèq; agitatũ, donec ad tertias sit reductũ: quod ipsum & per fluuiales silices, ferriq; laminas igni cãdefactas ac in lacte extinctas fieri potest. Cæterũ in decoquendo superstantẽ concretionẽ siue spumam mystro aut pinna auferre oportet. Hoc enim nullum compendiosius remedium ad fluxiones biliosas reperire possis. Quandoquidem autem febricitãtibus lac ipsum in nidorẽ aut etiã acorẽ conuerti consueuit, maiusq; nocumentũ quàm cõmoditatẽ inferre: tũc sanè in præsens ipsum exhibere uitabimus: aquæ uero quarta parte ad lac ipsum affusa, decoctionẽ faciemus, donec dimidiũ totius cõsumatur, atq; hoc modo exhibebimus. Et hæc quidem ad biliosas fluxiones sufficiant: ad alias uero ubi sufficiens iam euacuatio sit facta, fluxioq; ipsa adhuc perseueret, irrigationes adhibeantur ex oleo omphacino, aut rosaceo, aut melino cum uino: efficacius autẽ his myrteum est, si uehementiori indigeat adstrictione, tertia aut quarta uini parte ei admixta. Quod si robustiora corpora cõtingant, gallæ, malicoriũ, cupressi pilulæ, in ipsa irrigatione incoquantur. Cuminum etiã tritum lanæ cõuolutæ infarciatur, & apij similiter semen pari pondere: urinam enim irritat, fluxionesq; ad intestina eò diuertit. Cæterum & sedes ipsa ex decocto quopiam prædictorum adstringentium foueatur. Perseuerante autem adhuc fluxione, etiam cataplasmatis ex palmis & acacia & alumine erit utendum: ceratis itẽ ex oleo myrteo apparatis. Conueniunt quoque emplastra ex eadem materia apparata. Parabile uero & efficax hocce est. Mora præ immaturitate adhuc acerbiora, & albicantia, septem accipe, probeq; cõtere: deinde ceratum ex oleo omphacino apparatum, ita ut ceræ in eo uncia sit, olei uero sextans, adijce, uni, & utere. Idem faciunt cruda mora exiccata cum ouo trita ac illita. Porrò inueteratæ iam affectioni epithema ex œnanthe conuenit, & ex micis emplastrum in stomachicis descriptum, quod spumam argenti & cerusam admixtam habet: item reliqua quæ in sermone de cœliaca affectione describentur. In potu uero accepta uentris fluxus, post sufficiẽtem inutilium euacuationẽ, sanant: capilli ueneris decoctum, paliuri folia, uinacei uuæ triti, spica nardi, spinæ albæ radix, quin & cœliacis & stomachicis eadem opitulantur. Mora etiam immatura & adhuc acerba ad solem pluribus diebus desiccata, deinde trita & reposita, usuq; expetente bibita, magnum pharmacum alui restrictiuum fiunt, ut ad diuturnas etiam cœliacas affectiones commode exhibeantur, aliasq; omnes quæ fluidæ existunt, atq; etiam dysenterias. Contunduntur quoq; & obsonijs ammiscentur, quemadmodum rhus culinarius consueuit. Magis tamen aluum cohibent rubi mora immatura & acerba eodẽ modo exiccata, & in potu exhibita. Illitione autem optima ad fluidam aluum eiusmodi utaris. Acaciæ, mastiches, œnãthes, cuiusq; æquales partes accipe, ac unumquodq; per se cõtere, deindeq; permisce, ac sicca adserua. Necessitate uero exigente ouo subacta aluo illinito, fasciculumq; lanæ purpureæ imponito & obligato. Malo uero adhuc perdurante, etiam dorsum inde illinito.

Cura eorum qui ex debilitate alui fluxione laborant: ex libris Galeni. *Cap.* XXXVI.

Vnumquodq; membrum propria actione perfungitur, quum temperamentum suum iuxta naturam adseruat. Seruabitur autem temperamentum, si refrigeremus, ubi ad caliditatem fuerit diuersum: contraq;, calefaciamus refrigeratum: humectemus uero exiccatum, & rursus desiccemus humectum. Iuxtaq; eandem proportionem etiam tractemus eos, qui ex harum intemperierum complexu & coniugatione afficiuntur. Oportet enim semper excessui contrarium opponere, usquequo ad moderationẽ, & in id quod iuxta naturam habet, membrum ipsum reducatur. Ratione igitur edoctus sum etiam octo differentias curationis imbecilli uentris esse. Calidæ intemperiei cura. Vidisti namq; & tu ipse aliquos quidem per diem unam, quosdam autem ampliori spatio, frigidæ potu curatos: quorum aliquibus nõ solum recentem frigidam fontanam exhibui, sed etiam coctã & postea niue adobrutam & refrigeratam. Edulia etiam hoc modo refrigerata eos accipere, uidisti me concedentem: maxime si à plurima caliditate uexarentur. Dedi autem & lactis spumam similiter refrigeratam, & frigida iuxta ipsorum uires poma eodẽ modo refrigerata: ptisanam quoq; citra salis aut alterius rei admixtionem probe coctã, aliaq; eius generius infinita: unicum scopum refrigerãdi propositũ habens. Prohibui autẽ ne absinthium aut aliqua adstringentia contingerent. Frigidæ intemperiei cura. Alios autem ex frigida intemperie laborantes, similiter ab adstringentium usu prohibui, omnibus uero modis calefeci: uino ueteri facultatis plurimũ calidæ exhibito: itemq; cibis calefacientibus cum pipere. Humidæ intemperiei curatio. Quibusdam uero humidam uentris intemperiem habentibus, medicationis scopũ in exiccando feci, dediq; eis edulia ex natura sicca: carnes probe assatas, & paucũ potum: omniumq; adstringentiũ usus his cõuenietissimus existit: in quibus enim humiditas multa ac ueluti mador circa affectum membrum adest, citra tamẽ humorum uitiationem, ita ut quantitatis tantum excessu

cessu adfligant, ac ueluti perstillantem ipsum uentrē reddant: in his commodissimus existit ciborum ac potuum, itemq; pharmacorum adstrigentium usus: exoluto nimirum ac languido tunc facto ægroto membro. Cura uentris ob siccitatē immodice flui di. Alium autem siccissimum iam factum, ut tabidis similimam figuram haberet, in cōtrarium omnino habitum deductum curaui. Huic quum in principio exigua intemperie uexaretur, à siccitate uidelicet hu mectatione indigente, medici qui eum curandum su sceperant, absinthium bibēdum dederunt: malaq; co tonea, ac similia in cibo, extrinsecusq; similiter adstrigentia adhibuerunt, atq; hoc modo totum aridū hominem reddiderunt. Hunc ipsum nos curauimus uniuerso corpore eius omnibus modis humectato. Qualis autem est senectus in sanis, talis est sicca intēperies in ægris: ut etiam incurabilis existat, ubi perfectè compleatur. Perfectum autem complementū in hoc est, si solida substantia similarium corporum aridior fiat. Est autem & altera quædam siccitas eorum corporum, quæ ex substantia humore compacta constant, uelut est caro & pinguedo. Alia etiā tertia siccitas est, quum humiditas ex qua membra con nutriuntur est deperdita. Circunfunditur autem ea ipsa humiditas circa omnes animantis partes, instar roris in ipsis dispersa, quam impossibile est ipsis mēbris apponere citra nutrimentum: quare difficilima omnium huius affectionis cura existit. Alia autem siccitas est, quæ circa paruas arterias ac uenas cuiq; membro proprias consistit: hæc ipsa ob sanguinis penuriam contingit. Omnes uero has siccitatis species extreme offendunt austerorum ciborum ac potuū pharmacorumq; exhibitiones. Consumunt enim etiam si quid in ipsis innati ac insiti humoris relinquatur, partim quidem exhaurientes, partim uero exprimentes per meatus in interiorem latitudinem alui, partim etiam ad alia membra depellentes. Curare igitur has siccitates conuenit, tum conclusos meatus laxando, tum quod ad circumiacentes partes depulsum est attrahendo, per humectantemq; cibum unumquodq; similare membrum propria humiditate replendo: quemadmodum nos arefactū penitus à medicis hominē curauimus. Balneū itaq; temperatissimum his conuenit: ita ut æger aliquandiu in tēperata aqua moretur. Præstat autem prope exteriores balnei fores calidę soliū locari: neq; enim aëre omnino ad ipsos indigemus. Oportet etiam gestando ipsum in balneum inducere, atq; inde educere. Deinde ex oleo antequàm induatur inungere. A balneo uero statim lac asininum recens mulctum exhibendum, asina in domum in qua decumbit æger deducta: paucissimo enim tēpore in ambiente aëre lac ipsum morari oportet. Parum etiam mellis optimi tepidi lacti ammiscendum, atq; ita usq; ad secundum balneū quiescendum. Postea uero mediocriter & accurate fricatū, secundo lauabimus diligēti coniectura, tum ex ructib. tum ex uentris tumore facta, an exhibitus cibus sit rite confectus: modicum uero tempus à primo balneo usque ad secundum intercedat, horarum IIII. aut V. puto, maxime si tertiò etiā ipsum lauare uelis: id si non uelis, non refert etiam plurium. Lauabis autem tertiò, si adsuetus sit balneis plurimis uti: & hoc sanè minime negligamus, quo à singulis balneis priusquàm induatur, oleo eū inungamus. Cæterum si lactis usu delectetur, etiam à secundo balneo ipsum propinabimus: si uero non, ptisanam probe decoctam, aut halicam instar ptisanæ dococtam dabimus, indeq; statim rursus quiescere iussum, postea ad tertiū balneum ducemus: aut cōtrà, ad cœnam, si lauare nō uelit. Panis ei preparetur clibanites, purus, recēs, probe assatus, fermentum & salem mediocriter admixta habens. Pro obsonio sit piscium quispiā petrosis aquis degentiū, aut asellus ex iure albo. Atqui & alæ & testiculi gallinaceorū lacte nutritorū conueniunt: perdices item ac auiculę montanę ac molles carnes habentes. Verum quæ in palustribus ac fluminibus degunt uitanda: omniaq; duras habētia carnes, & graueolentia, pinguiaq; & fibris referta: &, ut summatim dicā, caput cibi sit ut bene nutriat, & facile concoquatur, minimeq; uiscosus sit, neq; superfluitatib. abundet. In potu sumat uinum album colore, tenueq; substantia, & modice omnino adstringens, puruq; & parum aquę ferens, quo nomine accipi uolo, id quod quum temperatur modicā omnino aquæ admixtionē perferre potest. Scopus autē quātitatis potus in hoc sit propositus, ut nūquàm uentriculo innatet, neq; fluctuationis aliquē sensus faciat. In cibis uero spectetur, ut quantū posibile sit, uentrem non grauent, celeriter concoquantur, & inflationem non pariant. Atq; hoc sanè modo maxima corporis siccitas curatur. Quū uero mediocris siccitas existit, utpote quū uires nō extremè sunt collapsæ, pleniorem diætā sufficere expedit. Proponatur autē siccitas similis quidem prædictę, cum qua tamen frigiditas sit coniugata: in tantum igitur prædictis ex calefaciētium sylua miscebimus, quantū membra fuerint refrigerata. Ponatur autem primū mediocriter ipsa esse refrigerata: apponemus itaq; paulo antè dictis, in lactis quidē usu plus mellis: in uini uero usu, idē quidē genere dabimus, minus autē priore aquosum, & plurium annorū. Cæterum & edulia omnia calidiora exhibenda, non solū ex naturali tēperatura, sed à recenti etiā qualitate. Ex unguēto etiā nardino assidue uētrem inūgemus, ut nunquam aridus fiat: si uero nardinum non adsit, mastichino erit utendū. Sed & ipsam mastichen cū nardino unguento terere licebit, lanāq; purpureā ex eis imbutā uētri adhibere. Si uero frigiditas multa intemperiei siccę copuletur, ut coget ferè ad uberius calefaciēdū, primū quidē affectionē grauissimā esse scito, & quę difficulter corrigi potest, multaq; diligētia opus habet. Vbi uero ijsdē usi fuerimus, quæ ad mediocrē frigiditatē sunt descripta, speramus sanè quanquā longiori temporis tractu nos affectionē sanaturos: ita tamē ut à uehemēter calefaciētibus abstineamus. Demus autē amplius quiddā ex melle despumato unà cū lacte, atq; etiā ipsum per se ampliori modo: itemq; decoctū ac in pastillos redactum. Vinum uero uetustius eis eligendum. Optimum autē pharmacum in omnibus his quo frequenter picatores utūtur, existit. Eo itaq; uniuersum uentrē illinire oportet, atq; mox prius quàm refrigescat auellere: uerum hoc non sæpe in die, quorundam more, facere oportet: Discutit enim hoc modo, non uero bono sanguine membrum ipsum replet: nos autem non discutiendi gratia, sed ob sanguinem bonum ex uicinis partibus attrahendum, eius usum approbamus. Auxiliatur etiā omnibus his puellus carnosus dormientibus

mientibus acclinatus, ita ut superiorem uentrem semper contingat. Quod si ex ordine multae siccitati caliditas non ualde multa misceatur: in hac primam uictus ratione seruabimus: ita ut mel prorsum non gustent: uinum uero minime uetus accipiant, quod sit album & tenue, & aetate annum nõ excedat. Edulia etiã tepida exhibebimus quae lactosa, hoc est lactei teporis appellantur, si hyems adsit: in aestate uero, uelut aquae fontanae cõueniunt edulia, quae nõ summè frigidae sunt. Ventrẽ quoq; omphacino aut melino oleo illinemus. Si uero maior caliditas adsit, etiã dilutiorem uini temperaturã faciemus, frigidumq; dabimus, quemadmodum fontana aqua in medio uere esse solet. Nosse tamen operae pretium est febrium similem hanc affectionem esse, atq; si quis contentiosius eos refrigeret, periculo non uacare.

De coeliaca affectione, Archigenis. Cap. XXXVII.

Non omnis uentris fluxus coeliaca affectio proprie appellatur: neq; enim si cibi crudi & incocti infernè prodeunt, neque si corrupti ac in peregrinum habitum mutati sunt, coeliaca affectio uocatur: uerũ tunc solum quum leuia & humecta excrementa egeruntur: uentre prę imbecillitate ea digerere nequeũte. Sequitur autem ipsos asidua egestio, aliquando foetida cum animi deliquij sensu, aliquando uero etiam sanguis flauus ac tenuis unà cum his quae egeruntur destillat: & ob eam causam cibũ auersantur, decoloresq; & uehementer graciles fiũt, corrugata insuper eorum uniuersa cute: & uenae sanè quae in uentrem deferuntur, liuescunt: & ad magnam omnino desperationem res deuenit, si morbus diutius duret, aegris ad cõuenientem diaetam pigrescẽtibus. Si itaq; morbus autumno incipiens ad hyemem usq; se extẽdat, difficilius omnino curatur. Causae autem affectionis sunt, asiduae cibi corruptiones, & peregrinorũ eduliorum ingestiones: amplius autem si frigiditas aut uehemens ardor insistat, similiter etiam plagae uentrem laedunt: & in morbis quoq; longis, uenter male affectus adfectioni huic obnoxius fit. A medicinae quoq; purgantis potione quidã coeliacam affectionem inciderunt. Nosse tamen oportet, quòd aliquando quidem per circuitus malum hoc adfligit, tẽporibus quibusdam aluo restitante, quibusdam uero ordinate per certas horas fluente: aliquando uero incessanter apparet. Quin & hoc nosse oportet, quòd saepe non solum permanet appetitus, uerum etiam amplius augescit: & ob id corruptionibus aceruatim per q; uices factis, omnia mala augescunt. Recente igitur morbo, diligenter inuestigandae sunt ipsius causae, ut ab eis maxime nos adseruemus. siue igitur corruptiones praecesserint, cauendum ne amplius fiant, simulq; uitiosi humores ex eis generati euacuandi: siue peregrinorum eduliorum ingestio causa existat, ea ipsa auferre oportet: siue labor, aut fatigatio, aut aliud quippiam ex praedictis, ab eis similiter abstinendum est, aegriq; in quiete adseruandi, atq; si ferre queant, in inedia: aut certe omnino modico cibi usu. Aliquando autem etiam larga potione utendum, aegerq; ad reuomendum cogendus, maxime si humores in uẽtre collectos perceperimus. Deinde attente exquisitae diaetae insistendum, donec affectio in totum tollatur. Consistit autem exquisita diaeta in electione qualitatis ciborum. Quòd si tamen in principio difficilis appareat morbus, etiam reliquis praesidijs utendum. Primum igitur media inspicienda sunt, atq; si inflammatio, aut similis inflãmationi dispositio circa uentrem reperiatur, cataplasmatis utẽdum est, quae ex professo inflammationem soluunt, ac fluxus retrahunt: qua in re, palmę cõmode semini lini ammiscentur. Caeterum cataplasmata ipsa minime calida apponere oportet: sed tepida saltem: atq; si intendere eorum uim uelis, acaciae quippiam & hypocisthidis, aut malorum cotoneorum, aut aluminis recte ammiscueris. Magnifice autem prosunt lentiscus & rubus simul cocta: acetum quoq; mulsum apposite in cataplasmatum cocturã assumitur. Summe uero commodam utriq; affectioni nouimus loliaceam farinam simul cum eis incoctam. Inflatione autem plurima infestante, cuminũ aceto mulso inspergimus, rutamq; & anethum. Manifestum est autem quòd ad cataplasmatum retentionem, quo contentius inhęreant, etiam rosaceum adhibemus, ac parum uini: ampliusq; lentiscinum, aut oenanthinum, aut myrsininum. Oportet autem lana excepta ipsa imponere. Caeterum optimum ad ipsos tale cataplasma existit: Malis maxime cotoneis & palmis, absinthijq; coma in uino decoctis, uinum ipsum percolatur, ac sapae creticae tertia pars ei affunditur: deinde simul calefactis polenta tenuis inspergitur, & absq; oleo decoquitur. Oleum uero quo uenter illinitur sit melinum. Post cataplasmata conueniunt cerata ex myrsinino aut lentiscino oleo apparata: quae tamen ex adstringentibus quaedam habeant admixta, ex acacia dico, & quae eius generis existunt. Aptissimum etiam his ceratum est ex oleo myrsinino apparatum, quod mora immatura ac acerba trita, parumq; sanguinariae habet admixta. Porrò ubi diuturnum fuerit malum, etiam ad malagmata transeundum est: summopere uero concinnũ eis uidetur, quod ex seminibus constat, & ad colicos est praescriptum: itemq; quod ex lauri baccis, quod ad aquam inter cutem describetur. Postea etiã adhibenda ea quae uehementer rubefaciunt cutem. Quod si adfectio adhuc intendatur, etiam dropaces adhibẽdi medicamẽtaria ui praecellentes, bitumenq; habentes & adarcen: post dropacem uero, morsum balneo secundum caliditatem mordaciore curare oportet: duabusq; post dropacis amotionem horis sinapismi adhibendi ex sinapi & caricis: ita ut modico tempore impositos sinamus, oleoq; inde ad locũ circumfuso, ad balneum ducamus. Atq; id semel facere non sufficit, sed bis ac ter: neq; enim hoc ipso aliud efficacius remedium in praedicta corporis constitutione apparari potest: & ob hoc non multo tempore inhaerere id oportet, ne loco nimium exusto, secunda & tertia huius praesidij admotio prohibeatur. Mirabiliter etiam uomitus efficaces sunt, tum à coena, tum ieiunio facti, nimirum quae corrupta sunt euacuantes, & quae ad intestina dilapsa sunt attrahentes & conuerrentes, ac proprias uentris actiones reuocantes. Si uero liceret ab his ad eos qui à raphanis fiunt transire, maiore compendio affectio ipsa expugnaretur. Quidam etiam ueratri albi purgatione usi sunt: & si subiectae uires eius auxilij sint capaces, prae omnib. huius usus eligatur. Ego uero ad coeliacos prius quàm uires extreme deficiant, purgatione humori conuenienti utor. Aliquando autem medicati quidam &

acres, aut etiam serosi humores tuniculis uentris aut magis intestinorum insarti aut imbibiti rodunt & irritant, atq; ex omni corpore humores ad locos circa uentrē & intestina aduocant, diuturnarūq; fluxionū causa fiunt. Cæterum ex egestis recremētis & ex cōsequentibus accessionibus, affligentis humoris speciē coniectare oportet, atq; ita cōuenientē exhibere purgationē. Præstabilius tamen est picræ ex aloē cōpositioni scammoniæ scrupulum I. aut amplius, si uires tolerent, ammiscere, & cum aqua mulsa prębere. Quod si ex atra bile sit humor infestans, epithymū adijcere oportet, & post affligentis humoris euacuationem, eis uti, quę affectis mēbris firmitatē addere possunt: cuius generis sunt ex malo punico eclegmata, ad stomachi subuersiones descripta. Illud etiā notatu dignū, quod aliquib. fluxiones ex adstringētium usu oboriuntur: uētre nimirū ab ipsis lęso propter imbecillitatem aut mollitiē sensus. Vtimur autē, inquit Archigenes, ad alui fluxiones hiera mea, drac. II. ex ea exhibitis, ad eorū quę in uentre ac intestinis insident detersionem, ut nullū enim aliud hæc ipsa quàm rectissime emēdat & corrigit, deinde theriaca utor. Vtor etiam, inquit, zopyrio mea ad colicos descripta, ad fabæ magnitudinē ex ea prębens cū duobus cyathis passi ueteris, aut aceti mulsi boni paulo ante horā cibi sumendi, ad dies ex ordine XV. deinde ubi ab eius exhibitione per V. dies quieuero, rursus exhibeo ad dies X. atq; hoc tādiu facio donec nō amplius opus habeat æger. Præstat etiā exhibere quæ ex duob. piperis generibus constat compositionē. Omnino igitur simplicia pharmaca & facile digestibiles cibos exhibere oportet debili existente aluo. Si uero febricitent etiā, eo magis adstringētium sylua erit uitāda. Quod si tamē prędicta remedia circa affectionis solutionem nihil efficiāt, ustio adsumatur. Perurere autē superiorē uentrē oportet, interuallis duorum digitorū mēsu aut ampliorib. etiā factis, ulcerationesq; seruare ad multum tempus ad fluxionū in uētre transitū ac deriuationē. Licet autē & per pharmacū crustas infligere, si quis ignis admotionē formidet. Postremū quidem igitur locū inter prædicta remedia ustio habet, propter nimiam seueritatē: si quis tamen uirili animo præditus sit, prius quàm cōcidant uires, post præsidiorū firmitatem addentiū usum, quodam modo ustione uti potest, quæ sola se affectionis difficultati opponere consueuit. Atq; huiusmodi quidē est quę forinsecus cœliacis adhibetur cura. Operępretium est autē & per adstrigentes potus auxilium ferre, ubi humiditas imbecillitatis causa existat ac fluxionū. Plantaginis itaq; semen siccū tritum ac potatū præclare facit, tum per se, tum alijs etiam admixtis. Quidam etiam gallinarum uentriculis utūtur exiccatis ac tritis potui inspersis. Eandē efficaciam & struthocamelorū uentriculi habere creduntur. Proderit & lapathi semen tritum, maxime uero oxylapathi. Cornu item cerui tenerrimū ustū cum modica galla præbe bibendum: aut nucum iuglandium corticem quo tinctores utūtur, siccum tritum cochlearij mensura ex aqua præbe: aut quercinam glandē contusam ac cribratā cochlearij mēsura instar farinę uino austero insperge, ac exhibe: aut cācri marini uel fluuiatilis testam ustā cochlearij mēsura præbe cum aqua: aut thuris granū fabæ magnitudine in uini nigri cyatho uno dissolutum, sanguinariæ succo pari mensura ammixto præbe, aut gūmis albi uermiculati unciam unam tritam ex uini nigri cyathis tribus præbe: aut uuarum passarum uinaceos, siue etiam uuarum torrefactos: exhibe cum polenta aut canis stercus siccum, cum quodam odorato: aut plantaginem siccam contusam & cribratam dato: aut bituminis quātū satis esse existimas, deglutiendum præbeto. Bonum est etiam corticis quercinæ glandis decoctum: itemq; pelliculæ decoctum, quæ sub cortice quercus reperitur. Castaneę corticis decoctum, aspalathi decoctum, radicis pæoniæ decoctum, atque ipsa etiam radix sicca, trita, potui inspersa. Corticis loti arboris decoctum. Calicum item papaueris torrefactorum drachma una ante somnum cum uino diluto potata: quin & semen capitum papaueris tritum exhibitum egregie auxiliatur. Mirabiliter autē acerba & immatura mora prosunt sicca trita in potu exhibita, quemadmodum de alui fluxione est prædictum, eodem modo & rubi mora immatura & acerba exhibenda. Vtendum & simplicioribus ad dysentericos descriptis medicamētis, maxime his quæ ex pomis sunt adparata. Commoda sunt quoq; ea quæ urinam cient, fluxionem sæpe transferentia: uelut est, apium, fœniculum, anisum, adiāthum, acorus, damasonij foliorum dra. I. & quę his potestate assimilantur. Ex compositis prodest pastillus Thrasyandri, & qui ex seminibus constat, ad dysentericos scripti. Pastillus item ex spina, & ex electro, ad sanguinem per sputū reijcientes descripti. Omnium uero maxime antidotus theriace ex uiperis cōstans prodest: multoq; adhuc magis quę Esdrę inscribitur, efficaciter enim auxiliatur. Mirifice quoq; cœliacis cōducit antidotus desposynos appellata: cuius cōpositio hæc est. Spicę nardi, cinamomi, piperis, costi, hyoscyami, croci, seminis papaueris, opij, omnia æquali pondere accipito, cōtundito & cribrato, ac cū melle unito. Datur ex ea duorū scrupulorū pondus ex uino. Oribasij, ad cœliacos. Baccarū myrti nigrarum cochleare unū & dimidiū, rosarum siccarū, œnanthes, singulorum cochleariū dimidium, palmarū carne sufficienti excipe, & pastillos informa, ac exhibe drac. I. cū aqua, aut uino dilutius temperato his qui febribus carēt. Aliud, ad cœliacos. Lauri uirgulta III. piperis grana XXIIII. cumini grana quinquaginta unū, contere, ac præbe febre carentibus cum uino, febricitantibus cum aqua: pro una autem uice hęc in potu sumuntur. Cæterum simplicia & antidoti oportune ante cibum exhibentur: pastillus autē dolorem leuans, ante somnum. Malagmate uero cōcoctorio in alui fluore per omnia huiusmodi utaris. Bdellij, ammoniaci thymiamatis, cāchryos, cuiusq; sesquiunciam, opopanacis drach. VI. styracis drac. VI. myrrhæ sesquidrachmā, piperis grana centum & triginta, galbani drach. VII. terebinthinæ drach. VII. ceræ drach. tredecim & dimidiam, adipis suilli drach. XVI. Siccissima conterito & cribrato: molliora uero in pila tundito, ac sicca inspergito: pila itemq; pistillo ex unguento irino illitis, ut molle ad tactum & glutinosum reddatur. Vermes autem terreni in testa ad cinerem exusti, & ieiunis cum uino exhibiti, uentris fluxiones sistunt: eorum itaq; tres aut quinq; exhibeto. Porrò cognitu dignissimum & hoc est: infinita scilicet remedia hoc nomine prædicata esse, quòd aluum sistere possint:

uerum seri profectus est omninū meminisse: & cauē dum etiam ne nimium largus fiat eorum usus: quan quam plurimi omnino morbi ab aceruata pharma corū uicissitudinē delentur, qui aliàs non facile hominem relinquant, si diæta solum exquisita utatur. Vna autem tutissima & compendiosissima uia ad affectionis extirpationem diæta existit. *Diæta cœliacorū.* Cœliacū oportet mox ubi à somno surrexerit, facieq; proluerit, ad deābulationē prodire, ita ut pro uiribus progrediatur. Deinde fricationē simpliciorē adhibere, parce uidelicet & minime cōtente fricando maxime uentrē, oleo uero quo cōfricatur, canchry & pyretrum incoquātur, quo postea detersо, corpus ex oleo dulci impinguetur. Balneo autē ut plurimum renunciamus, aliquando tamē ad lassitudinis uel alicuius alterius rei medelā ipso utimur. In balneo uero smegmate quopiā utatur, quod cutē lancinare ac pertundere potest, uelut est nitrum assatum, fex uini usta, & quæ eius generis existunt. Ab inunctionibus & balneo prandendū est: perspiciendum uero, si quicquam aliud ut cibum diuidamus. Duas itaq; tertias partes cibi in cœnam reseruet, atq; ipsum etiā qui in prandio exhibetur panē dimidiatum per se sumat: reliquū uero cum obsonio simplici. Frumentaceum enim alimentum naturæ homini maxime cōuenientis existit. Oleribus autē raro uescatur: inflationes enim pariunt, minime apti sunt etiam omnes arborum fructus, insuauibus humoribus uentrem & stomachum replentes. Cæterum à prandio deambulationibus indulgendum, & animi aliqua laxamenta adhibenda: somni enim diurni nocentissimi sunt, nisi lassationis sensus adsit, aut nox uigilata præcessit: uesperi autem à cœna dormiat. Ex frumentaceis igitur conueniunt panis clibanites, halica, oryza: uerum sorbitiones ex milio non probo, quum concoctu difficiles & uitiosos humors miliū producat. Ex leguminibus non inepta est lenticula assata, & cum plantagine cocta, utile est & palmas sorbitionibus incoquere, maláque cotonea, eísque simili ui prædita. Ex oleribus brassica eligatur duabus aquis decocta, cum oleo ac modico garo: paucissimóque aceto: intubus itē coctus & cichorium, pastinacaque ualde ex cocta cum simplici liquamento. Varietatis autem gratia eis etiam carnes exhibendæ, ex gallinis, columbis, aut auiculis montanis, ex pedestribus etiam tenerrimę & friabiliores coctę omnes, concoctis simul quibusdam fructibus, aut pomis, aut myrti baccis. Bellaria modice præbenda, uelut sunt amygdalæ, palmæ, nuces, atq; ea uoluptatis gratia tantum ac dulcoris degustanda. Fructus sint minime inflantes: uua modica pensilis: in pomis ac piris similibusq; mediocritas seruanda, atq; hi ipsi cum pane exhibendi. Vinum conuenit subadstringens. Omnis autem liquor qui in potu exhibetur paucus sit, & post omnem cibū præbeatur. Multus enim potus uētris fluxionibus infensissimus existit. Nosse tamen oportet, quòd in his qui cum mordacitate fluxionibus infestantur, optime facit lactis potus: ita ut in principio calidum ac recēs mulctum detur: postea uero ad medietatem decoctum aut etiā ad tertias, quemadmodum in alui profluuio est prædictum. Hoc enim modo exhibitum simul sistit ac temperat fluxiones. Cæterum in quibus lac ipsum in nidorosam aut acidam qualitatem permutatur, quartam partem aquæ affundito, prædictóque modo decoquito, ac exhibeto.

De colliquatione. *Cap.* XXXVIII.

Quum uero per uentrem quiddam excernitur, quod non ab accepto cibo aut potu prodit, sed ab humoribus ex corpore in uentrem defluentibus, assimilaturq; ei quæ tum per uomitum rejicitur, tum infernè procedit, flauę bili: differt autem ab ea tum graueolentia, tum quòd flauius quodam modo excrementum apparet, strigmentitiamq; crassitudinem habet, aliquādo uero & oleosum aut adiposum existit. Colliquatio morbus is & syntexis uocatur. Recens enim compacta substantia pinguedinis ac carnis ab ardenti febre resoluitur & colliquatur. Diutius uero perseuerāte malo, ex ipsis etiā solidis partibus aliquid colliquescit. In qua pessima febricula frigidæ purissimę freqūes potus remedio existit: eiusdem etiam qualitatis cataplasmata & epithemata ad pectus & præcordia adhibere oportet: cibi quoque refrigerantes exhibendi: reliquaq; quemadmodum in ęstuantibus, ac in habitū conuersis febribus dictū est, facięda. Quòd si in uiscerum inflammatione hoc contingat, ualde periculosa adfectio est, & cum prædictiōe remedijs prædictis uti oportet. Porrò si acre sit ac mordax quod excernitur, intestinaq; inde ignescant, mordacitatem lenire oportet per infusiones, ubi urgeat malum, nullo exacerbationum respectu habito, præter quàm circa initium accessionis. Infundatur autē succus oryzæ ad tactum tepidioris, itēq; lac tepens. Si uero mordacitas cum tormine contingat, ptisanæ succus infundendus est cum ouis crudis ac conquassatis, admixto rosaceo, aliquando uero bituminis etiam dra. I. ammiscenda. Quòd si dolor adhuc perseueret, bis ac ter etiam prædicta infundātur. Conuenit quoq; his lac potatum, ad quod quarta aquæ pars est affusa, quemadmodum dictum est, decoctione ad tertias facta.

De lumbricis, ex Herodoto. *Cap.* XXXIX.

Lumbrici & in febribus, & citra febres nascuntur, tū multitudine, tum magnitudine, tum colore, tum tēporibus etiam differētes. Circa initia enim morborum generati, substantiam suam ex subiacēte corruptione capiunt: circa uigorem uero ex malitia morbi: circa declinationem autem ex permutatione omnium in melius, qui sanè citius separantur: natura enim ipsos, reliquorum recrementorum instar, foras propellit. Censentur autem peiores ex ipsis, maioris minoribus, paucis multę, & albis rubri. Viuentes etiā mortuis deteriores. In infantibus autem & pueris, atque his qui ad pubertatem accedunt, maxime abundant. Cæterum hoc malo affectos incredibilis morsus stomachi ac uentris cōcomitatur, tussiculæq; tenuissimæ ac frequenter irritantes, quū tamen nihil rejciatur. In somno tremūt, & præter rationē exurgunt. Quidā uero & linguā foras protrudunt, oculosq; claudūt, ac taciturni sunt, excitātesq; moleste ferunt, ob imbecillitatē uigilare nequeuntes. Quidam autem oculos sanguine suffusos habent, & pulsum inæqualem, obscurum, deficientem & recurrentem. Quibusdam etiam appetitus perditio accedit. Pueris insuper dum dormiunt manducatio linguę, cum exertione, cui accedit conformatio oris in modum lactentium aut accipientium cibum: uerum hæc pauco tempore & per interualla fiunt.

Aliqui

Aliqui uero infantes cum clamore prẹter rationem exurgunt, citoq́ rursus collabuntur. Aliqui etiam dentibus frẹdent: quod contingere uerisimile est, animalculis attrahentibus cibum, mordentibusq́ uentrem ac intestina. Iam uero & ad stomachum quosdam processisse constat, nausearumq́ & morsuum fuisse causas. Sæpe etiam per se sursum reiectantur: aliquando uero cum pituitoso quopiam humore. Quidā etiā infantes neglecti motu pulsus destituuntur, ac refrigerātur, atq́ eorum instar qui animo linquuntur, tenuē quendā ac frigidum sudorē exudāt, & ut plurimū liuescunt. Contingit autē aliquādo faciem fieri rubicundā, maxime circa malas: uerū color hic rursus in pallorē solito maiorem trāsit. Alij autē instar delirantiū peregrina in somnis loquuntur. Alij decubitū transmutant cōtinue dormientes, angoreq́ uexātur, ex locoq́ ad locum sese uicissim proiectant. Verū paucos omnino ex ipsis morsum confiteri constat. Pleriq́ enim in mentis inopia ac taciturnitate degunt. Porrò qui à rotundis lumbricis infestantur, etiā cibū auersantur, & si quid acceperint reuomunt, aut nauseabundi uix deglutire possunt: febres in eos cum uehementi extremarum partium refrigeratione irruūt. Quibusdā autē uēter ad tympani modū inflatur. Ex Hippocrate. Lūbrici circa aluū his signis deprẹhenduntur: si somnolenti sint non permittente morbo, & extremæ partes frigidæ, & cordis siue oris uentriculi dolor, urinæ conturbatæ, & lingua humectatur. Item qui animalculis in uentriculo abundant, sputo replentur: & si tenuis quispiā prodierit lumbriculus, amplius non spuunt. Quicunq́ igitur in ore uentriculi lūbricos habent, ferè in totū ipsos uomitu reiectant. Quibus uero in intestinis insunt, ipsos infernè excernunt. Omnes autē nauseabundi sunt, uomuntq́ quæcūq́ acceperunt. His qui punguntur similes sunt: totoq́ corpore cōtrahuntur, & repente aceruatimq́ mouētur, ac tormina accusant, interaneorūq́ dolores. Euaporationes quoq́ ad caput delatẹ, uertigines inducūt. Quin & diæta quæ prẹcessit, ostendet tibi lūbricorum generationē: ex crassioribus nimirū & quæ difficulter cōficiuntur, & largius ingestis, & maxime frumētaceis, contingentē: quos itē balneis à cibo usos fuisse cōperies. Cæterū cura ipsorū, alia cōmunis est, & cum ea quæ febricitantibus cōuenit coincidens. Alia uero eis proprie cōducit. Quū igitur ambigua adhuc affectio existit, & rationabilis quidem suspicio adest, incerta tamen, neq́ planè cōperta, mitioribus sanè remedijs uti oportet. Ab acrioribus enim febres magis exacuuntur, si adfectionem falsò habuerimus suspectam: ubi uero cōstans ac euidens cognitio contigerit, ad tēpora morbi animū intēdere oportet. Ad eos enim qui circa primas horas nascūtur, acrioribus remedijs est utēdū: & magis utiq́ si iuxta declinationē totius morbi adparuerint: eos uero qui uigēte morbo apparēt, mitius curabimus: atq́ id eo magis, si inflammationes & tensiones uiscerum cōcomitentur. His igitur cataplasmata adhibeantur ex semine lini crassiore lupini farina, pari mensura admixta. In potu pueris ante cibū myxarū decoctum amixta menta præbeatur. Eis autem qui ad integram ẹtatem peruenerunt, absinthij aut abrotoni cremor. Vtrisq́ uero etiam si febricitent, etsi trimestres tantum infantes existāt: uermes terreni cum cum sapa confidenter exhibeantur: si uero sapam nō admittant, cum hydromelite, aut ut libet, præbeto nihil ueritus, neq́ uilitate contempta septem numero dato. Quod si nō nuda sit suspicio, sed certa deprẹhensio lumbricorum, cataplasma ex lupinorum farina, in hydromelite decocta imponendum, cui aliquando etiam bryoniæ radix adijciatur. Vmbilicus autem felle taurino expleatur, aut melāthio cum lacte muliebri trito, aut absinthio, aut abrotono, aut bryonia, pinguibus ficubus admixtis. Spina uero uniuersa ex medulla ceruina inūgatur. In potu etiā his uermes terreni septē cocti ac triti cū sapa præbeātur, aut ut libet aliàs tenuissime triti. Efficax est & abrotonum, & santonicum, & absinthium decoctū, unumquodq́ aut cū ficubus aut palmis exhibitum. Aliquando autē hæc contusa & cribrata, & cū melle in catapotia redacta, deglutienda prẹbemus. Dari potest etiam chamæmelorum decoctum cum modico rosaceo, uehementer enim efficax existit. Egregie quoq́ facit cretica sapa cū rosaceo potata. Aliud. Nuces pineas in aqua calida macerato, teritoq́, ac rosacei cyathum unum affundito, & cum uino optime temperato tribus horis bibendas præbeto. Inde enim enecati, tum uomitu, tum secessu ejcientur. Commode quoq́ in cibo sumitur senetio uiridis, ac barba hircina. Eosdem etiam auriculæ muris succus, & calaminthæ ac mentæ decoctum, citra molestiam educit, quod & brasicæ semen ac petroselini facere perhibentur. Superior autē uenter cerato integatur ex absinthio oleoq́ cyprino adparato: aluo autē adstrictæ glans immittēda, præsertim pueris, quẹ si nihil profecerit, clyster adhibendus morbi uigore remittēte: ex absinthij, aut abrotoni, aut cētaureæ decocto, cum melle ac nitro. Cæterum lumbricos, qui circa uigores febriles nascuntur, quosq́ malignos appellamus, per simpliciora remedia subducere conabimur. In cataplasmata igitur absinthium, abrotonū, ac santonicū miscebimus, aliquādo etiā lupinū. Olei autē omphacini propinabimus eis, qui facile id ferunt, cyathum unum. In sorbitiones uero mellis plurimum conijciendum: & ptisanæ quoque oleū plurimum omphacinum incoquendum, halicam itē in myxarum decocto præbebimus tum per se, tum cum aqua mulsa: præbibitiones uero ex oleo semper augebimus: multæ enim cōmoditates existunt. In uniuersum enim omnia quæ lumbricos educunt aut per acredinem occidendo, aut per amaritiē subducendo, aut ad excretionem irritando, aut per consequentē ad ea quæ exhibentur lubricitatem, efficacia cognoscuntur. Extrahuntur enim simul, ut uerisimile est, per sorbitiones lubricas uias reddētes, aut etiā per innominatam aliquam efficacem qualitatē. Viuentes equidem uicinas intestinorū partes adprẹhēdunt: mortuæ uero unà cum stercore euacuantur. Prodeunt autē quẹdā adhuc uiuæ, uerum uertigine affectæ, & si ita dicere libeat, seminecatẹ. Prosunt autem & his uermes terreni. Porrò per pharmacorum potiones enecatos lumbricos, citra dilationē per glādulas extrahere oportet: uitiosa enim ex ipsis exhalatio procedit, quæ & appetitū & digestionē lædit. Atqui ad nauseas ex lūbricis obortas, lācinationesq́ stomachi, salis granū in ore detineant, deglutiantq́ liquefactum. Acredo enim, ut apparet, eos statim infrà subsidere cogit. Oboriuntur autem & in alui fluxione

Marginalia (manuscript): [illegible] ... tio lumbricorum | febre, et sine

xione lumbrici: eos fluorem inspissando, & concoctionē tum per cibos, tū per cataplasmata, in melius permutādo, curare oportet. In quātum enim fluxiones inualescūt, tantū etiam lumbricorum generatio augetur: uicissimq́ fluxu cessante, lubrici interquiescunt: quare diligenter conabimur ut aluū adstringamus, firmitatemq́ ei adijciamus. Conijcienda itaq; in cataplasmata, aliàs ad fluxiones sistendas cōcinnata, ea quę ad lumbricos sunt prædicta, & quæ fluores non exacerbant: uelut est absinthium, abrotonum, santonicum: iamq́ etiā malicorium, acacia, & balaustia, eisq́ similia, cum cruda hordeacea farina. Cerata quoq; imponēda ex his apparata. Vtēdum & præpotationibus, inter quas reliquis omnibus plātaginis succus est pręferēdus. Ad utrāq; enim affectionē, ueluti dixi, efficax existit. Licebit autē & in hoc casu uermibus terrenis, quemadmodum antea dictum est, uti. Ceratum ad lumbricos. Farinæ lupinorum, absinthij, farinæ hordeaceæ tenuissimę, cuiusq; drac. VII. fellis taurini unc. I. scobis cornu ceruini drach. IIII. ceræ quadrantem unciæq́ dimidiū, olei secundarij sexuncem.

De lato lumbrico. *Cap. XL.*

Lumbricus qui latus appellatur, in his qui febre carēt abundat, & in longis ac diuturnis enascitur morbis. Est autem latus lumbricus, si ita dicere libeat, permutatio pelliculæ intrinsecus tenuia intestina ambiētis, in corpus quoddam uiuum, quod continuos stomachi morsus infert, & ad cibos incorrigibilē appetitum: cæterū ea quæ accipiuntur non succenturiata digeruntur, sed cito excernuntur. Consequitur affectos corporis gracilitas, & imbecillitas cum tarditate, assiduusq́ famis sensus. Quod enim uiuificatū est in intestinis, ubi recēs exhibitum cibum cōsumpsit, postea ipsa solida corpora arrodit. Minime uero fallax signum erit, si cū recrementis quædā cucurbitæ semini similia excernātur. Porrò cura penitus cum pręcedenti cōcordat: præpotationes enim cōueniūt amaræ & acres, allij item comestiones. Aut enim integræ excernuntur, ut incredibilem magnitudinis de se præbeant adspectū: aut etiā prodeunt in partes concisæ. Et semel sanè exolutæ non amplius secūdario congregātur. In potu igitur etiam his uermes terrenos, ut dictū est, exhibebimus. Proprie autem ad ipsas auriculæ muris succus facit, duorum cyathorū mensura, cum uno zythi cyatho potatus: celerrime namq; ipsos educit. Aliud, ad latos lūbricos, quos cerias, hoc est institas, uernacula uoce appellant. Nitri, cardamomi seminis, piperis, singulorum æquales partes commisceto, & cochlearij mēsurā inde prębeto: confestim enim educit. Aliud. Corticis radicis mali punicæ acidæ in suprema parte delibrati, piperis, cuiusq; drac. quatuor, cardamomi drac. sex, marrubij drach. duas, mellis despumati quantū sufficit, præbe ex eo cochleariū post allij comestionē.

De ascaridibus. *Cap. XLI.*

Ascarides etiam lumbricorum species sunt, circa extremas intestini recti, ac primam internam adstrictiorē ani partem, sphincterem Græcis appellatam, consistentes, uehementemq́ pruritum his locis inferentes. Et pueri quidem assidue ad egerendum iritantur, à contraria uero instantia, & aduersus eas contentione, ac ut plurimū ab excretione melius habent. Qui uero ad integrā ætatem peruenerunt, causarum molestiam inferentium animaduersionem habentes, digitos in anum immittunt, ac procidentes educunt: quin & ignitis lapidibus, aut littoreis calculis à sole perustis fouendo, mordaces pruritus leniunt. Cæterum quum quidam præ pusillanimitate nihil horū auxiliorum admittant, minime malum ipsum negligere oportet, sed citra dilationē curare, atq; his qui falsi diuersum sentiunt causas indicare, ac curandi uiam demonstrare. Porrò causæ huius accessorij mali, cibi sunt, & frigiditates, alimentiq́ corruptiones, quas præstat prius uitare. Huius uero signa potissimum ex recrementorum græueolentia sumuntur. Postea pueri quidem acri muria infusa sunt euacuandi, aut absinthij decocto oleo ammixto. Calidiorem quoq; sublutionem esse conuenit, à qua ubi prodierint recrementa, affecti loci illinendi, ex simplicibus quidem acacia & hypocisthidis succo, rhoisq́ succo cum alumine liquido. Compositis uero Andronij pastillo, & sphragide polyidæ inscripta, & lanæ succidæ pastillo, ac quæ his similia existunt. Coacta enim ab adstringentibus caro corroboratur, aptitudinemq́ ad animalculorum generationem amittit, atq; ascaridas ipsas excludit. Perfectiores etiam ætate similiter euacuandi acrioribus ac calidioribus infusis, uelut est muria & centaureæ decoctum: deinde cedria eis infundenda: ad quam rem corneā fistulam undiquaq; perforatam apparare oportet, circa fundum amplam, ac magnitudine locis conuenientem, quam ultra adstrictiorem ani partem inditam cedria explemus, ita ut cedrię immissio palàm tū per amplitudinem, tum per transuersa, undiquaq; contingat: pòst uero quiescere iubemus, sæpe eundē curationis modum repetentes. Aliud, quod & pueris & qui perfectæ sunt ætatis conuenientissimū & efficacissimum existit. Carnem ueterem salitam, pinguedine derasa, sublongam & rotundam formabimus, atq; ita adaptatam podici atque adstrictiori ani parti intrudemus, ligamentoq́ adhibito, quamdiu sustinere possint, inditam sinemus: deinde soluemus, prædictaq́ infundemus atq; illinemus: idem etiam remedium sæpe repetemus. Cibi uero frumētacei generis, boni succi, ac qui facile concoquuntur, præbeantur.

De abscessu in intestinis. *Cap. XLII.*

Oboritur aliquādo abscessus in intestinis, ad cuius eruptionem eliquationes aquosi puris consequuntur: quare ignari ac inexperti hoc uiso decipiuntur, dysenteriam hanc affectionem esse putantes: & sanè ut uerum fatear, si post eruptionem diuturna fit exulceratio & perseueret, eo modo quo dysenteria curatur, uerum in principio neutiquam consimili curatione subducitur. Vnde etiam quosdam ægrotos periclitatos esse cōstat, male ab indoctis medicis tractatos, qui statim in principio dysentericas infusiones adhibuerunt. Pro uiribus itaque affectiones hæ inter se distinguantur. Iudicatu enim faciles existunt. In abscessu enim semper dolor pulsatilis pręcedit iuxta affectum locum innitens: neq; morsus, neq; decursus adsunt, quales in dysentericis præcedere consueuerunt. Deinde mutatione in suppurationem incipiente, rigores inæquales consequuntur, febresq́ circa uesperam maxime irruentes: postea ubi perfecta humidi mutatio fuerit facta, omnes molestiæ minores fiunt, uehementesq́ dolores remittunt: deinceps

deinceps eruptionis tempore accedente, rursus dolores intenduntur, aliquando autem perfecta uentris adstrictio adest. Post eruptionem uero humor, qualem prædiximus, excernitur, quũ nihil tale in dysentericis oboriatur. Cataplasmatis igitur ad eos uti oportet ex semine lini, adstringentibus aliquod simul ammixtis: ueluti sunt palmæ, mala cotonea, & similia. Atq; ne fluxus augescat infusis utẽdum erit, ex ptisanę succo aut halicę cũ quodã mediocriter adstringente. Vehementẽ enim adstrictionẽ in his facere ueremur. A cataplasmatis uero ac prædictis infusis inflammationẽ mitigamus. Et si quidem eruptionem suspectam habeamus, epithematis utimur quæ eam adiuuãt, altheam nimirum ac caricas, fimumq; columbinũ admiscentes: si uero discuti posse ac euanescere inflammationem speramus, ea quæ discutere ac digerere prædicantur epithemata adhibemus. Qua in re egregie facit emplastrũ anicetum, hoc est insuperabile appellatum. Si uero eruptio obuiã ueniat, infusis utendum, primum quidem ptisanæ succo: cui deinde modicum mellis, ad ulcerum repurgationem, est ammiscẽdum. Quòd si sordidiora recrementa appareant, etiã lenticulæ decoctum ac malicorij, ad ptisanæ succum & mel affundatur. Repurgatis deinde ulceribus à melle abstinendum, parum uero quiddã ex pastillo de halicacabo ad infusum cõijciendũ, quo ulcera ad cicatricem perducantur. Post hæc autem prospiciendũ, ut corpora instauratione suscepta, subsidant ac molliora reddãtur: sæpe enim identidem humoris collectiones fieri cõsueuerunt. Quòd si uero sinus quispiam relinquatur, rursus ea dẽ quę prędicta sunt adhibeãtur: si uero ea quę ex ulceribus promanãt serpẽdo depascant, ad ea quæ ad dysentericos in principio conueniunt, trãseundum.

De dysenteria, hoc est, torminibus intestinorum, ex Archigene. *Cap.* XLIII.

Dysenteria propriè, exulceratio est intestinorum serpendo depascens, ab externis causis producta, ueluti frigiditate, ardore, uenenatorum pharmacorum potu, & quæ his similia existunt. Iam uero & à cruditatibus, peregrinorumq; & acrium ciborũ acceptione: ab aliqua item acrium humorum impresione, ei consimili quę circa externam cutis superficiem cõtingit, à qua paupulæ quædam feruidæ ac exulcerationes perficiuntur. Primũ uero egestio malum auspicatur cũ rugitibus subpinguibus ac biliosis, pingui nimirũ quod intrinsecus intestinis adhæret paulatim circumliquefacto, & quibusdã quidem cum torminibus, quibusdam absq; his excretiones cõtingunt. Quũ uero superficies intestinorũ perfectè fuerit denudata, exulceratioq; supernè consistit, feculẽta ac cruenta biliosaq; excernuntur. Vbi autẽ altius penetrarit ulceratio, etiam sordes pelliculas admixtas habentes expelluntur, & si non celeriter cohibeatur, compendiò uicinos locos depascitur: saniosa uero quædam excernuntur, qualia ab occisorum corporibus defluere consueuerunt. Atq; hæc sanè est quodãmodo acuta dysenteria. Si igitur ab acribus cibis, aut à flaua bile dysenteria oboriatur, ferè in totum ipsam curamus. Si uero ab atra bile initium sumat, si quidem ratione iudicationis febrilium morborum atra bilis excernatur, transituq; suo intestinum distendat, etiam hanc curare non desperamus. Si uero sua sponte, nullo præcedente febrili morbo, neq; concoctione bona apparente, atra bilis excernatur, immedicabilis dysenteria ex ea oborta existit, nihilq; à cancro exulcerato differt: estq; omnino letalis. Consueuerunt etiam exulcerationes aliquæ diutius perseuerare, serpendo nequaquam depascentes, uerum cauis ulceribus forinsecus consistentibus similes, quibus cicatrix tardè inducitur, labris nimirum ulceris in callum induratis, in huiusmodi etiã infusa infeliciter adhibentur. Atqui in plerisq; dysentericis tenesmus præcedere uidetur. Est autem tenesmus egerendi promptitudo quę differri ac deuitari non potest. Nosse tamen oportet, quòd aliquando quidem aliqua sui parte intestinum rectum in dysentericis exulceratur: aliquando uero totum, & cum ipso etiam superiora. Si quidem igitur circa colum, hoc est, circa intestina crassa ulceratio cõtingat, stercora quæ egeruntur multa sunt, & coaceruata, & cũ flatibus prodeunt, aliquando etiam spumosa. Pinguia quoque & cruenta recrementis ammixta adparent, inexplebilisq; edendi appetitus oboritur. Tenuibus autẽ intestinis exulceratis, dolores circa umbilicum consistunt, biliosaq; & porri colorem habẽtia, atq; omnino uariegata, stercori commixta plurimum excernuntur, citra tamen ramentorum complexum, cum torminibus & mordacitate, desperationeq; ac exolutione, ut non procul ab animi deliquio ægri absint, à sitiq; infestãtur, & febricitãt, stercus quoq; crudius ab eis prodit. Exulceratur autẽ, uerũ raro, & ieiunum intestinũ. quod si contingat, egestiones crudiores apparent, sanguinẽ nigriorem uehementer implicatum habentes, bilemq; abunde flauam, sitis multa itemq; nauseæ affligunt: uomũt etiam aliquando, ac cibos auersantur, dolor quoq; uehemens supra umbilicum considet, quandoq; & febres malignæ oboriuntur. Atq; ita adfecti decolores fiunt, & ad animi deliquium usq; exudant: uires etiam ipsorum cito deficiunt, neq; procul ab interitu absunt. Antylus autem scribit. Tunc equidem ieiunum intestinum exulceratum esse putamus, quũ sanguis qui cum recrementis egeritur, niger ac uetustus apparet: necesse est enim huiusmodi, in omnibus infra ieiunum sitis intestinis decoctum excerni. Pituitosa etiam ac subpinguia simul excernuntur: pituita enim, inquit, in ieiuno abundat, ipsumq; etiã adiposum existit: biliosa item abundanter in his excernuntur, sitisq; infestat, utpote uentriculo ob uicinitatem ex affectione intestini ieiuni concalefacto: quapropter & febriunt & dolent. Cæterum tenui intestino exulcerato, egestiones minus quidem biliosę ac pituitosæ sunt: neq; enim pituita, nec pinguedo in hoc uelut in ieiuno abundat, subcruenta autem magis & rasuræ similia excernunt. Quæ enim deferuntur, pelliculas intestini in superficie radunt, quã obrẽ sanguis etiam in eis minus niger adparet. Si uero circa colũ exulceratio fiat, recremẽta multa erũt, & flatu comitante coaceruata, & aliquando spumosa: quod uero cruentum in ipsis prodit, flauum erit: cibum plurimum expetent, crudioraq; egerent: minus etiam à siti infestabuntur, & non multum febriunt, nisi magnum sit ulcus, aut malignum, & si febricitare eos contingat, difficilius alijs febrem summouent & excludunt. Magnam autẽ causam subesse oportet, si febris ex colo accendatur. Quòd si rectũ intestinum sit exulceratum, concocta erunt recrementa

menta & sanguis floridus, & sordes plurimæ excrementis ammixtæ: tenesmi etiam aderunt uiolenti, sępiusq; ad excretionem incitantur, quum tamen nihil excernant: neq; ualde esuriunt, neq; sitiunt, neq; febriunt, nisi ulcus sit cancerosum. Porrò primum periculum ex ulcere serpente ac depascente dysentericis impendet: secundum uero ex sanguinis eruptione, tertiū autem ex fluxu à locis ab imbecillitate affectis cōsequenti. Cęterū ab ulcere serpente ac depascēte pueros magis opprimi adparet, usq; ad ætatis uigorē calidum, namq; & humidū huic ætati corpus est, quare ad putrescentes morbos perferendos magis sunt parati. A sanguinis autē eruptione, magis hi qui in ætatis uigore cōsistunt, infestantur, & qui à natura multo sanguine abundant. A fluxionibus autē seniores amplius læduntur, & qui malo corporis habitu sunt prædití. At uero ubi ulcus proserptum est, dolor concomitatur. Acria enim & liquida cū torminibus recrementa egeruntur: deinde & odoribus & coloribus uariata unà cum mordacitate. Febres uero quoq; prauæ accedūt, inediæq; ac corporis iactationes cōsequuntur: æstus itē cōtinuus ac sitis. Iā uero ulcere serpēdo ac depascēdo in peius procedēte, ramēta excernētur: feculentaq; multa ac nigra efferētur, & sordes magnæ intestina ambientiū pellicularum, si in crassis intestinis exulceratio cōsistat. Quum autem sanguinis eruptio futura est, exolutio totius corporis, animi deliquio similis præcedit, ac grauitas loci. Ea uero quę egeruntur, lenta sunt ac uiscosa, deinde cruenta. Postremum etiam grumi multi excernuntur, primum quidem flaui, ad finem uero nigri & graueolentes. Manifestū autem est, quòd uires quoq; eorū subuertentur, sudoresq; effundentur: aliquando autem & conuulsiones ad plurimam euacuationem consequuntur. Atqui fluxione laborantes, curationis tempore compacta stercora excernent, deinde non longè post ulceris tectorium splēdidum unà cū stercore effertur. Modicè namq; ab infusis fluxus sistitur, deinde paulo pòst ulceratio excoriatur. Cæterū si alicubi certe in intestino recto ac colo cōsistens dysenteria facilè curabilis existit: quæ uero in tenuibus intestinis hæret, difficulter curatur, maximè uero in ieiuno. Iā uero & hæ quæ post abscessuum eruptiones fiūt dysenterię, graues sunt, propterea quòd uires deiectę iā sint per coincidentes inflāmationibus febres ac dolores. Graues sunt quoq; quæ cum uehemēti inflāmatione oboriuntur, quęq; cum febri ac perditione appetitus. Pessimę uero dysenteriæ sunt, in quibus quæ excernūtur porri adspectū habēt, suntq; nigra, plurima, uaria, graueolētia, & quæ unà cū excremētis sordes pelliculis magnis cōmistis excernunt. Veruntamē & mulieres, quàm uiri, senes & pueri, quàm iuuenes & in ętatis uigore cōsistentes, difficilius curā accipiunt. His prædefinitis à tenesmi affectione curā dysenteriæ incipiemus, quum plerisq; inde dysenteria initium sumat.

De tenesmi cura. Cap. XLIII.

Quemadmodum iam prædictum est, in plerisq; dysentericis tenesmus præcedit. Est autem adfectio hęc ad excernendum promptitudo, quæ differri ac deuitari non potest, nihil tamen præter quàm pauca cruentum adspectum habentia propellens, & post ea quædam mucosa. Vbi uero stercus fuerit excretum, ægri alleuantur. Iam uero & inflammationem cum laxo tumore, ex continuis distentionibus circa locum obortam esse constat, quæ stercoris insidentis suspicionem præbet, quod exitum quærat. Cæterum recrementa in ipsis concocta & compacta ferè in totum excernuntur, pauco sanguine post recrementa destillante, stercori minimè admixto. In principio igitur si grauis distentionis sensus circa imum uentrem fiat, & maximè circa dextram partem, cōiectare oportet stercorum multitudinem in cæco intestino insitam esse, quam furfurum ac fœni græci decocto infuso eluere oportet, melle oleoq; ac modico nitro ammixto. Quod si huiusmodi nihil apparuerit, statim in principio ex oleo myrsinino aut rosaceo, cum uino & cumino, pectinem, inguinaq;, ac inter anum & scrotum intercapedinem, perinæon Grecis appellatū, fouere ac irrigare oportet. Deinde lac caprinum recens mulctum heminæ mensura, & nequaquam minus præbendum: uerum non aceruatim, sed sigillatim partitum. Sequenti deinde die lac ipsum ad dimidium decoquatur, ablato eo quod in decoctione concretum superstat, atque ita exhibeatur. Si uero pituita sit quæ ægrum infestet, aut præcesserit frigus, rutam in uino albo decoquito, atq; uinum ipsum calidum meracum bibendum dato, ac assiduè bitumen, picem siccam, coriandri semen & cyperum suffito: undiquaq; autem ægro contecto suffimentum supponatur. Est autē & pastillus suffumigabilis ad tenesmos ac intestinorum dolores approbatus, hic. Picis siccę sextātē, bituminis unc. I. sulphuris uiui un. I. bitumē ac picem cum modico aceto liquato, sulphur autē uiuum tenuissimè tritū adijcito, hisq; simul unitis pastillos informato. Vsu uero expetente in calidū cinerem coniectos suffito. Bitumē autem in refrigeratis, etiam cum ptisanæ succo infundito. Glande quoq; supposititia in eis huiuscemodi utendum est. Oleo raphanino si adsit, aut communi, si nō illud haberi queat, alia decoquito ac conformato: deinde ladanum & ceram paulatim adijcito, quibus liquefactis & ab igne ablatis, modicū lycij addito, unito, ac tomēto excipito, sediq; quàm penitissimè indito. Ad imum uero uētrem ac lumbos hoc adhibeto. Ladanum & styracem unguento nardino, oleoq; suffumigabili appellato dissoluito, ac lana exceptum imponito, ac colligato. Efficacissima autē sunt in tenesmi affectione fomenta sedi admota. Gallas igitur in aceto decoctas cum spongia adhibeto, aut glomis texturæ gynæciorum per successionem foueto. Efficax est & malicorium similiter decoctum, myrtiq; baccæ, ac rubus, quæq; his similia existunt. Furfures quoq; in aceto decocti, ac feruenti ligamēto excepti, commodè sedi adhibentur. Insessiones etiam ex prædictis utiliter suscipiuntur. Verum cui per nostram experientiam cognito testimonium meritò præbemus, tale est. Later perquàm uetustus & à fumo denigratus unà cum contentis in eo paleis tunditur: deinde feruenti aceto subactus, linteoloq; illigatus sedi subditur. Hæc autem statim ab excretione admoueantur, & maximè si dolor infestet. Iuuantur etiam per spōgitidem herbam sede exterfa. Si uero exulcerationis principium oboriatur, inflammatioq; adsit, ptisanæ succus infundatur, paucis rosis simul cum eo decoctis. Quòd si acria sint quæ efferuntur, lac tepidum infundatur. Vehementiori autem inflammatione infestante, oleum ro-

saceum leniter calidum infusum ac pluribus horis detentum, doloris uexationem dissoluit. Si uero laxius intestinum rectum fiat, lentium ac malicorij decoctum infundatur. Similiter autem & si exulcerationis principiũ adsit. Si uero uigiliæ unà cum dolore cõsequantur, sedi collyrium soporiferũ subdetur, quod ad dysenterias est descriptũ. In eis autẽ quibus iã ulcus serpẽdo depascitur, subiecta ad dysentericos cura utemur. Epithema dysentericis. Croci, myrrhæ troglodyticæ, cyphij, mastiches, succi absinthij, aloës, palmarũ, acaciæ, masuchæ, ladani, malorũ cotoneorũ, cumini torrefacti, cãdidi ouorum assati, panis usti & in uino macerati, olei melini aut rosacei.

Cura dysentericorum. Cap. XLV.

Principium curationis dysentericorũ à quiete & modico cibo fiat, undecunq; tandem fluor procedat, & mediæ corporis partes lana oleo modico dulci imbuta cõtegantur. Vehementi autem mordacitate infestante, rutaceum sit oleum, & cuminum tritum lanæ conuolutæ inspergatur, maximè ubi inflationes & tormina affligant. Quòd si hæc augescant & intẽdantur, ad cataplasmata confugiendum erit, & hoc maximè si inflãmationis sensus percipiatur. Multis enim non dolorum tantum, uerum etiam totius mali obliteratione cataplasmatum cõmoditas induxit: Adparentur autem hæc ex polline in posca usquequo cogatur decocto: quem deinde linteolo complicato illigatũ totis ilijs impones: fluorẽ enim ipsum cocoquit, quandoq; autem & palmas, malaq; cotonea, ac malicorium cum aceto cocta ammiscemus: quòd si ardor adsit, symphyti radicem tritam, aut solanum, aut perdicium, aut plãtaginem adijcimus. Stomacho uero imbecilli & exoluto, polentam cũ œnãthe, aloëq; & omphacio annectemus: inflatione autem simul infestante, anisi, fœniculi, apij, ac irionis semen addimus: & si lumbrici simul cum recrementis excernantur, melanthium, aut cornu ceruini ramenta, aut adeps ceruinus, aut coriandri semen non incommodè admisceantur: quod si dolor uehemens adsit, prædicta cum lini semine commisceantur, & aceto mulso decoquãtur. Si uero sanguis multus efferatur, acacia, hypocisthis, & alumen cum palmis ac malicorio decoctis & tritis aptè concinnantur: si autem liquida & cruda prodeat, quod eis qui uires debilitatas habent euenire solet, mel coctum per se, aut polenta ammixta, pelle exceptũ imponitur. Aliquando autem & opij parum, aut hyoscyami semẽ, hypocisthidemq; & acaciam ac myrrham, apijq; semen satis largũ, itemq; fœniculi & anisi inspergitur. Quòd si frigoris sensus adsit, pellem agninam leuẽ liquida pice imbuito, calefactamq; aluo imponito. Ego uero, inquit Archigenes, superioribus quidem intestinis adfectis, pastillum aliquem ex eorum genere qui supernè per os exhibentur dissoluo ac melle probè cocto, aut palmarũ pinguium carne exceptum impono. Neq; enim impensæ parcendũ est in his qui de uita periclitantur. Inferioribus autem intestinis adfectis, ac mucosis multis infernè prodeuntibus, & eiusmodi etiam occupante madore: ex pastillis qui infernè per anum infunduntur, tres aut quatuor palmarum carne exceptos impono, semperq; mihi iuxta uotum res acta succedit. Mirificè etiam emplastra quæ cruentis uulneribus adaptata sunt, cõducunt, postquàm quieuerint inflammationes, uentri ac lumbis totis usq; ad dorsum imposita: qualia sunt Barbara appellata, & quæ ad fracturas apparantur, uelut est quod Isis uocatur. Atq; de his quidem quæ forinsecus imponuntur hactenus. Dicendum autem deinceps de his quæ intra corpus assumuntur. In principio igitur post tertiam diem permittentibus febribus, lacte recens mulcto adhuc calido utendum est, melle tepido ei ammixto, atq; in eius usu ad tres dies perseuerandum, quantum nutriendo corpori suffecerit exhibendo: sequẽtibus deinde diebus melle adẽpto, & modica aqua (quartæ nimirum lactis partis mensura) affusa, paulum decoquimus ac exhibemus. Deinde post alias tres dies ad dimidium decoquimus, & post alias tres, ad tertias, similiter per tres dies, atq; ita eis præbemus. Primũ enim lac depurgat, simul ea quæ in corpore sunt cõtemperando: postremũ uero aluum sistit. Non scio enim an aliunde grauior molestia dysentericis oboriatur, quàm ex eorum quæ egeruntur acredine contingit. Oportet autem insuper & panem madefactũ à lactis acceptione offerre. Pultes etiam ex lacte apparatæ, tum pharmacum, tum nutrimentũ optimũ præbent: uelut est oryza cum lacte, dulciarij panes, amylum, & oua lacti commista. Quòd si adhuc fluxus perseuerat, inde ad eorum quæ aluum sistunt syluam trãseundum est. Ex quorum genere, alia quidem influentes humores obducunt & inspissant: alia uero, corpora plus iusto rarefacta & laxata adstringunt, alia autẽ resiccant. Pultes igitur ex halica apparentur: nam hæ & probè nutriunt, & aliquo modo obducunt. Cõdiantur autem paucissimo sale, ac modico oleo & anetho, aut pro oleo magis adipe gallinaceo, aut anserino recenti. Quæ uero ex oryza eodem planè modo parantur, præcedentibus magis resiccant. His autem adhuc amplius quæ ex milio fiũt. Quæ autem ex rhoë apparantur pultes, magis adstringunt. Ego uero, inquit Archigenes, eas hoc modo adorno. Rhoẽm culinarium in aqua pluuia per noctem macero, deinde diligenter expressum aquæ cõmitto. Farris apparatus: ex Archigene. Quod uero Latinè in regionibus Romæ uicinis far appellant, hoc modo apparatur. Frumentum modico tempore aqua madefacito, indeq; extractum ac in pilam coniectum, ueluti ptisanam à cortice repurgato. Vbi uero corticem exuerit, tollito atque in sole siccato: deinde manibus tritum donec penitus à cortice fuerit mundatum, crassissimè molito, ita ut granum unum in quatuor aut quinq; partes redigatur, & siccum adseruato. Vsus autem tempore halicæ modo coquitur, & à sanis in cibo sumitur. Pro ęgris uero uariè apparatur, & epithematis quoque ammiscetur. Quidam spicas frumenti adhuc uirides tollunt, ex ipsisq; far concinnant, quo modo & suauius & iucundius redditur. Far quod clusinum appellatur. Porrò frumẽtum ipsum rursus madefactum, manibus sedulò confrico, atque ita percolatum ipsius succum coquo, anethi ramulis assiduè agitando: coit autem celerrimè uelut glutinum quo ad librorum compactionem utimur: quo facto ipsum sale, ac paucissimo oleo siue adipe condio, fitq; hoc modo non solum commodum, sed etiam iucundum. Apparatur autem puls ex siccis item panibus, quos aliquando quidem posca, aliquando uero palmarum, aut malorum cotoneorum, aut pirorum, aut sili-

aut siliquarum, aut rhois, ut dixi, cremore contusos coquo, eisq; aliquãdo ex fauo albo ac optimi mellis pleno aliquid admisceo. Ex adstringentiũ numero lẽticula quoq; proditur, quæ probè assata cũ plantagine aut malis punicis cõtusis decoquatur, acetoq; ac modico oleo cõdiatur. Vtiliter etiã lenticulæ far clusinum ammiscetur. Olera quidem non ualde probo, decentẽ tamẽ eorũ degustationẽ nõ prohibeo, uelut seridis coctæ, plantaginis, brassicæ bis coctæ, ad quã post primam atq; item secundam decoctionẽ aqua diffusa, poscam feruentem affundimus, rursusq; donec liquescat decoquimus. Intubum quoq; ac sisarũ cum liquamẽto simplici exhibemus. Damus & ouorum assatorum lutea tantum cum modico aceto ac rhoẽ, paucissimo oleo ammixto. Carnes autem dysentericis non ualde commodæ existunt, dandæ tamen eis qui diuturno malo uexantur. Ex his uolucriũ eligendæ, deinde syluestrium ferarum: uerũ ex his omnibus facilè solubiles & non graueolentes, teneramq; carnẽ habentes ac adstringentẽ, reliquis præferendæ, uelut est inter uolucres perdix, palumbes, & similes. Ex pedestrib. uero carnes dorcadis, capreę, ac leporis. Ex marinis, aselli, percæ, loliginis ac mulli: singulæ uero in posca ebulliant, myrti baccis cum eis incoctis, deinde assatę cum familiaribus eduliis præbeantur. Fructibus quoq; parce utantur: si tamen stomachus langueat, pirum coctum, aut cotoneum malum concedemus, aut uuam quæ in cado, siue olla, aut etiã interpositis uinaceis adseruatur: mespila item ac punicum malum. In potu à principio quidẽ aqua pluuia, quę nõ sit ex domibus plumbo intectis delapsa, utendum est. Talis enim aqua potata etiam sanis dysenteriã propinat. quod si pluuia optima non adsit, fontana utemur: puteorum aqua semper deuitata, utpote quę subsalsa est, ac uentrẽ perturbat. Cum aqua autem fructus adstringentes coquere oportet, maximè uero acinos. Pòst uero ubi uires fuerint deiectæ, etiam uinum præbendũ, quo stomachi sanitas firmetur: sit autem uinum adstringens, & non ualde uetustum. Ante cibum uero corpus inunctionibus, & faciei prolutione, similibusq; curetur, quæ in febriũ tractatu sunt relata. Atq; hactenus quidem de diæta. Iam uero ad remedia quæ infernè adhibentur transeundum. Magnis igitur intestinis affectis etiam infusa adhibeãtur: & si quidem tenesmus infestet, ptisanæ succus infundatur, adipe caprino aut hircino admixto. Vbi uero corpora excoriationem incurrant, halicæ aut oryzæ succus magis appositus erit: triticea etiam ptisana ad tenesmos ac excoriationes accommodata cẽsetur. Aliquando in uehemẽti tenesmi ad egerendum promptitudine, muriæ usu ægrum ab omni dolore liberauimus. sufficiunt autem ex ea drachmæ sex, heminæ uni calidæ aquæ illiquatæ: si uero succo alicui eam ammiscueris drac. VIII. iniicito. Præstantius tamen oliuarum albarum muria conditarum liquamẽ censetur, tepidum heminæ mensura infusum, & sanè per assiduum eius in tenesmi cura usum optimè successit. Si uero ex ueteri chirurgiæ perpessione, aut aliàs subtiliore sensu prædita existant circa sedem ęgroti loca, anus assiduè & maximè ante acrium aut adstringentium pharmacorum infusionem, adipe anserino aut suillo perungatur, & fistula quoq; clysteris crassius illita immittatur. Cæterum post distentionum exolutionem, asperitates quæ circa intestinum sunt, quæ quidem mediocriores, per muriam resiccantur: quæ uero relinquuntur succis magis adstringentibus curantur: ueluti gallæ in uino decoctæ, aut tritæ & uino inspersæ, malicorij item ac corticis pinus, & baccarũ myrti nigrarum. Quòd si ardor consequatur, oua cruda duo cum uino modico, ac largo rosaceo conquassata infunduntur. Qui uero caput, quod facilè adficitur habẽt, in his seminis lini succũ recusamus, utpote caput replẽtem. Portulacam autem cum ptisana (si possibile est) decoctam, aut cum aqua: si id fieri non queat, succo eius cũ rosaceo & ouis crudis permixto infundimus, in his præsertim q ardoris adfectionẽ circa intestina habent, aut qui aliàs à calidorum infusorũ ardore sunt lęsi: ex rosaceo uero quarta ipsius succi pars sumatur. Mirificè etiã seminis lini succus facit, cum candidis ouorum, & lacte asinino sesquicochlearij mensura permixtus: pro quo si non adsit, bubulum accipere non incõmodum erit. Porrò inflammationibus erysipelatis, ciborum ac potuum citra mordacitatem adstringentium usu conueniens existit. Infusa uero eis cõueniunt, plantaginis succus, malicorij, perdicij, portulacę, semperuiui: uerum singulis acaciæ aut hypocysthidis succum admiscere oportet. Efficacius autem in erysipelatis glauciũ infunditur cũ aliquo ex prædictis succis, aut Andronis pastillus, aut Musæ inscriptus. Quòd si sanguis destillet, sanguinariæ succo utẽdũ aut plantaginis cũ acacia, hypocistide, aut balaustio. Si uero sanguinis impetus uehementer urgeat, quemadmodum etiam si maxima inflammatio subest, præsertim in his qui plurimo sanguine abundant, uena incidenda, si uires non resistant, & maximè in quibus consueta sanguinis excretio cohibetur. Auferre autem oportet neq; multũ neq; coaceruatum, ab utroq; enim uenter conturbatur. Omnium uero maximè cauebimus ne animi deliquiũ fiat, quare desidenti etiã dysenterico uenã secabimus: hac enim desidentes forma dũ secatur uena, minus reliquis animo linquũtur. Secare autẽ oportet in dextro cubito uenam humeralem appellatam: neq; enim similiter hac uena incisa, uires labefactantur, & insensibiliter quodammodo furtimq; sanguis aufertur. Quòd si hæc non appareat, necessariò mediã secamus. Inferiorẽ autem incidere ob subiacentem arteriã uitandum: cęterum fissurã omnino tenuissimam infligemus: nõ enim ob multitudinem sanguinis euacuandã sectionem facimus, sed ut materiam quasi per riuos transferamus. Paucus autẽ sanguis etiã multo tempore emissus, inflammationem mitigat. & sanguinis ad intestina delationẽ reuellit, innatũq; calorẽ sensim refrigerans, somnum magis quàm animi deliquiũ inducit. Est autem optimũ dysentericis remedium somnus. Si uero quid uenę incisionẽ fieri prohibeat, ex eorũ quę sanguinẽ sistũt ammixtione infusionẽ facio. Qua in re lanarũ succidarũ cinis optimè facit, aut ex spongia noua usta. Spõgiam autẽ ipsam liquida pice imbuere oportet, aut sanguine taurino, cineremq; eius in olla exustæ in aliquẽ ex prædictis succis inspergere, atq; hoc modo infundere. Succi aũt in his ad infusiones apti sunt, ex plãtagine, sanguinaria, ac similibus. Quin & linteolũ alumine liquido imbutum, deinde ustũ, præclarè sanguinis eruptiones sistit. Sũmè autẽ conducentẽ cognouimus asinini stercoris succũ, maximè si à pa-

stura prodeat animal mõtana & adstringente: quod si non sufficit ipse succus, stercus plantaginis succo madefacito, exprimito ac infundito. Adhibeatur autẽ simul & epithemata, & quę per os accepta sanguinem sistunt, & qui sanguinem spuentibus commodi sunt pastilli. Præter opinionem uero eis prosunt, maceris cortex, & mali punici flores, æquali pondere contusa & cribrata, si inde scrupuli duo cum uino adstringente propinentur. In his etiam frigida, citra offensionem tamen, infusa apparentur. In reliquis uero dysentericis tepidiora, aut leniter calida. Vlceribus enim frigidum infestum est, nisi sanguinis eruptio simul adsit. Si uero exulceratio absque fluxione relinquatur, plura ne infundãtur, quàm lac bubulum, aut caprinũ, cui lycij drachmæ tres sint ammixtæ: optimè faciunt & terræ samiæ drachmæ IIII. aut amyli drach. IIII. cum plumbi usti drachmis II. triticeæ ptisanæ ammixtæ ac infusæ. Aut cerusæ drach. II. cũ succo iniicito, ęgerq́; sanatur, ubi uero fluxione adficiatur, & nimium humecta sit exulceratio, charta usta, aut lentiscus usta, aut cinis põpholygis, aut aridum ex charta cõstans pharmacum, similiaq́; cum succo plantaginis infusa, aut etiam cum altero consimili succo ægrum, à malo adseruãt. Quòd si uehementior sit fluxus & humectatio exulcerationis, ea quæ à callis indurata corpora leuigare ac à callis liberare possunt adsumantur: itemq́; ea quę humecta resiccare & exurere, exolutaq́; adstringere possunt: uelut est sabinæ herbæ decoctum, item saluiæ, polij, ac pilularum cupresi, ex pastillis uero Musæ inscriptus, & qui ex lanis succidis ustis constat, & cõsimiles. In potu uero Thrasyandri pastillus, & qui croceus appellatur, consimilesq́; qui supernè per os sumũtur, prębeatur. Cibi etiã magis resiccantes eis exhibendi. Si uero serpẽdo depascant ulcera ipsa, si quidẽ in intestino ieiuno consistant, paruam omnino salutis spem promittunt. Si uero circa tenuia intestina fiant, minus graue malum est, attamen periculo non uacat. Si autem in colo fiant, ut plurimum sanabilia existunt. Verum quemadmodũ in externis ulcerib. depascẽtibus: ita & in his statim in principio, ubi depastio apparuerit, crustas inducẽtia & exurere ualentia adhibere oportet: si enim ad magnitudinẽ peruenerit exulceratio, inutilis horũ usus fuerit, cæterũ ulcera circa ieiunũ ac tenuia intestina, per potiones curantur, ea uero quę crustas inducũt in potu accipi non possunt: quare sorbitiones & eclegmata extergere ac repurgare potẽtia, his sunt exhibẽda: estq́; ptisanæ succus cum melle absorptus his aptus, atq; ipsum adeò mel per se induratum, & in decoquẽdo in pastillũ coactum, quod comestũ ulcera potẽter repurgat. Sorbitiones item ex eruo apparatę, cõuenientissimæ sunt eis qui in superioribus partibus ulcus depascens habent. Apparantur autem hoc modo. Eruum in aqua calida sępe permutata ad horas octo madescere sinitur, deinde donec testam omnem abiecerit, manibus in aqua confricatur: pòst uero coquitur, & prima itemq́; secũda, tertiaq́; & quarta aqua diffusa, semper ubi prius decoctum diffunditur, rursus alia aqua feruens affunditur, quæ ubi post quartam tandem decoctionem fuerit diffusa: acetum mulsum ad ipsum sufficienter infundatur, & cum quintæ aquæ affusione ad compagem succi ptisanæ decoquendo reducatur, atq; hoc modo absorbeatur. Halica etiam cum lacte bubulo decocta non incommoda efficitur. Maximè uero omnium prodest eis lac bubulum recens mulctum ac potatum. Quicquid uero tãdem eis datur, ualde modicum sit. Hi enim præ alijs dysentericis pauco cibo indigent, sitiq́; uexantur. Pharmaci autem loco exhibeantur quęcunq; aristolochia rotũda participãt, radiceq́; panacis, ac iridis, alumine scissili, moris, & mali punici flore. A uino uero abstineãt, depastionem enim dilatat. Quòd si circa intestina crassa ulcus serpendo depascens consistat, ea quæ per sedem infusa crustas inducunt, adhibeantur: cuius generis sunt pastilli Faustini, & consimiles, & maximè qui Nymphodoto est inscriptus, quo etiam nos utimur: itẽ qui ex thallia, id est, oleæ ramulis constat, quorum omnium compositiones paulo pòst dicemus. Cæterum cum attentione crustam inducentibus uti oportet, excellentem ipsorum facultatem reuerendo. Porrò cancerosa & maligna, quę cacoëthe Græci appellant, intestinorum ulcera ferè in totum incurabilia existunt, neque tamẽ citra auxilium relinquere oportet, sed uehementes dolores mitigare: optimum autem & his est asininum lac recens mulctum potatum: si quis enim eius usum sustinere possit, nullumq́; aliud nutrimentum accipiat, plurimam salutis recuperandæ spem habebit. bonum est & bubulum ac caprinum recens mulctum, si illud non adsit, bonum est & scissile lac cum amylo. Præbeantur autem eis & oua cruda, ac iuscula gallinarum & perdicum. Succi etiam præbeantur omnes qui facultate obtundendi dolores præstant: infusa quoque eiusdem generis sint: pharmaca item his cõueniunt omnia, quæ ad dysentericos à uenenatorum acceptione factos, conducunt. Cæterum irrigationibus & cataplasmatis neque curantur cãcerosa & maligna ulcera, neq; mitiora fiunt. Vtere autẽ & ad eos infusis ad cancerosam uuluam describendis, & pharmaco ad cancros mammarum, ex uino adriano & rhoẽ qua coria tinguntur, apparato. Porrò si à uenenati pharmaci potione, ubi mortis periculum fuerit deuitatum, dysenteria oboriretur, his quæ à uenenorum potu conueniunt, erit utendũ. Triplicis autem modi remedijs in his qui uenenum biberunt utimur, uomitorijs uidelicet, & obtundentibus atq; extinguentibus: in quorum numero etiã acria comprehenduntur. Vomitoria itaq; remedia mox à ueneni potu sunt accepta. Extinguentia uero quæ acria sunt, tanquam ulceribus minime conuenientia, recusamus. Alterum igitur tantum genus extinguentium, hoc est, aromatica adsumemus: itemq́; ea quæ obtundendi uim habent. Ex cibis itaq; conueniunt ptisanæ succus, aut halicæ succus cum anetho decoctus, aut palmis aut mali punici acinis. Itẽ radicis dulcis succus: cum his etiam tum gallinę, tum perdices decoqui possunt donec eliquescãt: cerebella itẽ ac pedes eliquata præbeantur, & sorbitiones ex amylo & lacte, quibus anserinus aut gallinaceus adeps est ammixtus. Ex pharmacis autẽ eis cõducunt quę de uenenis referẽtur in tertiodecimo Sermõe. In potu uinũ non inconueniens est tenue & album, nisi febris aut inflãmatio adsit. Cæterũ cataplasmata & fomenta in eis quibus ex bilis acredine dysenteria oborta est, uitabimus Quod enim leue & bene succulentũ in intestinis est, id distrahũt ac diripiũt: quod uero nulli usui est, & mordax, in ipsis relinquunt.

Cura

Cura eorum qui aurum, aut æs, aut tale quippiã deglutiuerunt. Cap. XLVI.

Si quis auro, aut ære, aut ferro, aut aliquo alio huius generis deglutito, sanguinem per uentrẽ egerat, malue aut seminis lini succo multo, in potu exhibito, lapsum facies deglutiti, supra hoc quòd & in intestinis obortã lenies asperitatẽ. Ego uerò, inquit Antyllus, quum quidã per iocũ anulum aureum deuorasset, & ramentosa ac cruenta infernè egereret, ob sculpturæ uidelicet asperitatẽ: in ipso enim auro capitellum inerat asperè concinnatum: non sum immoratus his quæ lubricas uias reddunt, sed cõfidenti animo ad ea quæ fortiter purgant pharmaca sum progressus: quare contigit unà cum recremẽtis anulum excidere: quo facto, homo ipse ex ptisanæ succo, ac sorbilibus ouis nutritus, tertia die sanus euasit.

Communia remedia dysentericorum quæ supernè exhibentur. Cap. XLVII.

Porrò ubi memor fueris remediorũ iam antè in unaquaq; dysenteriæ specie dictorum, expeditè inuenies, iuxta eundẽ planè modũ, quomodo & cõmunibus remedijs, quæ nunc dicenda supersunt, utaris. Cõmixta enim reperies hic remedia omnia simpliciter scripta quæ dysentericis cõueniunt: nimirũ adstringentia, obtundentia & resiccantia. Et simplicia quidẽ quæ tum dysentericis, tum cœliacis in potu dantur: alia quidem adstringẽdo, & firmitatẽ addẽdo, humoresq; inspissando, uẽtrem cohibẽt: alia autem obtundendo, alia etiam urinam ciendo, ac fluxionẽ transferendo. Quę itaq; urinã cient, omnibus sunt manifesta, & sæpe in hoc opere descripta, quibus etiã hic uti oportet. Quæ uerò adstringunt commoda eis hęc sunt: lapathi syluestris maximè semen, alterius autẽ lapathi tum semen, tũ radix, trita aquæ inspersa ac potata, siliquæ aridæ comestæ, rhus culinarius, gallæ, spinæ Aegyptiæ semẽ, malicoriũ aridum tritũ, rubi radix, unumquodq; eorũ cum aqua ad tertias decoctum, aut tritum potui inspersum, ladanum cũ uino austero, acaciæ succus, hypocisthidis succus, lysimachia, balaustiũ, sideritidis heracleæ folia & radix, salicis folia, symphyti radix & folia & semen, rheon ponticum, altheæ radix, gnaphalium cum uino austero, hippuridis succus cum passo, loti arboris baccæ, & ligni lotini scobs, potui inspersa & potata præclarè faciunt, cortex thuris tritus potatus, lemnia terra quæ sphragis appellatur, minium sinopicum, œnanthe polentæ modo potata, holoschœni iunci fructus torrefactus, uerbasci radicis drachm. II. mora acerba in sole desiccata, ac trita liquori potando atq; obsonijs inspersa, mora rubi acerba similiter exhibita, acini uuæ, ac uuarum passarum tum aridi triti, tum in cinerem exusti, plantaginis semen aridum tritum, similiter folia & radix, maceris cortex. Ex eorum autem numero quæ aliquo modo adstringunt, uerum magis obtundunt, est aster samius, & amylum. Obtundit autem tragacanthus & gummi. Resiccat coagulum leporis ex aqua, cornu ceruinum ustum, herinaceorum testæ ustæ, itemq; ostreorum, & cancrorum maximè fluuialium, atq; etiam marinorum testæ ustæ ac tritæ; egregiè facit & saluiæ decoctum.

Composita pharmaca quæ supernè exhibentur. Cap. XLVIII.

Vinũ uetus adstringens ad tertias decoquito, mellisq; optimi ęquale pondus adijcito, rursusq; donec in cõpagem cogatur coquito, & ante cibum mystri mensura exhibeto. Aliud Asclepiadæ. Ouum recens in uas quoddam euacuamus, putamineq; eius mel optimum ac uinũ uetus adstringens, malicoriumq; tenuißimè tritũ demetimur, piperisq; granis X. adiectis, hęc simul in sartagine torremus, atq; tertiã inde partẽ ieiunis cũ pane præbemus. Sũmè etiã prodesse quod sequitur scimus. corticis thuris, seminis plantaginis, ęquales partes tritas, uino diluto ad trium cochleariorũ mẽsurã insperge, ac ante cibũ exhibe. Caninũ etiã stercus album, tritũ, lacti scissili & per silices decocto inspersum, summè dysentericis auxiliatur, si lac ipsum in cibo sumatur. Cæterũ canẽ ipsum per pręcedens triduũ, nullo alio cibo quàm ossium comestione nutrire oportet. Aliud ualdè approbatũ, cuius usu scimus multos à morbo liberatos. Gallarum tenuißimè tritarũ, piperis, rhois culinarij, malicorij tenuißimè triti, singulorum æquales partes misce, ac cũ uitellis oui subige, & in mali punici uacuam testã cõijce, ex eodemq; sumpto putamine os testæ contege: deinde totã mali testã fermento forinsecus oblini, & ad prunas assa: post uerò ex hac ipsa mali punici testa repurgata cochleariũ ante cibũ edẽdũ præbe. Aliud quod & cœliacis prodest. Baccarũ myrti nigrarũ cochlearia III. anisi, rosarũ siccarum, œnanthes, acaciæ, singulorũ cochleare unũ. Palmarũ carne subige, ac drachmã unã prębe. Si œnanthe haberi nõ potest, uuas immaturas siccatas cõijce.

Aliud Marciani, ad eos qui neque potum, neq; cibũ accipiunt, sed pro desperatis habetur. Baccarum myrti albarũ quincuncẽ, malorũ cotoneorũ mediocrium ac pulchrorum numero duo, aquæ sextarios III. scobis corticis arboris loti sextantem & uncię dimidiũ. Decoquito simul donec sextarij duo reliqui supersint, ac quantum poßint bibendũ præbe, idemq; etiam per clysterem infundito. Eiusdem facultatis est loti scobes potatus, atque amplius adhuc eo præstat eius decoctum. Quòd si lotus non adsit, cortice pini utaris. Aliud Marciani. Aloẽs ad carbonum formam exustæ unciam I. malicorij usti unciam I. seminis lini usti unciam I. contere & præbe cochlearia duo, his qui febre carent cum uino antiquo. Ego uerò, inquit Marcianus, quotiescunque hoc exhibeo, duorum terrestrium herinaceorum membranam internam, quæ cibum complectitur, desquamatã adijcio. Quare hanc membranam illotam accipito, siccato, ac adseruato. Per se enim huiusmodi pelliculę potatæ uentris fluxiones sistunt. Aliud Marciani, cuius utilitatẽ ne cõtemnas: seminis anethi, apij, fœniculi mõtani, piperis, sing. un. I. in testaceã pilã conijcito, atq; ubi probè cõtriueris, herinaceorum terrestriũ internã membranam illotam, ac per se cõtusam & cribratã unc. I. pondere immisceto. Deinde uinũ purum uetus quantũ satis uidebitur, in nouũ uasculum infundito, & laminã ignitã ex ferro quod stomoma uocant, nõ minorẽ libra in uino extinguito, & adiectis aridorũ drachmis duabus bibẽdum prębeto. Tantũ enim ad summũ datur, atq; hoc medicamine multos ille desperatos seruauit. Aliud multa experiẽtia cognitũ. Cochlearũ terrestriũ maximè montanarũ, ustarum, carnẽ trium drachmarũ põdere accipito, piperis scrupulos VIII. simul cum æreo pistillo in puluerem redigito, & uini ueteris sexun-

cem, tantundemq; gari affundito, ac simul unita omnia in tres partes diuidito, & per tres horas exhibeto. Oribasius autem sic: cochlearũ una cum testis exustarũ unc. I. aliĳ trientem habẽt, gallæ sextantem, piperis unc. I. in puluillũ redige, ac obsoniĳs insperge, aut cum aqua, aut uino albo tenui præbe. Præclare auxiliatur hoc dysentericis, quibus ulcus nõdum est putrefactum. Aliud Marciani, quod Phemus appellatur. Myrrhæ, opĳ, balaustĳ, rhois rubri, cuiusque unciam unã, anisi sesquunciam, spinæ Aegyptiæ quadrantem, lentisci quadrantem. Cum decocto corticis lotini ligni subigito, & nucis põticæ magnitudine præbeto, cũ lotini corticis decocto: quòd si lotinus non adsit, mespilino pro eo utaris. Catapotium dysentericum ualdè pulchrum, Asclepiadæ.

Radicis symphyti, seminis ericæ, malicorĳ, gallarum æquales partes subige, & in catapotia digere, ex quibus obolos tres cum uino, aut aqua deuorãdos præbe. Aliud eiusdem. Gallarum drachmas quatuor, opĳ asiani drachmas duas, petroselini drachmam unam, aqua subigito, & catapotia formato, exq; eis ad ciceris magnitudinem præbeto, aut quãtum uires tolerare possunt. Aliud. Thuris, acaciæ, opĳ, gallæ, æquale põdus singulatim cum succo intyborum subige: indeq; ad ciceris magnitudinẽ aut pro uirium tolerantia præbe. Aliud. Florum rosarũ, opĳ, acaciæ, gummi, succi hypocisthidis, cuiusq; trientem, seminis & succi plantaginis, cuiusque sextantẽ, succi rosarũ unc. I. In catapotia redigito, ex quibus obolos tres dato. Pastillus ex seminibus, qui in Alexandria præparatur. Anisi unc. I. fœniculi unc. I. seminis hyoscyami quadrantem, seminis apĳ quadrantem, aliĳ tantum drach. III. habent, opĳ unc. I. dauci unc. I. aqua subigito. Oribasius autem hoc modo: Anisi, ammĳ, fœniculi seminis, apĳ seminis cuiusque drachmas tres, petroselini drach. II. opĳ drachmas duas. Valet cœliacis, dysentericis, cholericis, & tussientibus. Pastillus trigonus, hoc est, triangularis appellatus. Seminis apĳ sextãtem, seminis hyoscyami unc. I. opĳ unciã unam, anisi unciã I. aqua subigito. Aliud Andromachi, ad cœliacos & dysentericos. Rhois culinarĳ drach. IIII. piperis drac. IIII. myrrhæ, croci, acaciæ, scobis corticis loti, ammĳ, cuiusq; drach. II. spicæ nardi, lycĳ, gallarum, succi hypocisthidis, opĳ, aloës, anisi, cuiusque drach. I. cum rubi succo subigito, & ante somnũ III. obolorũ pondus ex aqua præbeto: non febrientibus ex uino frigido. Pastillus Philippi, ad diuturnas dysentericorum affectiones leuãs dolorem, & bibitur & infunditur, & forinsecus quoq; imponitur, melle cocto aut palmis passis subactus. Acaciæ, balaustiorum, hypocisthidis, rhois rubri, opĳ, thuris, myrrhæ, croci, gallarũ, lycĳ, aloës, rhei põtici, baccarũ myrti nigrarũ, malicorĳ, singulorum drach. IIII. uino ueteri adstringente subacta in pastillos digere, & nõ febriẽtibus obolos III. ex uino præbe, febricitãtibus uerò ex hydromelite. Ego autem hoc pastillo utor, & feliciter mihi succedit, omnibus quidem prædictis ad eius compositionem adiectis, præter thus & rhoẽm. Ad hæc autem omphacĳ, floris mali punici, casiæ, castorĳ, aluminis scissilis, rosarum repurgatarum & siccarum, singulorum æquale pondus addo. Catapotium bonum. Abrotoni sextantem, sarcocollæ unc. I. gummi parum, ut ex eo cogi ac formari possint. Catapotia ciceris magnitudine formato, & ieiunis unum deuorãdum præbeto, similiter unum ante somnum. Aliud Oribasĳ, ad dysentericos & hæmoptoicos, fluxumq; muliebrẽ. Succi hypocisthidis, terræ samiæ, gallæ omphacinæ, acaciæ ruffæ, cuiusq; drach. VIII. cum aqua pluuiali subige, & pastillos forma, ac utere. Ad dysentericos quidem in potu exhibitis, ac per clysterem cum succo oryzæ, aut lentis, aut aliquo cõsimili, infusis. Ad hæmoptoicos uerò, cum aquæ frigidæ sesquicyatho eius drach. I. Ad fluxum autem muliebrem, cum succo solani, aut sanguinariæ, aut plantaginis lana exceptos subde. Aliud parabile. Alumẽ liquidum tritum cum ouo absorbendum præbe, & rursus aqua calida dilutum bibendum exhibe, & admiraberis. Sedat diuturnas dysenterias, & in quibus cruenta excernuntur. Aliud. Pumicem in tenuissimum puluerem redactum, cum ouis sorbilibus, cochlearĳ mensura præbe, & miraberis. Aliud exquisitum. Fici folia arida contusa cochlearĳ mensura cum uino austero dato. Aliud. Macer, mali punici florem, æquali pondere contunde, & ex eis scrupulos duos cum uino adstringente præbe. Valdè commodum hoc est in his qui cruenta egerunt.

Pastillus ad dysentericos & cœliacos. Anisi, seminis apĳ, ammĳ, balaustiorum, succi hypocisthidis, seminis hyoscyami albi, singulorum drac. VIII. opĳ drach. IIII. Exhibe his qui integræ sunt ætatis drachm. I. cum aquæ calidæ cyathis tribus. Polyidæ Sphragis, cœliacis, dysentericis, quartanariĳs, & oculorum fluxionibus conducens: dolorem enim adimit & resiccat. Hyoscyami albi seminis drach. IIII. seminis apĳ drach. quatuor, anisi drach. II. opĳ drac. I. contere cum aqua, & informa pastillos obolares: ex quibus unum cum aqua frigida præbeto.

Quæ infernè dysentericis infundantur. Cap. XLIX.

Pastillus Nymphodori, ad dysentericos, & ulcera depascendo serpentia omnibus præstantior, quemadmodum experti sumus, inquit Archigenes: compositus quidem ut Faustinus, dissonans autem in auripigmẽti appõderatione: opere uerò longè efficacior eo cognitus. Cuius compositio hæc est. Chartæ ustæ drach. XXX. auripigmẽti drach. VIII. calcis uiuæ drachmas X. sandarachæ drachmas VI. uini austeri sextarios III. Vinum ipsum per se coquitur, donec tertia pars reliqua fiat, cum qua arida in mortario teruntur, donec in compagem terẽdo redigantur, ex quibus deinde pastilli drac. IIII. aut trium siue duarum etiam formãtur, quorum usus iuxta ægri uires adhibetur: cum uino autem & aqua infunduntur, ita ut cum aqua lenticula, rosæ siccæ, ac cortex loti decoquantur: cum uino uerò baccæ myrti, ut ex utrisq; heminæ mensura supersit. In uniuersum autem, non solum in huius pastilli, uerum omnium qui crustas inducunt usu, stomachum hora una ante eorum exhibitionem, ex oleo myrteo ac uino ueteri irrigare oportet, itemq; caput ex oleo largo. Quæ enim crustas inducunt, si infundantur, & stomachum & caput offendere consueuerunt. Ante infusionem autem frusta panis duo aut tria ægro exhibenda, ex aqua frigida aut lactei teporis, si uehemens adsit febris: aut uino diluto, si parua fuerit febris & nullius pẽsi, pane madefacto. Quòd si ab infusione stomachus exuratur aut subuertatur, aquæ frigidæ cyathi tres

thi tres confidenter in potu præbeantur: exhibendus & lactucæ caulis cum pane & aceto: oliuæ item albę ex aceto. Cæterũ his qui statim ubi infunditur pharmacũ, rursus reijciunt, imò penitus infusum retinere nequeunt, muriam præinfundere oportet: aliquãdo etiam salis ammoniaci cochleare I. aut amplius tritum, pharmaco est ammiscendum, nullo habito mordacitatis respectu. Vtilitas enim omnem dolorem exuperans inde procedet. Vtimur autem frequenter oliuarum albarum muria cõditarum liquamine, hemina nimirũ una ex eo infusa, semihoræq; interstitio facto, aut paulo diutiore, pastillũ ipsum consequenter infundentes, quo modo facilè ipsum continent. Et pharmacum sanè magis efficax fit, ubi nuda ulcera contigerit. Si uerò neq; sic continuerit, iterũ atq; iterum infundito: munitum est enim pharmacum ne crustas inurat. Porrò ubi efficacius fuerit pharmacũ, & ulcerit affectionem, multa cũ ipso mucosa ramenta prodibunt, & à multis molestijs, egerendiq; promptitudine, distentionibusq; liberabit. Infusum autem ipsum non ultra duas horas retinendum est, neq; infra unius horæ spatium. Atq; hic canon uniuersalis tibi in omni crustas inducente infuso proponatur, unà cum hoc quòd & stomachus & caput sit præmunitum. Ante infusionem etiam anus ex oleo dulci illinatur, maximè uerò adipe quopiã ipsa fistula crassius perlinatur. Post infusionem cum spongijs aut glomis decocto quopiam adstringenti imbutis, sedes foueatur: adiuuat enim hoc ipsum infusi retentionem. Mirabiliter etiam prodest Andronis pastillus duarũ aut unius drachmæ pondere infusus. Pastillus ad dysentericos, cuius multam experiẽtiam habemus, admirabilis enim in ulceribus serpendo depascentibus existit, nõ solum dysentericis, sed oris etiam gingiuarum, & ad omnem nomen serpentem. Calcis, auripigmenti, chartæ ustæ, squamæ æris, æquales omnium partes ramulorum oleæ decocto seu succo subigito, ac utitor cum oryzæ succo. Exuccatur autem olea hoc modo. Ramulos oleæ contundito, eisq; congruentis mẽsuræ aquam affundito, atque donec quater efferbuerit decoquito, expressoq; succo utitor. Faustini insignes pastilli: quorum alter constat ex chartæ ustæ drachmis XXX. calcis drach. XV. auripigmenti dra. XII. sandarachæ dra. VI. Infunditur duarum drachmarum pondere cum rhois & baccarum myrti decocto. Si uerò diuturna sit affectio, salis etiam drac. II. adijciuntur. Alter uerò constat ex calcis drachmis decem, sandarachæ drach. VI. auripigmenti drachmis octo, chartæ ustæ drachmis triginta, hęc in pastillos redigito, ac utitor, quemadmodum in Nymphodoti pastillo est prædictum. Alter adhuc pastillus Faustinus, qui in Alexandria præparatur. Auripigmenti trientem, sandarachę triẽtẽ, calcis uncias duodecim, acaciæ uncias XII. subige cũ uino. Pastillus Philadelphus, ad dysenterias, & sanguinis eruptiones, & omnes nomas.

Sandarachæ, auripigmenti, cuiusque quadrantem, calcis sexuncem, acacię sexuncem. Excipe plãtaginis succo, aut uino austero, & pastillos drachmarum quatuor, aut trium, aut duarum informa, atque pro ægri uiribus infunde cum uino myrtite.

Eras autẽ hoc modo ipsum pręparat. Auripigmẽti bessem, acacię trientem, calcis trientem. Pastillus alius, dysentericis commodus, qui euestigiò aluum sistit, quod multo experimento constat. Bituminis, auripigmenti, sandarachę, aluminis scissilis, squamæ æris, cuiusque drachmas quatuor, chartæ ustæ drach. X. calcis drach. VIII. succi hypocisthidis drach. III. balaustiorum drachm. III. opij drachm. II. Cum uino myrtite subige, ac utere ueluti in Nymphodoti pastillo prædixi. Pastillus ex subere appellatus, quo ueluti pręter opinionẽ admirando utor. Gallæ ustæ, chartæ ustæ, suberis ex uase uini ueteri accepti ac usti, panis aridi usti, singulorum drachm. XV. auripigmenti drachm. XX. sandarachæ drach. X. calcis uiuæ drachm. X. acaciæ drach. V. cerusæ drach. V. spumæ argenti drachm. III. omphacij drachm. III. fecis uini ustæ drachm. V. Cum uino adstringente subige, & informa pastillos drachmarum IIII. & III. & II. In principio autem hos cum plantaginis aut sanguinariæ, aut perdicij succo infundito: aut cum aqua tepida, si hęc non adsint: si uerò morbus fortis sit, & in uigore consistat, cum fœni græci aut lini seminis decocto infundito: in declinatione autem cum myrti & rubi decocto ex uino. Et in pueris quidẽ cyathorum duorum mensura: in fœminis, trium: in uiris uerò qui ad perfectam ætatem accesserunt, quatuor infundatur. Pastillus Asclepiadæ, dolorem summouens, somnumq; inducens. Diuturnis dysentericis adfectionibus euestigiò auxiliatur, si absit febris. Chartæ ustæ drachm. III. auripigmenti, sandarachæ, squamæ æris, aluminis scissi, omphacij, lycij, acaciæ, succi hypocisthidis, calcis uiuæ, cuiusque drachm. V. opij drachm. II. croci drachm. II. Vino myrtite excipe, & in pastillos redige, quatuor & trium & duarum etiam drachmarum. Iuxta ægri uires cum passi cretici cyathis VI. his qui integræ sunt ætatis infundito. Pastillus alius dysentericus.

Auripigmenti sextantem, sandarachæ quadrantem, squamæ æris unciam I. calcis trientem, aluminis scissilis sextantem, chartæ ustæ quincuncem, omphacij sextantem, acaciæ sextantem, succi hypocisthidis sextantem, thuris unciam I. opij quadrantem. Vino myrtite aut aliquo alio austero excepta subigito. Quòd si quis infusum non contineat, sed statim ipsum reiectet, omnino morti propinquum iudicato, quemadmodum sæpe iam sum expertus. Infundito autem ex eo uelut ex præcedente drach. I. tantũ. Pastillus, thronus Marcellius appellatus. Auripigmenti quadrantem, sandarachę triẽtem, lentisci trientem, balaustiorum quadrantem, alij dextãtem, habent, opij sextantem, calcis bessem, omphacij sextantem, succi hypocisthidis quadrantem. Vino austero subige, & utere ut pastillo Nymphodoti. Pastillus Lycos appellatus, ad dysentericos. Sandarachę drachmas sex, auripigmenti drach. XII. calcis uiuæ drac. X. æris usti dra. XX. acaciæ drac. VI. cadmiæ drach. XII. chalcitidis crudæ drach. XII. rhois culinarij aut quo coriarij utuntur, drach. III. succi hypocisthidis drach. III. baccarum myrti nigrarum recentium drach. VI. soreos drach. I. misyos crudi drach. I. gallæ drachmas VIII. omphacij drac. I. lycij drach. VIII. Vino myrtite subigito, affuso etiam plãtaginis succo, & pastillos drachmarũ IIII. & III. & II. formato: cum uino uerò adstringenti infundito, ægri habita cura, uelut in Nymphodoti pastillo est prædictum. Pastillus magnus, dysentericos præclarè & feliciter iuuãs, etiã si extremè sint affecti

ac desperati, utpote in quibus carnosæ & feculentæ prodeunt egestiones. Infunditur autem cum succo oryzæ, ita ut adeps hircinus & myrtus cũ ipso deco quatur. Cæterũ in his qui retinere non possunt, muria oliuarũ albarum præmittenda, & post horæ interstitium pastillus infundendus, stomacho & capite pręmunitis, uelut in Nymphodori pastillo est prędi ctum. anus itẽ ab infusione fomentis integatur. Prodest etiã ad caua ac profunda crustosaq́ ulcera, itẽq́ nomas pudendorũ. Verum in dysentericis præstat, ut cũ reliquis prædictis remedijs, manus ægri latis & longioribus fascijs constringantur, supernè ex humeris exordio facto, & in summos usq́ digitos ligamento protenso: nõ parũ enim hoc ipsum ad fluxus repressionẽ facit. Porrò ipsius pastilli cõpositio hoc modo habet. Balaustiorum recentium, malicorij, rhois quo coria tinguntur, phyllorum, singulorum drach. IIII. isatidis tinctorię drach. III. alij dra. VI. habent, spinæ Aegyptiæ drachmas IIII. seminis hyoscyami drach. III. farinæ lentium drach. VIII. suberis ex uase uini ueteri accepti ac usti drachm. IIII. gallæ omphacinæ à teredinibus nõ corrosæ drach. IIII. rosarum siccarũ drach. VI. floris recentis rosarũ drachmas sex, croci drach. IIII. myrrhæ drachm. VIII. lycij drach. VIII. bituminis drachmas sex, picis siccę drachmas sex, acaciæ drachmas octo, hypocisthidis drachmas octo, gummi drac. XXXII. thuris masculi drac. VIII. omphacij succi sicci drach. IIII. opij drachm. II. amyli drach. II. solearum ueterum ustarũ drachmas quatuor, cornu cerui usti drach. IIII. ossiculorũ oliuarum ustorum, ossiculorum palmarum ustorũ, fecis uini ustæ, spongiarum nouarũ liquida pice & cedria imbutarum ac ustarũ, ostreorum ustorum, æris usti, squamę æris, sing. drac. III. lapidis gagatæ, coralli, rubiginis ferri, aut scoriæ, cuiusq́ dra. IIII. aluminis scissilis in testa exusti drach. II. aluminis quo tinctores coriorum utuntur drac. II. auripigmẽti drac. III. chalcitidis crudæ drac. III. sandarachæ drac. III. gypsi loti drach. III. calcis uiuæ drach. III. minij sinopici sesquidrachmã, atramenti communis drach. II. diphrygis dra. II. & dimidiam, spumæ argẽti drach. II. & dimidiam, ochræ drach. II. & dimidiam, atramenti Indici drac. II. & dimidiã, plumbi drac. III. cerusæ sesquidrachmã, terræ samiæ drach. III. terræ cimoliæ drac. II. pompholygis drachmas duas, succi mandragoræ & plãtaginis quantum ad hæc suffecerit. Compositio quidẽ igitur pastilli hæc est, in qua totus ille simplicium pharmacorũ cumulus, ex quinquaginta quinque rebus constat, præter herbarũ ex aqua decoctionem, quæ ad huius pastilli subactionem accommodatur. Cæterum apparandi modus huiusmodi est. In pilam thebaicam primum æs, & æris squamam, & spumam argenti, calcem, lapidem gagaten, corallium, rubiginem ferri conijcito: ostrea etiam contusa & cribrata probè & contentè teratur, donec in piluillũ redigantur: deinde adiecta chalcitide, sandaracha, auripigmento, cornu ceruino, oliuarumq́ ac palmarum ossiculis, spongiaq́ & alumine, rursus terito, affusis etiam spissamentis, quę stymmata Greci appellant. Alumẽ autem hoc modo uritur. Alumen in ollulam nouam coniectũ super prunas ponito, & ubi diffunditur ac liquescit tollito, & frigefieri sinito, & hoc modo tritum adijcito. His deinde tritis, minium, diphryges, atramentum indicum & cõmune, ochran, plumbum, terram samiã, cimoliam, cerusam, pompholygem, reliquaq́ omnia metallica addito, & contentissimè sub caniculę æstu conterito, donec ex spissamentis quartam aut quintam addideris partem. Postquam uerò quodam modo ad collyrij formam fuerit redactum, arida contusa & arctissimo cribro excussa adijcito, ueteribus soleis simul cum aridis contusis: deinde additis spissamentis rursus similiter ut priora terito, sæpe instillatis spissamẽtis. Vbi autem trita inaruerint, in altero mortario primum crocum cum duobus succis, mandragorę uidelicet & plantaginis, terito: atque ubi tritum fuerit, reliqua adijcito, myrrhã scilicet & thus, omphacium, acaciam, hypocisthidem, gummi, lycium, opium, picem, bitumen, & lentium farinam, quodlibet eorum prius per se aridum in tenuissimũ puluerem redactum. Cæterum ubi optimè in mortario fuerint trita, duobus succis largè affusis, quo etiam ad aliorum exceptionem sufficiant: de cætero iam antè trita metallica sic arida terito ac admisceto: omnibusq́ probè permixtis ac subactis, pastillos ad duarum magnarum fabarum magnitudinem formato, & utitor aliquando quidem cum oryzæ succo, aliquando uerò cum uino, aut aliquo conueniente liquore. Ego uerò ob mandragoræ uiridis succi inopiam, aridi succi drachmas quatuor addo. Porrò spissamenta cum quibus pastillum conteris, hoc modo apparato. Rubi, myrti, florum mali punici, radicis symphyti, radicis capparis, foliorum salicis, comæ cupressi, omnium ęquales partes cum aqua coquito, & utitor. In his ipsis uerò spissamentis, aut etiam alijs, spongiam aut glomos rigato, cumq́ eis sedem foueto, assiduè quidem, maximè uerò à pastilli infusione. Siccum dysentericum. Terræ lemniæ quæ sphragis appellatur, terræ asteris, amyli, gummi, thuris, æquales partes omnium in puluillũ redactas, cochlearij mensura infundito, spissamentis etiam quibusdam adiectis. Indus autem Medicus hoc utitur. Terræ lemnię quę sphragis, buccinorum ustorum, thuris, singulorum æquales partes commisce, indeq́ cochlearia duo cum lotini corticis decocto, aut pinus, aut mespili, infundito. Quæ dysentericis subdantur. Glans quæ dysentericis subditur, Theosebij. Opij drachmas XI. myrrhæ, castorij, croci, thuris, hypocisthidis, cuiusque drachmas sex, styracis drachmas tres, uino excipito. Alia glans, siue collyrium. Opij, croci, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum æquale pondus cũ uino ueteri subige, & collyria drachmę unius pondere informa, ex quorum usu & subditione diuinam efficaciam admiraberis. Optimè facit & ad dysentericos opobalsamum tomento exceptum & subditum. Spissamenta, quæ dysentericis cataplasmatis uice imponũtur. Florum mali punici, gallarum, malicorij, myrti siccæ, lẽtisci, mannæ, acaciæ siccæ, æquales omniũ partes in puluerem redigito: quem siccum adseruato ac utitor, ita ut usu expetente cũ uino decoctum imponas: magis uerò mitigatorium fiet, si sapa pro uino accipiatur. Illitio, ad cœliacos & dysentericos.

Acaciæ quadrantem, gallæ, œnanthes, malicorij, balaustiorum, aloës, succi hypocisthidis, mastiches, aluminis rotundi, omphacij, singulorum unciam unam, cum uino subigito, ac formato pastillos: quibus cum uino aut succo aliquo conuenienti utaris.

Epithemata dysenterica. Cap. L.

Epithema dysentericis commodum, Marciani. Mala cotonea repurgata decem, in uino decoquito, diligenterq́ terito, ac tritis aloës unciam unam, mannę sextantē, myrrhae siccae tritę quadrantē infarcito, deinde cerę sexuncē, unguēti nardini librā unā addito. Ceratum ipsum liquefacito, & refrigerato, tritisq́ adijcito, ac utitor. Epithema ex oenāthe, Philumeni, stomachicis, & coeliacis dysentericisq́ in principijs cōmodū. Oenāthę siccę drachmas XXVIII. gallae, acacię, rosarū siccarū, omphacij, singulorū unciā unā, aluminis rotūdi sextātē, aloës sextātē, rhois syriaci trientē, olei myrtei librā unā, cerae librā I. picis li. I. Quidā uero singulorū libras duas accipiūt. Arida uino ueteri adstringēte rigato, deinde liquescibilia adijcito, ac simul emollita excipito. Efficaciter auxiliatur ad interaneorū fluxiones, & stomachi fastidia ac exolutiones, & ardores. Aliud, per multā experientiā. Rosarū, oenāthes, acacię, gallę, aluminis scissilis, singulorū quadrātē, aloës sexuncē, rhois culinarij librā unā, cerae, picis, olei myrtei, cuiusque librā unā, uini quantū sufficit. Epithema ex lixiuio.

Ammoniaci thymiamatis, nardi celtici, croci, cardamomi, bdelij, cyperorū, singulorū unciā I. lixiuij ex cinere lignorū uitis sesquiunciā, cerae quadrantē, unguēti nardini sexuncē, uini quātū suffecerit. Apparatur autē & hoc modo. Croci unciā I. aloës quadrātem, styracis quadrantē, cerae sextantē, lixiuij ex cinere lignorū uitis, unguēti nardini, cuiusque uncias XII. uini quod satis est. Illud superius apparaui, & prae oenāthes inopia, folia uitis conieci, in ęstate quidē uiridia, in hyeme uero eiusdem uirgulta, reliquis siccis, cōtusis & cribratis. Epithema, Clidiō appellatū: Cyrilli. Acacię, gallarū, thuris, aluminis scissilis, aloës, rhois culinarij, hypocisthidis, myrrhae, balaustiorū, oenanthes, rosarū siccarū, singulorū unciā unā, cerae dodrantem, picis, olei myrtei, cuiusq́ dodrantē, uini spathitae quantū satis est. Ex libris Philumeni, epithema Mnaseę, clidiō appellatū, ad coeliacos & dysentericos. Gallę omphacinę, succi hypocisthidis, aluminis rotundi, acaciae, rhois rubri, mali corij aridi, seminis apij, singulorū unciā I. uisci quercini drachmas quatuor, ammoniaci thymiamatis drach. IIII. picis siccae drachmas XX. cerae drachmas VIII. olei myrtei aut lentiscini drac. XX. gallas & malicoriū cōtusa ac cribrata in uini cyathis nouē decoquito, assiduè agitando, donec tertia pars relinquatur: deinde in mortarium cōiecta terito, ac reliqua similiter in puluerē redacta inspergito: ammoniacum uero aceto diluito, & uiscum cū modico oleo emollito, pici uero ac cerae liquefactis cū residuo oleo, & ab igne ablatis, uiscū adijcito, ac unito, & simul tritis affundito, fortiterq́ contundito, ac utitor. Andromachi epithema, ad dysentericos & coeliacos.

Seminis hyoscyami albi, seminis apij, cuiusque drach. IIII. anisi, floris rosarum, succi hypocisthidis, balaustij, rhois rubri, cuiusq́ drach. II. opij drachmā unā, croci drachmam I. contere, ac uino myrtite excipe, informaq́ pastillos, quos in umbra siccabis: usus uero tēpore, ex eis quantū suffecerit contundes ac cribrabis, & subiges, linteoloq́ infartū uentri impones. Dropaces. Dropax ex tertio libro placitorum Sorani. Resinę librā I. picis siccę lib. I. nitri, bituminis, sulphuris uiui, cuiusq́ libras II. pyretri libras II. ueratri sextātem, olei heminam unam. Si uero efficacius reddere uelis, adijce & piperis trientem, adarcae sextantem, staphidis syluestris sextantem.

Alius dropax. Picis sexūcem, resinae pinus torrefactae sexuncem, myrrhae, sulphuris uiui, nitri, cuiusque unciam unam, pyretri quadrantem, adarcae unciam unam, euphorbij sextantem, alij drachmas duas tantum habent, adipis taurini sexuncem. Vtendum autem & ad haec rubefacientib. cutem, phoenigmis à Graecis appellatis, itemq́ sinapismis, in tertio Sermone descriptis, in declinatione praesertim dysenteriae, quo totum malum penitus destruatur.

De lienteria, seu intestinorum laeuore. Cap. LI.

Lienteria, quemadmodū ipsum nomen indicat, leuor quispiam intestinorum est, qualis etiam forinsecus in corporis cuticula, & ex cicatrice contingere solet. Oboritur autem frequenter, dysenteria magna praecedente, & ex profunda ulceratione, cicatrice densa & leui succedente, quae deinde ob densitatem quidem suam, ciborū per corpus digestionem fieri non permittit, quum sanè uenarum ora sint ueluti obturata: uenarum inquam, quae alimentum ex intestinis ad se auellunt. Ob lęuorem uero, cibū statim prius quàm permutationem & perfectam cōcoctionem admittat, dilabi sinit. Caeterū lienteria ipsa proprie ex permutantis cibos ac digerentis facultatis debilitate contingit, cuius signum est, quòd cibi crudi & nihil immutati excernuntur, quae ratio & ex hoc amplius corroboratur, quòd non solum à dysenteria haec affectio oboritur, sed & post frequentia uoluulosa tormina, & post longum profluuium uentris: aliquando etiam aqua inter cutem per uentrem euacuata, lienteria consequi solet. Ex quacūq; igitur causa lienteria orta sit, aegri cibum nō sentiūt, & malum corporis habitū acquirunt, quod utrunque malum incorrigibile existit. Succedit enim aegris assidua excretio cruda, colore subalbida, inaequalis, & aquosissima, citra sanguinis ac bilis complexum. Adest autem simul & ardor per tota praecordia se dilatans, quem cibi fastidium concomitatur. Videtur autem bonum & amicum signum in eis ructus acidus esse. Indicat enim iucundi quippiam factum esse, & uentrem ac intestina nō uelut inanima cibum sinere pertransire. Itaq; quum eiusmodi sit affectio, facilè est intelligere, quòd uim retentiuam, ac concoctoriam facultatem tum uentris, tum intestinorum, omni modo refocillare oportet, quod sanè per ciborum conuenientium exhibitionem fieri potest, perq́ diaetam restituendis ac refocillandis uiribus aptam, & ut simpliciter loquar, eodem medicationis ductu utendum est, quem ad coeliacos & dysentericos habes praescriptum. Caeterū quod dignum indicatione hic uisum est nobis: acrium rerum comestiones frequentiores eis aptae existunt, & maximè quibus cicatricem factam esse coniectamus: acrium enim rerū comestio uelut refricationē quandam cicatricum operatur: quin & insitum calorē reuiuificat, & concoquendi facultatem quodāmodo refocillat. Porrò uomitus à coena uentrē etiā in melius transmutant, & actionis suę cōmonefaciunt: frequentes quoque dropacū admotiones ad manus ac crura, thoracemq́ & uentrem, itemq́ rubefaciētia ex malagmatis & ex sinapi eis commodae existunt.

Potiones

Potiones etiam quasdam ad dysenteriacos & cœliacos præscriptas lientericis præpotandas exhibere cõuenit, quale & hoc catapotium existit. Catapotiũ dysentericum, maximè uero lintericis conueniens. Malicorij, myrrhæ, cuiusq; drachmas octo, aluminis scissilis drachmas quatuor, succi hypocisthidis drachmas quatuor, cum aqua catapotia ad erui magnitudinem ex his formato, indeq; quinq; aut septem iuxta ægri uires exhibeto.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN DECIMO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBVS MEDICINAE TETRABIBLI SIVE QVATERNIONIS TERTII SERMO SECVNDVS ET EX ORDINE DECIMVS.

De dispositionibus iocinoris ac lienis, eorũdemq; affectionibus.

De debilitate iocinoris, & his quibus sanguis per uentrem defertur: Galeni. Cap. I.



INTEMPERIES quidẽ causę sunt, ex quibus iocinoris debilitas producitur, dispositiones autẽ diuersas in ipso faciũt: quũ enim citra inflãmationem aut scirrhũ circa hepar, propter solã debilitatem, sanguinis effluxio cõtingit: tũc sanè propriè hepaticos ipsos ęgros appellãt, quemadmodũ cœliacos & stomachicos uocare cõsueuerũt, eos qui neque inflãmationẽ, neque aliquẽ aliũ prӕter naturã tumorem in uisceribus habẽt. Calidę itaque intẽperies, tũ eos qui prius adsunt humores, tũ etiam hos qui per uenas mesenterij ad ipsum hepar deferũtur, adassant ac cõburũt. Frigidę uero intẽperies, humorẽ, qui iã in ipso continetur, crassum & lẽtũ ęgreq; mobilẽ reddũt: eũ uero qui defertur, pituitosum ac crudũ & semicoctũ. Cęterũ sicca intẽperies, ficciores & dẽsiores humores facit. Humida autẽ tenuiores & magis aquosos. Itaq; ubi calida intẽperies circa hepar cõstiterit, colliquationes fiũt, primũ quidẽ humorũ, deinde etiã carnosę ipsius hepatis substãtiæ, bilisq; per uẽtrẽ euacuatur fœtens ac crassa, abundeq; colorata, uelut in pestilẽtibus febribus fieri solet. Vbi uero frigida intẽperies affuerit, neq; assiduę excretiones, neq; multę fiũt. Diuturnũ autem fit malũ, & per dies aliquot aceruatim eis profluet uẽter: cęterũ egesta nõ similẽ putorẽ habent his quæ per calorẽ sunt colliquata, neq; colorẽ etiã, neq; cõpagẽ, sed speciẽ prę se ferũt sanguinis putrefacti & in grumos congelati: & si quis diligẽter inspiciat, uelut limus & fex sunt sanguinis crassioris: cõsimilia enim atræ bili colore apparẽt, quin & plures & iudicatu difficiles colores iuxta eandẽ dispositionẽ in excremẽtis apparẽt. In sicciore aũt intẽperie, recremẽta adhuc sicciora uidebuntur, ęgriq; magis sitiẽt. In humida uero, humidiora, & plura erũt recremẽta, sitisq; minus infestat. Quãdocũq; igitur egesta uideris loturę carnis recẽs mactati animalis similia, ueluti si quis cum aqua sanguinem confudisset, certissimum signum debilitatis ipsius hepatis habebis: eodem modo, si uelut fecem sanguinis conspexeris per sedem excretam, hepaticum & hocce signum esse scito. Si igitur sanguis tenuis & serosus destillat, ægri uisceris signum iudicato: sin uero uelut fex fuerit, supercalefacti & sanguinem superassantis: incipit enim aliquando etiam citra febrem in frigida scilicet intemperie ipsa affectio, quo tempore tenue sanguinis serum primum excernitur: temporis autem progressu, corrupto circa uiscus sanguine, leues febres accedunt, quarum

quarum quum inexperti medici negligentes sint, atque ægrum omnino febri carere putant, quum nihil per uentrem excretum sit, ipsum ægrum lauant, conceduntque negligentiori diæta uti, atque ita uenter rursus corruptum sanguinem excernit. In huiusmodi igitur affectionibus primus curationis scopus sit, ut intemperiem ad contrarium deducamus. Calidã enim dispositionem semper refrigerare oportet, frigidam uero calefacere, similiterque humidam resiccare, & siccam humectare. Cæterum omnibus hepaticis remediis, tum quæ per os sumuntur, tum quæ forinsecus imponuntur, aliquid ex adstringentibus ammiscere oportet, quo firmitas uiscerũ cõseruetur. Atque in stomachicis idem facere non similiter cõducit, quum in ipsis adstrictoria qualitas aliàs dominetur. Fomenta igitur in hepatis debilitate cõuenientia ex oleo fiunt, in calida quidẽ affectione, ex chamæmelino, rosaceo, & lentiscino, absinthio, aut palmis, aut aliquo alio consimili in oleo decoctis. In frigida uero dispositione, ex unguẽto nardino, cui thus & samsucus sint infarta. In humida autẽ intemperie, iisdem oleis magis discutientia ac resiccãtia incoquenda: uelut est iris, cuminum, ac ruta. In sicca demum intemperie, balnea sufficiunt dulciũ aquarũ, & humectans diæta cõmoda erit, cerata etiam atque epithemata fomẽtis similia sint, ex palmis scilicet, malis cotoneis, styrace, mastiche, ac aloë: in frigidioribus etiã polyarchia conducunt, similiterque in humidioribus. Porrò in potu uti conueniet plerisque eorum quæ in hepatis inflammatione sunt relata, si quidẽ calida intemperies fuerit: uelut est seridis ac intybi succus, senecionis succus aut decoctũ, perdicii succus, mel rosarũ, & quæ his similia existunt: quin & Philonis antidotus semel tantũ exhibita, omnẽ aliquãdo calidã hepatis intemperiẽ mirabiliter sanauit, quod etiam Philo de ea testatum reliquit. Vbi uero frigida in hepate intemperis fuerit, calefacientibus ac firmitatem addentibus utendũ est, uelut est nardi spica, capnium, quæ & chelidonia herba circa sepes enata, semen pelecini, & quæ his similia existunt. Vtilissimũ & his nardinum unguentũ, quotidie mane cochlearii mensura ieiunis potatũ, & à cœna ante somnum eodẽ modo. In humida autẽ intemperie, simpliciora ex eis quæ ab oppilatione liberãt, exhibenda, & quæ à proprietate totius substãtiæ efficacia existunt, uelut est, lupinũ hepar, quod sanè diligenter tritũ drachmæ unius põdere cum uino dulci aqua calida diluto præbetur. Hoc enim multiplici experimento cognitum omnibus hepatis intemperiebus cõmodum existit: utpote proprietate totius substantiæ hanc efficaciam habens, non calefaciendo, aut refrigerando.

De oppilatione hepatis, in quibus plurima remedia. Cap. II.

A flatibus nebulosis & cõcoctu difficilibus: aliquãdo autem & à crassis humoribus uiscosisque, in finibus uenarũ ex sima hepatis parte enatarum, per quas ex uentre ac intestinis alimenti digestio ad hepar cõtingit, oppilationes fiunt. Cõsequitur autẽ ad ipsas, grauitatis circa dextrũ ilium cum dolore sensus, aliquãdo quidem obtusæ, aliquando uero uehementis, & quandoque quidem absque febre, quandoque cum febre. Crassa enim & uiscosa ac multa, omnino amplius reliquis oppilãt, & maximè si ægri à cibo uehemẽtiori motu utantur: si uero acria sint & multa quæ in cibo sumũtur, dolor ex oppilatione uehementior fit, quũ obturata corpora simul & tensionẽ perferãt, simulque pũgãtur. Cæterũ quũ uaporosi & crassi flatus multitudo coaceruetur, quæ exitũ nõ habet, non grauitatis solum, sed & distẽtionis sensus oboritur. Quare attenuantiũ & oppilationem dissoluentium quàmcelerrimus requiritur usus: oppilatio enim inueterata nõ tantũ in hepate, sed in omni membro putrefactionẽ operatur, febrẽque accendit. Præclarè autẽ & citra molestiã ab oppilatione liberat, simulque firmitatẽ tũ hepati, tũ stomacho addit, pelecini qui in frumẽtis nascitur semẽ, tritũ cochlearii mẽsura, cum uino aut aqua mulsa in potu acceptũ. capniũ item, quod & chelidoniæ nomen inuenit, succo eius expresso & desiccato: reponitur autẽ is in pastillos redactus, & semel quidem exhibitus dolorẽ omnẽ adimit: ter autẽ præbitus, in totum ab affectione liberat, ultra hoc quod & firmitatem uisceribus addit: decoctũ quoque huius herbæ potatũ similẽ efficaciã habet, etiã si ualde febricitent ægri: aliquando autem herba ipsa exiccatur, cõtusaque & cribrata cochlearii mensura exhibetur. Aliud. Lupi hepar siccum drachmæ pondere, cum piperis granis IX. ac myrrhæ magnitudine fabæ, in passo calido datum, confestim auxiliatur. Aestatis autẽ tempore, alternis diebus, ter potandum præbeto. Liberat ab oppilatione etiam eupatorium, simulque firmitatem addit, similiter quoque stœchas, tum cocta, tum sicca tritaque data: plantaginis itẽ radix, & semen, foliaque sicca trita, siue per se unum quodque, siue simul exhibeantur. Lauri cortex tritus potatus, spica nardi, fructus pistacii, amygdalæ amaræ, anthemis siue chamæmelum, anagallidis quæ cæruleum florẽ habet, succus, radicis acori, eryngii, radicis dulcis decoctũ urinam ciet, & aluũ emollit. Radix dracunculi uiscera omnia repurgat, crassosque & instar uisci tenaces attenuat humores. Filicis succus cochlearii mensura ex aqua mulsa potatus, hepar repurgat, oraque meatuum ac uenarum aperit, citra manifestã calefactionẽ. Præscriptũ autem iã antè est de his quæ tum simas, tum gibbosas hepatis partes ab oppilatione uendicant, in tertio nimirum Sermone.

Catapotium hepatis oppilationem remouens.

Radicis chamæpityos drachmas IIII. radicis cichorii dra. IIII. contundito, ac melle cocto excipito, nucisque ponticæ magnitudine præbeto: aquæ etiam calidæ cyathos tres ab eius exhibitione absorbendos dato. Cæterũ non modo radices horũ hepaticis opitulantur, sed & succus & decoctum. Pastillus hepaticus, ex amygdalis amaris. Seminis anisi, apii, asari, amygdalarum amararũ decorticatarũ, comæ absinthii, singulorum drach. IIII. apparato, & cũ aqua pastillos formato, ex quibus drach. I. febre carentibus cum uini diluti cyathis III. præbeto: febricitantibus autem, cum aqua mulsa. Vrinam ciet, & placidè calefacit. Aliud hepaticum ualde commodum. Seminis pelecini, capnii, costi, cuiusque drac. V. cõtundito ac cribrato, & cochleare I. ex aqua mulsa dato. Præclarè enim summouet oppilationem. Aliud hepaticum pulchrum, cuius utilitatem ne contemnas.

Lenticulam torrefactam ac probè tritã cochlearii mensura ex uino bibendam præbe. Commodum est hoc & lieni, ex posca, aut aceto mulso. Aliud, experimento constans. Comæ absinthii, piperis, costi, cassiæ, radicis gentianæ, amygdalarũ amararũ, singulorum

singulorum unc. I. fœni græci sextantem, seminis pe lecini sextantem. Exhibeto cochlearium quomodocunque uelis. Aliud, ad hepatis oppilationem.

Cacani scrupulos duos, alij octo habēt, costi scrupulos sex, spicæ nardi, iridis, phylli, lupinorū siccorum, baccarum lauri, fœni græci, rhei pontici, singulorum scrupulos sex, piperis, phu, asari, cuiusq; drachmas quatuor. quòd si picis siccæ scrupulos tres ammiscueris, efficacius operatur. Aliud simplicius, quo assiduè utimur, ualde admirandum. Cacani sextātem, fœni græci sesquunciam, piperis unciā unam, cyperi unciam unam, costi unciam unam: cōtundito & cribrato, ac cochlearium unum cum condito præbeto. decumbat autem æger super affectam partem. Aliud. Potamogetonis sicci drach. II. comæ absinthij drachm. I. croci, costi, spicæ nardi, cuiusque drachmas duas, amomi drachmam I. datur cochlearij mensura aridum. Aliud. Piperis drac. IIII. dorcadiadis herbæ, quæ & muscij appellationem habet unc. I. costi trientem, alij drach. IIII. contundito, cribrato, & cochlearium in potu exhibeto.

Aliud Philagrij. Rhei pontici unc. I. castorij scrupulos tres, farinæ lupini scrupulos III. piperis grana VII. contundito, cribrato, & mane cochleariū unum præbeto ex condito.

De hepatis inflāmatione, & cognoscēdo utrū hepar, an musculi eius sint inflammati. Cap. III.

Galeni. Hepar consimiliter ut splen & inflammatur & abscessu suppuratur, uerum raro scirrho, hoc est, abscessu duro afficitur. Inflammato itaq; hepate, dextri ilij tumor consequitur, & maximè si gibbosa parte inflammatū fuerit, facilius per tactū cognoscitur tumor, grauitasq; coincidit ilium totum distrahens, & dolor in dextram usq; clauiculam ac scapulam pertingit, ut conuelli penitus æger uideatur: linguæ color in principio quidem rubicūdior fit, postea uero denigrescit: appetitus deiectio, fastidiūq; cibi uehemens, & implacabilis sitis: uomitus quibusdā contingit bilis puræ atq; etiā uitellinæ, post autē & æruginosæ: aluus autē ipsis est adstricta, nisi sanè cum uisceris debilitate inflammatio est oborta, febris adest acuta, inæqualis, quæ plerunq; ad uesperam & nocte exacerbatur: sequitur & spirādi difficultas, tussiculæq; paruę, ut plurimū siccæ, per quas nihil omnino reiectatur. Aliquando autē per uomitus biliosa pauca quædā reiectantur, quæ res plerosq; decepit, qui ex pleuritide hanc eductionem fieri putauerunt. Cæterū & costæ nothæ utplurimum cōdolitant, & color corporis subuertitur in arquati morbi speciē permutatus: singultus quoque consequuntur. Accessionis autem tempore quidam delirio apprehenduntur, & acre lotiū excernūt: & sanè inflāmationes quę iuxta simā hepatis partē cōtingunt, plus fastidij, & nauseæ, & uomitus biliosos, ac uehemētē sitim inducunt: quæ uero in gibba parte fiunt, dolores circa respirationem intendunt, tussiculasq; irritāt, clauiculamq; magis cum dolore conuellunt. Quandoquidem autem musculis hepati incumbentibus inflammatis, quidā decepti hepatis eam inflammationē esse suspicantur, necessarium fuerit distinguere inter se has affectiones. Hepate etenim inflammato, tumor secundū lineamenta rotundus, figura uidelicet ipsius hepatis, succumbit, quiq; ad corporis decubitum simul conformatur: maior enim apparet corpore ad sinistrum latus reclinato: minor autem rursus ad dextrum deuoluto: nimirum hepate sub nothas costas cedente, neq; uisui, neq; tactui similiter succumbente. amplius autem in hepatis inflammatione, incumbens cuticula, naturali modo habere conspicitur, musculis autem inflammatis, cutis circuntenditur, ut si quis digitis apprehensam attrahere uelit, ea minimè sequatur. Proprijssimè autē tactus discernet siue in alto, siue in superficie inflammatio ipsa cōsistat. Porrò hepate inflammato, sanguinis detractionem experiri oportet à cubito, si nihil id fieri præpediat. Incidenda autem in dextro cubito uena interna, ita ut substratam arteriam obseruemus, quæ si non appareat, media: si uero neq; ipsa appareat, superior. Multitudinem autem extrahendi sanguinis, ex corporis reperies qualitate, ætateq; & natura, horaq; temporis, ac regione, ampliusq; ex uiribus ægri: quæ si id ferre queant, semel quantum satis est, detrahendum, si uero nō, per uices partitum. Cæterum incisio ipsa oportunè in prima & secunda die contingit: si uero urgeant dolores, & adsint uires: etiā septima uenę incisionem facimus, qua facta post modicum interuallum, simplici clystere euacuamus, maximè si non sponte egerat aluus. Sequenti à uenæ sectione die, cucurbitæ cum scarificatione affigendę, rursumq; post unam diem cucurbita apponenda: non pauci enim à secunda earum adhibitione opem senserunt magis quàm à priore. At uero ante uenæ incisionē & post eam, fomentis utendum est ex lanis succidis oleo imbutis & impositis: cōuenit & ex passo cretico fomentū cum rosaceo aut lentiscino aut melino aut œnanthino. Optimū autē fomentū hocce est. Chamęmeli, anethi humidi, si adest, rutę uiridis, seminis lini, cuiusq; unc. I. calicū papaueris numero X. olei sextariū I. semen lini contusum in linteolo colligato, & cum alijs in cacabum coniectū ad prunas decoquito donec uires suas distribuat, deinde olla in feruēti cinere collocata, ex ea multo tēpore cōfidenter foueto, post fomentorū irrigationes cataplasmatis uti oportet, ex semine lini & fœni græci, farinaq; hordeacea aut triticea, his uel omnibus uel uno aliquo ex eis, aut quibusdam in aqua mulsa decoctis, ammiscēdū etiā absinthiū & mastiche ac melilotū. Quòd si uehementior sit ardor, etiam ea quæ astringunt sunt ammiscēda, uelut sunt mala cotonea. Oleum uero quod additur rosaceū sit, aut melinū, aut lentiscinū. Si uero feruor adhuc perseueret, cotonea mala cum polēta imponēda. Remittente autē uehemēti calore ficus optimas & althæę radicē decoquito, & decocto eorum semen lini, farinasq; hordei, fœni græci, ac lolij infarcito: quòd si durior inflāmatio succumbat, etiā chamæleonem aut chamæpityn, aut polium, aut asarū, aut daucum, eryngijq; tū semē, tum radicē ammiscere oportet, aliquando autem & ficus cum althæa decoctæ ac tritæ cataplasmati cōnectuntur. Cæterum calidius & magis emolliens reddideris cataplasma, si terebinthinæ, aut resinæ pinus, aut picis quadrantem addas. Brassicæ autem crudæ folia cum melle trita ac imposita, omnes induratas inflammationes dissoluūt. Hinc ad cerata trāseundū ex oleo cyprino aut glaucino apparata, althæę radicibus simul admixtis. Vtendum etiam ex palmis cerato, hepatis inflāmationibus summè accōmodato, maximè si stomachus per consensum simul sit affectus, & costæ coafflictæ.

coafflictæ. Habet autem hoc modo. Palmas interiore medulla exempta, diligenter contundito, ac cum pari cerato rosaceo in mortario probè cōmittito, ac unito, affusoq; modico oleo rosaceo imponito. Aut myrrhā in uino ueteri adstringente maceratam, palmis ammisceto, & panniculo uestis detritæ excepta imponito. A ceratis ad epithemata ex styrace, & ex meliloto, & ea quæ polyarchia appellantur, & iam antè ad colicos & stomachicos descripta sunt, transeundū. Compositio autem epithematis ex styrace, hęc est. Styracis pinguis, carnis palmarum, costi, mastiches, casiæ, singulorum trientem, sampsuci sextātem, croci semunciam, uuæ passæ semunciā, cerę sexuncem, unguenti nardini bessem. Porrò in inflāmatione hepatis ubi magni circumstent dolores, etiam pharmaca dolorem leuantia in potu eis exhibere cōuenit, ita tamen ut assiduum eorum usum deuitemus: simplicibus autem potionibus frequentius utēdum: senecionis itaque decoctum tāquam maximè commodum, aut succi radicis dulcis obolos duos cum aqua calida exhibeto. Aliud. Picridis seridis, aut intybi succi cyathum unum cum aquæ calidæ cyathis tribus præbeto, mellis etiā cochlearijs duobus affusis. Ad hoc enim quod refrigerat, ac firmitatem uisceri addit, etiam ora uenarum hepatis repurgat, neq; tamen frigidas intemperies magnopere lædit. Potest autem seridum ac intyborum substantia hepati commodare, tum si sine humorum, aut serosi ac uitiati sanguinis complexu, intemperies in ipso fiat, tum si humiditatis cuiuscunq; tandem adsit cū intemperie cōplexus: mellis uero ammixtio humiditatem per urinā excludit. Quapropter etiam exiccata ac contusa utiliter potui insperguntur, eorum quoq; decoctum potatum magnam commoditatē prębet. Quòd si nō infestet calida aliqua intēperies, sed obturatione tantum uiscus ipsum uexetur, ex uino albo, tenui, ac uetusto, cum aliquo urinas ciente pharmaco, potata magnificè auxiliantur. Magni etiam pretij in hepatis inflammatione capnij herbæ, quæ etiam chelidonia appellatur, succus habetur aut eius decoctū. Auxiliatur & præscriptus ex amygdalis amaris pastillus, nisi penitus magna caliditas adsit. Aliud. Cochlearum terrestrium carnem optimè conterito, & uini nigri cyathos tres affundito, calefacito, ac bibendum præbeto. Cæterum hæc iuxta omnem suam substātiam efficacia existunt, quale est hepar lupinū, cuius rei magnum periculum fecimus, inquit Galenus. usus autem eius idem qui cochlearum existit: optimè enim conteritur, & drach. I. cum uino aliquo dulci præbetur. Hæc enim pharmaca omnibus hepatis intemperiebus conuenire uidentur, quum neq; calidas neque frigidas intemperies lædant: febrientibus tamen lupi hepar melius ex aqua, aut seridis succo, aut aliquo consimili exhibetur. Epithema ex styrace. Costi unc. I. croci, thuris, aloës, ammoniaci thymiamatis, mastiches, styracis flaui, spicæ nardi, cuiusq; drach. IIII. terebinthinę unc. I. opobalsami drach. IIII. ceræ trientem. Vtere.

De hepatis abscessu: Archigenis. Cap. IIII.

Quòd si inflammatio ad permutationem aptè se habeat, hoc est, principium permutationis ad suppurationē iam suscepit, omnes prædictæ de inflammatione accessiones augebuntur: dolores (inquam) & febres, & delirium, anxietas, desperatio, cibi fastidiū, & displicentia maximè ab eius acceptione. A rigoribus autem ferè in totum febriles accessiones initiū sumunt, præsertim si ad uesperam exacerbationes fiāt. Adiuuare igitur permutationē ac puris eruptionem oportet, ut quàm celerrime fiat, ne maiora inde corpora corrūpantur, per usum uidelicet cataplasmatū ex semine lini, aut hordeacea & fœni gręci farina apparatorū, admixtis etiā resina, manna, pice, althϾ radice, stercore colūbino, stercore caprino, caricis, & quę his similia existūt: fomentis autē utendū ex cruda hordeacea farina, & spongijs decocto absinthij, abrotoni, cētaureę, similibusq; imbutis ac expressis: neq; uero incōuenienter emplastra quæ puris permutationē iuuare queunt, adhibetur. Quum autē perfecta suppuratio fuerit, dolores remittēt, omnesq; accessiones mitiores apparebunt: cæterū rupturæ tēpore dolor rursum magis augescet, quare etiā tunc rupturam adiuuare oportet, per cataplasmatum ad superficiem attrahentium ac subadstringētium usum, & per potiones calorificas: quales sunt quæ ex pipere & zingibere ac myrrha apparantur. Porrò post eruptionē, aliquando quidē per aluū, aliquando per urinas, puris transsumptio contingit. Quidam etiam per os, puris eductionem factam tradiderunt: uerum periculosior alijs per os transmissio existit: id uero quod excernitur nigrū est, quāquam & album reperiatur, quod sanè salutare iudicatur. Aliquando autē humor qui ex abscessu promanat, inter pelliculā uentrē ac intestina amplectentē, peritonæon Græcis dictam, atq; ipsa intestina colligitur: & facile sanè curatur, si quis diducta citissime cuticula humorem ipsum excludat, ea maxime parte qua tumor attollitur: aliquando autē rursus post factā isthic collectionē, transsumptio per intestina cōtingit. Cęterū in his quibus tumor foras prominet, sectionem obliquam supra inguē infligere oportet, ac per eā ipsam humorē euacuare, atq; etiā ulcus ipsum eluere, & pharmaca liquefacta inijcere, donec perfecte curetur. Neq; uero negligendū, quo & hepati post factā abscessus rupturā, remedia auxiliaria adhibeantur. Primum quidē igitur emplastra emolliētia imponantur, deinde etiam resiccantia, quale est quod Icesium appellatur, quodq; ex salicibus cōstat, & quę his similia existūt. Si itaq; per urinas puris trāssumptio fiat, cōsimilibus epithematibus utēdū est circa totū ile, & iuxta pubē, & tū per cibos tū p pharmaca urinā cientia, repurgatio eius adiuuanda. Pepones igitur in cibo eis conueniunt, & cucumeres cocti, pastinacaq; & sion. Ex pharmacis uero, meon & asarum, spica, casia, cinamomum. Sunt & composita quæ huc pertinēt, quorum compositiones paulo pòst dicemus. Per interualla autem etiā humores ipsos dulcorare oportet, uini scybelite, therei, ac protropi, similiumq; potu. Commoda est etiam ipsis potatio lactis. Si uero per sedem humoris transmissio contingat, epithemata quidem eiusdē materiæ approbamus: uerum prospiciendum est, ne aluus cohibeatur, neq; etiam amplius humectetur: nam hoc ipsum tum per cibos, tū per pharmaca, ac epithemata fieri potest. Vtimur autem & ad hos infusis per clysteres, quo intestina illæsa conseruemus: ad quam rem ptisanæ, ac tragi, & oryzæ succi appositi existunt. Quod si tamen per os puris eductio fiat, maximam ad hoc curam adhibere oportet, ut humores prius euacuentur: deinde

cibus praebendus adstringens & stomacho gratus. Vtendum & uino tenui & odoro. Ventri uero epithemata ex palmis apparata, atque ex oenanthe, ac eis similia imponenda, de quibus in stomachicorum ac dysentericorum tractatu est praedictum. Ad hepaticos. Folij malabathri, careophylli, spicae nardi, costi, piperis, lupinorum siccorum, singulorum unciã I. contundito, cribrato, ac scrupulos IIII. praebeto cũ uino. Aliud Philosophi: hepatis, inquit, abscessus discutit. Radicis graminis decoctum bis in die potatũ, similiter & foeniculi radicũ decoctũ, & dauci. Myrrhã itẽ & picẽ siccã contundito ac cribrato, pillitoque hepati ex oleo cyprino inspergito & lanam puram oleo cyprino calido imbutã superponito, uehemneter prodest hoc: utere confidenter.

Cura hepatis exulcerati, Archigenis. Cap. V.

Si exulceratio ex abscessu circa hepar relinquatur, aut illic ex acribus humoribus ac erodentibus fiat, colliquatio haec adfectio appellata est. In his sane uenter cruẽta, & putrefacta, ac saniosa excernit: atque omnino consimilia ex hepatis ulceribus promanare solent, his quae à mortuorum corporibus destillant: quare quidam inexperti decepti, dysenteriam hanc affectionem esse putauerunt. Ructus aũt foetidi consequuntur, & à ciborũ acceptione grauitas praecordiorum: & pulsus eis est depressus ac densus, fiuntque aegri amarulẽti & iracundi: dolor circa locum fit ulcerosus, usque ad clauiculam ipsam pertingens: multis autẽ una cũ uentris recrementis etiã lotiũ excernitur saniosum sandarachę colore: non parũ uero frequẽter ea quae in urinis cõtinentur aquae inter cutẽ significationem portendunt. Caeterum omniũ periculosissima est haec affectio, & modica omnino aegris est spes salutis: & tamen nihilominus aggredienda est eorũ cura, cõsimilibus remedijs, eis quae paulo antẽ dicta sunt, etiam his adhibitis, epithematibusque ex materia leniter adstringente, similibusque fomentis. Liquoribus autẽ tum qui ad fomẽta, tum qui in catapalasmata adsumuntur, cortex pinus, palmęque ac cyperi similiaque sunt incoquenda, proprie autẽ ulcera repurgat lac scissile sępe acceptum: cui aliquãdo parum mellis addere non ab re est. Post repurgationẽ citissime ad ea quae carne replent festinandũ. praestant autẽ id cibi moderati et boni succi, ac gestatiões: quòd si molestiae id fieri pmittant, etiã exercitamenta conueniunt & uinum. Post cataplasmata uero, cerata et emplastra apta erunt, quorũ saepe in praecedentibus fecimus mentionem. Plurima praeterea pharmaca quae ulceribus cõueniunt, in potu sumuntur. Quale & hoc est, Andromachi ad hepaticos cõpositio, cyphoides appellata: quae etiã ad omnia thoracis uitia cõducit. Vuarũ passarũ carnis dra. XXV. croci dr. I. calami indici dr. II. bdellij dra. II. et dimidiã, cinamomi dra. X. casię dra. X. floris iũci odorati dra. II. & dimidiã, myrrhę dra. IIII. terebinthinae dra. IIII. scobis aspalathi dra. II. spicae nardi drac. III. mellis dra. XVI. uini dulcis quãtũ sufficit. Adstringit mediocriter & resiccat ac discutit serosos ac uitiatos humores, inquit Galenus, corrigit malitiam humorum & putrefactioni se opponit, intemperies sanat, extergit ac mundos facit, aperitque meatus, cit urinam, atque ea propter internas ulcerationes curare consueuit, & eos qui hepatici appellantur. Sunt aũt hepatici proprie, qui ob hepatis debilitatem per sedem cruenta liquidiora excernũt, quales sunt loturae carnium animalium recens mactatorum, quos ipsos ignarum uulgus dysentericos esse putat. Alia cyphoides Andromachi: facit & ad tusses, & ad liquidorũ per os reiectationes. Croci, cinamomi, mirrhae, cuiusque dra. I. bdellij dra. IIII. aspalathi obolos IIII. floris iunci odorati dra. III. calami indici dra. II. cassiae dra. I. spicae nardi dra. I. terebinthinae dra. XVI. mellis heminã dimidiam, uuarũ passarum pinguiũ numero CLX. carne earũ optime mundata, uini ueteris adstringentis, quãtũ ad uuas passas, bdellium ac mirrhã macerãda ac conterẽda satis est. Mel autẽ prius despumato, in eoque resinam liquefacito: & cum reliquis committito ac utitor, aliquando quidem instar eclegmatis ad nucis ponticae magnitudinem aut amplius exhibeto: aliquando uero aqua mulsa dilutũ bibendum praebeto. Inuenies & inter arteriaca remedia ad tussientes item & phthisicos pharmaca plurima his similia, quibus ipsis & ad ulceratum hepar uti oportet: proderunt etiam ea quae ad renum ac uesicae ulcera sunt descripta. Alia cyphoides, qua usus est comes Andreas, & Menas chirurgus. Croci dra. IIII. calami drach. VI. bdellij drach. II. & dimidiam, casiae scrupulos IIII. spicae nardi sesquidrachmam, floris iunci odorati scrupulos II. & dimidium, mirrhae dra. IIII. terebenthinae drach. IIII. aspalathi scrupulum unum, mellis sextantem, carnis uuarum passarum quadrãtem, uini quantum ad haec satis erit.

De hepate in scirrhũ indurato, Galeni. Cap. VI.

Non solum autẽ à praedictis affectionibus apprehenditur hepar, sed & in scirrhum induratur, inflammatione uidelicet praecedente. Manifestiorem autẽ cognitionem hepar induratũ ex hoc habet, quòd tumor circa ipsum scirrhum multo durior quàm in inflammatione existit, multo etiam minore dolore uexatur. In huiusmodi quoque dispositiõibus corpuscula hepati insita attenuantur. Caeterum temporis progressu, maiore tumore circa scirrhum facto, difficulter eius cognitio per tactum cognoscitur, propterea quòd iam aquae inter cutem suffusio sit consequuta: unde his qui negligentius notas perscrutantur, tumor ad tactum laxus succumbit: color autẽ uniuersi corporis in nigredinẽ pallore permistam cõmutatur, uenter & pedes intumescunt, supernae corporis partes gracilescunt, & corpus ipsum tepescit: aliquando autẽ aluus multa & tenuia excernit: urinae uero à principio quidẽ multae, uerũ ubi iam ad aquam inter cutem dilapsi sunt omnino paucae. Porrò incipientem hepatis scirrhũ saepe curauimus ipsi: eum uero qui tẽporis diuturnitate est extensus, neque ipse curaui, neque alium quempiam qui curare eũ posset uidi: in totum enim sic affectis aqua inter cutem accedit, & in longiori tempore corrũpuntur. Itaque ad praedicta de inflammatione cataplasmata & fomenta, fortiora quaedam (inquit Archigenes) sunt annectenda. Cõstant autẽ ea quae inflammatis adhibentur ex absinthij coma, nardoque tum indica, tum celtica, croco, oenanthe, unguento nardino, lentiscino, & masthichino. His igitur althaeae radicem ammiscere oportet, & stercus caprinum, ammoniacum thymiama, bdellium, medullasque & adipes. haec enim incipientem in hepate scirrhum, conuenienti simul adhibita diaeta, saepe curauerunt. Post fomenta

menta autem & cataplasmata, cucurbitæ hepati affigendæ cum scarificatione, & emplastra adhibenda: primum quidem simpliciora, uelut est Mnaseæ, & quod ex succis constat, deinde etiam fortiora, uelut est melinũ Serapionis, & quæ huic similia existunt. Post emplastra malagmatis utendum, ex baccis lauri, aut eo quod polyarchiõ appellatur, & similibus, quorum aliqua in colicis præscripta sunt: aliqua uero in splenicis & arthriticis referentur. Quod si neq; sic proficias, hirudines admouẽdæ: plurimum enim momenti habet ad curationem, sanguis earum suctu extractus. Commodus est eis & dropax & sinapismus: si uero neq; hoc modo res succedat, ustio p frequentia interualla adhibeatur: ita ut aut per ferrum, aut per pharmacũ crustę infligantur, & post earum casum, ulcera multo tempore fluere sinamus. conferunt etiã potiones couenientium pharmacorum, ueluti est Zopyros ad colicos præscripta, & quæ eupatorium habet admixtum. Complectuntur & urinam cientes antidoti aliquam in se cõmoditatem: uelut est quæ Bestiana uocatur. Scirrho enim induratæ particulę ob crassos & uiscosos humores in solidis corporibus imbibitos, necessario frigidã habẽt dispositionem: quare & calefacientibus simul & tenuium partium pharmacis opus habent: uerum his, quemadmodum dictũ est, emollientia sunt præmittenda. Si enim uehemẽter calida, antequam scirrho indurata corpora præmollescant, exhibeantur, statim quidem manifestam diminutionem fecisse apparent, uerum immedicabile fit quod relinquitur, utpote nimiũ resiccatum. Quapropter facile est coniectare in hepatis scirrho necessariam esse emollientiũ admixtionem. Simplicia igitur quæ ad hepar induratũ bibuntur sunt: anagallidis quę cæruleum florẽ habet succus exiccatus, itẽq; liquidus ex aqua mulsa: in moderatis autem febribus, ex aceto mulso: & scillæ assatæ medullæ oboli III. seminis uiticis torrefacti dra. I. radix eupatorij, radix dracunculi, cortex radicis lauri. Aliud, quo Aegyptius curatus est, quum iam aquam inter cutem incidere promptus esset: Herbæ sabinæ, picis siccæ, quæ in fundo doliorum uini reperitur, eorum præsertim in quibus uinum dulce uetustatẽ est adeptum, utriusq; æquales partes singulatim cõtundito & cribrato, atq; ex ambobus pariter cochlearij mensuram cũ uino diluto præbeto. Aliud. Croci, spicæ nardi, casiæ, cuiusq; drac. II. costi, floris iunci odorati, cinamomi, myrrhæ, stactes cuiusq; dra. I. mellis despumati dra. XXV. Ex hoc drac. I. cum uino mulso præbe. Optimũ est hoc pharmacũ in incipientib. duris scirrhi dispositionibus, cuius rei plurimũ periculũ feci. Aliud, ad omnes inueteratas hepatis affectiones, atq; ipsum etiam scirrhũ. Picis siccæ, costi, piperis, æquales partes cõtundito & cribrato, & ex eis cochlearium præbeto. Aliud. Myrrhã troglodyticen optimã, & piper, pari põdere tundito: indeq; scrupulũ unũ cum uino meraco ueteri calefacto, ad dies tres aut quinq; exhibeto. Oribasij ad hepaticos. Glaucij drach. IIII. aloës dra. II. hęc arida cõterito, & cochlearij mẽsura statim à balineo exhibeto: febre carẽtibus cũ uino diluto, febrientibus autẽ cũ aqua mulsa. Aliud Oribasij, ad diuturnas hepatis affectiones, & circa sima ipsius dispositiones, in quibus tum stomachus, tum uenter simul affecti sunt. Comę pinus uiridis decoctũ ad tertias redactum, cyathorũ trium aut quatuor mẽsura prębe. Quin & siccæ comæ dra. I. in potu exhibita, simili efficacia præstat. Verũ ad multos hæc exhibẽda sunt dies. Aliud, Oribasij. Chamępityos, petroselini, cuiusq; dra. VIII. baccarum lauri, piperis, costi, singulorum drac. IIII. cyperi, fœni gręci, cuiusq; drach. II. præbe cochlearium ex aqua mulsa.

Aliud. Anisi, gentianæ, amygdalarũ amararũ, absinthij, æquas portiones permisce: indeq; cochleariũ ex calida præbe. Aliud. Thuris unciam unã, ammij, acori, cuiusq; drachmas quatuor, præbe cochleariũ ex aqua mulsa. Oribasij antidotus hepatica. Casiæ drachmas octo, aloës, costi, corticis pinus, cuiusque drachmas quatuor, glycyrrhizes siccæ drachmas octo, spicæ nardi, croci, anisi, hyssopi, rhei pontici, cuiusque drachmas duas, mellis sesquilibrã. Mel decoque ac reliqua eo excipe, & nucis auellanæ magnitudine prębe. Aliud Oribasij, ad hepaticos, ictericos, splenicos, & pręcordia eleuata. Croci drachmas decem, floris iunci odorati drachmas quatuor, casiæ drachmas duas, spicæ nardi drachmas octo, myrrhæ, cinamomi, costi, cuiusque drachmam unam, mellis cocti quantum his excipiendis sufficit. Præbe ad fabæ ægyptiæ magnitudinem cum uini mulsi cyathis tribus. Facit & ad thoracis dolores, atq; eos qui plumbeum colorẽ habent. Aliud hepaticum pulchrum. Seminis pelecini, capnij herbę, costi, æquale pondus contundito ac cribrato, & drachmam unam ex aqua mulsa præbeto. Aliud. Fœni græci unciã unã, trixaginis sextantẽ & unciã dimidiam, costi albi quincuncẽ, petroselini quincuncem, eupatorij quincuncem, mellis despumati quantum satis est. Datur sesquidrachmæ pondere. Eius utilitas experimento constat. Aliud. Castorij, costi, cyperi, amomi, cuiusque drachmas octo, piperis drachmas quatuor, petroselini drachmas quatuor. Datur cochlearij mẽsura. Aliud, ad diuturnã uexationẽ & duriciem. Costi, fœni gręci, piperis, foliorũ rutæ uiridis, picis siccæ, æquales partes cõmisce, indéque cochlearium cum aqua mulsa aut uino prębe. Aliud. Ammoniaci thymiamatis drachmas triginta duas, croci drachmas quatuor. Crocum tundito, cribrato, & cum aqua diluito: deinde ammoniacum adijcito, simulq; terito, ac in pastillos redigito, ex quibus alijs drachmam unam, alijs duas præbeto. Aliud. Ammoniaci thymiamatis, costi, polij, fœni græci, æquale pondus misceto: indeq; cochlearium siccum cum aqua mulsa dato. Aliud. Ammoniaci in tenuissimum puluerem redacti cochlearium unum, mastiches grana decem, præbe ex aqua mulsa, & admiraberis. Efficax est ad hepaticos iam desperatos. Aliud, Asclepiadæ: quo utimur, inquit Philagrius: quod ad hepar scirrho induratũ, atque etiam oppilatione obturatum, prospero successu accõmodatur, ad aquæ inter cutem quoque suffusiones incipientes, & ad alias internas affectiones, citra tussim contingentes, optime facit. Habet autem hoc modo. Radicis gentianæ, chamæpityos, marrubij, petroselini, radicis scolopendriæ, radicis panacis, terræ lemniæ quæ sphragis appellatur, sisonis, rubiæ, seminis brassicæ, radicis eringij, baccarum iuniperi, seminis fraxini, trixaginis, seminis dauci, dictamni, cestri siue betonicæ, singulorum drachmas octo, fellis ursi sicci, sinapis, seminis cu-

cumeris, aristolochię, piperis, spicæ nardi, costi, seminis erucę, singulorum drachmas octo, hoc est omniũ æquale pōdus, echij, eupatorij, polij, cuiusque similiter drachmas octo. Quidam etiam lupini hepatis, ac helenij tantundem adiecerunt, quod & nos facere solemus. Oribasius autem neque fraxini semen, neque betonicam, neque trixaginem, neque dictamnum, neque daucum adscripsit. Mellis quantum his omnibus excipiendis sufficit. Datur ad nucis auellanæ magnitudinem cum pasi cyathis duobus. Pharmacum hoc experimento cognitum est. Semen autem fraxini, arboris est ex qua fraxinea ligna quocunque in opere apta ac operæ obedictissima cæduntur. Epithema ex melilotis ad hepaticos. Meliloti sextantem, croci unciam unam, ammoniaci thymiamatis libram I. ceræ lib. I, terebinthinæ trientem, cyprini, aut nardini, aut gleucini unguenti plus minus quincuncem. Ammoniacum & crocũ in aceto dissolue. Porrò in diæta totum situm esse existimandum est, siquidem omnis diuturnus morbus maiorẽ ex diæta opem sentit. Quare cibi qui facile concoquuntur, eis exhibendi sunt, quiq; & incisoriam uim & repurgantem complectuntur. Neque uero ineptæ eis acrium rerum comestiones sunt, si per interualla, & post exercitia ac gestationes sumũtur. Cæterum pro ratione motuum & exercitiorum, tum quantitatẽ, tum qualitatem ciborum augere oportet. Vinum eis conuenit tenue, odorum, moderata quantitate acceptum. Dulcia enim omnia nocentissima sunt hepati affecto. Vitandum & uinum mulsum, fructusq; ac bellaria omnia, præter amygdalas & pistacia: ex his enim moderate à reliquis cibis accipiendum. Vitanda etiam crassa & uiscosa edulia, atq; ea quæ difficulter concoquuntur.

De lienis affectionibus cognoscendis, ex libris Philagrij. Cap. VII.

Quibuscunque sub sinistro ilio dolor, aut distẽsio, aut tumor subiacet, & dum conuertuntur, uelut aliquid ex illis locis conuellatur, imaginatio contingit, his lien affectus est. Quemadmodum autem reliqua corporis membra iuxta octo intemperierum genera affliguntur, ita & splen afficitur: uerum frequentissime frigidam & humidam sustinet intemperiem, ex cõsimili maxime diæta, atque ex his quæ uoluptatis gratia accipiuntur, ueluti sunt crassi succi placentæ, itemq; potiones. In his igitur omnibus calor tempore debilitatur. Substantia enim splenis laxa & rara est, promptissimaq; ad suscipiendum crassiorem humorem: etenim fecem ac uelut limum sanguinis ex hepate ad sese trahit, hoc modo sanguinem repurgans, ex qua fece confecta & attenuata per maximas in ipso arterias seipsum nutrit. Signum autẽ certum & compendiosum intemperiei in splene, ea quæ eduntur ac bibuntur exhibent, & quæ forinsecus cuticulæ iuxta sinistrum ilium accedunt. Si enim frigida intemperies iuxta ipsum fuerit oborta, omnis cibus & potus qui efficaciter refrigerare potest, facile & manifeste splenem lædit: pallium item frigidum extrinsecus admotũ, maxime si in frigida aëris constitutione amiciantur, uentus etiam & aqua frigida tum in lauando, tum aliàs quoque adhibita, frigidã arguit splenis intemperiem. Eam uero ipsam intemperiem omnia calida consolantur. Quòd si calida fuerit splenis intemperies, à nullis quæ in cibo aut potu exhibentur, aut etiam forinsecus accedunt, dolorem perfert: & si quidem caliditas augescat, nõ solum nihil tumori apponitur, sed & contractionẽ amplius sustinet, præsertim si exurens simul adsit febris. Cæterum & cibi & potus calefacientes, & quæ extrinsecus corpori calorem addunt, calidas etiam intemperies augent & exacerbant. Solatio autem sunt eis omnia refrigerantia. Si enim hi qui calidam habent dispositionem per interualla frigidę potu utantur, statim splen corroboratur, & minuitur, ægrumq; melius spirantem reddit: & uenter aliquãdo ex frigidæ potu flauam bilem profundit. Atqui tristitia adfectis, aut ira concitatis splen dolet, si calidam habeant intemperiem. Similiter etiam siccæ intemperiei in splene signa colligere oportet, maxime quum pro magnitudine propriæ naturæ non eminet. Ea item quę forinsecus corpori aduenıunt, atque intra ipsum deuorantur, si arefaciendi facultate prędita sunt, splenem exiccant, quemadmodum etiam reliqua animalis mẽbra desiccare consueuerunt. Qui enim laboriosam uitam degit, assidueq; circa marinas aquas uersatur, aut bituminosas, aut aluminosas, aut sulphurulentas, quiq; pharmaca assumit hãc habentia naturam, facilime exiccatur. Porrò ubi humida affectione splen fuerit detẽtus, atq; ea amplius inualuerit, in tantum eius incrementum facit, ut etiã uentrem pertingat ac hepar. Consueuit autem humida dispositio circa ipsum consistere ab immodice humectantibus, dięta, & exercitio, aëreq; & locis. Oboriri solet & his qui circa palustres regiones frequenter uersantur. Amplius autem & humidus morbus præcedens, hanc adfectionem producit: aquæ item largior potus, & holera humectandi ui prædita. Species quoque doloris unà cum prædictis signis infestantem intemperiem demonstrabit. In calida enim & frigida intemperie dolent. Minus uero, aut nihil omnino, in humida: minimum uero in sicca. At uero ex prædictis coniecturam facere licet compositarum in ipso splene intemperierum. Ferè enim in totum ubi calida intemperies fuerit intensa, sicca eam consequitur: & ad frigidam inueteratam humida cõcomitatur. Quandoquidem autem & humores in splenem confluentes, tumores producunt: eorũ quoque diligentem considerationem facere oportet, quales nam sint tandem, atque id non solum ex prædictis iam dispositionibus est faciendũ, sed ex his quæ iam dicentur. Bilioso enim fluore existente, uniuersum corpus calidius apparebit, etiam si non adsit febris, oculiq; & urinæ per bilem coloratæ: siccitatem semper accusabit æger, & de siti conqueretur ac bili os infestante, cibum fastidit, & uigilijs infestatur, & frigidam desiderat unà cum hoc quod linguam subflauã habet: exacerbationes tertianæ fient: suntq; ipsi ægri moribus iracundi, & qui præcipitanter excandescãt. Si uero atræ bilis sit fluor, materiæ ipsius atræ bilis scilicet, color tum in lingua, tum in reliquo toto corpore apparebit: & appetentia aderit ciborũ: mœstiq; ac subtristes ægri sunt, reliquaq; atræ bilis signa eis adsunt: exacerbationes uero quarto quoque die affligent. At uero ubi pituitosus humor in splenem deferatur, consimilis pituitosis aderit color, ægriq; minime sitient, & cibum appetent, nisi salsa fuerit pituita: tunc enim cibũ fastidiunt ęgri, poculorumq; magis sunt appetentes; quin & coloris

cutis

cutis nitentis species demonstrabit tibi pituitosum esse humorē: & quòd singulis diebus exacerbatur, urinæ quoq; pituitosæ sunt: ipsi uero ægri secundū mores pigri sunt & segnes. Quidam uero ex eis qui frigidam affectionem habent, magnum & durum splenem acquirunt, atq; ubi parum saltem consuetā edendi horam fuerint transgressi, & impasti manserint, dolore afficiuntur, propterea quòd neq; plenum, neq; firmantem, neq; sustentantem ipsum habeant uentrem, qui(que) amplius ob inediam refrigeratur, & concalefactione opus habet. Quòd si sanguineus existat in splenem confluens humor, possibile est ipsum colorem tum iuxta linguam, tum circa cutem permutari: inter appetentiam autem ciborum & fastidium medio quodam modo habent ægri: reliquis(que) magis languent, etiam si non parem uisceris tumorem habeant. Venæ autem uniuersi corporis, sanguine plenæ apparent, & urinæ subsuluæ.

Intemperierum splenis cura. Cap. VIII.

In uniuersum quidem igitur splenis intēperies ferè citra tumorē fiunt: eas autē tū per cibos ac potus, tum per simplicissima pharmaca ac fomentorū irrigationes quę intemperiei contraria sunt corrigere oportet. Calidæ intemperiei cura. Calidam itaq; intemperiem curabis per irrigationis usum ex rosaceo, aut melino, & per simplicia ex his composita cerata. Amplius autē & per uuæ acerbæ immaturæ succū & portulacam & pampinos uitis, ac cōsimilia. Cibis uero & potibus utendum, quibus calida intemperies castigatior reddatur, lauacris etiā temperatarum aquarum. Quòd si pharmacorū usu opus sit, rumicis acuti semen in potu exhibeatur, aut radicum, aut foliorum eius decoctum: aut plantaginis, similiter(que) limonij, quod cynoglossum appellatur decoctum. Sunt autem hæc in posca diluta coquenda. Frigidæ intemperiei cura. Frigidas in splene intemperies sanant irrigationes, & unguenta, ac cerata, item(que) epithemata, quę moderata calefaciēdi facultate prædita existunt: uelut est unguentū nardinū & cyprinum ac gleucinum, & cerata ex eis cōflata. Poteris & epithema pentamœron appellatum, cum modica cera liquefactum adhibere. A balineis in principio abstinēdum, nisi quid obstet: cibi & potus moderate calefacientes exhibendi. Quòd si medicamentis opus sit, conuenit eis calaminthæ, pulegij, scordij, trifolij, uiticis, ac similiū decoctū. Exhibēda etiā rumicis acuti radix, aut semen. Humidæ intēperiei medela. In humida splenis intemperie optimum pharmacum habebis salis florem, siue per se solum, siue cum aliquo simplici cerato imponere uelis. Solus enim calefactus & aliqua uesica exceptus, spleni adhibetur. In epithemata quoque ammiscetur, quemadmodū est prædictum. Quin & salsugo & spuma salis, cum cerato aliquo ac modico aceto permixta, commodū pharmacum erunt ad humecti splenis affectionem. Proderit & quinquefolij radix, & plantago sicca, & alumen scisile in testa exustum. Poteris etiā ex plantaginis folijs, radicibus(que) quinquefolij, & spuma ac flore salis, pari uel impari modo permixtis, sufficienti affuso aceto, & pice sicca in posca liquefacta, exceptis, cera itē alba, ammoniaco(que) thymiamate, ac modico rosaceo ammixtis, pharmacum usui reseruare. Melius autem compositionem facies, si & salicis succum addas, hic enim cū uno aut altero ex prædictis permixtus, efficacius pharmacum reddet. Eius autem collectio facile contingit, Lacrymam enim arbor incisa emittit. Conuenientissimæ autem his sunt fricationes, quæ discutiendi facultatem habent. Siccæ intemperiei remedia. Siccam splenis intemperiem balineum dulcium & calidarum aquarum curat: inunctio item ex oleo dulci. Cibi citra refrigerationem humectantes, uelut est ptisanæ succus, & post eum qui ex halica est acceptus. Irrigationes forinsecus prosunt ex rosaceo, & cerata itidem ex eo apparata.

De splenis inflatione. Cap. IX.

Quum inflatio circa splenem est, tumor loci consequitur, qui imposita manu ad tactum cedit, & distensionem loci infert. Verum inflatio ipsa aut in uentre oborta ad splenem transfertur, aut in ipso adeo splene generatur. Ventosa igitur flatus generatio ex frigiditate membrorum ipsum producentium contingit. Quare tum uentrem, tum splenem concalefacere oportet, præsertim his quibus utrunq; membrum est affectum: atq; id tum his quæ forinsecus imponūtur, tum cibis ac pharmacis quæ intra corpus deuorantur, perficiendū est. Vētri itaq; auxiliabimur, si quidem per consensum sit affectus, diospoliticā confectionem exhibēdo, atq; etiā alias quę huic similes existūt. Panis uero ac edulia, uinum(que) quod in potu sumit, ex petroselino, aniso, cumino, ac sisone, similibus(que) cōspergenda sunt. Foris autem epithema ex seminibus quod paulo pòst referetur, imponendum. Hæc enim pariter utriq; uisceri auxiliātur. Proprie autē inflationes splenis dissoluere solent, tum ea quę iam dicta sunt, tum uiticis semē torrefactum, & melanthium, serpillum(que) & thymus, pulegium, origanū, rutæ semen. Pelecini autem semen & stomacho gratissimū, & omnibus uisceribus aptissimum est: similiter & rheon ponticum, & scordium. Hæc enim unà cum hoc quòd stomachum repurgant, etiam hepati prosunt, neq; stomacho molestiam inferunt, cæterum unumquodq; horum & per se, & alijs commixtum exhiberi potest, in posca decoctum, aliquādo autem & mel eis adijciēdum. Porrò quæ his fortiora sunt, ea uitare oportet in his, in quibus uenter per consensum cum splene est affectus, maxime si inflatio sola infestet: quæ enim his præstantiora sunt, spleni in scirrhum indurato conueniunt, ubi uero solus splen infletur præter uentris læsionem, epithema ex seminibus in principio est imponēdū. Postquàm autem flatus crassities fuerit attenuata, ammiscenda sunt ei ea quæ noxam depellere possunt, qualia sunt epithemata ex alumine & sulphure apparata, quorum compositiones paulo pòst dicentur, ubi de splenis in scirrhum indurati tractabimus cura. Epithema ex seminibus: Asclepiadæ. Epithema quod Asclepiades ex seminibus composuit, hoc est, quod ad aquam inter cutem prosperè accommodatum pharmacum existit, & ad omnē inflationem conducit. Cardamomi, meliloti, herbæ sabinæ, baccarum lauri, nardi celtici, samsuci, iridis, radicis panacis, radicis cyperi, nitri, cassiæ, fœni greci, seminis apij, anisi, thuris, singulorum drachmas XXV. styracis quadrantem, myrrhæ quadrantem, terebinthinæ libras II. ceræ libras II. ammoniaci thymiamatis lib. I. mellis optimi lib. I. olei cyprini lib. I. uini quantum satis est. Facit & ad stomachi & splenis inflatio-

 nes

nes, itemque hepatis: estque omnino pharmacum magni faciendum.

De splenis inflammatione. *Cap. x.*

In splenis inflammatione uenæ incisio adhibeatur, si nihil id fieri uetet: uenter etiam per clysterem assidue eluatur, & maxime si uenæ incidendæ medela relinquatur. Quocunque autem tempore siue per uenā incisam, siue per clysterē euacuamus, semper aliquid ad stringendi facultate præditū spleni imponemus, in principio præsertim, quum differimus euacuationem: quo id quod influit reprimatur, & quod influxiōe sua prǽuenit, à loco depellatur: atqui & ad splenis firmitatem conseruandam utilis adstringentium sylua existit: quæ quidē robusta sint, ubi fluoris impetus fortis cōtingit: moderata uero, ubi mediocris. Cognosces autē irruentis humoris magnitudinem, ex magnitudine & uelocitate generationis ipsius inflammationis. Itaque si moderata fuerit inflammatio splenis, uinum uetus ac austerum tenuiumque partiū oleo dulci permixtū & lana succida exceptum imponemus. Si uero maior sit caliditas, rosaceum sit oleum, aut lentiscinum: quæ si non adsint, oliuæ folia, aut rubi, aut mali arboris in oleo decoquantur, atque ipsa etiam mala, in decoctione etiam quædā tenuium partium addantur, uelut est absinthium & pulegium. Quod si forti impetu fluxus feratur, acetū pro uino affundēdum est. Post irrigationes ad cataplasmata transeundum. In quorum compositionē hordeacea & loliacea farina assumantur, cum posca & mellis ac olei paucissima omnino mēsura, in quibus absinthium ac pulegium sint decocta: aliquādo & myrobalani infarciēdi. Optimum & hoc est. Hordeaceam farinam & salicis folia cum aceto imponito, adipe caprino in aceto colliquato: uerum melius redditur cataplasma, si caricę adijciantur. Optimum autem est & ex lini semine cataplasma, maxime ubi affuerit dolor. Accipitur autē seminis lini pars una, farinæ loliaceæ pars una, adipis taurini in aceto & sapa liquefacti, cuique deinde oleum cyprinū sit affusum, quantum his subigendis satis est. Cęterum cauēdū ne locus post irrigationes & cataplasmata denudetur, sed ubi hæc fuerint ablata, mox ceratum ex cyprino aut nardino unguēto imponatur. Cōmodum est autem feruentibus inflammationibus Nilei aut Nili epithema, cum cerato chamæmelino & aceto emollitum: idoneum est etiam Philagrij stomachicū epithema: sunt autem ea integra ad stomachicos descripta, utimur autem aliquando, ob cataplasmatum penuriam, ad splenem inflammatum, furfuribus in uino, aut posca & oleo decoctis: quibus etiam absinthium, & pulegium, aut thymum, aut origanum, aut lauri folia, aut artemisiam, & reliqua incidendi ac attenuandi ui prædita adijcimus: non feruente uidelicet inflammatione, & corpore præeuacuato. Si enim corpore non euacuato, quis calidioribus utatur, ipse sibi scirrhi autor fiet. Quòd si ad permutationem in suppurationē ipsa splenis inflammatio repar, quod tamen raro cōtingit, adiuuare eam oportet, ne plura corpora putrefiant, per cataplasmata uidelicet quæ pus producunt: de quibus in hepatis abscessu manifeste est prædictum: hepar enim frequentissime abscessum perfert ac exulceratur. Quare ex his quæ de hepate diximus, ad splenis curationem exempla transsumes.

Cura splenis in scirrhum indurati, Galeni. *Cap. xi.*

Iam antea prædictum est, splenē quàm celerrime solere in scirrhū indurari, sanguine circa splenitides in ipso uenas obturato, ut neque excerni, neque digeri ob crassitiē facile possit. Quare attenuantiū pharmacorū usu opus habet, citra tamen manifestam caliditatem: ne uehementius inspissetur crassus humor in eo obturatus. Ammiscēdum est autē eis quippiā ex adstringentibus & austeris, quo ipsius actio & robur conseruetur. Si enim præ debilitate feculentū & atræ bilis humorē, ex hepate, quemadmodum consueuit, non attraxerit, uitiosum humorem uniuerso corpori affricabit. Immedicabilia enim ulcera hoc modo affecti habebunt, & maxime circa crura, & colorem corporis uitiatum ad nigredinem uergētem. Diutius autē durante malo etiam aquam inter cutē incurrunt. Ob id igitur in ipso splene naturalem firmitatem custodire oportet, quo conueniens sibi alimētum attrahat, & sanguinem repurget, superfluaque in ipso generata retrimenta ad uentrem demittere queat, quæ postea cum ciborū recrementis excernūtur. Ad hanc itaque rem amara ipsi spleni offerimus, quibus aliquādo ex austeris quippiā ammiscemus. Amara quidem ut humoris crassitiem secent ac repurgent: austera autē ut robur & firmitatē eius conseruent. Quale uero pharmacū hepati est absinthiū, tale existit spleni capparis cortex. Et quale est hepati eupatorium, tale spleni est scolopendrium. Similibus enim secundum genus pharmacis utraque uiscera opus habent. Verum splen tāto fortioribus indiget, quanto crassiore utitur alimento. Cæterum à ueteribus plurima potabilia pharmaca ad induratum lienem sunt descripta. In curando autem animaduersionem habere oportet, num curandi ægri uniuersum corpus frigidius sit, an calidius, nū humidius, an siccius. Eis igitur qui corpora natura habent calidiora, citra molestiam myricæ folia dantur, uirgultaque & radix: scolopēdrium item, & rumicis sylucstris, maxime uero acuti semen, foliaque & radix: optime autem facit radicis uiridis contusæ succus cyathi unius mensura potatus. Probe facit & lycapsos, quæ & anchusa appellatur: danda autem radicis eius drachma una, aut cacumina hederæ tria, aut folia eius, uel etiā radix: item polytrichon, & capnij, quod chelidoniū uocatur, decoctum ad tertias redactum, folia salicis & cortex, itemque radix limonij, quod & cynoglossum uocatur: folia & radix, & semen quoque peleci ni. Hæc enim neque uehementem in se habent caliditatem, neque si calidior temperatura adsit, ei molestiam inferre solent: quapropter his tum ad prædictos, tum ad reliquos utēdum in principio adfectionis: à mitioribus enim auspicari oportet. His autem efficaciora sunt, quæ inueteratis scirrhis conducūt, & corporibus agrestiorib. & qui omnē corporis habitū habent frigidiorem: trixago, gentianæ radix, calamintha, pulegiū, & cyclamini radix, scordiū, trifolij bitumen olētis semen, hyperici coma, acori, asari & eryngij radix, uiticis semen torrefactum, centaureæ maxime minoris succus, etiā si sit exiccatus, chamæpitys, polium, lonchitidis radix, anagallidis quæ cæruleum habet florem succus, glycysides aut pæoniæ, itemque dracunculi radix tum uiridis, tum sicca. Aliud. Caroi ex terra suscepti, radicis rubię, bryoniæ, ammoniaci thymiamatis, cuiusque drachmam

chmam unã. horum unumquodq; aliquando tritũ ex posca datur, aliquando autem decoctum eorum præbetur: quod si sicca dare uelis, sufficit drach. plus minus unam exhibere. Conducit item hoc. Ammoniaci thymiamatis sextantem, castorij unciam I. contrito, & drachmã I. ex posca aut aceto mulso præbeto. Aliud. Scillæ assatæ drac. I. corticis radicis capparis drach. I. præbe ex posca, uel aceto mulso. Mouet enim crassos & uiscosos humores, inquit Archigenes: aliquando & cruenta non per urinas tantum, sed & per uentrem educit. Aliud. Thuris obolos duos, seminis fœniculi cochlearium unum, præbe ex uino. Aliud Marciani, præsens remediũ: quod etiamsi sit induratus, citra dolorem ipsum laxiorem reddit, ut neq; significationẽ, neq; etiam suspicionem suffusionis aquæ inter cutem relinquat. Seminis uiticis cõtusi & cribrati per angustissimũ cribellum dra. V. his qui perfectæ sunt ætatis ex posca bibẽdas præbe. Aliud eiusdem, ad splenem & hepar indurata, & principium aquę inter cutem, & ad alui, & intestinorum, ac stomachi inflationem, simplex & periculo uacans. Bryoniæ radicem contusam & cribratam, repositam, ab aëre & uento intactam, ne quid inde transpiret, adserua, & pro uiribus ægri præbe. Perfecta mẽsura exhibitionis est cochlearium unum, hydropicis quidem & splenicis ex posca: hepaticis ex hydromelite aut uini dulcis cyathis tribus. Pastillus ad splenicos, Asclepiadæ: liquefacit splenem, ut multo experimẽto cõstat. Seminis ericæ drac. VIII. piperis albi drach. IIII. spicæ nardi drac. IIII. ammoniaci thymiamatis drac. IIII. scolopendrij drac. II. costi drach. II. cum aceto scillitico subigito, & drac. I. cum aceto mulso aut posca præbeto. Conuenientissimum autẽ spleni in scirrhũ indurato remedium existit ferrum aqua, aut uino, aut posca extinctum. Ea ipsa enim aqua, aut uinũ, aut posca in principio exhibita iucũda & utilissima existunt, & perplures ex ordine dies dantur. Itaque febrientibus aquam, aut poscam dilutã præbeto: eis uero qui teneram carnem habent ac febre carent, uinum. Sit autem ferrum quod in ipsis extinguitur stomoma. Ipsius autem stomomatis ferri squama, (quam in fabrilibus officinis ferrum dum ignitur & malleo tunditur, abijcit) postea agrestioribus hominibus utiliter exhibetur. Præclare enim hæc splenem liquefacit, utpote quę consumendi facultatem præstat, quare aliarum rerũ complexu opus habet, ne inde stomachus male afficiatur. In calidioribus igitur tẽperaturis, pelecini semen ei ammiscere conuenit: aut si id non adsit, scolopendrium: aut si neq; hoc haberi posit, absinthij comam, aut rumicis acuti radicem aut semen. In frigidioribus autem temperaturis, ad squamam ipsam, casiam, aut amomum, costum, anisum, aut serpillum mõtanum, & similia addere oportet. Quanquã tum in his, tum in omnibus pelecini semen maxime cõueniat. Omnia autem nũc dicta, itemq; ea quæ paulo antè sunt relata simplicia pharmaca, in principio cum posca diluta coquantur, postea uero etiam meraciore. Progressu uero temporis etiam ipsa contusa & cribrata cum aceto aut aceto mulso exhibentur. Verum certam uniuscuiusq; horũ mensurã definire difficile & periculosum est, quũ diuersæ eorũ qui ea accipiunt sint naturæ: quare in principio parũ quid ex unoquoq; exhibendum, & pro ratione deinde exhibitionis mensura augenda, iuxta ipsius pharmaci, atq; etiam ægri uires. Omnia igitur prædicta quomodocunq; tandem potata, aut semel saltem deglutita permanere solent: uerum glans unguentariorũ, quã myrobalanon appellant, nisi cũ posca bibatur, facile uomitu reijcitur. Licet igitur singulis prædictis simplicibus pharmacis per se uti, & duo item uel tria aut quatuor, permixta æqualiter uel inæqualiter præbere. Ex compositis autem ferè pulcherrimũ est, id quod ex ossibus constat, ad podagricos descriptum Philagrij pharmacum. Efficax enim reperies ipsum, inquit Philagrius, & conuenictissimum ad omnia splenis uitia, præsertim cum tumore magno & duritia oborta. Sensibiliter enim huiusmodi affectionibus auxiliatur: utpote quod ui sua emollit & concoquit, ampliusq; diffundit & purgat, ultra hoc quod paulatim discutit & resiccat. Est autẽ tum gustui, tum odoratui suauissimũ, maxime si plurimo despumato melle mixtum, delingendum præbeatur. Secũdo autẽ loco inter ea quæ ego noui est & hoc, inquit Philagrius, ipso sanè usu probatum. Corticis radicis capparis drach. VI. foliorum myricæ drachm. VI. squamæ stomomatis ferri drach. VI. myrobalani drac. X. aut VI. ammoniaci thymiamatis drachmas VIII. seminis pelecini drach. V. stœchadis drach. III. comæ absinthij drach. III. scolopendrij drach. X. Excipe aceto & informa pastillos, ac exhibe drach. I. ex posca aut aceto mulso aut uino. Hoc itaq; robustũ est pharmacum, ut etiã ad duriora corpora quadret. Aliud eo imbecillius tale est. Pulegij drac. XII. radicis rumicis acuti dra. VI. seminis eiusdem drac. VI. capnij iuxta sepes nascentis sicci drac. VI. pelecini drach. III. scolopendrij drac. III. spicę nardi drac. II. rhei pontici drac. I. corticis capparis drac. II. Excipe aceto ac redige in pastillos, exhibeq; drach. I. quẽadmodum in præcedẽti dictum est. Pastillus ad splenicos, splenẽ liquefaciẽs: Asclepiadæ. Seminis ericæ drach. IIII. piperis, ammoniaci thymiamatis, spicæ nardi, cuiusq; drachm. II. Quidam etiã costi drach. II. & scolopendrij drac. II. Arida contundito & cribrato, ammoniacũ in aceto disoluito, ac simul in pastillos digerito: ex quibus drachmã unã cum aceti mulsi cyathis III. propinato. Qui huius pharmaci compositionem docuit, per triduũ hoc suis catulo se exhibuisse dixit: postea ubi catulũ dissecuisset, ipsum sine splene repertũ. Aliud, ad spleneticos & hydropicos, quod optime urinam ciet, & uentrẽ emollit: Archigenis. Scillam magnã luto oblitã assato, deinde repurgatę internæ libras II. accipito, dauci unc. I. anisi, seselis, radicis panacis, iridis, cuiusq; unc. I. seminis urticę sextantẽ, cedridum, hoc est, fructuũ cedri sextantẽ, myrrhę dra. IIII. farinę erui unc. XVI. cũ uino informa pastillos, & præbe dra. I. cũ aceti mulsi cyathis III. Aliud, Radicis panacis, ammoniaci thymiamatis, corticis radicis capparis, radiculę, scillæ assatę internę, æquales omniũ partes cõmitte, & obolos tres aut quatuor prębe: cõducit anhelosis & hydropicis. Pastillus sũmæ utilitatis. Cacuminũ hederæ nigrę drac. IX. spicæ nardi drac. V. seminis rutæ syluestris dra. IIII. castorij dra. I. iridis dra. VI. Cũ succo uerbenacæ rectę pastillos iformato, & p quinq; dies mane dra. I. ieiunis ex uino ueteri præbeto. Mouet urinas cruẽtas.

Atque hactenus quidem de pharmacis potabilibus. Cæterum ad splenem in scirrhum induratum etiam sanguinis detractionem commodam esse scimus, quæ inter paruum sinistræ manus digitum, & eum qui medio proximus est, sit facta. Quidam autem uenam retro sinistram auriculam sitam diducunt, inquit Archigenes, & ex profluẽte inde sanguine splenem illinunt, ac magnum commodum sentiunt. Idẽ etiam hepate affecto faciunt, incidentes retro auriculam dextram uenam. Quare neque absurdum fuerit etiam his auxilijs uti: animaduersione tamẽ habita, ne arteriam pro uena dissecemus. Nos autem in his qui multo sanguine abundãt, inferiorem in sinistro cubito uenam secare consueuimus, uerum & hic cauendum ne subiacentem arteriam simul dissecemus. A uenæ incisione, etiam cucurbitulæ spleni affigendæ sæpe & cũ scarificatione, extrahẽdusque per ipsas plurimus sanguis: quin & hirudines summa commoditate in ipsum splenis locum affiguntur. Loci etiam amplius per spongiam acida muria imbutam fouendi, furfuribus quoque in aceto decoctis, absinthij coma, ac pulegio, & lauri folijs, similibusque adiectis. Quidam autem lapidem molarem aut gagatẽ longitudine octo digitorum, & latitudine sex digitorum, secundum crassitudinem leuem, igniunt & & aceto adspergunt, panniculoque in aceto calido madefacto circumposito, locis imponunt, & quàm diu calidus sit, incumbere sinunt, atque huic fomento testimonium præbent, inquit Archigenes, tanquam quod insensibiliter deprimat tumorem. Post fomẽta ad cataplasmata transeundum, ex farina ordei ac lolij, absinthij coma, myrobalano & althææ radice, cum aceto mulso. Aut panem aridum cum capparis cortice, & myrobalano contusum, cribratum, & cũ aceto mulso decoctum imponito. Optime facit & stercus caprinum cum farina ordeacea ex posca cataplasmate impositum. Lupinorum item farina ex posca, & fabarum eodem modo. Cinis quoque ex officina fabrili, & bryoniæ radix cum caricis, aceto, & cyclamino, eodem modo. Brassica etiam syluestris cũ melle imposita auxiliatur. Similiter & folia isatidis, & marrubiũ cum ordeacea farina ex posca. Cardamomum cum caricis. Cyclaminus cum caricis ex aceto decocta. Cataplasma optimũ. Fœni græci trientem, farinæ ordeaceæ quadrantem, cardamomi unc. I. caricarum pinguium lib. I. uerbenacæ herbæ unc. I. ficus in aceto acerrimo macerato, fortiterque in mortario cõtundito, reliquisque adiectis ac simul unitis utitor. Optimũ cataplasma & hoc est. Seminis raphani partes II. foliorum salicis partem I. farinæ araci partes II. seminis pastinacæ partes II. in aceto cũ pari sapæ mẽsura decoquãtur. Aliud, ad inueteratum malum, & corpora dura. Corticis radicis capparis, radicis struthij, sinapis recẽtis, omniũ æquales partes, farinæ tritici duplum ad omnium trium mensuram. Vtere ueluti prædictis. Aliud præclarũ ad duritias. Stercus gallinarum album, siccum, cõtusum, ac cribratum cũ aceto mulso decoquito, confidenterque imponito. Vnguentum optimũ. Ammoniaci thymiamatis, thuris, foliorũ rutæ uiridium, sing. ęquales partes cum aceto contere, & quàm crassissime illita exiccari permitte. Aliud, quod antea quàm medeatur non abscedit. Ammoniaci staterem I. thuris staterem I. piperis staterem I. Ammoniacum cum aceto contere, eodemque etiã reliqua modo. Aliud. Ammoniaci staterem I. acaciæ stateres II. aloës staterem I. thuris stateres II. Apparatur autẽ hoc modo. Ammoniacum & aloën ac thus in aceto macerato, acaciam autẽ contundito, cribrato ac prædicta cõtrita omnia ammisceto. Croco magma etiam utiliter cum aceto illinitur: sæpe enim nõ abscedit priusquã medeatur. Cęterũ epithematũ medelę magis fidendũ. Pleraque enim eorũ quę in medicamẽtarijs libris referuntur ex alumine & sulphure cõposita, prędominãtem habent adstrictoriã facultatem. Quare in eis animaduersionem habere oportet, non modo simpliciter facultatis eorũ pharmacorũ quæ ammiscentur: uerũ etiã quãtitatis ipsius mixturæ. Etenim in plagis quæ flatuosum habent tumorẽ, & maxime in quibus tumor laxus est, nihil peccaris, etiã si plurimum ex aluminosis adieceris. In tumorib. uero in scirrhũ induratis emollientem & discussoriã facultatem præcellere oportet, quib. parum quiddã ex adstringẽte sit admixtum. Vnũ igitur ex simplicibus & naturalib. ac nulla arte apparatis, discussoriæ & adstringentis simul est facultatis, ipse uidelicet salis flos, qui splenẽ in scirrhum induratũ sanat, inquit Galenus, calidus in uesicã bubulam coniectus, & forinsecus impositus. Oportet igitur medicũ ad affectionẽ respicere, & pro eius ratione tum addere, tũ adimere ex eis quæ in epithematũ cõpositionẽ cõijciũtur, ueluti exempli gratia, si duriciem emollire uelit, ammoniacũ & bdellium pingue, ac styracẽ optimũ ęqualiter uniuscuiusque drac. III. ammiscere debet. Si uero crassos humores dissecare uelit, opopanacis & costi tantundẽ addet. Quum autẽ humores diffundũtur, etiã discussoria ac digerentia sunt ammiscenda: aut stercus caprinũ in aceto dilutũ addendũ. Hoc enim & crassitudinem dissecat, & simul discutiendi uim habet. Quod si discutere tantum uelit, humoribus uidelicet antea sufficienter attenuatis, nitrũ pro stercore caprino ammiscebit. Capparis autẽ cortex ammixtus ultra hoc quod dissecat & repurgat, etiã splenẽ corroborat. Habito igitur ad ea quę ubilibet accidũt respectu, aut emollientia augebis, aut attenuantia, aut etiã ea quæ discutiũt & robur addunt. Optimum autẽ epithema emolliens & discussoriũ hocce est. Ceræ quadrantem, propolis sextantem, galbani dra. IIII. opopanacis dra. IIII. Vtere: cõtunditur hoc pharmacũ, & strumas recentes, omnemque duriciem recens obortã dissoluit. Aliud malagma Asclepiadæ, quod articulos incuruatos relaxat. Bdellij pinguis, adipis uitulini, ammoniaci thymiamatis, iridis, cuiusque drac. XVI. opopanacis, galbani, thuris, canchryos, styracis, cuiusque dra. VIII. piperis grana CLX, ceræ dra. XLVIII. fecis olei irini sextantẽ ac unciæ dimidiũ, uini quantũ satis est. Arida cõtundito, & cribrato. Ammoniacum, opopanaca, thus, bdelliũ in uino dissoluito, liquescibilibus autẽ liquefactis, adfusis, ac simul emollitis utitor. Extreme emolliẽdi facultate præstat hoc, inquit Galenus, neque enim aliud magis eo emolliẽs repereris: quòd si irini olei inopia sit, cyprino aut sicyonio eius loco utor. Aliud malagma Amythaonis, ad pręcordiorũ distẽsiones; cõducit & articulis qui difficulter mouẽtur, omnemque duritiẽ dissoluit, & priore quidem minus emollit, magis autem digerit ac discutit.

Cõpositio sic habet. Ammoniaci thymiamatis

drac.

drach. XXXVI. ceræ dra. XXXVI. terebinthinæ drach. VIII. bdellij dra. VIII. myrrhæ dra. IIII. thuris drac. IIII. galbani drach. VIII. olei cyprini sexuncem. Myrrham, bdellium, thus, uino præmacerata conterito: ammoniacum in aceto dissoluito: liquescibilia autem liquefacito, affundito, ac utitor. Aliud prædicto longe efficacius, & fortius, inquit Philagrius: discindit enim & attenuat inspissatos humores, & uiscosos repurgat. Habet autem hoc modo. Malagma Asclepiadæ. Ammoniaci thymiamatis sexuncem, galbani, myrrhę, cuiusq; sextantem, ceræ sesquilibram, thuris quadrantem, opopanacis quadrantē, radicis panacis sexuncem, propolis quadrantem, aceti sextarios II. stercoris capræ quadrantem. Ammoniacum cum aceto terito, deinde etiam thus, galbanum, opopanaca, & myrrhā. Propolin autem cum modica cera in mortario tundito: ceram uero cum olei triēte liquefacito paulatim donec cogatur decoquendo, & deinde propoli adiecta, ab igne tollito, percolato, ac frigefieri sinito, perpolitaq; tritis adijcito, unito, ac utitor. Cæterum epithema quod ego composui, inquit Philagrius, optimū ad diuturnas & frigidiores affectiones existit. Myrobalani drac. XLVIII. ammoniaci thymiamatis dra. XLVIII. bdellij drac. XLVIII. scythicum uero bdellium maxime probo, corticis radicis capparis dra. XLVIII. mannæ dra. XXIIII. opopanacis dra. VIII. styracis drac. IIII. uisci drach. XII. ceræ drach. XXIIII. floris salis drach. XLVIII. Ammoniacum cū salis flore dissolue: capparin uero, myrobalanum ac mannam cum aceto: reliqua autem iuxta ignē emollito & in mortario tūdito, & trita eis adijcito, unito, ac utitor. Hoc pharma cum splenem consumit. Aliud. Verbenacam uiridem cum manna terito, atq; axungia suilla ueteri excepta imponito. Dura enim corpora & diuturno malo affecta quàm maxime inde iuuantur: reliqua uero integre sanat. Prodest etiam uerbenaca per se imposita, itemq; trixago. Aliud epithema Asclepiadæ, ad splenicos, consumit tumores. Foliorum sambuci tenerorum lib. III. aloës pinguis lib. I. cum aceto terito ac lenito, linteoloq; excepta imponito. Verum si malum recens est, uniuscuiusq; par pondus conijcito. Aliud. Seminis ericæ libram I. galbani lib. I. Semen contusum & cribro excussum galbano excipito, rursumq; tundito olei irini fece addita, quo malagmatis formam acquirat, & linteolo inditū imponito. Vniuerso autē uiscere, recrementisq; eius, atq; meatib. oportunis, per emollientia, repurgātia, dissecantia, attenuantiaq; & diffundētia humores, ampliusq; etiā per ea quæ uias dilatant, tum in potu accepta, tum foris imposita pręparatis, efficacius euacuare potētibus est utendū, ac primū quidē simplicioribus, postea uero etiam fortioribus, uelutí exempli gratia: primum quidem epithymi drachmas IIII. cū seri lactis heminis V. præbeto. Dato autem eis epithymi drachmas IIII. tenuissime tritas cū modico sero, atq; ubi uenter operari inceperit, serū per se paulatim absorbendū exhibeto. Cæterū post aliquot dierū interstitiū, ubi uires recollegerint, hieram Archigenis ex colocynthide præbeto, aut quæ Iusti appellatur. Post horum autem omnium usum, farinæ tenuissimæ radicis cyclamini siccæ drac. III. aut IIII. ex aqua mulsa dato, atque quo sudorum exclusionē iuues, ęgrū uelamentis cōtegito, & in lecto cōcalefacito. Epithemata discussoria & resiccātia. Postquam corpus fuerit repurgatum, epithematis quæ digerere siue discutere & resiccare possunt, utēdum, qualia sunt quæ ex auripigmento & alumine componuntur: ex quorum numero est etiam id quo ego, inquit Philagrius, utor. Ceræ tyrrhenicæ drach. XCIII. resinæ pinus siccæ drach. XCVI. resinæ pinus liquidæ drachmas XCVI. auripigmenti drac. XVI. aluminis scissilis drach. XII. Metallica terito, & liquescibilia cum modico oleo liquefacito, ac refrigeratis sicca adijcito, unito, & utitor. Aliud aurei coloris. Asclepiadæ, ualde pulchrum. Ceræ libras duas, resinæ pinus siccæ libras duas, auripigmenti sextantem, aluminis scissilis sextantem, calcis uiuæ unciam unā, olei cyprini uncias sedecim, aceti uncias sedecim. Aliud, ad splenicos & hepaticos. Aluminis liquidi, sulphuris uiui, nitri, ammoniaci thymiamatis, mannæ, radicis capparis corticis, singulorum sexuncem, picis libram unam, resinæ pinus siccæ libram unam, olei cyprini sexuncem, aceti quantum sufficit. Aliud epithema hepaticum, Iporeriū appellatum. Resinæ pinus siccæ libram unam, ceræ libras duas, picis libras duas, aluminis liquidi, nitri, sulphuris uiui, mannæ, cuiusq; libram unā, aloës sexuncē, pyretri, aristolochiæ longæ, bdellij, ammoniaci thymiamatis, amomi, uisci, cardamomi, olei, cuiusque quadrātem, aceti sesquisextarium. Ammoniacum, alumē, sulphur, nitrum, cum aceto diluta terito: reliqua uero arida quidem contundito, ac tritis admisceto: liquescibilia autē liquefacito, atq; reliqua cum eis excipito. Optime faciunt & ex caprino stercore apparata: item plurima eorum quæ ad hydropicos sunt descripta: & Machærionis emplastrū, & emplastrum ex rumice, quæ in decimo quinto Sermone referentur. Phœnigmi, cutem rubefaciētes. Efficaciter autem in ipsis phœnigmi auxiliantur, tū qui ex sinapi apparantur, tum qui eis cōsimiles existunt. Cæterum corpore prius à superfluis humoribus euacuato, eos adhibere oportet. Pulcherrimus autē phœnigmus talis est. Phœnigmus Asclepiadę authemeros, quasi eodē die auxilians inscriptus: qui sanè ab uniuersa affectione liberat. Pyretri dra. octo, myrobalani, cardamomi, seminis urticæ, piperis, cuiusq; drac. octo, sinapis trientem. Omnia conterito, & aceto subigito, & tepefacta ex interuallo per horas tres imponito, si saltem tamdiu sustinere possit: deinde ablato pharmaco lauari præcipito, in feruentioris solij desessu. A balineo autem cerato ex rosaceo apparato utēdum. Alius. Lepidij folia trita cataplasmatis modo imponito, atque ubi morsum sentiūt, in balneum inducito, & ablato pharmaco, in feruētem aquā immittito & perfundito. Difficulter enim ferunt nimiā mordacitatem. Sani autem exeunt, inquit Archigenes. Idem remedium & ad coxendicum dolores efficacissimum reperitur. Summe etiā auxiliantur myrobalani cortices & nitrum. Nitrum per se terito, & parum aceti ammisceto, deinde resinam ac ceram cum pauco oleo liquefacito, affundito, emollito, ac utitor. Cæterum quod operæpreciūm est cognosse, fortia pharmaca non nisi corpore prius à superfluis humoribus repurgato, & probe cōcoquēte, adhibere oportet. Smegmata, siue repurgatoria. Oportet autem locum ipsum sensim ad phœnigmorum rubefacientium toleran

tolerãtiam iritare: quod per repurgatoria smegmata commode fieri potest. Componantur autem smegmata ex staphide syluestri, piretro, pipere, ac alcyonio, pari uel impari modo prout uidebitur conie ctis. Quod si teneram carnem habeat æger, iridis, & cyperi, & herbæ sabinæ aliquid his ammiscebis: aut farinam aliquam, ueluti erui, aut fabarum, aut cicerũ. Quod si etiam odoratum reddere uelis pharmacum, casiæ quippiam & philli ac amomi adde. Si uero durius contingat curandum corpus, ex pumice addes, atque adarce. Postremũ autem phœnigmis ex sinapi cõsimilibúsque uteris: corpore prius uniuerso à superfluis humoribus repurgato: ne uidelicet uehementia caloris alia adtrahat recrementa, durioremq́ reddat ipsum locum.

De splenicorum ustione. Cap. XII.

Quòd si prædicta auxilia irita sint, inefficaciterq́ adhibeantur, ad ustionis patrociniũ cõfugere oportet: ita ut uel per cauteria, uel pharmaca crustas inuramus, & multo tempore saniem effluere sinamus: corpore tamen prius per uenæ incisionem, & purgationem euacuato. Etenim quum ferè in totum uitiatis humoribus splenici sint referti, & non præeuacuetur uniuersum corpus, maligna ulcera ex crustis fieri cõsueuerunt.

Diæta splenicorum. Cap. XIII.

Porrò diæta ipsorum splenicorum tempore inflammationis simplex sit, & quæ facile concoquatur: uelut est halica lota, & ptisanæ succus, panis madefactus. Si uero inflammatio diutius remoretur, etiam auicularum carnes eis concedẽdæ, & pisces petrosis aquis degentes. Vbi uero schirrhus sit perfectus, diæta attenuatoria exhibeatur, & acrium rerum comestiones per interualla. Proprie autem splenicis cõuenit capparis comesta ex aceto mulso. Vinum sit non ualde uetus, quod aqua permisceatur, in qua ferrum sæpe ignitum sit extinctum. Plurimum autem fiduciæ in exercitamentis ponẽdum, quibus ante cibum uti cõuenit, corpore superfluitatibus non abundante. Ex eorum autẽ genere ex superabundanti faciunt deambulationes et cursus: & noui sanè aliquos, qui ex his solis ab omni affectione sint liberati: gestationes etiã omnes conueniunt, proprie autem quæ fit in equo. Manifestum aũt est quòd uociferatiões quoq́ opportunæ & in tẽpore assumptæ eis summe opitulantur.

Cura eorum in quibus splen frigida, uenter uero calida affectione laborat. Cap. XIIII.

Cognitu uero necessarium est, quòd in aliquibus splen frigidam intemperiem habet, & ob id calefacientibus opus habet: uenter autem bile agitatur, et cõtrariam spleni sustinet intemperiem: aut etiam citra priuatam affectionem, ex meatu qui bilem susceptat, flauam bilem assumit: & absq́ hoc etiã, sæpe ob ægram concoctionem & ciborum in uentre corruptionem splen afficitur: etenim aliquando quũ frigiditatis sensus cum grauitate circa splenem percipitur, uenter biliosum uomitũ reiectat: tunc equidem difficilis cura nobis instat, & quæ difficulter procedit: nimirũ splene caloris fotum expetẽte: uentre autẽ atq́ etiam uniuerso corpore refrigeratione indigente, atq́ id uno & eodẽ tempore. Quo igitur quantum possibile est utriusq́ mẽbri affecti effugiat lęsionẽ, pro uiribus conabimur ut eos à tristitia & cura, iraq́ & uehemẽtibus motibus, multa item inedia ac cibi auersatione auocemus, simulq́ per ea quæ citra molestiã purgãt pharmaca, biliosum humorem euacuemus. Os uero uentris firmemus ac corroboremus, ne quid eorum quę ex reliquo corpore ad ipsum influunt, susceptet. Cæterũ corroboratio ipsius per ea quæ difficulter corrumpuntur, contingit, de quibus in secundo mẽtionem fecimus Sermone. Suffecerit autem ipsis exhibitio modici panis cum oliuis albis aut colymbadibus appellatis, citra potum, si balneum & prandiũ differant, ne bilis efferatur. Melius autem est si prius quam bilis efferatur, ieiuni lauent. In prãdio cibi eis præbeantur tum quantitatis tum qualitatis moderatę: uerum ut splen illæsus permaneat, conuenit primum boni succi & actu calidos præbere, ac deinde postremum tum actu tum potentia frigida porrigere, ueluti lactucam & frigidum potum, ac similia: non frigida enim frigidis præsubstrata splenem illęsum ab his quæ postea ingeruntur frigidis, conseruant, ex quibus os uentris corroboratur, & calida ipsius intemperies corrigitur. Optimum igitur fuerit postremum omniũ mala punica, aut etiam alia, aut pira, aut quædã quę stomacho grata sunt accepta re: atq́ eodem omnino modo etiam cœnam instituere. Conuenit etiam per ea quæ forinsecus imponũtur hoc modo affectis opitulari. Refrigerant autem uentrem citra nocumentum forinsecus imposita, oleum melinum & rosaceum: cerata item ex ĳsdem apparata, modica mastiche ammixta, aliquãdo etiã oleo addito omphacino. Calidus itaq́ uenter per prædicta lenitur. Ad splenẽ autẽ calefaciẽtia adhibẽda sunt, qualia sunt epithemata poliarchia appellata.

Cura Splenicorum quos tußis infestat. Cap. XV.

Quòd si tussicula splenicum infestet, sintq́ eiusdem generis adfectiones circa utraq́ uiscera, ueluti si contingat & splenem & pulmonem eodẽ tempore crassis ac uiscosis humoribus aut aliquo alio frigido morbo detineri, tunc sanè podagricum pharmacum ex ossibus cõstans, uehementer utile tum spleni, tum eo modo tussientibus existit, & antidoti quæ eis similes habentur. Si quidem igitur similes contigerint affectiones, similia remedia adhibere oportet: ubi uero diuersæ erunt affectiones, diuersis pharmacis utẽdũ est: utpote si splẽ à crassis & uiscosis humoribus, & frigidis liquoribus adficiatur: tussis autem à tenui & acri destillatione contingat, si modo possibile fuerit, & destillatio non urgeat uehemẽter, à pharmacis fluxum cõdensantibus abstinere cõducit, ueluti est quod ex papaueris calicibus constat, itemq́ ex seminibus pastillus, & quæ his similia existunt. Vehementiore autem & acriore existente destillatione, & quæ periculum exulcerationis pulmonis minetur, utendum quidem ex papaueris calicibus confectione, uerum spleni epithemata attenuatoria imponantur, atqui nisi magna impendat necessitas, ea quæ stupefaciunt uitanda, capiti autem aliquis ex seminibus pastillus cum aceto rosaceo ad strigmentitiam crassitudinem redactus imponatur: præstat autem ex ipsis in hoc præsertim usu, hi qui crocei appellantur. Cum aceto enim & rosaceo oleo triti, & ad strigmenti spissitudinem redacti, lanaq́ conuoluta excepti, ac sincipiti impositi, tenuitatem destillatiõis inspissant, simulq́ exurentẽ & acrẽ in capite qualitatẽ refrigerant, tusses sedant, & somnũ suauem inducunt. Post hæc aũt theriace per opiũ recens

apparata

apparata in potu accepta, tussientibus quibus simul splen affectus est, auxiliatur.

Cura eorum quibus splen in magnitudinem excreuit, simulq; durus existit. Cap. XVI.

Quidam ex splenicis immodice auctũ splenem habet, ut non solum hepar & inguina contingat, sed & ob soliditatem attollatur, uitalesq; cordis uires maximopere lædat, ac imbecillitatem inducat, utq; ex eo uniuersum refrigeretur corpus, ipsumq; adeo hepar tenuissimum & aquosissimũ in ipsis fiat, & eiusmodi quoq; sanguis. Horum sanè qui hoc modo sunt affecti curã recusare oportet: quod si cogamur tamẽ, à dubijs & hebetibus remedijs auspicabimur, periculo eis incumbente prædicto. Verũ neq; intra corpus sumendum, neq; forinsecus adhibendum, ullum aliquod uehemẽs pharmacum offeremus: neq; euacuationem etiã coaceruatim faciemus, sed paulatim & per simpliciorum medicaminum usum. Cæterum tum per os exhibitis, tum foris admotis, & quantũ possibile fuerit conuenienti diæta, uirium imbecillitate refocillata, si in melius proficere ipsos uidemus, fortioribus omnino remedijs utemur, ita tamẽ ut sensim aucta ipsa apponamus.

De ictero seu morbo arquato: ex libris Ruffi & Galeni. Cap. XVII.

Icterus à similitudine ad animalculum, quod ictis, id est, uiuerra appellatur, nominatus est: est autem mustela syluestris, quæ auricolores oculos habet. Verum icterus morbus biliosi humoris circũ corpus effusio est, ob secernentis eum facultatis debilitatẽ, quę eum segregare & ad proprios excretionis locos demittere nõ ualet. Errare autem eos credendum est qui hepatis affectionem in omnibus ictericis adesse putauerunt. Conspicitur enim sæpe, quum hepar nihil male est affectum, flauæ bilis ad cutem effusio facta in iudicationibus morborum. Cõspicitur etiã citra febrem aliquando sanguis in bilem exagitatus per corruptionem uidelicet aliquam peregrinã: qualis quoq; à uenenatarũ bestiarum morsibus contingere consueuit: etenim quũ quispiam à uipera morsus esset, uniuersum corpus prasini siue porracei coloris habuit, & quũ assidue theriacẽ bibisset, celerrime sanatus est: quare nihil mirum est, talem aliquando contingere humorũ in corpore permutationẽ, ut uniuersum corpus ictericum colorem assumat. Quin & fieri potest ut propter naturalis temperiei ipsius hepatis mutationem, eiusmodi humorũ corruptio contingat, ut aliquando herbis pallore albicantibus totum corpus manifeste assimiletur, aliquãdo etiam plumbi colorem induat. Quemadmodum etiam eiusmodi colores nigricantiores fiunt, si ob splenẽ quàm si ob hepar affectum contingãt. Splene scilicet ad attrahendum ad se ex hepate atræ bilis humorem, & ad repurgandum sanguinem pro more suo debilitato. Fit autem aliquando icterus ob imbecillitatẽ uesicę bilis susceptricis, quę biliosum humorem, ueluti cõsueuit, in sese ex hepate non attrahit, & ob id impurum sanguinem relinquit. Possibile est etiam eam nimis repleri, aut repletam propter repletionis multitudinem non posse euacuari: Aliquãdo autem & propter obturationem aut debilitatem uenarum, quarum ora ex ipsa ad hepar deferuntur, biliosum humorem non adtrahit. Quare in ictericis affectionibus recrementorum figura necessario consideratur, quum in aliquibus multum colorata per flauam bilẽ appareant recrementa, quemadmodum etiam in alijs urinæ. In quibus enim ratione iudicationis bonæ in febribus, biliosus humor ad cutem prorumpit, his & recremẽta & urinæ naturali modo se habere uidebuntur. Quibuscunq; uero citra febrẽ, unà cũ grauitatis alicuius aut doloris sensu circa dextrum iliũ, arquatus cõtigit, in his uesicę bilis susceptricis obturationem factam esse putandum est. Quibus autem neq; grauitatis neq; doloris sensus circa ilium adest, in his splenem uitiati humoris causam esse iudicabimus. Si autẽ neq; dolor neq; grauitas circa ilia infestet, neq; febris præcessit, & tamen sanguis in uniuerso corpore in bilem mutetur, atq; ita arquatus contingat, his pruriginosior cutis fiet, & magis etiam arescet. In quibus uero atrę bilis humor unà cum sanguine ad cutẽ est delatus, hi omnino grauius afficiuntur. Consequitur enim ipsos tristitia præter rationem, & mordacitas eorum quæ circa uentrẽ sunt, difficultasq; spirandi, & cibos auersantur, & nigra lotia excernunt. Aliquando autẽ & per interualla quædam corpora ipsorum tepescunt: stercora uero chalcanthi colorem referunt, & aluus magis his resiccatur. Cæterum eos qui ex pallida bile arquatum contrahunt: nulla mordacitas eorum quę circa uentrẽ sunt cõsequitur, neq; etiam in tantũ auersantur cibos: sed obtusior tamen aliquando fit in eis ciborum appetitus. & stercora quidem albida egeruntur, urinę autẽ crocei coloris, turbatæ tamen & tenebras referentes permanent. Communiter autẽ omnibus ictericis pigrities & tumor grauans ad motum corporis contingit, & ad dulces cibos animum habent alienatum: amaros uero non admodũ auersantur, & uarijs imaginationibus uexãtur. Pruritus etiam uniuersi corporis comitatur, & difficulter exudant. Porrò alba oculorum & partes faciei tẽporib. propinquæ, itemq; malæ pallorem ostendũt: uenæ etiam sub lingua replerę reperiuntur, & abundantem humorem significant.

Arquati nigri signa

Cura arquati. Cap. XVIII.

Arquati igitur qui ratione bonę iudicationis febribus perfecte solutis fiunt, facilime sedantur: si ægri lauacris aquarũ dulcium utantur, ac olei discussorij per frictione, omnibusq; quæ rarefaciunt cutem: qualia sunt oleum chamæmelinum, anethinum, irinum, gleucinum, amaracinum & rosmarinus herba oleo incocta ipsum plurimum discussorium facit. Diætã quoq; uniuersam humectiorem in his constituere oportet, & ut mediocriter humorum crassitudinem attenuare posit. In reliquis autẽ ictericis duo maxima remedia principatũ obtinent, sectio uenæ, & purgatio. In quib. igitur multitudo sanguinis unà cũ bile in toto corpore abundat, & quos circa hepar aut splenẽ dolor aut distensio infestat, nihil uenæ incisione cõmodius fieri potest, si nulla alia re id facere prępediaris: particulatim autẽ & per uices sanguis est detrahendus, ne per coaceruatam euacuationẽ uires ægri prosternantur: neq; uero inepte clyster adhibetur, si uenæ sectio impediatur. A uenæ autẽ incisiõe etiam commode clyster assumitur, qui propter stercorum euacuationem spirandi facilitatem inducit, intestinaq; iritando ac mordendo, humores ad cutis superficiem delatos, ad ipsa retrahit & reuellit. Purgatiões aũt magis proprię & familiares huic morbo existunt,

existunt, inquit Rufus. Cæterum eduliis ac potionibus itemque pharmacis, humores prius attenuare oportet, obturationesque deoppilare, atque deinde pharmacum exhibere quod flauam aut nigrã bilem ducit. Sint aũt purgatiões ictericis exhibendę fortiores: ob uentris enim siccitatẽ, imbecilliores, inefficaces in ipsis cognoscuntur: quare in principio purgare non oportet, priusquàm per deoppilantia bilis attenuetur, & quodam modo ad intestina reducatur, maximi namque mali causam, purgationes in principio datæ præbuerunt. Itaque conuenit primum deoppilantibus mox dicendis uti, atque ubi attenuatio humorum ac deoppillatio fuerit facta, tum demũ conueniens, & forte (ut dixi) pharmacum purgatiuum est exhibendum. Quòd si primo purgatiuo pharmaco nihil proficias, rursus forte aliquod deoppilatorium pharmacum bibendũ prebę, & post triduum rursus uiolentius pro secunda uice purgato, inquit Rufus, ut etiam ad finem purgatiõis unà cum uehementissima mordacitate bilis excernatur, quæ cærulea magis sit quàm flaua. Ego itaque euphorbium epithymum, aloën, petroselinum, & dauci semen misceo, ac ictericos purgo. Optime etiam ipsos purgat hoc. Piperis longi scrupulos nouem, piperis nigri scrupulos quinque, scammonię scrupulos sex, ammii scrupulos quatuor, seminis fœniculi sesquiscrupulũ, seminis apii scrup. II. & dimidiũ, caroi scrup. IIII. anisi scrup. III. mellis quantum satis est, quo ad strigmentitiam crassitudinem redigatur. Datur, nucis ponticæ magnitudine cum cochleari aceti albi & aquæ calidæ tantundem. In melancholicis autem ad prædictum dimensum farinæ epithymi scrup. III. addere oportet. Vehementer commodum & hoc est. Colocynthidem magnam superne perforato, eiectoque semine id quod instar tomenti in ea est finito, ac uinum uetus dulce infundito, & pernoctare in ea permittito: mane uero per panniculum detritæ uestis diligenter percolato, & uinum calefactum his qui flaua bile abundant bibẽdum præbeto. Ad melancholicos autem epithymi scrupuli sex in uino dulci præcoquatur, id ipsumque uinum colocynthidi infundatur, ac ut dictum est, bibendum præbeatur. Cyclamini quoque radix trita potata, post deoppilantia remedia, aptissima est ad uiscera repurganda, & ad bilem in uniuersa cute excludendã per sudorem: quare post eius potionẽ, sudorum exclusionem per uelamenta ac concalefactionem in lecto iuuare oportet. Dantur autem ad summum ex ea drachmæ quatuor ex aqua mulsa. Quòd si inflammatio circa partem aliquam uiscerũ subiaceat, primum irrigationibus & cataplasmatis utendum est, & post ea ceratis & epithematis ad uiscerum inflammationem pręscriptis. Præstat autem farinę ammiscere rosmarinum herbam, florem iũci odorati, absinthium, artemisiam, abrotonum, rutam, cardamomum, chamæpityn, scordium, poliũ, ac chamedryn. Hæc enim singula ammixta urinam cient, quod morbo maxime cõducit, & uisceribus inflammatis prodest. Cucurbitulis etiam utendum, hepate quidem affecto inanibus, & aliquando cum scarificatione: splene autem adfecto omnino cũ scarificatiõe: inanes enim splenẽ nihil iuuãt. Pharmaca autẽ quę in potu accepta ab obturatione ictericos liberãt, maxima ex parte urinã cient, uelut est apii decoctum, & adianti, ac similia: Vtilis est & absinthii cremor per se, & cum nardo indica, ac iunci rotundi odorati flore. Item pulegii decoctum, & calaminthes et uerbenacæ rectæ ac oxallidis. Est autem oxallis rumex acri sapore, fuluis ramulis & foliis, caule quadrangulari eoque semine referto, pallida radice: hæc sane per se comesta, & radicis decoctum ad tertias redactum ac potatum celerrime auxiliatur. Prodest etiam rumex satiuus, & anchusæ radix, rubiæ radix, chamępityos, rosmarini, & aristolochię. Mirifice etiã prodest, serpillum, hypericõ & eius generis plurima alia. Singula hęc in aqua ad tertias decocta cũ uino dulci bibenda præbeto, aut cõtundito & cribrato, ac singulorum drach. I. dato. Præclare quoque facit corticis raphani succus, uino meraco dulci permixtus aut uino mulso: ita ut succi cyathi duo, uni uini cyatho contemperentur. Datur item ualde commode cichorii & seridis succus, febrientib. quidem per se, febre carentibus cum uino, brassicæ item succus eodẽ modo, & cornu ceruini ramẽta cochlearii mensura, petroselinum, anisum, asarum, rheon: cõmodissimum autem est chamæmelon, quæ & leucãthemos adpellatur, itemque buphthalmum. Aliud multi experimenti. Spumæ nitri albæ drachm. duas, in uino ueteri dulci macerato trium cyathorum mensura, & per totam noctem sub diuo ponito, & ad triduum aut quatriduum bibendum præbeto.

Aliud præter opinionem. Vermes terrenos coctos ac cum myrrha troglodytica tritos, in fabæ magnitudinem ex passo aut uino mulso dato, & postera die icterum per lotium eiicient. Idem faciũt & absque myrrha dati. Exhibeto hoc ad triduũ, ac utere cõfidenter. Pastillus ictericus, qui ictericis, & hepaticis mirabiliter cõducit. Amygdalarũ amararũ repurgatarum drac. IIII. anisi, comæ absinthii, cuiusque dra. II. spicæ nardi dra. I. asari dra. I. cõtundito & cribrato reliqua, amygdalas autẽ cũ aqua terito, & pastillos informato: ex quibus dra. I. febre carentibus ex uini mulsi cyathis III. prębeto. Cęterũ pharmaca quę in potu accipiuntur, omnia si fieri potest, in balneo exhibeãtur, ubi ægri in calidũ lauacrum cõscendere parant. Plurimum autem diætæ uirium refocillatrici intentum esse oportet, per quam uis discretiua reparatur, & si quod membrum læsum sit corroboratur, ac pręsens coloris corruptio repurgatur: quapropter conueniunt exercitamẽta, & gestationes, & inunctiones ac exudationes, ita ut ad pyriateria, hoc est, uaporatoria sicca, & ad solẽ, & in balneis quoque, corpus nitri puluere usti, ac uini fece arida ustaque ac tenuissime trita defricemus. Optimũ autẽ & serpyllũ & thus pari modo cũ oleo illita. Rosmarinus itẽ herba in oleo decocta, si oleum illinatur, prodest. Cibi autem omnes incisorii sint & attenuatorii, & qui cũque inter attenuatoria edulia prædicti sunt in secundo Sermone: ex uolucrum quidem genere, mõtanę: ex piscibus uero, q petrosis aquis degũt: ex ostreis, herinacei recẽtes. Olera uero sint quę magis urinam ciẽt, pręsertim seris, intyba, asparagi palustres, smyrnium, carduus, eryngium: ex satiuis autem conuenit brassica & asparagus eius, raphani, allia cruda & cocta. Carnes autẽ ferinæ mansuetis magis sunt aptæ: pro liquamine seu embãmate, ualet acetum in quo, scilla & aristolochia sint macerata. A fructibus abstinendum. Bellaria sint amygdalæ, sed modice sumantur, &

tur, & cicer modicũ torrefactum. Ex leguminibus cicer assatum, & maxime decoctum ipsorum assidue potatum. Ieiuni autem citrium comedãt repurgatum. Vinum conuenit album & subadstringens, neq; ualde uetustum: ubiq; autem mediocritas optima censetur. Quòd si quippiã ex ictero circa faciem & oculos relinquatur, urinæ autem appareant puræ, aluusq; cõsueto more egerat, & appetitus in nulla re obstet, neq; infestet sitis: & ut compendio dicã, quum omnes prædictæ accessiones fuerint sedatæ, & tamen circa oculos uitiatus color relinquatur, narium infusis utendum: fortissimũ autem omnium est elaterium cum lacte muliebri infusum, facit & cyclamini succus, & melanthium cum aceto: debilior his est anagallidis succus, & succus radicis betę. Depurgat autem cyclaminus crassissimũ mucum: elaterium autem pituitam & bilem. Omnium autem efficacissimum ad eos reperi atramentum sutorium lacte muliebri dissolutũ ac naribus infusum: inde enim bilem large ex naribus destillantem uidebis. Oportet autẽ poscam probe dilutam in ore detinere, dum infunditur hocce pharmacum. Præstat tamen primũ cyclaminũ infundi, quo crassa per eam euacuẽtur, & postea ipsum sutoriũ atramẽtũ.

De malo corporis habitu, Archigenis. Cap. XIX.

Quum corporis habitus in aquositatem diffunditur, cachexia, id est, malus habitus à Græcis appellatur, in quo uniuersa corporis miscella laxior fit ac emollescit, quod maxime ex somno inæqualiter contingente fit manifestum: corpusq; ipsum totum cum uirore albicans redditur ac inualidum, ita ut crura inter eundum uacillent, & in principio quidẽ concoctiones impediuntur manente etiamdum appetitu: postea uero & fastidium accedit, & respiratio ipsis fit rara ac debilis, quę motibus & actionibus condensatur. Aluus etiam inæqualia recrementa excernit. Hæc affectio ut plurimũ ex longo morbo congregatur: iam uero & ex uiscere quopiam in scirrhũ indurato cõsequitur, maxime hepate & splene: neque raro in dysenteria diuturna & affectionibus cœliacis contingit, ob consuetam item aliquam cohibitam excretionem. Capiuntur autem hac adfectione maxime senes, qui etiam maxime liberãtur: imo & pueri, qui facile pereunt, propter uitalis firmitatis debilitatem, & quòd ob cutis raritatem succi in eis facile transpirant. At uero qui in uigore sunt, raro incidunt, & facile se inde extricant. Quòd si diutius adsit malum, in aquam inter cutem transit. Quod uero ad curam attinet, si quidem ex consuetæ excretionis cohibitione affectio cõtingat, admonere ac iritare eam ipsam excretionem oportet: aut uenã incidere in cubito, si nihil sit quod id fieri præpediat, paulatim ac partitis uicibus per triduũ sanguinem detrahendo. Si uero uenæ incisio impediatur, conuenienti medicina depurgante ipsos purgare oportet, & maxime ex hiera Archigenis ex colocynthide apparata. Quòd si hepar sit adfectũ aut aliquod aliud ex uisceribus, medelam adhibere his ipsis conuenit, per auxilia ad singula ipsorum suprà pręscripta. À localibus autem remedijs, ad diætam uiribus reparandis aptam transeundum, per quam spes est eos qui huic malo sunt impliciti ad restitutionem in integrum peruenturos. Diæta autem qua uires resocillantur in moderatis deãbulationibus consistit, gestationibus, uociferationibus, & de fricationibus siccis per linteola ex lino crudo, deinde per inunctionẽ ex oleo, cui quædam quæ humorem resiccant sint infarta, ueluti sunt nitrum & sales. Postea uero & exercitamẽta moderata conducunt. Ad lassitudinis autẽ curationem balneum per interualla quædam adhibeatur: quòd si quis ad frigidæ lauacrũ adsuefieri possit, compẽdio ad omnẽ mali curationẽ peruenerit. Aquæ item quædã naturales calidæ robori ac uiribus reparãdis conduxerint, quales sunt aluminosę, sulphurulentæ, ac nitrosæ. Mirabiliter autem ipsos iuuat assidua absinthij pręparatio, & adhibiti dropaces. Cibi eorũ sint simplices, & qui facile cõcoqui possint, parum conditi olerũ uidelicet gratia: si quidẽ opus sit per ipsa urinam ciere, & aluũ submollire. Vinũ conuenit eis album, tenue, odorum. Bellaria omnia uitent, omnia item nidorosa, & graueolẽtia: humoris crassi, & uiscosa, & quæ difficulter concoquuntur, à cibis eorum sint aliena.

De hydrope, siue aqua inter cutem. Cap. XX.

Hydropis differentiæ tres sunt: alius enim ascites, ab utre appellatur: alius tympanites, à tympano: & tertius sarcites, aut iuxta carnẽ, hoc est, subtercus, à Gręcis etiã leucophlegmatias nominatus. Ascites igitur fit, quũ inter pelliculam peritonæũ appellatam, & intestina plurima aquosi humoris collectio cõtingit, ut uere utris modo pellicula ipsa repleta esse uideatur: aliquãdo uero ubi peius habẽt ægri usq; ad fœmora tumor producitur, quando sanè ascitæ & sarcitæ hydropis cõplexus factus apparet: unde aliquando quidem pedes inflantur, aliquãdo naturali modo habent. Tympanites uero flatus aëre repleti ac superflui plurimã collectionẽ in ijsdem uẽtri incumbentibus locis facit, ut in principio sola inflatio esse uideatur: postea tamen flatus inspissatur, & ueluti nubilus redditur, atq; ita unà cũ flatu, quasi nebulosus humor consistit ac congregatur. Infert autẽ tympanites multã circumtensionẽ, atq; in ipso etiã usque ad fœmora & pedes tumor procedit. Porrò sarcites per omnẽ corporis coagmẽtationem ac miscellam humorẽ disseminat, ut instar spongiarũ aut papyri uniuersa caro permadefacta appareat: atque ob id totum corpus similiter ut ilia intumescit, ac mortuo simile euadit. Cõmuniter autẽ omnis hydrops spirandi difficultatẽ, & tumorem, & grauitatem, & uitiatũ colorem inducit, ex uirore nimirum albicantibus ægris: fastidiunt etiam cibum, potum autẽ largiorẽ plurimi appetũt, maxime qui ex ascite laborãt. Etenim humor qui in locis detinetur, salsus est, & putrefactus, quare & sitis & febris augescit: ferè enim in totũ plurimi ex hydropicis febriũt. Cõsequitur autẽ aqua intercus omnes morbos qui habitũ corrumpũt: una est enim ad hydropẽ aptitudo, coagmentatæ corporis miscellæ demollitio & ruina. Contingit autẽ hæc aut ob superexcellentẽ hepatis frigiditatẽ, aut ob aliqua alia mẽbra uehementer refrigerata, quæ hepar in eandẽ dispositionẽ deducere ualent: citra enim hepatis refrigerationẽ impossibile est aquã congelari, et aliquem in hydropẽ incidere. Coafficitur autẽ hepar spleni refrigerato, aluoq; & intestinis, maxime his quæ iuxta ieiunũ intestinũ sunt, pulmoniq; & renibus, ac septo transuerso. Cõgregatur etiã ex immodica hęmorrhoidũ

euacuatione, aut ex fluxu muliebri, aut ob menstruorum retentionem, aut ob aliam quãdam magnam uuluæ affectionẽ. In his enim omnibus nullum præter naturã tumorem hepar habere conspicitur, & tamẽ aquæ inter cutem morbo corpus appræhenditur, ex sola refrigeratione hepate in his in principio affecto: pòst uero aliquãdo & durum fit, quod palàm in illis uidere est, qui ex intempestiua frigidæ aquæ potione hepar aceruatim refrigeratũ habent, ut statim aquæ suffusionem operetur, priusquàm ipsum in scirrhosum tumorẽ eleuetur. His autẽ qui ex frigidæ potu aquã inter cutem incurrerunt, uehementes ciborum appetitiones fiunt, propter oris ipsius uẽtris frigiditatẽ. Multi autẽ & à podagra & coxẽdicum dolore uexati, aquã inter cutem inciderũt. Frequentissime autem eos qui cibum nõ sentiunt, & malo corporis habitu præditi sunt, itemq́ ab arquato infestatos, hydrops consequitur, cœliacã item affectionẽ & dysenteriã. Nouimus etiã quosdam qui ex recta spiratione quàm orthopnœam uocãt, in aquã inter cutem sunt deducti. Cęterũ huic affectioni nõ minus fœminæ quàm uiri fiũt obnoxij: pueri uero ut plurimũ ab hydrope sarcite appræhenduntur. Est autem tympanites omnino periculosus, minus eo ascites: adhibetur enim in eo pertusio siue punctio, quam paracẽtesin Græci appellãt, & reliquis quoq; remedijs promptius quàm ille obedit. Sarcites quoq; aliquãdo curabilis fit per ea quæ cuti adhibentur humorẽ detrahentia ac resiccantia pharmaca. Omnes autẽ inueterati hydropes & qui iam habitũ corrumpunt, sunt periculosi. Fiunt etiã aliquando bullæ inter peritonęum pelliculam & intestina, figura uesicæ similes, & serosum humorem continentes: hæ ipsæ sanè per fluctuationes quasdã inæquales depræhenduntur: nimirum proprium locum secundum lineamenta quædam distributum ac uelut circumscriptum, ipso humore tenente.

Ascitæ ac tympanitæ hydropis cura. *Cap.* XXI.

Quum itaq; difficilis sit, queadmodum prædictũ est, aquosę affectionis cura, plurimo artis auxilio opus habet: in his igitur qui febricitant hydropicis febre intermittente curã faciemus: itaq; cataplasmata ex farina ordeacea, altheáque ac caricis ipsis adhibebimus, ita ut in tympanite quidẽ magis ex seminibus flatus discutiẽtibus cõmisceamus: in ascite uero magis ea quæ euacuãt humorẽ. Cæterum post principiũ efficaciora sunt cataplasmata quę pro ordeacea, fabaceã farinã suscipiũt, itemq́ eruinã, cuiusq; parẽ mensurã, coquuntur autẽ cũ muria, aut aceto mulso. Præstat etiã loliacea farina cũ caricis, & absinthio, hyssopoq; & origano ex aceto mulso: itẽ bulbi cũ melle: aut armentariæ bouis stercus ex posca siue aceto mulso: habeat autẽ quartã partẽ sulphuris uiui inspersam, admirandum hoc est, ac minime prætereundũ. Valet & caprinũ stercus in pueri incorrupti, & uenerẽ nondum experti urina impositum: humorẽ enim per uentrem euacuat. Valet & lupini farina, aut hederę folia trita & uino decocta: aut ficuũ partes duæ cũ cupresi coma, & nitro: aut lens palustris in figulino uase desiccata, trita & imposita, aut cochleæ crudæ cũ carne sua tritæ impositæ: non enim priusquàm humor desiccetur discedũt: aut alumen plurimũ sæuo caprino exceptũ impone: aut caricas, nitrũ, castorium, marrubiũ, aut filicem in pila contundito, & raphanos donec colliquescant coquito, deinde simul terito, & farina ordeacea adiecta, cataplasmatis modo imponito. Cataplasma optimũ ad asciten. Lathyridũ partes III. squamę æris partẽ I. radicis chamęleonis partes III. coquantur in aceto mulso in quo adeps taurinus sit præliquatus. Aliud optimũ ad asciten. Stercoris columbini partẽ I. stercoris caprini tantundem, buphthalmi herbæ tantundẽ aut leucanthemi, hęc tusa in acerrimo aceto ac melle coquãtur. Aliud. Salis fossilis partẽ I. salis cappadocici partem unã, lathyridum contusarũ partes tres, coquantur simul aqua marina aut sulphurulenta. Optimũ est hoc pharmacum. Sensibiliter enim uidebis materiã euacuatam, & tumorẽ discussum. Aliud. Rhois quo tinctores coriorũ utuntur sextariũ I. pollinis frumentacei aut loliacei aut farinæ fabaceæ sextarium I. thuris quadrantẽ, aluminis scissi quadrantẽ, imponito cũ aceto mulso hydropicis, splenicis, dysentericis, ac cœliacis. Aliud. Radicis cucumeris agrestis unc. XVI. ficuũ pinguium unc. XVI. radicis altheæ unc. XVI. Radicem unãquamq; per se tundito ac cribrato: ficus uero cũ uino coquito, ac probe terito, siccaq; trita inspergito. Vtitor, per aluum enim humorem educit. Aliud. Elaterij, staphidis syluestris, succi hyssopi, fellis taurini, ficuũ. Omnia in mortario tundito, subigito, ac utitor. Poteris & prædicta in secundo Sermone cura uti, de diuersis uidelicet terræ differẽtijs. Cataplasmata, quæ magis ad tympaniten faciũt. Farinæ fœnigræci, farinæ ordeacę, uirgultorũ rubi, comæ absinthij, foliorum rutæ, seminis apij, cumini, sisonis aut ligustici, mellis, & uini, & olei. Aliud, ad hydropicos inflatos. Panis cõtusi sextariũ unum, cumini sextarij quartam partem, samsuci quadrãtem, pyretri sextantẽ, euphorbij unciam unam. Cũ uino mulso uniuersam spinã & aluum usq; ad mamillas & pudẽda cõtegito, alternisq; diebus soluito, atq; id quinquies aut sexies facito. Ego pro euphorbio struthion conieci. Vnguentũ Apollonij. Stercus accipitris cũ syluestris brassicæ succo assidue illinito, mirifice facit: uerum melius fuerit si aquilę stercus ammiscueris. Aliud. Laterem diligẽtissime instar uasis figulini assatum cũ hyoscyami aut plantaginis succo terito, & quàm crassissime ad solem frequenter illinito. Vnguentum ad hydropicos. Radicis cucumeris syluestris, radicis bryoniæ, utriusq; libras duas, staphidis syluestris sexuncẽ, nitri sexuncem, olei libram unam, aquæ marinæ sextarium unum. Quòd si non adsit aqua marina, pro ea muriam conijcito, resinæ à nauibus unà cum cera derasæ, apochyma Græci appellant, libras tres. Radices tenuiter cõtundito, nitrũ & staphidem terito, & per triduũ madefacito, deinde usq; ad aquæ consumptionem coquito, percolato, & apochyma adijcito, quo liquefacto utitor, ex eo sæpe illinens tumorem.

Epithemata hydropica. *Cap.* XXII.

Asclepiadę. Epithema hydropicis ualde commodum, quod adiacẽtẽ humorẽ absordet: quo etiã priuatim, inquit Archigenes, utor. Farris clusini appellati mola triti sextarios duos, floris lapidis asij sextarium unũ, alij autẽ duos habẽt, mannæ sextariũ unum, diligẽter terito, & adipe suillo ueteri probe subacto, & per

qui.a ascitem
periculosiorẽ dicit

& per noctem in uino macerato excipito. Eius autem quantitas tanta sit, quanta ad hoc ut ad tactum molle reddatur, pharmacũ sufficerit. Aliud. Seminis rutae syluestris, quod besasa & harmala quidam appellãt, contusi & cribrati sextariũ unum, mannae sextarij dimidiũ, adipis suilli ueteris quantũ sufficit, ut praedictũ est apparato. Aliud, cui testimonium praebet Oribasius. Foeni graeci trientẽ, farinae ordaceae quadrãtem, stercoris columbini trientẽ, resinae pinus siccae lib. I. picis librã unã, cerae lib. I. axungię ueteris libras duas: quae eliquari possunt eliquato, & ad alia in mortario cõtusa & cũ aceto trita adfundito. Aliud ex farinis epithema. Picis siccae libras duas, resinae pinus libras quatuor, cerae libras tres, olei ueteris librã I. farinae tritici, ordei, foeni graeci, baccarum lauri, anisi, salis, farinae radicis chamaeleonis nigrae, singulorũ bessem, uini austeri sextarium unum, apparato ut prędictum est, ac utitor. Facit & ad hepaticas dispositiones. Ego autẽ, inquit Asclepiades, & chamelaeae quadrantem adieci, & pro triticea farina, irinam admiscui. Pharmacũ, quod omnem tumorem generose resiccat. Cimoliae quadrantem, cerae quadrantẽ, olei quadrantem, salis unciam I. resinae à nauibus cũ cera derasae drach. centũ & sexaginta, farinae foeni graeci drachmas uiginti, foliorũ brasicae uiridium quincuncem. Liquefacta reliquis tritis in mortario adfunde. Aliud epithema ualde pulchrum. Stercoris caprini sextantẽ, stercoris bubuli sextãtem, stercoris columbini sextantẽ, farinae fabaceae sexuncem, calaminthae, salis nitri, seminis apij, seminis daucis, seminis foeniculi, cumini, cuiusq; unc. I. panis aridi quadrantẽ, mellis sexuncẽ, terebinthinae quadrantẽ. Vtitor. Epithema ex stercore caprino ad hydropicos, qui hepar induratũ habent apparatũ. Olei cyprini, aut si hoc non adsit uetustissimi lib. III. cerae lib. II. & dimidiam, stercoris caprini bessem, baccarũ lauri decorticatarũ bessem, iridis bessẽ, terebinthinae lib. I. sinapis, nitri, cyperi, pyretri, seminis raphani, corticis radicis capparis, cuiusq; quadrantem, medullę colocinthidis unciã unã, foeni graeci unciã unã. Aliquãdo quidẽ arida liquefactis insperguntur: aliquãdo uero aceto prius subigũtur. Ego autem, inquit Asclepiades, colocynthidis sextantem adijcio. Quòd si aluus fluat, omnino colocynthidem amoueto: stercus autẽ caprinum si quidem aridũ sit, tunditur & cribratur: molle autẽ & recens aceto dilutum teritur. Malagma, quo Eras usus est: quod imponendum est: neq; prius amouendum, quàm sua sponte decidat. Visci lib. I. lapidis asij sexuncem, calcis uiuae quadrantem, olei cedrini libr. I. Viscum & oleum ad calidum ac feruentem cinerem coquito, insper sisq; aridis tritis, remollito ac utitor. Aliud. Caricarum pinguiũ lib. VI. aut. III. spumae nitri lib. I. origani lib. I. sulphuris uiui quadrantem, cochlearũ aphricanarum libram unam. Arida contundito & cribrato, ac ficis cũ carne cochlearum contusis excipito, & melle cocto sufficienti adiecto utitor in linteolum infartis. Aliud. Radicum brasicae tenuissime tritarũ libram unam, calcis uiuae lotae librã I. elaterij quadrãtem, axungiae ueteris libras tres. Ad formam malagmatis reducito, & in linteolum infarcito, ac per omnem aluum imponito, alternisq; diebus soluito. Vrinam prolicit. Malagma ipoterium inscriptum: pharmacum accommodatum, ac prosperi successus, cuius periculũ feci, inquit Philagrius, in hydropicis, splenicis, & affectionibus inueteratis: deprimit enim tumorem. Resinae pinus torrefactae lib. IIII. cerae lib. II. picis lib. II. aluminis liquidi, nitri rubri, sulphuris uiui, mannae, cuiusq; librã unam, aloës sexuncem, pyretri, aristolochiae, ammoniaci, bdellij, amomi, cardamomi, uisci, probe subacti, myrrhae, radicis cucumeris syluestris, succi sycomororũ, cuiusq; quadrantẽ, olei libras tres, aceti sexquisextariũ. Quẽadmodũ moris est apparato. Arida aceto diluũtur. Malagma ex baccis lauri aridis, ad hydropicos & splenicos, omnem duritiã dissoluit, abscessus in profundo sitos absorbet. Cerae, resinae pinus, picis brutię siccae, nitri rubri, baccarum lauri aridarũ, ammoniaci thymiamatis, adipis uitulini probe subacti, singulorũ lib. unã. Arida cõtundito, ac per tenuissimũ cribrũ excutito: quę uero eliquari possũt liquefacito, eisq; arida inspergito ac unito, deindeq; ammoniaco cũ aceto dissoluto affũdito. Ego etiã nitrũ cũ aceto dissoluo. Emplastrum Tonsoris appellatũ, ad splenicos & hydropicos. Hoc tonsor ex Bythinia usus, multos à coxendicũ dolore in totũ liberauit. Picis siccae lib. IIII. cerae lib. II. resinae pinus lib. I. farinae foeni graeci, pollinis radicis herbae chamaeleonis nigrae, cuiusq; bessem, cumini tenuissime triti trientẽ. Apparato, & ut dictũ est, utitor. Emplastrũ pardalis appellatũ: Andreę. Pharmacũ inueteratis hydropicis prospere accõmodatum. Grani cnidij depurati, rhois rubri, spumae nitri, salis ammoniaci, aristolochiae tenuis maxime corticis, radicis cucumeris syluestris, terebinthinae, cuiusq; drac. III. piperis cõmunis, piperis longi, ammoniaci thymiamatis, iridis, bdellij, thuris, cardamomi, xylobalsami, casiae, myrrhae, amomi, adipis taurini, adipis caprini, resinae pinus siccae, cuiusq; drac. X. cerae sesquilibrã. Visci probe subacti sextantẽ, unguẽti irini aut potius fecis sexuncẽ, succi sycomororũ sextãtem, si haberi possit. Cerã, resinã, adipem caprinum, liquefacito, refrigerato, & cerati modo lęuigata ac cõtecta asseruato. Bdelliũ autem & ammoniacũ & succi sycomororũ sextãtem, praecedenti die in uini quincunce macerato, sequentiq; in sole terito, & cõiecto in mortariũ cerato bdelliũ & reliqua cũ eo adijcito, & diligẽter tundito, deinde arida trita paulatim addito, & per biduum tusa in densam pellẽ recõdito, ne quid inde transpiret. Quidam autẽ hyssopi drac. IIII. addunt, & irinũ largius affundunt, quo modo usus est Eras Cappadox & Asclepiades. Facit ad multas & uarias affectiones, facit ad hepaticos, splenicos, suppuratos, & arthriticos, podagricos qui à calefactorijs iuuantur, ẽ coxẽdicum dolore laborãtes, pleuriticos, praecordiorum affectiones, & omnia quae concalefactione opus habent. Vtere & ad strumosos, emplastro ad strumae magnitudinem facto & imposito: suppurat enim, perforat, rumpit, eademq; attrahit, & cicatricẽ inducit. Cõducit & ad ossa contrita, educit spinas, & omnia in profundo fixa: facit & ad suppuratos praeclare, & ad omnes duritias internas. Inflãmationes autẽ internas eadẽ die soluit. Vtitor & ad tubercula, dissoluit & cancerata & panos. prodest cõuulsis & à scorpio percussis: summe autẽ hydropicis confert. Quòd si & ad lassitudinẽ neruorũ adq; dolorẽ leniẽdũ uti uelis, ad unã emplastri partẽ, irinum, nardinum,

num,cyprinũ,susinum, butyrum, lentiscinũ,adipẽ, œsypum,mel, singulorum æquales partes misceto, & ad solidi strigmẽti crassitudinem redigito,ac utitor. Epithema hydropicis,splenicis: abscessus & furunculos sanat: humores in profundo & in articulis resiccat:hydrocephalis, hoc est quibus aquosus humor in capite cõsistit, itemq; herniæ quæ hydrocele appellatur,pro glutino existit. prodest & hemicraniæ.tubercula quoq; atheromata ac steatomata Grę cis à spicarũ,siue ut alij uolunt,pulticulę, itemq; pinguitudinis in se complexu appellata, curat. Nitri, chalcanthi,salis, spumæ nitri,cuiusq; quadrantẽ, cerusæ septuncem,ceræ septuncẽ,olei lib.I.in ęstate autem dextantem. Oleum cum cerusa donec non inquinet,amplius coquito, ceramq; eis adijcito: qua liquefacta,reliqua in mortario terito,ac ad mellis cõpagem redigito:eisq; cocta infundito,ac utitor. Est enim experimento cognitum.

Malagmata quæ euacuant humorem:ex libris Asclepiadæ. Cap. XXIII.

Grani cnidij repurgati drac. X. medullæ colocynthidis drac.VIII. succi cyclamini sicci dra. XVI. scámoniæ,elaterij,piperis albi,myrrhæ,cuiusq; drac. IIII. polypodij drach.VIII.absinthij drach.XVI. amurcæ drach.XVI.fellis taurini drach. XVI. sagapeni drach. VIII. cerati cyprini quantũ his excipiendis satis est. Sufficiũt autẽ cerę dextãs,olei cyprini unciæ XVIII. hæc linteolo infarta pectini ac lumbis imponito, ita ut os uetris custodias illæsum. Summe prodest,inquit Archigenes, adeo ut quidã hoc solo se hydropicos sanaturos cõfidant. Aliud,quod largè cit urinã, totiq; affectioni opitulatur. Radicis cucumeris syluestris,radicis chamæleonis,aristolochiæ lõgæ,corticis radicis rubi sicci,singulorum librã unam, æruginis uermiculatæ,recrementi plũbi,aluminis scissi, seminis apij,sulphuris,acori,asari,petroselini, nardi celticæ,cardamomi,singulorum trientẽ,ceræ libras duas,terebinthinæ liquidæ,picis brutiæ,adipis taurini, cuiusq; librã unam apparato, & imponito,ut prædictum est. Aliud. Veratri nigri,nitri,piperis,fellis taurini, singulorum æquale pondus melle cocto excipe,& utere ut dictum est.

Epithemata, quæ post euacuatos humores adhibita pro glutino sunt. Cap.XXIIII.

Mellis libras duas,myrrhæ sextantẽ, thuris unciã unã. Mel usq; quò uiscosum fiat decoquito: eiq; myrrhã ac thus tenuissime trita adijcito,simulq; subigito,& spongiæ nouæ infarta per omnẽ aluum imponito, colligatoq;,cute quodammodo constricta,& tertio die soluito. Aliud. Thuris drac.VIII. gummi dra. octo,rosmarini herbæ exiccatæ drac.decẽ, mellis libras duas,apparato,ut dictum est: similiterq; utitor post euacuatos humores. Aliud epithema, quod post humorum euacuationem, toti affectioni se opponit. Lapidis asij sextãtem, farris mola triti unciã unam,thuris trientẽ,chamæleæ contusæ & cribratę drach.IIII.adipis suilli ueteris quantũ sufficit. Vtere ut dictũ est. Emplastrũ Magus appellatũ:quod quidam etiã Hephestiadis nomine insigniũt: facit ad sinus,& fistulas cõglutinat ac resiccat præter opinionem. Egregiũ censetur & ad hydropicos & ad herniã hydrocelen appellatã. Spumæ argẽti sexuncẽ, lateris furno assati sesquilibrã,scoriæ argẽti,quæ helcysma Græcis appellatur librã unã, olei libras tres, ceræ sesquilibrã,succi coriandri sesquisextarium,alij sextarij dimidiũ accipiunt. Oleum, spumã argenti, helcysma & laterẽ tenuissime tritũ, itemq; succum, donec amplius non inquinet decoquito, deinde cerã liquefacito,& percolatam adijcito, ac unitis utitor. Quæ difficulter aliàs sanantur ad cicatricẽ perducit. Præstat autẽ arida prius cõtundi,& cũ succo in mortario teri,ac deinde decoqui.Quidã autem pro cera, pentatheton pharmacũ coniecerunt,& ad hydropicos usi humorẽ resiccarunt. Epithematis igitur perseuerãtius & prõptius utimur, si absit febris: quod si febres sint cõiunctæ,per interualla quædã assumũtur.Cæterũ ad tumores cruriũ hydropicorum, panem madefacere oportet, tererecq; ac sale tenuissime trito ammixto, illinire, ac quatuor horis sinere. Quòd si aquosus humor defluat,spongia mundare, ac panniculo uestis detritæ extergere, oleoq; myrteo,aut melino,aut lentiscino inungere.

Aquam ducentia remedia, hydropicis ualde commoda. Cap. XXV.

Smilacis quæ iuxta aquas in sepibus reperitur, ac siliquas producit quẽadmodum hortẽsis smilax, quæ lobia appellatur, huius foliorũ succũ sextarij unius mẽsura accipe, & ad tertias decoque, indeq; cyathũ unum bibẽdum præbe. Aliud. Smilacem accipe & donec flaccescat in aqua decoque, deinde unà cũ decocto folia ipsa tere usquequo succus inde exprimatur: & ex eo cyathum quotidie bibẽdum præbe donec sanetur: in his autem qui perfectæ sunt ætatis plus omnino exhibẽdum est. Aliud,quod aquam ducit. Seminis cnici drachm.IIII.aloës unciam unam, grani cnidij scrupulos VI. scammoniæ scrup. tres, cum succo scorpiuri cæruleũ colorẽ habentis catapotia informato, & ex eis his qui iam primũ inciderunt scrupulos III.exhibeto:quibus autẽ in tumorem malum processit,scrupulos VI.ieiunis.

Quæ ad ciendam urinam hydropicis bibuntur. Cap.XXVI.

Porrò toto curationis tempore, aliquo istorum potuum utendũ erit. Cancri fluuialis decorticati interioris exiccati,manibus ac pedibus, auulsis libr.I. asari lib.I.In aqua permisce ex ipso flumine unde cãcri sunt extracti,ac bibendum præbe: aliquãdo pro asaro,opobalsami par pondus conijcitur. Aliud. Corallij drachmã unam, aluminis scissi drachmam unam,cum calaminthæ succo aut decocto in pastillos digerito, & ex ipsis obolũ unum,cum calaminthæ decocto bibẽdum prębeto.Summe(inquit Archigenes)& nephriticis cõducit. Laueris item decoctum exhibeto, idemq; lauer edẽdum dato, aut trifolij bitumen olentis drachmam unam,ex uino,aut iunci odorati,aut nardi, aut asari, aut phu, aut mei decoctum, aut corticis radicis ari, aut ipsius radicis drachmam unam, ex uino, aut seminis uiticis drachmam unam,ex uino, aut radicis bryoniæ concisę decoctum, aut anagallidis cæruleæ succum per se, aut arnoglossum ab aridorum ciborum comestione quotidie paucum comedendum præbe, ita ut inde reliquo cibo utatur: aut seminis hyperici drachmam unam, ex uino, aut cicerum decoctum, aut scillinum acetum assidue sorbeant. Etenim ex eorũ numero quæ citra grauitatem urinam cient, est scilla assata delincta ex melle: aut scillam assatã terito, eiq; farinæ erui albi par pondus ammisceto, siccato,

ac drachm. I. ex uino dato: aut polium, aut samsuchum ex uino decocta bibeda praebe. Egregie etiam commodam myurum herbam perhibent, quæ folia alimo similia habet, uerum per terrã strata est, ac uelut corymbos in summo oblongos habet: hanc itaq; decoctam assidue bibendam præbeto, experimento cõstat. Aut herinacium terrestrem excoriato, eiusq; carnem in sole exiccato, ac drachmam unam ex uino tritam præbeto. Præter opinionem etiam faciũt uermes terreni cocti triti ex uino potati. Est & compositum pharmacum quod urinam ciet ipsis conuenientissimum, hocce: Carpobalsami, spicæ nardi, casiæ, cumini, radicis dulcis, hyperici, floris iunci odorati, asari, amomi, dauci, smyrnij, petroselini, calami aromatici, piperis, seselis, spondylij, omnium ęquale pondus. Conducit etiam unumquodque per se. Orybasij pharmacũ aquam ducens. Salis ammoniaci drachmam unam, mastiches drachmas duas, euphorbij drachmam unam. Hæc pro una uice dantur: est autem ex fortissimis remedijs. Potiones aquam ducentes, ex Asclepiade. Cæterum per interualla longiora uti cõuenit pharmacis aquam ducentibus, nam incõmodus est assiduus eorum usus, utpote qui uires ipsas dissoluit. Similiter autem & his quæ urinam cient per modica interstitia utendũ est. Ducunt autem aquam, quẽadmodum conuenit inter Eran, Dioscoridem, Asclepiadem, & Archigenem hæc. Radicis struthij decoctum, polypodij decoctum, corticem radicis tithymalli characitæ appellati contusum & cribratum scrupulorum quatuor pondere in uino per integram noctem macerato, ac mane uinum ipsum bibendum præbeto: euestigio enim aquam educit. Aliud. Radicis cucumeris syluestris contusæ & cribratæ obolos duos in uino adstringente per triduum macerato, ac per dies tres ex ordine præbeto, factoq; interstitio rursus eodem modo, dato quousq; tumor demittatur. Inde enim aquositas leniter secedit: neque stomachum hoc lædit, & uires conseruat. Aliud, quod multam aquã per aluum ducit. Ex solano hortensi succum exprimito, & quotidie donec perfecte curetur, cyathũ unum bibendum præbeto. Aliud. Salis fossilis melle subacti & assati drachmas duas, piperis longi drachmas II. conterito, & cum succo ptisanæ totum præbeto. Hæc enim est perfectum dimensum. Aliud. Radicis umbilici ueneris drachmam unam, scillæ repurgatæ drachmam unam, contere, & cum uini mulsi cyathis duobus per horam pro una uice ieiunis bibendum præbe. Aliud. Euphorbij drachmam unam, salis communis drachmas tres, castorij drachmas quatuor, alij drachmam unam habent, contundito & cribrato, dimidiumq; ex aqua calida exhibeto. Aliud. Chamelææ, petroselini, piperis, æquales partes omnium contundito, & cochlearium ex aqua calida dato. Eclegma ad hydropicos. Seminis ricini ex herba quæ cici appellatur depurati numero grana triginta quinque, spumæ nitri cochlearia duo, probe contrita melle excipito, atque id totum delingendũ præbeto, & aquæ mulsæ calidæ cyathos tres, ab eius sumptione bibendos porrigito. Euacuat adhærentem humorem, citra læsionem: & purgat aliquãdo usq; ad dies aliquot. Oportet autẽ ante eius sumptionem commoda diæta uti.

Aliud inexuperabile. Grani cnidij repurgati drachm. quatuor, lathyridũ mundatarũ drac. quatuor, euphorbij drac. duas, aloës drach. II. gũmi drac. tres, aqua subigito, & catapotia erui magnitudine formato, ac perfectis ætate septẽ præbeto, & uini meri immixti cyathos quatuor inde bibendos dato. Reliquis autẽ iuxta uirium tolerantiam exhibendum. Aliud Xistici, siue Spiculatoris, ex cuius solius usu sanabatur. Grani cnidij repurgati drachmas octo, probe conterito, squamæ æris drachmas sex, lapidis magnetis drachmas sex, seminis ricini drach. quatuor, succi scillæ mundatæ cyathos duos, mellis cyathos duos. Succum & mel usquequo cogatur coquito, ac reliquis adiectis catapotia ciceris magnitudine formato, eaq; pro uiribus exhibeto: ita ut aqua mulsa ab eorum sumptione bibatur. Pueris autẽ unicum tantum præbitum sufficit. Aliud. Aeris usti drachmã unam, foliorum rutæ drachmã unam, stercoris columbini drachmam unam, salis communis parum. Hoc totũ cum dimidia hemina uini tenuis præbeto. Aliud potabile, lagenium appellatum, cõmodum his quibus uenter plurimũ tumet, & reliquum corpus molle est & laxum. Radicis bryoniæ repurgatæ drac. XX. myrrhæ drach. octo, cumini æthiopici drac. VI. anisi drac. VI. seminis capparis drachmas sex, uini adstringentis sextarios II. passi cretici sextarios IIII. Radicem bryoniæ cũ reliquis in mortarium cõijcito, atq; citra myrrhæ admixtionem tundito, omniaq; in uas uitreum recondita affusis liquoribus macerato, & post septimum diẽ percolato, ac myrrhã simul dissoluito: indeq; cyathos quatuor ante cibũ exhibeto, & rursũ interiecta die cyathos quinque præbeto: ac rursus interposita die, cyathos sex offerito, atq; deinde rursus carnẽ ferinã assatam edẽdam dato, & uinum austerũ meracius in potu. Aliud pharmacũ, quod prospere accõmodatur, & aquã multam per sedem educit, optime etiã cit urinam: Grani cnidij depurati drac. IIII. radicis bryoniæ drac. IIII. scillæ crudæ mundatæ dra. X. cumini æthiopici drac. III. lathyridũ drac. II. myrrhæ drac. IIII. uini adstringẽtis sextarios III. Arida tusa per dies septẽ macerato, ita ut quotidie bene circumagites: deinde percolato, ac dissoluta myrrha, prima die cyathos tres præbeto, secunda duos, tertia unũ. Facta autem purgatione, uirium refocillatrice diæta utitor. Aliud, urinã ciens, aromaticum, Crunion à torrentis similitudine appellatum, quo usus est Eras & Asclepiades. Oportet autẽ purgatiuo quod ei præscriptum est præpurgare, atque ita ipsum quod urinã ciet pharmacum exhibere. Purgatiuum autẽ quod præexhibetur hoc est. Succi tithymalli recentis cyathos II. aloës drachm. IIII. Aloëm in succo dissoluito, & in catapotia magnitudine ciceris redigito, indeq; duo, aut pro uiribus dato. Porrò ubi probe purgaris, ipsam urinã ciens pharmacũ propinabis, cibo bis aut ter per diem exhibito. Cũ animaduersione autẽ utaris, & ubi urinã profluam uideris, ne amplius dederis: quod si nõ feceris, urinã cohibere nequibis. Cõpositio ipsa hæc est. Seminis apij drach. XI. myrrhę dra. VII. dauci drac. VII. croci dra. VII. mei dra. VII. phu drac. VII. acori drac. IIII. floris iunci odorati drac. IIII. seminis fœniculi drac. IIII. aut VI. asari dra. VI. spicæ nardi, casiæ, cinamomi,

mi, seselis, sabinæ, singulorũ sesquidrachmam. Excipe uino odorato, & pastillos, quosdã triobolares, quosdam diobolares, alios etiã unius oboli põdere formato, eosq; pro uiribus præbeto. Facit & ad calculo laborantes cũ uini diluti cyathis tribus. Aliud, urinam ciẽs. Seminis fœniculi, cardamomi, radicis eryngĳ, corticis radicis capparis, cuiusq; drachmam unã, stercoris colũbini cochlearia duo, contere, & cũ aqua catapotia ciceris magnitudine informa, & v. ex eis quotidie præbe. Potus hydropicis cõmodus experimẽto constans, qui tũ per urinas, tum per uẽtrem euacuat. Caroi scrupulos uiginti septẽ, fœniculi uncias tredecim & dimidiã, anisi scrupulos XIII. & dimidiũ, cumini lati scrupulos v. mei sesquiscrupulum, iridis siliquas tres, mellis sesquilibrã, uini libras sex, exhibe mensurã mediocrem ieiunis in insessu solĳ balnei præcalefactam: est & suaue gustui.

Alius potus ciens urinã, ex cuius usu insignem uirum tympanite detentum, seruatũ uidimus, etiã si à multis medicis iam esset detritus. Ammoniaci thymiamatis sextãtem, radicis herbæ lonchitidis sextãtem, petroselini sesquunciã, calami indici, costi, cinamomi, spicæ nardi, piperis lõgi, myrrhę, stactes singulorum unciã unam, seminis rutę quadrãtem, phu drachmas quatuor, styracis drachm. quatuor, phylli quadrãtem, mellis despumati quãtum sufficit. Excipe melle, & fabæ ægyptiæ magnitudine præbe, cũ calidæ aquę cyathis tribus. Aliud ualde cõmodum, ducit urinam multam, & ad lumborum dolores facit, itemq; eos quibus pituita in uniuerso corpore abũdat, ad pleuriticos, peripneumonicos, quartanarios, articulorũ morbum, ac tetanicos, quibusdã cum uino, aliquibus cũ aceto mulso, alĳs uero cum aqua mulsa. Habet autem hoc modo. Aristolochiæ, myrrhę, absinthĳ, abrotoni maxime seminis, iridis, canchryos, singulorũ drach. IIII. anisi, cedridum, radicis panacis, pyretri, ammoniaci thymiamatis, cardamomi, singulorum drac. I. cumini drach. II. & obolum I. Digerito in pastillos, quorum aliqui tres, aliqui duos, aliqui unum obolũ habeãt: eosq; pro uiribus exhibeto. Oribasĳ ad hydropicos. Amara ex aceto mulso cõfectio, paulatim euacuat, nihil ex uiribus subuertens: est autem in stomachicis relata. Aliud urinam ciens, Oribasĳ. Aluminis liquidi ad fabæ magnitudinem in aqua dissolue, & per linteum excolatum bibendum præbe. Aliud. Opobalsami, spicæ nardi, carpobalsami, casiæ, cumini, radicis dulcis, hyperici, floris iunci odorati, asari, amomi, dauci, seminis smyrnĳ, petroselini, calami aromatici, piperis, seselis, spõdylĳ aut umbilici ueneris, omnium æquale pondus, præbe cochleariũ cum uino mulso. Conducit etiam unumquodq; per se. Pessus siue talus ad hydropicas mulieres. Anisi, cumini, cardamomi, nitri, aristolochiæ, pulegĳ, fœnigræci, medullæ ficus, omnium æquales partes cum uino subige, ac utere.

Cura post euacuationes. Cap. XXVII.

Post auxilia quę humores euacuant, ligamentis ægrũ amplecti & constringere oportet, ab extremis autem partibus incipiamus, ac ligamentorum distributionem ad supernas partes faciamus: ita ut sæpe super ipsa ligamenta spongias posca imbutas imponamus iuxta tumefactas maxime partes. Ventri uero uniuerso quædã ex præscriptis epithematis imponantur, quæ post euacuatũ humorem adhibẽtur. Reliquum diætæ concredendum: quæ sanè in moderatis deãbulationibus sita est, exercitationibusq;, ac fricationibus. Adhibeantur autẽ & inunctiones & exercitamẽta: si sol adsit, in sole, capite tamen uelato: sin frigus sit, in domibus per subiectũ ignem cõcalefactis: aut iuxta ignem: obuoluendi etiã ægri in pellibus sole ustis, aut in arenã defodiẽdi. Post exercitia extergantur, aliquando etiam lauentur propter fatigationẽ: in balneo autẽ siue inspersione, siue confricatione huiusmodi utantur. Samsuci, nitri, cumini, melanthĳ, seminis rutæ syluestris, singulorũ unciam I. foliorũ rhododaphnes siccorum, sextantem. Vtendum quoq; in sole luti oblitione, quemadmodum prædictum est in secundo De terrarum differẽtĳs Sermone. Porrò quum res feliciter processerit, & tumor fuerit imminutus, & uires aliquantulum in integrũ restitutæ, præ omnibus ex frigida lauatio fiat. Neq; uero balneæ sponte naturæ calidæ inepte hoc tempore ipsis exhibentur: ab extersione autem cibi offerẽdi: qui sanè cõmunes sint cum his qui post hydropis subter cutem curam describentur.

Cura hydropis qui proprie subtercus appellatur. Cap. XXVIII.

Hydrops subtercus, qui aliquibus etiã leucophlegmatias appellatur, maximã curãdi rationem in insolationibus habet: itaq; tumefactæ partes ad solem exponãtur, capite saltem uelato, cauendo etiam ne tumor uehementius supercalefiat. Si enim corpus supercalescat, febres accedunt, unaq; cum ipsarũ febriũ generatione tumores duplicantur, atq; id multo magis quum febres remittant, ac tumor refrigerationẽ capiat. Vtendum igitur fricatione prima quidẽ die per modicum oleum moderatè ac molliter facta: in progressu autem & sicca & multa & cum intensione magis appressa: deinde etiam per lintea asperiora. Oleum autem quod ad inunctionem apparatur, scillam mediocri magnitudine ad tres olei sextarios habeat incoctam, aut canchryos uncia una ad heminam olei addatur, & facta percolatione utitor. Ab inunctione autem exercitĳs utantur, ac pro uiribus currant: indeq; sudorem per lintea asperiora extergant, & post hoc oleo dulci ungãtur. Cæterum post dies aliquot nitro tenuißime trito per uniuersum corpus largè cõspergantur, sustineãtq; ex eius morsu exudationem, deinde rursum sudorem extergãt, ac oleo dulci ungantur. Optime autem facit & fricatio ex sale in aqua aut oleo trito donec uiscosum reddatur, si cum eo in sole aut iuxta ignẽ fricentur. Valde enim celeriter & sudores elicit plurimos, & carnẽ cogit, siue in sole, siue iuxta ignem defricẽtur, modo caput habeãt probe contectũ. Vtendum & in puluere uolutationibus, si aut cimolia tenuißime trita substernatur, aut super asium lapidẽ deuoluãtur. Aliquãdo autẽ & arena probe à sole ignita, aut pellibus similiter à sole feruefactis ægrum occulere oportet, capite tantum uelato, & facie cum spongia asidue extersa. Post hæc autem aqua marina, aut etiam aluminosa aut sulphurulenta lauetur. Aliquibus enim qui ad huiusmodi lauacra adsueuerunt, ea ipsa tum ad deterendum morbum, tum ad habitum ualentiorem reddendum suffecerũt. Adhibenda etiã his oblitio ex luto, ueluti prædictum est in secundo De terrarum differentĳs Sermone.

Cataplasmata ex libris Asclepiadæ. Cap. XXIX.

Optime conuenit & his cataplasmatum admolitio, eorum præsertim quæ resiccare simul & uisceribus firmitatem addere possunt, pueris maxime ac alijs qui mollem carnem habent: qualia sunt ex malis cotoneis, myrti baccis, pampinis uitis, malicorio, ac lenticula decocta, aliquando quidem per se, aliquãdo inuicem permixtis. Efficacissima sunt etiam corna exacinata tenuiter trita: item rhus culinarius cum polentæ flore, & quæ eis similia existunt, & alumen sanè cum duabus adipis caprini partibus subactũ. Neq; uero incouueniens ruta ipsa censetur, si per interualla adhibeatur, neq; bulbi cũ melle triti. Plurimũ etiã cohibent ac adstringunt tumorẽ origanus, aut thyma, aut absinthiũ, aut hyssopũ, aut nitrũ cum caricis diligenter trita: aliquãdo hæc ipsa loliaceæ farinæ in posca decoctę permixta adhibentur. Stercus item bubulum conuenienter resiccatum, non inepte cum posca aut aceto mulso imponitur, infarcta sulphuris quarta parte. Caseus quoq; recens multũ coaguli habẽs, optime ad omnes tumentes partes impositus facit. Similiter & cochleæ crudæ tritę & impositæ: adglutinãtur enim neq; discedũt priusquàm uniuersus humor resiccetur: fermentũ etiam sale multo permixtũ cõmode locis adhibetur, aut panis cum puluere hyssopi: aut fabacea farina aqua marina & melle cocta, pari absinthij modo adiecto: aut farinam halicæ fermentato, & cum raphani emollito cortice imponito: aut lentem palustrem in figulino uase siccato, acterito, & cum prædictis cataplasmatis uice imponito. Porrò ex eorum quę tumores cohibent numero, est & id quod byne appellatur: est autẽ ordeũ madefactum, quod germen emisit, & deinde unà cum enatis ligulis tostum est: si tritum pro cataplasmate imponatur. In principio igitur adstringentibus cataplasmatis utendũ est, deinde paulatim ad resiccãtia transeundum, postremum etiam ea quæ firmitatem addunt adijcienda. Cæterum omnia impinguãtia & resinosa, cerata, ac malagmata, similiáque uitanda sunt, ueluti quæ inflent & tumores distendant. Assidue autem & crura, & manus, aliæq; tumefactæ partes in sole aut iuxta ignem, ex his inungantur. Sulphuris uiui, thuris, aluminis scissi, æquales singulorum partes aceto contere, ac utere. Experiri etiã Herodoti remedium conuenit, neque enim minus quàm ipsa fricatio auxiliari potest: uesicis itaque bubulis aut etiam alijs magnis omnino, ac probe inflatis, & uacuis, tumentes locos pulsato, atque id autoritate tũ Archigenis, tũ Herodoti facito: inde enim citra molestiam caro condensatur, neque dolore, neque repercussione duriore resultante.

Chirurgia hydropis subter cutem. Cap. XXX.

Omnibus prædictis efficacius auxilium in hac hydropis specie chirurgia præstat, Asclepiade autore. Fissuras aũt circa internũ talum infligere oportet in loco quatuor digitorũ spatio supra talũ eminente, ea profunditate, qua quis in uenæ sectione utatur. Pauco enim sanguine in principio euacuato, per reliquũ tẽpus indesinenter aquositatis excretio procedit, citra omnem inflãmationẽ, ut neq; claudi fissura possit, nisi humore omni ante expenso, & homine gracili relicto, atq; id citò cõtingit, nulla inflãmatione scissurã occupãte, sed ipsa in quadam cõgruenti temperie permanente, quo omne alienũ per ipsam excoletur, & ut nullo opus sit extrinseco pharmaco. Præterea periculũ hic nullum uerendũ est, uelut in hydropis ascitæ pertusione: non enim coaceruatim quẽadmodũ illi euacuãtur: at uero si quis uelit, excretione plurima facta, eam cohibere, nihil ueruerit ipsas in talis fissuras linamentis obturare, ligamentisq; cõstringere, atq; ubi rursus prodire quid uelimus, laxatis ligamentis, & ablatis linamentis, gestatoq; ac moto ægro, excretionẽ iritare. Leonides autem inquit, Quòd si excretio fissurę supra talos tardius prodeat necesse est etiã alias corporis partes findendo diducere: ueluti scrotum tumefactum, fœmora, pudenda, locus supra manuũ iuncturas. Quidã enim uulnusculis pluribus ac altioribus incussis, plurimã aquosam substantiã exhauserunt. Et Hippocrates sanè nõ supra talos adhibet chirurgiã, sed iuxta scrotum & fœmora uulnuscula infligere iubet, eaq; sale maximè cõfricare: hic enim modus paulatim & incessanter humorẽ educit, & ualde celerẽ compresionẽ tumores ipsos recipere, ipse tradit. Porrò si aliquibus excretionẽ amplius mouere uelimus, post impacta uulnuscula, & talorum lancinationes, eos ipsos pro deambulatione, ferculo gestamus, aut lectica sublimes circumuectamus. Cęterũ Archigenes ita prodit, Nõ sunt audiẽdi, inquit, q per huiusmodi lancinationes nihil excerni dicunt, quin potius cum fiducia hæ ipsæ incutiendæ: nam & nos, inquit, his cutis fissuris sumus usi, & per ipsas quàm plurimum exclusimus humorem, ut & fœmora, & suræ, & superior uenter euidenter sint demissa ac compressa.

Reliqua prædictorum cura. Cap. XXXI.

Maximum hydropis subter cutem auxilium uomitus pręstãt, quod ipsum difficile est in ętate puerili adhibere, propterea quòd non facile, ut id admittant persuaderi possunt: quare uarias excogitauimus artes, quibus uomitum concitemus: tonsillas uidelicet pinnulis aut digitis oleo illitis iritando: aut ficus assata oleo imbuta & piperis puluere cõspersa, post deãbulationes à somno exhibeatur. Butyrũ etiã cum melle gustandum præbeatur: aut raphanus coctus adipe cõditus detur, aut salsamẽtum pingue cum oleo multo offeratur, aliquãdo etiã aceto ammixto. Sunt & alia plurima quæ uomitum mouent, relata in tertio Sermone. Amplius autẽ tum uẽtrem, tum intestina ligamentis adstringant, itidemq; omnem cutis coërceant tumorẽ. Fiant aũt ligationes ab extremis partibus incipiẽdo, & ad supernas procedẽdo. Vinciẽdæ etiã partes, manus uidelicet & pedes, oleo cyprino prius illinantur: spongię itẽ imponãtur latę ab acida muria optime expressæ: potest & iuncus odoratus, aut rosmarinus, aut pulegiũ, aut calaminthe, & maxime omniũ absinthium in ipso aceto decoqui. Post uerò ligamenta ipsis spõgijs circumdẽtur. A uomitu prospiciendũ ut inferior aluus inclinationem ad uomendũ permutet: ueteri salsamento crudo ante cibum reliquũ accepto. Mercurialis itẽ cocta saleq; ac oleo cõdita in uino tincta sumatur: aut decocti ipsius sesquicyathũ cũ sale dato: quędã etiã in ascite dicta his exhibeto. Prębẽda & quę urinã cient, uelut est daucus, seseli, cardamomũ, radicũ asparagi decoctũ, trixaginis, radicis trifolij decoctũ, aut ipsius radicis dra. I. ex uini cyathis III. radix eryngij sicca cũ uino, itẽ decoctũ eius in potu acceptũ, seminis uiticis drachma una. Cõmode etiã seminis hyacinthi bulbi

Gal. ix. de gg. med. sm locos
cap. 3. talos scarificat ne tamen
[illegible] ne incidant in gangrenã

drachma una cum uini cyathis tribus potatur: urinā enim ducit. Quidam autem hyacinthi flore coria tingunt. Inter omnia autem pharmaca quæ omnibus hydropicis, maxime tamen eis qui subtercutaneo dicto laborant, exhibentur: præstantissimi sales theriaci censentur tum cibis ammixti, tum in liquamenta additi eorum qui ad perfectā ætatem peruenerunt. Eorum autem apparatū in XIII. reperies Sermone.

Communis diæta omnium hydropicorum: Archigenis. Cap. XXXII.

Post quotidiana exercitia communis omnibus hydropicis diæta hæc sit. Ab aridarum rerum comestione initium faciemus: quòd si tamen intensa sitis instet, parum quid delibandum dabimus solatij tantum gratia, & leniendę sitis. Sit autem uniuersus cibus facilis concoctu & sufficienter coactus: exolutus enim aptus est ut in aquositatem commutetur: sit itaq; panis optimus clibanites, qui salem, ammium, & fœniculum habeat admixtum, conueniunt etiam cochleę assatę, oua assata, & auiculę sicciores, uelut perdices, coturnices, turtures. Ex terrestribus, lepus, capra syluestris, dorcades. Ex mansuetis extremæ suum partes: ex aquatilibus, cancri, locustæ, herinacei recētes, squillæ: Olerum rarus sit usus: quæ uero ex eis exhibentur acriora sint, & magis syluestria, uelut est coronopus, eryngium, pastinaca, porri capitati, allia cocta. A leguminibus uero abstineant in totum. Pro liquamine utantur aceto cum pipere & lasere, aut quibusdam ex oxyporis cito penetrantibus ad colicos descriptis. Sales sint ex rosmarino, fœniculo, hyssopo, silphio, ligustico, & apij semine compositi. In potu tantū præbendum quantū ad infringendā aliquo modo sitim sufficit: incōmodus est enim eis plurimus potus. Porrò maximā ciborum partem in cœna accipiant: omnes autem placentas ex similagine & passo apparatas uitent, plurimos itidem fructus & secundas mensas. Concedendæ tamē palmulæ, nuces, amygdalæ, uua pensilis, mala punica, pira cocta, ac caricę, omnia moderate, neq; omnia quotidie. Vinū autē sit tenue, & quod ciet urinā. Dulcia uero uina & uinum mulsum uitanda. Lectus nō ualde mollis sit, præsertim his qui hydrope subter cutē laborant: substernantur autem arundinum folia, & herbæ resiccantes, uelut est uitex, pulegium, calaminthe, & similia. Mirum est enim quātum huiusmodi per somnum resiccent, ut constet iam quosdā frumēti aceruis obuolutos & abscōditos à somno surrexisse firmos ac resiccatos. Opercula etiam ipsa quibus tegūtur, apparentur duriora. Moderata autem sit & probe temperata ipsa domus secundum anni tēpus.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN VNDECIMO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBUS MEDICINAE TETRABIBLI SIVE QUATERNIONIS TERTII SERMO TERTIUS ET EX ORDINE UNDECIMUS.

De Renum & uesicæ affectionibus: Et de priapismo, ac seminis profluuio, rebusq; uenereis.

De diabete, hoc est profluuio urinæ. Cap. I.



DIABETES diuturna est affectio circa renes cõsistẽs, multũ potũ inducẽs unà cũ hoc quòd quicquid bibitur, simul ut acceptũ est per urinã reijcitur. Quidã autẽ affectionẽ hanc hydropẽ, siue hyderũ, & siphonẽ à furorij instrumẽti similitudine appellant, alij urinæ leuitatẽ uocant, alij dipsacõ ab inexplebili siti appellauere. Cõcomitatur ægros pertinax sitis, neq; ulla satietas ex alicuius liquoris exhibitione cõtingit. Aliquãdo & sitis supra sitim inexplebiliter ægros urget, hoc est, ut assidue potũ assumere cogantur, neq; tamẽ satiãtur, propterea quòd citissime per lotiũ expellitur potatũ. Cęterũ proprius renũ affectus diabetes existit, q̃ uidelicet immoderate humorẽ appetũt, ipsumq; propter debilitatẽ retentiuæ in eis facultatis cõtinere nõ possunt. Quẽadmodũ enim in appetitionibus caninis, & in quibusdã lienterijs uehemẽtissimę quidẽ appetẽtiæ oboriũtur, quę multos cibos, eosq; affatim accipere cogũt, uerũ nihil ferè ex acceptis retinetur: sed in caninis quidẽ appetitionibus ob grauitatẽ reuomuntur: in lienterijs uero tũ ob grauitatẽ, tũ ob præsentẽ retẽtiuæ facultatis infirmitatẽ, inferne cruda excernũtur. Eodẽ modo etiã in renibus uehementissima serosi humoris appetẽtia cõtingit, propter debilitatẽ autẽ retentiuæ in eis potẽtię, eũ ipsum humorẽ aceruatim in uesicam excernunt. Aretæus etiã hæc addit, Viscera ipsis uri uidentur, anxij sunt ac animo dubij, & non longe pòst moriuntur: igne amplius ardere se putãt, acceditq; sitis & mictio festina: sed quãuis aliquãdo parumper urinã retineant, intumescũt lũbi, testes, & coxę: quòd si adhuc amplius mordẽs caliditas in uisceribus augeatur, superior uẽter corrugatur, & uenæ in ipso eleuãtur, uniuersum habitum gracilẽ habẽt, & tabes totius corporis grauis accedit. Porrò alij sunt qui non mingant, neq; ex eis aliàs potatum trãspirat. Quare ob potus insatietatem, & humoris inundationẽ, & uesicæ circũtensionẽ, aceruatim uentre rũpuntur. Cæterũ humores uitiosi in ipso renum corpore imbibiti, affectionem ipsam inducũt. Scopus igitur in curationibus nobis sit, ut humorũ acredinẽ deleamus, sanguineq; ac cũ eo permixtũ serosum humorẽ admotũ tardiorem reddamus, & renũ intẽperiẽ reuocemus. Archigenis. Itaq; mox ubi acceperit malũ, nondum ad perfectionẽ progressum, optimũ est cubiti secare uenam, & moderate sanguinẽ auferre. Vtẽdum etiã mediocriter urinã ciẽtibus, quę uitiatũ in renes imbibitum humorẽ repurgare possunt. Quòd si uero inueteratũ sit malũ, neq; uenæ sectio assumatur, neq; q̃cquã quod urinã cit exhibeatur. Cõcidũt enim in inueteratis uires, & ex uenæ incisione totũ corpus acrius redditur, & urinã ciẽtia in ipsis multiplicant malũ. Maximũ aũt remediũ huic affectioni, ut statim potatũ reuomatur. Sit aũt perquàm frigidus ipse potus, reliqua itẽ dięta conuenit uti frigidiore: quare olera refrigerãtia minimeq; urinã ciẽtia in cibo prosunt, pro sorbitiõe aũt ptisanę succus frigidus probatur. Materia etiã ipsa ad exudationẽ diuertẽda. Optima uero, inq̃t Aretęus, est in dolio facta euaporatio, ad exudãdũ, eo modo ut caput extra doliũ promineat: frigidũq; aẽrẽ attrahat, reliquũ uero corpus oẽ calefiat. De cętero uelut ęstuãtẽ febrẽ, causon Gręci appellant, curare oportet, quo celerrime sitis extinguatur: polẽtæ itaq; florẽ aceto & rosaceo subactũ cataplasmatis modo præcordijs imponito, uitis item folia tenera trita, aut umbilici ueneris, aut portulacæ, aut seridis, & quęcũq; alia cõsimilia: præbibendũ etiam sanguinariæ succũ ex uino nigro assidue præbeto. Symphytum item & palmarũ cremorẽ, baccarũq; myrti & pirorũ. Vermes quoq; terrenos coctos ex aliquo prædictorũ succorũ. Cibi exhibeantur boni succi, mordacitate carẽtes, & qui acredinẽ obtũdere possunt, uelut sunt oua sorbilia, & similago, & halica ad sorbitionis formam apparata, carnes porcinę macrę probe coctæ. Vinũ sit rusum, crassius, frigida amplius dilutũ, ad salsuginosorum humorũ prolutionem, qui sitim inducũt. Vinũ enim corporis miscellã ad dulcorem permutat: neq; uero incõmodè exhibetur eis caseus recẽs cõpactus citra salẽ, & lac per silices aut ferrũ ignitũ scissum, seroso humore ademapto. Porrò si prædicta auxilia frustra adhibeantur, affectioq; ipsa augescat, nõ absurdũ fuerit etiã stuporẽ inducẽtibus uti, ita ut soporiferũ antidotũ ex papauerũ capitibus apparatã exhibeamus, aut aliquẽ ex dolores leuãtibus pastillis, infuso etiã soporifero utẽdum, uelut est opium erui magnitudine cũ pari modo castorij, aut etiã maiorẽ: hæc in passo cretico dissoluantur: nõ ut in colicis fieri solet, cũ oleo rutaceo: refrigerare enim in his pręsumimus. Infunditur etiã utiliter oleũ in quo uermes terreni sunt decocti. Forinsecus autẽ retro ad lumbos & ad pectinẽ illitiones & cataplasmata refrigerãtia adhibẽda, qualia sunt quæ ex lactuca, umbilico ueneris, lẽticula palustri, perdicio, & similibus apparãtur. Cerata etiã his locis ex rosaceo adornata imponẽda, aut ex chamæmelino q̃busdã ex prędictis succis ammixtis. In quibus aũt uehemẽter stupefacere sensum intẽdim9, etiã mãdragorę succũ in cerata ammiscemus, foliorũ itẽ papaueris succũ, & similia. Per interualla aũt quędã, etiã antidoti ad lethalia uenena destinatę exhibeantur, & maxime theriace ex uiperis cõstãs, Andromachi inuicto, recẽs apparata, & ea q̃ Esdrę inscribitur.

De renum cruentam urinam excernentium debilitate: ex libris Rufi. Cap. II.

Renum porrò & alia affectio est, in qua tenue sanguinis serũ mingitur, quod ipsum itidẽ propter renum debilitatẽ contingit, quemadmodum in hepate fieri solere diximus, atq; propter amplitudinẽ osculorum ex uena caua urinam ad renes excolantium. Quum enim ampliores meatus sint, quiddam etiam ex sanguine uenæ laxatũ emittũt: aliaq; itidem crassa: adeo

sa: adeo ut postquam ea quæ micta sunt cõstiterint, subsidentia quędã in uase reperiãtur, & superne quędam concreta, marinum maxime pulmonẽ similitudine referentia. Concocto igitur cibo & in uenas distributo, qualia dicta sunt minguntur: recens autẽ ingesto & crudo adhuc cibo, pura & aquosa, quæ nihil subsidens habent, per lotium eĳciuntur. Nihil uero dolitant, aut omnino parũ, & eiecto lotio leuati melius habent. Extenuantur autẽ & emaciantur tẽporis progressu omnes, & magis adhuc hi qui plus sanguinis mictu excernunt. A principio itaq; cõuenit his quies, & cibi adstringentes, & uinum nigrũ in potu. Ab his quæ urinã cient, & à coitu omnino abstinendum. In potu autem hæmoptoica pharmaca exhibenda, maxime uero sanguinariæ succus, & radicis symphyti decoctum: & tragacãthus in uino nigro macerata. Sistit uero sanguinis ex renibus eruptiones stratiotæ aquis innatãtis succus potatus, & radicis magnæ crocodiliadis iuxta aquas nascentis, quam Syri orophen appellãt, decoctum, pęoniæ siue glycysides grana fulua XII. ex uino. Cornu ceruini usti drachma una ex uino, folia salicis trita cum uino, lysimachĳ succus, lapidis hæmatitæ drachma una, ramentorum loti arboris cremor, radicis spinę albæ decoctũ, & similia, quæ in sermone de hæmoptoicis sunt prædicta. Forinsecus autẽ renibus & lũbis imponuntur ea quæ ad muliebrem fluxũ describẽtur epithemata, item ea quæ ad sanguinis per sputum reiectiones sunt descripta: & quæcunque unà cum eo, quòd adstringunt & resiccant, etiam robur addere possunt: qualia sunt rubi folia, & glandes, & myrti ac quercus folia, itemq; myrti baccæ, malicoriũ & balaustia, & perdiciĳ folia, & similia palmis passis excepta, & imposita. Post hæc habitus cibariĳs, lacte ac auicularũ carnibus, suillis etiã ac macris reficiẽdus est, quo uniuersum corpus ad pristinas uires reducatur, & renes corroborati propriũ obeant munus. Est autem proprium renum munus, serosum humorem à sanguine secernere & excolare.

De his qui per circuitum quendam sanguinẽ mingunt: Archigenis. Cap. III.

Quidam per circuitus quosdam sanguinem è renibus excernunt, simili modo ut ex hæmorrhoidibus in se de fieri consueuit: & in principio quidem propterea quòd citra ullum aliquem dolorẽ excernitur, nihil in totum mali formidant ægri: ubi uero diuturnior fuerit affectio, & aliquando cohibeatur quod pro more excerni consueuit, grauitatẽ inducit, aliorũq; pessimorum morborum causa existit, sanguine nimirũ ad alias particulas dilabente. articulares enim affectiones in aliquibus ex cohibitione accidũt, aut uertigines, aut deliria ex atra bile, & insaniæ, aut oculorum cæcitates, qualia etiam mala hæmorrhoidibus cohibitis contingunt: ut plurimum uero in malum habitum corporis & hydropem delabendi aptitudo inde oboritur, Manifestum autem fit sanguinem è renibus excerni, quòd ipsi ęgri excreti sanguinis transitum iuxta renum locum sæpe sensu percipiunt, & maxime quum urinę ammixtus sanguis reperitur. Contingit affectio hæc magis in ætate uigoris, præsertim iuuenibus qui licẽtius rebus uenereis utuntur. Quidam autem sanguinem ex renibus excernunt, propter uenę rupturam in renibus factã. Quemadmodum contingit his qui graue onus leuarunt, aut ualde saltarunt, aut ex alto ceciderunt, aut aliud quippiam tale uiolentum pertulerunt. Aliquando autem & ob acres ex supernis defluentes humores erosio uenarum contingit. Conandum igitur statim in principio, ut sanguinis impetus cohibeatur, præsertim in his qui eum secundum circuitum excernunt. Si enim ab exercitatione, ut dictum est, excretio contingit, non tuto cohibetur. itaq; uenę sectio in cubito commoda fuerit his qui per circuitũ sanguinem excernunt, paulo ante circuitum adhibita, eis uero quibus ob ruptam uenam promanat, statim in principio. Cæterum sanguinis detractionem partiri melius erit, ut paulatim eius reuulsio ac diuersio fiat. Loci autem circa renes spongĳs posca imbutis cooperiantur, aut lanis succidis cum rosaceo & aceto. Post hęc & emplastra imponenda cruẽtis uulneribus glutinandis apta. Commode etiam cucurbita adhibetur, præsertim si suspicio sit inflammationem adesse in his, qui ob uenæ rupturam sanguinem mingunt. Cõueniunt item potiones hæmoptoicis aptæ. Porrò ubi sanguinis excretio cessauerit, diæta utendum est, unde non multus sanguis gignatur, maxime in his qui per circuitum excreuerunt, & supernæ corporis partes assidue exercendæ. In his uero qui ob uenam ruptam sanguinem mingunt, si exulceratio in locis relinquatur, ipsam post sanguinis suppresionem curabimus per ea quæ in loco de exulceratione dicentur. Emplastrum renale. Ceræ sesquiunciam, croci staterem unum, uitellorum ouorum numero duo, palmarum numero decem, aceti & rosacei quantum satis est.

De calculosis renibus: Archigenis & Philagrĳ. Cap. IIII.

Renũ calculis homines prouectæ ætatis magis quàm pueri appręhenduntur: quemadmodum uesicæ calculis pueri frequentius quàm ætate prouecti. Causæ autem generationis horum calculorum assiduæ existunt cruditates, unde materiæ incoctæ ac crudæ multitudo congregatur, & ardor circa renes & uesicam exoritur, qui humores adassans eos cogit, & in lapidem indurat, ad modum toforum qui in aquis reperiuntur, quæ in æreis præsertim balneorum uasis coquuntur. Consistunt autem lapides in renibus iuxta uentriculos ipsorum aut parui, aut maiores: & aliquando quidem pauciores, aliquando autem plures: & magnitudine, & forma, & colore, & asperitate, & multitudine inter se differentes: nigri enim & subalbidi & pallidi reperiũtur. Ex eorũ numero rotũdi & leues facile excernũtur, nõ itẽ qui alia quacũq; forma pręditi sunt, maxime tamẽ oblõgi & asperi difficulter excernũtur. Accedit ęgris loci dolor, tumore nusquã foris apparente, nisi inflãmatio per lapillos producatur: spina ęgre flecti potest, & totũ corpus ad motũ pigrũ est: crura torpẽt, & maxime crus reni affecto propinquũ. Vrinę circa obturationis principiũ paucę, aquosę minguntur: postea uero perfecta earum suppresio cõtingit, aluusq; nihil excernit, uerũ prõptitudines multas ad egerendũ facit. Excernitur autẽ aliquãdo sanguis propter uiolẽtiã calculorũ, præsertim asperiorũ. Cæterũ ubi lapis ex renibus fuerit emotus, & ad uesicam delatus, urinæ multæ prodeunt arenosam subsidentiã habentes, & aluus similiter large egerit. Sensum autem æger percipit, ueluti calculo à renibus ad uesicam transeunte.

Cura

Cura renum calculosorum. *Cap. v.*

Quum lapis in renibus fuerit obturatus, & uehementissimos intulerit dolores, sanguinis etiam multitudo periculum minitantis materias ad tensione affectam partem aduocat, ob acutos uidelicet dolores. Vena igitur cubiti propinquae manus in corpore ex repletione affecto secanda est: uerum multo minus euacuandum est quàm ipsa repletionis copia expostulat: neque enim futurum speramus, ut omnino cito è renibus excidat lapis, praesertim si magnus existat: quare seruare oportet sanguinẽ in eam quę cum tempore futura est in corpore expensam. Itaque qui sanguinis multitudinem congregarunt, eis uenae sectio commoda existit: qui uero uitioso humore abũdant, eis purgatio apta est, quae abundanti humori conueniens erit, necq; omittenda haec est, nisi aliud quidpiam id fieri prohibeat. Post sanguinem euacuatũ aut expurgatum humorem, cõmunis ad omnes calculosos curatio quam infrà subiecimus adhibenda. Doloribus igitur repente aut paulatim irruentibus, & per arenularum cũ urinis excretionem auctis: deindecq; aquosis urinis excretis, & prędictis signis consequentibus aegri aluo per clysterem infundere oportet furfurum decoctum, caricarumcq; ac foeni graeci & aristolochiae: & si quidem decenter euacuentur, sinere: si uero non, etiam bis aut tertium infundere, atque id maxime si uenae sectae aut purgationis auxilium sit relictum. Caeterum ubi sufficienter excreuerit uenter, quaedã infundere oportet, quae corpusculorum circum lapidem sitorũ inflammationes lenire & laxare possunt: id ipsum uero oleũ anethinũ facere poterit, adipe gallinaceo recenti in eo eliquato, & maxime anserino, & phasiani, aut etiam butyro: quae si non adsint, etiam foenum graecum & altheae radicẽ oleo decocta infundemus. Insessiones item in balneis assumendae, ex decocto foeni graeci, altheae, anethi, artemisiae, caricarum, & oleo. Maxime uero assumẽdę sunt insessiões in balneis, & post hoc statim aegri in solium tepidius demittẽdi, atque id assidue facere non ab re est. Fomenta quoque locis admota commodant ex furfuribus, praesertim in praedictis decoctionibus incoctis. Post fomenta conueniunt cataplasmata ex farina tritici, cum semine lini & foeni graeci, mellecq; & oleo anethino aut gleucino, ita ut in decoquendo etiam altheae radicem cõtusam & cribratam cataplasmati inserciamus: in fine autem cocturae terebinthina quoque inijciatur. Optimum etiam cataplasma fit ex lupinorum farina in passo cocta, peucedani radice quàm tenuissime trita, & chamaemelo in puluerem redacto ad farinam lupinorum ammixtis. Bonum est & panem passo decoctum circa lumbos & uentrem imponere, neque tamẽ absurdum foret eadem cataplasmata uesicae ac pectini adhibere. Oportet autem coaceruatim alia super alia cataplasmata adferre, priusquàm primum frigescat: aut si id non libeat, calefactorio alio extrà contegere ne refrigerentur: id quod commode fieri potest per saccellos, aut alia uaporatoria cataplasmati imposita. Multis enim ad lapidis per urinam eiectionem haec sola suffecerunt: uerum tu etiam ea quae urinam cient praebibenda dato. Vrinam autẽ multam ducit, mei athamantici, phu pontici, acori, graminis, & nardi decoctum, calami aromatici, ammij, dauci, oreoselini, hyperici, rosmarini, asari, radicis asphodeli, radicis bryoniae decoctum, coccus itẽ tinctorius. Ex his singula eiscq; similia tum per se, tũ inuicem permixta data, urinam manifeste mouent. Crassa autem lotia ducit, radicis cardui decoctum, radicis rubiae farina potata, radicis capparis cortex, & similia. Exuscitat autem facultates ad excretionẽ irritando, alliũ, chamaedaphne, asparagi uitis albae, asparagus, tertium scillae decoctũ, primo ac secũdo diffuso. Deducũt aũt ad renes ea quę calculos cõfringũt, peucedani radix, bryonia, apiũ, radicula. Caeterũ lapides ipsos in renibus cõfringũt, ac atterũt, siõ, adiãtũ, bdelliũ, uiticis semen, oxymyrsines radix, radicis lauri cortex, paliuri semen, tribuli decoctũ, sarxiphagi, betonicę, radicis graminis, damasonij radicis, ciceris iusculũ, radix cyperi, lithospermõ, tecolithõ à liquefaciendo lapidẽ dictum, lappae, quae philanthropos & xanthium dicitur, semen quod in spinosis pilulis reperitur, & lithospermo assimilatur: asparagi palustris radices, uitrum combustum tritum, altheae semen & radix, rumicis domestici radix, pruni arboris gummi, ex spõgijs marinis lapilli, uermes terreni cocti: horum singula partim decocta, partim tenuissime trita, praebeto bibenda. Sunt & composita plurima lapidem frangentia, ex quorum numero utiliora in cura calculosae uesicae subiũgam. Porrò ea quę urinam cient ac lapidẽ frangunt, tunc exhibere conuenit, quum uehementes dolores remittunt. Transmoto enim lapide & ex sede agitato dolores quiescũt. Quòd si obfirmati sint lapides, plurimus potus uitandus, itemcq; ea quae urinam ducunt. fomentis autem & cataplasmatis ac insessionibus membra relaxãda, & uenter per infusa ac insessus euacuandus, ne ureteres meatus urinam ex renibus ad uesicam transmittentes comprimantur. Post haec autem doloribus aliquantulum lenitis, etiã cucurbitae utiliter ipsis adhibentur & praesertim pressius affixae, inflammatione uidelicet id non impedientẽ. Adeo enim coaceruatim transmouent saepe cucurbitae ipsos lapides, ut repente dolores supprimant, lapide nimirum in uesicae amplitudinem transuecto: quapropter in principio superne à rene cucurbitae sunt affigendae, & ad inguina adtrahendae oblique secundum meatuum qui ureteres appellantur situm. Caeterum si calidius sit aegri corpus, sitiscq; uehementer infestet: sit autem uniuersum corpus iã per uenae sectionem, aut purgationem, & efficacissimos clysteres praeeuacuatum, ac nulla superfluitate abundet, si quidem consueti fuerint ad frigidae potum, & nullum ex uisceribus debile existat, frigidam aquã frequenter & aceruatim aegro bibendam exhibuimus, & confestim corroboratis renibus, obturatum in ipsis lapidem expulerunt. In repletis autem corporibus & abundantibus superfluitatibus, & in his qui uiscera debilia habent, uitare oportet frigidae potum. Saepe autem delati ex renibus in uesicam lapides, & prae magnitudine circa collam uesicae detenti, in extremum periculum aegrum deducunt, tum propter dolorum acumen, tum quòd urinam excernere non permittunt. Decubitus igitur formam in talibus moliri oportet, ita ut supini situentur, & longe altiores coxarum uertebras habeant: deinde multiformiter eos commouere, quo omnibus machinamentis adhibitis lapidem ex ipso uesicae meatu excidere faciamus: pòst uero aegros iubere

iubere ut alacriter urinam eijciant, & eiecto lotio sinere: at uero ubi lapis non fuerit euacuatus, rursus mouere, atque hoc ipsum sæpe repetere. Quod si non euacuetur, catheter instrumentum prolectandæ urinæ aptum immittatur, quod pro ægri ætate congruenter sit moderatum: eoque humor educatur: post uero per potiones lapidem in amplitudine uesicæ existentem confringere ualentes, lapis ipse atteratur. Si uero ex uesica quidem excidat calculus, iuxta medium autem meatuum ipsius pudendi obfirmetur, & uulnerando exulcerationis periculum inducat, decoctum quoddã ex prædictis urinam ducentibus plurimum exhibendum est, iubendusque æger ut multam urinam congreget, eamque postea emingat ac diligentius expellat: ita enim detractus lapis celeriter excidere consueuit. Noui autem, inquit Philagrius, quendam in quo quidem aliàs lapis fuit progressus, non penitius autem quàm in summo pudendo fortiter obturatus, & parum abfuit quin homo periret, propter urinæ suppressionẽ, & maximũ dolorem. Angusta igitur uolsella ipsum lapidem extrahere non potuimus, quare sensim & quiete agitauimus perquàm tenui auriculario specillo. quum uero neque hoc modo eum extrahere possemus, secare statuimus, uulnusculo supernè iuxta glandis magnitudinem incusso. Inferne enim secare non expedit, quandoquidẽ ferè semper in fistulam proficit, ac postea per ipsam fissuram urina excernitur. Porrò ubi per urinam prodierit lapis, lac asininum melle modico mixtum præbeatur, & reliqua etiam diæta cõmodior, ueluti ad ulcera fieri consueuit, cõstituatur, ob uexationem uidelicet in locis ex lapide factam. Inde uero præseruare hominem oportet, ne rursus renes lapide infestentur. Smegma Archigenis, ad uesicam & renes affectos, ut arenam per lotiũ excernant, quo in balneis sudans utaris. Piperis, calcis uiuæ, sinapis, fecis uini ustæ, staphidis syluestris, nitri, adarces, pumicis, aluminis scissi, sulphuris uiui, æqualibus partibus utere. Ex oleo præillitis locis.

Diæta præseruans ne lapides renascantur. Cap. VI.

Maximi ad lapidis generationem præcauendam momenti, moderatus cibus & bonę concoctiones existunt: satietates enim & cruditates nõ solum exasperant morbum, sed etiam quum nõ sit, generant. quare ægros admonere oportet, ut à cœna sæpe uomãt, & absinthium assidue bibant, & per tempus certum conuenienti temperaturæ ipsorum purgatiuo pharmaco se per uentrẽ purgent. Cibos autem deligant è quibus neque satietates neque cruditates contingant: urinam etiam cientibus utãtur: pastinacam in dies edentes ualde percoctam, & fœniculũ, sion, carduũ, pulegium, calaminthen. Et ex marinis herinacios recentes, strombos, locustas, gammaros, & cãcros fluuiatiles: atque hæc quidem quotidiana sint, per plures autem dies radicis eryngij decoctũ bibant, similiterque trixaginis, & dictamni, ac radicis tribuli, reliquaque pharmaca lapidem atterentia partim iam prædicta, partim dicenda. Oportet autem ipsam etiam aquam per omnem uictum purissimam esse & percolatam: uinum item tenue, album, urinam ciens: exercitamẽtis uero utendum est mediocribus, & fricationibus in balneis ex nitro assato, & fece uini usta, ac pumice: psilothris item assidue utantur, ac reliqua adseruãte diæta, quæ in calculosæ uesicæ loco dicetur.

Vnguentum renale, Oribasij. Cap. VII.

Cyprini lib. III. ceræ lib. II. terebinthinæ lib. I. unguenti amaracini & laurini cuiusque lib. I. centaureę, castorij, satyrij, myrrhæ, piperis, euphorbij, cuiusque quadrantẽ: cyperi, pyretri, pulegij, cuiusque unciam I. subige, & in fine etiam opobalsami trientem ammisce. Quidam euphorbij sesquunciam tantũ adijciunt.

Aliud malagma: hoc exquisitũ est ad eos quibus renes aut uesica lapide laborant, inquit Archigenes: neque reperias aliud his affectionibus conuenientius.

Picis liquidę, italicas heminas duas & dimidiam, ceræ, resinę pinus, sulphuris uiui, cuiusque sesquilibram, nitri sesquilibram, pyretri sexũcem, fecis uini ustæ lib. II. nasturtij, italicum sextarium I. staphidis syluestris sextarium unum, galbani sexũcem. Liquescibilibus liquefactis arida trita infarcito. Emplastrũ renale: facit ad colicos & coxendices: est autem Asclepiadę. Ceræ trientẽ, styracis sesquunciã, aloës sesquunciã, croci, pyretri, opopanacis, galbani, thuris, cuiusque unc. I. ammoniaci thymiamatis sextantẽ, olei ueteris trientẽ. Apparatũ ac pro more subactũ confidenter usurpato, & miraberis, inquit Asclepiades. Aliquãdo uero olei tantum sextãtẽ conijcimus.

Diæta eorum quibus renes è lapide laborant, reliqui uero totius corporis habitus gracilis est: Philagrij. Cap. VIII.

Maligna corporis constitutio est in qua renes quidem lapidẽ generant, uniuersi uero corporis natura gracilis existit. Etenim quum lapide laborantes pharmacis & uictu indigeant attenuatorijs, hæc ipsa gracilibus corporibus maxime contraria existunt. Noui enim quendam qui ob renum ex lapide affectionem huiusmodi diæta usus, proprios digitos ægre mobiles, obtusique sensus, & ueluti strepentes ac exarefactos sensit: Medici autem ipsi familiares refrigeratos digitos ipsius rati, & resolutionẽ, quã paralysin Græci uocant, meditati, pharmaca ex euphorbio & adarce adhibuerunt: quorũ usu affectio multo peior reddita est, & accessiones semper ad superiores partes progressæ sunt: unaque uehemẽtissimos dolores intulerũt. Pòst uero ubi ęger me accessisset, inquit Philagrius, & quæ contigerant circa ipsum declarasset, auxilium meũ implorabat. quare diętam ei inueni, per quam citra omnẽ renum læsionem uniuersam corporis siccitatem sanauit. Ptisanę igitur succũ excogitaui, & ex piscibus in petrosis aquis degẽtes, itemque maritimos, & quæcunque alia nihil uiscosum habentia. Simili modo & ex uolucrum genere quæcunque cõsimilem habẽt carnem, ueluti sunt perdices montanæ, attagenes, sturni, turdi, & merulæ, & deinceps colũbæ in turribus habitãtes, & passerculi itidem in turribus nidos struentes ac habitantes, deinde etiam gallinæ in altioribus locis connutritæ. A lacte autem reliquorum quidem animaliũ abstinere iussimus, solo uero asinino uti indulsimus, & ut compendio dicam, media inter ea quæ impinguant & attenuant esse oportet, quæ his ciborum loco exhibentur.

De calculosa uesica. Cap. IX.

Generantur etiam in uesica lapides, pueris frequentius quàm ætate prouectis. uoraces enim pueri sunt, & perpetui motus, & cibis utcunque oblatis & nociuis utũtur, & neque horam cibũ capiendi seruant ordinatam: quinetiam prius quàm prior assumptus cibus concoqua

concoquatur, alium ingerunt: & quum uehementius à cibo moueatur, crudus & incoctus in uenas cibus distribuitur. Mollia autem sunt ipsorum corpora, & quae facile cedant, eiusq; rei gratia obturationem circa renes non perferunt. quum uero crassissima lotia in uesicae amplitudinem perferantur, ibidem ueluti uini fex, & limus aquae subsistunt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescunt. Caeterum aquae impurae, & multo limo refertae, itemq; duriores & uehementer frigidae, lapidum generationē adiuuāt. Lapides igitur in uesica obortos in principio subiectis pharmacis subducere conabimur.

Pharmaca, lapides uesicae atterentia, itemq; urinam ducentia. Cap. X.

Sunt & pharmaca quae lapides in uesica atterunt: porri semē, foeniculi syluestris radix, artemisia, chamaemelum, amaracus, altheae radix & semē, carpobalsamū, sion quod circa aquas nascitur, graminis radix, adiantū, phileterij radix, smyrnij semen, oxymyrsines radix & semē, rumicis radix, paeoniae grana fulua comesta, umbilici ueneris radix, leucanthemū, lapides spongiarū, amomū, tecolithon, lithospermon, scolopendra herba, lapis qui ab aegris per lotiū electus est tritus ac potatus, lappae herbę, quae xanthiū & philanthropos dicitur, semē: uermes terreni recētes cocti triti cū uino, aut cōdito, aut alio quopiā potu, ex uino & melle, propomatis nomine Graecis appellato, paliuri semen, amomum, quod ipsum & aquas lapidē gignētes depurgat, si cū ipso amygdalę amarę gummi coquatur: uitis lacryma, pruni arboris lacryma, hoc est gūmi, radiculae radix cum panacis radice & capparis cortice similiter lapidē per urinā eijcere facit: thuris granū cum uino mulso, abrotoni semē cum piperis pari modo ex uino. Horū unūquodq; cum uino albo datur decoctum, aut siccū inspersum, aut cum melle, aut cum quopiā ex uino & melle potu. Danda etiam in potu ea quae urinā cient: eis quidē qui calidiore habitu praediti sunt, cucumeris semen, apij, petroselini, hyacinthi bulbi semē, uiolae albę semē, croci radix, & similia quae ad calculosos renes sunt prędicta. eis uero qui temperiē corporis frigidiorē habent, his calidiora praebeto: quale est meon, phu, acorus, carpobalsamum, iris, & similia in renū affectionibus prędicta. Oribasij, ad calculosos renes & uesicā. Herbae prosopidis quā scordiā appellāt, & Romana lingua personatā, est aūt folio lato, similis symphyto, huius unc. I. piperis dra. I. iridis unc. I. tritā in uitro reponito. Datur inde cochlearij pleni mensura cū hydromelite: datur autem quarto quoq; die. Aliud Oribasij. Corticis radicis uerbasci decoctum large per dies quinq; bibendum ex ordine praebe, & interiectis decem diebus, rursus per quinque praebe.

Communia remedia uesicae & renum calculosorum. Cap. XI.

Acetum mulsum aqua tēperatum omnibus è calculo siue renum siue uesicae laborantibus exhibēdum est, qualicunque tandē temperie praediti sunt, & qualecunque sanguinē gignant: acetum itē scillinum. Carduus etiā frequēter exhibēdus est. Oportet aūt radices eius recēs è terra extractas, si tempus ita ferat, aut aridas iuxta aliud anni tēpus, in uino albo substātia tenui decoquere, & largius eā potionē offerre. Crassę enim urinae copiosam multitudinē ducit, tum ex omnibus uenis, tum ex calculosis partibus detractā. Carduus igitur secundum totius substantiae suę proprietatem, & pro priuati tēperamenti facultate, uim crassos humores detrahēdi habet. Oribasij. Commodae sunt etiam calculosis, cicadae aridae tritae, potu inspersae tum per se, tum cum nardi spica. congruenter autem miscetur ad cicadas duas & dimidiam, nardi drac. I. Dato ex eis per dies nouem: primum, cochlearium unum, deinde II. postea III. deinde rursus II. & post I. hoc modo progrediendo, donec nouem ex ordine potiones fiant, I. II. III. II. I. II. III. II. I. De passerculo. Sunt & alia quae aliam naturam habent, & per hanc ipsam praedicta efficacia praedita sunt: quali sanè praestat passer troglodytes appellatus: est autem passerculus minimus iuxta sepes & muros uictum quaeritans, estq; hoc animalculum omnium auicularum minimum, ea excepta quae regulus appellatur: similis est autem regulo in multis, praeterquàm quòd in fronte auricolores pennas non habet. est etiam troglodytes passer regulo paulo maior & nigrior, caudamq; semper subrectam & albo colore retro interpunctam habet: magis itē garrulus quàm regulus est, & sanè iuxta summum alae lineamētum cinerei amplius coloris. breues itē uolatus facit: naturalem autem uim omnino admiratione dignam habet. Itaq; sale conditus & crudus in cibo acceptus, morbum perfecte sanat: & noui adeo quosdam ob eius usum nunquā amplius ab affectione uexatos. Conditur autem optime pennis euulsis, atq; inde largo sale adobrutus, & postquam fuerit arefactus comeditur, & affectionē perfecte sedat. Melius autem est etiam aliter ipsos edere si plures contigerint, coctos nimirum, eius praesertim generis quod per hyemem ubiq; apparet. Exhibetur autē & alio modo. Passerculus non deplumis in ollulam conijcitur, ac deinde operculo addito uritur, animaduersiōe assidua habita, ne fallaris quum in cinerem sit redactus, & in aërē exhalans per exustionem totus consumatur: consueuit enim hoc contingere tum ipsi, tum alijs quę uruntur: quapropter praestat ollae operculum non oblinire, ut per interualla quędā operculo adempto ustionis modum intueamur. Exhibendus est autem semel omnis unius passerculi usti cinis per se, aut modico phyllo & pipere ammixto, quo saporis iucunditate ori commēdetur. Vstus itaq; passerculus peregre proficiscentibus commodus est, licetq; melle cocto exceptum in promptu habere. Melior autē mihi uidetur condiendi modus, atq; adhuc dictis pręstantior, si quis praeeuulsis pennis uiuum passerculum sale adobruat. quod & ego facio, inquit Philagrius. Arbitror enim & sanguinis naturam quiddam in se complecti, quod minime uulgariter prosit: cui amplius stercoris efficacia accedit, quam exustione debiliorem reddi planè credo. Proderit etiam eis qui abundant assatos edere integros, ita ut nihil ex eis pręter pēnas abijciant. Atq; haec quidem sunt quę secundum proprietatem totius substantiae efficacia existunt. Caeterum non minus generose etiam compositae facultates calculi affectionem in renibus & uesica deterunt: prius autem quàm ad eas progrediar, unius simplicis pharmaci mentionē faciam ualde celebris, quod perfectam affectionis destructionem promittit, & quodam modo ad ea quae ex proprietate totius sub

stantiæ operationem faciunt accedere uidetur. Habet autem hoc modo. Pharmacum simplex ad calculosos, cui Marcianus testimonium præbet, medicus Apher. Leporis pellem in ollulam conijce, & in furnum demitte, atq; ubi usta fuerit, ut probe conteri posit, acceptam tere, & ex ipsa cochlearium unum cum uino ieiunis in solij calidæ aquæ inscensu præbe. Si uero uelis experimentũ pharmaci ipsius accipere, ex eo in uinum conijce, & in uinũ item lapidem ex flumine acceptum inijce, & cõtectum per paucas horas sine, & in grumos lapis dissoluetur. Presbyteri Indi pharmacum ad calculosos, quod itidem externum lapidem in grumos resoluere posse quidam aiunt, quemadmodum id quod præcedit.

Acori, phu, hyperici, cuiusq; drachmas sex, seminis porri drachmas XII. spicæ nardi drachmas decẽ, casiæ, lithospermi, cyperi, cuiusq; drachmas XXV. excipe melle. Datur magnitudine fabę. Aliud, quod lapidem celerrime per urinam expellit. Alliorum unguiculos siue nucleos septem, piperis grana nouem, contere simul quàm tenuissime, & cum uino albo ueteri adstringente, pro una uice in balneo bibendum præbe, ubi ad calidum eius locum fuerit ingressus. A dolore quidem hoc ægrum liberat: aliquando autẽ & lapidẽ post unicã potionem exigit.

Oribasij nephriticis. Acori, mei, phu, asari, sarxiphagi, piperis nigri, seminis rutæ, betonicæ, spicæ, nardi, piperis albi, singulorum æquales partes accipe: & ex eis siccis cochlearium cum uino adstringente aut aqua prębe. Aliud, Oribasij ad affectionẽ renũ, quod & somnũ inducit. Anisi, apij, petroselini, spicæ nardi, piperis albi, nigri, & longi, singulorum drachmas decem, cinamomi drachmas octo, myrrhæ drachmas quatuor, opij drachmas quatuor, castorij, sisonis, dauci, cuiusq; drachmas duas, seminis hyoscyami sesquidrachmam, sarxiphagi, rhei, betonicæ, casiæ, cumini, seminis cucumeris decorticati, cuiusque drachmam I. excipe melle, & nucis ponticæ magnitudine præbe ex aqua calida. Facit & ad ulcera. Aliud eiusdem celebre. Piperis nigri, albi, longi, sarxiphagi, betonicæ, petroselini, asari, nardi celticæ, spicæ nardi, omnium æquales partes misce. Dato drach. I. cum condito calido temperatam.

De hircino sanguine. *Cap. XII.*

Sanguis hircinus tum ad nephriticos, tum ad calculosos præsens remediũ: nam & præexistentes lapides soluit, atq; ita per lotium excerni eos facit, ut etiam alij amplius non gignantur: pręterea & dolorem sedat. Colligitur autem hircinus sanguis hoc modo. Quum uua maturescere cœperit, ollam nouam accipito, & infusa in ipsam aqua, donec terreum deposuerit olla coquito: & accepto è grege hirco ætate matura, plus minus quatuor annorum, eũ mactato, eiusq; sanguinẽ medium olla excipito, ita ut eũ qui primũ effluxit, itemq; postremũ penitus relinquas: medium autem inspissari sinito, & in olla situm per acutam arundinem in multa frusta dissecato: indeq; reticulo denso, aut linteolo raro, aut cribro arctiore cõtectum sub dio exponito ut insoletur & roscidus fiat, cauendo ne hymbre cõmadescat: porrò ubi exiccatus fuerit, eum diligenter terito, & in pyxide adseruato, & remittente malo cochlearium plenum cum passo cretico exhibeto. Cognominatur autem pharmacum hoc Theu chir, hoc est manus dei. Huius & nos, inquit Philagrius, in breui tempore non aspernandum periculum fecimus. Aliquãdo autem odoris commendandi gratia parum folij, aut amomi, aut similium ammiscemus. Ego, inquit, hoc pharma cum cum troglodyte passerculo permixtum, cuidam penitus nihil lotij eijcienti post magnos dolores exhibui, & permagnum lapidẽ attritum ab eo expuli. Antidotus Iuliani diaconi, cuius frequens periculum meo tempore fecit: calculos enim & in renibus & in uesica confringit, & paulatim per lotiũ expellit: facit ad comitiales probe: ducit menses ob densitatem aut frigiditatem restrictos. Osium ceruinorum ustorum quadrantem, castorij, piperis albi, agarici, acori, ammij, casiæ, amomi, sarxiphagi, corticis capparis, radicis panacis, calaminthæ, coaguli leprorini, serpilli, petroselini, singulorum unc. I. mellis quãtum sufficit. Datur nucis ponticæ magnitudine: ad renum affectionem & menstrua purgamenta, cum uino mulso: ad comitiales, cum frigida aqua: ad bestias uirus eiectantes, cum uino. Antidotus ex hircino sanguine. Componitur ex hircino sanguine antidotus huiusmodi. Sisonis scrupulos XII. spicæ nardi scrupul. XII. piperis communis scrup. XII. piperis longi scrupulos XII. cumini ęthiopici scrupulos VI. petroselini, dauci, rhei pontici, croci, caroi, ligustici, myrrhę, acori, cuiusque scrup. XII. sanguinis hircini exiccati, ueluti prædictum est, scrupulos XXXVI. mellis despumati quãtum satis est. Datur auellanæ nucis magnitudine condito calido temperata; datur autem in balneo in calidi solij inscensu. Alia, Archigenis: celebre & clarum est, inquit, ad calculosos & hoc quo utor: hac antidoto inquit, usus est etiam Philotimus & Iustinus. Spicæ nardi drachmas decem, croci drachmas octo, myrrhæ drachmas quinque, castorij drachmas quatuor & obolos totidem, casiæ, floris iunci odorati, cinamomi, cuiusque drachmas quatuor, alij drachmã unã tantum habent, costi drachmas duas, scordij, polij, cuiusque drachmas tres, asari drachmam unã & obolos quatuor, mei drachmam unam, piperis albi & longi, dauci, petroselini, opobalsami, rosarum siccarum, singulorum drachmam unam, carpobalsami obolos quatuor. quidam etiam sanguinis anatis fœminæ drachmas duas, & succi radicis dulcis drachmas duas addunt. Excipe melle despumato, & fabæ magnitudine præbe cum uini mulsi diluti cyathis duobus, aut aqua calida. hanc etiam Oribasius commendat.

Antidoti uariæ ad calculosos. *Cap. XIII.*

Archigenis. Spicæ nardi, seminis apij, dauci, cuiusque drachm. quatuor, aluminis scisi drachmam unam, cinamomi, casiæ, floris iunci odorati, cuiusque drachmam unam, croci obolos tres, myrrhæ tantundẽ. Trita cum uino œnanthite subige, & cum uino mulso obolum unum præbe. Præclarum, inquit, huius pharmaci experimentum feci, neque præstantius aliud reperias, neque ad huiusmodi affectionem destruendam, neque ad lapidis coactionem prohibendam, neque ad iam compacti attritionem, neque ad defecationem, neque ad eductionem & repurgationem limosæ in urinis fecis: coadiuuante præsertim diæta, quæ potissima præseruatiuæ facultatis pars est existimanda. Philagrij pharmacum ex damasonio constans, quod secũdi ordinis esse dicit.

Dama

Damasonij drachmas decem, seminis dauci drach. sex, radicis dauci drachm. sex, radicis herbæ lanariæ, corticis radicis capparis, cinamomi, cuiusque drachmas sex, casiæ drachmas octo, betonicæ, piperis, cuiusque drachmas octo, nardi celticę, iridis, acori, asari, seminis fœniculi, petroselini, cardamomi, spicæ nardi, cyperi, costi, sarxiphagi, seminis apij, myrrhę, seselis, radicis panacis, zingiberis, piperis albi, cuiusque drachmas quatuor, lapidis syrici masculi drachmas sedecim, lapidis fœminæ drachmas sedecim, seminis smyrnij, lincurij quod succinum itemq́ electrum appellant, cuiusque drachm. XVI. seminis erucæ drachm. XVI. mellis quantum sufficit. datur nucis ponticæ magnitudine cum radicis asparagi palustris decocto, aut floris iunci odorati, aut radicis dulcis. Datur à balneo. Aliud Philagrij, ex damasonio pharmacum, quod tertij ordinis esse ait in lapide atterendo. Facit & ad renum affectiones. Damasonij drachm. XXIIII. seminis dauci, radicis herbæ lanariæ, corticis radicis capparis, casiæ, nardi celticæ, cuiusque drachm. VI. alij drachmas XVI. habent, iridis, mei, asari, fœniculi, cardamomi, cyperi, petroselini, costi, seminis apij, myrrhæ, croci, cuiusque drachmas II. seselis drachmas IIII. radicis panacis drach. IIII. quidam & zingiberis drach. IIII. & piperis itē drachm. IIII. addunt, mellis attici quantum satis est, excipe, & utere quemadmodum prędictum est.

Oribasij, ex libris ad Eustathium, antidotus Xenophili. Facit ad uesicā & renes calculosos & exulceratos. Atterit enim lapillos, & ulcera sanat. Casiæ unciam unam, sarxiphagi trientem, betonicæ, cyperi, petroselini, costi, tribuli, seminis uiticis, lithospermi torrefacti, cuiusque sextantem, seminis apij sesquiunciam, phylli, spicæ nardi, asari, dictamni, baccarum lauri, seminis ocymi, singulorum unciam unam, zingiberis drachm. IIII. nucum pinearum quas strobilos Græci uocant sexuncem, mellis lib. II. in balneo exhibeto, aut ante balneum ex uino mulso aut passo chrysatico magnitudine fabæ.

Andromachi antidotus ad calculosos, quæ paulatim confringit & extrudit lapides, donec uesicam perpurget, & pellucidum lotium procedat: & quod maximum est, ita persanat, ut nec in posterum gignātur. Habet autem hoc modo. Seminis dauci, anisi, seminis cucumeris decorticati, seminis apij, petroselini, myrrhæ, cuiusq́ sesquidrachmam, casiæ, cinamomi, nardi celticę, cuiusq́ drachm. I. trita aqua subigito, & ad paruorū lupinorū formā redigito, ieiunis aūt quotidie per dies triginta cū aquę cyathis tribus exhibeto. Cęterū ad huius pharmaci apparatū religiose, inquit, accedēdū est: in lignea enim pila, & pistillo itē ligneo hęc cōtundēda sunt: oportetq́ amplius eum qui hæc contundat neq́ annulum ferreum gestare, neq́ calciamenta clauis ferreis transfixa, atq́ id ut mysterium habe. Asclepiadæ ad calculosos compositio. Carpobalsami, lapidis qui in spōgijs reperitur, pulegij sicci, seminis maluæ syluestris sicci, singulorum ęquales partes contusas & cribratas reponito, indeq́ cochlearium unū cum uini diluti cyathis tribus prębeto. Alia compositio celebris. Electri siue succini unc. I. lapidum qui in spōgijs reperiuntur unciam unam, sarxiphagi unc. I. Dantur ex ea scrupuli duo quomodocunq́ uelis. Pharmacū ex cardamino ligno ualde celebre. Spicæ nardi, piperis, hyssopi, tecolithi, cuiusque unc. I. piperis albi scrupulos XVIII. casiæ scrupul. IX. helenij siue inulæ scrupulos V. scobis eboris scrupulos XII. ligni cardamini scrupulos XII. mellis quantū sufficit. datur ex eo oboli tres cum condito, aut aqua mulsa. Aliud laudatum. Seminis brassicæ drachmas VI. cyperorum, petroselini, electri, piperis singulorū unciam unam, mellis quantū satis est. datur nucis ponticæ magnitudine cum condito febre carentibus, aut cum aqua mulsa. Aliud. Cucurbitam aridā exure, & cineris cochlearium unū, ut uelis bibēdum præbe: aut catapotia ex cinere formato ac exhibeto, & celerrime per lotium calculum extrudet. Aliud, quod calidioribus præcipue conducit. Ex portulaca succum exprimito, eumq́ resiccatum in catapotia redigito, & drachmam I. exhibeto, ad miraculum usq́ lapidem per urinam expellit. Aliud. Cancros III. aut V. aut VII. impari solum numero sub testa uiuos exure, & contriti eorum cineris cochlearium I. cum condito præbe: eoq́ calculosos renes sanabis. Aliud. Phu aqua ferue factum bibendum præbe, omnesq́ lapides educet: quòd si Mithridatis compositione abūdes, eam quæ scincos admixtos habet, unà cū decocto præbe. Experimento cōstat: utere. Conditum Oribasij. Vini sextarios duodecim, mellis sextarios duos, piperis sesquiunciam, sarxiphagi, betonicæ, mei, phu, spicæ nardi, petroselini, casię, cuiusq́ sextantē. Aliud conditum, ad uesicæ lapides accommodatū. Sarxiphagi, spicæ nardi, cuiusq́ drach. IIII. piperis unciam I. carpesiæ, zingiberis, mei, asari, casiæ, sisonis, petroselini, acori, dauci, singulorum drach. IIII. mellis sextarium unum, uini sextarios IIII. aut V.

Aliud renale. Spicæ nardi, phu, sarxiphagi, betonicę, asari, lithospermi, petroselini, cuiusque unciā unam, costi unciæ dimidium. Ex hoc arido cochlearium unum in conditum mitte, idq́ æger hora ante prādium bibat. lapides atterit, & per urinam expellit, neque amplius cogi lapidem permittit. Aliud Oribasij conditum renale: facit enim ad inueteratos renū dolores, & ad difficultatem emittēdi urinā ex uesica, ad strangulationem item ac urinę suppressionem, ad eorundem etiam membrorum frigiditatē: callosas duritiés extrudit, lapides confringit, & ad alias affectiones eodem modo probè facit. Sarxiphagi drachmas duas, betonicæ drachmam unam, petroselini scrupul. VI. spicæ nardi scrup. III. phylli scrupul. III. rhei scrupulos III. irionis scrupul. VI. piperis scrupulos XII. mellis sextarium unum, uini boni sextar. IIII. Aliud pharmacum renale. Zador, id est, zeduariæ, galangę, ligustici, seselis, cardamomi, piperis longi, piperis albi, cinamomi, zingiberis, seminis smyrnij, careophylli, phylli, stachyos, myrobalani, phu, costi, scordij, silphij siue laserpitij, rhei barbarici, pæoniæ: alij etiam arboris nucis uiscum & paliuri semen, itemq́ sarxiphagum ac casiam addunt. Ex his singulis stateres duos cōmisceto. Datur cū cōdito aut uino uetere ad balneū ituris, & sine balneo, uesperi similiterq́ mane. Absinthaton renale, ualde bonum. Petroselini unc. I. sarxiphagi scrupul. XII. betonicæ scrupulos XII. seminis irionis sesquiunciam, spicæ uardi scrupul. VI. phylli scrup. VI. rhei pontici scrupulos VI. calami aromatici scrupulos quinq́, dictamni scrupulos III. mellis

sextarium unũ, uini sextarios quinque praebe medio cris proculi mensura ieiunis. Pharmacum lapides in renibus atterens, adeo ut in una die commoditatẽ suam ostendat. Abrotoni drachm. VIII. croci dra. VIII. herbae anthyllidis drachm. XVI. foliorum rutae uiridium drachmas XXXII. Probe contrita in pastillos digerito, & ex eis drach. I. cum aceto mulso praebeto. Vtere ipso, inquit, assidue: mirum enim quanta utilitate praestet.

Cura eorum in quibus lapis atteri non potest, neque itẽ per lotium excerni. Cap. XIIII.

Quòd si uesicae lapides per lotium excerni nõ queant, sed in meatu sint obturati, & urinae suppressionem inducant: aegrum supinum decumbere, ueluti dictũ est, oportet, ita ut coxarum partes magis sursum uergant: indeque huc atque illuc multiformiter cõmouere, quo ex meatu excidat, pòst uero ita adhuc supinum & positu sursum uergentem mingere iubere. si uero neque sic excernere possit, per catheterem instrumentum urinam prolectare. Quòd si ob lapidis asperitatem uesica incidatur, & ex hoc subcruenta mingant, aliquãdo uero purulenta, & submucida, illis ipsis siue mingant, siue non mingant, plus quàm aliis dolorum adest. caeterum in potu exhibenda sunt his pharmaca quae lapidem atterere praedicantur, & ulcera ipsa sanãt. quibus uero ulcera nondum sunt oborta, lapides autem in uesica detinentur, hi pellucida & tenuia ac aquosa mingunt: quin & arenã subsidentẽ urinae habent, & in lotii eiectione dolores augescunt. Quòd si neque per haec adhibita pharmaca lapis in uesica atteri possit, ad sectionem trãseundum, quę pro more infernè fiat, atque ita lapis subtrahatur & fissura quàm diligentissime carne repleatur, cicatrixque inducatur, ne fistula per successum oboriatur.

Diaeta post exactos lapides, adseruans ne alii renascantur: & de affligentis humoris cognitione ex lapidis colore. Cap. XV.

Post exactum lapidem, & cicatricem ulceri obductam diaeta constituenda est, ne eos renasci cõtingat. Coniectura etiam facienda tum ex aliis, tum ex exacti lapidis colore, cuius humoris materia in corpore abũdet, ex qua adeo lapides cogantur. alii namque subalbidi apparent, atque hi pituitosiorem humorem ostẽdunt: alii uero pallidi sunt, & bilem abundare demõstrant: alii autem coloris testacei sunt, ob superassatam uidelicet à plurimo calore bilem: alii nigri, qui atrę bilis humorem exuperantem declarant. Omnes igitur quomodocunque calculosi à coena assidue uomant, neque quicquam feruens in cibo sumant, quod renes & uesicam excalfacere possit. Cauere autem conuenit cibaria substantiae durae, & quae aegre manducatione atteruntur: itemque ea quae multam substãtiam habent, plurimumque similiter nutriunt, & quae aceruatim digeruntur antequàm perfectè concoquãtur: grauis item qualitatis, & quae difficulter cõmutantur, ac supernatant, & ęgrè per aluum subeunt, ac inflant: item quę meatus obstruunt, aut aliàs diutius in corporibus insident: ex huiusmodi enim cibis uẽter labore fatigatus, ipsos aut crudos aut semicoctos ad hepar & renes digerit, atque ita quod crudum cumulatim allatum est, ineptè praeterque naturam excolatur, & cum tumultu ad renes progressum, statim coactum inspissatur ac restitat. Quare omne lac praeter asininum eis incommodum existit: hoc enim inquit Archigenes, & substantia tenuissimum est, & facultatis facilimè dissoluẽtis. igitur mirabiliter articulorum tumores & nodos (quos & callosae duriciei modum ex uitiosi lactis usu pueri sustinere coguntur) leuigat & delet. unde admonendum duxi, ut ipsum calculosis assiduè heminae mẽsura exhibeatur, post matutinas deambulationes, atque id adseruandi à lapidis generatione gratia prae omnibus aliis fiat. Potus aliàs sit aqua calida, fontana, pura, defecata, leuis. Vinum autẽ tenue, urinam ciens, nõ ualde uetus. Dulcia enim uina calculosis sunt nociua. Porrò ut compendiò dicam, omnis dięta in frigidiore temperatura praeditis, exquisitè attenuatoria sit: in calidioribus uero, inter attenuatoria & impinguãtia media. satietatem uero prae omnibus aliis uitare oportet, dulcium praesertim & ex caseo cõflatorum ciborum: unde & cruditatem infestissimam eis censere oportet: in quam si quando incidant, impastos & absque cibo manere decet. Frigora quidẽ magis quàm aestus cauenda. In temperatis uero locis degant in quibus anni tempora & horae nimio feruore non infestent. Assumantur etiã ociosae deambulationes, & exercitia moderata, segnities enim & ociũ eis nocẽt. Caeterũ uentrem semper probè laxũ habere oportet: hic enim si bene subierit, puriora lotia prodibunt. Vnguentis utantur quae locos defendere queant, ne facilè grauius oblaedantur: epithemata etiã cutem rubefacientia, itemque lancinantia, dropacesque & sinapismi adhibeantur. Malagma autem exquisitum hoc est, neque facilè reperias aliud, inquit Archigenes, ad huiusmodi affectiones magis accommodatũ. Picis liquidae heminas II. & dimidiã, cerae sesquilibram, resinae pinus sesquilibram, sulphuris uiui sesquilibram, staphidis agrestis bessem, galbani sexuncẽ. Liquescibilia eliquantur, & inspersis aridis tritis, simul optimè subacta & unita imponuntur. Varosa asperitas ex hoc inducta mucũ plurimũ ducit, & pruritum non malum facit, adeò etiam ut uolupe sit, si per resolutionem refrigeretur. Quòd si aliquãdo leuis molestia inde oboriatur, cerato eam lenire oportet per unã diẽ, ac deinde rursus eadem imponere. Cõuenientissimũ etiam renibus est, si super uẽtris locum idem malagma imponatur. Sinapismi item calculosis apti sunt, & naturaliũ aquarũ usus: lauent autem non saepe, ungantur autẽ frequenter. Curiose etiã temporis oportunitas dispicienda est, ut uenam secemus, si quidem sanguis abundare uideatur, aut ut purgationibus conuenientibus utamur in eis quibus uitiosi humores coaceruantur. Bibant autem & ea quae urinam cient per interualla quaedam tum simplicia, tum composita praescripta: in huiusmodi enim omnibus quicquid modicè relictum est, facilè ad debitam commutationem deuenit. Aiunt autem quidam terram ex latere ueteri tritam cum uermibus terrenis, & pectini crassius illitam, praeparare ut lapis in uesica aut renibus per lotium eiiciatur.

De renum inflammatione Rufi. Cap. XVI.

Ob plurimas causas renes inflammantur. nã & humores corrupti, & plagae, & attritiones, & pharmacorum potiones inflammationẽ generant, & praesertim equitationes continuae & uehementes. Accedit ęgris dolor pulsatilis retro iuxta primum dorsi uerticulum, paululum supra spurias costas, distendit autem dolor

tem dolor sursum usque ad hepar, præsertim dextro rene affecto, deorsum uero usque ad uesicam & pudendum, lumbosque & coxendices, pectinem item ac femora. consequitur etiam stupor propinqui cruris, & neque rectà erigi possunt, neque pedibus ingredi, & siue sternutatio, siue aliqua alia concussio irruat, uehementi dolore lancinantur. frigent eorum extrema, & magis suræ ac pedes: adest urinæ emittendæ difficultas, minguntque asiduè ac laboriose, in principio quidem tenuia & aquosa, in quibus nihil subsidet, inflammatione uero in peius proficiente, rubicundiora, deinde etiã crassa & mucosa, adsuntque febres uehementes. Quòd si adhuc amplius inflammatio augescat, hęc omnia itidem fiunt uehementiora. His accedit nausea, & stomachi morsus, & uomitus bilis. Quidam autẽ ipsorum usque ad animi deliquium anguntur & exudãt. Sistitur ipsis uenter adeò ut inflentur, & asiduè ructus emittãt. Sequitur fastidiũ uehemens, & quibusdam continuę fiunt exacerbationes: quibusdã uero per interualla, in uniuersum autem uentris egestio, & urinæ multa excretio dolores ipsos præcedunt. Noui autem ego quẽdam, qui post uehementem uexationem animo linquebatur multumque exudabat: ubi autem restitutus sibi animum recepisset, simul ab omnibus molestijs liber euasit. Renes igitur inflammatos hoc modo curare oportet. Aegrum in lecto mollisimo decumbere oportet, ac primo die à cibo abstinere, non tamen in multos dies inediam extendere. Vrinæ enim puriores & acriores per inediam redditæ, uehementissimos morsus infligunt: itaque in principio sorbitionibus tenuibus morsus lenientibus connutrire oportet, & aquæ calidę potu. Aquã uero mulsam in principio non laudo, priusquàm concoctæ & consumptæ fuerint inflammationes: neque item eorum quæ urinam cient usum: oblędunt enim mordaces humores inflammatis partibus inducendo. neque etiam purgatiuum pharmacum exhibendum, ueluti quidam cõsueuerunt. Per clysterem autem maluæ decoctum, aut seminis lini, & fœni græci, cum oleo infundendum, ammixto etiam melle, aut ptisanæ succus cum oleo & melle. Cæterum copia non multa infundatur, ne repleta intestina comprimant renes: ubi uero stercora prodierint, & intestinum fuerit euacuatũ, oleum injciatur anethinum aut gleucinũ cum butyro, eliquatis in his adipibus quibusdã, anserino uidelicet aut gallinaceo, aut medulla ceruina. Subeunte autẽ uentre, incumbentẽ lanam ex oleo calido asiduè irrigare oportet: melius tamen fuerit si anethũ, ruta, althea, & artemisia, oleo sint incocta. Porrò si adhuc maiori acumine renes affligãtur, & uehemẽtior exurgat dolor, uenam cubiti secare cõuenit, sanguinis detractione repetita, & si post id auxilij aliquid ex inflammatione relinquatur, ad cataplasmata procedendum, primum quidem ex farina in aqua mulsa cocta, aut ex semine lini, postea etiam ex chamæpity, polio, abrotono, trixagine, asaro, iũci odorati flore ammiscendũ, atque tum nõ amplius in aqua mulsa cataplasmata coquẽda sunt, sed in passo. Mixturæ autẽ modus sit, ut ad farinæ partes IIII. quorũdam ex prædictis pharmacis partes II. cõmisceãtur. Bonum est & hoc cataplasma. Galbani, terebinthinæ, farinæ erui, cuiusque drachmas quinquaginta, iridis drachmas IIII. cerati ex gleucino, aut amaracino, aut irino, aut cyprino, aut aliquo consimili oleo apparati libram unam, farinæ triticeæ sextantem passi cretici quãtũ satis est. Apparato, ac supra ilia ac lumbos imponito. Facit idem ad uesicam inflammatam, si pectini imponatur. Quòd si per cataplasmata dolor non leniretur, cucurbita lumbis ac ilijs est adhibenda, & fissuris impactis plurimus sanguis attrahendus, deinde spongiarum fotu utendum, & in calidam aquam desidendum, in qua calamus aromaticus, chamæmelum, flos iunci odorati, semen lini, anethum, maluę syluestris radices sint incocta. Prius autem & uesica ingens aqua & oleo semiplena ipsis locis imponatur, fomentis etiam pinguioribus admotis, postque etiam ceratis: quin & malagmata amplius imponenda. cerata quidem conueniunt ex cyprino aut irino apparata: malagmata autem odoratissima sint, qualia sunt hepatica ex styrace conflata. Cæterum dolore affligente bibenda sunt pharmaca quæ dolorem leuant: eiusmodi sanè. Calicis papaueris tosti oboli dimidium, styracis tantundem, thuris obolum unum, seminis cucumeris grana uiginti, seminis apij quantum tribus digitis comprehendi potest, opij ad erui magnitudinẽ. Hæc omnia quàm tenuisimè terito, ac cum aqua dulci permixta pro uice una exhibeto. Statim enim quiescet dolor, & obdormiet æger. Conferunt item consimiles pastilli dolorem leuantes. At uero ubi perfectè concoctæ fuerint inflammationes, & quieuerint dolores, tunc etiam per urinam cientia purgandum: ueluti sunt acorum, meon, phu, petroselinum, gramen, casia, chamæpitys, polium. Horũ unumquodque ex aqua coquendum est, & cum uino & melle bibẽdum. Cibi autem post concoctas & consumptas inflammationes exhibendi, sunt panis optimus, maximè clibanites: ex uolucribus, montanæ: ex marinis, herinacei recentes: ex oleribus, fœniculum, apium, daucus, & syluestria omnia, & cucumis coctus. Hæc enim optimè urinam prolectant: maximè uero id præstant pastinacæ probè percoctæ, & crithma, & scandix, & gingidia. A concoctis inflammationibus urinæ his prodeunt multæ & crassæ, & in quibus bonum est quod subsidet, atque hæ ipsæ maximè iudicant ac secernunt morbum: aquosę autem mictiones & puræ ac pellucentes, ægrè morbũ secerni indicãt.

De duritie renum. *Cap. XVII.*

Quæcunque duricies circa renes oboriantur, dolores quidem non amplius inferunt: ęgris autem ex uacuo uẽtris loco ueluti quippiam pẽdere uidetur, & stupor adest coxendicũ, & impotẽtia crurium, mingunt que pauca, & reliquo corporis habitũ aqua inter cutem laborantibus maximè similes existunt. Quidam etiam temporis progressu manifestè hydropem incurrunt, ueluti etiam ab alijs uisceribus induratis cõtingit. Hos itaque ceratis & malagmatis, itemque fricationibus ac pinguibus fomentis remollire oportet, & urinam ducentia eis exhibere. Ventrem item ex altheæ, fœni græci, & caricarum decocto subluere, melle & nitro ac oleo ijsdem adiectis. Ad noctem item infusa per clysterem conueniunt, oleum anethinum cum butyro & adipe anserino.

De suppuratis renibus, Rufi. *Cap. XVIII.*

Quibuscunque renum inflammationes ad puris permutationẽ uertuntur, his omnes in renibus inflammatis prædictæ accesiones extendentur, & febres cum horrore

horrore irruent, atque id maximè circa uesperam. Iam uero & tumor quodammodo circa ilia apparet, & uehementis caloris sensus ipsos circa renes affligit: minguntque rufa & pura. Vbi uero suppuratio fuerit perfecta, tunc & febrium & dolorum accessiones minores contingent, & grauitatis sensus magis circa affectum renem infestat: tempore rupturæ magis exacerbãtur, ad quam etiam humorum excretio cum ipsis urinis consequitur, inuehuntur & sordes quædam ex substantia renum elotæ. ut plurimum enim ad uesicam ex renibus erumpens pus defertur, quod sanè conducibile putandũ est. Aliquando autem & ad intestina eruptio deuoluitur, & per sedem pus euacuatur. Quibusdã uero neque in totũ suppurata erumpunt, sed circa renes per multũ tempus consistunt, donec cautere adhibito aut alio modo forinsecus apertionẽ & eductionẽ moliaris. Igitur postquã abscessus signa apparuerint, quàm celerrimè adiuuare oportet tũ suppurationẽ, tum puris eruptionẽ. Qua in re spongię aqua & oleo, itemque surfuribus imbutæ assiduè proderũt fotus gratia admotę. eundem usum etiã cataplasmata præbẽt, ex farina ordeacea cum ficuum & altheæ ex aqua mulsa decocto, aut ex cretico passo. Bonũ est & ipsas ficus ammiscere tritas, & absinthij contusam, aut chamelæam, aut irin, & bryoniam: addatur & terebinthina, pix, mãna thuris, thus ipsum, columbæ stercus, polium, & quæ similia his existunt, & simpliciter omnia adhibeãtur quę in hepatis abscessu suprà approbauimus. In malignis & putrescentibus humoribus, quos ex febrium acrimonia cognosces, etiã rosæ in cataplasmata cõmiscẽdæ, & myrti baccæ, eruique ac lentis farinæ: Hęc enim eisque similia humorũ putrefactionẽ sistũt. Post hęc emplastris utendũ quæ pus permutare possunt, quemadmodũ in hepaticis est prædictũ. Quòd si ruptura moretur, acriori infuso aluus est subluenda, ueluti ueratri nigri cremore, raphani itẽ & alliorũ ac cucumeris syluestris radicis cremore. Macerare autẽ hæc in aqua maris aut salsugine uel muria oportet, parumque olei ammiscere, quo infusa lubrica reddantur. Hęc sanè per clysterem infundenda. iubendique ægri quo plurimo tẽpore apud se detineant: consueuerunt enim sæpe ipsam suppurationẽ dirumpere, unà cũ hoc quòd uentrẽ emollire solent. Si uero uehementiores sunt dolores, ptisanæ succus infundatur & lac recens mulctum: insessus quoque in aquam & oleum apparetur. In potu leniora urinam ducentia exhibeantur, ueluti cucumeris semen decorticatum ex aqua mulsa, palmulis in ipsa incoctis. Dãda etiam iris cum melle despumato delingenda, aut ipsum mel in decoquendo in pastillum redactũ. Remorãtem item rupturam iuuat cuminum cũ passo, ruta cum uino mulso. Si uero ex habitu corporis & doloribus languidioribus coniecturam facias, ob crassitiem pus ipsum non excerni, fœniculi decoctũ in potu dato, & chamæpityos, pulegijque & origani. Post rupturam autem carunculæ paruæ oblongæ cũ urina excernuntur: & si quidem maligna fuerint ulcera, humores fœtidi, liuidi & mucosi: si uero benigna fuerint, etiam pus ipsum album, & æquale, & leue, absque odore graui, & paucũ reperietur. Lac itaque cum melle post puris eruptionem eis præbendum: & primum quidem asininum aut equinum, ad ulcera enim repurganda conducit. quum uero repurgatione amplius opus non habent, & morsus fiunt obtusiores, indigetque æger nutrimento, tunc etiam bubulum lac eis exhibendum II. & III. heminarum mensura. Amplius autem omne lac recens mulctum calidum præbendum est, animali in domum ubi æger decumbit deducto. hoc & aliorum internorum ulcerum optimum est pharmacum, & graui puri maximè amicũ, & corpus probè nutrit. Porrò ad uires refocillandas ac restituendas, ægrum decumbentem molliter fricare singulis diebus mane conuenit, & primũ bubulo lacte nutrire: postquàm uero concoxerit lac, sorbitionem ex ptisana apparatam præbere, aut amylum, aut similaginem lotam cum lacte coctam. dandum & lac ouis permixtum, & iusculum gallinę pingue. Ex oleribus conueniũt, malua, seris, rumex, portulaca, asparagus palustris, cucumis, lactuca, omnia cocta, neque quicquam crudum uorent. Hæc sanè morsus obtundunt. Cęterum succedentes repletiones uomitu euacuare oportet. Vt uero facile uomant, cucumeris semen tritum ex passo eis præbeatur: aut ptisanæ succus cum passo. Oleo autem cyprino præsertim illinantur pennæ, quibus item ad uomitum iritentur. Non solum autem ad repletiones uomitus laudo, uerum si quis omni mense audenter uomat, forte & renum ulcus, & quicquid inde mali accedere posit, dissoluat. Reliqua diæta eadẽ sit cum ea quę postea ad uesicę ulcera dicetur. Ex his uero quę urinam ducũt simpliciora iam sępe dicta itemque dicenda, ad repurganda renum ulcera bibantur. Quum uero munda fuerint ulcera (quod inde tibi palàm fiet, si neque tectoriũ etiã ulceri obductum cum urinis excretũ appareat, neque etiam pus excretum sit feculẽtum, sed subalbũ, & leue, & æquale, & paucum) tunc sanè pro emplastris malagmata assumenda sunt: id quod ex seminibus cõstat: item quod ex baccis lauri: & quod Apollophanium inscribitur: & omnia quæ cutem rubefacere possunt, quale est id quod ad calculi affectionẽ est præscriptum. Pro his uero quæ urinam cient resiccantia adhibeantur: quare cibus ipse adstringens sit, & pharmaca quę corpora cogant. Conferunt etiã dropaces, & sinapismi, & naturalium aquarum calidarum & frigidarum usus. Porrò ad inueterata renum ulcera, pharmaca sunt assumenda, quę ad exulceratam uesicam describentur. Atqui nosse oportet omnem exulcerationem, & uesicæ, & renum, ægre curabilem esse, præsertim quæ ex erosione sit oborta, adeoque paucos nouimus qui ab ea perfectè sint liberati: si uero extrà suppuratio uertatur, inflãmatio magis tumescit, & ad manum & ad oculum magis euidenter exposita est. His merito medici manũ admoliuntur ubi maxime tumor attollitur, curamque adhibent quæ ad communia & caua ulcera requiruntur: non ignorandum tamen ea in fistulam abire solere, quare diligentiori omnino indigẽt tractatione.

De disuria, id est, emittendi urinã difficultate: & stranguria, hoc est, stillicidio urinæ. Cap. XIX.

Disuria dicitur, quum meiere æger cupit, & cum ui urinæ excernuntur. Stranguria autem appellatur, quum paulatim & guttatim urinæ destillant, & assiduam ad mingendum irritationem faciunt. Hæc autem contingunt aut ob acrimoniam urinæ, aut ob exulcerationem uesicæ, aut ob uesicæ debilitatẽ: aliquando autem & affectis renibus aut hepate, quum

quũ abscessus rũpitur, & pus per uesicã excernitur, assiduam irritationem ad minctionem propter acredinem suam inducit. ex intemperie etiam quadam ægra uesica in propria læditur actione. necessarium igitur est scire causas quæ stranguriam & disuriam præcesserunt, atq; ad ipsas remedia adornare. Si igitur frigiditas has affectiones præcessit, oleo rutaceo calido pectinem fouere oportet, ægrumq; in samsuci aut rutæ decoctũ desidere, ac imum uentrem contegere ac calfacere: aliquando & per sedem oleum rutaceũ calidum infundere, & cibis urinam cientibus uti quæ concalfacere posśint: aromatum etiam decoctiones in potu exhibere. potest etiã præberi in potu theriace cum passo aut uino mulso. Sin uero biliosiores sint urinæ, & mordacitas circa uesicam contingat, ac urinæ stillicidium inducat, tum sanè exuperantem uitiosum humorem quàm celerrime purgare oportet, & cibis temperamentum inducẽtibus uti, ita ut ab omnibus acribus ac salsis abstineamus: in potu autem plurima aqua calida dulcis exhibenda, ægerq; assidue ad mictionem cogendus: si enim acre recrementum diutius in uesica moretur, partes ipsas corrodit & exulcerat. Conueniet igitur continuis fomentis uti, & amylum cum lacte decoctum, itemq; cum palmarũ decocto absorbendum præbere. Vinum autem dulcius præbeatur. Optimũ est & ipsum lac calidum potatum. Quòd si acrimonia adhuc augeatur, etiã per colem lac ipsum cum amylo in uesicã inijciatur, & pastillus ex physsalide cõstans in potu sumatur. Porrò si aliud membrum sit affectum, & idipsum per uesicã expurgetur, manifestum est illi priorem curam deberi, ita tamen, ut neque uesicam negligamus.

De difficultate emittendi urinam in febribus. Cap. XX.

Philumeni: Fit & in febrium malignarum principio urinæ emittendæ difficultas, ut & inde uesica affligatur, & paulatim cum dolore urinam emittat: neq; uero sola molestia hæc est, sed & signum totius neruosæ partis affectæ. Ad imum uentrem igitur & pectinem, inguinaq; & coxendices, lana pura oleo dulci imbuta, in quo ruta, anethum, aut oleum sicyonium sint decocta, imponatur, lanæq; amplius cuminum quàm tenuissimè tritum infarciatur, & si aluus eis sit adstricta fœni græci & maluæ decoctiones infundantur. Insessiones etiam assumantur usq; ad umbilicum & lumbos totos, ex artemisiæ, fœnigræci, rutæ, pulegij, & maximè samsuci decocto, oleo itidem ammixto. Quòd si accessiones urgeant, etiam uenæ sectio adhibenda est, & diæta exquisita, quæ maxima parte ex sorbitionibus cõstet. Vtimur itaq; halica lota cum anetho in aqua mulsa despumata cocta, aut pane loto, aut sorbilibus ouis. Post hæc & malua cõuenit, friabilis cocta, & porrum capitatum in tribus aquis decoctum, & tenerrimi pisces. Post fomenta uero, cataplasmata adhibeãtur ex eadem materia apparata. Vrgentibus autẽ doloribus, cucurbitæ cum scarificatione ad imum uentrem affigantur. Ceratum uero ad has affectiones conuenientissimum hoc est: Maluæ syluestris radices in oleo sicyonio cum modica aqua coquuntur, donec aridæ fiant, & ipsæ quidem abijciuntur, oleũ autem cum rutæ succo permiscetur, ut quarta olei pars de succo rutæ addatur: hisq; amplius cera sufficiens & parum castorij adijcitur. Cæterum potus ita affectis cõmodus est cucumeris satiui semen, quod prę maceratum decorticatur, deinde tritũ cochlearium II. mensura ex aquæ cyathis III. præbetur. Lotium enim citra molestiam ducit, & dolores circum locos infestantes euestigiò dissoluit. A' reliquis autem quæ urinã cient, quamdiu febres perstiterint, in totũ abstinendum est. Moti enim ex febrili calore totius corporis humores, per ea quę efficacius urinã cient, ad uesicam prius afflictam deducuntur.

De ischuria, hoc est, urinæ suppreśsione. Cap. XXI.

Ischuriæ, hoc est, urinæ suppressæ affectionem, etiam ipsum nomen declarat: ægris enim in totum urina supprimitur ac cohibetur. Atq; id aliquando ob imbecillitatem cõtingit, uesica ea quæ in ipsa continentur arctè cõplecti ac exprimere nõ potente, aliquando autem & inferiore meatu à crassis humoribus obturato, aut lapide obstructo, quandoque autem ob inflãmationem aut talem quempiam tumorem meatum angustum reddentem, & perfectè obturantem. Sanguis etiam in grumos concretus in uesica, suppressæ urinæ causa existit: pus item crassum per ipsam uesicam à renibus, aut hepate, aut alio quopiã inferiore membro excretum, urinæ suppressionem operatur. Accidit & sanis sæpe urinam ipsorum cohiberi, aut ob negotiorum importunitatem, aut in concionibus, aut foro iudiciario, aut somnis, si diutius continuerint mictionem. Afficitur enim in his comprẹhensiua & urinam obuoluens uesicæ uis, ex immodica uidelicet repletione & tẽsione: imò quantum amplitudo ipsius uesicæ expleta circumtenditur, tãto angustior seipso fit meatus. Vrinam igitur ob inflammationem suppressam uenæ sectione curabimus, fomẽtis item ac cataplasmatis alijsq; remedijs adhibitis, quæ iam sæpe ad inflãmata sunt prædicta, & in sequentibus describentur. Si uero sanguinis eruptio præcesserit, coniectare oportet sanguinis grumos suppressæ urinæ causam esse: hi itaq; dissoluendi sunt eo modo, qui de eruptione sanguinis ex uesica dicetur. Quòd si lapis sit qui urinã supprimat, & hunc ex loco excutere ac dimouere oportet, quemadmodum de calculosis est prædictum. Si uero crassi humores in causa sint, fomentis & insessionibus ac cataplasmatis cura concredenda est: ab his uero quæ urinam cient in totum abstinendum, ueluti in loco de difficultate emittendi urinam in febribus est relatum. Quibus uero citra inflammationem & eruptionem sanguinis, aut aliam quandam ex prædictis causam, urinæ excretio supprimitur, propter ægrum uesicæ sensum contingit id scilicet, quapropter irritando submonere, ac excitare eius actionem oportet, & per insessus auxiliari, nitroq; ad meatũ admoto, aut nitri spuma, aut cimicibus cõ tritis. Quod si ita nõ procedat, ad catheterum usum confugiendũ, perq; hoc ipsum instrumentũ immissum urinæ prolectandæ. Vrinã ducentia nequaquã bibant, ne multitudine eius uesica distendatur. In sanis autem, quũ ut dictum est ob negotiorum importunitatem lotiũ diutius retentũ uesicam debilem reddat, auxiliari oportet ipsi, ambabus manibus supra imum uentrẽ admotis, ac urina lentè expressa. Ad urinam ægrè prodeuntẽ. Cucurbitæ semẽ præmũdatum aqua macerato, quũ uero emollitum fuerit, sufficienter aqua affusa terito, percolato, ac succum bibendum præbeto. Vtere, experimento constat.

De scabiosa uesica. Cap. XXII.

Quibus uesica scabit, his pruritus tum imi uētris, tum pectinis succedit, inq; urinis asperæ & furfuraceæ subsidentiæ deferuntur: progrediente uero morbo, uesica exulceratur, accessionesq; ad ulcera præscriptæ inducuntur. Nosse igitur operępretiū est, quòd non penitus curabile sit malum, conādum tamen ut pro uiribus leniatur. A mordacibus igitur & quæ humores acriores ac salsiores reddunt abstinēdum. Exhibenda autē uina dulcia & lac & gallinę aut hœdorū aut agnellorum carniū iuscula, palmarumq; cremor, similago item & amylum, ac sorbitiones ex his apparatæ, pisces molles carne & omnes coctos: & ex oleribus quæcunq; urinam quidem subducunt, nihil uero mordax in se habent, uelut est pastinaca probè cocta, crithma, fœniculū, apium, hipposelinum, asparagus, cucumis, & quæcunque eius generis existūt: nam & urinā agentibus mitioribus tamē, uesicam subpurgare oportet: periculum enim est ne fortioribus exulceretur, quod omnino peius extat. Vrinam itaque commodè cient cancri, & pinæ, conchæ, & herinacei marini recentes, & herinacei terrestris caro exiccata, & drachmæ pondere potu accepta. Neq; minus cōmodæ cicadę censendæ, & uermes terreni tres ex passo potati. Non inconueniens item fœni gręci succum cum melle sorbere: idipsum enim & intestini morsus obtundit, & si ad uesicam procedat, scabiem eius mitigat. idem etiam tragacanthus facit. iucundus est item baccarum myrti cremor cum uino potatus, aut mali cotonei cremor, aut cuiuscunq; alterius adstringentis fructus. Hæc autem adstringentia, inquam, pruritus quidem mitigant, affectionem uero nō sanant. Diæta porrò optimi succi sit, & per aliquot dies uomant. Sero autem lactis aluus subducatur. Mediocribus etiam exercitijs moderatè utantur. Aliud, quod confestim auxiliatur. Serpillum cum cicere satis diu coquito, percolatumq; decoctū bibendum præbeto. Oribasij, ad ægrè meiētes. Amomi, cardamomi, floris iunci odorati, cuiusq; drach. VI. costi, castorij, myrrhæ, cuiusq; drach. III. casiæ drach. I. mellis quantum satis est, datur fabæ Aegyptiæ magnitudine cum uino tēperatum. Aliud eiusdē. Petroselini, baccarum myrti nigrarū, singulorū drac. XVI. seminis apij drac. XXXII. ammij drac. VIII. nardi celtici dra. IIII. myrrhę drac. II. mellis quantū sufficit, datur drac. I. ex aqua mulsa, aut uino diluto cyathorū III. mensura.

Simplicia remedia ad suppressam ac ægre prodeū tem urinam, si aut eius multitudo, aut crassities in causa sit. Cap. XXIII.

Vrinam difficulter prodeūtem & suppressam, uiscera herinacei terrestris sanāt exiccata ac suffita ægro undiquaq; probè cōtecto. Oportet autem ipsa sale condire ac exiccare. Quin & in potu accepta sicca trita quantū tribus digitis appręhēdi potest ex uino multas urinas cient: carnis item herinacei in sole exiccati drac. I. ex uino datur, & urinā multā citra molestiā educit. Aliud. Aselli qui & millepedæ sub aquario stabulātes uase, egregiè difficultatē emittēdi urinam soluunt, si duo aut tres in modico garo coquantur, ipsumq; garum cum aquę cyathis duobus bibatur.

Aliud. Vermes terrenos tres aut quinq; tritos ex uino mulso aut aqua mulsa præbeto: citò enim urinam ducūt. Forinsecus autē artemisiæ folia cū myrrha trita pectini illini, itemq; imo uentri, & lotium prodibit. Aliud. Perdicium herbā terito, & affuso oleo feruefacito, atq; ita uesicæ imponito. Eandē item herbā cum oleo coquito, ipsaq; proiecta lanam oleo imbuito ac imponito. Aut peponis pulcherrimi pelliculā cum modica ipsius carne imo uētri imponito & colligato, & prodibit urina. Si uero arida sit pellicula, ipsam in aqua macerato, & imponito, ac colligato. Insessus etiam eis ex samsuci maximè decocto apparentur, aut si id non adsit, ex decocto rutæ artemisiæ & altheæ.

De dissoluta per paralysim uesica. Cap. XXIIII.

Ex his qui paralysi exolutā uesicam habent, alij quidē præter uoluntatē urinam emittunt, & quanto plus id eis cōtingit, eo minus periculo sunt obnoxij: alij autem lotiū non excernunt, sed eo suppresso uesica & lumbi eis distenduntur similiterq; pecten: femora autem tumefacta habēt, & quum nō eijciant lotium subiecta mēbra mortificātur, neq; ita longè post moriuntur. Quum igitur lædi cōtigerit neruos qui ex spinali medulla ad musculum uesicæ collū claudentem deferuntur, exoluto musculo, inuolūtaria urinæ excretio contingit. Si uero proprij uesicæ nerui fuerint affecti, nerui aut musculi qui ceruicem uesicę cōplectūtur, uires suas conseruātes in actione sua ualidi sunt, urina ipsa cohibetur. Cæterū quum cuidā ob casum spina in anteriorē partem esset luxata, & inflāmatio successisset, tertia die urinæ suppresio ei accesit: curauimus autē ipsum, inquit Galenus, ueluti contra inflammationem renitētes. Alius autem quū cecidisset, uertebris retro inuersis & luxatis, prę ter uoluntatē urina ab eo prodijt, citra tamen uesicæ dolorē, ex quo coniecturam fecimus neruū esse læsum musculi eius qui uesicam claudit, & propterea medelā spinali medullæ adhibuimus, affectis inquā, uertebris. His igitur quibus citra casum urina supprimitur, hoc modo auxiliari oportet. Incessus assidui in fœni græci, seminis lini, altheæ, rutæ, ac artemisię decoctū cū oleo eis apparētur, & loci ex oleo calido rutaceo, aut sicyonio aut gleucino sæpe per diē & noctē, & maximè post insessus irrigentur & perfundantur: cucurbitæ etiā locis affigēdæ, & cataplasmata imponēda ex cruda ordeacea farina, ex uinoq; dulci & uino mulso. In aluū autē per clysterē infundatur centaureæ, & radicis cucumeris agrestis decoctū, addito oleo rutaceo & melle. Post sublutā uero aluum oleum rutaceum sicyonio ammixto in fundendum, adiecto aliquando etiam modico castorio. Vnguenta item & medicamēta illitu lassos neruos reficientia, acopa Græci uocant, & supra resolutiones sunt descripta, tum spinæ, tum imo uentri adhibenda. Castorium itemq; theriace in potu propinanda. Modicus autem eis cōuenit potus & uomitus qui pituitam educunt. Post euacuationes sinapismi, tum pectini, tum lumbis cōmodi sunt. A quibus cerata quæ partes mitigent, & malagmata odora imponantur. Porrò urinæ suppresionem quæ ob sauciatam spinam, aut casum, aut uertebræ luxationem, aut ob lethales accesionum concursus, suborta est, imposibile est curare, quare cautè remedia adhibere oportet. Cæterū eos qui præter uoluntatē urinā emittunt, curare conuenit roborādo per mordacia cataplasmata, & malagmata, & per rubefaciētia ex sinapi apparata, & arenæ à sole feruefactæ iniectione,

iniectione, aquisque naturalibus, primum quidem calidis, postea etiam frigidis & maximè sulphurulentis & bituminosis. Exercendæ etiam ac perfricandæ partes, ueluti in loco de resolutione est prædictum. Vrinam autem ducentia nequaquam exhibeantur. Diæta uero calidior & siccior sit, nisi acriores ac mordaciores appareant urinæ.

Ad eos qui se in somno permingunt. Cap. XXV.

Affectio hæc pueris maximè contingit: ad eam Archigenes hæc descripsit. Pulmo hœdi moderatè assatus, & citra panem largè ad triduum in cibo acceptus, eos qui lectos commingũt, corrigit. Aliud. Leporis cerebellum siccum potatum ex uino lectos permingentes sanat. Aliud. Testiculum leporis siccum in uinum radito, & bibendum dato. Quidam autem leporis cerebrum in uesicam porcinam coniectum & assatum, unà cum uesica edẽdum præbent. Etenim ipsa porcina uesica per se usta, & in potu exhibita, iuuat. Simili modo & ouilla uesica facit: cinerem itaque eius ex posca præbeto. Aliud. Adipem anserinum drachmæ pondere, cum coagulo leporino oboli pondere, & cum polenta subigito, & reclinatis in lectũ præbeto. Aliud. Linguæ anserinæ coctæ per triduum exhibitæ affectionem sanant. Quidam assatas præbent. Aliud item Archigenis. Myrrhæ, calaminthæ, cuiusque obolum I. terito, & cum uino odoro ante cœnam bibẽda præbeto. Aliud eiusdem. Raphanidem marinam cõtusam urito, eiusque cinerem totum bibendum præbeto. Aliud. Rutæ præsertim syluestris semen torrefactum duarum drachmarum pondere bibendum præbe. Aliud. Castorij drachm. I. in potu præbe. Quod si acriores & mordaciores sint urinę, lactucæ seminis drachm. I. bibendam dato. Aliud. Galli guttur ustum ac tritum cum aqua tepida ieiunis bibendum porrige. Aliud. Gnaphalium aut anthyllin herbas quibus pro tomẽto & strato usus est ęger, easque perminxit, siccato, urito, & cum potu exhibeto. Cæterum in somno pudendum illinant ex cimolia cum perdicij succo. Circumligent etiam femora infra inguina, quatuor digitorum distãtia, atque hoc per uiticis uirgas. Porrò ubi sitierint, omnino amplius dormiant: multus enim potus affectioni incommodus existit. Atqui si diuturnum & inueteratum sit malum, uelut eos qui præter uoluntatem ob resolutionem uesicæ urinam emittunt, curato. Differunt autem hi ab illis, in eo, quòd his per somnum saltem hæc accessio cõtingit: illi uero quibus ob musculi colli uesicæ resolutionem hoc accidit, etiam dum uigilant, eodem modo afficiuntur.

De inflammatione uesicæ: Rufi. Cap. XXVI.

Morborũ qui circa uesicam oboriuntur, grauissimus & maximè mortalis inflammatio existit. Consequuntur autem ægros communia inflammationis signa. Febri acuta infestantur, & uigilant, & delirantes aliena loquuntur, & uomunt biliosa pura, & lotium eijcere non possunt: durus fit pecten & pubes cum uehementi dolore, & egerendi appetentiæ uelut in tenesmo fieri solent: quod uero egeritur tenue est, & subsidentiam non habet. aliquando & inflationes sequuntur, & aluus adstricta est, intestino recto ab inflammatione uesicæ compresso. His itaque si nihil aliud prohibeat, uenam citra cunctationem in principio morbi secato, & pauco cibo adseruato, & aquę potu. locos uero oleo in quo anethum, semen lini, aliquãdo etiam ruta & althea incocta sint irrigato. In decoctum item seminis lini & fœni græci insidere facito, odorato aliquo semine, ueluti petroselino, dauco, aniso, simul incocto. Admoneaturque æger quo in aqua decocti desidens mingat: uesica enim non satis robusta est ad amplectendam & expellendam urinam, igitur ipsum ægrum aut aliquem ex adstãtibus scitè ac placidè pectinẽ premere oportet, neque id ultra modum ne dolor inde intendatur. Est autem inuentum hoc Philumeni, qui hominem hoc modo à se tractatum urinam eiecisse testatur. Cæterum primum omniũ aluus leni infuso subluatur, & post stercorum eductionem, oleũ quo suprà ad irrigationem usus es, in intestinum solatij & leniendi doloris gratia inijciatur. Præstat autem & papaueris calicem simul cum oleo incoquere, & adipem anserinum aut gallinaceum recẽtem in ipso oleo eliquatum simul infundere. Ego uero, inquit Rufus, uehementioribus existentibus doloribus opium magnitudine erui cũ modica myrrha & croco lanæ illitum, in podicem indidi, & statim dolores quieuerũt, confestimque æger obdormijt. Post clysterem & infusa, insessusque & irrigationes, etiam cataplasmatis utendum ex cruda ordeacea farina, capitibus papaueris, & hyoscyami folijs, ac modico mandragoræ succo adiectis. Fomenta autẽ fiant per aquam & oleum in uesicis bubulis semiplenis admota, aut polentam calidam in sacculis aut detritæ uestis pãniculis ligato, & pro fotu admoueto. Post cataplasmata, etiam cerata imponantur, ex œsypo, & cera, & sicyonio, aut gleucino oleo cum castorio apparata. Quòd si neque sic mali tumultus cesset, cucurbitam affigemus locis unà cum scarificatione. Cęterum ubi euidens declinatio apparuerit, ad emplastra & malagmata transeundum est. Porrò catheteris immissionem ad inflammatam uesicam in uiro quidem nõ probo: etenim quum laboriose immitti queat, dolores exacuit, & inflammationem auget. uerum mulieri ipsum adhibere nihil absurdum: breuis enim in ipsis urinæ meatus existit, & rectà situs, ut citra dolorem hoc molimen admittat. Si uero urinæ suppressæ periculum urgeat, necessariò ad catheteris usum confugimus, non quòd affectionis molestiam tollat, sed ut urgentem urinæ suppresionem corrigat, & à præcipiti periculo liberet. Post urinæ prolectationem rursus ad eadem mitigatiua auxilia accedendum, usquequo inflammatio soluatur, aut suppuretur. Solet autem sæpe repente inflammatio solui, erysipelate iuxta cutis superficiem oborto, & permanente, neque rursus intrò recurrente: imò & lotio multo eiecto, sæpe id eadem iudicatione liberum hominem reliquit. nihilo minus tamen etiam si hæc appareant, ijsdem remedijs insistere oportet, quandoquidem ut plurimum tensione aliqua facta ac oborta, continuæ exacerbationes fiunt, & mali constitutio diuturna. At uero ubi periculosæ accessiones cessarint, & morbi constitutio iam fuerit inueterata, ad unguenta quæ humores ex profundo euocant ac transferunt, metasyncritica Græci appellant, & ad malagmata transeundum est, quæ cutem rubefacere possunt.

De sanguinis ex uesica eruptione, & de grumis eiusdem. Cap. XXVII.

Est

Est alius acutus uesicæ morbus, rumpitur autem uena in ipsa, & partim quidem sanguinem foras mittit, partim uero intus cõdensatur. Sanguine autem cõdensato, & grumis coactis, æger animo linquitur & pallescit, pulsusq; paruos, obscuros, & dẽsos habet, mœrore angitur, refrigeratur, ac uiribus destituitur. quum uero grumus aliquando in urinarũ meatum inciderit, is etiã lotij excretionem supprimit. uerum omnino difficilioris curæ cẽsenda est eruptio ex erosione facta. Quare quàm celerrimè uelut etiã in alijs sanguinis eruptionibus auxiliũ ferre oportet, extremas partes constringẽdo, & pectinẽ ex spongijs posca imbutis irrigando. Quòd si inflãmationẽ suspectam habes, lanas succidas uino & rosaceo madidas imponito. Cæterũ ob prædictum periculũ, compendiariam curã facere conuenit, & nequaquã rem differre: & siquidẽ nihil prohibeat, uenã secare partita sanguinis detractione, ut eo modo sepe & paulatim sanguis detractus reuellatur: ægri uero in decumbẽdo sursum uersus collocẽtur, & coxendicibus ipsorum leuandis & simul refrigerandis spongiæ posca imbutæ subdantur, aut pelles substernantur: summè autẽ prosunt urgente malo cucurbitulæ ilijs ac lumbis affixæ. Post irrigationes autẽ cataplasmatis utendum sanguinaria, rubo, plantagine, perdicio, mali punici floribus, lentisci & myrti folijs: horũ unumquodq; cum polentæ flore pro cataplasmate imponendũ est, & frequenter priusquàm tepescat, altero imposito, auferendũ. Optimè etiã faciunt ex palmis acacia & hypocisthide ac alumine apparata cataplasmata, & quę his similia existunt. Summè autẽ cinis linteoli usti auxiliatur, si palmis ammisceatur, aut alicui ex epithematis infarciatur. Spongia item pice liquida imbuta, usta & epithematis ammixta mirificè sanguinis eruptiones sistit. Cęterũ detritæ uestis panniculus ustus, & spongia usta, non solũ forinsecus locis apposita, sed & cũ plantaginis, aut sanguinariæ, aut herbæ sideritidis succo uesicæ infusa, maximopere auxiliantur. Oportet autẽ infusi fistulam aliàs catheteri similem esse, uerũ ex summo utriculũ aut uesicam adaptatã habere. Quandoq; & sedi hæc infusa prosunt. Insessus autẽ conueniunt ex consimili materia constructi: nam & posca & lentisci decoctum, itemq; rubi & similium eis conuenit. Danda autẽ & in potu pharmaca eductioni sanguinis apta tum simplicia, tum composita, ueluti sunt rheon põticum tenuissimè tritum, & loti arboris scobes & ramenta, præsertim corticis eiusdem, & glycysides aut pæoniæ grana rubra XII. terra samia, & lemnia, sphragis appellata, hippuris, centaureæ magnæ radix, thuris cortex, & similia. Optimum uero & hoc est, quo Archigenes usus est. Ad sanguinem mingentes, Archigeni. Aluminis scissilis drachm. I. gummi obolum I. tragacanthæ drach. II. in passo diluito, & in pastillos redigito, & ex eis obol. II. cũ passo præbeto. Ad sanguinis è uesica eruptionem Asclepiadæ. Balaustij, acaciæ, succi hypocisthidis, cuiusq; drac. IIII, aluminis scissi drac. II. in pastillos cum aqua digerito, & obolos III. cũ uini myrtitæ cyathis III. exhibeto. Porrò quibus sanguis in uesica in grumos cogitur, primum tentandũ est ut pharmacis diffundatur: artemisia igitur in potu præbenda est, & elichrysum, & cyrenaicus succus, aut laser purũ, aut conyza præsertim parua, absinthiũ, raphani semen, rubi succus, betæ succus, leporis coagulũ, aut hœdi, unumquodq; cũ aceto mulso. Ego autem, inquit Galenus, pharmacum eis præbui bibendum quod lapidẽ confringit ex aceto mulso: imò ipsum per se acetũ mulsum exhibui, & quibusdã ipsorum grumi dissoluti paulatim per lotium prodierunt. Quòd si hoc modo nihil proficias, sed urina supprimatur, necessitatẽ inducet catheteris adhibendi, per quẽ ubi urinas eduxerimus, rursus prædicta in potu exhibemus præstãtia ad grumorũ coactorũ dissolutionẽ, si uero neq; sic grumi dissoluãtur, intercapedinem inter anũ & pudendũ perinæon Græcis dictã infernè dissecare oportet, quẽadmodũ in calculosa uesica est prædictum, & eductis grumis de cætero uelut ad sanguinis eruptionẽ uesicæ opitulabimur. ubi uero sanguinis eruptio cessarit, uelut alia ulcera curato. At uero sanguinis ex cole eruptiones, epithemata colem refrigerãtia, & quoddam ex prædictis infusum sanant.

Quæ tubercula in uesica maturescere oporteat. Cap. XXVIII.

Optimum quidẽ est in principio conari quo tubercula dissoluantur, ut ne in pus permutẽtur: si uero id citò fieri nõ possit, auxiliorũ usu ea matura facere oportet, quæ suprà renibus cataplasmatis modo dixi imponẽda, atq; amplius adhuc nasturtio cũ erui farina & melle, & colũbino stercore cũ caricis imposito. Fomẽtis autẽ & alijs remedijs utendũ, quemadmodũ istic est prædictum. Vt plurimum uero circa uesicæ collũ suppurantur, quapropter etiã urinæ stillicidium amplius inducũt. suppurãtur & in uicinis sedi locis, & magis recremẽti egestionẽ impediunt. Suppurãtur etiã circa pectinem utrinq;: uerum non difficile est ea cõiectare, tum loci dolore, tũ grauitate, atque ipso adeò tactu: duriora enim & calidiora sunt corpora quæ suppurationẽ incurrent. Ex tuberculis etiã quædam foras uertũtur ad sedẽ, quædam quocũq; cõtigerit defluxus. Periculosa igitur & hęc sunt ac omnino letalia, periculosiora autem sunt quæ intus rumpuntur.

De uesicæ ulceribus, Rufi. Cap. XXIX.

Si uesica sit exulcerata, aut propter abscessũ, aut ob tuberculum quod præcessit, aut ex ruptura, aut ob fluxionis erosionẽ, aut ob aliã quamcunq; causam: ægros dolor acutus uesicæ omni quidẽ tempore comitatur, maximè uero tempore mictionis & excretionis puris, & si quidẽ sordida fuerint ulcera, feculenta simul excernũtur, & mucosa, & quæ crassam subsidentiã ad modũ farinę habent: aliquãdo autẽ & pelliculæ tenues ad modũ foliorũ & lamiarum cũ urina excernũtur. Si uero serpendo depascãt ulcera, subcruẽta excernuntur & saniosa ac fœtẽtia. Ad hęc accedũt urinæ emittendæ difficultas, & pudendi arrectio ac petulãtia, & dolor non solũ quũ urinę meatus fuerit affectus, sed & quum tale quippiã in profundo existit. Cognoscetur autẽ num in profundo, siue iuxta urinæ meatũ sit affectio, ex eo quòd si in amplitudine sua uesica sit affecta, dolor circa pubem cõsequatur: Si uero iuxta collũ uesicæ ulcera consistant, tẽpore mictionis tantũ & maximè ubi mingere inceperint ac cessauerint, dolor sentitur, atq; id amplius cõtingit, si urinę sint acriores. Omnes quidẽ igitur assiduè decũbunt & neq; erecti stare possũt, neq; reclinati quiescunt. ab indesinente dolore, febribus, uigilijs

uigilijs, & colliquatione perimuntur: alij quidē citius, alij tardius. Dolores enim acuti sunt & ulcera iniucunda, partim quòd urina asiduè ea contingat, partim quòd urina natura acris existat, neq; quāuis plurima excernatur, uniuersa uesica euacuari posit: sed semper ex urina quippiam in ipsa relinquitur, quod continuè ulcera contingit: semperq; uesica lotio plena existit. etenim quū multitudo eius euacuatur, uesica cōtrahitur, & quod in ea relictū est quātumuis modicū, id ipsum omnes eius partes contingit, & quantū rursus repletur, paulatim simul extenditur. Propter hoc ipsum itaq; & quòd neruosa est, insanabilia ut plurimū eius ulcera existūt: periculosiora autē sunt quae ex erosione orta sunt, & modica spes est ea restaurādi. Attamen quum sæpe etiam præter expectationem quædā eueniant, cura est aggrediēda, per quam si nihil aliud, certe accessorij dolores minuentur. Primum igitur persuadendus est æger ut decumbat, & in lecto quietem toleret, idq; maximè si febres simul adsint: deinde remedia febribus intermittentibus adhibēda. maximum uero hic fuerit lactis potus, neq; scio an post ullum aliud remedium secundo saltem loco id sit habendum: nam & asperitates lenit, & ulcerationes eluit, aliasq; affectiones extergit: reliqua uero diæta frugi sit & commoda, ut ne urina acris fiēs, mordeat ac iritet ulcera. Per pharmaca etiā consolari ægrū oportet, quæ supernè pectinem amplectantur, & si quidem cū inflāmatione exulceratio cōsistat, cataplasmata ex lini semine, & fœno græco apta erūt, & reliqua quæ inflāmationē soluere possunt: insessiones itē & fomēta ex oleo & per spōgias. quin & cerata imponēda ex œsypo, butyro, adipe anserino, & styrace apparata, & ceratum myrteum, quod pro cerusa, samiam terram, aut lemniam, sphragidem appellatam, aut minium sinopicum, aut diphryges habet ammixtū. Quòd si loci uiolētius coarctentur, nardinum quidem sit ceratum. maluæ autē radices probè in aqua mulsa coctæ, deinde tritæ, in ceratum infarciantur, aut cerata ex meliloto & fœno græco similiter adhibeantur, aut quod tetrapharmacum, itemq; quod enneapharmacum inscribitur. laxationem enim mali faciunt, uerum his omnibus aliquid satis amplum de styrace addendum. Porrò si exulceratio pascendo serpat, epithematis subadstringentibus utendum est, atque his quidem calidis, ut ob calorem quidem partes circumdolitantes leniendo iuuent, ob potestatem autem ipsorum nomen uicinos locos appræhēdere prohibeant. Sylua horum sæpe iam relata est, utpote in palmis, uuis pasis, gallis, malicorio, alumine, acacia, hypocisthide, & similibus sita. ex his singula aut palmis excipiūtur, aut cataplasmatis ex loliacea farina. decoctio autem fit in posca. Vtendum etiam pharmaci per catheterem infusione, ita ut in inflammatis & exasperatis lac recēs mulctum infundatur, aut rosaceū optimum recēs tepefactum. Si uero nihil horum adsit, aqua dulcissima tepida asiduè infundenda, mordacitatis tempore instante: in intestinum quoq; per sedem ptisanæ succus infundendus est, & seminis lini succus, & cucumeris semē decorticatum tritum cum lacte, rosaceo oleo ad singula instillato. Cæterum ubi clysterem adhibere uelis ei qui uesicam habeat affectam, non supinum ipsum decumbere oportet: non enim permittunt uesicæ infusum intrà transire, utpote induratæ & graues factæ, & intestino incumbētes, uerum in genua pronum reclinare hominem oportet, atque ita infusum adhibere. In hac enim situs figura uesicæ secedunt & intestinum laxant, quo infusum assumere posit. Frequenter autem & in aquam calidam desideant ægri, & in decoctiones relaxantes: nam hæc mitigant dolores. At uero ubi ulcera iam pascendo proserpant, per catheterem inijcienda sunt quæ depastionem sistere possunt. Multa autem eius generis sunt, sed plurimis itemq; nobis familiare est, ex charta siccum pharmacum, quod cum rosaceo infundere oportet. Facit & Musæ pastillus, cum passo cretico tepidus infusus. Quòd si uero sordida sint ulcera, pharmaca infundenda sunt, quæ repurgandi uim habent: uelut est Epigoni chlora, siue uiridis compositio: item quæ Isis apellatur, multo rosaceo diluta, aut ea quæ ex herbis constat, aut huiusmodi quæpiam alia. Si uero acrimonia consequatur & mordacitas, lac recens mulctum cum optimo amylo infundatur, aut pompholyx pluribus aquis elota & exiccata, atq; deinde cum lacte diluta, aut collyrium Aster inscriptū, aut quod Cycnariū appellatur: aut pastillus ex physsalide, aut panchrestus, à cōmoditate dictus, qui somnū inducit. Quum uero repurgata fuerint ulcera, adiuuare oportet quo ad cicatricem perducātur, atq; id per insessus adstringētes & eiusdem facultatis epithemata. Emplastrū igitur ex ouis cōmodè superponitur, & ex hordeo usto, & ex cadmia, tripla eorum parte cum cerato myrteo, aut rosaceo cōtemperata. Si uero magis fluxione affectio infestetur, post repurgationē ulcerum, emplastro ex salicibus, aut icesij, aut ex lolio utendū est, donec in totum ad cicatricem perducantur. Atqui nosse operæpretium est, quòd in quibusdam ob solidam cicatricem inductam, seminis meatus excæcantur, & uis generandi perditur: ita ut appetentiam quidem habeant ad coëundum, nihil autem in totum seminis emittant, atque hæc affectio penitus incurabilis existit. Cæterum si ad multum tempus exulceratio duret, quēadmodum in plerisq; fieri consueuit, tunc sanè & exacerbationes & interualla siue remissiones ægros appræhendunt: quare in exacerbationibus quidem cataplasmata, & fomenta & irrigamenta leniendi uim habentia adhibeantur. remissionis uero tempore ductu ad destruendum malum apto utendum est. Pecten igitur iuxta membranæ peritonæi appellatæ, locum per malagmatum ad hāc rem destinatorum impositionem rubefiat: sunt autem huius facultatis, id quod ex lauri baccis constat, & epithema uiride appellatum, & similia, maximè uero quæ ad calculosos renes sunt præscripta, quin & sinapismo utēdum, & diæta uiribus reparandis apta est constituēda. Quòd si non mansuescant, & diutius durent affectionis dispositiones, crustas circa pectinem & peritonæum membranam infligere oportet, aut per pharmaca, aut per ferrū, sinereq; ut per multum tempus ulcera se per effluxionem repurgent. Neque uero ineptè pharmaca dolorem leuantia in potu exhibueris, si uehementes instent dolores. Et sanè quidam iam papaueris succum erui magnitudine cum croco & myrrha lacte dissolutis in podicem indiderūt, aut cerato ex adipe anserino apparato permixtum & lana exceptum eodem modo intru

intruserunt, scimusq́ eos non uulgarem cõmoditatem inde consequutos. Assumantur etiã quæ per os exhibentur, si quidem urgeat urinæ emittendæ difficultas: ueluti est papaueris albi tosti semen, quod drachmæ pondere tritum in tres cyathos decocti floris iunci odorati, aut calami indici, aut radicis dulcis inspergitur & exhibetur: his fortiora sunt meon, phu, acorum, daucus. Plurimũ autem exulcerationis dolorẽ mitigat hoc. semen cucumeris granorum triginta, nuces pineas duodecim, amygdalas amaras decorticatas quinq́, croci quantum ad colorandum satis est, quotidie ieiunus accipiat cum lacte recens mulcto, aut passo protropo, aut uino, aut sapa, quod si lenius reddere uelis, pro nucibus pineis maluæ semen pari modo recte conieceris. minore item molestia ab ęgro procedet urina, si tragacãthus prędictis cõmisceatur. Probè autẽ exulcerationẽ iuuãt uerbenacæ rectæ folia cum passo potata, in duobus cyathis dissoluta, quo facilè potu accipi posint. Ad urinæ difficultatẽ quidem & ad ipsam exulcerationem pariter cõueniunt, papaueris albi semen, amylum, myrti baccæ nigræ, singulorũ drachmæ quatuor, crocei oui assati dimidiũ; unito, & drach. I. ex passo dato. Quod si multum pus efferatur, ferulæ ustæ drach. I. ex passo diluto exhibita, ipsum repurgat. Deinde autẽ singulis diebus cucumeris semẽ decorticatum, & crocum, obolorum II. põdere, & nuces pineas pityidas appellatas desquamatas V. & anisi obolos III. simul trita cum uino mulso ex calida aqua temperato, exhibeto. Cyphi item & cyphoides ad hepatis ulcerationes præscripta, in paucis adeò diebus uesicę ulcera persanare possunt. Ego autẽ, inquit Archigenes, ad uetera ulcera hoc usus sum, neq́ opus fuit mihi pharmaco magis uariegato. Trixaginis, chamæpityos, cuiusque drac. XXI. asari dra. VII. piperis albi drach. VII. cinamomi drac. I. quàm tenuisimẽ terito, & unita simul reponito. Ego, inquit, ex eo cochlearia II. cum passo diluto præbeo. Quum uero morsus contingit ulcerosus, amyli cochlearijs duobus, & seminis cucumeris granis XV. adiectis, quod uolui sum assequutus. Suffecerint quidem igitur uolentibus bona methodo remedijs uti, hæc à Ruso & Archigene præscripta pharmaca. Apponã tamen & alia cõsimilia itidem à ueteribus tradita. Sint autẽ præscripta eorum quæ describentur quod ad usum pertinet exẽpla. Andromachi, ad ulcera renum & uesicæ. Seminis lini, seminis papaueris albi, seminis cucumeris repurgati, tragacãthi, singulorũ drach. II. amyli drach. IIII. cum aqua conterito, & in pastillos nucis ponticæ magnitudine redigito: ex eisq́ drach. I. cũ passo diluto dato. Asclepiades autem & Eras hoc modo apparant ad asiduos morsus, & sanguinis ex uesica eruptiones. Seminis lini torrefacti, seminis cucumeris repurgati, seminis papaueris albi, tragacãthi, cuiusq́ drach. VI. pasi quantũ satis est, apparato, & ponticę nucis magnitudine cum pasi diluti cyathis II. præbeto. Ad sanguinis eruptiones, cum aqua dato. Oribasij, ad uesicæ ulcera. Prosunt & his quidẽ quæ ad renes affectos sunt descripta, propriè autẽ in potu accepta, portulacæ succus cum passo, graminis decoctũ, lac, uinum dulce, cupresi coma cum myrrha, erui magnitudine. Ad uesicæ dolores, Seminis lini cochlearium I. ex passo, sesamum, seminis hormini drac. I. oxyschœni semen, loti arboris bacca, seminis papaueris drac. I. cum aqua mulsa, floris coroneorum decoctum. Eiusdem, ad renũ & uesicæ exulcerationem. Nucum pinearum heminã italicam, physsalidas numero X. nuces iuglandes octo, alij X. habent, croci drachmas VIII. seminis rumicis drachm. VIII. opij drach. III. seminis cucumeris decorticati drach. III. seminis apij drach. III. mellis cocti quantum satis est. Datur obolorum III. pondere. Aliud, Andromachi, ad uesicam exulceratam & urinæ emittendæ difficultatem. Nuces pineas XXX. amygdalas pręmundatas ustas VIII. carnes palmarũ XXXV. tragacanthi drachmas quatuor, succi radicis dulcis drachm. II. croci obolum I. myrrhæ tantundem. Excipe passo, ac utere ut dictum est. Aliud, ad uesicæ ulcera & inflammationes. Nuces pineas XX. seminis cucumeris grana XX. amyli obolos III. spicæ nardi drac. I. seminis apij drach. II. Spica & apiũ in sextario aquę uno coquũtur, deinde ad decoctũ prędicta miscẽtur. dantur cyathi II. ad uehemẽtes morsus calefacti. Aliud. Amyli drac. VIII. baccarũ myrti nigrarũ maturarũ carunculæ dra. VIII. seminis papaueris dra. XVI. pasi protropi quantũ satis est, apparato, & nucis ponticæ magnitudine ex passo dato. Pastillus ex physsalidibus, ut tradit Eras, ualet ad renũ & uesicæ affectiones, etiã si pus aut sanguis, aut corpuscula mucosa, aut fibris similia, aut crassa, per urinã exeat. Facit & ad scabiosas affectiones, & stillicidiũ urinæ, & ulcerationes ægrè cicatricẽ recipiẽtes: idem & bibitur, & in uesicã inijcitur. Granorũ herbę physsalidis numero XXV. sunt autẽ halicacabo similia, paulo tamẽ maiora: amygdalarum thasiarũ decorticatarum, croci, nucum pinearum tostarum, seminis rumicis hortensis desquamati, singulorum drachm. III. seminis cicutæ, opij, seminis fœniculi cuiusq́ drac. III. seminis hyoscyami albi, seminis apij, cuiusq́ drac. VI. seminis cucumeris satiui desquamati drach. XII. Excipe passo, & drach. I. præbe febre carentibus, cum pasi diluti cyathis III. febricitantibus cum aqua. Cæterum si uehementes fuerint dolores, etiam ante somnum præbe. Per catheterẽ item inijce. Vtere autem ut efficacisimo. Quidam etiã nucis ponticæ tostæ drach. III. addunt. Aliud, ad omnem renum & uesicæ exulcerationem, omnemq́ emittendi urinã difficultatẽ, & calculi affectionem. Portulacam exuccato, succumq́ resiccato, & in pastillos redigito, drachmamq́ I. cum aqua calida potandam præbeto. Pastillus ex tragematis siue bellarijs, ad renum & uesicæ exulcerationes. Vuarum passarum albarũ mundatarum bessem, nucũ pinearum sextantem, seminis cucumeris decorticati, baccarũ myrti exacinatarũ, amygdalarum amararum delibratarũ, aut dulcium, amyli, palmarũ pinguiũ, seminis apij, singulorum sextantem, seminis papaueris albi drach. IIII. tragacanthi, croci, radicis dulcis, cuiusq́ drach. IIII. myrrhæ drac. II. Redige in pastillos cũ cretico passo. Exhibe drac. I. cum pasi cyathis II. Aliud, experimento constans, Olympij sophistæ, ad exulceratam uesicam. Rhei pontici drachm. IIII. seminis cucumeris decorticati drachm. III. seminis hyoscyami drachm. II. seminis maluæ drachmas quinq́, nucum pinearum tostarum drac. VI. seminis apij drachm. I. amygdalas amaras delibratas LXX. cum sapa subige, & ponticæ nucis magnitudine

gnitudine præbe, cum passi diluti cyathis tribus.

Asclepiadæ pharmacum accommodatum, ex cuius usu multos renum affectione appræhensos in totum liberatos scimus. Oportet autem ad multos dies pharmaco hoc uti. Sanat etiam uesicæ affectiones: datur & calculosis, remedio est & colicis. Habet autem hoc modo. Nucum ponticarum repurgatarum, amygdalarum amararum mundatarum, seminis cucumeris depurati, seminis caroi, singulorũ drach. III. seminis papaueris albi, aut si non adsit, cicutæ drachm. VI. croci, seminis maluæ, opij, cuiusq; drachm. VI. seminis hyoscyami albi drach. XII. seminis apij drachm. XII. excipe melle cocto & informa pastillos, datoq; obolos III. cum aquæ mulsæ cyathis tribus. Aliud, ad exulcerationes renum & uesicæ. Damasonij drachmas duas, palmarum drach. X. nucum pinearum drach. VIII. seminis cucumeris drach. IIII. anisi drach. II. amygdalarum amararum drachmas II. croci drachmã unam, dato obolos VII. ieiunis cum passo diluto. Quòd si damasonium nõ adsit, eryngium conijce. Vtere etiam Xenophili antidoto ad calculosos capite XIII. præscripta, & similibus quæ ad exulceratam uesicam itemq; renes ualent, unà cum hoc quòd arenulæ minguntur.

Diæta ex libris Archigenis. Cap. XXX.

Vitet æger omnem delassationem, & lõgiorem ac efferuentem gestationem, maximè uero quæ fit in equo, uigiliasq; & omnem uehementem concitationem, & ecõuerso perpetuum ocium, & balneorum assiduitatem: amplius autem & cruditates, & supra quàm conuenit repletiones, & ne quid crudum in cibo accipiat, & neque quod ægrè concoquitur, aut facilè corrumpitur, aut inflationes parit, sumat: maximè tamen uitet quæ facilè acescunt, & quæ crassi humoris sunt, quæ urinam cient, quæ ægrè secernũtur, quæ difficulter infernè excernuntur, & quæ amplius uentrem perturbant. item omnia acria & feruentia, & quæ accepta amplius adstringunt, & magis resiccant, & non nutriunt, & quæ stomacho inimica sunt, & quæcunq; bilem aut pituitam præcipuè gignere possunt, quare & multus potus, & meracior potus, ac ieiunus potus, omnes incommodi existunt, & uice uersa longa sitis, & inedia, & eduliorum uarietates, & superflua condimenta. omne item nidorosum & graueolens & putridum & crudum præsertim olus incommodum. Hæc enim omnia tum renũ, tum uesicæ ulceribus inimica sunt, atqui si quando appetitui gratificari uelimus, lactucæ cauliculos, aut serin, cruda & cocta minore offensione sumere possunt. A placentis uero & alijs pinguibus abstinere oportet, & à plerisq; bellarijs. Vua passa enim non incommoda est, & nuces pineæ recentes duabus aquis maceratæ, & amygdalę uirides quidem, maturæ tamen & probè mũdatæ, siccæ uero non uetustæ, sed præmaceratæ & decorticatæ, licet & pistacium sumere, melius quidem uiride, aut si id nõ adsit, madefactum, minimè uero uetustum. Thebaica autem palma caryotus qui os non habet, siue id à natura, siue arte ei contigit, acerbior est, & stomachi & renũ & uesicæ debilitati conuenit. Cæterũ genera quidem reliquorũ tandem describatur: speciatim autem panis sit recens clibanites decenter apparatus. Ex uolucribus montanæ & tenerã carnẽ habentes & nõ antiquæ. Ex pedestribus conuenientiores sunt hœdorũ extremitates. Ex aquatilibus ad renum & uesicæ ulcera magis congruunt, apua marina minima assiduè comesta, non inepti sunt etiam aselli parui, & qui gobij appellãtur: extergunt item ulcera gãmarus, locusta, & aliquantulũ etiam squilla, cancer autẽ fluuialis uelut remediũ præbeatur, & herinacius recens familiariter permittatur: ex cõchis uero & peloridibus parũ quiddã uarietatis gratia detur. Pro liquamine autẽ intinctus ac uoluptatis gratia acetũ modicum, & quàm minimũ gari albi & boni concedendũ. Parcè autem utendũ est pipere & laseris succo, nasturtioq; & sinapi, ab eruca uero in totum abstinẽdum, nam & uenerẽ excitat: coitus autẽ omnibus renum & uesicæ affectionibus infensissimus est, & maximè senibus ac natura imbecillioribus. Omnia porrò quæ in cibo sumuntur, mediocris multitudinis sint, etiam si utilia esse ferãtur. Aqua pluuia nõ corrupta omnino melior est: ex alijs uero quę nullam omnino gustanti qualitatẽ exhibet, exquiratur. A' frigidæ potu in totũ abstinendum: frigidum enim ulceribus inimicũ. Balinei uero rarus sit usus: quo uero aliquãdo appetentiæ gratificemur, & lassitudinẽ resoueamus, permittatur. Cæterũ naturales aquas experiri non inutile fuerit: aluminosas uidelicet, sulphurulentas, & consimiles, quales sunt albulæ, & lactei temperamẽti atq; teporis. Frigida etiã lauare ac iritare cõmodissimum est: supra naturam enim ulcerationes ægrè sanabiles, tũ externas, tum internas destruit. De albularũ aquarum potu. Conferent itaq; aquæ albulæ si adsint, & cõsimiles post matutinã deambulationem, trium heminarum mensura prima die potatæ, deinde usq; ad quinq; & sex heminas perueniẽdũ. Ad hoc enim quòd intestinum eluunt, aër etiã ipsarum fuliginosus uesicam ad doloris sensum percipiendũ hebetat, & humoribus segregatis puriorem ac lucidiorẽ sanguinis uaporẽ reddit. quin & ipsæ aquæ ulcera utiliter repurgant, & cum uoluptate infrà subeũt, atq; adeo nihil ægro sanando efficacius deprehendere possis: hora autem calidior ad eas accipiendas apta est. Quòd si nõ adsit huiusmodi aquarum qualitas, adsint autẽ aliæ nullam gustui qualitatem exhibentes, sed latè se ad gustum diffundentes, hæ ipsæ reliquis meliores sunt censendæ, & proximo ab eis loco bituminosæ. Nitrosarum etiã si adsint & salsarũ experimentum sumere prodest: maiorẽ enim quàm credi potest sæpe ex his succedentem uidi effectum. Intercapedine autẽ & distantia à balneo facta, aridarum rerum comestio primum utilis est, nisi sitis simul adsit: tũc enim aqua calida modica sitis extinguẽda est, aut aliquo uino dulciore. Adsit autem & œnanthites & myrtites uinum: nam ea post balnea & exercitia utiliter ad ulcera delabuntur.

De uesicæ fluxione, & his quæ capillorum forma exeunt cum urina, Archigenis. Cap. XXXI.

Fit aliquando & fluxio circa uesicã, ut aliquando quidẽ mucosa, & folijs ac laminis similia, itemq; crassa excernantur, & aut crebro, aut post temporis morã lotia reddantur: aliquando autem aquosa & tenuia. Nouimus autem quosdã etiam pilos per lotium eiecisse, modo inuicem perplexos, modo simplices, & aliquando ualde longos, aliquando breues, atq; eos omnes à fluxione productos. Hæc sanè Archigenes. Galenus autem de hoc ita inquit: Capillis similia

etiam Hippocrates cum urina prodiisse uidit, & nos sanè uidimus quandoque palmi longitudine, quandoque etiam lõgiora aut breuiora: ex colore autem & compage persuasus sum, ex crasso & uiscoso humore calefacto & resiccato in uenis eos coactos esse: quare quum primum uidissem, per urinam cientia pharmaca medelam futuram speraui, atque ita ferè omnibus contigit. Cæterum quibus hęc affectio accidit, nulla renalis mali accessione, neq; antea neque postea sunt uexati, postquàm uidelicet per urinam ducẽtia pharmaca sunt curati. Archigenes autem ad hæc inquit, fluxiones ex locis remouere oportet, uniuersiq; corporis habitum, maximè uero circa renes & uesicam locos uendicare atque corroborare.

De priapismo & satyriasi: Galeni. *Cap.* XXXII.

Priapismus, tentigo est membri pudendi, & auctio in longum & spissum citra rei uenereæ appetẽtiam ex caliditate quadam acquisititia cum inflammatione quadam & dolore locorum consistens. Appellationem autẽ accepit priapismus à Priapo uidelicet Satyro: tale enim à natura habentem pudendum homines fingunt & pingunt. Fit autem affectio aut ob dilatata uenarum ac arteriarũ in pudendo ora, aut flatu uaporoso iuxta antrosum neruũ, ipsum inquam pudendum, oborto. Mihi autẽ, inquit Galenus, propter utrumque fieri uidetur, sæpius tamen ad dilatata uenarum ora consequi. Aliquando autem propter abstinentiam à rebus uenereis: quidam hac affectione appræhenduntur, atq; hoc ipsum eis qui multo semine abundant, simulq; præter consuetudinem se abstinent, euenit, quum non per frequens & multum exercitium sanguinis abundãtiam discusserint. maximè uero hoc illis contingit, qui rebus quidem uenereis opus habent, in imaginationem autem ipsarum perueniunt per uisiones quæ ipsos in rerum uenerearum recordationem impellere possunt. Cæterum dolores eis contingunt, quales tetanici habent, & hi qui reliquis membris distenduntur: inflatum enim & distentum pudendum conuulsionis modo afficitur, & ex præcipiti hoc modo affecti pereunt, nisi confestim eis auxilium feratur. quum uero moriuntur, uentre inflantur, & frigidum exudant, id quod & eis euenit qui aliis conuulsionis modis perimuntur. Propter dolores igitur & inflammationes uenam secare statim à principio conuenit ab affectione pręhensos, & in inedia adseruare usq; ad dies tres, irrigareq; pectinem & coxendices unà cum pudendo ex lanis succidis uino & oleo imbutis: siti itẽ premere, & aluum obturatam euacuare non acri nimium clysteri, ne inflammationes exacerbentur. Cibum autem exhibere frumentaceum paucum atque omnino nihil inflantem, & in aquæ potu continere. Quòd si diutius duret affectio, etiam cucurbitæ cum scarificatione affigendæ sunt: & si amplius sanguinis multitudo adiacere uideatur, hirudines adhibendæ in ipsum locum: cataplasmata uero imponenda sunt ex cruda ordeacea farina. Optimum etiã fuerit aluum submollire per betæ & maluæ decoctum pauco mercurialis succo admixto. Concharum item decoctum in potu exhibendum: ab efficacioribus autem purgantibus pharmacis in totum abstinendum. Cauenda etiam quæ urinæ ciendæ facultatem habent. Vtendum autem cibis frumentacei generis, qui leniter attenuare ualent, citra manifestam calefactionem. Lumbis uero quæ euidenter refrigerant imponenda, uelut est solanum, portulaca, hyoscyamus, & semperuiuum. Necessariò etiam coles & intercapedo inter anum & pudendum ex aliquo leniter refrigerante illinitur, uelut est argenti spuma, cimolia, & cerusa, si aceto, aut posca, aut aqua sint diluta. Optimè autem facit in ipsis ceratum ex rosaceo optimo apparatum, & frigida aqua sæpe elutum, si tum pudendis, tum lumbis imponatur. Porrò in latus decumbere ipsos ex re est, & substernere ea quæ ad seminis profluuium dicentur: in potu amplius prębere quæ ad illos describẽtur. A spectaculis uero & narrationibus, ac commemoratione eorum quæ ad uenerem excitare queant, penitus sunt arcendi.

De seminis profluuio: Galeni. *Cap.* XXXIII.

Profluuium seminis excretio est eius præter uoluntatem, citra pudendi tentiginem. Nomen autem habet ex eo quòd inuitis profluit semen. Fit autem affectio ipsa ob retentiuæ in uasis seminariis facultatis imbecillitatem. Quemadmodum enim in his qui secundum naturam integris uiribus præstant, ea quæ in nutrimentum cedunt retinentur, & excrementa excernuntur: sic in his qui præter naturam habent, recrementa aliquando ob expulsiuę facultatis infirmitatem retinentur, & ob retentiuę debilitatem excernũtur, aut etiam ob aliquam aliam affectionem, quæ seminariorum uasorum partes eodem modo quo expulsiua secundũ naturam facultas mouet: ueluti in comitialibus, & aliis uiolentioribus conuulsionibus cõtingit, aliquãdo etiam in his qui ex conuulsione moriuntur, ut uidelicet semen eis excernatur. Profluuiũ igitur seminis uasorũ seminariorum affectio est, non pudẽdi, quæ dolorem quidem non ita ualde inferre solet, molestiã autem nõ uulgarem & pollutionem exhibet ob assiduum & inuitis contingentẽ seminis fluxum. Oboritur autem aliquãdo etiam ex seminariorum uasorũ fluxione: quandoq; etiam satyriasi præcedente profluuiũ seminis succedit. contingit autem affectio maximè pubertatem transgressis citra decimum quartum annum, imò aliis item ætatibus. Est autem semen quod profluit aquosum, tenue, citra appetentiam coëundi, & ut plurimũ quidem citra sensum, quandoq; uero cũ uoluptate quadam promanãs. Corrumpitur affectis sensim uniuersum corpus ac gracilescit præsertim circa lumbos. Consequitur & debilitas multa non ob multitudinem seminis profluentis, sed ob locorum proprietatem. Non solum autem uiris, sed & mulierculis hoc accidit, & in fœminis sane ægre tollitur. Cæterũ cura communis est cũ ea quæ in omni fluxione adhibetur. Primum igitur in quiete, & pauco cibo, ac aquę potu affectos adseruare oportet: deinde etiam lumbos & pubem contegere lanis uino & rosaceo, aut œnanthino, aut melino madefactis. neque uero ineptæ sunt spongiæ posca imbutæ. Sequentibus uero diebus cataplasmatis ex palmis, malis, acacia, hypocisthide, œnanthe, rhoë rubro, & similibus, insessibus item adstringentibus utendum est, ex lentisci, rubi, myrti, & similium in uino austero siue mero siue diluto decocto. Cibis autem utendũ qui ægrè corrumpũtur, & difficulter permutantur, & resiccandi uim habent. Dandum etiã cum potu ac cibis uiticis ac cannabis semẽ præsertim tostũ,

rutæ

rutæ item semen ac folia, lactucæ semen, & caulicu=li, ac nymphææ radix. In potu uero quotidie pro communi aqua, aqua in qua ferrum sæpe extinctũ est, præbeatur. Quidam uero corticem radicis halicacabi ex aqua eis bibendum prębuerunt, neque ineptum fuerit huius aliquãdo periculum facere. Antidotus etiam hæc magnæ celebritatis, tum ad hoc modo semen profundẽtes, tum ad assidua in somnis profluuia, commodè exhibetur. Seminis salicis drach. VII. calaminthæ drach. VI. seminis uiticis albæ drac. V. rutæ drachm. IIII. seminis cicutæ drachm. II. cum aqua in pastillos digerito, & ex eis ad ponticæ nucis magnitudinem cum poscæ cyathis tribus præbeto. Omnem uero acrium rerum esum, & multi uini potum, & olerum exhibitionem uitare oportet: diętam uero uniuersam resiccatoriã & adstringentem constituere. Post prima autem mox tempora ad unctiones & exercitatricem diætam transeundum, per quam totum corpus & præsertim affecta ad sanitatem perducantur, & plurimo quidem tempore circa unctiones immorandum: paucies uero lauandũ, si aut lassitudini aut cruditati mederi uelimus. Bonum fuerit etiam, si nihil prohibuerit, ad frigidæ lauationem defugere, quæ omnem morbum ex fluxione obortum depellere consueuit, maximè si medicamentaria qualitate aqua prædita sit, uelut sunt in albulis aquæ, quæ etiam in potu acceptæ eis summè prosunt. sunt autem sapore subsalso, & tactu lactei teporis. Conuenit item per interualla quædam, illitionibus & epithematis & malagmatis uti, quæ rubefacere & emollire possint, atq; ea quæ in profundo hærent ad superficiem transferre. Decubitus porrò frequenter in latus fiat, calaminthæ folijs, & rutæ ac uiticis substratis. Epithema autem in eis usu uenit hocce: Capillum ueneris multum, contundito & terito cum aceto, aut apij succo, aut seridis, aut psyllij, eoq; cochlearum carnes coctas excipito, & simul in linteolum infarta coxendicibus imponito. Vtendum uero & præscripto ad priapismũ cerato, & his quæ paulo mox ad seminis in somno profluuia dicẽtur. Omnem autem de rebus uenereis cogitationem excludere oportet.

De seminis in somnis profluuio, Philagrij.
Cap. XXXIIII.

Semen in somnis profundere dicuntur, quicunq; dum dormiunt naturæ genitale semen emittunt: quod ipsum eis ut plurimũ ob uitiati humoris materiam, aut materiæ multitudinẽ, aut ob partium seminaliũ robur cõtingit. Iam uero quidam & ob animi mœstitiam, aut inediam, per somnos præter consuetudinem semen excreuerunt: atq; id materiæ acrimonia iritati, non ob partium seminaliũ robur pertulerũt. Huiusmodi sanè, qui uidelicet animo mœsti fuerũt, aut inediã diutius pertulerunt, in totũ ferè nulla imaginatione præcedente, citra sensum etiam, in somnis profluit semen. Reliquis autẽ non solum cum pudẽdi intensione, sed etiã cum quadam proposita imaginatione, quæ in somnis occurrit, inordinatè semen profunditur. Cæterum pessimus corporis habitus hic est, quum semen multum & calidũ aliqui generãt, quod eos ad excretionem urget, atq; postquam per coitum eiecerint, exolutionem oris uentris patiuntur, & toto corpore exoluuntur, debilesq; fiunt & sicci, & tenues, & pallidi, oculos etiam cauos habent hoc modo affecti. Quòd si à coitu uenereo abstineant, propterea quòd ita afficiantur, capite discruciantur itemq; stomacho, & æstu fastidioq; anguntur, nihilq; magnopere ex cõtinentia iuuantur: contingit enim eis per somnum semen profundentibus consimilia perpeti offendicula, qualia coëundo perpessi fuissent. Quidam uero ipsorũ mordax, & calidum semen percipiunt in excernendo, ueluti ipsi confitentur. His igitur, inquit Galenus, consulere oportet, quo à cibis semen gignentibus abstineãt: accipiant autem non solum cibos, sed & pharmaca quæ semen extinguant: ueluti est uiticis semen tostũ & perfrictum: folia item & flores uenerem cohibere creduntur, non comesta tantũ, sed & in potu sumpta & substrata. Lentium uero decoctum etiã membri tentiginem remittere ac sedare aiunt. Portulaca comesta, & lactucæ semen potatum, & nymphææ radix & semen in cibo accepta, semen refrigerando extinguũt. Ruta uero comesta calore suo semen coagulat & corrumpit. Calaminthem autẽ assiduè edẽtes generandi potẽtia priuari dicuntur, id quod similiter & uiolæ albæ semẽ, & hederæ cacumina nigra tria faciunt. Cæterũ aqua fabrorum ferrariorum in qua ferrũ sæpe extinctũ est, assiduè potata, citra molestiã imminuit semen. Horũ autẽ omniũ sylua uniuersa in secũdo huius tractationis præscripta est Sermone. Compositis porrò ad ipsos utor, tũ his quæ ad seminis profluuiũ sunt præscripta, tum hoc ipso. Ammij grana VI. fœniculi tantundem, foliorum rutæ parum quiddam cum caricis pinguibus tribus, per mensem semel edito, aut quotiescunq; uelis. Atqui assiduum eorum quæ uehementer refrigerant usum, tum in his quæ per os exhibentur, tum in eis quæ forinsecus apponuntur, uitare oportet: ueluti sunt ea quæ ex papauere & mandragora apparantur unguenta. Illitiones autem à balneo adhibeãtur ex mediocriter refrigerantibus. Sunt autem hæc: oleum ex crudis oliuis expressum quod omphacinũ appellatur: rosaceum maximè quod ex omphacino est apparatum, & melinum. Componenda autem sunt aliquando unguenta compage crassiora, ne uidelicet facilè defluãt. Compositio uero ipsorum est ex cera, & succo aliquo adstringente aut refrigerãte commissis, hoc modo. Ceræ partem unã cum quadruplici oleo liquefacito, deinde in mortario cũ manibus sufficienter emollito, & paulatim ex succo refrigerante quantum expedit instillato, unito, ac utitor. Succi uero ad hanc rem apti sunt, succus sempervíui, solani, umbilici ueneris, psyllij & sanguinarię, tribuli, perdicij, nymphæę & portulacæ: uerum hęc succum non emittit, nisi ad eam contusam in pila, aliquis alius tenuis succus affundatur, uuæ pręsertim immaturæ, & rosarum, qui sanè in æstate facilè parabiles sunt. Alij uero multi etiam alijs temporibus haberi possunt, ueluti lactucæ, seridis, stratiotæq; & lentium quę in aquis nascuntur: semen lini etiam in aqua coctum, succum moderatè refrigerantẽ reddit: rhamni item foliorum succus, & quæ his similes existunt. Optimum etiam censetur laminã plumbeam lumbis supponere, tum eorum qui in somno, tum qui aliàs semen profundunt: multum enim refrigerare consueuit. In his uero qui plũbi duritiem ferre non possunt, consulere oportet, ut ex prædictis herbis quædã arefactæ substernantur, quibus etiam

sane ex aceto uitat q[illegible] celsus lib. 4. cap. [illegible]

uiticis folia & modica ruta ac calaminthe commisceantur, maximè uero ipsæ rosæ. Prosunt enim hęc citra renum læsionem. Vehementes namque refrigerationes eorum quæ lumbis subduntur, renes iniuria afficiũt. Ipsum etiam stratum pelliceum sit, & non ualde molle. Decubitus porrò ut plurimum in latus fiat, uitata forma decubitus supina, ne lumborum arteriæ inde supercalfiant. Atque hæc quidem communis est omniũ quibus semen in somnis profluit cura. Cæterum eos qui prædictum uitiosum corporis habitum & constitutionem habent, de illis dico, quibus ex coitus usu stomachus iniuria afficitur: illos, inquam, obseruare oportet, quando maximè seminis multitudo, quę excretionem expetat, cõgregata appareat: & tunc sanè in die quadam moderato ac boni succi cibo usi, à cœna quum ad somnum uertuntur, coitu utantur: sequenti uero die quum sufficienter dormierint, & à somno surrexerint, linteolo corpus perfricent, donec cutis quendã attrahat ruborem: deindeq́ olei cõfricatione, & intritu moderatè utantur, & aliquãtulo temporis spatio interiecto, panem bene fermẽtatum, clibanitem, purum, modicum ex uino diluto accipiant, atq́ hoc modo ad consueta munia obeunda perueniant. Eo uero tempore quod inter olei intritum & panis exhibitionẽ intercedit, si locus adsit in uicinia aptus, in eo paulisper deambulent: si uero hyemis tempus instet, melius fuerit tamdiu intus deambulare. Abstineant autem à spectaculis & lectionibus quæ ueneræ rei usum in memoriã reuocare possunt. Et quotidie sanè hoc modo affecti exerceantur his exercitiorum generibus, quæ per supernas partes fiunt. At uero corroborationẽ stomachi ex esu panis cõmunem designamus in omni homine, cui bilis efferuescit, & qui stomachũ exolutum habet. Quare & hi circa horam tertiam diei modicũ panem ex uino cum calida aqua diluto madefactum accipiant, atq́ ita ad consuetas operas prodeant.

De his qui re uenerea uti non possunt. Cap. XXXV.

Qui re uenerea uti cupiunt, ignaua autem & impotentia mẽbra habent, infernas coporis partes exerceant, inguinaq́ & femora his confricent, pipere uidelicet, nitro, & euphorbio cum oleo, unguentisq́ ex huiusmodi rerum ammixtione apparatis: exempla autem componendi paulo pòst dicemus. Dormiant in mollibus lectis, legantq́ quæ ad coitum cohortantur, lectionibus itẽ ac spectaculis eiusmodi asideãt. Cæterum edulia & pharmaca ipsis conueniunt calefacientia & inflantia, ueluti sunt, cicer, fabæ, halica, porri, bulbi, pastinacę radix & semen moderatè, nuces pineę, ari radix cocta, colocasiȷ radix cocta, itẽq́ dracunculi, urticæ semen, rapi semen, erucæ tum folia, tum semẽ, maximè agrestis, costus & piper cum uino mulso, satyrium, sesamum, horminũ, amygdalæ moderatè, anisum, polypodes & concharum genera omnia: perdicis item oua ad coitum excitant, & testiculus galli. Seminis uero multitudinem augent omnia bono succo prædita: testes uulpis sicci triti cochleariȷ mensura potati innocuam & minimè uanam membri tentiginem faciunt: partes etiam renes scinci amplectentes ad tentiginẽ pudendorum excitandam bibuntur. Orchis, herba est quæ testiculi appellationem habet, eius maior bulbus cũ lacte potatus tentiginẽ ciet: minor uero cũ aqua potatus, tentiginem remittit. Compositũ tentiginem ciẽs, & faciẽs ad languorem membrorũ, ac resolutionẽ. Sinapis, radicis panacis, seminis erucæ cuiusq́ drach. VIII. seminis cardamomi drach. IIII. piperis grana XX. redigito in pastillos cũ erucę succo, & dato dra. I. ieiunis cum uino ueteri adstringente. Aliud. Seminis hederę nigræ, floris chamęmeli, seminis oxyschœni, cuiusq́ drach. IIII. seminis erucæ, piperis albi, sinapis, cuiusq́ drach. I. pyretri drach. IIII. excipe melle, & ad strigmentorũ spisitudinem redige, prębe à balneo nucis põticæ magnitudine. Aliud. Pudendum cerui aridum urito, & drachmã unam cum uino meraciore præbe. Experimento constat. Aliud, quo & ego utor. Seminis hormini, sesami, piperis, seminis erucæ, sinapis, nucum pinearum, caudæ scinci, satyriȷ, floris iunci odorati, styracis, seminis porri, uuæ passæ, singulorũ æquales partes, mellis quantum satis est: præbe drachm. I. Aliud, quo etiam ipse utor. Salis cõmunis torrefacti sesquisextarium Italicũ, hoc est, uncias XXXVI. seminis hormini scrupulos duodecim, spicæ nardi unciam unam, salis scinci unciã I. caudæ scinci drachmas quatuor, ammiȷ scrupulos duodecim, satyriȷ sextantẽ, piperis unciam unam, seminis cardamomi unciã unam, seminis fœniculi unciam unam, myrrhæ unciam I. seminis erucæ drachmas sex, seminis uerbenacæ supinæ aridi drachm. tres, seminis sanguinariæ sicci dra. II. nucum pinearum unciã unam, physsalidum drachmas IIII. seminis hyperici drach. IIII. contundito, cribrato, & ad uesperam cochleariũ quomodocũq́ uelis exhibeto. Aliud uehemẽter efficax. Myrrhę, piperis, spicæ nardi, tragacanthi, cuiusq́ drachmã I. thuris sesquidrachmã, croci drach. I. styracis, galbani, dauci, seminis hormini, cuiusq́ dra. II. cachryos, seminis fœniculi, seminis lini, seminis urticæ, seselis, cumini Aethiopici, anisi, seminis erucę, cuiusq́ drachmas VI. erui albi tosti drach. VI. seminis apiȷ drac. III. sesami non loti drach. X. amygdalas amaras delibratas quindecim, amygdalas dulces triginta, nuces pineas centum, bulbos crudos magnos sex, mellis quantum sufficit, ut ad cerati crassitiem redigatur, præbe drachmã I. ante cœnam, cum uino mulso maximè, aut uino austero. Facit ad tẽtiginẽ, & superabundantem rei uenereæ usum ciendum, in senibus pręsertim & debilitatis. Facit & ad liberorum procreationem. Vnguentũ efficacissimũ. Olei uetustissimi librã I. erucas in tithymallis repertas nonaginta sex: erucas in æstate, dum in uigore est herba, accipe, & in oleũ coniectas ad solem per dies septem expone, & postea oleo utere: ani & pudendi intercapedine, itemq́ lumbis ex eo confricatis. Idem etiam pinus erucæ faciunt, & tentiginẽ uehementer cient.

Oribasiȷ satyrica. Zingiberis, radicis satyriȷ superioris, cuiusq́ drac. VIII. caudę scinci, mei, asari, petroselini, cardamomi, seselis, cuiusq́ drac. IIII. seminis erucæ drac. III. cinamomi drach. III. hormini, piperis, seminis urticæ, cuiusq́ drachm. II. floris iunci odorati drac. I. spicæ nardi drac. I. sanguinis hircini sicci cochleariũ plenum, datur drachma I. cum uino, imbecillioribus uero cum lacte. Oribasiȷ, ad pudendi lãguorem ac resolutionem, pręsertim senum. Seminis erucæ drachm. II. cumini unc. I. portulacæ unc. I. excipe melle, & mane ac uesperi cochlearium præbe. Porrò ad coitum concitat passer troglodytes

dytes appellatus, in cibo acceptus. Verum his, qui frequentius & suprà quàm conuenit inde coëunt, urinam capræ bibendam præbe. Oribasij, tentiginem ciens. Piperis, petroselini, nucum pinearum, scobis pudendi ceruini aridi, terebinthinæ, æquales omnium partes melle excipe, & cum uino bibẽdas præbe. Aliud, Oribasij. Stellionem ustum quàm tenuissimè conterito, deinde oleum affundito, atque ex eo magnum dextri pedis digitum inungito, & coito: ubi uero à coitu cessare uelis digitum ipsum abluito. Aliud eiusdem. Leporis coagulum, aut leonis adipem pudendo illinito: deinde tria piperis genera cum tragacanthi succo testiculis intercapedini inter anum & pudendũ, ac lumbis oblinito. Ex Rufi libris unguentũ efficax tentiginẽ ciens. Myrrhæ drachmam unam, sulphuris uiui drachmã unã, cnici interioris drachmã unã, pyretri obolos duos, melanthij drach. II. piperis grana XXX. grana cnidia depurata uiginti, cõtundito, & cũ drachma una succi scillæ terito, ceræq; unciam unam, cum olei cicini besse colliquato: mellis item quadrantem adijcito. Vtitor. Post coitũ uero cum linteolo loci diligenter extergantur. quidam uero hoc unguento sedem illinunt. Porrò Rufus etiam hæc addit. Facilè est, inquit, & hic remediũ reperire, his qui uenere uti non possunt. Adolescens enim quispiam nos accessit, & se uehementer coitũ appetere confessus est, uerum ubi commisceretur, semen emittere non posse, sed flatus plurimos sibi per sedem erumpere. In hoc itaq; cõiecturam feci, uasorum seminariorum siccitatem adesse: quod ipsum etiam adepta sanitas demonstrauit. nam postquàm humida & boni succi diæta esset usus, semen emisit. Alius item adolescens domesticus minister, confessus est se, quando cum muliere rem haberet, semen effundere non posse: quum uero dormiret, plurimum ei semen prodire. Visum itaque mihi est, uasa eius seminaria propter multam unà cum frigiditate humiditatem, calfieri non posse: propterea quòd caliditas in coëundo ad corporis superficiem diffunderetur. In somnis uero amplius calefieret, propterea quòd somni interna calefaciunt, & refrigerant exteriora. Quare hunc ipsum infernas partes exercere iussi, atque id maximè per equitationem. Castorium etiam bibendum præbui, & diætam omnem calidam & siccam constitui.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN DVODECIMO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBUS MEDICINAE TETRABIBLI SIVE QUATERNIONIS TERTII SERMO QUARTUS ET EX ORDINE DUODECIMUS.

De ischiadicis siue coxendicum dolore, deq; podagra & articulari morbo, quem Græci arthritidem appellant.

De Ischiadis siue coxendicum dolore. Cap. I.



ARCHIGENIS, Ischiadici, hoc est ex coxẽdicum dolore affecti, propriè dicũtur quibus dolor circa iuncturam quandã uertebrarũ innititur. Antecedit autẽ & quasi auspicatur hoc malum aliquando quidem uicinorum musculorum dolor, & maximè lumborũ: aliquãdo uero ab ipsa iunctura initium fit affectionis. Iam uero quandoq; etiam contingit ut uertebri dolore ferè sublato, circa poplitem solũ afflictio hæreat: alijs autẽ iuxta talũ: quibusdã uero totũ crus æqualiter dolore affligitur. multis itẽ circa inguina dolor figitur, & tũ sanè uesica ipsa molestiã transsumens, urinæ difficultatẽ inducit: & tũc maxime totũ crus à coxendicibus usq; ad calcaneũ dolorẽ perfert, & non solũ si ipsum crus moueatur conuulsiones infert, uerũ si etiam aliqua alia coporis pars agitetur. Generant autẽ hanc affectionẽ assiduę cruditates, & immodicus rei uenereę usus: aliquando etiã deambulationes concitatiores, & hæmorrhoides suppressæ, & uomendi consuetudo intermissa, & purgationes mẽstruæ, aut etiã aliæ familiares excretiones impeditæ, & exercitiorũ contemptus. Cõmunis quidem igitur ischiadicis, podagræ, & articulari morbo existit ualida alicuius humoris ubertas, quæ affectum articulorum nexũ occupat: quo impleto exporrecta neruosa corpuscula tensione affliguntur, atq; ex his oboritur dolor. Cæterum ad affligentis humoris cognitionem conferet diæta quæ præcessit, & anni tẽpus, & aëris nos ambientis status, ætasq; & habitus, itemq; color corporis: amplius autẽ & doloris specimen, siue feruẽs & pungens, siue stupidum. Initiũ igitur curationis fiat ab affligentis humoris euacuatione, & si quidẽ humoribus ex æquo redundarit corpus, prę omnibus uenæ sectio adsumatur: deinde etiã purgatio: postea uero ea quæ dicentur pharmaca oportune & ordinate adhibeantur: ita ut in manibus quidem & pedibus pharmacis fluxum repellẽtibus utamur, circa coxẽdicum uero iũcturam id facere uitemus: quum enim hic cõnexus in alto situs sit, sanguis ex uicinis & ambientibus uenis ac musculis ad ipsum impellitur: quare lenitiuis in principio opus est pharmacis ad coxendicũ dolorem, atq; ea neq; omnino refrigerent, neq; fortiter calfaciãt. Etenim quę refrigerãt, ad connexum materias impellunt: quæ uero uehementer calefaciunt, aliam amplius materiam ex adiacentibus partibus adtrahunt. A' multitudine itaq; sanguinis coxendicũ dolorem obortum uenę sectio curat, si primũ cubiti uenã secemus: deinde etiã eam quæ iuxta talos est, aut poplitem. In principio enim omnium inflammationum diuulsoriam uenæ sectionem facere oportet, ueluti si pes sit inflammatus, ex uena è directo loci affecti sita sanguinem extrahemus. In affectionibus uero iam inueteratis, maxime quidem ex ipsis locis affectis extrahemus: aut si id fieri non possit, ex uicinis. Post sanguinis uero è cubito detractionem, à talo repetita sectione auferre oportet, secanda est autem interna uena iuxta talos sita: uiriliter enim imbecillis auxiliatur. Et scio, inquit Galenus, coxẽdicum dolores in una die curatos per hanc ex cruribus euacuationem, maxime si non à frigiditate sint oborti, sed ex uasorum sanguinis circa coxendicẽ repletione. In omni equidem coxendicum affectione, præcipue tamen ea quę humoribus ex æquo redũdantibus oboritur, si quis prius quàm corpus euacuet, acribus pharmacis ad affectã particulam utatur, ęgerrimè sanabilem affectionem reddit, utpote multitudine ibidem insolubiliter condẽsata: supra reliqua enim inspissatur & uiscosa redditur, & ob acrium pharmacorum caliditatẽ & siccitatem nõ dissimile quippiam assationi perpetitur. Ab euacuatione igitur totius corporis, ut quæ maxima facultate ad huius affectionis curam præstet, curandi initium faciemus: & non solum à cruribus, sed & à cubito primũ sanguinem extrahemus. Sunt & uomitus ischiadicis cõmodi, atq; adhuc amplius quàm per uentrẽ euacuationes, nimirum retrahẽtes humores infrà repentes. Eos igitur in principio affectionis facere à cibo expedit. Inueterato uero malo etiã à pharmacorum uomitũ cientiũ acceptione, ita ut à mediocribus incipiamus. Porrò quibus iam indissolubilis humorum coactio in ipso articulo à medicis per immodicum acrium pharmacorum usum facta est, his cucurbita quàm maxima cum scarificatione locis affixa auxiliatur, & purgatio per infusa efficaciora. Qui igitur iã dicta prę oculis habuerint, etiã prescriptis à ueteribus medicis pharmacis iuxta methodũ poterint uti. Itaq; post uenæ in cubito sectionẽ, & à talo itẽ sanguinis detractionem, aut per purgatiuũ euacuationẽ, ubi uidelicet aluus leniori clysteri iniecto excreuerit obturata, irrigare locos oportet, primũ quidẽ ex oleo rutaceo, postea uero etiã efficacior irrigatio adhibenda quę sensim calfaciet, & materias ex alto ad superficiẽ attrahere possit, qualis est quæ ex cyprino, aceto, nitro, & cãchry cõstat: ita ut octo quidẽ cyathi olei cyprini, quatuor uero acris aceti, duo autẽ nitri, & unus cãchryos conijciantur, & donec ter aut quater efferueant, coquantur: pòst uerò expressus & in lanis succidis exceptus succus sup affectos locos imponatur, uerũ quotidie renouare hanc irrigationẽ oportet, & tribus uicibus hoc fotu admoto ꝓfectus animaduersionẽ habeto. Multos enĩ, inqt Archigenes, uidi q nullo alio prę sidio op9 habuerũt. ego uero, inquit, post ꝑdicta etiã

simpliciorem

simpliciorem clysterē infundo, & sequēti die acriorem, atque haud scio an ullus tam degener coxendicum dolor reperiatur, qui huic præsidio non cedat: aut si aliquando ad primam adhibitionem non cessit, post alterum eius usum penitus excisus est. Apparatur autem acrior clyster hoc modo. Mellis sesquicyathū, olei tantūdem, aquæ cyathos II. nitri drach. VIII. terebinthinæ drach. IIII. hæc unita & calefacta infundito, & podici fomentum apponito, quo diutius infusum cōtineatur. nam sic magis operatur, ut plurimū uero mucosam humiditatem extrahere cōsueuit, aliquando autem & sanguinem, quando etiā maior commoditas resultat. Quòd si adhuc affectio ipsa persistat, paucis diebus interpositis, non tamen ut prioris præsidij utilitatem demoliamur, rursus clysteri utemur pro simplici aqua, cētaureę decocto ad prædicta affuso, quo robustius pharmacum reddatur. Supra opinionem autē ipsis commodat cucumeris syluestris radix in tenues partes concisa, deinde paulū cocta, atque decocto eius cum solo melle infuso, citra omnem mordacitatem euacuat affligentē humorē. Optime etiam facit lupinorum amarorum decoctū cum pari oleo infusum. Sæpe enim, inquit Archigenes, hæc prædicta cura ad omnes ischiadicos mihi suffecit. Quòd si tamē affectio adhuc remoretur, cucurbita quàm maxima cum plurima flamma locis affigatur, uulnusculis etiam altioribus per scarificationem impactis. Cæterum & reliquam curam referre operæ pretiū existimo, ut nota sit, si quādo usus eius necessario expetatur. In omni enim tempore plurima curationis principia cōstituenda: hoc enim modo facilius affectio destruetur, si assiduæ præsidiorū permutationes fiant. Itaque ubi rursus mederi cœperis, uomitib. uteris siue à cœna, siue à raphani acceptione cōcitatis: deinde loci affecti & totū corpus in balneo per nitrū extergatur, post balneū autē loci ex unguēto per adarcē & euphorbiū cōposito illinantur. Deinde rursus aliud medendi initiū à purgatiōe facies. Solitus autē fui, inquit, purgatiuū ad ischiadicos assumere huiusmodi. Colocynthidas quotquot uelis accipito, & derasa ac proiecta medulla ipsas oleo optimo expleto, & totam noctem sinito, deinde oleo per se effuso, cum uacuo colocynthidis calice aquā una & dimidia olei mensura commēsurato, ac in ollam fundito, atque cum ea ipsa communi aqua colocynthidas ipsas donec flaccescant, coquito: & expressas ipsas quidem abijcito, liquorem autem excolato, & affuso ad ipsum oleo feruefacito, ac panis siliginei contusi & cribrati quantū satis erit inspergito, manibusque satis diu emollito, ac pilulas ad nucis ponticæ magnitudinē formato, ex eisque XXIIII. pilulas à balneo exhibeto. Si uero fortius reddere pharmacū uelis, ad hāc dosim ueratri nigri corticis tenuissime triti obolos tres, & scammoniæ scrupulum unum adijcito. Possum autem idem de hoc præsidio quod suprà de clysteri dixi referre, quod uidelicet solū aliquando sufficit etiā eam quæ per multū tempus indurata est coxendicum affectionem extirpare: licet itaque eo sæpe uti, multitudine tamē eius imminuta, & sanè moderatam eius multitudinē obseruauimus numerū XVIII. pilularū. Eis uero qui pilulas deuorare non possunt, colocynthidis cremorē exhibeto hoc modo. Colocynthidē quàm maximā perforato, & eiecto semine, relicto autē eo quod instar tomēti inest in totū, colocynthidē ex uino dulci ueteri expleto, & per totā noctē sinito, & cū desecto ex ea operculo cooperito. Mane uero ex colatū per panniculū uinū, & tepefactum bibēdū præbeto. Si uero parua fuerit colocynthis, duas pro una uino expleto & exhibeto. Quòd si efficaciorē reddere uelis hūc cremorē, ueratri nigri obolos tres adijcito, & scammoniæ sesquiobolum. Cæterū per interualla quædam prædicto clysteri ex cucumeris uidelicet syluestris radice apparato, etiam ad ipsos utaris.

De herba iberide, quæ & cardamine appellatur, eiusque sinapismo. Cap. II.

Quòd si uestigium quoddā affectionis relinquatur, herbæ iberidis quæ & cardamine appellatur, radix assumenda est: etenim odorem & saporem ac figurā cardami, hoc est, nasturtij, habet. Multa aūt ubique nascitur, maxime tamen circa uetera monumenta murosque & circa uias in incultis locis. folia autem habet nasturtij uere quidē uirētia, & nasturtio multo maiora: lōgitudo uero caulis cubiti parui est aut paulo amplior: æstate florē lacteū promit, & tūc sanè efficacissima cēsetur: semē fert quàm minimū, atque idipsum per totū caulē enascitur. Radix uero acerrimū habet odorē, & maxime omniū nasturtio similem. Hāc æstate maxime recentē effodito (arida enim uires amittit) & diligenter tundito: tunditur autē difficulter, & axūgia ueteri modica excipito, ac iūcturæ coxę & uniuerso cruri imponito, adalligato, ac incūbere sinito, mulieribus quidem non infra duas horas, uiris autē per quatuor horarū spatiū, si possibile sit id perferre, excitat tumores cū ardore & rubore, ueluti sinapismus facere solet: post uero in balneū inducito, nullo unguento aut smegmate eis illito. ubi uero modicū exudauerint, in soliū ob feruorē mordacius desidere iubeto, idque fortiter perferre cogito. morsum enim cū ardore in principio inferre cōsueuit: deinde educito. Ferme enim semper, quamuis ab alijs fuerint importati, sua sponte pedibus ingredientes, exibūt. Verū à balneo ad oleū multū paucum admodum uinum ammisceto, & conquassata illinito, ac humore cum aspero panno deterso, crus ipsum cū leuissimis lanis cooperito. Et sanè cōsueuit hoc ipsum præsidiū nullo alio inde auxilio opus habere. quòd si tamē aliquando uestigiū affectionis relinquatur, uicenis horis siue diebus interpositis, rursus eodē pręsidio utaris. Atque hic quidē sinapismi est modus. Cęterū pharmacum ipsum plures quàm sperare possis in se cōplectitur cōmoditates, & cū minori acrimonia eius usus perficitur. Hoc autē utendi modo etiā ad inueteratos capitis dolores, omnesque alios diuturnos dolores, quacunque tādē corporis parte cōstiterint: ad affectiones itē ægre solubiles, & resolutiones persanādas uti licebit. Ceratū ad ischiadicos: Archigenis. Porrò interiectis diebus quibus ab exhibitione remediorū quiescis, ceratū locis imponatur huiuscemodi. Opopanacis drach. VIII, in aceti cyathis II, dissoluito, deinde cerę trientē, cū besse olei cyprini liquefacito, refrigeratoque ac leuigato, & ad dissolutū opopanaca cōijcito, unito, ac utitor.

De ustione. Cap. III.

Veteres, inquit Archigenes, etiam ustione in ischiadicis usi sunt, tū per cauteres ferreos igni candefactos, tum per struthij & aristolochiæ radices coxæ iun-

ctura in altum perusta, itemq́ crure per interualla quædã, circa dolentes maxime locos cautere admoto. Quidam uero alij ad propinquę cruri affecto manus locum inter magnum digitum & indicem medium, circa infernum magni digiti siue pollicis articulum, caprinum stercus ferueſ per forcipem imponunt, stercoraq́ uariant ac permutant, donec sensus ustionis ad locũ affectum perferatur: tunc enim sufficientem ustionem esse dicunt. Dioscorides autẽ hanc rem ita tradit, Caprinum, inquit, stercus feruefacito, & extenso magno manus digito, cauum locum circa inferni articuli eiusdem digiti finem notato: deinde locũ ipsum ex oleo prælinito, & lana conuoluta oleo imbuta ad cauum locũ substrata, sigillatim caprinum feruefactum imponito, quousq́ sensus per brachiũ ad affectam coxã procedat. Antylus autẽ, nos, inquit, etiã huiusmodi urẽdi modo utimur: stercus caprinum siccum feruefacimus, eoq́ uetrem magni digiti affecti pedis perurimus paulo infra unguẽ usque ad os ipsum ustione penetrante. Hæc ipsa ustio extremas coxendicum affectiones, & quę nulli alij præsidio cedunt, dissoluit. Cęterum post ustiones porri folia cũ sale trita, aut oliuas nigras cũ sesamo illoto tritas, aut nucum interiora trita, ad locum crustosum imponito. Eis uero qui molles carnes habent, lac cũ melle adhibeto. Tertio autẽ die ab ustione, lenticulam coctam cũ melle donec crustę penitus excidant, cataplasmatis modo imponito: atq́ deinde suppuratorio ductu utitor, ulceribus ad plures dies adseruatis, ne cicatrix eis obducatur. Nouimus, inquit Archigenes, plurimos qui ex prædictis ustionibus opem senserunt: uerum nobis, inquit, ad coxarum affectionis demolitionẽ prędicta remedia suffecerunt, itemq́ malagmata quæ paulo pòst dicentur: apposuimus autẽ De ustione, ne uidelicet eius usus ignoraretur.

Cura affectionis exacerbatæ. *Cap.* IIII.

Archigenis. Tempore porrò exacerbationis reliquę partes fascijs circumligandæ sunt, & diligenti fricatione contrectandæ: irrigationes item locos impinguantes, & per uices mutatæ, ex oleo sicyonio calido adhibeantur, & cum lana conuoluta contegantur. Cataplasmata autem ex semine lini ac fœnigręci affectis partibus imponantur. Maxime uero quę ex loliacea farina apparantur, ac quædam calefacientia assumunt, & altheæ radicem. Mitigant etiam uehementes dolores ex oleo fomenta, & ex milio fricto, itemq́ sale in sacculis calfacto. Potiones ad ischiadicos. Succus cyrenaicus exacerbationes diffundit, erui magnitudine potatus, aut deuoratus. Sũme facit & castorij dra. I. cum opopanacis obolis tribus. Alia potio ad ischiadicos. Farinę erui, anisi, fœniculi, singulorũ parem mensuram conijcito, tundito & cribrato, obolosq́ nouẽ in dimidia uini hemina dato. Multa crassa per urinam ducit. Vbi uero purum prodire uideris lotiũ, ne amplius præbeto. Alia.

Centaureę minoris ramulos cõtundito & cribrato, ac ieiunis cochleariũ ex aqua calida ad horas tres aut plures dato. Alia. Radicem rubiæ contundito, & cribrato, similiterq́ præbeto, sanguinem per urinam educit, quotidie autẽ bibẽtem lauato. Auxiliatur item irionis semen cum uino, & smyrnij semẽ eodẽ modo. Seminis nasturtij dra. I. cũ uino: radicis capparis corticis drac. I. cum uino: radicis iridis tritę drach. I. cũ passo: ruta syluestris, & domestica, cum anisi decocto: symphyton in petris nascens, cum uino mulso decoctũ: radicis altheæ decoctum, aut centaureæ minoris: ammoniaci thymiamatis dra. I. ex aqua mulsa: seminis hyperici drac. I. quod ipsum & stercora educit, itemq́ pituitã: Baccæ iuniperi ex uino: Bitumen pro catapotio deuoratũ: carpobalsamũ ex aqua mulsa. Cęterũ & potiones dolorẽ lenientes, itemq́ soporiferæ, ubi dolores restiterint, cõmode assumi possunt: maxime tamẽ omniũ antidotus quę pæonia appellatur, in tertio decimo Sermone descripta. Ego autẽ, inquit Archigenes, etiã in exacerbationibus prędicto clysteri usus sum, eo uidelicet qui ex terebinthina & nitro constat, & euidentem permutationem feci. Poteris autem & cucumeris syluestris decocto in exacerbationibus uti. De reliqua diæta, Archigenis. Subiungemus autẽ ex ordine & paucis reliquã curam. Prę omnibus igitur adhortor ut contentiones, & exquisitæ negociorũ incommoditates eis exhibeantur, nõ solum à cibo accepto, sed etiã sumẽdi cibi tẽpore, diæta unctoria & impinguãtę cõstituta, quo similiter carnis incremento sit consultũ. Nam si hanc ueluti neruorũ operculũ, acquisierint, tutum simul ad omnẽ externam causam inuentũ habebimus, simulq́ commodã exercitationem omni unctoria diæta potiorẽ apponemus. Vngantur autem ab expertis & gymnasijs exerceantur. Minime enim molesti labores fient cũ perito præexercitatore: & manus sanè exercitijs tritæ cõmodiores sunt mollibus ad curationem. At uero significandum est etiã quod ischiadici ab assiduis flexibus & deambulationibus, & moderato cursu quàm cõmodissime opẽ ferre possint. Præcedat itaq́ gestatio in equo, deinde naturaliũ aquarum usus, primum quidem calidarũ, deinde etiã frigidarũ, si enim ad frigidæ lauationem adsuescant, sola suffecerit ad incolumitatẽ acquirendam. Cæterũ diæta tempore quidẽ exacerbationis sorbilis sit & modica, per interualla uero solidior & reparandis uiribus magis accommodata, habeatq́ acriũ eduliorũ comestiones quasdã per aliquot dies adiunctas. Eorum autẽ syluam sæpe iã apposuimus, utpote quæ nihil uiscosum, aut crassi succi, aut ægre concoctile, aut quod difficulter digeritur, cõplectitur. Bonæ uero concoctioni in primis consulant, non solum damni quod ex cruditatibus prouenit ratione habita, sed & incremẽti carnis, qua prę omnibus ischiadici opus habent. Quin & qualitates eorum quæ ægre concoquũtur fugiendæ sunt, præsertim corũ quæ urinã ducunt. Aluum autẽ probe solutã habere expedit: premuntur enim & aggrauãtur articuli, ubi ipsa fit adstricta. Neque uero assidue profluat uenter. Nam id imbecilles reddit, & quod cum purgationis impetu à toto corpore attractũ est, idipsum uicinas partes replet. Contingit tamen etiã aliquando à periculosa dysenteria oborta omnem coxarum molliciem ac aptitudinem ad affectionem corrigi & emendari. Præstat etiã uomitus per interualla siue à cibo accepto, siue à raphanis. Neque latet nos quosdã ueratro ad ischiadicos usos esse. Scimus item ueratrum efficaciter auxiliari: Verum non suspicamur eius usu opus esse ad hanc affectionẽ, utpote quæ ab antè tradita cura extirpabitur. Cataplasma ischiadicum. Farinam lupinorum amarorum in aceto mulso aut posca decoctam

ctam imponito. Aliud. Calaminthen præsertim uiridem, aut si haberi nequeat, cum posca locis imponito, est enim præsidium praeclarum. Aliud, facit ad uehementes dolores. Papaueris calices in aqua mulsa decoquito, ipsisq; proiectis farinam or deaceã aquę mulsę incoquito ac imponito. Aliud.

Calices papaueris uirides terito, & adspersa polentæ farina, in pastillos redigito, eosq; in umbra resiccato. Vsu uero expetente in sufficienti aceto dissolutos ac calefactos imponito. Aliud Asclepiadæ, ischiadicis, podagricis, & articulorum morbis euestigio auxiliatur. Fœnum græcũ in fictile uas coniectũ & posca sufficiẽte affusa per integrã noctem macerato: mane uero ad ignem appositum donec soluatur coquito: deinde in mortario tritum, & sufficiẽti melle affuso calefactum, & linteolo exceptũ ad affectos locos apponito, & fasciola adalligatum sinito, idq; per dies duos aut tres facito. Aliud. Radicis symphyti sexuncẽ rasam & in tenues partes cõcisam in pilam testaceam conijcito & enixe terito, atq; ubi contrita fuerit, mannę quadrantem, & ouorum recentium crudorum candida tria unà cum luteis adijcito, rursumq; enixe terito, & contritis lib. I. adipis suilli ueteris probe subacti addito, unito, ac linteolo excepta imponito. Euestigio dolores mitigat, & præsertim cum fluxione articulorum obortos. Aliud Asclepiadæ. Fœni græci mola triti, corticis radicis mandragoræ, mannæ, cuiusq; quadrantem, oua cruda recentia x. radicis maluæ lib. I. radicis symphyti lib. I. carnis cochleæ terrestris sexuncem. Vt prædictum est apparato diligenter, & sublatum reponito. Vsus uero tempore pharmaci partem unam, adipis suilli ueteris partes duas accipito.

Epithemata & malagmata ad ischiadicos. Cap. V.

Malagma, inquit Archigenes, quod ualde multo experimento nobis constat, est subscriptum, uerum cucurbitam prius ad dolentes locos affigere oportet: ipsum autem malagma aliquandiu inhærere consueuit, quare expectabis eius utilitatem. Colophoniæ lib. I. baccarum lauri bessem, seminis raphani trientem, corticis capparis libram unam, picis aridę librã unam, pyretri libram I. ceræ libras duas & dimidiã, fœnigræci bessem, iridis libram I. sinapis bessem, nitri libras duas. Nitrum cum aceti libris duabus terito: deinde reliqua arida inspergito, simulq; terito, affusisq; liquefactis, emollito, ac utitor. Hoc quidẽ igitur malagma eiusmodi est, quod malum penitus extirpat, cutẽ rubefacit, & materias ex alto ad superficiem educit, quo sanè in principio nõ oportet uti. Verũ quod sequitur leuissimum est & multæ commoditatis, quoq; citra formidinẽ conuenit uti. Ceræ trientem, styracis sesquunciam, satyrij sesquunciam, aloës primariæ sesquunciam, ammoniaci thymiamatis sextantem, croci unciam unam, pyretri unciam I. opopanacis unciam unã, galbani unciam I. thuris unciam unam, olei ueteris libras quatuor, aliquando autem sextantem solum in æstate: Apparato, & utitor. Præter opinionem etiam facit ad ischiadicos emplastrũ pardalis appellatũ, quod ad hydropicos inuenies descriptũ. Leæna emplastrum, malũ penitus extirpans. Olei ueteris libras duas, plumbaginis, salis communis, terebinthinæ, singulorum libram unam, squamæ æris quadrantem, æruginis, herbæ lanariæ radicis, chamæleonis nigri radicis, aristolochiæ, sinapis, singulorũ sextantẽ, aliquando etiã cãchryos unciã unam, aut pro eo pyretri tantundem. Auxiliatur etiã capiti ad hemicraniam impositum. Hierę, ad ischiadicos. hoc, inquit, usus sum ad Frõtinũ statim ab exacerbationibus imposito. Ceræ drachmas centũ, uisci drachmas sedecim, terebinthinę drachmas uiginti quinquẽ, galbani, myrrhæ, iridis, cuiusque drachmas sex, cedriæ heminæ dimidiũ, olei cyprini heminæ dimidiũ. Ceram, cedriam, cũ cyprino oleo liquefacito: deinde resinã & galbanum adijcito, & ablatis ab igne statim uiscum addito: & ubi dissolutum fuerit, irim inspergito & unito, & ad myrrhã in mortario cũ aceto tritã affundito. Quidam etiam nitri drachmas duas adiecerunt. Asclepiades autẽ ita inquit, Malagma quod ischiadicis statim post exacerbationum remissionem imponitur, facit ad ossa cõtrita ac omnem neruorum per consensum affectionem, omnemq; duritiem dissoluit: facit item ad alias inflammationes, comprimit & cõmittit malignas cicatrices. Prodest luxatis & collisis, & ad omnes malignas mamillarum dispositiones. Est enim ualde generosum. Ceræ, terebinthinæ, uisci, galbani, myrrhæ, iridis siccæ, singulorum drachmas quadraginta octo, olei cyprini quantum sufficit. Galbanum cum cera in mortario contusum & emollitũ cum cyprino liquefacimus, deinde ablatis ab igne uiscũ inijcimus, & ubi dissolutũ fuerit, irim inspergimus, & ad myrrham cum aceto in mortario tritam affundimus. Commodant etiã ipsis emplastra ex sale: quale & hoc est. Salis drachmas centum, picis sexuncem, olei libras quatuor, cerusæ libras duas. Salem per se quàm tenuissime terito, similiter & cerusam, deinde oleum ad ipsa in mortarium affundito, & postquàm sufficienter triueris, excepta usquequo manus non inquinent coquito ad lentum ualde ignem, deinde picem liquefactam & percolatam inijcito, ac rursus ad cõpagem quę manibus nõ adhæreat reducito, & utitor. Malagma ex silphio, ischiadicis ualde præclarum. Ammij drachmas duodecim, silphij, seminis rutæ syluestris, baccarum lauri repurgatarum, singulorũ unc. I. medullæ colocynthidis drach. II. nitri, abrotoni, cardamomi, cuiusque drachmas quatuor, ceræ, adipis uitulini, ammoniaci thymiamatis, cuiusq; sesquunciã. Arida liquefactis ab igne ablatis inspergũtur, simulq; in mortarium ad ammoniacum cũ aceto tritũ infunduntur. Quidam uero ammoniacum cum cera liquefaciunt, & ad cõpagem manus nõ inquinantem redigunt. Aliud malagma, quo Theodorus proprium patrem curauit, quũ ob dolorem suspicere non posset. Cerę, picis liquidæ, aluminis liquidi, æquales partes accipe: liquescibilia liquefacito, & ad alumẽ cum aceto tritũ affundito, emollito, ac utitor. Asclepiadæ, ad ischiadicos: facit & ad colicos: secureq; in exacerbationibns exhibetur: scabiẽ etiam quam psoram Græci appellant, citra exulceratione sanat. Ceræ, picis liquidæ, picis aridæ, cuiusq; lib. I. sulphuris uiui, aluminis scissilis, nitri rubri, cuiusq; sexũcẽ. Quæ eliquari possunt, eliquato, aridaq; quàm tenuissime trita paulatim adspergito, simulq; in mortario posca madefacto cõmisceto, emollito, ac utitor. Quidã picẽ aridã & resinam pinus, ac cerã, per singulos dextantes sumunt, oleiq; sextantem addunt, ac reliqua, ueluti prædictũ est. Ischiadicum mirabile.

mirabile. Thuris,euphorbij,ammoniaci thymiamatis,pyretri,picis,ceræ,singulorum quadrantem, resinæ pinus aridæ, sexuncem,olei cyprini sexũcẽ, fellis taurini quadrantem. Thus,euphorbium,ammoniacum,unumquodq; per se quàm tenuissimas in partes unà cũ felle terito:liquescibilia uero liquefacito, & pyretrum inspergito,eaq; ad trita fundito,unitoq;,ac utitor confidenter.Experimento constat. Melius autem apparatur,si ammoniacũ quàm tenuissime tritum liquefactis inspergatur,atque eo eliquato thus tritum adijciatur: euphorbium uero cum felle teratur. Vnguenta & acopa,quę neruorũ lassitudinem in ischiadicis reficiunt. Ad coxendicum dolorẽ pæoniæ radicem in oleo ad triduum cõtusam accipito,& quarta die paululum coctam illinito.Cęterũ prępurgandos eos scito,ex succi tithymalli guttis quinq; tantum cum caricis acceptis, aut ex corticis tithymalli cremore. Corticẽ autẽ ipsum contusum & cribratum quatuor scrupulorum pondere in uino per integrã noctem macerato:mane uero excolatum uinum præbeto. Aliud. Nycteridẽ herbam,quam unguentũ Helenes appellant,oleo decoquito,& per diem unam in oleo manere sinito,percolatoq; & illinito. Aliud,multo experimẽto cõstans. Herinaceum terrestrem uiuum in oleũ coniectum donec flaccescat coquito:deinde eo extracto,farinæ adarces sextantẽ oleo inijcito,& olei cyprini unciã.I. Vtitor autem illito ex eo loco. Cæterum oleũ ipsum in quo herinaceus coquitur librarũ duarum pondus esto. Aliud ischiadicum, quod isotheon appellatur.Facit & ad resolutiones, & ad omnem neruorum per consensum affectionem.Castorij,opopanacis,euphorbij,œsypi liquidi, ammoniaci thymiamatis,galbani,terebinthinæ,singulorũ sextantem,medullæ ceruinæ trientem, styracis unc. I.olei styracini trientem,olei irini sexuncem,piperis unciam unam,ceræ libram unam,olei sicyonij lib. I.olei ueteris librã unam,Ammoniacum, galbanũ, opopanaca cũ uino terito:liquescibilia uero eliquato,& ab igne ablata reliquis affundito,ac probe unito:styracem uero in pila tũdito,ac paulatim ex pharmaco ei addito:ubi uero dissolutus fuerit, cum reliquis unito,ac utitor. Acopõ,ad ischiadicos efficacissimũ est,quod inter cõmunia acopa post articularia remedia refertur,& Orchestæ inscribitur:eo itaque confidenter utitor. Vtere,& similibus acopis ac unguentis quæ istic describentur. Inspergimẽ ad ischiadicos in balneo. Inspergimen ischiadicum efficax.Farinam lupinorum in balneo inspergito, & in exudatoria tabella prostratum sudare facito.

Aliud,facit & ad inueteratas affectiones. Costi, piperis albi,pyretri,cuiusq; quadrantem, nitri unc. I.fecis uini ustæ lib. I.contusa in balneo inspergito.

Aliud. Costi quadrantẽ, pyretri quadrantem, nitri unciam unam,piperis albi,adarces, euphorbij, cuiusq; unciam unam,fecis uini ustæ libram unam, samsuci sexuncem,contũdito,cribrato,ac in balneo utitor.Hieræ,ad ischiadicos inspergimen lenitiuum doloris. Picis aridæ partes octo, sulphuris partẽ unã,terito ac misceto,& præloto ægro dum corpus adhuc calet inspergito,& cum charta contegito,atq; donec sua sponte decidat,sinito: nihil autem uetat ægrum lauare charta adhuc inhærente.Alia inspersio.Adarces, staphidis agrestis,canchryos, sinapis, cardamomi,piperis,euphorbij, sulphuris uiui, cuiusq; unciam unam,cõtundito,& cribrato: ægro uero inducto,& in secunda balnei domo reclinato,pallio prius ad tabellam substrato,ad dolentem locum inspergito,& contente adfricato:deinde in calidam desidere facito,& prolutũ educito ac extergito,rursusq; inspergimen inijcito & adfricato: postea uero dum adhuc calidum corpus habet, eiusmodi malagma imponito.Cineris caulium brassicæ ustorum quadrantem & unciæ dimidium,cineris lignorum ficulnorum agrestium ustorum tãtundem,picis aridæ libram unam, cineris lignorum uitis ustorum quadrantem & uncię dimidium,sulphuris uiui quadrantem,axungiæ libram unam.Liberabitur enim æger,atque id breui ab omni dolore, ut incantationi similis facultas uideri possit.

De podagra,& arthritide,siue articulorum morbo. Cap. VI.

Podagrica & arthritica affectio eiusdẽ speciei inter se existunt.Differt autem podagra ab arthritide nõ toto genere,sed affectis locis.In omnibus enim debilitas est articulorum diuturna cũ fluxione.Quæ quidem si in pedibus perficitur,Podagra appellatur, si uero in aliquo coxarum uertebro,Ischias,hoc est coxendicũ morbus nominatur.Si uero in multis corporis articulis innititur,Arthritis,siue morbus articularis uocatur.Contingit autem aliquando ut repente irruat malum æqualiter per omnes articulos dispersum:quod ipsum euenire consueuit,his qui cõsueta exercitia coaceruatim relinquunt, & licentiore diæta utuntur:ut plurimum uero clanculum & paulatim fluxus irruere solet,alteri enim cuipiam magni digiti pedis articulum dolor inuasit, alijs uero calcanei extremum,rursusq; alijs cauum pedis, aut ex calciamenti,aut ex consimilis rei affrictu. Cæterũ initio à pedibus sumpto,paulatim ad genua malum procedit,ad coxẽdicum item ac fœmorum iuncturas,deinde ad manus,singulis articulis particulatim affectis,quando sane proprie,ueluti prædictum est,arthritis & articularis affectio appellatur. Qui uero extreme ab hac affectione apprehenduntur,his & spinæ,uertebræ & costarum iuncturæ,& genæ dolent,aliquibus autem & iris siue corona pupillam oculi ambiens,neq; est aliqua ossium cõnexio, quæ ab hac affectione sit immunis.

Causæ uniuersales. Cap. VII.

Generant autem affectionem cruditates coaceruatæ, & ebrietates, atq; his adhuc amplius immoderatus rei uenereæ usus:iam uero & deambulationes concitatiores quàm pro more, & stationes diutius productæ,& familiares excretiones suppressæ, & consuetorum exercitiorum intermissiones. Vt plurimum uero aptitudines à parentibus in filios ac posteros transferuntur. In uniuersum uero amplius omnium crudorum humorum multitudo affectionis causa existit,quòd humorum multitudo affectionem inducit. Quando quidem igitur humorum multitudo in corpus digeritur, hiq; ipsi ad pedes deferuntur, & in ipsis partes omnes distendunt,inflammationesq; & dolores inferunt, manifestissimũ sanè id existit. Nam & tumore attolluntur affectæ partes, & uenæ sanguinis in ipsis apparent repletæ,& euacuatis ipsis in naturalẽ habitum æger reducitur. Verum multitudo influens nõ in omni

in omnibus æqualis existit. Etenim alij ex caliditate ægrotant, alij ex frigiditate, atque exinde etiam refrigerando, aut calefaciendo, aut resiccando opem sentiunt. Quã ob causam membra fluore infestentur.

Posteaquam igitur humorum multitudo in corpore cõgesta, hominẽ molestia afficit, unumquodque quidem membrum quod primum affectionem percepit, affligentem humorem à se repellit: eum ipsum uero suscipit aliquod ex uicinis membris ac subiectis. Itaque quũ fortiora mẽbra eum depellant, & imbecilliora suscipiant, id adeo citra intermissionem cõtingit, donec id quod propellitur ad omnium debilissimum membrum peruenerit, & in ipso permãserit. Vna quidem igitur fluidarum affectionum generatio hæc est, membris uidelicet fortioribus superfluum demittentibus, suscipientibus autem imbecillioribus. Cæterum articuli ipsi ex assiduo motu debiliores redduntur.

Quare in quibusdam magnus sit morbus, in alijs uero paruus. Cap. VIII.

Magnitudo morborum ex fluxionibus obortorũ ad humorum influentium multitudinem consequitur. Si enim plures humores fuerint, maior etiã affectio contingit: si pauciores, minor. Cæterum multorum recrementorum influxus ob multas causas accidit. Etenim & copiam humorum multam esse oportet, & uias latas per quas feruntur, & partem quæ à fluxu infestatur raram, & facultatem in ipsa debilem: & membrorũ eum delegantiũ uires fortes, quo magna affectio fiat. Verum si paruus futurus est morbus, prædictis contraria omnia cõcurrere oportet.

Quare multo tempore aut pauco morbus duret. Cap. IX.

Porrò ut multo tempore aut pauco morbus duret, etiã prædictis sunt causę, tenacitasque insuper & crassitudo humorũ. Etenim sanguis multus & crassus, densa pellicula conclusus, & à uiribus debilibus segniter correctus, tempus auget & producit. Qui uero cõtrario modo habet, minuit & breuius facit. Cęterũ & in alijs corporis affectionibus, siue in superficie sint, uelut erysipelates: siue sub cuticula, ut herpetes: siue in carnosis partibus, uelut inflammationes, recrementa ut plurimum feruntur. In podagricis autem & arthriticis appellatis, usque ad iuncturas per altũ repletio ex fluxione cõtingit, unà cum hoc quòd nerui permadescunt & distenduntur, itemque ligamẽta & pelliculæ, omniaque circum circa sita: atque ob id sæpe usque ad quadragesimum diem morbus extenditur. Etenim quum etiam cessauerit fluxus, neque amplius ex supernis feratur, repletæ adhuc multo humore existẽtes iuncturę, eũ ad circumsita mẽbra delegãt. At uero si tenuior sit fluxus, celerrime ægri sanantur, nisi male omnino curentur. Quòd si uero quis ex medicis ueram methodũ ignorãtibus per resoluentia semper omnes inflammationes curet, non in quadraginta tantũ dies, sed & in quadringentos, & in omnem reliquam ægri uitam inflammationes extẽdet. A mala enim curatione podagricis pleraque mala accidunt, maxime uero calli & artuũ duricies, & articulorũ curuitates ac cõtractiones, propter medicorũ ignorantiam fiunt, qui neque per uenæ sectionem, aut purgationem euacuant, neque redundantem in uniuerso corpore humorẽ, quique ad iuncturas defertur, & proinde articulorũ morbos producit, per ea quæ moderate adstringãt repellunt. Quidã enim ex ipsis inflammationes immodice resoluunt, tũ per aquæ & olei mixtionem, tum per cataplasmata ex cruda ordeacea farina apparata, attrahuntque per cataplasmatum caliditatẽ humorũ copiam ex subiectis locis. Quin & ob hanc ipsam inductam laxitatem, affectas partes debiliores, & ad recrementorum susceptionem aptiores reddunt.

Quæ sit incuruatorum articulorum causa. Cap. X.

At uero alij medici immodice refrigerant, alij autẽ uehementer discutiunt. Ex quo sanè neruosas partes inspissari contingit, incuruarique & distorqueri, ob redundantium uidelicet humorũ susceptionem. Contingit item callosas & calculosas coactiones in ipsis emergere, & neruos spontaneo motu se mouentes congelari, ligamenta item & neruos qui tendines appellantur, qui sanè aptissimi ad hoc perferendum censentur, propterea quòd substantia ipsorum densa & solida existat.

Quæ causa generationis toforũ in artubus. Cap. XI.

Generatio quidem igitur toforum siue callorum in artubus induratorum, materiam quidem habet crassos humores, causam autem efficientem, qualitatem calidam & siccam. Quemadmodum uidere est & in tofis: qui in æreis uasis ex limosæ aquæ incoctione generantur. At uero pharmaca quæ ualde refrigerant, si assidue adhibeantur, nõ solum crassos humores congelant, sed & tenues. Quemadmodum uehementissimum frigus cõgelat aquam. Quę uero aceruatim & immodice discutiunt, id quidem quod tenue in ipso fluxu est, euanescere faciunt: quod uero reliquum est, inspissant & conglutinant: atque id eo amplius, si ad hoc quod discutiũt, etiam immoderate calefactoriam habeant facultatem.

Quæ causa sit cur inflammationes in podagricis non facile suppurentur. Cap. XII.

Causa cur podagricę inflãmationes nõ facile suppurentur, primũ quidem est affectarũ partiũ substantia, tũ natura, tũ pro more ęgre permutabilis existens. Ad hoc enim quòd natura durę sunt neruosæ partes, etiã tolerandi cura angũtur ea quæ molestiã inferre possunt, præsertim tamen pedum & manuũ extrema, quin & carne nudatæ magis hę sunt partes minusque calidę & humectę, & ob id etiã reliquis partibus frigidiores: imò & influentes in podagricis inflãmationibus humores corruptioni minus sunt obnoxij, & pharmaca similiter adhibita inepta sunt ad putrefactionẽ ac suppurationẽ. Etenim alia ex eis refrigerãt & repellunt, alia uero discutiunt, alia autem resiccant. Contingit tamen aliquando in quibusdam inflammationẽ aut suppurari, aut erodi. Quum enim crassus humor uehemẽter fuerit cõdensatus, & deinde non ita uehemẽter, sed moderate calefactus, necesse est ipsum suppurari. Acri uero & erosiuo humore influente, erosio contingit, quemadmodum & marcor in quibusdam succedit, irruente uidelicet in membrum humore qui putrefacere potest: quanquam raro hæc in podagricis contingant.

Quomodo ex inflammationibus & consequentibus accessionibus, siue symptomatis, adfligens humor cognoscatur. Cap. XIII.

Quomodo quidem uniuersi corporis intemperiem cognoscere & curare oporteat, iam antè in quarto Sermone est præscriptum, huius uidelicet tractationis.

ctionis. Quomodo uero quis inflammationes in partibus inflammatis consistentes cognoscere posit, necessariũ & hic paucis referre. Apparet autẽ id ex eis quæ accidunt & consequuntur: quæ si quidem frigida fuerint, frigefaciunt: calida uero calefaciunt: mixta autem mixtas etiam signorum species inducunt. Quo uero manifestior fiat hic sermo, quæ iam dixi, repetam, singulatimq; retractabo.

Sanguinei humoris influentis signa. Cap. XIIII.

Humor sanguineus si multus fuerit, & circa summam caliditatem moderatus, repletionem efficit, & tumorem ingentem: non uenarum modo, sed totius membri affecti circa cutem: eumq; calidum quidem moderate, uehementer autẽ rubentem, pulsus autẽ adest in alto inflammationis mediocris. Qui hoc modo sunt adfecti, neq; refrigerantia neq; calfactoria ualde præsidia adhiberi sustinent, & assidue ac continue exacerbantur, quandoquidem assidue & æqualiter sanguinis allatio cõtingit, quanquã & per circuitum quidã irritatione uexentur, quum non continue sanguis defertur, & exacerbationũ accessiones omnino quotidie fiunt, uerum non ita durant ueluti hæ quæ ex pituita oboriuntur. Vrinæ uero eorũ qui sanguine redundant, fuluæ sunt, & mediocri crassitudine præditæ: aliquãdo etiam subsidentiã albã, aut nubẽ, aut tale quiddã in medio pẽdens quasi suspẽsum habẽtes. Quòd si magis ad pituitam declinet sanguis, albiores & crassiores: aliquando uero & conturbatæ reperientur urinæ, & multum est quod in eis subsidet. Venæ autem in his ampliore sanguine suscepto replentur, & in tumorem attolluntur. Aetas uero ab adolescentia usque ad ætatem uigoris apta fiet ad multitudinem sanguinis producẽdam. Edulia itẽ boni succi & quæ maxime alunt: & exercitia moderata. Ex temporibus uero, uer, & regio temperata.

Biliosi fluxus signa. Cap. XV.

Quòd si uero biliosus sit fluxus, color cutis inflammati loci, aliquando quidem flauior quàm secundum naturam apparebit: aliquando uero rubore cum flauo permixto, quando uidelicet flaua bilis sanguini est permixta. Caliditas autẽ uehementissima & feruentissima adest, quæ amplius refrigerantibus pharmacis gaudet. Qui enim ita habent, uehementer à refrigerantibus iuuantur medicamentis siue actu siue potentia talia existant. Exacerbationes uero his per tertium quenque diem mouentur, & præcipites quidem irruunt, citius uero uigorem remittunt: per uẽtrem enim & per urinam recrementa superflua his euacuantur: per cutem etiam transpirãt, utpote quæ tenuium partium existant. Lotia eorum subfulua sunt, & subflaua: quandoq; etiam acria, ut in mictione urinarium arrodant meatum. Curæ autem ingẽtes, & iræ, & uigiliæ, & illuuies multæ, & fatigationes, & diæta omnis bilem gignens & attenuatoria, ex acribus uidelicet & salsis edulijs, huius humoris influxum præcedunt. Aetas uero & temperies corporis calida & sicca ad eum apta est. Hora autẽ siue anni tempus æstiuum: consimilis item regio.

Pituitosæ fluxionis signa. Cap. XVI.

At uero si pituitosa sit fluxio, ad digitorum appresionem cauus fit tumor sublaxus existens & moderatus, & color dolentis membri albus. Dolores uero aliquando quidẽ fortes, aliquando uero mediocres, & exacerbationes quotidie paulatim irruunt & augentur, & per plures horas durãt, & breuem intercapedinem habent: imò neque unquam integre remittunt. Aetas autem hoc modo amplius afficitur senilis, & temperamentum humidum & frigidum, & consimilis ambientis nos aëris status, & tempus hybernum. Aliquando autem & frigoris sensum in alto locorum affectorum ægri perceptant. Vita uero ociosa & socordia ad pituitosi humoris generationem plurimum conferunt. Edulia item refrigerantis & humectãtis ac inspissantis facultatis, & balnea à cibo, unde & urinæ crassissimæ ab eis prodeunt, & sæpe conturbatæ reperiuntur: Atque hæc quidem signa sunt pituitæ natura frigidæ prædominantis. Nam & hæc ipsa propriè pituita appellatur.

Salsæ pituitæ signa. Cæterum si salsæ pituitæ fuerit influxus: color membri affecti & tumor eodem modo habent, ueluti de pituita est prædictum. Pruritus autem maximus & mordacitas infestat locos. Vrinæ uero tum his tum prædictis, aliquando quidem tenues & aquosæ, aliquando uero crassum in eis est quod subsidet, suntq; conturbatæ.

Bilis atræ influentis signa. Cap. XVII.

Quòd si ex atra bile sit fluxus, qui sane potentia frigidus est & siccus, quod raro tamẽ contingit, frigoris sensus quandoq; affectis adest, & corpora in profundo uelut atterantur aut scalpantur afficiuntur. Colores uero tumorum nigriores sunt, & circuitus exacerbationum per quartum quemq; diem redeunt. Sunt autem exacerbationes tum magnitudine, tum impetu mediocres. Aetas uero quæ magis hunc fluxum generat, est uigore inclinato, & uergente: temperies autẽ frigida & sicca, & natura quidem superfluitates pituitosas generat, non autem atræ bilis. Quæ uero ex degenerãte & mutata caliditate fit, flaua bile superassata & nigram generante oboritur. Præcedit porrò hunc fluxum diæta ex edulijs atrã bilem gignẽtibus, & lassitudines immodicæ. Regio autẽ ei apta est frigida & sicca. Tempus autumni, & cõsimilis aëris status. Vrinæ uero ut plurimum in principio tenues eis sunt & aquosæ propter obturationes: postea uero quàm secundum naturam atriores, & modicè crassæ, & quod subsidet in eis aliquãdo fuscum est, aliquando uero mixtum, subcruentũ uidelicet & fuscum reperitur.

Serosarum fluxionum signa. Cap. XVIII.

Sin uero serosa recrementa influant, dolores non ita magnos inferunt, quemadmodum etiam neque fluxu infestatas partes in tumorem ualde excitant. Secundum speciem uero consimilia perficiunt, qualia humores solent, qui cum eis eiusdem generis existunt. Pituitoso enim sanguine demanante, serosa in ipsa pituita recrementa, consimiles quidem secundũ speciem dolores inferunt, secundum magnitudinem uero multo minores. Vbi uero alij humores defluxerint, consimiles etiam illis serosæ ipsorum superfluitates inferunt dolores.

De his qui ex humorum complexu fluore infestantur. Cap. XIX.

Nosse perrò operæ precium est, quòd aliquando fluxus fluxui cõmiscetur, aut calidus frigido, aut uicissim frigidus calido, & secundũ utriusque horũ qualitatem exacerbationes fiunt, & continget quandoq; ægrum bis in die exacerbationum accessionem sentire.

Diæta & cura podagricos præseruans. Cap. XX.

Qualis quidem igitur diæta unicuique prædictarum temperierum cōueniens sit, iam antè prædictum est in quarto huius tractationis Sermone: superfluum uero est eadem bis scribere. Cæterū ad ea quæ istic relata sunt, uomitus in uniuersum ferè omnibus qui podagricam affectionem defugere uolunt, commodi sunt, pręterquàm eis qui thoracem & caput, quæ facile læduntur, habent. Quibuscunque igitur ex exercitijs, aut alijs quibuscunq; motibus, recrementa in uētrem cōfluunt, his uomitus ante cibum prodest. Qui uero sanguinis copiam aggregarunt aut humores pituitosos, post acceptum cibum uomant per aliquot dies. Venus uero omnes podagricos extreme lædit, & præsertim si assidue aut intempestiue ea utantur. Etenim uoluptas per se neruosorum corporum robur & firmitatem dissoluit, multo uero magis si cum uehementi motu perficiatur, & ob id mēbra affecta longe imbecilliora fiunt, & prompte ac expedite confluentia recrementa suscipiunt. Adhibetur tamen eius usus aliquando, propter consuetudinē uitiosam semine plurimum irritāte: quum uidelicet multi & noxij fuerit humoris. Generatur autem tale in naturis proprie multi seminis appellatis, & oportet sanè, quo molestiā eius uitemus, prohibere ne eius copia in seminarijs uasis generetur. Quomodo uero seminis generationem prohibere oporteat, iam prædictum est in eo qui hunc præcessit Sermone.

De olei & salis affrictu in podagricis. Cap. XXI.

Operæpretium porrò est nosse, quòd omnes qui se, ne in podagricam affectionem incidant, adseruare uolunt, & præsertim eos qui humecta & frigida natura sunt, magnifice iuuant sales cum oleo quàm tenuissime triti & affricti, nō quidem tempore inflāmationis & doloribus instātibus, sed quum hæc remittunt: nisi uehemēter sicca temperie ægri sint prędíti. Omnibus enim qui hoc modo fricātur, insitus calor augetur, & quod præter naturā est discutitur, recrementaq; consumūtur, & affecta membra fiunt robustiora, ac aduersus affectionem firmantur, minimeq; ei obnoxia redduntur, maxime si diligenter singulis diebus mane & uespere, ubi dolores, quēadmodum dictū est, remiserint, per omnem uitā hoc præsidio utantur. De quo sanè ausim confidenter pronunciare, inquit Philagrius, quòd etiam solum sufficiat his, qui uel maxime circa diætā delinquūt, aut immodice refrigerātur, aut ægrotant ex labore, aut re uenerea nimiū sunt usi, aut quęcunq; aliū fortem excessum admiserūt: quare omnino postquam inflāmationes quieuerint & dolores, eo utēdum est.

Vniuersalis methodus curationis podagricorum. Cap. XXII.

Itaq; prius dictis rursus in memoriā reuocatis, pronūciamus & membrorū debilitatem, & humorū copiam, primas causas omniū fluidarum affectionum esse, præcipue tamen podagræ & articularis morbi. Quare duplex etiā sanationis scopus nobis præfigetur. Euacuatio redūdātis humoris & corroboratio partiū debilitatarū. Euacuatio itaq; fiet aut per uenę sectionē, aut purgationē. Post uniuersalem autē euacuationē, calidi quidem fluxus refrigerationē amāt, frigidi uero calefactionē: humidi resiccari, sicci humectari gaudent. Et tenaces quidē ac uiscosos discindentibus & extergentibus curare conuenit, crassos uero tū eisdem, tum quæ amplius attenuatoriā uim habēt, acres uero per ea quæ mordacitatē obtundere possunt. Amplius autē ea quæ assidue influunt, per repellentia prohibēda sunt, itemq; per ea quæ resiccant. Quę uero per circuitum iritāt, quum quidē influunt impedienda, quū uero nō deferuntur, tum sanè ea quæ iam illata sunt, euacuationē requirunt, ad quā itidē debilitatarū partiū corroboratio accedat.

Cura eorū qui ex sanguinis copia ægrotāt. Ca. XXIII.

Quū igitur sanguinei humoris fuerit influxus, & dolor mediocris, qui neq; calore suo neq; frigore manifeste infestet, locus inflammatus pharmaco quidem fortiter adstringente, modice autem resiccāte illinatur, eiusmodi autem est id quod ex acacia & utroq; ueratro apparatur. Abstineat autē æger ab omni cibo & motu, & uini etiā potu. Et si fluxionis impetus non ualde magnus fuerit, & pharmacum adhibitum cōmoditatem suā ostenderit, rursus cū passo tenuis substātiæ aut posca large dilutū quo strigmētosū reddatur, illinatur. Cæterū neq; aqua neq; oleū pedibus adhibeatur, sed & si illitū abluere oporteat, quo uidelicet aliud illinatur, posca mediocriter tepefacta abluatur, aut cum plātæ alicuius austerę decocto, usq; quo id quod influxit sedetur. Cataplasma ob id etiam imponendum ex malis maxime cotoneis, aut mespilis, sorbis, cornis, hippuri, sanguinaria, aut folijs quercus tenerioribus, singulis pane permixtis & uino ueteri maceratis. Idē uero ipsum & per alia quædam eiusdem materiæ existentia confieri potest. De quibus rursus postea sermonē repetemus. Porrò si sanguinis motus in uniuerso corpore uehemēter inualuerit, utendū nihilominus prædictis pharmacis, ne uidelicet particula repleatur, & dolores fortes ac diuturnos inducat. Euacuetur autē id quod ex sanguine redūdat, quātum sanè id uires & affectio permittunt, & maxime si qui continetur sanguis bene sit temperatus, & homo ipse ad sanguineas euacuationes sit adsuefactus. Cognosces uero sanguinis impetū, tum ex tumore præter naturā, tū ex doloris magnitudine & uelocitate. proportionabiliter enim tū ad copiā sanguinis, tum ad allationis eius modum, impetus ipse cōtingit. De sectione uenæ. Eos igitur qui multo sanguine abundāt necessario secta uena fortiter euacuabis, non solū semel, sed iterū atq; iterū & pluries detractione paulatim repetita. Si enim uenæ sectione omissa, repulsorijs pharmacis fueris cōfisus, magni mali autor eris. Ex ignobilibus enim mēbris ad principalia & uitæ necessaria sanguis repulsus, deinde in aliquod horū irruēs, uelut in hepar, aut septū transuersum, aut thoracem, aut pulmonem, aut in ipsum denique cor, pro morbo mortem inducit. Quapropter maxime necessaria est sanguinis ac reliquorum humorum in sanguineis influxionibus euacuatio, præsertim in his qui sanguine redundant, itemq; reliquis humorum recrementis, ac lautiore diæta utuntur. In his enim antequam dolores oboriantur, uenam secare oportet, bis in anno sanguinem large detrahendo, & purgare quoque eosdē, si licet modo per singulos menses. Cæterum in omnibus diei horis uenam secare cōuenit his qui uehemētibus doloribus sunt appræhensi, adeo ut etiam si quis pransus sit, nihil ueritus tamē uenā secare possit, atq; id maxime si ex uētris

a prandio

locis cibus ad intestina fuerit dilapsus. Vbi uero in uentre adhuc cibus detineatur, euacuatione prius per uomitum facta, ita paulatim sanguinem detrahes. Secanda est autem è directo cruris fluxione infestati uena præsertim in brachio inferna, ita tamen ut obseruemus in eius sectione subiectam ipsi arteriam. Si uero hæc non appareat, media, ita ut & in hac obseruemus subiacētem neruum. Quod si uero manus dextra dolore infestetur, uenā in dextro crure secamus, iuxta talos aut poplitem, aut plātam pedis: post sectam uero uenam si dolores adhuc perseuerent, & fortis tensio sit in affecto membro, sæpe in ipso inflammato crure uena incisa, & multo sanguine detracto, hominem ab omni dolore liberaui. Memini itaq;, inquit Philagrius, cuidam in quo humores æqualiter omnes & multus in primis sanguis redundabat, bis sanguinem ex secta uena detractum, in quo manifeste cognoui quantam uim habeat uena è directo membri affecti secta. Quū enim dexter pes ei fluxione infestaretur, uena dextræ manus incisa, confestim à molestijs est liberatus: quūq; tribus interpositis diebus alterum item crus fluxus infestaret, uena sinistræ manus secta, similiter à dolore liber euasit. & quum inde pharmaco ex croco curaretur, perfectam sanitatem recepit. Verum hic quemadmodum prædictum est, multo sanguine redundabat, & uniuersum corporis habitum eiusmodi habebat, qui non facile posset exolui. In his uero qui contrariam huic corporis dispositionem habēt, parcè sanguinem detrahere oportet.

Quòd eleuatas & incuruas uenas ex mēbris fluxione infestatis, ueluti in uaricibus, auferre oporteat. Cap. XXIIII.

Operæpretium est, inquit Rufus, etiam alios auxiliorum modos excogitare: Ego quidem igitur articulis pedum fluxu infestatis, laudo si quis uenas quæ ex supernis in pedes deferuntur excindat, ueluti uaricosa in suris excindi solent. Etenim partes hæ tempore præsertim inflāmationum apparent in tumorē eleuatæ, & uenæ circū circa rubent, & sanguine repletæ cōspiciuntur, atq; qui ita affecti sunt, magis à dolore uruntur, & frigidis gaudēt. Si igitur quis uenas ueluti in uaricibus excindat, multitudo sanguinis non amplius influere & inflāmationem facere, quemadmodū antea consueuit, potest, atq; id præsertim in sanguinea podagra conducet. In alijs uero articulis, utpote coxendicibus ac cubitibus & similibus fluxu infestatis uenæ non ualde apparēt. Quod si contrà contingat, etiam in his eas quæ altius eleuatæ sunt, excidere oportet.

De perustione in morbo articulari. Cap. XXV.

Crustas igitur inurere oportet, aliquas quidem paulo altius loco fluore infestato, aliquas uero propius, atque id cauterijs facere præstat, aut si id æger ferre recuset, cum medicamentis. Longe autem præstantior est cauteriorum usus: nam & citius & siccius perurunt. In uniuersum uero pedibus ex fluxu infestatis, loci circa utrumq; talum forinsecus & intrinsecus inurendi sunt, cauterijs iuxta magnas ibidem sitas uenas admotis, paulo altius supra talorum locum. Inurendus item locus inter magnum pedis digitum & eum qui ei proximus est, medius, ubi sanè uenæ magis tumefactæ conspiciuntur, præsertim ex eis maximæ. Quibusdam autē & articulos ipsos perurere expedit, quū submucidi ualde conspiciuntur, priusquàm durities ad modum toforum in eis generetur. Sciēdum tamē, inquit Rufus, quòd in articulorum submucidorum perustione, ulcera ægre curabilia oboriuntur, uerum ubi cicatrices coaluerint, maximum robur ipsis articulis præbent, ut nō amplius ad suscipiendum influentia recrementa sint apti. Et de his quidem hactenus. Oportunum autem & iam reliquam curam post sanguinis euacuationem aptam describere.

Cura in fluxibus sanguineis post sanguinem euacuatum. Cap. XXVI.

Post sanguinem euacuatū affectam partem aceto ueteri tenuium partium cum rosaceo rigare oportet, & præsertim si in alto hærere dolorum causa uideatur. Etenim acetum propria sua tenuitate usq; in altum progressum, expeditam rosaceo uiā exhibet, quòd natura sua dolores lenire potest. Cæterum si in superficie dolor consistat, per uini & olei usum magnopere iuueris, æstate quidem tepidorum, hyeme uero calidorū. Deinde etiā cataplasmatis utendum quæ inflammationes lenire possunt, citra hoc quòd prouocent & prolectēt fluxiones. Talia autem sunt, farinæ fœni græci & hordei, fabarumq; & cicerum tritæ uino coctæ, potest etiam aqua modica affundi, ubi uinum nimis forte extet. Quin & passo ac modico rosaceo unaquæque ex prædictis farinis cocta dolorē mitigare cōsueuit. Oportet autē cataplasmata omnino semper calida esse: quod cōmode fieri potest, si assidue permutentur, & lana forinsecus contegantur. De pharmaco ex croco. Quum itaq; prædictis præsidijs adhibitis uehemētes compescuerimus dolores, parū quiddam de pharmaco ex croco ammiscebimus & præsertim ad cataplasma ex fabis apparatū, ne uidelicet coaceruatim trāsitus fiat: Deinde etiā amplius quid de pharmaco ammiscendū est. postremum uero pharmacū ipsum cum rosaceo dissolutum, & ad bonam compagem redactū imponemus: diffluit enim celerrime, si liquidius fiat. Hoc itaq; pharmaco sæpe post euacuatum sanguinem, doloribus ualde imminutis statim usus sum, loco prius ex aceto rosaceo perfuso: multam enim utilitatē & breui ostendit: quare ipso assidue ad podagricos utimur, utpote quod laude dignum experimētum nobis exhibuit, inquit Philagrius. in pluribus enim solum hoc suffecit ad perfectam curationem semper quidem cū rosaceo dissolutum, aliquando uero uino tenui & fuluo ammixto, quantum sanè eius conquassando & excipiendo pharmaco satis fuit. Cæterum hoc ipsum in his faciēdum est, quibus adhuc aliquid ex fluxione ad inflammatū locum defertur. Quandoq; autem pro uino acetum addimus, maxime ubi tum quod infertur repellere uolumus, tum discutere iam in loco cōtentum. Passum etiā aliquando pro uino additū mollibus corporibus profuit. Verū enimuero & ad pastillū ex acacijs & ueratris apparatum, adiectū hoc pharmacum sæpe quod influit prohibendo, & quod adest euacuādo, & membrum confortando, non parum iuuit. Solum item post sedatos dolores durius impositum robur partibus addit, ut adstricta & recrementorū influxui minime obnoxia, ac breui fortia reddātur. Hoc quidē igitur medicamento uarie & multiformiter usi sumus, multosq; iuuimus, tum instante dolore, tum etiam

etiam eo sedato. Habet enim repulsoriam uim, paucam quidem illam, propter acetum & crocum. Habet & concoctoriã & discussoriam ac moderate resiccantem, rursus ob crocum & galbani thurisq; & ammoniaci thymiatis ammixtionẽ. Discussoria autem tum in his ipsis sita est facultas, tum in pice & aceto. Merito itaq; podagricis inflãmationibus conuenientissimum censetur. Nam & fluxũ moderate repellit, & calfaciendo sensim concoquit, & contentum discutit, & debilitatis membris firmitatem inducit. Cõpositio autem hoc modo habet. Galbani drachmas XXXII. thuris drachm. XXXII. croci drachmas sedecim, ammoniaci thymiamatis drachmas quadraginta octo, ceræ drachmas nonaginta octo, picis aridę drachmas CCCCCLXXV. olei rosacei drachmas quadraginta octo, aceti albi acerrimi heminã unã. Ceram, picem, rosaceum lento igne liquefacta excolato: galbanum autem & crocum, ammoniacum, thus, cum aceto terito, & ad liquefacta & ab igne ablata in cacabum adijcito: unitaq; in mortariũ quod modicam aquam frigidam habet, diffundito, & sufficienter emollita extrahito, ac quẽadmodum prædictum est utitor. Hoc quidẽ modo Philagrius apparare pharmacũ ipsum præcipit. Quidam uero post eum etiam opij unciã unam, ad hanc cõpositionem adiecerunt, eoq; ad uehementes dolores sedandos usi sunt. Alij autẽ usus tempore instante parum quiddã opij addunt ad maximos cruciatus compescẽdos. Pastillus ex acacijs & ueratris. Porro ex acacia & ueratris pharmacũ hocce est. Pastillus podagricus admirabilis ad podagricos & morbũ articularẽ, inflãmationesq; & omnia pruriginosa: in principio enim illitus manifestã utilitatẽ exhibet, ut eadem etiã die lotus æger deambulet. Vbi uero dolor in uigore est, incõmode adhibetur. Quidã enim in uigore affectionis eo usus, cõfestim quidem sibi inde iuuari uisus est: paulo uero pòst concalefacto & resiccato loco, à maximis doloribus æger apprehensus nos accersiuit, quare quum accessissemus & didicissemus factum, cognouimus quòd membra in superficie posita contusionis modo affecta essent, tum ob inflãmationem, tum ob exortam ex pharmaco adstrictionem & distensionem. Distensæ autẽ erant & in profundo sitæ partes ex cuticulę exterioris ad interna impulsu. Abluto igitur prius cum aqua calida illito pastillo, cataplasma ei imponi iussi ex aqua mulsa dilutiore apparatum, & ex oleo modico dulcissimo, farinisq; fœni græci & fabarũ, atq; hoc ipsum feci propter eam quæ ex ipso pharmaco ei cõtigit oppilationemq; & constrictionem: quum uero dolores euestigio essent sedati, à resoluẽtibus discessi: etenim cataplasmata & irrigationes in fluidis dispositionibus adhibitæ incurabilem reddunt morbum. Verum pastilli ipsius compositio hoc modo habet. Acaciæ nigræ drachmas triginta duas, acaciæ flauæ tãtundem, glutinis fabrilis pellucidi, aut quod magis expedit, glutinis piscium drachmas triginta duas, ammoniaci thymiamatis drachmas sedecim, glaucij drachmas sedecim, aloës drachmas sedecim, thuris masculi drachmas octo, ueratri albi & nigri cuiusque drachm. VIII. Aceto scillitico trita cogito in pastillos. Vsus uero tempore eosdem in aceto eodem liquefactos illinito, & exiccare permittito, ægrumq; in balneum demittito, & ubi inde redierit, similiter utitor. Totũ pastilli pondus drachmarum cẽtum & sexaginta octo est, hoc est unciarum XXI. Hoc pharmacum podagricis inflammationibus inchoantibus cõuenit, & solũ sufficit, si nõ multitudo fluxus redundet: & multo amplius, si per plumbi succum fuerit dissolutum & liquefactum. Fit autem plumbi succus hoc modo. In mortarium plumbeũ succum aliquem refrigerantem simul & adstringentem inijcito, & cum pistillo plumbeo in sole, donec crassior reddatur terito, atq; ita iniectum pastillum & contritum illinito. Sit autem succus ipse plantaginis, aut oxylapathi, aut sanguinariæ, aut uuæ acerbæ immaturæ, aut semperuiui, aut aliquarum consimilium herbarum, quæ & ipsæ commodæ sunt in principijs inflammationum. Hoc ipsum itaque pharmacum ex plumbi succo, non solum in principijs & progressu, sed & in uigore mali aliquando commodum existit. Et Philagrius quidem hoc modo de pastilli usu scripsit. Quidam uero pastilli ex croco ad dysenteriam descripti, atque huius ipsius pares partes aceto aut plumbi succo terunt, & duabus ante balneum horis illinunt, atque ubi lauerint, à balneo rursus similiter illinunt, & egregium testimonium huic usui præbent. Diæta eorum qui ob sanguineum fluxum ægrotant. Inflammationes ex sanguinis influxu obortas, quẽadmodum dictum est, curare oportet. Cæterũ cibos eis exhibere oportet qui minus nutriunt. Quales sunt holera, & spinosæ plantæ: & ex uolucribus, montanæ: ex piscibus uero, qui in petrosis aquis degunt. Aluum uero facile subeuntem habere oportet, & si quidem officio suo non sua sponte fungatur, simpliciori aliquo clysteri seu infuso eluatur.

Cura eorum qui neq; uenæ sectionem, neq; purgationem sustinere poßunt. *Cap. XXVII.*

Quandoquidem uero quidam adeo formidolosi sunt & mollicie fracti, ut neq; nomen uenę sectionis aut purgationis audire sustineant, non melius tantũ, sed & fortunatius est nullũ talem contingere. Et tamen si ad curandos eos cogamur, prædicere oportet diuturnos dolores eis affuturos, & uigilias, articulorumq; torturas & claudicationes, præsertim si crassus & multus sit sanguinis influxus. Abstinẽtia quidem igitur ciborũ illis constituenda est, & clysteres moderate fortes inijciendi, & pharmaca umbilicaria imponenda, epomphalia Græcis appellata, quæ sanè umbilico imposita aluũ ducunt. Vtendũ etiam his quæ sedi apponũtur, glãdulis uidelicet, uelut est cyclamini succus, & elateriũ, & similia, quorum in tertio Sermone feci mentionẽ. Vtendũ & post aluũ exolutã, unguẽtis discussorijs, & fricationibus eiusdem generis, & omnibus quę superfluum euacuare possunt ex locis fluxu infestatis. Etenim repulsoria, si nõ prius uniuerso corpore euacuato assumantur, periculũ inducunt. Cataplasmata igitur eis imponere oportet ex pane, fabaceaq; & fœnigręci, ac cicerũ farina, cũ aqua mulsa aut adipe suillo non ualde ueteri. Scarificationibus itẽ iuxta affectũ locum utendum. Irrigare autẽ assidue oportet ex aqua & oleo, & aliquãdo cataplasmata ex lixiuio apparare, quo per erosam cutẽ, ueluti per riuos malũ euehatur. Huiusmodi hominibus cõueniũt item ceratorũ formã habentia medicamẽta, ex oleo sicyonio, nitroq; & cera apparata, quæ humorẽ ad locũ delatũ discutere

possunt. Pharmacum ex lixiuio & spuma nitri digerens ac exhauriens inspissatos humores, est autē pharmacum ipsis cōmodissimum, & facile parabile: excitat bullas, & cutē erodit. Spumæ nitri albæ quam achelesiam appellant, drachmas uigintiquinq̧, terebinthinæ drach. triginta sex, olei drac. CCCCLXXX. lixiuij ficulnei, hoc est, exustis lignis & aqua extinctis, loturæ eorum percolatæ drachmas octoginta quatuor, ceræ drachmas CCXL. Oleū, ceram, terebinthinam, & lixiuiū, hoc est aquam ipsam, ut prædixi, coquito, & quum pars maxima aquæ fuerit consumpta, spumā nitri prius tenuissime tritam adijcito, unito, ac utitor. Huiusmodi sanè sunt inflammationum podagricarum ex sanguine curationes.

De his qui ob bilis influxum ægrotant. Cap. XXVIII.

Quòd si uero inflāmationes ob biliosum influxū fiāt, tum & in his cōmunis scopus euacuationis adfligētis humoris existit. Fiant autē euacuationes in principio, tum per uomitū, tum per uentrē. Danda itaq̧ pharmaca bilem educētia, ex quorū numero aliqua per utramq̧ uiā bilem exigunt, uelut est thlaspi: hoc enim acetabuli mensura potatū & superne & inferne purgat, atq̧ tantū sanè de eo semine ad summum datur. Constat autē quod & purgatoria medicamēta ex scammonia apparata flauam exagitāt & euacuant bilem: horū uero compositiones iam antè retulimus in tertio Sermone. Faciemus tamen & in hoc Sermone quorundā mentionem, sed paucorum & paulo pòst. Purgare igitur eos oportet confidenter, & secundaria uice, si res ita postularit: confestim enim in euacuationibus subsistunt & sedātur. Quòd si tamen neq̧ hi purgari uelint, neque sustineant, ob quamcunq̧ tandem causam, tum sanè & his, quemadmodū dictum est, mederi conuenit per umbilicariorum purgatiuorū impositionem, & per ea quæ sedi subduntur. Per infusum item aluus ipsorū eluatur. Et cataplasmata adhibeantur ex fabacea & hordeacea farina, adipe suillo recenti & insulso, tenuiq̧ chamæmeli farina ac aqua. At uero hæc ipsa posterius imponenda sunt: in principio autē usq̧ ad uigorem ea quæ ex semperuiuo apparātur, & rosis uiridibus, perdicij herba, anchusa, sanguinaria, helxine, sideritide, portulaca, rumice acuto, atriplice, solano, plantagine, hyoscyamo, lēticula, & stratiote palustribus, blito, lactuca, seride, malua satiua, ramentis cucurbitæ, umbilico ueneris, flore uiolarū, mali punici corio. Horum unūquodq̧ cum pane ex farina polentæ impositum dolorē tollit, & maxime psyllij semen aqua feruenti maceratū, & postquam succulentum factū fuerit, pro cataplasmate impositum. Vnguentum itē ex plūbi succo ad sanguineas influxiones præscriptum his cōmodissimum existit. Cōmoda sunt & mala cum pane trita imposita, & quæ his sunt similia. Et cerata Hippiones & Ambrosiæ nomine insignita, & quæcunq̧ ex cera, chamemelo, & rosaceo apparantur: adijcitur autē succus quispiā ex prædictis refrigerantibus, & ouorum cādidum, & aqua cum modico aceto, quorū compositiones paulo pòst subnectemus. Optimū autem pharmacū pro eis est ceratum ex rosaceo betę succo quantū satis est adiecto. Vidi etiam quendam hac affectione occupatum, qui immissis in frigidam aquā pedibus & aliquandiu in ea detētis preclaram opem tulit. Alium item uidi qui ostreorum carnibus cum argenti spuma & uiridibus hyoscyami folijs ac oleo ueteri diligenter tritis utebatur, & tum illinēdo eas, tum imponendo probe restitutus est. Licebit autem per ostreorum penuriam, carnibus concharū fluuialium uti. Atque hęc quidem conueniunt, si mediocris inflammatio & ardor adsit. Nam si magna fuerit, ad erysipelatorum modum curationē instituemus. Cicutæ nimirum folijs & papaueris ac mandragoræ & hyoscyami adhibitis, quibusdamq̧ medicamentis compositis stuporem inducentibus, quæ ex papaueris succo & similibus constant. In horum tamen medicamētorum usu immodici caloris deletionem pro scopo habere oportet, quæ sæpe in una contingit hora: post quam statim stupefactiuo ablato, cataplasma ex fabacea farina, adipeq̧ & aqua imponatur. Etenim ubi ea quę uehementer refrigerant, diutius adhæserint, stuporem ægrumq̧ ac languidum sensum corpori inducunt. Quapropter quū in feruentibus doloribus fuerimus ad stupefacientium usum coacti, postea refouebimus partes per ea quæ calefacere possunt.

Parabilia remedia ad inflammationes non ualde feruentes. Cap. XXIX.

Reliqua ex eorum numero quæ facile parantur, quęq̧ doloribus non ualde magnis prosunt. Palmularum glandulæ sunt, & mali medicæ ramuli, citrium autem ipsam appellant & aureum malum. Quin & fructus ipsius medulla sapore acris, pani aut pollini ammixta in cataplasmatis cōmodissima est. Quemadmodum etiam si oleo coquatur & cera sufficienti ad oleum adiecta pedibus imponatur. Cōmodum est & symphytum per se pro cataplasmate impositum, & cum pane aut cerato permixtum. Et malicorium aceto incoctum, aut aridum tritum cum pane subactum. His ergo utaris. Optimum autem cataplasma podagricum & hoc est. Cupresi uirgulta teneriora & pilulas in ollam coniecta cum aqua marina, donec flaccescant, coquito. Deinde in mortariū culinarium transsumpta, ad cerati formam terendo redigito: & linteolo excepta, dolentibus locis imponito. Hoc cataplasmate quotidie ante somnum utitor, etiamsi non adsit dolor, per integrum annum. Nam perfecte ægrum sanat. Mirifice etiam facit cupresi decoctum, si ex eo æger sæpe perfundatur.

Aliud. Cypri, hoc est ligustri folia uiridia trita in pastillos digerito, usus uero tempore aceto dilutos illinito. Barbari autem Indi arida ipsa folia contusa & cribrata reponunt, usū uero expetente aqua feruenti subigunt, modico etiam aceto adsperso, aut rhois culinarij decocto, atque hoc modo inflammato loco imponunt, folijs ricini aut carpasi superstratis, aut si hæc haberi nequeant, brassicæ. Reperies autem mane cataplasma aqua plenum. Sensibilis enim discussio & exhaustio contingit, adeo ut æger exuctionem sensu percepter, & maxime iuxta ungues. Vitiat tamen colorem, eum ad fuscedinem corrumpens, quapropter aliqui cerato liquido ungues prelinunt. Aliud cataplasma, quod eadem hora dolores sedat. Cerebrum porci cum amylo & rosaceo tritum, & panniculo infartum imponito, & confestim liberabitur æger, ut deambulare posit. Optime faciunt item maluæ aqua coctæ & tritæ impositæ, celerrime enim dolores sedant.

De stupefacientibus medicamentis. Cap. XXX.

Composuerunt medici, quemadmodũ prædictum est, ob excellentes dolores, aut etiam ob ægrorũ mollitiem quos curare cogimur, & neque minimum dolorem tolerare possunt, medicamenta stupefacientia appellata. Hęc enim nequaquam affectiones ipsas in quibus dolores fiunt, curãt: uerum stuporem & sensus hebetationẽ membris inducendo, quietem quandam doloribus obducũt, quapropter si ad huiusmodi pharmacorũ usum, aut ob excellentem dolorum magnitudinem, aut ob immodicam caliditatem erysipelatis cõsimilem, cogamur, utemur quidem modice, quo feruor immodicus refrigeretur, aut sensus oblæsio deleatur. Ad hoc etiam animaduersione habita diligenti, ne quid pòst uehementis caloris & doloris extinctionẽ, ex stupefactiuo pharmaco in mẽbro permaneat. Sunt autem medicamenta stupefactiua huiuscemodi. Asclepiadæ epithema dolorem leuãs, podagricis & articulari morbo commodum: usus eius est in ipsis exacerbationibus & excellentibus feruoribus inflammationum. Opij drach. IIII. croci drachm. I. panis siliginei quantum satis est: unumquodq; per se lacte bubulo maceratũ terito, & unita imponito. Aut hęc ipsa cũ lacte trita cerato rosaceo excipimus & utimur. Aliud, quod confestim à doloribus liberat: oportet autẽ ante pharmaci impositionẽ ægrum lauare, atq; ita extersis locis statim adhibere. Succi absinthij trientem, croci trientem, ceræ tantundẽ, opij unc. I. irini sexuncem. Opiũ & crocum in passo diluito, & affuso cerato unito ac utitor. Asclepiadæ pastillus podagricus, dolorem leuans. Vsus eius competit tempore exacerbationũ. Aloës lib. I. centaureæ sextantem, thuris trientem, myrrhæ trientem, lapidis asij, opij, succi mandragoræ, styracis, aluminis scissi, cuiusq; sextantem: excipe, ac subige passo, & ad pastillorum formam reducito. Vsu uero expetente lacte dissolutos cum pinnulis illinito, supra illitum locum linteolo imposito passo imbuto.

Vnguenta recalfactoria quæ post stupefactiuorum usum adhibentur. Cap. XXXI.

Quum itaq; stupefactiuis usq; ad feruoris inflãmationum deletionem fuerimus usi, pòst calefacere membra cõuenit cataplasmatis ex castorio & thapsia cõpositis: si enim hoc non fecerimus, debilia & intemperata reddita mẽbra perpetuo fluori obnoxia reddemus, & quæ in actionibus facile offendẽtur: quapropter unam atq; alteram unguentorũ recalfactoriorum compositionẽ apponam. Ex quorum numero & hæc est. Succi thapsiæ drac. VIII, piperis drach. XXIIII. adarces, cãchryos, euphorbij recẽtis, cuiusq; dra. XXXII. Si uero recens euphorbiũ desit, duplum eius sume: staphidis syluestris drac. XII. pyretri dra. XII. terebinthinæ drach. XVI. ceræ drachm. XXIIII. olei cyprini libras VI. Altera, eiusdem usus. Pyretri, castorij, helenij, adarces, piperis, euphorbij, zingiberis, nitri, ceræ, singulorum drachmas VIII. irini quantum sufficit. Pro pauperibus autem satis faciunt, allia, thymus, origanum, satureia, sinapi, & similia.

Pharmaca & edulia eorum qui flauæ bilis influxu infestantur. Cap. XXXII.

Exhibenda est autem & cyclaminus à flauæ bilis influxu infestatis. Huius enim radix quàm tenuissime trita cum aqua mulsa aut passo pota, biliosum humorem per sudores excludit. Dandæ autẽ ex ea drachmæ quatuor corporibus magnis & robustis, reliquis uero pro uiriũ tolerantia. Adiuuare uero oportet sudorum exclusionem corpus calefaciendo & fricando, ita tamen ne affectos locos cõtingamus. Prębenda quoq; in potu ea quæ urinã cient, talia enim bilem per lotium euacuare consueuerunt: pastillus itẽ ex seminibus soporifer, & qui à triangulari forma Trigonus appellatur, & consimiles, doloribus infestantibus commode à flaua bile affectis exhibentur. Nam & somnus alti soporis inde oboritur, & fluxiones ab ipsis resiccãtur, atq; id maxime si post corporis per purgatiuũ euacuationem exhibeantur. Edulia autẽ eis apta quæ refrigerant, non tamen humectant: humiditas enim auget fluxiones. Dandum item eis lactucæ semen ob somnum conciliandũ, & papaueris semẽ tum in cibo, tum in potu. Mala etiã & sorba & mespila præbenda, & quæcunq; ad hoc quod refrigerant, fluxus cohibent allationem. Cæterum à uino omnino exacerbationis tempore abstinendũ est. Intercapedine autem pura reddita parum ex eo cõcedendum. Porrò inedia ab amara bile infestatos extreme lædit: nam bilem acriorem reddit.

Cura eorum qui ob pituitæ influxum ægrotant. Cap. XXXIII.

Horum item curationem à pituitæ euacuatione principium sumere oportet. Euacuatur autem humor pituitosus per uomitus quidem, nihilominus tamẽ & inferne per uentrẽ. Vtilis est autem in hac affectione per inferna purgatio, siue iuxta manus, siue iuxta pedes hæreat morbus, & multo adhuc magis si iuxta omnes corporis articulos fluxus fuerit dispersus, familiarior enim pituitæ uia & minus periculosa per intestina existit. Si enim in superiorem uentrem uiolenter adtracta non euacuetur, periculum inducit. Quapropter tutius est ut ad infernam excretionem ducatur. Euacuata enim in una die morbi utcunque inueterati robur contundit, quare in podagra innatum ex pituitoso humore fluxum, & mediocriter affligentem, & qui tum potentia tum actu calidis remedijs delectatur, purgare oportet. Ante purgationem uero modice adstringentibus utendum, atq; id magis adeo circa initium fluxionum. Atqui si euacuatio per purgationes fieri non possit, quę sanè uel sola sæpe sufficit ad affectionum fluidarum curationem: tum inedia & fame utendum est ad plures dies. natura enim pituitosi eam bene tolerare possunt. Vtendum etiã cõfricationibus discussorijs ampliusq; efficacioribus infusis, & pharmacis cientibus urinã. Cæterum quæ ratione nutrimenti præbentur edulia, natura sicciora sint, & minus nutriant, ueluti est oryzæ succus & bromi, qui inter frumentacea refertur. Nuces iuglãdes paucæ, pistaciaq; & nux thasia, & uuæ passæ, & capparis ex aceto mulso. Quãdoq; etiã parui pisciculi in petrosis aquis coaliti, & auiculæ mõtanæ assatę præbeantur. Vinum autẽ præbeatur quàm minimũ interualli tempore, tenue, fuluum & uetus. Cataplasmata autem quæ frigidis fluxionibus cõueniunt imponenda. In principio quidem terebinthi folia uiridia & tenera cũ adipe suillo recẽti, & rosaceo, modica cera adiecta. Apta sunt ipsis & cupresi folia & pilulę uino cocta. Et cyperi radices, & rhamni folia. Post principium uero pituitosis

tuitosis conuenit ex eruo & lolio ac fœnograeco cataplasma. Quemadmodū etiam ea quæ ex ciceribus constant, aristolochiæ radice trita ammixta, centaureaq́; & gentiana, & pæonia, & bryoniæ radice ac fructu. Ex amaraci item coma, & artemisia, abrotoniq́; folijs & adianto, uitice, lauro, pulegio, samsuco, menta, brassica, sisymbrio, serpillo, filice, fœniculo, eruca, & reliquis quæ saporis acris, aut salsi, aut amari sunt, & maxime si dolores citra ardorem ex refrigerationis sensu sint oborti. Singula uero ex his cum pane & adipe recentia pro cataplasmate imponito, quanquam nihil uetet unūquodq́; per se adhibere. Optimum est etiam fomētum ex passo mari mixto apparatum. At uero quinquefolij radicū & malicorij æqualibus partibus decoctis persudi ac foui, inquit Archigenes, circundolētes partes. Imò & tritis ipsis magis inflammata loca cataplasmatis modo contexi, atque hoc ipsum multis uelut obluctans & resistēs remedium dolores expulit, aliquibus autem ut pharmacum nulli inferius ipsos mitigauit, rarissime uero citra commoditatem apparuit. Mansuetissimum uero & hoc est. Altheæ folia cocta trita tum per se, tum cum polline, aut ordeacea farina imponantur. Ceratum item ex radice eius, quæ hibiscum appellatur, cocta in aqua mulsa trita, constet autem ceratum ex gleucino aut irino. Imponatur uero his qui tum uehementer calida, tum ualde frigida auersantur, mediocribus autē delectātur. Pharmacum porrò conueniens noui, inquit Philagrius, podagricis qui unà cū doloribus frigoris sensu percelluntur, id quod ex laurino componitur. Quum enim & alia eiusdem generis sint cum ipso, tantam tamen cōmoditatem à nullo exhibitam scio. Compositio autem hoc modo habet. Pharmacū ex oleo laurino. Ceræ, adipis suilli ueteris, resinæ pinus siccæ, terebinthinæ liquidæ, cuiusq́; drach. XCVI. cyprini, laurini, œsypi, butyri, cuiusq́; drach. XLVIII. galbani, medullæ ceruinæ, cuiusq́; drach. XVI. Hoc quidem igitur medicamentum confestim à dolore liberat eos qui in dolore frigoris sensum perceptāt. Admirādum etiam in his pharmacum est, quod ex croco constat & galbano, supraq́; ad sanguineum influxum præscriptum est, & in omni tempore adhibetur. Sunt autem & alia pharmaca his apta. Quemadmodum ea quæ Myracopa appellantur, & quæ ex ipsis cōponuntur cerata, fiunt autem hæc commensurata & proportionata cera ad unguenta ipsa ammixta. Pharmacum ex metallicis. Optimum uero & ipsis pharmacū est ex metallicis ad sauciatos neruos à Galeno apparatum, cuius & nos admirabile periculum fecimus, inquit Philagrius. Quum enim partium quàm tenuissimarum sit, ad profundū corpusculorū progreditur, & attenuat, & discutit. Commodum igitur existit in prædicta dispositione post sedatos dolores admotum, aut quū mediocres existūt, non solū enim discutit, ut dictū est, sed & repellit. Cōpositio uero hæc est. Chalcitidis drach. VIII. misyos drachmas XVI. Squamæ æris drac. XXIIII. thuris drac. XXIIII. galbani drach. XII. colophoniæ drac. XCVI. ceræ drach. XCVI. olei drach. CXXVIII. aceti acerrimi quantum satis est. Metallica cum aceto in sole æstiuo terito ad plures omnino horas: Deinde thus adijcito, rursusq́; diu terito, & liquescibilibus liquefactis, refrigeratis, & erasis admixtis unito, ac utitor. Pharmacum ex uino & oleo, Galeni.

Aliud pharmacū ex oleo & uino Galenicū, conueniens in declinationibus inflāmationum, & post easdem omnibus podagricis. Spumæ argenti, drachmas XCVI. olei ueteris drachmas CXCII. ad podagricos uero sufficit, si anniculum sit oleum, uini ueteris fului pellucidi atque leniter dulcis drachmas CXCII. Coquito simul ad compagem manus non inquinantem. hic enim est optimus eius apparatus. Nam qui triplum olei accipit, diutius coquitur, & magis resiccans redditur. Porrò in his qui pòst dolores uehemens frigus percipiunt, aliud Galenicum pharmacum ex euphorbio ad sauciatos neruos descriptum conducit. At uero adhuc pharmacum podagricis commodum, tum in inflammationum remissione, tū post easdem existit, quod Aegyptium appellatur, & quod ex lanis succidis ustis apparatur. Habetur autem inter multæ commoditatis emplastra in XV. Sermone huius tractationis.

Cura eorum, qui ex atræ bilis influxu ægrotant. Cap. XXXIIII.

Dicatur autem ex ordine & de atræ bilis influxionibus, quæ & ipsæ omnino uniuersali euacuatione præcedente opus habent, hoc est uenæ sectione, aut purgatione. Quando quidem igitur ad atram uergunt bilē, euacuatione per ea quæ ipsam repurgant: quādo uero ad sanguinem atra bile infectum declinant, per uenæ sectionem. Si uero ambo hæc simul per totum hominem redundarint, non unū aliquod ex prædictis adhibere suffecerit, sed præsecta uena, deinde depurgare cogimur, quod ipsum & in alijs affectionibus duplici euacuatione indigentibus erit faciendum. Priusquàm igitur totum corpus euacuamus, atque in ipso etiam euacuationis tempore, dico sanè in principijs, repulsorijs & sensim simul calefacientibus utendum est. Post euacuationem uero his quæ sensim calefacere, & attenuare, & discutere possunt, utemur. Sunt autem repulsoria quidem simulq́; leniter calefacientia, terebinthi folia & cupressi, cyperi radices, & similia. Calefactoria autem simulq́; attenuatoria & discussoria, bryoniæ radix & cyclamini, syluestrisq́; cucumeris, & raphani, lauri item folia mollia, & pastinacæ, & caucalidis, sinapis, nasturtij, conyzæ, brassicæ, iridisq́; & ocymi & aliorum innumerorum folia. Ammiscenda autem sunt hæc pani aut cuipiam ex prædictis iam sæpe farinis, & adipi anserino aut gallinaceo, butyroq́; & œsypo, atque id maxime in humectis & mollibus corporibus, quo leniora reddātur. Quin & post huiusmodi pharmacorum impositionem, præscripto ex croco pharmaco, & eo quod ex metallicis constat, uti conuenit, ampliusque quod Machærioni inscribitur, & quod Isis appellatur, similibusq́;, quorum compositiones in XV. Sermone traditas reperies. Etenim huiusmodi pharmaca relictum in membris humorē concoquunt, eundemq́; attenuāt & discutiūt, ampliusq́; membra debilitata corroborant. Cōmodissimum autem pharmacum per interualla exacerbationum dolore non infestante, ad atræ bilis fluxiones est Corax, quemadmodum etiā pastilli, Andronius inquā, & Musæ, & qui ex centaurea, itemq́; qui ex lanis succidis apparatur, & consimiles in XIIII. Sermone descripti. Illinūtur autem cū uino dulci. Miscentur etiā ad præscriptum ex cro

ex croco pharmacum, & ad id quod ex metallicis constat, ita tamen ut parum quid ex pastillis ad multã pharmaci partem commisceamus, ut uidelicet pastilli XII. pars ad unam pharmaci partẽ addatur, hoc est ad pharmaci lib. I. pastilli uncia una. Aliquando autem minus. Quum enim euacuare & discutere uolucrimus, minus de pastillo adijcimus, corroborare autem & firmitatem addere, plus. Quòd si neq; perfecta, neq; absq; dolore sint exacerbationũ interualla, panem uino maceratum & sufficienter emollitũ ad prædicta medicamenta per interualla ammiscere expedit. Præstans autem est & in his discussoria fricationum species uniuersi corporis, præter affectas partes, tum per interualla, tum tempore exacerbationum uehementius & diutius facta, & maxime si non fuerint præeuacuati.

De his qui ob tenuem fluxum ægrotant. Cap. XXXV.

Si serosi sint humores qui ad articulos influunt, non paruum signum tenuitatis ipsorum est, quòd neq; tumorem magnum habeant inflammationes, neq; diutius durent, imò neq; molestiam aliquam in motibus perpetiuntur ægri, postquàm quieuerint inflammationes. Eorum igitur qui ob tenuem influxum ægrotant, remedium quod eadem die opem eis fert, purgatio est per ea quæ serosos humores euacuare possunt facta. Fluxiones autẽ quę non ita ualidum dolorem inferunt, sæpe in solo irrigationũ fotu substiterunt, ex oleo uidelicet rosaceo & uino dulci suppressæ, modica cera ammixta, ijsdémque lanis succidis exceptis, additur etiam aliquando nitri spuma. Quin & quod ex cote naxia & ferri affrictu deteritur, & in ea cõgregatur, illitum iuuit: Et selinusia terra, & cretica, & samius aster, & lemnia, sphragis appellata, uino & posca, & aceto ac passo diluta, illita eodem modo profuerunt. At uero & caseus recẽs coactus impositus mediocres inflammationes etiã solus iuuat, & cũ polẽta, aut farina præsertim ordeacea. Habet enim in se non modo quid repulsorium, sed & discussorium, per quod & tenues fluxiones repellit, & humores in articulis euacuat. Lentisci etiã ramuli teneri & fructus, similiterq; myrti & terebinthi, & pirorum, ac quercus, oleæ, punicæ, mespilorum, cerasi, pruni, rubi canini, & rubi, cuius etiam fructus & uirgulta idem operantur, & ut simpliciter dicam, quæcunq; res in fructibus, & folijs, & succis, & radicibus aliquid amari, aut acris, aut salsi, aut nitrosi habet, simulq; cum amaritudinis, & acoris, omniumq; prædictorum moderata qualitate non adeo ex cellẽti, adstringũt: hæ mediocres dolores ex fluxione obortos iuuant. Suffecit autem unà cũ his ad perfectam sæpe curam fames ipsa: Quemadmodum etiã clyster omnibus fere podagricis conuenire uidetur, & maxime in quibus uenter asidue cohibetur. Ruta etiam uiridis & pastinaca uiridis utiliter ipsis pro cataplasmate imponũtur, maxime quibus uenter cohibetur, ampliusq; quibus pungitiui sunt dolores & inflãtes. Ammiscere autem omnibus his expedit adipes, quandoque & polentas, & farinas quasdã, quæ haberi possunt: mel item ac passum, & rosaceum, quo humecta & liquida conseruemus. At uero si & fermẽtum modicũ hoc tẽpore ammisceas, nihil peccaris. Hoc igitur modo etiam plurima ex hortensibus tibi commoda fuerint, si ipsa iuxta prædictas qualitates iudicaris, amaram nimirum & salsam, acidamq; & adstringentem atq; acrem, quæ omnes sint mediocres. Inuenies autem aliquãdo & dulcem qualitatem unà cum his permixtã in eadem etiam planta. Ea quoq; quæ in mari nascuntur, plerunque talia sunt, utpote quæ Lactucæ appellantur. Sunt autem germina lata & oblonga ac uiridiora, tenuia & subrugosa, ac ueluti conduplicata ad littora maris per fluctus eiecta. præstantiores autẽ fiunt cum posca decoctæ. Viridia item quæ in fuco siue alga tinctoria ad radices sita sunt. Et ad hæc quæ in petris maris reperiuntur similitudine fungorum, reliquaq; germina mollia commodant eodem modo. Omnia enim huiusmodi apte commiscentur adipibus ac farinis. Quin & torpedo tum marina, tũ fluuialis, iuxta alium quendam modum, non in paruis solum, sed in magnis quoq; inflammationibus congruit. Naturali enim facultate quadam stuporem inducit, & dolores è corporibus tollit. Quapropter ipsam uiuentem asidue admouere inflammatis locis oportet. Cocta item adhuc uiua in oleo, deindeq; extracta, ac modica cera cum oleo eliquata, commodisimum pharmacum omnibus dolore afflictis podagricis redditur. Consimili efficacia uermes terreni appellati præstant, si in oleo coquantur, & cera postea in oleo liquescat.

De fluxionum inter se complexu. Cap. XXXVI.

Quũ itaq; iam simpliciũ & immixtarũ inter se fluxionum curatio sit relata, nulla difficultas amplius est, etiam mixtarum curam inuenire. Satis enim manifestum est, quòd ad humorum complexum, consequenter etiam curationes oporteat mixtas esse. Cognitiones autem mixtarum fluxionum ex prædictis simplicibus affectionibus sunt sumendæ.

Cura affectionum ex sanguinis & bilis complexu. Cap. XXXVII.

Si igitur sanguineę & biliosæ affectiones concurrant, & propterea tumor magnus & ruber, & quodam modo flauus ac feruidus, membrum fluxione infestatum apprehendat, & dolores nunquam remittentes incumbãt, & exacerbatio uehementer quidem alternis & tertio quoq; die fiat, benignior autem singulis diebus: omnino sanè manifestum puto, quòd medicationis initium à uenæ sectione primum fiet, consequente exinde biliosi humoris purgatione. Satis constat autem quòd & euacuationũ tempore repulsorijs utemur, quæ uidelicet frigidæ & adstringentis sunt facultatis: Et deinde primũ mitigatorijs & refrigerantibus quidem utendum, nõ autem amplius adstringentibus. Adstrictio enim tumorem inspissat ac cogit, ut ęgre discuti & resolui posit, si diutius ea utamur. postremum uero etiam his quæ concoquere & discutere tumorem posint, utẽdum est. In principio igitur iuxta euacuationum, inquam, tẽpus, utile pharmacum eiusmodi affectionibus est ex acacia & ueratris pastillus in mortario plumbeo cũ semperuiui, aut plantaginis, aut sanguinariæ, aut senecionis, aut umbilici ueneris, aut rumicis acuti, aut solani, aut uuæ acerbæ, aut hyoscyami, aut lactucæ succo dilutus. Atqui iuxta augmẽta & uigores affectionum, etiam ea quæ ad sanguineas affectiones dicta sunt, in cataplasmata ammiscere expedit, succosq; item iam relatarum herbarum, & ipsas adeo herbas tritas. Postquam uero feruor inflammationis cessarit, concoquentibus cataplasmatis &

medicamentis utemur: parte etiã affecta uulnusculis impactis scarificata, presertim si appareat tumefacta.

Cura bilis ad pituitam permixtæ. Cap. XXXVIII.

At uero si pituitosi humores biliosis fluxionibus ammisceantur, si quidem unio & permixtio ipsorum eodem tempore hominem infestet, miscere etiam remedia oportet, eorumq́ multitudinem purgare per ea quæ bilẽ simul & pituitã educere possunt: forinsecus aũt cataplasmata imponẽda pari aut impari modo permixtis his quæ pituitosum & biliosum euacuãt fluxũ. Et pari quidẽ modo utraq́ conijciemus, quũ affligentiũ humorũ mixtura ęqualis fuerit. Impari uero, si alter humorum redundarit. Neq́ uero obliuioni tradendum, quòd aliqua ipsorum in principio rectè adhibentur: aliqua uero iuxta mali progressum & uigorem. Quædam uero eo remittente & circa declinationem.

Cura humorum atræ bilis alijs permixtorum. Cap. XXXIX.

Eadẽ etiã methodo uteris, si atrę bilis fluxiões reliquis fuerint ammixtę, tum iuxta exacerbationum circuitus, tum iuxta continuitatem. Neq́ enim solum ad affectionum cõplexus est respiciendum, sed & num assidue & citra remissionem, an iuxta circuitum infestet. Primũ quidẽ igitur & in illis euacuationibus cõuenientibus utendũ est: Deinde ubi quidẽ assidue infestarint, cataplasmatis dolores sedãtibus uti expedit: Vbi uero per circuitũ moueantur, instãtibus quidẽ doloribus mitigatoria cura, per interualla uero corroboratoria membrorum utemur. Manifestum autẽ quòd quæ magis feruẽt, maiori refrigeratione opus habẽt: quæ minus, minori. Omnia tamẽ feruentia refrigerare oportet. Quæcunq́ autem fluxiones pruriginosæ fuerint, obtundentibus & discussorijs curabuntur. Quęcunq́ uero mordaces, obtũdẽtibus solis. Et quæ in alto sitæ sunt, per ea quæ tenuium partium existunt: quę uero in superficie, per simpliciora. Omnium autem horum syluam in fine secũdi huius tractationis Sermonis præscriptam habes.

Cura durorum humorũ qui post inflammationes relinquuntur. Cap. XL.

Duri & reluctantes aliquando tumores post inflammationes relinquũtur, qui ex crassis humoribus generationem habent, in corporibus præsertim durioribus, & quæ ægre per discussoria exoluuntur, & male curatis. Huiusmodi enim non curati statim seipsis peiores fiunt ad uitæ actiones obeundas. Cæterum huiuscemodi tumores sedant, pharmacum Machærionis, & Piscatoris, & Aegyptium, & consimilia, de quibus dicetur XV. Sermone in pharmacorũ multæ commoditatis relatione. Dicetur autem & hic, ubi ex ordine de tumoribus qui ęgre concoquũtur tractabimus. Sunt etiam parabilia pharmaca ad hanc affectionem si ruri uiuam us, satiuæ fici, & syluestris quoq́ grossi cocti, triti & impositi, tum soli, tum cum quadam ex prædictis farina & adipe. Cyclamini item & cucumeris syluestris radix, & althea bis cocta, & caricæ pingues, adianton, auena, urtica, bryoniæ radix, bulbi anethi, abrotoni, buphthalmi, iridis folia, itemq́ marrubij, ita ut singula prædicta cum uisco, pice, & sulphure uiuo permisceantur.

De tumorum crudorum & inconcoctilium cura. Cap. XLI.

Crudi tumores ex materia albidiore ac lentiore congregantur, diuq́ durãt, neq́ concoquuntur, neq́ discuti possunt. Quandoque uero primis quidem discussis loci statim fluxione infestantur: & inæquali magnitudine semper permanent tumores. & in quibusdam sanè penitus absq́ dolore fiunt, in alijs uero dolore quodam comitante. Quandoquidem igitur diuturnos uideris tumores citra dolorẽ, per discussoria curato, diligenti animaduersione habita ne quid relinquatur induratum, quod incurabile aut ægre ualde curabile reddatur, & maxime ubi callosarum duricierum generationem uideris in articulis futuram. Si igitur citra dolorẽ uideris crudos tumores, emollientibus ad discussoria ammixtis curato, ne quid penitus induratum relinquatur. Si uero cum dolore contingant tumores, non modo discussorijs, sed etiam quæ unà cum hoc quòd discutiunt, lenire possunt, expedit uti. Manifestum autem est, quòd si fluxus tenuis & modicus cum doloribus quibusdã deferatur, inde tumores post inflammationum remissiones oboriantur & infestent, atq́ id maxime in his euenit qui delicatius uiuunt, aut frequenter lauantur, aut plus quàm oporteat inambulant, uel etiã rebus uenereis utuntur. Oportet igitur in his ad tumefacta imponere pharmacum ex salicibus, ita ut adglutinari possit apparatum: aut ex aspidibus constat ad strumosos destinatum, aut aliquod consimile: præsertim quum sensus ægris adest iuxta coxendicem aut femur, tanquam aliquid ad inferiora deferatur: quumq́ dicunt se affici uelut formicas repentes sentiant, doletq́, & iam refrigeratur, iam calescit membrum. Quin & lauantes per smegmata ex adarce, alcyonio, & pipere defricare oportet. Adstringentia igitur sunt simulq́ discussoria pharmaca, quibus necessario utimur ad crudos & dolẽtes tumores, uelut symphytum petræum, terebinthi uirgulta, scolopendrium uiride, cyperos, & similia, de quibus sæpe dictum est, cum pane multo & rosaceo permixta, præsertim in his qui humido & albo corporis habitu sunt præditi. Ex compositis autem conuenit eis pharmacum ex succis quod cum uino flauo & subadstringente est emollitum, & Galeni phœnicinum cum multo rosaceo liquefactum, & locis liquidius impositum. Cæterum in tumoribus citra dolorem conueniunt adiantum uiride, folia urticæ, altheæ, chamæmelum, uua passa pinguis, sertula campana, melissophillon, lauer, citrij exterior cortex, & similia: Ad quæ singula cicerum & lupinorum farinæ, & panis, & olei ueteris ac sicyonij, & adipis suilli ueteris, tantum ammiscendum est, ut mollis ad tactũ compositio reddatur, & morsum nullum ad membrum accedere permittat. Ex compositis autem pharmacis conueniunt his, id quod ex croco & galbano constat, & quod ex liquescibilibus apparatur, ac mox referetur: Et Machærionis, & Piscatoris, cũ cerato ex oleo sicyonio aut aliquo consimili liquefacta. Atq; hæc quidem in mollioribus corporibus adhibentur. In durioribus autem & quibus tumores non dolitant, conueniunt uiticis folia, præsertim arida, & amaracũ, amarantum, ari & arisari radix, smyrnium, altheæ radix, elaphoboscum, ericæ folia, fœniculi folia, filix, sisymbrium, scandix: erucæ folia & sinapis uiridis. Composita autem conueniunt tum prædicta citra cerati ammixtionem, tum Isis, & Aphrodite appellatæ, & alia infinita ijsdem

dem uiribus prædita. Huiusmodi autem pharmaca unà cum hoc quod tumores exoluunt, etiam fluxiones naturæ suæ aptitudine repellunt: Quod ipsum etiam probe faciunt cupresi pilulæ uirides cum uino coctæ, prædictorum leguminum farinis & suillo adipe ammixtis, quandoq; uero & lauri ramuli, & rubi folia, & similia ammiscentur. Efficaciora autem prædictis sunt, & agrestioribus corporibus ac tumoribus qui ægerrime cōcoquuntur conuenientissima, abrotonum, ammoniacum thymiama, anemonarum radices & hastulę regiæ, bryoniæ radix, pulegiū, dracunculi radix, bdellium, buphthalmū, gentianæ radix, & myrobalanus. His autem adhuc fortiora sunt capparis folia, glastum, betonica, cyclamini radix, brasicę ustæ cinis, ruta, panaces uirides, peucedani radix, scilla, fici syluestris fructus, trifoliū asphaltites, trixago, sulphur, pix. Addatur autem singulis prædictis panis & adeps, aut prædictorum leguminū farinę, quandoq; etiam caricæ. In quibus omnibus scopum tibi propositum habeas, ut citra partis affectæ combustionem & afflictionem curam facias: quapropter etiam necessaria est prædictarum farinarum, itemq; adipum admixtio. Tantum autē commiscere ex eis oportet, quantum uehementem uniuscuiusq; uim obtūdere uolumus. Ammiscēdus autem est non solum adeps suillus, sed & caprinus, & uitulinus, & taurinus, ceruinus & anserinus: Medullæ item omnes ammiscendæ habito naturæ curādi corporis respectu. Et cochleæ unà cum testis tritę, & sine alterius rei admixtione, aut caprino stercore cum aceto trito ammixto impositæ, tumores laxos & molles destruunt, & adstringunt, qui sanè ex lentis & crasis humoribus oboriuntur. Porrò operæprecium duxi admonere, diligenti animaduersione opus esse, ne clàm te indurata aliqua tumoris pars relinquatur. quod sanè ubi uideris factum, his quæ fortiter emollire possunt, uteris, respectu simul ad habitū corporis habito. Ex malagmatibus autē fortisimū est Lucio inscriptum ad articulos distortos.

Malagmata diuersa, in quibus etiā Lucij malagma est, ad articulorū distortiones destinatū. Cap. XLII.

Malagma Lucij ad articulos distortos inscriptum, facit ad thoracis affectiones & abscessus in profundo, ad neruos contractos, & articulos stupore occupatos. Latini distortiones, & Græce ancylas appellamus. facit opisthotonicis, & ad omnem neruorum per cōsensum affectionem: Ad neruorum item lasitudinem acopon egregium est irino aut cyprino dissolutum. Bdellij, adipis uitulini, ammoniaci thymiamatis, iridis, cuiusq; sextātem, opopanacis, galbani, canchryos, thuris, styracis, cuiusq; drach. VIII. piperis grana CLX. ceræ sexuncem, terebinthinæ sexuncem, fecis unguēti irini aut cyprini sextantem & unciæ dimidium, uini quantum sufficit. Ammoniacū, opopanaca, thus, terito cum aceto, liquescibilia uero liquefacito, & ab igne ablatis sicca inspergito: deinde etiam trita ipsis adijcito, & unita in mortarium diffundito, ac fortiter emollito, extractisq; utitor. Optimum est etiam eis ex pice brutia Galenicum pharmacū ad rabidi canis morsum descriptum. Habet autē hoc modo. Picis brutiæ libram I. opopanacis quadrantē, aceti acerrimi drac. I. apparato quēad modū de rabidi canis morsu prædictū est, Sermone sexto. Aliud pharmacū ex liquescibilibus, Galenicum, quod cōcoquit simul, & attenuat tumores. Quo sanè in mollibus corporibus uel solo utendū. In durioribus uero ammiscendum est ei id quod ex metallicis cōstat ad sauciatos neruos destinatū, ita ut mixtura ubilibet iuxta corporum & affectionū naturā fiat. Habet autē hoc modo. Opopanacis unc. I. terebinthinæ chiæ unc. I. propolis teneræ quadrātem. Si uero propolis tenera non sit, admiscebis terebinthinæ trientem: quòd si neq; in totum propolis haberi posit, conijcito picis brutiæ sexuncem. Opopanaca in aceto albo cōtere. Hoc pharmacum prædictos tumores cōcoquit, & humores in alto sitos adtrahit, dissecat, & repurgat. Cæterū quod ex metallicis constat, item Galenicum, ad sauciatos neruos destinatum, hoc modo habet. Chalcitidis, misyos, æruginis ustæ, cuiusq; drach. VIII. colophoniæ bessem, squamæ æris drach. XXIIII. ceræ drachm. XCVI. olei drac. CXXVIII. resinæ drach. XVI. galbani drac. XII. aceti quantum sufficit. Chalcitin, misy, æruginē, ęris squamā cum aceto in sole æstiuo contere ad plures horas, & liquescibilibus liquefactis & affusis, uni, emolli, ac utere. Aliud Galenicum. Ad eos qui tenerū corpus habent & neruis saucij sunt descriptū. Chalcitidis ustæ, misyos ustæ, cuiusq; drachm. VIII. Squamę æris drac. XXXII. thuris drachm. XXXII. ceræ drach. XCVI. olei drach. CXXVIII. resinæ drach. XVI. galbani drach. XII. aceti quod satis est: Apparato ut dictum est. His itaq; pharmacis utemur per se, ubi dolores ex profundo dissoluere uelimus. Miscebimus autem pharmacū ex liquescibilibus cōstans, ubi tumores fuerint obdurati. Malagma ad podagricos & articulorū morbos ualde generosum. Liberat à tota affectione, usus eius est per exacerbationum interualla. Cerę lib. I. terebinthinæ lib. I. spumę nitri sexuncem, floris lapidis asij sexuncem. Thuris sexuncem, olei cyprini lib. I. lixiuij coactiliariorum, siue pileariorum, quantum sufficit. Arida contundito, cribrato, & cum lixiuio ad liquidi cerati crasitudinē terito, & liquescibilia liquefacta tritis affundito, unito ac utitor. Aliud. Calcis uiuæ, thuris, cuiusq; drach. IIII. terebinthinę drach. IIII. ammoniaci thymiamatis drach. IIII. spumæ nitri drach. IIII. adipis taurini drach. VIII. floris lapidis asij drach. II. cerę trientē, olei trientē. liquescibilia liquefacito, & cū siccis unito ac utitor. Valde pręclarum est. Resorbet collectiones circa articulos congregatas, & à doloribus uindicat. Aliud, quod in totum ab omni affectione liberat. Seminis cicutæ, comę cētaureæ, iridis illyricę, agarici, cardamomi, fœni gręci, corticis radicis mādragoræ, singulorū sextantē, terebinthinę lib. I. olei ueteris sexūcē, unguēti syriaci, aut salca appellati, sexuncē. Terebinthinā cū oleo ueteri modice coquito, deinde unguētum addito, & ablatis ab igne arida trita inspergito & unito, emollitaq; in uas æreum aut stanneum reponito, uase tamen prius ex unguento malabathrino siue foliato illito. Hoc pharmacum crassos & mucosos humores trahit per obscuros meatus. Aliud ad eos qui à natiuitate articularē morbū cōtraxerunt. Vtpote quibus genua, humeri, cubiti, & reliqui articuli dolitnat. Ceræ, colophoniæ, resinæ pinus, cuiusq; sexuncem, terebinthines unc. I. fœni græci sicci contusi & cribrati trientē. Cyprini trientem aut quantū satis est. Eliquatis liquescibilibus fœnum græcū insperge, & utere.

& utere. Aliud Ceratum ad articularem morbũ pulchrum. Cerę, adipis porcini, colophoniæ, resinę pinus, cuiusq; lib. II. butyri lib. I. terebinthinę lib. I. galbani trientem, adipis taurini lib. II. œsypi lib. I. Liquefac, percola & adserua. Vsus uero tempore unguento nardino dissolue aut etiã gleucino, & linteolo exceptũ impone. Aliud ad articulorum morbũ & podagricos, ut præ admiratione consterneris. Ceræ drach. C. rosacei drac. CC. foliorum sideritidis tenerorum drach. C. styracis drach. XX. thuris drach. VIII. nitri drach. VIII. mãnæ drach. X. Liquefacta cũ reliquis tritis unito, ac utitor. Sunt autem & alia quàm plurima pharmaca quæ tumores tollere possunt post inflammationes adhibita: Maxime uero omnium quod ex aspidibus cõstat ad strumas descriptũ: facit ad eos quibus laxi tumoris magnitudinẽ detrahere uolumus: Subuertit enim quàm plurimũ tumores laxos, itemq; duros, eosq; simul diffundit. Cõstringit aũt & cõdensat articulos præclare omnino si quod ex salicibus constat ei ammisceatur. Ego autẽ, inquit Philagrius, penuria pharmacorũ ex metallicis præscriptorum, id quod ex salicibus apparatur ammiscui & maximopere profeci articulis inde constrictis, densatisq; ac corroboratis, obfirmato uidelicet fluxionum humore prius euacuato. Licebit autem si quis ruri uiuat, & prædictis pharmacis careat, ex adipe qui ad manum sit, & arida pice cum resina pinus, aut etiam alia resina quæ haberi posit, pharmacum in cerati formam apparare, ipsiq; chalcanthi quantũ ubilibet recte habere uidebitur ammiscere: Salem item ac mysi, auripigmentum, & similia: Quin & uiscum & irin, aristolochias, pæoniam, peucedanum, gentianam, centauream, artemisiam, thymum, origanum, nitrum, nitri spumam, thus, myrrham, styracem, propolin, mastichen, ac alia innumera his consimilia licebit reperire, indeq; pharmaca tumores constringentia componere, quemadmodum nos fecimus non paucies communibus ad podagricos & articulorum morbos pharmacis inde apparatis. Philagrij pharmacũ ex nitro & oleo.

Nitrum accipito friabile & nihil calculosum in se habens, idq; ipsum quàm tenuissime terito, olei tantum ad ipsum in mortariũ affundẽs quo trita simul ad mellis crassitudinem redigatur: atq; ubi satis diu contriueris cacabo excepta, ad lentum ignem nõ fumantem coquito, assidue agitãdo donec ad bonam compagem reducantur, animaduersione habita ne liquidius pharmacum relinquatur, quod ubi contigerit, pharmacum penitus liquidum euadit, & neque in posterum inspissatur, nisi multam aliam sustineat coctionem, quę uim eius licciorem, & ob id affectis dolore membris inutilem reddit. Probare autẽ eius compagem tempore coctionis oportet, ad testam aridam ipsum destillãdo, testa nõ prius humectata, quemadmodũ in alijs pharmacis facere solemus. Resoluitur enim nitrũ per aquę cõtactũ. Sit aũt oleum quod nitro affunditur dulcissimũ, tenuiũ partiũ aut rosaceũ, aut chamæmelinũ, aut anethinũ, aut uetus, aut cicinũ, aut sicyoniũ. Quandoq; etiam chamæmeli humidæ siue aridę, aut iridis tenuissime tritæ, aut aristolochiæ, aut alicuius cõsimilis partẽ ammiscere prodest. Si quidem autẽ repellere simul ac discutere uelimus, aut etiã calidos dolores curare, cũ rosaceo ipsum pharmacum coquemus, aceto quãdoq; in coctione aut modico passo affuso. Si uero amplius discutere uelimus cum aliquo alio oleo coquemus, ammixtis etiã quibusdã pręscriptorũ aridorũ, iuxta habitũ uidelicet curãdi corporis & cõpagem ipsius tumoris. Hoc sanè pharmacũ dolores in alto obortos quàm celerrime sanat, atq; id eo magis si non biliosum sit, neq; multũ calidum quod influit. Neq; uero solũ podagricos dolores ex professo iuuat, uerũ etiã eos qui tales nõ sunt, sed ex fluxionibus cõgregati & discussioni aliàs resistentes. Vtimur itaq; ipso si post sedatas inflammationes dolores in alto permaneant. Pharmacũ ex urina Bordonis, hoc est, muli apparatũ. Attrahit quidẽ hoc priore pręstãtius. Cõuenit autẽ magis crassis & crudis fluxionibus, præsertim si cũ chamæmelo uiridi uel sola, uel cũ adipe porcino recẽti, fuerint prius cataplasmatis modo cõtectæ: cũ arida uero itidẽ eodẽ adipe ammixto, ampliusq; farina fabacea, aqua & oleo ac modico passo adiectis. Quin & ipsa anthemis, quæ & chamæmelon dicitur, ualde calidos dolores & inflãmationes maximopere ex natura sua iuuat, statim post uigorẽ adhibita. Etenim cutẽ rarefacit & attenuat moderate, & biliosos humores trãspirare facit, adeo ut huiusmodi inflãmationes etiã sola, nihil ex attenuatorijs & incisorijs, ueluti est artemisia, & aristolochia, & calaminthe, & alia infinita, admixtũ habẽs, curet. Hoc itaq; pharmacũ ex argẽti spuma & urina apparatũ, de quo sanè sermonẽ institui, scio quosdã circa totius affectionis uigorẽ, nõ modo iuxta particulares exacerbationes, aliquãdo uero & augmẽti tẽpore, ad dolẽtes locos pro cataplasmate imposuisse, humoresq; forinsecus extraxisse, & tumores qdẽ maiores reddidisse, dolores tamẽ omnino sedasse ac extirpasse. Cęterũ odor ipsius intolerabilis est eis q tenero olfactus sensu præditi sunt. Cõpositio uero talis est. Vrinę muli masculi nõ castrati, sextarios Italicos IIII. spumę argẽti lib. II. Spumã argẽti tenuissime tritã in mortario habeto, eiq; urinã affundito, ad solẽ uidelicet æstiuũ expositę paulatim urinã instillato, & postquã ad mellis spissitudinem peruenerit, urina scilicet cõsumpta, olei unc. XXIIII. addito, adipis porcini ueteris unc. XVI. & usq; quo nõ amplius inquinarit manus, coquito. Vsus uero tẽpore linteolo exceptũ imponito. Oribasius autẽ axungiæ lib. I. cõiecit, & medullæ ceruinæ nõ salsæ bessem, & mellis lib. III. reliqua uero eodẽ modo. Scribunt porrò quidã proprij muli urinã accipiendam esse. Resistit enim & obluctatur morbo ex natura sua hoc animal. Efficacius autẽ, aiunt, reddetur, si quis dũ coquitur ipsa semel in cacabũ expuat, & semel in terram. Atq; hęc cum quibusdã barbaris nominibus inuenire licet adscripta, quę sanè curiosam penitus habent scripturã, atq; ob id superfluum & indecorũ mihi uisum est, inquit Philagrius, ea adscribere. Etenim citra eorũ nominum incentionẽ ac nomenclaturam, ipsum pharmacũ apparatũ, eodẽ modo efficax est, sicut id quod cum nominibus præparatur. Hippione Philagrij. Hippione uero hoc modo apparatur. Anethi uiridis unc. XVI. scillę recẽtis sexuncem, olei omphacini septuncem ac uncię dimidium, aquę sextarios III. Anethum & scillã in aqua & oleo ad triduum macerato, deinde donec aqua consumatur coquito, & percolato oleo ceræ nouæ lib. II. adijcito medullæ ceruinæ libram I. aut si hæc non adsit,

adipis

adipis ceruini libram unam, adparato & utitor.

Cerata podagrica. *Cap.* XLIII.

Ceratum ex succo senecionis ualde pulchrum. Ceræ libram unam, olei chamæmelini dodrantem, adipis porcini recētis sexuncem, croci drachmas quatuor. Crocum cum succo senecionis terito, liquescibilia autem liquefacito, percolato, & succi quantum expedit paulatim instillato, fortiterque agitato, atque ubi refrixerint, ad crocum tritum adijcito, & subacta unito, ac utitor. Ceratum dolorem leuans, ad inflammationes in uigore constitutas. Appellatur autem Manus Asclepiadæ. Facit ad excellenter inflammata, eadem hora liberans citra dilationē. Succi hastulæ regię cyathos IIII. succi solani cyath. IIII. succi buphthalmi cyath. IIII. succi perdicij cyat. IIII. ceræ, butyri recentis, axungiæ, medullæ uitulinæ, calcis uiuæ, cuiusq; quadrantem, terræ cimoliæ dra. XII. terræ samiæ drac. XII. sandarachæ drach. XII. nitri bernicarij, spumę nitri, cuiusq; drach. XII. fecis uini ustæ drac. XII. glutinis chartarum, hoc est pollinis cocti, drach. XII. olei boni lib. III. appara & utere. Aliud ad præscripta item efficax. Ceræ, colophoniæ, adipis anserini, cerusæ, cuiusque drac. XVI. picis drach. IIII. succi brassicæ, cyathi dimidium, succi fœni græci cyathi dimidium, succi seminis lini cyathi dimidium succi stratiotæ cyathi dimidium, succi sertulæ campanæ cyathi dimidiū, lactis bubuli cyathi dimidium, oua gallinarum numero IIII. olei libras II. Ex his cerata duo facito, eaq; unà cum eis quę Aegyptia inscribuntur, in promptu habeto, quæ pauci adeo homines habent, apparato confidenter, nulliq; reuelato, & plus quàm hominis nomen assequeris. Podagricum aliud ceratum approbatissimum. Facit ad inflammationes & dolores, etiam in principijs impositum celerrime sanat, & neruos arefactos emollit, adeo ut quidam ei hanc facultatem inesse non credant, dissoluit & pedum nodosos tumores condylomata Græcis appellata. Olei cicini lib. II. succi mandragoræ, drach. XXXII. succi artemisiæ, drac. XXIIII. succi rumicis, drac. XXIIII. resinæ pinus, drachmas XLVIII. terebinthinæ, drac. XLVIII. adipis anserini, drac. XLVIII. succi rubi, dra. XVI. butyri recentis drach. XLVIII. lycij indici drac. XXIIII. sanguinis hircini sicci drach. XVI. lacrymæ hederę drachmas XXXII. galbani drachmas XLVIII. opopanacis drachmas XXXII. Lycium & sanguinē hircinum & panacis succum cum modico uino terito, & affusis succis, si quidē liquidi affuerint, aut siccis, si illi haberi nequeant, unito. liquescibilia autem liquefacito, eisq; trita adijcito, & ad lentū ignem coquito, spathula assidue agitādo donec cogātur. Cæterum ligna quæ ad coctionem eorum suburūtur, arida uitis sarmēta esse oportet. Ceratū podagricum ex bryonia. Egregie facit ad omnes inflammationes & dolores articulorū. Hac usus & in uigore & in remissione successum & gloriam reperi. Reperies enim inflammatas partes corrugatas & citra dolorem. Frequenti experimento nobis cognitum est: nam multos eo seruauimus. Radicis cucumeris syluestris drachmas CCCCCLXVI. scillę mundæ drachmas CCCCLXXX. radicis hastulæ regiæ drachmas CXLIIII, olei raphanini drachmas CCCCCCXCVII, ceræ drachmas CXLIIII. galbani drachmas XLVIII. Herbas omnes in aqua sufficienti per triduum madefacito, singulis diebus bis ipsas sensim agitando. Deinde affuso oleo, coquito, donec oleum solum relinquatur ad lentum omnino ignem, percolato deinde, & ceram ac galbanum in mortario diligenter trita & emollita addito. Quibus omnibus postremū liquefactis, & ab igne ablatis utitor ad omnes doloris affectiones. Hoc etiam ad uiscerū diuturnas inflammationes sum usus. Ceratum in multis approbatum, ad inflammationes pedum, discutiens citra dolorem. Vtere eo in uigoribus, & magis in declinationibus. Olei anethini quincuncem, chamæmelini quincuncē, butyri quincūcē, adipis anserini quadrantē, farinæ lupinorū sextantē & dimidiū unciæ. Liquefacito & agitando refrigerato, in mortariūq; infundito, terito, & ouorum quinq; crocea singulatim inijcito. Deinde & lupinorum farinam inspergito, unito, utitor. Ceratū Iacobi Psychristę, ad feruētes pedū inflāmationes. Ceræ albæ sexuncē, rosacei recētis unc. XV. ouorum quinq; candida, aquæ septuncem & unciæ dimidiū. Ceratum ad prunas liquefacito, & diligenter agitando refrigerato, deinde in mortarium fundito, & adiectis singulatim ouorum candidis terito. postremū instillata sensim aqua omnia rite unito, & noua olla sufficienter prælota excipito, & infusa aqua pura sinito, quotidie aquā permutando.

Vnguenta & acopa diuersa ad podagricos, articulorum dolores, ischiadicos, membris exolutos, & trementes. *Cap.* XLIIII.

Vnguentum Asclepiadæ. Facit podagricis, articulorum doloribus, & ad omnem neruorum per consensum affectionem. Vini ueteris sextarios duos, lanarum succidarum ex locis sub alis libram unam, spumæ nitri libram unā. Lanas succidas in uino per triduum madefacito, deinde expresso liquore spumam nitri tenuissime tritam inijcito, dissolutóque, ac olei libras duas addito, & cōquassata in uitreum uas reponito, & utitor, quotidie agitans & ex eo illiniens locos affectos à somno, & ante balneum, & post balneum, & à cœna. Aliud unguentum ex sale: podagricos à tota affectione liberat. Salis sordidi, hoc est ipsius terræ libram unam, aluminis scissi libram unam, fecis uini ueteris sextarium unum, floris lapidis asij trietem. Arida sigillatim unumquodque per se diligēter terito, deinde etiā fecē adijcito, simulq; terito, & ad trita demū olei ueteris sextarios duos affundito, cōquassato, reponito, ac utitor. Quidā etiā mellis librā unam addunt. Aliud itidē Asclepiadę. Thuris quadrātē, ammoniaci thymiamatis, zingiberis, piperis, salis sordidi, floris lapidis asij, aluminis scissi, cuiusque unciā unā, galbani unciam unā, opopanacis sesquunciā, terebinthinæ quadrantē, olei cyprini, laurini, samsucini, & ceræ, singulorū sexuncē, aceti quantum satis est ad ea quæ dissoluere oportet. Vtere in frigidioribus. Aliud optimum.

Spumā nitri albā cum oleo ueteri terito, eoq; locos affricato, & miraberis. Aliud, Asclepiadæ. Vini ueteris sextarios tres, olei ueteris sextarios duos, uirgultorum lauri libram unam, foliorum tenerorū aut pilularū cupresi teneriorum libram unam, ceræ libram unam, galbani unciam unam, sanguinis testudinis terrestris satis largam copiam. Herbas in aceto macerato, deinde coquito, & ad decoctum liquefacta reliqua addito ac unito, & sanguinem

testu

testudinis recenti affuso cōquassato, & utitor. Olei gleucini præparatio. Oleum gleucinum dolores & lassitudines neruorum quàm maxime sedans. Habet enim uim calefactoriam relaxantem: facit ad affectiones uuluæ, & ad omnem neruorum per consensum affectionem. Facit ad rigores per circuitum repetētes, quotidianæ præsertim & quartanæ febris. Omni enim acopo præstantius est. Maxime autem facit ad eos qui tum retro, tum ante distenduntur, opisthotonicos & emprosthotonicos Græcis appellatos, si calidum puris lanis exceptum locis imponatur. Compositio eius hoc modo habet. Olei omphacini primarij libras CCL, uini falerni ueteris odorati sextarios quinquaginta italicos: musti ex uua aminæa, hoc est adstringente alba sextarios italicos centum quinquaginta, olei libras duodecim, aspalathi libras quinqꝫ, spathæ unguentariæ quam palmam elaten appellant, libras quinque, hedysari hoc est seminis pelecini sesquilibrā, artemisiæ libras duas & semissem, cyperi libras duas & semissem, piperis sesquilibram, musci qui splanchnon & hypnō & bryō Græcis appellatur, libras duas & semissem, xylobalsami libras duas & semissem, asari libras duas & semissem, casiæ nigræ libras duas & semissem, carpobalsami, fœnigræci, cuiusqꝫ lib. II. & semissem, foliorū myrti aridorū dextantem, rosmarini siccę lib. V. calami aromatici libras quinque, iunci odorati floris libras quinqꝫ, thuris libras quinque, crocomagmatis primarij libras, quinque, nardi celtici libras quinqꝫ, zingiberis libras tres, quidam uero libram unam & quadrantem, aristolochiæ longæ libram unam & quadrantem, styracis pinguis libram unam & quadrātem, casiæ fuluę libram unā & quadrātem, ladani, seminis cardamomi, amomi, radicis panacis, meliloti, samsuci, cuiusque libram unam & quadrantem, bdellij sesquilibram, croci libram I. & bessem, costi libram unam & bessem, rosarum siccarum libram unam & quadrantem, opobalsami uascula parua quinqꝫ, hoc est bessem, hoc est heminę tertias partes duas, unguenti malabathrini libram unam. Arida contundito, & rariore cribro excutito, omniaqꝫ uino ueteri macerato. Bdellium autem & ladanum prēmacerata in pila terito, & ad arida prius macerata adijcito. Sit autem uas unguentarium stāneum, quod diligenter opertum ad dies & noctes duas sinito. Deinde uuam flaccidam, ita ut nihil roris ei adhæreat accipito, ac pure exprimito, & ex acinis excolato, inqꝫ aliud uas stāno illustratum ipsum mustum infundito. Sit autem magnum uas & capax: quo etiam ad ebullitionem musti locus amplius supersit. Deinde omnia in ueteri uino macerata, itemque oleum ipsum in mustum iniicito, & spatha unguentaria bis per diem agitato, uerum spatham diligenter detergere oportet, ne quod adheret ei acidū factum pharmacum corrumpat. Cæterum uas ipsum operculo & pallijs pluribus superne contegatur, & diligenter obligetur, supponaturqꝫ uasi circulus ex quacunqꝫ materia qui ipsum sustentet. Quum uero dies quindecim præterierint, amomū cōtusum iniiciatur, rursumqꝫ ut dictū est agitetur. Trigesima autem die in diplomate coquito, atqꝫ ubi ter uel quater efferbuerint ab igne ablatis statim opobalsamū indito, agitataqꝫ & probe cōtecta tepefieri sinito. Deinde totū oleū testa excipito: fecem autem, hoc est calida per sportulas primū manibus, postea etiā prelo exprimito, & abiectis rebus instar fœni exiccatis, unguentum per se curato: malabathrinum uidelicet unguentū in diplomate in aqua calida prætepefactū ei adijcito, & cū spatha agitato, & probe unito, & per biduum cōsistere sinito, ac mūdis testulis excipito: indeqꝫ in uasa uitrea transferens reponito. Quidā etiā ammoniaci thymiamatis lib. I. & quadrantē adijciunt. Acopon ex abiete apparatum.

Abietis semē maxime maturū circa Septembrem est mensem. Verū quocunqꝫ anni tempore libuerit, ipsum semen oleo iniicere oportet: præstat tamen si prius contusum iniicias, & per dies quadraginta sinas. Nos autem, inquit Galenus, etiā ad tres & quatuor menses permisimus macerari: deinde liquore seminis expresso, ipsum quidē semen abiecimus, oleū uero per linteolum excolauimus. Sit autem oleum dulcissimū, & ad libras olei uiginti quinqꝫ, seminis modius italicus unus iniiciatur. Itaqꝫ ubi oleum, ut dictū est, excolaueris, ac semen segregaueris, ceræ libras IIII. terebinthinę chiæ bessem ei adijcito, & modice quo uniatur calefacito, excipito ac utitor. Hoc pharmacum cōuenientissimum est ad omnes spontaneas lassitudines, itemqꝫ nō spontaneas, & ad neruorum per consensum affectiones. Eo uti conuenit ad eos qui iuxta carnem atqꝫ omnem corporis molem crudos humores congregarunt, siue concoctione, siue discussione opus habeant. Acopon ex populo nigra. Bonum est etiam acopum, quod ex populi nigræ floribus componitur. Estque huiusmodi. Ad florum populi nigræ iam prodeuntiū modium unum, olei dulcissimi libræ uiginti iniiciūtur. Melius tamen fuerit, si flos moderate contusus oleo iniiciatur. Exponatur autem ad solē, & singulis diebus agitetur, & in domum calidā deponatur. Post menses autem tres florem exprimito, ipsumqꝫ abiicito. Oleum uero ut acrimoniam arcens, & lenissimū, & discussorium adseruato: ueluti id quod ex abietis semine est apparatū. At uero & terebinthinæ sexuncem iniicere licet, aut minus, aliquando item parum ceræ. quidam enim maxime liquidorum medicaminum usu gaudent. quidam uero crassiorum. Hæc autem pharmaca crudos iuxta carnē & cutem humores discutere possunt, præsertim non ualde crassos, neqꝫ uiscosos. Quod si quis confestim & necessitate moram omnem excludente apparare cogatur, semē ipsum in oleum coniicere oportet, & in diplomate coquere. Infundere autē ad oleū in decoquēdo tantū aquæ aut uini, quātū cōsumi potest, ut tamē quadruplū aut quintuplum oleum extet. Oleū samsucinū. Sāsucinū etiam oleum eodē modo apparatur. Cōuenit autē tēpore hyberno, & in regione frigida, & cōstitutione aëris frigida. Potest & ad hoc ceræ & resinæ quippiā addi, si corporibus ex eo illitis, diutius ipsum adhærere uelis. Acopon unguentum Marciaton. Vnguentū Marciaton præclarū ad articulorū morbos & corporis lāguores ac resolutiones.

Styracis primarij flaui trientē: medullæ ceruinæ sextantem, ceræ albissimæ quadrantē, mastiches puræ quadrantem, terebinthinæ chiæ unc. I. œsypi unciam I. opobalsami unc. I. olei omphacini, unguenti nardini cuiusque sexuncem. Styracem in pila cōtunde, opobalsamo paulatim instillato. deinde liquescibilia liquefacito & percolato, eisqꝫ styracē iniicito:

quo lique

quo liquefacto in mortarium omnia transferto, & pistillo donec quàm albissimũ fiat terito, ac utitor.

Vnguentum Orchestæ, siue Saltatoris, dolores remittens ac relaxans, ischiadicis ac arthriticis commodum, multo experimento cognitum. Hoc Saltator quum gymnasiorum consuetudinem reliquisset, & in articularem morbum incidisset, usus sanatus est. Cuius item periculum in multis alijs factum est.

Habet autem hoc modo. Altheæ, seminis lini, fœnigræci, rutæ, fabæ, singulorum libr. II. Hæc in aqua madefacta, & tertio die pòst cocta, ut quàm crassissimus eorũ liquor fiat, percolato: & succi quidem excolati lib. IIII. cõijcito, olei uero ueteris, medullæ ceruinæ, opobalsami, adipis anserini, unguenti nardini, singulorum libras duas, ceræ colophoniæ, & resinæ pinus, singulorum libras III. euphorbij, opopanacis, terebinthinæ, singulorum libr. I. castorei sexuncem, addito, ac utitor confidenter. Pentamœron, hoc est quinquimembre unguentum.

Styracis unciam unam, mastiches sextantem, ceræ albæ quadrantem, opobalsami trientem, unguenti nardini quincuncem. Ceram cũ nardino super prunas liquefacito, styracem uero cum opobalsamo terito, & ad ceratum unà cum mastiche inijcito. Liquefactaq; percolato, ac in mortario diligẽter terito, donec quàm albissima fiant. Vtitor. Decamœron, hoc est decumanum, Oribasij. Spicę nardi, folij, euphorbij, piperis, costi, adarces, singulorum unciam unam, mastiches sesquunciam, opobalsami quadrantem, ceræ sex uncem, unguenti nardini libram unã.

Alia uaria unguenta. Vnguentum ad morbum articularem, & omnem neruorum per consensum affectionem, approbatum. Styracis pinguis unciam unam, ladani pinguis unciam unam, mastiches unciam unam, ceræ sextantem, olei sicyonij quadrãtem, adipis anserini libram unam, utitor. Aliud mirabile. Asphodeli radicem in superficie derasam accipito, & cõtusam cum oleo sufficiente coquito, percolato, & ad oleũ modicũ styracis conijcito, quo eliquato sycomori succum addito, & unitis utitor. pedes autẽ si inde illeueris, confestim dolorẽ sedabis. Aliud, per multã experientiam cõstans, celerrime dolores mitigans. Adipis hircini recẽtis lib. II. heliotropij tria grana habẽtis foliorum uiridium librã I. ouorũ assatorũ lutea quinque, rosacei optimi triẽtẽ. Vtere. Aliud. Olei dulcis sextarios V. fœnigræci sextarios IIII. radicum altheæ, maxime uiridiũ, uerbenacæ foliorum, singulorũ fasciculũ manipularẽ, galbani dra. IIII. fœnũ gręcũ mundatũ & lotum cũ uerbenaca & althea ad biduum in aqua madefacito. tertia uero die infusum oleũ ad lentũ ignẽ coquito, assidueq; agitato, ne fœnum græcum adhęrescat cacabo. postquàm uero herbę omnem liquorẽ emiserint, eas extrahito, ac oleum percolato, seorsim uero cũ modica olei parte galbanum præmollitum liquefacito, percolato, & ad reliquum oleum adijcito. Vtitor sensim & quàm plurimum inungendo. facit ad omnem neruorum per cõsensum affectionem, & dolores à frigore obortos. Aliud ad idẽ. Medullæ è medio scillæ quadrantem, seminis cucumeris syluestris quadrantem, fœnigræci repurgati sextarium italicum I. anethi uiridis sexuncem, samsuci sextarium italicum I. baccarum lauri sextarium I, fertulæ campanæ lib. I. ceræ lib. I. bulborum cibariorum quadrantem, adipis porcini recentis libr. X. uini ueteris odorati sextarios VI. Omnia in uino ad triduum præmacerato, & deinde adipe liquefacto ad macerata infuso, omnia ad uini consumptionem coquito, exprimito, ac percolato: & reliquis abiectis, ceram ad adipem liquefacito ac ammisceto: atq; hoc ipso, ut præter opinionẽ pręstãti utitor. Smegma podagricum. Ceræ sexuncẽ, colophoniæ sexuncem, succi seminis lini trientem, adipis anserini sextantem, terebinthinæ quadrantem & unciæ dimidium, olei omphacini dextantem, ammoniaci thymiamatis unciam unam, thuris quadrantem, lactis bubuli quadrantem & unciæ dimidium, candida ouorum nouem. Ammoniacum, & thus, cum lacte & succo seminis lini terito, deinde candida ouorum adijcito: liquescibilia autem liquefacito & refrigerato, atq; ad trita ammisceto, & pyxide lignea excipito. Vtitor autẽ tum pro emplastro, tum pro unguento. Vnguentum Castini, ad podagricos & arthriticos, eo sanauit quendam uniuerso corpore languefactum & exolutum, unice tamen articulorũ morbo prodest. Adipis leonini unc. I. adipis ursini lib. I. adipis equini lib. I. adipis uulpis lib. I. castorij sextantẽ, medullæ taurinæ sexuncẽ, medullæ ceruinæ quadrantem, adipis struthocameli quadrantem, adipis phasiani saginati quadrãtem, euphorbij sexuncẽ, opopanacis trientẽ, mastiches lib. I. styracis triẽtem, myrrhæ trientem, thuris sexuncem, ammoniaci thymiamatis sexuncem, heliotropij tria grana habentis unc. I. pæoniæ sextantẽ, artemisiæ unc. I. phylli sextantẽ, nardi celticę sextantẽ, radicis altheæ cõtusæ & cribratæ unc. I. rutæ uiridis dra. IIII. radicis cucumeris syluestris unciam unam, hippuris herbę unciam unã, aristolochiæ dra. IIII. aloẽs libr. I. sanguinis dracunculi libram unam, ceræ sexuncẽ, colophoniæ sexuncem, unguenti nardini libras octo, olei suffumigabilis libram unam, opobalsami septuncem. Arida quàm tenuissime trita in mortarium ad styracem cũ opobalsamo & ruta tritum indito, unito, ac utitor sedulo. Vnguentum ex hedera, ad arthriticos, ac omnem musculorum aut neruorum per consensum affectionem. Mirabiliter etiam ischiadicis prodest.

Fœni græci lib. I. baccarum lauri numero centũ, pilularum cupresi numero XX. sabinæ lib. I. rosmarini lib. I. olei dulcis aut ueteris lib. I. ceræ lib. I. resinæ pinus lib. I. terebinthinæ sexuncem, succi hederæ trientem, aquæ sextar. III. Herbas in crassiores partes contusas ad triduum in aqua macerato, deinde adiecto oleo sufficienter coquito, & percolato, liquescibiliaq; liquefacta adfundito. Hederæ autem succũ cum aceto diluito. Refrigeratis deinde liquefactis omnia in mortarium diffundito, & quàm plurimũ diligenter terito, reponito, ac utitor. Acopon ad molestias ex laboribus & fatigationibus obortas, facit & ad neruorum per consensum affectiones, uehementer cõmodum est. Hoc utor, inquit Asclepiades ad fatigatos. Samsucini sextarium I. rosmarini cõtusi sextarium I. fœnigræci sextarium I. cardamomi sextarij dimidium, sabinæ sextarij dimidiũ, uini dulcis sextarios VI. olei optimi sextarios III. ceræ lib. II. Arida in uinum coniecta per triduum macerato, deinde affuso oleo ad prunas assiduè agitando coquito, & quum sæpe ebullierint percolato, ceráq; in eis eliquato, refrigerato, reponito ac utitor, quan

doq; quidem immixtio, aliquãdo uero cũ quodam unguẽto diluto & liquefacto. Aliud arthriticum, Asclepiade: pharmacum prosperi successus, Basso inscribitur, quo usus quũ antea multo tẽpore paralyticus fuisset, ab illa affectiõe liberatus cõualuit. Olei melini, olei cyprini, olei myrtei, cuiusq; trientẽ, olei ueteris sesquilibram, ceræ libram I. terebinthinæ sex uncẽ, galbani quadrantẽ, mannæ trientẽ, opopanacis sextantẽ, castorij sextantem, radicis bryoniæ trientem, æruginis sextantẽ, spumę nitri albę trientẽ, piperis sextantẽ, pyretri sextantẽ, euphorbij sextantẽ, adipis hœdini sexuncem, aceti quantũ satis est. Bryoniã & pyretrũ cum aceto coquito & percolato, eoq; decocto arida terito, & reliqua liquefacta eis infundito, ac unito. Vtitor aliquando immixto, aliquãdo liquefacto cum quopiã unguẽto. Anthi uiride acopon, ad podagricos & arthriticos multo experimẽto cognitũ, utere & ad ischiadicos cõfidenter. Phu sesquiunciã, mannæ sesquiũciam, œsypi sesquiunciã, ammoniaci thymiamatis sextantem, aluminis scissi drachm. V. æruginis dra. V. terebinthinæ quincuncẽ, spumæ nitri albæ trientem, opopanacis drach. V. galbani drach. II. medullæ ceruinæ drach. V. olei cyprini trientem, olei melini trientẽ, ceræ quincuncẽ, mellis quincuncem, olei ueteris lib. I. Aeruginẽ, ammoniacũ, alumen, mannã, opopanaca, cum modico aceto tere, eisq; liquefacta affunde, ac utere ad omnes cũ oleo melino eliquato: in inueteratis uero affectionibus etiã adarces & euphorbij, cuiusq; unc. I. adde.

Aliud eiusdem. Opopanacis quadrantem & drach. IIII. terebinthinæ drach. IIII. ammoniaci thymiamatis scrupulos XV. œsypi scrupul. XVIII. æruginis scrup. XVI. propolis scrup. XV. aluminis scissi, ladani, aristolochiæ rotundæ, lacrymæ hederæ, singulorũ scrup. VI. spumæ argenti scrup. III. salis ammoniaci scrup. II. camphoræ unc. I. colophoniæ quadrantem, ceræ quadrantem, olei quadrantem, utere cum unguento quopiam dissoluto. Aliud acopõ unguentum ad paralyticos in principio. Olei gleucini, cyprini, irini, laurini, singulorum libram unã, ceræ trientem, terebinthinæ sextantem, œsypi sextantem, castorij unc. I. euphorbij drachm. IIII. ex hoc tũ affectæ partes, tum eæ quæ facilè affectioni obnoxię fiunt, illinuntur. Aliud acopon ad coxendicum morbum inueteratum, distortiones & resolutiones paralyticas. Est autem, inquit Asclepiades, ualde efficax. Olei ueteris libras II. irini sexũcem, styracini sexuncem, baccarum lauri sexuncem, terebinthinæ, euphorbij, ammoniaci thymiamatis, castorij, piperis, opopanacis, galbani, cuiusq; sextantẽ, medullæ ceruinę trientẽ, & drach. IIII. Liquescibilia liquefacito, & ad arida affundito, unito, ac utitor. Aliquãdo quidẽ immixto, quãdoq; uero cum rosaceo aut alio quopiã unguẽto liquefacto. Arida uero uino teruntur. Vnguentũ ad opisthotonicos, & quibus canino more os distorquetur, ex melle apparatũ. Olei irini, rosacei, gleucini, cyprini, cuiusq; sexuncem, ceræ quadrantem, mellis unciam unam. Aliud, ad eadem. Ceræ drachmas quinquaginta, terebinthinæ drachmas XXV. œsypi, medullæ ceruinæ, galbani, ammoniaci thymiamatis, spumæ nitri albæ, baccarum lauri aridarum, singulorum drachmas VI. olei ueteris sextarios sex, uini heminam unam. Vtitor. Vnguẽtum ad resolutiones, ualde pulchrum.

Sphæritidis, hoc est, cupressi pilulas ferentis sextantem, marrubij sextantem, herbæ caucalidis quæ bulborum figuram habet sextantem, stercorum cameli unciam unam, ampeloprasi unciam unam, eryngij unciam unam, cyclamini unciam unam, bituminis unciam unam, peucedani drachmas quatuor, terræ ampelitidis unciam unam, seminis apij, cyperi, lapidis gagatæ, dictamni, cuiusque unciam unam, sulphuris drach. IIII. lactis asinini sextantem, unguenti susini quadrantem, medullæ cameli quadrantem, adipis asinini unciam unam, pilorũ ex cauda simiæ drach. IIII. olei ueteris sextantem, aceti dodrantem. Apparatum reponito: usus uero tempore cum unguento aliquo diluto utitor. Acopon Eræ Cappadocis, ad resolutos, & in uniuersum ad omnem dolorem musculorum & neruorum. Rutæ uiridis, pulegij, cyperi, fœnigreci, mercurialis, marrubij, rosmarini, aristolochiæ, amygdalarum amararum repurgatarum, singulorum libram unam, nitri sextantem, iridis terebinthinæ, baccarum lauri, radicis cucumeris syluestris, ammoniaci thymiamatis, sabinæ cuiusque libras duas, myrti uiridis libras tres, foliorum lauri aridorũ libras tres, ueratri albi sexuncẽ, ceræ libras duas, bdellij libras quatuor, uini cõgios quatuor, olei congios tres. Quę contusione opus habent, crassas in partes contundito, ac modicam aquã, qua cõtusa tantum humectentur, affundito, deinde uinum & oleum adijcito, & per diem unum sinito. Sequenti uero frequenter agitando coquito ac percolato. Postremum ceram & terebinthinam addito, itemq; bdellium in modico uino prius tritũ. Acopon ex rubetis quod omnem affectionem tollit. Radicis cucumeris agrestis uiridis libras sex, olei dulcis libras sex, medullæ ceruinæ, terebinthinæ, ceræ, cuiusq; sexuncem, ranas rubetas appellatas uiuas numero sex. rubetas traiecto per pedis plãtam filo in oleũ demissas donec flaccescãt coquimus: deinde extractis per plantas filo traiectis ranis, syluestris cucumeris radicẽ uiridẽ cõcisam inijcimus, atq; donec uires suas in oleum transmittat, coquimus & excolamus: postremum liquefacta, itidem percolata, ad oleum addimus, & in uitro reponimus. Vtere mane & uespere ad podagricos, arthriticos, ischiadicos & resolutos. Per huius usum nouimus homines à podagra & chiragra toto corpore distortos post lauacrum in tantum conualuisse, ut citra omnem offensionem obambularent. Quandoq; apparauimus, inquit Asclepiades, hoc pharmacum additis ad hanc descriptionem samsuci libra una, unguenti crocini libra una, opobalsami quadrante, sanguine testudinũ numero decem. Aliud, ad podagram & articularem morbum mirabile. Facit & ad diuturnum capitis dolorem, materiam ad superficiem ducens, & ad frontem ac sinciput. Caniculam paruam probè saginatam uiuam, & mustelam uiuã in olei sextarios nouem, ac butyri libras tres, conijcito, atq; donec uieta fiant animalia coquito: deinde in percolatum oleum calidum pedes aut manus per totam diem imponito. Galenus autem ait. Quidam uulpeculas & hyænas oleo incoquunt, eoq; articulorum morbos curant, atque alij quidem ipsas uiuas in maximum lebetem inijciunt; alij uero mortuas, ac deinde unà cũ oleo quàm diutissimè coquunt. Solia deinde ac urnas ex oleo calido explent, atque deinde arthriticos

ticos inscendere, ac multo tempore in eo morari iubent. Porrò oleum hoc maximè discussorium redditur, adeò ut etiam ad superficiem extrahat ea quæ in profundo corporum continentur, qua ex re magna commoditas consequitur. Quin & herinacei terrestres uiui oleo incocti ipsum discussorium reddunt. Etenim oleum hoc dolores sedat, tum affectis articulis in ipsum demissis, tum etiam ijsdem ex eo illitis.

Alia unguenta podagrica. Terram nigram, quę præsertim in lenticula reperitur, aut etiam aliam nigrā cū aceto terito, ac illinito. Sedat dolores & inflāmationes etiam in his qui multa prius experti nihil profecerunt. Aliud. Cypri folia uiridia trita in pastillos redigito, eosq; usu expetente cum aceto terito ac illinito. Aliud. Croci unciam unam, salis usti unciam unam, spumas nitri numero decem, oui luteum unius in spinæ decocto ad tertias redacto, terito. Aliud. Vitrum in aceto probè tritū confidēter illinito. Aliud. Alumen aceto tritum illinito. Aliud, quod ad genuum fluxionē solum profuit, multis antea frustra admotis. Marmor, hoc est, crustulam non ustam, contusam, & cum rosaceo tritam illinito. Ego autem scobem & ramenta marmoris lota & resiccata in promptu habui. Vsu uero expetente cū rosaceo trita adhibui. Aliud, ualde bonum. Tecolithi, glaucij, myrrhę, cuiusque unciam I. aloës drachm. IIII. Terito, ac siccum adseruato. Vsu uero exigente, luteum oui & uinum austerum ammisceto ac illinito, & si circumtendat cum solo uino adhibeto. Aliud. Aëtiten lapidem cum ouo ac modico rosaceo illinito. Aliud. Vrticæ semen & hirundinis nidum cum sapa terito ac illinito. Aliud mirabile, pro diuitibus. Mameram aqua macerato, deinde tritam illinito, & miraberis.

Aliud, multa experientia cognitum, inueteratæ etiam affectioni accommodatum. Stercoris ciconiæ quadrantem, cum pari axungia tritam illinito. Vtere, inquit, neq; cuipiam patefacito. Multos enim seruauit. Aliud. Caninū stercus albū cum aqua calida tritū, atq; ita tepefactū quàm crassissimè illinito, & folia oleris alicuius supra illitionē imponito.

Ad durities in artubus instar tosorum. Cap. XLV.

Est & hoc optimum pharmacum ad durities artuum in tosos coactas. Sunt præterea & alia quædam, maximè uero Galenicum, quod ex caseo componitur. Ac nostrum itidē ex huiuscemodi rebus apparatū, inquit Philagrius. Radicis peucedani drachmas II. ammoniaci thymiamatis drachmas II. myrrhæ drachmas XXIIII. aristolochiæ drachmas VI. pumicis drachmas VI. castorij drachmas IIII. lanarum succidarum ustarum drachmas VIII. floris lapidis asij drachmas sex, si uero non adsit, salis ammoniaci usti drachmas sex, propolis teneræ drachmas sedecim, stercoris canini sicci drachmas sex, uisci drachmas sedecim, æruginis drachmas sedecim: squamę ęris drachmas XVI. atramenti sutorij drachmas sex, misyos drachmas sex, ceræ drachmas centum, resinæ pinus drachmas CL. picis drachmas CL. olei ueteris quantum sufficit, aceti quod satis est. Hoc quidem igitur nostrum pharmacum spissitudine auctum, & imminutum ac liquefactum prout probè habere uidebitur, iuxta curandorum corporum differentias, extrahit ac ejicit tosos in artubus coactos. Aliud Galenicum, quod omnibus ferè corporibus adhibitum cōgruit. Est autem tale: Caseus bubulus uetustissimus, adeò ut ob acrimoniā edi non possit, cū porcinæ carnis inueteratę ac salsę decocto teritur, & probè emollitus ad durities artuum imponitur. Est & aliud ab eodem cōpositum. Pinguedinis pernæ porcinæ ueteris libram unā, casei caprini uetustissimi librā I. adipis taurini libram unā, apochymatis, hoc est, resinæ cū cera ex nauigijs derasæ liquefactæ libram unam, medullæ ceruinę bessem, hyssopi quadrantem, cyprini sexuncem, uini Aegyptij heminæ dimidiū. Liquescibilia liquefacito, & reliqua ammisceto. Aliter apparatū emplastrum ex perna. Iusculi pernæ ueteris porcinæ libram unam, œsypi trientem, ammoniaci thymiamatis librā unam, medullæ ceruinæ septuncem, adipis taurini libram unam, ceræ sexuncem, apochymatis è nauibus derasi sesquilibram, cyprini libram unam, casei caprini ueteris libram unā, opopanacis unc. I. Aliud, ad tosos artuum. Granum cnidium desquamatum internum cū myrrha & aceto terito ac illinito, usque ad excessum mirabile est. Aliud, ad durities artuum muliebrium, & eorum qui teneras carnes habent, experimēto cognitum. Cadmiam quam tenuissimè tritam ac myrteo cerato exceptam imponito. Aliud. Spumā nitri cum oleo ueteri & modico croco ac aceto tritam illinito. Præstat tamen si nitri spuma cum croco & aceto teratur, & cum cerato liquido illinatur.

Aliud, ad tosos pedum, quod contentum perrumpit & euacuat eadē ferme hora, sanatq; idem ut ne cicatrix quidem relinquatur. Mala mandragoræ accipito, semēq; euacuato, ac tenuissimā squamam eis obductam detrahito, atq; carnem ipsam probè terito. Et ceratū ex adipe suillo & cera factū adfundito, unito, ac utitor. Hęc tria pari pondere sumuntur, aut adipis plus additur. Vtere, experimento constat.

Aliud. Calcem uiuam, & nitrum, pari pondere axungia excipito ac imponito. Aliud. Dioscoridis. Ammoniacum cum pice arida ad ignē emollitum imponito. Aliud. Styracem cum ieiuni hominis saliua emollitum imponito; hoc est, manducando attritum adhibeto. Facit & sesamum non lotum tritum impositum.

De medicamentis purgatiuis ad articularem morbum accommodatis. Cap. XLVI.

Quum plurima sint & uaria medicamenta purgantia à nobis in tertio huius tractationis Sermone tradita: inde sanè repetere oportet quod cuiq; sit accommodatum. Propriè tamen in podagricis & morbo articulari hæc exhibētur. Vniuersale ex hermodactylis, quo assiduè utor. Hermodactyli sicci recentis unciam I. anisi, cumini, piperis cōmunis, croci, piperis lōgi, seminis cnici interni cuiusq; scrup. II. myrrhæ dra. I. euphorbij recentis scrup. IIII. mastiches scrup. VI. casiæ scrup. I. moschi siliquam unam. Dantur ex eo scrupul. IIII. cum aqua mulsa, confestim minuit dolores. Quandoquidē autem huiuscemodi medicamenta fortem euacuationem facere non possunt: & quod ex ipsis intus relinquitur, condensatū & resiccatū tosos in artubus generare consueuit: cōuenit usus tēpore ad singulos exhibitionis modos scammonię siliquas tres addere. In pituitosis uero lathyridas numero V. & agarici scrupul. I. Si uero humoribus redūdet ęger, post dolores sublatos eū rursus cū hiera aut alio forti purgatiuo, temperamneto

corporis apto, purgato. Aliud purgatiuũ podagricum, ad dolore affectos prçclarũ. Cassię scrup. I. euphorbij sesquiscrupulũ, isij, hoc est, chamæleonis nigri scrup. IIII. radicis alypiadis, hoc est, chamælaeę scrup. IIII. radicis pæonię scrupulos IIII. anisi, zingiberis, cumini, mastiches, floris cnici, piperis, cuiusq; scru. VIII. hermodactyli sex tãtũ. Dãtur ex eo scrup. IIII. cũ uino mulso. Antidotus purgatoria ex betonica finiens febrẽ. Facit summè ad podagricos, ter in mẽse data: facit ad elephãticos & hydropicos, maximè aqua subter cutem laborantes. Est ex ualde laudatis, Comæ absinthij drach. XXIIII. betonicæ drachmas XXIIII. seminis rutæ syluestris drac. XVI. centaureæ minoris drach. XVI. casiæ drach. XXIIII. corticis ueratri nigri drachmas VIII. contundito, cribrato, ac cochlearis unius mensura dato ex aqua calida, animaduersione habita ne pharmacum ultra modũ purget: est enim inexuperabile. Apud alios etiã laudatum reperi, si gentianæ & chamęp itytos, ac aristolochiæ longæ, cuiusq; drachmæ VIII. addantur, chamædryos item drachmæ XXIIII. Omnia, inquit, hęc melle excipio, indeq; ad summum cochlearium unũ exhibeo.

Antidoti podagricæ. Cap. XLVII.

Pharmaca quæ podagricis & morbo articulari correptis per os exhibentur, plurima quidem sunt & uaria ac diuersa. Cognita itaq; à me ipsorum multitudine, tum eo quod tetrapharmacũ, à quatuor rebus ipsum constituentibus appellatur, tum quod ex hyperico cõstat, itemq; quod ex gentiana paratur, & similibus, quibus pro consuetudine Medici ad simpliciter podagricos utuntur: ipse sanè propriũ pharmacũ composui, inquit Philagrius, quale iudicaui sufficienter excalfacere posse, non tamen expers facultatis moderatè humectandi, & attenuandi crassos ac uiscosos humores, & quod prçclarè omnino potest excretionũ uias dilatare, unà cũ hoc quod uim subducendę alui & mouẽdæ urinę complectitur. Quin & naturales actiones excitat, & transpirationem insensilem ac obscurã procurat. Compositio autem hæc est. Radicis pæoniæ recentis drac. I. croci cilicij drach. IIII. rhei pontici drachmas IIII. calaminthæ montanæ, comæ saluię, cacuminum stœchadis, seminis thlaspeos, epithymi, centaureæ maioris radicis, cuiusq; drac. IIII. centaureæ minoris succi drac. IIII. succum accipito, quũ in summo uigore herba est ac floribus prægnãs. iridis illyricæ, seminis rutæ syluestris, piperis longi, seminis anethi, cuiusq; drac. IIII. ligustici, seminis apij, petroselini macedonici, seselis massiliẽsis incorrupti, origani, cacuminum thymi, seminis trifolij bitumen olentis, seminis cardamomi medulla priuati, seminis dauci, piperis albi, cuiusq; drac. III. mei athamãtici drac. II. asari drach. II. spicæ nardi, adiãti, casiæ, polypodij, thuris, galbani puri, terebinthinæ chiæ, bdellij scythici nigri, pinguis, ac resinosi, ammoniaci thymiamatis, cuiusq; drac. VI. radicis symphyti recentis siccæ, sabinæ, radicis rubiæ, helenij, agarici, herbæ scordij, seminis paliuri, sarxiphagi, betonicæ, radicis cyclamini siccæ, seminis uiticis tosti, cuiusq; drachm. VIII. mastiches chiæ, radicis bryoniæ recentis siccæ, terræ lemniæ quæ sphragis appellatur, opobalsami, cuiusq; drachm. XVI. succi peucedani, drach. XVI. qui si non adsit, conijciendæ sagapeni drachm. VIII. & radicis peucedani recentis siccæ drachm. XVI. pastilli theriaci drach. XVI. habeant autem pastilli carnium partes duas, panis partem unam: compositio autẽ ipsorum in Sermone de theriaca dicta est: styracis siquidem adsit calamitæ, si uero non, flaui & pinguis drach. XXIIII. niger enim ut uitiosus reprobandus est: aristolochię rotundæ non rugosæ & plenæ drach. L. ossium ceruinorum aut bubulorum ex suris recentium, & ut probè conteri queant, ustorum drach. L. mellis attici despumati quãtum satis est, quo ad bonam eclegmatis cõpagem pharmacum reducatur. Arida omnia contundito & cribrato: mastichem autem & thus unũquodq; per se sensim, ne in latas crustulas abeãt, terito & cribrato, deinde prædictum pondus ex eis expendito, & reliquis aridis tritis ammisceto. Bdellium autem & ammoniacum ac galbanum & peucedani succum aut sagapeni, in mortarium coniecta tundito, deinde ad ignem emollito, & postea cum modico melle liquefacito, & in pila optimè terito. Similiter autem & terebinthinam per se cum modico melle dissolutam ad reliqua in pilam conijcito. Styracem uero in mortario constanter tundito, opobalsamo paulatim ad eum infuso ac melle calido, deinde similiter in pila terito. Expedit etiam cũ modico melle styracem liquefacere ac deinde terere. Cæterum ubi hæc sufficienter fuerint unita & dissoluta, paulatim arida trita addito: melle itidem sensim affuso. Ad finem uero centaureę succum per se cum opobalsamo terito ac reliquis unito. His uero omnibus probè commissis, mellis despumati tantum addatur, quantum suffecerit ad pharmacum delingibile futurum, & quo per dulcorem ægro commendetur. Quare si gustu pharmacũ iudicaueris, nihil peccaris, etiã si piperis augeas modũ. Noui namq; ego ipse quendam qui eo usus plus sibi de pipere ammiscere iussit, itaq; ammiscui sæpe tantum ex ipso post reliquorum omnium mixturam, quantum quisq; pro gustus sui modo expetiuit. Satis uero manifestum est, quòd quando quidem præseruare aliquem à podagrico malo uelimus, tunc sanè plurimum piperis inijcere nõ ab re est, & præsertim in hyeme, & si humores frigidi fuerint ac diuturni. Porrò centaureæ succus tempore ueris, quum in uigore herba est ac florem fert, ex ea uiridi ac contusa exprimitur, deinde percolatus, usque ad mellis solidioris spissitudinem in sole reficcatur. Cæterum in compositione pharmaci, si is qui eo usurus est amaris delectetur, amplius quàm drachmas quatuor ex succo centaureæ ammiscere expedit, atque id maximè si distortiones dissoluere uelimus, si uero æger amara auersetur, quatuor omnino succi drachmas inijcere oportet. Ex hac uero antidoto ad eclegmatis cõpagem redacta ad summum cochlearium I. exhibetur. Dupliciter insuper pharmacũ hoc apparatur. Vno quidem modo pastillis theriacis, ut dictum est, ammixtis, itemq; ossibus ustis. Alio autem modo citra pastillorum & ossium admixtionem præparatur. Licet etiam si quis uelit post sufficientem mellis mixturam, mel ipsum in duas ex æquo partes diuidere, deinde ad unam partem, dimidium præscripti ponderis, tum pastillorum theriacorum, tum ossiũ ustorum infarcire: est autem dimidia pars pastillorum theriacorum drachmarum VIII. Ossium uero ustorum dimidia pars est drach. XXV. Quandoquidem uero

dē uero pastillos theriacos impoßibile est per se contundi, si non cum alijs aridis tundatur, oportet eos quantum poßibile est in mortario tundere, ac modico uino ueteri dulci madefacere, deinde in pila terere ac cum largo melle dissoluere, atque demum ad reliquam mixturam diligenter coaptare. Cæterum quum humectare oportet & mollire, attenuareq; & crassa dissecare, repurgare item ac euacuare infartos humores, itēq; uias dilatare, nihil ex pastillis theriacis, neq; ex osium cinere ammiscere oportet. Viperarum enim caro quàm celerrimè ad cutem ac superficiem digeri ac distribui solet. Quapropter ubi recrementorum copia adfuerit, & uiæ fuerint obturatæ, minimè tutò uiperarum caro exhibetur: sed postea quū coniectauerimus humores attenuatos esse, & dilatatas uias. Osium uero substātia facultatē habet consumendi ac resiccandi, adeò ut etiam sola aßidue & oportunè exhibita inueteratum articularem morbum curet. Vt uero ne quid ex humoribus resiccetur ac lapidescat, incurabileq; aut ægrè medicabile reddatur, tempore præseruationis eam minimè miscebimus, sed postea, si ita uidebitur. Consumit enim & resiccat humores in ipsis articulorum iūcturis relictos. Forinsecus etiam quādo discutere animus est, pharmacum hoc oleo ueteri aut sicyonio dilutū maximopere profuit, maximè si citra osium additionem est apparatum. Tunc enim non modo discussoriam, sed etiam coactoriam facultatē acquirit. Quare eis qui non discussione solum, sed & exterarum corporis partium corroboratione opus habent, cōmodissimè hoc modo adhibetur. Hoc pharmaco si & arthriticis & podagricis medeberis, minimè pœnitueris. Hepaticos item ex obturatione affectos, itemq; splenicos curabis, & à uipera morsos, & qui uenenum hauserunt, & comitiali morbo appręhensos, si eo oportunè utaris: quin & aliorum morborum per ipsum curationem fieri reperias sufficientē, de quibus sermonem producere minimè operæ precium existimo. Theriaca itē ex uiperis, quæ Andromacho inscripta est, de qua plurima tradidit Galenus, utiliter exhibetur frigidioribus & magis humectis corporibus, forinsecus etiam cōmodè illinitur cum oleo ueteri aut sicyonio dissoluta, ut dictū est. Sales quoq; Theriaci, & ex gentiana pastillus, & qui ex hyperico constat, & similia, his qui ex multo & crasso fluxu ægrotant, utilia existunt. Verum his qui ex biliosa fluxione afficiuntur, & ut simpliciter dicā, omnibus calidiori temperamento prędițis hæc ipsa nocentissima sunt, & quod suprà relatum est nostrum pharmacū. Ex horū enim pharmacorū potu non solum nihil opis ferunt hi qui calidiori temperatura præditi sunt, sed & resolutionibus immedicabilibus appręhēduntur, sępe nimiū resiccati, & in uitiosos humores dilabuntur qui eos erodunt, & in quibus aliquādo pessimè intereunt. Porrò in huiusmodi pharmacorū usu etiam raritatem & densitatē curandi corporis respicere oportet: ampliusq; & ætatem, & anni tempus, & regionē. Ad hęc itaq; respectu habito minus aut plus de eo dabis. neq; uero minus & ad magnitudinem aut paruitatem corporis respiciēdum. De uiperarum esu. Viperarū esus omnibus podagricis & arthriticis plurimum cōmoditatis affert, quemadmodū etiam anhelosis, & elephandasi correptis: exigit enim per cutem omnia redundantia recremēta, siue calida siue frigida fuerint, quæ morbi ipsius sunt causa. Oportet autem crassa & uiscosa ex ipsis prius attenuare ac euacuare: quod ubi factū est, reliqua facilè per uiperarum esum euacuātur, nimirum ad cutem delata atq; exclusa. Quapropter etiam in sole ipsarum ferarum comestionē facere iubet, utpote quòd inde iuuentur, atq; ui caloris humorum delatio foras feratur: curandum tamē ne caput probè cōtegere ab æstu negligamus. Oportet autem recens captas esse uiperas, & iustæ magnitudinis, & non ex maritimis: tales enim siticulosæ existunt. Cæterum ex uipera ipsa tum caput, tum caudam amputare oportet, itemq; interanea omnia abijcere, ac ex tribus aquis lauare, deinde cum aqua & anetho maximè uiridi, & modi cōgruentis oleo coquere, & post sufficientem coctionem congruenti sale condire, ac uiperam ueluti anguillam comedendam exhibere. Porrò quidam ex harum comestione plurimum exudant, & pediculorum copiam generant. Omnes tamen qui eas comederunt, maximè se alleuatos sentiunt. Quapropter his qui corpus recrementis exundans habent, etiam bis ac ter in anno exhibere conducit: bis quidem ueris tempore, semel autem in autumno. Quòd si uero sint quibus corpus per insensibilem & obscuram trāspirationem, aut etiam per sudores naturales euacuetur, his omnino uiperarum esu interdicemus. Periculosa enim fit huiusmodi ipsarum comestio propter immodicam per cutem exhalationem. Dicemus autem ex ordine & de alijs antidotis. Antidotus ex quatuor rebus constans. Tetrapharmacum igitur ex quatuor rebus apparatum, & à quibusdā Mysterium appellatum, ex gentiana componitur & aristolochia, baccis lauri, & myrrha, æquali pondere coniectis. Datur autem singulis diebus ex ea cochlearij dimidium ex aqua calida ad præseruationem. Prodest pituitosis: biliosos autem lædit. Antidotus ex hyperico.

Antidotus ex hyperico à quibusdam hoc modo descripta est. Antidotus sanans podagras, coxendicum morbum, & ut in uniuersum dicam, omnes iūcturarū & articulorum morbis implicatos per annum potata. Firmat stomachum, & uisum acutiorē reddit. reliquosq; item sensus clariores & illustriores facit: euacuans leniter per urinam: unde etiā neq; aliud ullum membrū offensionem sensit. Neq; enim materiā ex affectis locis ad aliam corporis regionē depellit, quemadmodum epithemata forinsecus contrahentia & cohibentia facere solent: sed causas morborum tum per uesicæ, tum per alui locos expellit, atq; uniuersum corpus sanius reddit. Quare etiam comitiali correptis morbo, auxiliatur in potu. Alios item à diuturnis & uehementer grauibus capitis doloribus liberauit, qui etiam de sanitate sua iam desperauerant. Splenem uero & hepar in scirrhum indurata moderatur ac demulcet. Articularem autem morbum adeò efficaciter sanat, ut etiam duricies instar toforum in articulis quibusdam per uim morbi coactas dissoluat. Compositio autem hoc modo habet: Trixaginis dodrantem, centaureæ bessem, aristolochiæ rotundæ septuncem, radicis gentianæ sexuncem, comæ hyperici quincuncem, petroselini trientem, mei athamantici quadrantem, phu pontici sextantem, agarici sextantem. Mellis despumati lib. III. Hoc autem modo parato. Vnumquod-

que per se contundito & cribrato: deinde ponderata simul misceto, ac rursus cribrato, quo accurata permixtio fiat. Deinde melli despumato ammisceto, ac pastillos formato pondere drachmae I. atque ex eis unum pro uice exhibeto. Vsus eius est circa tertiam horam diei, ubi uenter onus suum pro consuetudine deposuit: pharmacum uero ipsum cum aquae calidae sesquicyatho liquefacito. Oportet autem eum qui bibit, si nihil prohibeat, deambulare, quo ex motu euntis pharmacum inferna cõtingat. Porrò pharmacum hoc aliàs quidem praeclarè efficax est, utpote ex fortibus simplicibus compositum: amplius autem efficacius redditur per aristolochiam, quae natura sua articularibus morbis auxiliari solet, & duris corporibus in primis prodest. Ex cancris autẽ pharmacum etiam mollibus corporibus cõducit. Habet autem Antidoti ex cancris compositio hoc modo. Cancrorum magnorum uiuorum ustorum in ęreo uase, trientem, gentianae incorruptae quincuncem. Thuris integri & non secti albi unc. I. Datur inde cochlearium unum. Ad cancrorum uero exustionẽ ligna uitis aduruntur. Pharmacum ex fluuialibus cãcris ustis. Describã porrò & aliud pharmacũ corporibus recremẽtis abundãtibus & mollibus cõducens: est autẽ id quod à rabido cane morsis datur, cuius cõpositionem in Sermone de rabidi canis morsu tradidimus, huius inquã operis sexto. Adieci autem ego, inquit Philagrius, ad huius pharmaci apparatum, etiam petroselini drachm. VIII. ut plurimum uero X. quo urinae ciendae uim acquirat. & multos sanè arthriticos iuuit, praesertim quibus tenerum & album corpus fuit, mediocris mystri mensura ex eo data, aliquãdo ex aqua sola, aliquando ex aqua mulsa. Quin & melle despumato saepe ipsum excepi, quo ualidum & citra transpirationem adseruarem. deinde uero ueluti praedictum est, bibendũ exhibui.

Antidotus ex centaureis. Antidotus podagrica ex duobus centaureae generibus est, ex uehementer laudatis & praeter opinionem auxiliantibus, quod ipsum experientia testatur. Nam multos eius usu seruatos noui. Est enim adeò salutaris podagricis, ut quosdã per XV. annos podagra correptos, eius usus ad iter pedibus faciendum praeparauerit. Est autem stomacho grata, aluo conferens, & urinam ciens. Habet autem hoc modo. Centaureae minoris comae, cẽtaureae maioris radicis, trixaginis, gentianae, aristolochiae rotundae, singulorum aequale pondus, puta lib. I. cõtundito & cribrato, & drach. I. praebeto per dies XL. ex aqua calida. In sequentibus autẽ ex ordine anni diebus CCCXXV. drachmae dimidium eodẽ modo praebe. Alia antidotus podagrica usu cognita. Anisi, cumini Aethiopici, piperis communis, piperis longi, seminis cnici interioris, cuiusque drach. II. euphorbij drach. IIII. mastiches drac. VI. myrrhae drachm. IIII. moschi siliquam unam, caudae scinci unius extremũ. Mellis quantũ satis est. Datur nucis auellanae magnitudine ex aqua mulsa. Hac amicus quispiã usus bis in hebdomade ex ipsa bibendũ praebuit, & affectos locos ex uiridi unguento Antho inscripto cũ rosaceo aut melino singulis diebus illeuit, multosque seruauit. Antidotus podagrica experimento constans, accipitur per annum, Anastasij. Agarici unc. I. rhei un. I. petroselini sextantem, phu sesquunciam, gentianae quadrantem, hyperici sextãtem & unciae dimidiũ, cẽtaureae unc. I. Aristolochię longae sesquunciã, & rotũdae quadrantẽ & uncię dimidiũ, chamaedryos trientẽ & unciae dimidiũ, cinamomi un. I. folij unc. I. aloës primarię unc. I. mei sextantẽ, aut spicae nardi duplũ. Alia antidotus podagrica ex perimẽto cognita, datur per annum. Doari Episcopi. Agarici un. I. rhei Barbarici unc. I. petroselini sextantẽ, phu sesquunciam, gentianę quadrantẽ, hyperici sextantem & unciae dimidium, centaureae trientem, mei sextantem, aut spicae nardi trientem.

Qui podagrici lauãdi sint & quomodo. Cap. XLVIII.

Manifestum quidem existimo quòd post inflammationum remissionẽ omnibus podagricis balneum cõmodissimum existit, quandoque autem & in uigore utiliter adhibetur, si aeger prurigine aut uigilijs uexetur, aut aliàs labore sit fatigatus. Lauare autem oportet tempore remissionis, ita ut spongias aceto & sale permixtis madefactas locis affectis circũponamus, ut à fluxione immunes permaneãt. Amplius aũt linteis siccis & plurimo nitro totũ corpus pfricare, & ut aëri diutius immorẽtur iubere, & moderatè nõ solum calidã, sed frigidã adhibere, & in ipsarũ solijs desidere. Vtile autẽ est balneũ natura siccioribus, & gracilibus, & colore nigrioribus, & qui à tumore in totum sunt liberati. In huiusmodi enim affecta particula nõ intumescit adeò magno tumore excitato, uerũ distrahi, uelut à cane appręhensas, in profundo sitas corporis partes aiunt, & inopinabili tensione distẽdi. Et inhorrescunt saepe, pellicula quae os ambit, à fluxiõe salsa aut acri & tenui ualde ac erodẽte uellicata. Hi à balneis opẽ sentiũt, quapropter nõ semel tantũ, sed iterũ atque iterum os lauare oportet, & in aëre per omnia moderato, citra aliquã pinguedinem adhibitam immorari, hoc enim modo magis euacuabũtur. Deinde oleo dulci cũ aqua cõquassato illitos in aquã calidã demittere, & in eo aliquandiu morari praecipere. In frigidam uero minimè demittãtur, nisi immodici caloris sensus infestet. Vt plurimũ uero tepida aut lactei tẽperamenti aqua perfundatur in prima balnei domo. Si uero cum tumore quodã nõ ualde magno post euacuationes suborto aliqui dolore uexentur, conueniet in aëre balnei reliquũ corpus per sicca lintea usque ad rubefactionẽ perfricare. Vtendũ autem & extersorijs smegmatis ex adarce, nitro, pipere, euphorbio, staphide agresti, aequali põdere cõiectis, apparatis. Atque his quidem reliquũ corpus contentè defrictũ excitetur: pedes uero eorũ muria moderatè perfundẽdi sunt, & in calida aqua nõ morandũ, frigida uero ne cõtingẽda quidẽ. Quòd si balneum nõ adsit, eos qui ab acrioribus fluxionibus uellicantur, aqua dulcissima calida perfusos fouere oportet, & totũ corpus ex oleo chamaemelino in ieiunio illinire: alios uero temperamento non calidos, & qui tamen tumorẽ habeant post euacuationes relictum, si balneum non adsit, cucurbitulis admotis curabimus, initio à lumbis facto, sursum usque ad scapulas progrediendo, fricabimus etiã per sicca linteola & per extersoria smegmata iam dicta. A talibus enim hi tum in balneo, tum citra balneũ opem sentiunt. quale & hoc est ex profundo humores euocãs ac trãsferens, quod metasyncriticõ Gręci uocant. Eo itaque in balneo utantur, aut si balneũ non admittãt, post exercitia ex eo defricẽtur, deinde spongijs extergatur id quod ex hac arida inspersione cor

ne corporibus adhæret. Cōpositio eius hæc est. Nitri rubri lib. I. sinapis sicci lib. II. sabinæ lib. II. ueratri albi lib. I. sulphuris uiui lib. I. Aliud Andreæ comitis. Nitri, ueratri nigri, piperis æqualibus partibus utere. Præter opinionem autē eis cōducit Siccum Magnum ipsis affectis locis in balneo inspersum. Estq; hoc. Recremēti siue scoriæ ferri, spumæ nitri albæ, cuiusque æquales partes misce, & odoris gratia parum folij & costi adde. Siccum quod psilothro podagricorū inspergitur. Mastiches, thuris, lapidis asij, pumicis assati, alcyonij, staphidis agrestis, cimoliæ, ueratri albi, samsuci, spumæ argenti, amyli, careophylli, spicæ nardi, cyperi, floris iunci odorati, buglosi, singul. lib. I. auripigmenti unc. X. sandarachæ unc. X. saponis quantū satis est. Prædicta omnia, excepto auripigmento, sandaracha & sapone, cōtundito, cribrato, & sicca in promptu habeto. Vsus uero tempore calcis uiuæ unc. X. in oryzæ aut prisanæ succo dissoluito, & auripigmenti unc. I. sandarachæ unc. I. saponis drac. IIII. & prædicti sicci cochlearia II. magna, omnia quàm tenuissimè trita inspergito, ac unito, eoq; pedes aut etiam alios locos fluxione infestatos illinito. Cæterū qui hoc sicco inspergimine utūtur, hoc modo diętam suam instituant. Thoth, hoc est, septembri, lac & edant & bibant. Phaophi, hoc est, octobri, allia edant. Athyr, hoc est, nouembri, in totum nō lauent. Choiac, hoc est, decembri, brassicam ne edāt. Tybi, id est, ianuario, mane meracum bibāt. Mechir, id est, februario, betam ne edant. Phamenoth, hoc est, martio, dulcia tum in cibo, tum in potu sumant. Pharmuthi, id est, aprili, raphanū ne gustent. Pachon, id est, maio, polypum ne edant. Pauni, hoc est, iunio, mane frigidā aquam sumant. Epiphi, hoc est, iulio, à uenereis abstineant. Mesori, id est, augusto, maluā ne edant. Siccum Maloriani. Aluminis scissi sextantem, pumicis unc. I. terito & in uitro reponito. Vsu uero expetēte, uino adstringēte locos prælauato, & quodammodo extergito, ac siccū ipsum inspergito, tenerisq; manibus affricato, & siccari finito. Rursusq; idem per diem octies facito, & toties similiter si possibile sit in nocte, & uidebis tumores quàm celerrimè discussos & resolutos. Ego utriusq; & aluminis & pumicis ęquale pondus cōieci, & magis sanè successit.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN DECIMO TERTIO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBVS MEDICINAE TETRABIBLI SIVE QVATERNIONIS QVARTI SERMO PRIMVS, ET EX ORDINE XIII.

De noxiorum animalium morsu, & de bestijs uirus eiaculantibus. Et de Elephantiasi, pruritu, scabie, alpho, lepra, leuce. Et de antidotis multæ utilitatis.

De his qui ab homine morsi sunt. Cap. I.



DE noxiorum animaliũ morsibus scribere auspicãtes, initiũ ab his qui ab homine morsi sunt faciemus, ut Archigenes inquit. in his igitur quos homo momordit, loco ex oleo prælito, fœniculi radicẽ tritam cũ melle cataplasmatis modo ulceri imponito usq; quo repurgetur, deinde his quę explere possunt utitor. Cuius generis & hocce est. Mellis, terebinthinę, butyri, adipis anserini, medullæ cerui, aut si nõ adsit, uituli, æqualibus partibus liquefactis utitor. Si uero sinus statim in principio fiat, eũ aqua mulsa diligenter eluito, & spongiã nouam Aphricanã melle cocto imbutam imponito, & ligamẽto quod ad sinus referetur obligato, ac tertio die soluito. Aut myrrhã terebinthina exceptã ut malagma imponito. Aut æs tritum melle cocto exceptũ ueluti collyriũ indito, & postquã repurgaris, cõglutinato: uel ossa uitulina ad albedinẽ usta, & pice liquida siue cocto melle, aut utrisq; ex æquo simul excepta, in sinum indito, uel mannam, aut ipsum adeò thus cum myrrha terito, & cum uino ac oleo imponito. Emplastra autem cruentis uulneribus destinata & adglutinatoria eis conueniunt. in expassis quidem & planis ulceribus, uiride ex atractylide. In sinibus uero cruentis emplastrum Piscatoris, ex aceto apparatũ, & Athena, & Nigrum appellatum.

De his quos canis momordit. Cap. II.

In his uero quos canis momordit, statim acetum irrorato, & expassa palma morsum percutito. Deinde nitrum cum aceto tritum ex alto supra morsum destillato, & spongiam nouam posca aut aceto imbutam imponito, & ad tres dies obligato, ligamentoq; supernè ex posca aut aceto, prout uisum fuerit, madefacito. Egregiè enim auxiliatur. Post hęc uero ut commune ulcus curato. Aut perdicium herbam cum sale tritã imponito, quotidie eam alterando donec excidat crusta. Deinde ubi ad cicatricẽ perducere uolueris, ipsam per se tritam imponito. Quòd si magnus sit morsus, queadmodum à magnis canibus infligi solet, pręscripta in sexto Sermone methodo curato, ueluti eos qui à rabido cane sunt sauciati.

Si uero

Si uero cauus & angustus appareat morsus, in principio cum aceto, ut dictum est, irrorato. Deinde nitrum itidem cũ aceto tritum ex alto superstillato, & anetho sicco usto morsum expleto, & linteolum cõuolutum ex aceto madefactum indito, & obligato. Post triduũ uero soluito, & reperies morsum repurgatum. Idem facit & cuminũ tritum morsui inditũ. Postquam uero ulcera fuerint repurgata, prædicto pharmaco utere liquefacto ad hominis morsum relato. Si uero inflammatio succedat, lenticulam cum malicorio coctam & tritam imponito, aut rubi folia contrita. Aut panis medullam in betæ succo madefactam cũ modico rosaceo pro cataplasmate adhibeto. Ad uulnera uero iam suppurata erui farinam cum melle subigito & morsum expleto. Summè enim auxiliatur. Aut irim cum melle & linamentis indito, ac supernè lẽticulam coctam tritam cum modico melle & rosaceo pauco imponito. Repurgatis uero iam ipsis cum prędicto liquido pharmaco expleto, ac deinde his quæ cicatricẽ inducere possunt, utitor. Emplastra autẽ ad demorsos à cane uel urso aut similibus animalibus statim à principio cõmodè adhibentur ex sale & cerusa apparata. Etenim uenenosum humorẽ in morsibus ex dẽtibus relictum expurgant, & callosam ex impactis dentibus concretionem explanant.

Ad leonum, pãtherarũ, ac ursorũ morsus. Cap. III.

Horum animaliũ consimiles sunt morsus: nam robusta sunt hæc & unciunguia, implicantꝗ; quicquid contigerunt unguibus penetrantia, & corpora ipsa dilaniant. Perseuerando autem in manducatione nõ solum carnes dilaniant, sed & ossa aliquando ad polentæ similitudinem confringunt, indeꝗ; & uicini stimulis afficiuntur nerui. Satis uero manifestum est, quòd corpora quæ in eiusmodi ac tantas calamitates inciderunt, non effugiunt periculum abalienationis: nã etsi maneant, putrefactionem suscipiũt, & ulcera serpentia inducunt. Huiusmodi igitur uulnera cum aceto elota & circumrasa, solutis item corporibus ac ossibus extractis, emplastris integere oportet, & post suppurationem partiũ dilaniatarũ, repurgantibus linamentis curare & cicatricem inducere, quẽadmodum in communibus ulceribus solemus. Emplastra autem his cõuenientia sunt, id quod ex salibus constat, & similia, cuiusmodi etiã hoc est.

Asclepiadæ pharmacũ, ad cruenta uulnera accommodatum, & ad intercisos neruos & ad ursorum ac leonum morsus. Aeruginis rasæ drac. VIII. aluminis rotundi drach. VIII. squamæ æris drac. XII. mannæ, galbani, cuiusꝗ; drach. XII. ceræ unc. XVI. resinæ pinus aridæ unc. XXXII. olei lib. I. Arida & galbanum aceto terito, & liquescibilia liquefacta adfundito. Aliud, emplastrũ Venatorum appellatũ, admirabile. Radicis symphyti, comæ dictamni, iridis Illyricę, atramenti Indici, aluminis scissi, misyos, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, cuiusꝗ; sextantẽ, salis cappadocici quincuncem, æris usti trientem, aristolochiæ rotundæ, iridis astragalitidis, gallarum, rosarum siccarũ, squamæ æris, singulorum unciam unam, æruginis quadrantem, picis sesquilibrã, resinæ pinus siccæ libras quatuor, olei triẽtem & dimidium unciæ unius. Metallica in aceto terito. Habeat autem & ceræ sesquilibram. Quòd si marcedo subsequatur & ulcus serpendo depascens, optimè facit subscriptum uiride emplastrum, carnem arrodens, exest usque ad os, & squamas eijcit, ac ulcus serpẽs compescit, & in uniuersum utile est ad omnia inueterata eiusmodi actionis, & maximè in quibus ueneni corruptio est, & corpora sunt abalienata: quibus etiam immixtum pharmacũ adhibere oportet. In alijs uero dissolutum. Habet autem hoc modo. Spumæ argenti unc. I. squamæ æris unc. I. nitri, atramẽti sutorij, salis ammoniaci, ęruginis, singulorum sextantem, cyperi quadrantem, olei sexuncem, aceti scillitici quantum sufficit. Arida aceto terito ut strigmentitiam spissitudinem acquirant, & liquefacta adfundito, & in uitro reponito, aceto acri affuso, ut pharmaco ipsi innatet. Ad confectionem autem & præparationẽ si acetum scilliticum haberi non possit, scillam cum aceto coquito ac utitor.

De suum morsu. Cap. IIII.

Quandoquidẽ uero & in uenationibus à syluestribus suibus læduntur quidam, operæpretiũ est & de his facere mentionem. Vulnera itaꝗ; ab ipsis incussa grauia sunt, propterea quòd non solum profunda, sed & magna existant: adglutinatorio autem medicationis ductu ea curare impossibile est. Nã unà cum contusione labia uulnerum discindunt, imò & adurunt. Mutuò enim dentium inter se attritu, ac ueluti ad cotem affrictu utuntur, ad uindictam eorum qui eis obueniunt currentes. Adusta itaque corpora crustam quandam iuxta uulnerũ labia inducunt. Quare suppuratorium & nõ adglutinatorium curationis modum in eis adhibere oportet.

De his qui à fele morsi sunt. Cap. V.

Omnia ferè quæ ad canis morsum dicta sunt, etiam à fele morsis conducunt. propriè autem eis conuenit, mel, terebinthina, oleum rosaceum, simul eliquato ac utitor. Aut centauream tritam cum melle imponito. Aut galli stercus liquidum cum adipe gallinaceo subigito & imponito.

De morsis à crocodilo. Cap. VI.

Primũ quidẽ eos quos crocodilus momordit, quàm tutissimè custodire oportet, in domo conclusos fenestras non habente: etenim ob contrariã quandam affectionem ferè in totum syluestres maximè feles ad demorsos accedere consueuerunt. Remedia autem his eadem quæ ad morsos à cane ac ad reliquos relata sunt, conueniunt. Propriè autẽ humanum stercus & misy simul trita & imposita ad eos faciunt. Aut piscium garum, aut carnium salsarũ iusculum morsui infunde, aut salem & myrrham æquali pondere in acerrimo aceto quàm tenuissimè contere, & cerato excepta impone. Aliud. Stercoris hyænæ, drachmas IIII. æruginis drachmas IX. adipis anserini drachmas sex, galbani drachmam unam, cerę drachmas octo, olei drachm. XII. Aeruginem & stercus aceto terito, & liquefacta affundito. Quòd si hyænæ stercus non adsit, porcino utitor. Apollonius autem inquit, demorsos locos acri muria aut piscium garo perfusos ac fotos, adipe crocodili eliquato illinito, & linamentis inditis obligato: aut carnium salsarum pinguiores partes tusas indito, aut melanthium cum aceti fece tritum imponito. Hæc enim & ulcus serpens compescunt, & morsus euestigio ab inflammatione uindicant. Post hæc autem lenticulam coctam cum melle tritam cataplasmatis modo adhibeto. Erui uero farina cum melle

melle subacta, aut iride cum melle morsum expleto. De cætero uero ulcera renutrito, & per cōmunia auxilia ad cicatricem perducito.

De bestijs uirus eiaculantibus, & primum quibus artibus adhibitis uenenata animalia tollantur. Cap. VII.

De uenenatis animalibus scripturi, primum præsidia quędā indicabimus, quibus ea tollantur & perimātur. Perimuntur itaq; ex syluarū ac materierum exustione, in quibus uitam degunt. Verum in his quæ intra domos reperiuntur, feruentē aquam in eorum lustra ac latebras infundere expedit, & acidam muriam feruentem per instrumentum fusoriū, siphona Græci uocant, immittere. Vespis uero oleum infundatur, & assiduus fumus ipsarum tentorijs ac habitaculis obfundatur. Quæ substrata ab omni uenenata bestia præseruent. Iuxta uias quidē igitur & in domibus ab omni uenenato animali præseruāt substrata, abrotonū, conyza, dictamnū, uitex, echion, calaminthe, solanum, hastula regia, saluia, peucedanū, hypericū, polium, samsucus, gentiana, origanus, ruta syluestris, serpillum, laurus, pulegiū, cupressi, aut cedri coma, aut ramenta, cardamomū, lysimachion, melanthium, bitumen. his addatur & gagates lapis.

Suffitiones præseruātes, quæ incensæ uapore suo uenenatas bestias abigunt. Viticis folia, bitumen, castoriū, melanthium, cornu ceruinū aut caprinū, nasturtium, cardamomū, galbanū, propolis, peucedanum, panax, opopanax, conyza, cupressi, aut cedri ramēta oleo imbuta, gagates lapis, sagapenum, polium, canchryos radix, filix, baccæ lauri, & similia graueolētia. Quum enim uenenata animalia omnia angustos habeant meatus, quàm celerrimè replētur, & ab huiusmodi odoribus obturātur ac suffocātur. Refertur etiā de stercore crocodili, quod per infundibulū suffitū, feras ipsas uenenosas ex latibulis suis exigat. Archigenes autē, ungulæ caprarū & pili, inquit, suffitu fugant bestias uenenosas: procul enim per ipsorū odorē relegantur. Stratonis suffumigiū. Galbani, radicis cāchryos, cornu cerui, melāthij, cuiusq; unciā unam. Omnia terito, & in pastillos cum aceto redigito, atq; ubi uti uelis, oleo madefacito, ac incensa per mediam domū suffito, aut in ipsum ferarum latibulū per infundibulum uaporem immittito. Aliud suffimentum, scorpios deturbans, & omne reptile ex ædibus exigens: galbani, sandarachę, butyri, adipis caprini, æquales omniū partes in pilulas redigito, & ut dictū est, suffito. Probè facit & pyretrum cū sulphure suffitum. Mirificè item Beronices suffimentū facit, quod in hoc ipso Sermone descriptum est, ubi ipsum cyphi etiam reperitur.

Illitiones præseruatiuæ. Cap. VIII.

Illita autem ferarum accessum prohibent, eásque fugant: altheæ semen & acetum cum oleo, baccæ lauri & galbanum oleo trita. Panacis semen & flos & succus cum oleo: uehementer efficax est oleum, in quo cedrina ligna uiridia incoquūtur. baccæ iuniperi cū oleo, conyza, peucedanum, silphium, saluia, hastula regia, abrotonum, galbanū. Horum unumquodq; excellenter facit aceto & oleo dilutū, aut etiam quędam ex his, aut omnia mixta & illita. Aut castorium cum medulla ceruina & unguento narcissino illitum uehementer efficax est. Apollonius autem inquit, Qui ex syluestris rutæ succo oblinuntur, omnibus uenenatis bestijs manus admouēt, & non mordentur. Dracunculi item succo manibus illitis qui uiperam tenuerit, non mordebitur. Semen autem dracūculi aqua tritum & latibulis ferarum iniectum, ipsas in terram fugat. Probè facit & solani succus illitus. In uniuersum autem omnem feram cuiusque earum adeps illitus fugat.

Quæ apposita uenenata animalia occidant, & de his quæ in edulia & potiones incidūt. Cap. IX.

Venenatas bestias occidit galbanum cum spondylio & oleo appositū. Cācri appositi scorpio, ipsum occidunt. Lychnis syluestris scorpios fugat: quod item facit pastinacæ semen. Cæterum & aquarum quas in potu accipimus animaduersionem habere oportet. Non pauci enim perierunt ex quibusdam bestijs in edulia & aquas dum coquuntur collapsis, atq; id maximè in peregrinationibus euenire solet. Quapropter tunc culinæ procul ab arboribus extruendæ sunt, propter feras in eis latibula habentes. quin & salamandræ quandoq; & erucæ calefactæ obsonijs incidunt. Pręcipuè itaq; pinus & picea arbor fugiēda: in his enim letales sunt erucæ. In obsonia quidem igitur dum coquuntur, illabi cōsueuerunt serpens & salamandra, & erucæ, in uinū uero uiperæ.

Communia remedia ad omnes uenenum eiaculantium ferarum plagas. Cap. X.

Per prædicta quidem igitur præcauere oportet, ne in malignas bestias incidamus. Si uero cōtingat ab animante quopiam uenenum iaciente percuti, huiusmodi remedijs cōmuniter utemur. Si quidem leuior sit plaga aut morsus, posca calida cum proluemus, deinde uero locum ipsum exugemus. Verum qui exucturus est, prius os oleo colluat, ne inde lędatur, atq; ita ore ad morsum admoto exugat, & expuat uenenum. Cauere etiam oportet, ne exulceratā aliquam internam oris partem habeat exucturus. Post hæc uero cinis aceto subactus pro cataplasmate imponatur. Maximè autem ad hanc rem conducit, ex ficulneis lignis exustus, aut laurinis, aut lignis uitis, qui si non adsint, eo qui haberi potest utendum ęst, diligentia ad hoc potissimum adhibita, ut inflammatio in loco excitetur, & materiæ ad morsum prouocentur. Quòd si minus nobile sit membrum, & uehementior morsus, cucurbitam cum plurima flamma ad morsum adhibe, & uicinos locos circumcirca impactis uulnusculis scarificato: attrahetur enim unà cū sanguinis & flatus attractione ipsius bestiæ uenenū. Deinde à tepidę largę haustu uomere iube: & sic deinceps pharmaca exhibe. Vigilans etiā æger adseruandus est, ac desidēs per totum curationis tempus, donec euidentem remissionem acceperint molestiæ concomitantes. Venter item adstrictus citra dilationem per infusum eluatur, & uesicæ quoque cura habeatur, quo citra impedimentum lotium excernat. Optimè autem auxiliantur, si statim in principio post cucurbitas plagæ imponantur animalia parua discerpta, & adhuc intus calentia, uelut sunt gallinæ, hœdi, agni, porcelli, uenenum enim exugunt, & dolores leniunt. Apta sunt etiam his cataplasmata dilaniantia, uelut sunt allia cum melle, cepæ cum sale, ruta cum melle, silphium tritum inspersum, laser, piscis salsus maximè uetustus, allium ustum, plantago cum sale, melissophillon, uirgulta fici cū melle, suillum ręcrementū aceto coctum, calaminthe,

minthe, stercus caprinum cum aceto. Summè autem facit ad omnem bestiæ uenenatæ plagam, præterquàm aspidis, calx uiua cum oleo & melle crassitudine cerati imposita. At uero & inurere morsus ipsos expedit usque ad crustæ productionem. Aut sinapi largum cum rumice acuto imponere, aut salem tritum liquida pice exceptum. Præter opinionem autem facit ex uiperis theriace Andromachi emplastri modo imposita. Emplastra uero ad omnẽ uenenosi animalis ictum conueniunt, ex dictamno apparatum, omniaq; quæ attrahendi uim habent, qualia sunt & quæ ex sale, & quæ ex chamæleonis radice constant, & aphroditæ appellata. Egregiè autem hoc auxiliatur. Spumæ argenti libram unam, cerusæ libram unam, resinæ pinus librã unam, olei ueteris libras tres, ceræ sexuncem, ammoniaci thymiamatis trientem, galbani trientem. Cerusam, argenti spumam, & oleum coquito, donec non inquinent manus: deinde liquefacta adijcito, unito, & utitor reposito ad omnem morsum, & ad abscessus, & tubercula mamillarum, panos, sinus, fistulas, parotidas: ad miraculum enim usque discutit ipsas. Vtitor & ad carbunculos. Arcet uehementer inflammationem, & raro citra magnam cõmoditatem & efficaciam adhibetur. Potiones communes. In potu autem citra dilationem in omni uirulenti animalis morsu, theriace Andromachi præbeatur, aut Mithridatica, & consimiles compositiones. Ex simplicibus uero, uiticis semen cum uino tritum bibẽdum præbeto, rutæ syluestris semen cum uino similiter tritum dato, platani pilulas, poliũ, polemonij quod & phileterium appellatur, drachm. I. leporis coagulum aut cerui, allium, trixaginem, dictamnum, saluiam, castorium, ex unoquoq; drach. I. bryoniæ radicem drachmæ pondere: seminis trifolij bitumen olentis drach. I. Prodest & conyza & chamæpitys & scordium, cuiusque drachm. I. ex uino. Auxiliantur autem omnino cancri fluuiales cocti aut assati comesti. Ranæ item elixæ & comestæ. Verum si qui earum esum auersentur, ranas donec uietæ reddantur coquito, & iusculum ipsum ignaris absorbendum præbeto.

De uespis & apibus. Cap. XI.

Quòd si quis ab apibus & uespis illæsus permanere uelit, cum maluæ folia cũ oleo illita, & eruca siue bruchus cum oleo illitus adseruabunt. Quandoquidem uero quidam ab his clãculum percusi, ob dolorem perturbantur, putantq; se à maligno aliquo animante petitos esse, necessarium existimo prius ostendere quæ signa ad horum plagas comitẽtur. Hos itaque qui ab apibus pungũtur, dolor ictus cõsequitur, & rubor loci, cũ tumore partium in ambitu sitarum: stimulus autem omnino in percusso loco reperietur. Eadem etiam hos quos uespa pupugit concomitãtur, sed intensioria: uerum stimulum uespa in percusso loco non relinquit. Auxilium autem utrique ferunt, luto aut stercore bubulo eis illito cum posca, aut maluæ folijs impositis cum posca, aut cimolia cum malua & posca, aut sesamo cum posca. Naturaliter autem opitulatur ueneranda & uiuifica crucis imago in sigillo ferreo exsculpta, & plagę appressa. Non enim permittit amplius inflammationem generari. In potu præterea ipsis foliorum lauri tenerorum drach. II. cum uino austero præbeto.

Ad stelliotis morsum. Cap. XII.

Qui à stellione morsi sunt, assiduè & cõtentè dolitant, morsusq; locum liuidum habent. Iuuantur autem euestigio si cæpe & allia cataplasmatis modo eis imponantur. Auxiliantur amplius eadẽ comesta, uino meraco post eorum acceptionem absorpto. Vtiliter etiam sesamum eis imponitur, aut melãthium aqua multa affatim affusa.

Ad salamandræ morsum, & lacertæ chalcidis. Cap. XIII.

Quos salamandra percussit, eos dolor uehemẽs & crustæ productio consequitur. Adhibeatur autem eis cõmunis cura iam prædicta. Qui uero à lacerta chalcide appellata percussi sunt, eos tumor pellucidus cõsequitur, ueluti nigrore in ambitu plagæ relucente. Consequitur autem & putrefactio. Curatio uero eadem illis accommodanda est, quæ ad muris aranei morsum referetur.

De mure araneo. Cap. XIIII.

Mus araneus colore quidem mustelæ similis est, magnitudine autem muri, unde & mygales apud Græcos obtinuit nomen. Os autem sublongum habet & exiguam caudam. Dentes uero tenues, atq; eos duplici ordine sitos in utraque maxilla, quo fit ut quatuor dentium ordines habeat. Qui igitur ab eo morsi sunt, his uulnera manifesta fiunt: quadrifido enim ordine uulnera conspicietur. Et sanguis quidem primum purus promanat, paulo pòst uero saniosus. Animal enim ipsum putrefactione occidit. Consueuerũt etiam bullæ insurgere, quas si quis dirumpat, carnem subiacentem feculentam uidebit, & fissuris disparatam. Inflatio autẽ sequitur demorsos. Cæterum hoc animal frequentius ad testes insilire solet, eosq; uerbere impetere non hominis solum, sed cuiusq; etiã bruti animãtis. Auxiliũ autem ferũt quum ob putrefactionem periclitantur, post prædicta cõmunia remedia adhibita, ab huiuscemodi rebus. Lauri foliorum tenerorũ drach. I. aut. II. cum uino tritas bibendas præbeto. Conueniunt etiam ipsis omnia prædicta cõmunia remedia in potu accepta ex uino dulci. In pecoribus uero & iumentis illa ipsa cum aqua trita naribus infunde. Est enim ipsis præsens remediũ: unde etiam hominibus similiter in potu præbeto. Morsum porrò cum cumino integito & allio, putamine extrinseco non abiecto, eadem etiam cum oleo trita assiduè & diligenter locis circumsitis illinito. Si uero ruptæ fuerint bullæ, & ulcera oborta, acida muria prolue, & ordeum ustum tritum impone: uerũ non rumpẽtur, nisi prægnãs fuerit mus araneus, qui morsum inflixit. Quod si exulcerẽtur, mali punici dulcis coriũ coctum tritũ impone, ulceraq; ex eodem decocto, aut magis myrti decocto, perfusa foue. Strato uero inquit: in muris aranei morsu locum scarificato, ac ipsum murem araneum ustum cum aceto cataplasmatis uice imponito, aut sinapi tritum itidem ex aceto. In potu uero panaca exhibeto, erucam, capparis corticem, gentianæ radicem, & uerbenacam rectã tum cum uino bibendam præbe, tum pro cataplasmate impone: maluæ item folia impone: & antidotos magnas bibendas exhibe.

Ad scolopendræ plagam. Cap. XV.

His qui à scolopendra icti sunt, eadem remedia conueniunt quæ ad muris aranei morsum sunt prædicta, & sales tum liquida pice impositi: & cedria cum

cum melle: & allium cum folijs fici, & cumino, eruo, ac uino. In potu uero etiam ea commodant, quæ à mure araneo morsis. Amplius autem & absinthium & menta cum uino.

Ad araneæ ictum. Cap. XVI.

Est & araneæ genus, quod ictu cõtinentes dolores inducit: rubor uero circa præcordia, & urinę emittẽdę difficultas ęgros cõcomitatur: aliquãdo uero & suffocationes. Ab eo percussis rutam syluestrem, & uiticis albæ semen aut folia bibenda præbe. Allium etiam largè edendum, ac uinum insuper meracum absorbendum exhibeto.

De tetragnathis. Cap. XVII.

Tetragnatus, species est phalangij subalbida, pedes scabros habens, & iuxta caput eminentias duas, unam rectam, alteram latã, ut existimes eum ora quidem habere duo, maxillas autem quatuor, & lineam per os æqualem. His qui ab eo percussi sunt, cõmuniter quidem eadẽ accedunt quæ à scorpio percussis. Propriè autem in ipsis plaga cõtentè dolet, & percussus locus subalbicans est; tumor uero faciẽ & caput occupat, & percussæ partes usque ad articulos gracilescunt: cibum item ac alimentum non sentiunt membra, & post adeptam sanitatem uigiliæ intensæ succedunt. Opem autem ferunt ex calaminthę potu, aut trifolij, rutæ, panacis, polij, & his quæ ad percussos à phalangio referentur.

De percussis à phalangio. Cap. XVIII.

Phalangiorum genera quidem plura sunt; quæ uero apud eos qui de noxijs bestijs scripserunt referũtur, ut plurimum sex numero existunt; unum quidẽ ex eis rhagium, alterũ lupus, tertiũ formicarium, quartum cranocolaptes, quintum sclerocephalon, sextũ scolecium appellatum. Ac primum quidẽ rhagium, id est, acineum, figura rotundum est, colore uero nigrum, acini uuæ nigræ similitudine, unde etiam appellationem accepit. Et os quidem iuxta mediũ uentrem habet, pedes uero ex utraq; parte quàm breuissimos. Alterũ uero lupus appellatũ muscas perdit, eisq; pascitur: ac corpus quidem habet latum ac uolubile, partes uero circa collũ ipsius incisæ sunt. amplius autẽ & os eius eminentias tres habet. Tertium autem myrmeciũ, hoc est, formicariũ dictum, formicæ maximæ assimilatur; colore est fuliginosum, corpus uero eius uelut astris quibusdam insignitũ est, maximè circa dorsum. Quartum deinde cranocolaptes, sublongum est, & uiride, stimulumq; iuxta collum habet, atq; si in quẽ irruat, locos circa caput petit. Quintum sclerocephalum dictum, caput habet saxeum & obduratum; lineamẽta uero per omne corpus similia animalibus illis, quæ circumuolitant noctu lucernas. Sextum autem scolecium, siue uermicularium appellatum, sublongũ est & submaculosum, maximè circa caput. Atque hæ quidem species phalangiorum enumerãtur, quas sanè obseruare oportet. Quæ uero percussos ab eis concomitantur, cõmunia sunt iuxta magnitudinem & paruitatem discreta. Morsus porrò tenuis est, ut uix cõspici possit, tumor autem liuidus, quibusdam etiam rubicundus: frigiditas adest circa genua & lumbos ac scapulas, quandoque uero totum corpus aggrauatur. amplius & dolor assiduus adest, tremor, pallor, uigiliç; quibusdam uero pudẽdi tentigo, & circa caput pruritus, aliquando etiã circa suras, oculi humecti & lacrymantes ac caui, & uenter inæqualiter eleuatur. Intumescit autẽ uniuersum corpus, faciesq;, & maximè circa linguã partes, ut impeditum habeant sermonem: quibusdam uero & urinæ emittẽdæ difficultas adest cũ pudendi tentigine & dolore. Si uero minxerint, aquosæ ipsorũ sunt urinæ, quædam aranearũ textis similia in se habẽtes: & uomitus quoq; consimilis est: aliquando uero per lotiũ, & per uentrem talia excernũtur. Cæterum in calidam aquam demissi à dolore leuati sibi uidentur, post uero contentè dolent pudendũ. Senioribus uero pudendum plurimum laxatur, ac minimè intenditur. Atq; hæc quidem cõmuniter ad omniũ ictus sequuntur. Si uero cranocolaptes aliquẽ percusserit, caput magis dolet, & uertigines consequũtur, frigus cõtinens, delirium, corporis iactatio, & stomachi puncturæ. Omnes autẽ à phalangijs percussi assiduis balneis iuuantur; plaga etiã ipsa ex trifolij bituminosi decocto cũ oleo proluatur, totũ uero corpus ex cerato liquidissimo pinguefiat. Iuuantur etiã fomento spongiarum in calido aceto tinctarũ, & sæpe ad plagam adhibitarum. Cataplasmata autẽ eis conueniũt, bulbi, sanguinaria, porrũ, furfures aceto cocti, ordeacea farina folijs lauri cũ ea in uino aut melle incoctis, ruta, grossi ficus, caprinum stercus cũ uino, samsucus cum aceto, syluestris ruta cũ aceto, itemq; cyperus. Asclepiades autem hoc inquit, utere ualde laudato. Seminis rutæ syluestris, seminis erucę, staphidis syluestris, canchryos, seminis uiticis, pilularum aut foliorum cupressi, æquales omniũ partes aceto terito, & melle exceptas imponito. Idem & in potu acceptum auxiliatur. Aliud laudatum, quod similiter & potatũ & impositum iuuat. Sulphuris uiui drac. IIII. galbani drach. IIII. succi cyrenaici drac. II. aut si non adsit, laseris drach. IIII. amygdalarũ amararum repurgatarũ drach. II. in uino diluito, & melle excepta imponito. Bibendũ etiam, ut dictũ est, præbeto. Amplius uero & cupressi folia aut pilulas tritas cũ uini & olei hemina una à phalangio percussis dato. Aut anisum, aut daucũ, aut cuminũ, aut melanthiũ, au piper, aut agaricum, singula drachmæ pondere præbeto. Aut ammij drach. II. aut iridis drach. I. aut hyperici dra. I. aut trifolij bituminosi quantũ tribus digitis appræhẽdi potest. Conueniũt etiã lauri baccæ, scorpiuron, serpillum, silphium, calamintha, chamæpitys per se & cum ruta ac pipere, singula uero ex uino. Aut mentæ fasciculum posca meraciore coquito, & decocti cyathos II. præbeto. Idem & samsuci, & radicis spinæ albæ decoctũ, ac trixaginis & pulegij præstat. Lixiuiũ item & radicis hederæ succus cum aceto. Vtere etiã ad eos remedijs à scorpio percussorum, & ex uiperis theriaca, & cõsimilibus.

Asclepiadæ, ad percussos à phalangio: hac Chariton utebatur, & per hominum conuentus oberrans à phalangijs percussis auxilia promittebat. Seminis spondylij sicci, calaminthæ, æquale põdus simul terito, & ex uini cyathis II. prębeto, atq; id sæpe per diem facito. Aliud eiusdem. Succi cyrenaici, seminis dauci, mentæ siccæ, spicæ nardi, singulorum æquale pondus coagmentato cum aceto, & drach. I. cum poscæ meracioris cyathis IIII. præbeto, & à potu ægrum in calidam aquam demittito. Quod si succus cyrenaicus non adsit, pro eo laser purũ conijcito. Aliud ualde præclarum. Canchryos, seminis rutæ,

rutæ, piperis, myrrhæ, staphidis agrestis, singulorũ drachmam unam, radicis cyperi drachmam unam, coagmentato, & drachmam unam, cum uini odorati cyathis IIII. ac mellis cyatho I. exhibeto. Auxiliatur item eis allij esus, balneum, & uinum.

De his quos scorpio percussit. Cap. XIX.

A' scorpio percussos uehemẽtissimus plagę dolor consequitur, frigiditasq́; ac tensio, & stupor, circaq́; plagam & totum corpus frigidus sudor, & his qui iuxta infernas partes percussi sunt, inguina excitãtur, ac intumescunt, qui uero circa supernas, locus sub alis, & hęc quidem leuiter percussis adsunt. Validius autem ictis, ardor circa plagam adest, quemadmodum in ambustis, & uerrucarũ instar formicarum eruptio, circa labra & totum corpus, ut grandine se impeti putent: facies distorquetur: sordes circa oculos adsunt glutinosæ, & lacrymæ uiscosæ: durities articulorum, anusq́; procidit cum egerendi cupiditate, spuma circa os est, & uomitus largus, singultus, conuulsiones opisthotonicis similes. His igitur serpillum, altheæ radicem, & elaphoboscum bibendum præbeto. Præter opinionem autem facit elaphoboscus tum uiridis comesta, tum sicca potata. Pastinacæ item syluestris semen & nuces ponticæ: hæ enim in zona gestatæ non permittunt aliquem à scorpio lædi. Aliud. Cochleam hortulanam maximè accipito, eamq́; unà cum testa tritam plagę imponito, & confestim sedabis dolorem. Idem etiã uermes terreni facere dicuntur. Aliud. Cãcrum fluuialem cum uino & lasere terito, ac bibendum dato. Aliud. Verbenacam rectam aut uiridem pro cataplasmate impone, aut siccam tritam bibendam præbe. Aliud. Cumini, melanthij, seminis uiticis, singulorum par pondus tere, ac drac. I. inde ex uino exhibe. Poteris etiam omnibus communibus auxilijs prædictis uti. Aliud, hoc & ad phalangij & scorpij ictum facit. Styracis drachm. VI. sulphuris uiui drachmas sex, pyretri drachmas IIII. seminis rutæ syluestris drachmas III. castorij drachmas duas, seminis erucæ drachmas duas, cum sanguine marinæ maximè testudinis subige, aut si non adsit, terrestris, & nucis ponticę magnitudine præbe cum posca aut ex aceto. Alia antidotus, excellenter ad scorpij ictum conducens: qua etiã ad meipsum ægrè affectum usus sum, & seruatus. Habet autẽ hoc modo. Castorij, succi cyrenaici, piperis, cuiusque drach. IIII. costi, spicæ nardi, croci, succi centaureæ, cuiusque drachm. II. mellis despumati quantum sufficit. Datur nucis põticæ magnitudine. Datur autem à scorpio ictis cum uino diluto, ab aspide morsis cum aceto diluto. Detrahendi uim habet, adeò ut digestos etiam in membra ueneni succos eruat: & ob id etiam ad uuluæ strãgulationem utiliter cum hydromelite exhibetur. Aliud. Aristolochiæ longæ, melanthij, radicis panacis, seminis rutæ syluestris, æquales omniũ partes committe. Dantur inde drac. II. cum uini meraci hemina una. Optimè autẽ ad eos facit, similiterq́; ad phalangij morsum antidotus ex quatuor rebus ad podagricos descripta, ex aristolochia uidelicet, gẽtiana, myrrha, & baccis lauri. Dato etiã si abundes ex theriaca. Ad plagam autẽ scorpionẽ ipsum qui percussit, si inueniri queat, imponito. Aut stellionem dissectum plagæ adhibeto. Calaminthe etiam quæ iuxta aquas nascitur imposita, confestim dolores remittit & tollit. Allium quoque aut per se aut cum sale tritum imponatur, aut syluestris ruta, aut scorpiurus herba. Ego uero syluestris rutæ drachmam unam in aceto tero, & ceræ unciam unam, resinæ pinus quadrantem liquefacio, & parum olei affundo, unio, ac impono. Et est mirabile pharmacum. Quin & ouillum stercus uino coctum & impositum, confestim dolore liberat. Vtere item præscriptis communibus emplastris, & eo quod ex dictamno apparatur, & quæ ex salibus quæq́; ex chamæleone constant.

De morsis ab aspide. Cap. XX.

Aspidum apud ferarũ scriptores tres species reperiuntur. Quædã enim ex eis terrestres appellantur. Quędam uero Chelidoniæ, & circa fluuiorum ripas, præsertim Nili, latibula habent. Aliæ uero Ptyades nominãtur. Terrestres quidem igitur maiores sunt, & quandoq; usq; ad quinque cubitorum longitudinem reperiuntur. Maximè uero Ptyades bicubitales sunt. Chelidoniæ autem, cubito maiores reperiuntur, & colorem hirundini similem habent. Ptyades uero cinereo sunt colore uiridiq́; & ad auri colorem declinãt. Terrestres uero ut plurimũ & ipsę cinerei sunt coloris, quanquã & subuirides reperiãtur. Cæterum accessiones & signa cõmunia sunt in his quos aspides momorderunt. Vulnera enim in demorso loco ueluti ab acu puncta inueniuntur. Bina quidẽ ex masculi morsu, ex fœmellæ uero quatuor, citra magnum dolorem, à quibus nihil effluit, nisi uiolentum animal sit quod morsum inflixit. Consequitur autem stupor, pallor frontis, refrigeratio, assidui hiatus, palpebrarum nictationes, colli inclinatio, capitis grauitas, segnities, & collapsio in somnum profundũ. Ad finẽ uero & conuulsio. Mors autem in tribus ad summũ horis ex terrestris morsu sequitur. In chelidoniæ uero ictu præsentissima adest. Porrò his qui à ptyade conspuũtur, caligo oculorum succedit, & cordis dolor, faciei tumor, ac auditus corruptio. Tardius autẽ mors consequitur. Auxilium autem ab aspide morsi ferunt, & præsertim quos ptyas momordit, ex acerrimi aceti potu: dandum autẽ est quousque aceti qualitatem circa dextrã præcordiorũ partem percepent: hepar enim in morsis ab aspide primũ aiunt sensu priuari. Cæterum ad prenotionẽ an uicturus sit percussus, centaureã cum uino tritam bibendã prębeto: si quidẽ enim euomet pharmacum, morietur: si nõ, uiuet. Quo uero malignitas ueneni distributi & in corpus digesti probè euomatur, allia trita cũ zytho exhibeto, donec nauseabundus reddatur. Aut opopanaca cũ uino diluto dato, & cõfestim uomitionem operabitur. Numius autem inquit: Origanum uiridem aut aridã pro ægri uiribus cum uino dato. Post uomitum antidotis theriacis utẽdum & communibus remedijs prædictis. Vtiliter autem ad plagam imponuntur, post cucurbitarũ adhibitionem & scarificationẽ, centaurea cũ myrrha & modico opio. Rumex autẽ si cataplasmatis modo imponatur, nihil læderur. Præter opinionẽ uero auxiliatur theriace tum plagæ imposita, tũ potata. Prosunt autẽ & assiduæ excitationes cũ euulsionibus & plagis, & uniuersi corporis motus, & aqua marina calida pro fomento aspersa.

De uiperæ maris & feminæ morsu. Cap. XXI.

Vipera fœmina colore quidem est subflauo, multis

instar rotarum notis exornata, magnitudine cubitali, longissima uero palmos tres æquat. Caudam autem habet aceruatim in tenuitatem desinentem, non paulatim imminutam, estque omnino carne nuda cauda & aspera. Oculi uero subrubri, & caput latius, & angustius collum. Ventrem autem sinuosiorem habet, & in gressu ad summum caudæ nititur, sensim uero inambulat, & quatuor habet caninos dentes. Vipera uero mas eiusdem est coloris: uerum caput angustius, & collum crassius habet, & uniuersum corpus tenuius, & quodammodo prolixius: gressum autem supernè circa uentrem firmat, & alacrius mouetur: dẽtes autem caninos solum duos habet, paulatim uero cauda ei imminuta est, quemadmodum & reliquo serpentium generi, non aceruatim uelut in uipera fœmina dixi, & per hoc sanè à fœmina differt. Reperiũtur igitur in eis quos uipera mas momordit uulnera in plaga bina: in his uero qui à fœmina demorsi sunt uulnera quatuor. Primũ autem ex eis excernitur sanguis, deinde sanies sanguinolẽta & oleosa: adest tumor biliosus, feruidus, bullosus, subruber, deinde liuidus & denigratus & proserpens. Os adest exiccatum, ardor, exolutio, & frigidi horroris insultus, aliquando & bilis uomitus, tormina, capitis grauitas, uertigo, pallor, singultus, febris, spiritus & anhelitus celer, color plũbeus, sudor frigidus. Mors in horis septem, aut ut longissimè absit tertia die, in his qui non seruantur, & maximè his qui à uipera fœmina sunt icti. Cõuenit igitur priusquã cruenta prodeant lotia, allij plurimum edere, & uinum meracum multum bibere, ac uomere. Efficacissimum enim in eis remediũ est allij esus, ac meracior uini potio, inquit Archigenes: adeò ut si quis multũ eius sustineat usum, itemque meri potum, nullo alio auxilio habeat opus. Dato autem citra dilationem theriacen ex uiperis bibẽdam, eandemque plagæ superponito. Quin & ipsam uiperam excoriatam & coctam, capite ac cauda & interaneis uisceribus omnibus reiectis, ueluti anguillã edẽdam prębeto. Caput autem amputatũ diligenter per uolsellam teneto, & morsui imponito ea parte adhuc calente quæ contigit collum: id enim extrahet uenenum. Aut quempiam qui ore plagam exugat adhibeto, qui, ut suprà dictum est in communibus remedijs, os prius habeat ex oleo collutũ. Aut gallinam dissecato, & internè adhuc calentem morsui imponito, atque hoc remediũ frequẽter ac assiduè repetito. Scarificare autẽ per ambitũ oportet demorsum locũ, & cucurbitas admouere. Postea uero fraxini folia tundito & exuccato, & succum quidem in potu exhibeto, quod uero ab expresso succo reliquum est ad morsum imponito. Est autem fraxinus arbor ex qua fraxinea appellata ligna cæduntur: est enim ualde efficax ad uiperarum morsus hæc arbor. Melissophylli item folia & succus cum uino potatus & uulneri impositus euidens auxilium confert, etiã si iam moriatur æger. Aiunt autem si quis melanthij drachmas IIII. edat, non moriturum. Similiter etiam melaphroditos herba efficax est. & cancri fluuiales cum lacte triti & potati & plagæ adhibiti. Magnificè etiã prosunt ranæ coctæ comestæ, & iusculum earum bibitũ. Præstat & nasturtium plurimũ edere, ac tritum quoque cũ uino bibendum exhibere. Facit autẽ mirabiliter testudinis sanguis exiccatus cũ syluestri cumino potatus. Vtendum etiã omnibus cõmunibus remedijs suprà relatis: superuacaneũ autem fuerit eadẽ sæpe scribendo repetere. Maximè uero utendũ est Anchusæ radice, & heliotropio cum uino. Dandus & hæmatites lapis. Auxiliatur & raphani largè in cibo accepti, deindeque uomitu reiecti. Statim uero à uomitu theriace Andromachi exhibeatur. Post scarificationẽ & gallinarũ impositionẽ plaga ex trifolij bituminosi decocto calido per multum tẽpus proluatur ac foueatur. Nã si pauco id tẽpore facias, peius afficiuntur. Deinde porrũ & panẽ cũ sale imponito, aut alliũ cũ aceto, aut cinerẽ ipsius exustũ, aut fraxini cinerẽ, aut alium quẽuis cũ aceto, aut hastulæ regiæ folia, aut sycomori folia cũ pane, aut lauri folijs teneris coctis & cũ oleo tritis locos intege prius quàm claudantur, aut caprinum stercus imponito cũ uino. Asclepiadæ epithema, ad uiperæ morsum. Sgapeni, piperis, laseris maximè cyrenaici, opopanacis, cuiusque unc. I. galbani sextãtem, sulphuris uiui sextantẽ. Succos aceto dissoluito & arida trita inspergito, & ad emplastri formam redacta plagæ imponito. Forinsecus autẽ folijs fici aut urticæ contegito. Aliud. Centaureæ, aristolochię, radicis peucedani, æquales partes contundito, cribrato, & aceto subigito, adiectoque galbano in emplastri formã reducito. Aliud. Canchryos, staphidis syluestris, aristolochiæ, radicis bryoniæ, singulorũ partẽ unã, opopanacis partes duas, aceto subige, & utere ut dictum est. Vtendum & prædictis communibus cataplasmatis & epithematis, maximè uero Andromachi theriaca. Aliud ualde bonum. Cancrorum fluuialium carnes terito, & adiecta iride & calaminthe rursus sufficienter terito, idemque rursus modico sale addito facito, & pastillos informato, quibus in umbra exiccatis utitor, in potu quidem ex aqua mulsa, aut uino: in cataplasmata uero, cum lacte dissoluito.

De dipsade. Cap. XXII.

Dipsas à quibusdam causus appellatur, estque uiperę species, quæ in maritimis magis locis reperitur, magnitudine cubitali, ex crassa in tenuem desinens. Notas autem habet per omne corpus fuluas & nigras: caput uero angustius. Sequitur autem ab ea morsos, præter ea quæ de uipera dicta sunt, & sitis intolerabilis planè, adeò ut etiam si multus eis potus exhibeatur, sitis non sedetur. Et tamen neque per urinas, neque per uomitum, neque per sudores quicquam excernitur. Duobus igitur pereunt modis, aut ob multam sitim exusti, si potum non sumant: aut ob multam expletionem distentus rumpitur uẽter, uel infernè circa inguina, uel circa imum uentrem, quẽadmodum in hydropicis fieri consueuit. Cæterum & his ueluti à uipera morsis auxiliamur: propriè autem in his potiones magis urinam cientes exhibeantur. Aluus item per infusum eluatur, & oleo cũ decoctionibus exhibito ad uomitum cogantur. Ad plagę uero locum post exuctionem, & scarificationem, & cucurbitularum affixionem, & dissectas gallinas, calcem uiuam cum oleo imponito, & emplastra adtractoria, & theriacen.

De hæmorrho & hæmorrhoide. Cap. XXIII.

Animalia hæc colore quidem sunt arenoso, magnitudine autem tres palmos æquant, & in tenuem ac angusta figura caudam paulatim desinũt. Sunt autem igneo

igneo oculorũ fulgore, rectaq́ꝫ & tardè proreptant. Per corpus uero multis notis albis & nigris uariegata sunt, & asperioribus squamis obsita, quapropter dum serpũt, sonus auditur. Et fœmina quidem uentri incumbens per terrã reptat, & gressum infernè circa caudam firmat: mas uero circa uentrem in gressu nititur, & collũ in serpendo extendit. Consequitur horũ morsum color icti loci cruentus, mali coloris & nigricãs: ex quo nihil in principio effluit, præterquàm paucum quippiam aquosum. Stomachi adest dolor, & spirandi difficultas. Deinde sanguis ex naribus profluit, & ex foraminibus ipsius morsus. Et quicquid est in toto corpore cicatricum, id rumpitur & sanguinem profundit: atq; hæc quidem in maris hæmorrhi morsu contingunt. A` fœminæ uero hæmorrhoidis morsu ad hæc & anguli oculorum sanguine manant, & gingiuæ dentium, & unguium radices: & ut simpliciter dicam, per omne corpus sanguinẽ efferri contingit. Dentes præterea excidunt, & gingiuæ putrefiunt. Horum porrò curam facere oportet, primum quidem sanguinis eruptioni obluctando ac resistendo per ea quæ aptè sanguinem sistere possunt, deinde cataplasmata plagæ imponendo ex folijs uitis coctis tritis cum melle, & portulacæ folijs cum polenta. Antea uero quàm cruenta prodeat urina, allium multum edant, & uinum multum dilutum bibant, & ad uomitum cogãtur: deinde confestim theriace exhibeatur, & postea pisces multos, allijs tritis, cum oleo tinctos, edant. Sumant item in cibo panem & uuam passam dulcem, & deinde uino diluto largè hausto uomãt. Plaga uero aqua frigida proluatur. Vesica autem spongijs calidis foueatur.

Præparatio sanguinis testudinis marinæ, & usus. Cap. XXIIII.

Testudinem super ligneum aut fictile uas supinam reclinato, eiusq́ꝫ caput statim amputato, & leuata ipsa sanguinem supposito uase excipito, & congelatum deinde per harundinem in multas partes secato, atq; operculi uice cribrum uasi superponito, & ad solem locato, siccatum uero reponito, ac utitor ad uiperæ morsum drachmis duabus exhibitis, ex poscæ cyatho uno: sequenti deinde die sicci sanguinis drachm. IIII. cum aceti cyathis duobus dato: & tertia deinceps, sanguinis drachmas octo, ex aceti cyathis tribus.

De ammodite, aut cenchria. Cap. XXV.

Ammodites magnitudine quidem cubitalis est: maior enim non pingitur, neque scribitur, colore uero arenosus, per corpus autem maculis nigris insignitur. Caudam autem habet prædurã supernè discissam. A` quibusdam uero cenchrias, hoc est, miliaris, ob caudæ instar milij duritiem appellatus est. Latiores autem maxillas quàm uipera habet, quumq́ꝫ in multis aliàs ei similis sit, colore magis discerni potest. uipera enim subflaua est. Cæterum ab Ammodite percussos festina ut plurimum mors sequitur. Qui uero breui non pereunt, his sanguis ex uulnere promanat, & uulnus intumescit, paulo pòst autẽ sanies effertur, sequiturque capitis grauitas, & animi deliquium. Qui uero optimè dispositi sunt, in triduo intereunt, quanquã aliqui usque ad septimum diem durarint. Celerius uero mors adest his qui à fœmina sauciantur. Auxilium porrò & hi ferunt, primum quidem à cõmunibus remedijs, utpote à cucurbitularum appositione cũ scarificatione per ambitum uulneris locorum, & superiorum partium constrictione, & ad ipsam plagam scalpelli admotione. Propriè autem eis auxiliatur mẽta cum aqua mulsa potata, castorium, cassia, & artemisiæ succus cum aqua. Danda etiã in potu theriace, eadem quoq; plagæ imponenda. Vtendum & emplastris attractorijs: postea uero cataplasmata, quæ ad nomas siue ulcera serpentia conducunt, imponenda.

De sepe. Cap. XXVI.

Serpens qui seps appellatur, lõgitudine quidem duorum cubitorum reperitur, ex crasso autẽ in tenuem abit, rectã uero ac tardè proserpit: caput habet latũ, os acutum: uniuersum autem corpus multis albis notis respersum. Cæterũ his qui ab eo percussi sunt, ex uulneribus manifestus sanguis excernitur, paulo pòst uero sanies graueolens, tumor & dolor languidus est: at affectæ partes putrefactæ dealbantur, ac totum corpus uitiligini (quę alphos appellatur) simili colore inficitur: defluunt capilli toto corpore, atque intra tres aut quatuor dies pereunt. Porrò opem & hi sentiunt ex eisdem rebus quæ in uiperæ & cerastæ & ammoditæ morsu relatæ sunt. Exhibenda est præterea portulaca multa in cibo, & uinum bibendum myrtites meracius. Conueniet item spongiam calido aceto imbutã morsui imponere, & ex butyro cũ melle locum illinire, aut miliũ cum melle, aut paleas unà cum terra eis adhærente exustas illinito.

De cenchrite siue acontia. Cap. XXVII.

Cenchrites serpens est magnitudine duorum cubitorum, figura autem crassa in tenuem abeunte, colore uiridi maxime iuxta aluum, ut milium colore referat: unde & cenchrias, hoc est, miliaris appellatur. Aiunt etiam hunc seipso fortiorem fieri, quum milium floret. Cęterum ubi se ad lædendum parat, extendit seipsum, ac ueluti iaculum uibratum corporibus inuolat, atque hoc modo uerberat. Ab huius morsu omnia quæ de uipera dicta sunt sequuntur, atque etiam grauiora, adeò ut etiam putrefactiones & carnium defluxus consequantur, ac grauior item mors succedat. Cæterũ remedia similiter eadem quę ad uiperæ morsum his conducunt.

De ceraste. Cap. XXVIII.

Cerastes magnitudine cubitalis est, longissimus cubitorum est duorum, corpore uero arenosus est, & iuxta caudam desquamatus: eminentias habet in capite duas, cornuum similitudine. Partes uero circa uẽtrem ex ordine squamis obsitæ sunt, quapropter in serpendo sonum sibilo similem edit, per obliquum autem non rectà proreptat. Cæterum percussis ab eo eleuatio ac tumor plagæ capitis claui similitudine insurgit, & sanies profluit uini colore aut nigricans, & maximè per ambitum, uelut in cruentatis ac sugillatis aliàs fieri consueuit. Reliqua item quæ in uiperæ morsu dicta sunt, etiã his succedunt, cum intensione uehementiori. Vt plurimum uero usque ad nonum diem supersunt. Remedia autem eadem quæ morsis à uipera conferunt.

De dryino. Cap. XXIX.

Serpentes dryini appellati abundant magis iuxta Hellespontum, latibula autem habent in quercuum radicibus. Est autem dryinus fœtidus, unde & si quis eum nõ uideat, fœtore loci cognoscatur. Est autem

cubitorum duorum longitudine, & obesus, ac asperrimis squamis circa uniuersum corpus munitus. In his ipsis squamis muscę pennis æreis latibula sua habere dicuntur, quæ tandem ipsos serpentes occidũt. Adeò autẽ malignæ ac nocẽtis naturæ est, ut si quis eum calcet modo, illius pedes excoriet, & tumorem ingẽtem circa crura inducat. Et quod magis mirum uideri potest, aiunt etiã Medici curantis ægrum manus excoriari. Si quis autẽ, inquiunt, animal ipsum occidat, omnia quæ odorat ab eius fœtore corrupta putat. Porrò qui ab eo percutiuntur, his tumor insurgit nigricans, dolor uehemens, nome, delirium, corporis siccitas, singultus, uomitus biliosus, aut omnino uomitus simplex, urinæ suppresio, tremor, interceptio uocis, stupor, scissura & mortificatio percussorum locorum. Plurimi etiã intereunt. Porrò & hi ipsi quoq; ex his quæ in uiperæ morsu dicta sũt, opem sentiũt, itemq; ex cõmunibus remedijs iuxta consequentium accesionũ proportionẽ adhibitis.

De amphisbæna & scytala. Cap. xxx.

Animalia hæc inter se similia sunt: non enim ex crassis in caudam tenuem abeũt, sed æqualis crasitudinis per totum existũt, ut neque cognoscant uidentes ea, iuxta utram partem caput aut cauda sint sita. Differt autem amphisbæna à scytala, in eo quòd ex utraque parte progrediatur: unde & amphisbæna Græcis est appellata. Galenus autẽ amphisbænam animal biceps esse dicit. De hac bestia ferunt, quòd si fœmina uterum ferens ipsam transgrediatur, conceptum malè pariat ac abortiat. Cæterũ ab utroq; animante demorsis, contingit morsum obscurum esse, ac uix apparere, ueluti sunt muscarum puncturæ: quapropter etiamsi mordeant, nõ enecãt tamen, uerum inflammationes inducunt, ueluti contingunt etiam ab apum ac uesparum stimulis. Quare transferãtur ad hos quoq; quæ de illis sunt relata, uerum facultate intensiore. Aiunt autem scytalam chalcidicã eiusmodi accesiones sequi, quales à uipera morsos. Vnde & ijsdem remedijs ad eius morsum utendum, & ut compendiò dicam, ad omnem uenenatæ feræ morsum: cuius speciei hic nõ reperis nomenclaturã, auxilia eadẽ quæ ad uiperæ morsum cõducũt.

De parea & spathiuro. Cap. xxxi.

Pareas serpens in Syriæ locis reperitur, colore autem alij quidem æs referunt, alij uero nigricãt. Morsum autem etiam si inflixerint, nõ enecant: uerum quemadmodum amphisbæna & scytala, ita & hic plaga sua tãtum inflammationẽ inducit. Quare ex ijsdem etiam curentur, & ex his quæ de chersydro referentur. Cæterum spathiurus in locis iuxta chalcidem magis inuenitur. Est autem animal ex crasso in caudam abiens tenuem, latum habens caput, ac mures comedens. Neq; uero hic morsu enecat, sed inflammationes tãtum inducit. Quapropter ab eis percussi itidem consimilibus remedijs curentur.

De peliade & elape. Cap. xxxii.

Signa quidem horum animaliũ apud ueteres non sunt descripta, utpote quæ omnibus sunt manifesta. Contingit à peliade morsis dolor circa locum, & putrefactio, non periculosa tamen, & uexatio ac obfuscatio oculorum, ex ueneni nimirum ad ipsos distributione. Curantur autẽ succo ptisanæ cũ oleo in potu exhibito, & oxylapathi decocto, & simplicioribus remedijs ad ictericos descriptis. Oculi uero lotio pueri uenerem nondum experti proluãtur tum per se, tum muria ammixta. Caput item similiter ex eisdem perfundatur. Post purgationem deinde corporis opobalsamum cũ melle illine, aut collyrium aliquod uisum acuens quod meatus rarefacere potest. Simul enim cum lacrymarum profusione & uenenum excernetur. Si uero dolor consequatur oculorum, eum lenibus collyrijs mitigare oportet, quæ tamen non stupefaciant. Elapis porrò morsum tormen uoluulosum consequitur. Aliàs communibus auxilijs curantur. Maximè uero his quæ tormina leniunt, & urinam cient.

De basilisco. Cap. xxxiii.

Hocce animal magnitudine est palmorum trium, subflauũ, & capite acuto. In capite autẽ eminentias tres habet. Vim uero super alia omnia reptilia maximã acquisiuit, ut nulla ex eis queãt uel sibilum saltem ipsius sustinere. Quin & si quod ex reliquis animalibus uenenum iaculantibus ad cibum aut potũ capiendum properet, & basilisci iuxta locum præsentiam persentiscat, retro cedit, necessarij etiã ad uitam nutrimenti negligens. Cæterum percussos ab eo totius corporis ardor comitatur, itemq; liuor: defluũt capilli è corpore confestim, & in instanti omnino tempore mors sequitur. Neque uero corpus ipsius mortui ullũ aliquod animal carniuorum attingit: si uero fame coactũ ipsum contingat, tum & ipsi illico eodem loci mors instat. Aiunt autem quòd conspectus modo, & sibilãs auditus, eos qui ipsum audierunt, tollat, similiterq; ab ipso conspectos. Quare uanum & superfluũ duximus auxilia cõtra eũ referre.

De draconibus. Cap. xxxiiii.

Animal quidem hoc uenenum non iacit, attractione autem & ui sua enecat. Abundant quidem igitur dracones in Aethiopia & Lycia: colore autem differunt: alij enim nigri sunt, alij rufi, alij cinerei coloris: & rursus alij quidem cubitorum v. sunt, alij uero x. sunt & qui ad xxx. cubitos se extendant: quidam etiam maiores narrantur. Squamis autẽ obsiti sunt per totum corpus asperrimis: magnos oculos habent, & supra oculos præeminentias quasdam similitudine pellium flexibilium superciliorum. In mento autem excrescentiam quãdam habent, quam barbam appellant: maximè hiante sunt oris rictu, lingua exerta, & dẽtibus magnis similitudine syluestrium suum, cum quibus etiam fracturas & collisiones corporum inferunt. Quare curationes ueluti ad mordentia animalia fiunt, non ut in his quæ uenenum iaciunt.

De chersydro. Cap. xxxv.

Serpens hic chersydri appellationem inde habet, quòd in principio quidẽ in aquosis degit locis, & hydrus appellatur ab ipsis aquis, hoc est, Natrix: postea uero siccos incolit locos, & ex compositione locorũ, chersydri, id est, natricis terrestris nomen inuenit. In terra itaq; degens, chersydrus appellatur, & tum sanè seipso sæuior redditur. Equidem in humectis locis ex humido uictu exatiatus, non purum uenenum habet: quũ uero terrestris fit, maximè merum & nocentius id acquirit. Cæterum similitudine est aspidis terrestris paruæ, præterquàm quòd ceruicem non ita latam habet. Hoc enim insigne solum aspides prę his habent. Qui igitur ab his morsi sunt, eis communiter eadem accedunt, quæ in aliorum serpen

serpentium morsu: ueluti est tumor, continuus dolor arsiuus, liuidus locus & feculentus, uertigo oculorum, exolutio, uomitus biliosi fœtidi. Propriè autem motus totius corporis inordinatus, ut & per uentrem quædam inordinatè feratur. Mors autem intra tres dies. Porrò ex cōmunibus remedijs etiam hi opem ferunt, & ex theriacis anditotis. Priuatim uero cupresi pilularum drachm. I. & myrti baccarum itidem I. drach. terito, & cum melle rosaceo aut uino mulso in potu exhibeto. Iuxta affectum autem locum calcem uiuā & similia cum oleo imponito.

De rana rubeta. Cap. XXXVI.

Rubeta, ranæ species est, quæ palustris uitæ conditionem in terrestrem mutauit, unde & rubeta appellatur: hac autē mutatione, similiter ut chersydrus, ægrè curabilem afflictionē eis qui in eam inciderunt, inducit: est enim animal magnitudine nihilo minus testudine parua: exasperat autē & uibrat terga dum spiritu expletur, atq; ob idipsum audentius euadit. Ad lædendū itaq; & manifestè insurgit, & saltibus interpositum spatium cōtrahit: rarò quidē morsum infligens, uerum anhelitū consueuit uehemēter uirulentum inducere, adeò ut etiam si anhelitu contingat tantū, eos qui propè sunt lædat. Plura autem de hoc animante historijs relata relinquimus, his tantum quæ cognitu utiliora iudicauimus, appositis. Cæterū qui ab eis læsi sunt, his omne corpus intumescit, & diffinditur, ac citò omnino pereunt. Porrò quę opem auxiliarē his ferre possunt, ex uniuersalibus & communibus antidotis ac epithematis huc transferantur, itemq; & reliquis quæ ad curationem pertinere uidebuntur.

De turture seu pastinaca marina. Cap. XXXVII.

Qui à marina pastinaca percusſi sunt, his uulneris locus manifestè apparet: sequitur autē dolor pertinax, & totius corporis stupor: acutum enim & firmum habet aculeum, quo uehemētissima ui in altū impulso nerui sauciantur. Quapropter in aliquibus mors derepente totū conuellēs corpus comitatur. Narrāt quidam, si quis caudā pastinacæ quæ ictū intulit, auferat, & in arborem, maximè quercū, suspendat ac figat, ipsam quidem arborē arescere, ęgrum autē sanari, atq; id iuxta contrariæ affectionis & remedij rationem cōtingere. Cæterum auxiliū ferunt percusſi ab ea, ubi stupor & refrigeratio totius corporis consequatur, ex calidis illitionibus & cōsimilibus cataplasmatis. Propriè autē furfures aceto cocti & pro cataplasmate impositi eis auxiliatur, & ipsum adeò acetū affusum pro fotu ualde prodest. Magis autem conueniunt eis attractoria, & quæ tenuiū partium sunt, ac calida, quo nimirum per attractoriā facultatem uenenum ex profundo attrahatur, & per calorem frigiditas mitigetur: & quæ tenuium sunt partium in altū proreptent. Ad hāc igitur rem in promptu habebis apta. Sulphur uiuum urina ueteri rigatum, marrubium, lauri folia, echium, radicem panacis, saluiam & similia. at uero si his careas, fermētum acidum cum liquida pice emollitum imponito: mirabiliter enim auxiliatur. Cum his concordat emplastrum Piscatoris, & ex bryonia pastillus tum impositus, tum ex uino calido diluto potatus, euestigiò autem utilitatem suam demonstrat: describetur autem in fine huius Sermonis. Dato item & lauri decoctum, aut succum cyrenaicum erui quantitate cum myrrha magnitudine fabæ, ac modico pipere terito, ac dato cum uino: aut silphium, aut laser ex uino: aut succi fici guttas quinque cum tribus serpilli granis bibendas præbe.

De murena. Cap. XXXVIII.

Morsis à murena eadem accidunt quæ morsis à uipera: quapropter etiam similia remedia eis adhibenda. Dato autē & fici succū cum serpillo, ut prædictū est.

De dracone marino. Cap. XXXIX.

Ad marini draconis plagam, locum percussum cum plumbo fricato, ipsumq; draconem dissectum plagæ imponito. Serpillum item tritum aut lenticulam coctam pro cataplasmate imponito. In potu uero absinthium cū uino diluto præbeto, aut saluiam cum passo. Mirè etiam his conducit ex bryonia & eruo pastillus cum uino potatus.

De scorpio marino. Cap. XL.

Scorpij marini plagam sanat mullus dissectus & impositus, sulphur uiuum cum aceto illitum. Lauri baccæ tres tritæ in potu acceptæ.

De culicibus. Cap. XLI.

Quandoquidem & hi hominū corpora lædunt, etiam de ipsis pauca dicemus. Culices fugantur cedrinorum lignorum scobe cum atramento sutorio suffito. Idem faciunt cupresi pilulæ, aut coma, aut ramenta: & uini fex sicca, & conyza, & bubulum stercus postquàm contraxerit nigrorem. Aut melanthium uel absinthium oleo coctum illine, & culices non appropinquabunt. Aut melanthium cum absinthio, aut cerusam cum atramento sutorio in bubulo stercore suffito.

De muscis. Cap. XLII.

Muscas necat, ueratrum album tritum, lacti, aut aquæ mulsæ inspersum. Aliud. Semen hyoscyami, & ueratrum nigrum, & argenti spuma simul trita, & cum polenta irrigata & subacta, butyroq; aut adipe nidorosa facta, & in massas coacta, & muscis exposita, ipsas occidunt.

Ad pulices. Cap. XLIII.

Pulices necat rhododaphnes, aut cumini decoctum respersum. Idem & aqua marina facit.

Ad cimices. Cap. XLIIII.

Vt ne cimices gignantur, chamæleonis nigri decoctū facit, si ex eo lectus proluatur. Deinde sutoriū atramentum cum felle tauri terito, ex eóque lectum illinito. Aut etiam oleum per se, aut cum atramento sutorio inungito.

De uenenis. Cap. XLV.

Ex animalibus exitiosa & letaliter corrumpētia, sunt cantharis, bupreſtis, salamandra, eruca pinorum, rana rubeta, lepus marinus, rana palustris muta, hirudines. Ex seminibus autem, hyoscyamum, coriandrum, cicuta, psyllium. Ex succis, papaueris succus, opocarpasum, succus thapsiæ, elaterium, succus mandragoræ. Ex radicibus, thapsia, aconitum, ixias, ueratrum nigrum, agaricū ephemeron. Ex oleribus autem, taxus, solanum furiosum, herba sardonia, papauer cornutum, ruta syluestris. In his etiam fungorum genera connumerantur. Ex animalibus uero, sanguis tauri, mel Heraclea Ponti urbe natum, lac coagulatum. Ex metallicis, gypsum, cerusa, calx, auripigmentum, sandaracha, spuma argenti, argentum uiuum. Ex his uero quæ nobis familiaria sunt, uinum multum acer-

uatim à balneo potum: similiter & aqua frigida aceruatim à balneo aut cursu ingesta.

Methodus præseruatiua ne quis à ueneno so pharmaco lædatur. Cap. XLVI.

Quòd si quis uenenum habeat suspectum, præcauere omnino oportet, prima cura ad hoc adhibita, ut corpus ita apparetur, quo læsioni ac ueneni impressioni minimè obnoxium reddatur: quam ad rem bona concoctio uel in primis conducit. Cibi autem ea gratia sumendi sunt boni succi & magis carnosi: animaduersione habita, ne quod obsonium cōsuetum non referat colorem, aut odorem, aut gustum, aut qualitatem. multa enim uenena à prouidis & probè considerantibus facilè cognoscuntur. Qui igitur in potu aut cibo uenenū suspectum habet, is signis certis quale sit id deprædendat. Ex odore namq; & amaritudine potus & cibi, opium cognoscatur. Ex colore autem cerusa, gypsum, calx. Ex his uero quæ in cibo & potu innatant, lac coagulatum, & recens mactati tauri sanguis. Ex fœtore autem & qualitate ac odore, rana rubeta, & lepus marinus. Quin & reliqua ex aliis quibusdam signis noscuntur, de quibus sigillatim amplius dicetur. Cæterum præseruantia sunt, quę si quis ieiunus præsumat, & pòst sumere uenenū contingat, minimè ab ipso lędatur: suntq; huiusmodi. Calaminthe quotidie accepta ex natura sua omni letali pharmaco resistit: & si in ueneni suspicione exhibeatur, destruit iam acceptam exitiosam facultatem. Theodorus autem ita inquit: Antidotus quæ incorrupta manens omnia uenena uincit, hæc est. Nucum iuglādium unc. I. caricarum pinguium sextantem, sesami unc. I. unumquodq; per se tundito, deinde etiam simul pistillo ex oleo optimo madefacto, & pastillos nucis Ponticæ magnitudine formato, ex eisq; unum aut tres dato, & non continget ipsum in uniuersum ullum aliquod letale pharmacum. Quidam etiam rutæ trientem ammiscent. Strato autem, commune est, inquit, hoc præsidium ab omni exitioso pharmaco præseruans. Rutæ folia XX. nuces iuglandes II. caricas II. salis grumum I. Hæc ieiuno præsumenda dato, & à nullo letali pharmaco lædetur. Alia antidotus Asclepiadæ, ad exitialia uenena, quæ antè data adseruat: si uero ab accepto ueneno detur, ipsum cognobile facit. Baccarū iuniperi drac. II. terræ lemniæ quæ sphragis dicitur drachm. II. contere, & melle aut oleo excipe. Vsu uero expetente ad nucis ponticæ magnitudinem ex aquæ mulsæ cyathis II. à balneo bibendum præbe. Hoc quidem igitur pharmacum si nulla letalis adsit uis, sumptum manet, neque per uomitum reiicitur. Si uero quippiam letale haustum sit, nauseam mouet, & uomere cogit, ut acceptum uenenum unà cū antidoto excernatur. Quidam dimidiam tantū partem lemniæ terræ, ex iuniperi baccis coniiciunt, & cum oleo omphacino subactis, similiter utuntur.

Quomodo cognoscantur qui uenenum sumpserunt. Cap. XLVII.

Cognoscere autem & discernere oportet eos qui tale quippiam sumpserunt ex signis quæ coincidunt & consequuntur. Vbi enim in aliquem placidæ & bene compositæ prius mentis, & bonæ itidem habitudinis, accedente etiam iusta ciborum concoctione, statim & derepente uariæ accessiones irruant, præsertim ab accepto statim cibo aut potu, ueluti si accedat tussis, aut fœtida sanguinis per os reiectio, aut molesta & ægra lotii excretio, aut dolor in alto nitens, aut ardor iuuenilis & uehemens, aut sensus erosionis, aut stuporis perculsio, punctura item, tremor, singultus, contractio, eruptio bullarum, liuor, tumor, coarctatio, quarundam partium putrefactio, uomitus fœtidus & plenus, manifesta alicuius uenenosæ qualitatis apparitio & demonstratio. Ex his omnibus si quid repente ab accepto cibo sano homini accidat, ueneno infectum esse hunc ipsum existimandum est.

Cōmunia remedia & cura omnis ueneni. Cap. XLVIII.

In his igitur qui ignari uenenum sumpserunt, aut quibus circumtectum exhibitum est, communibus remediis est utendum. Itaque ubi adhuc datum uenenum in uentre est, & ob id morsum & nauseam infert, aut etiā alias accessiones, euestigio ad uomitum infectus cogendus est, aut mox inde à ueneno uidelicet accepto, sua sponte, aut aqua & oleo tepidis in potu datis, aut butyro, si oleum nō adsit, cum aqua calida dato. Licebit & maluæ decoctum exhibere cum oleo, aut fœni græci, aut seminis lini, aut furfurum, aut ptisanæ succum, aut seminis urticę decoctū: unumquodq; ex his oleo ammixto. A uomitu autem raphanos multos edendos dato, aut cū aqua tepida tritos absorbendos: aut si hæc non adsint, nitrū cum aqua præbeto, rursumq; uomere iubeto. Post sufficiētem uero uomitum communia remedia paulò mox dicēda in potu exhibeto. Dato etiā id quod ex iuniperi baccis & terra lemnia est præscriptum. Quòd si uenenum antea ad intestina descenderit: & tormina circa umbilicum induxerit, clysteri efficacissimo aluū euacuare oportet, ex maluæ uidelicet, altheæ, fœni græci, furfurum, centaureæ, aristolochiæ, & similium decocto, melléque & nitro largo, itemq; oleo ammixto. In cibo uero exhibeatur raphanus, & salsamentum, alliaq; & cepę. At in potu, uinum recens mari mixtum. Si uero in uesicam impetum fecerit uenenum, in aquā & oleum utere desessu, ita ut in aqua ipsa fœnum græcum, ac lini semen, malua syluestris & satiua, ammiiq; semen sint decocta. In potu etiam idem ammii semen præbendum, aut apium, aut fœniculum, aut spicam nardi, & similia odorata, & simpliciora urinam cientia. Si uero uesicam rodat uenenum, cucumeris semen desquamatum & tritum cochlearii mensura ex passo diluto præbeto. Similiter autem & si uentrem uehementer exurat, idem semen dato, ab omni calidiorum rerum adhibitione abstinendo: & his quæ ad cantharidem & buprestim referentur utendo. Cæterum ad cutem iam delato ueneno, irrigationem adhibeto, & illitionē ex oleo modico calido, in oleū item aut aquam & oleum in solio desessum. Cibos autem facilè digestibiles & sorbitiones cū melle exhibeto: piscibus item recentibus teneris, & uolucribus facilè concoctilibus utitor. In potu deinde uinum album & rufum, uetus & quàm odoratissimū præbeto. Quòd si ad caput decurrat uenenū, ut grauitas & sopor consequatur, primum quidem aluus per infusum ex fœni græci, seminis lini, altheæ & cucumeris syluestris maximè radicis decocto subducatur. Deinde sternutatorium ex strutio & pipere adhibeatur, & cyclamini succus aut elaterii naribus infundatur; odoramenta item admoueantur castorium

rium, & similia cum aceto diluta. Praeterea & prꝑser uantibus praesidijs utendum est, eoq́ quod ex nucibus & caricis constat, & quod ex iuniperi baccis ac lemnia sphragide apparatur, & theriaca Andromachi ex uiperis, & Mithridatis antidoto, & consimilibus. At uero si composita nō adsint, parabilibus utaris, & cōmuniter ad omnia fermè uenena destinatis. Communiter autem ad omnia letalia uenena facit irionis semen cum uino & oleo. Lemnia sphragis cum uino: egregiè enim & quàm celerrimè uomitum procurat. Aut nuces iuglandes cum caricis & ruta edat, aut hęc ipsa decoquito, & decocto accepto uomat, aut seminis lini, aut maluae, aut foeni graeci decoctum cū oleo sumat. Porrò ad accessiones quae cum frigore incidunt, abrotonum in aceto mulso cū sale dato: item irionis semen, eryngij radicem, spicae celticae radicem, serpillum, bryoniae radicem, castorium, porri succum, laser, sagapenum, opopanaca, succum cyrenaicum, rutae syluestris semen. Polij etiā ac scordij & betonicae, cuiusque drachmam unam cum uino aut aceto mulso.

Ad eos qui cantharidas hauserunt. Cap. XLIX.

Qui cantharidas acceperunt in corpus, his statim uirus eorum in nares distribuitur odore picis. Picis item aut cedriae qualitas linguae inferri uidetur. Sequitur autem & stomachi morsus, uentrisq́ ac renum, & maximè uesicae. Quandoq; & sanguinis excretio per urinam & aluum fortes morsus concomitatur. Vnde sanè locus circa os uentris uehementer dolet, adeò ut ipsum pectoris os, quod chōdrum xiphoidea à capitis gladij figura Gręci appellāt, dolore affici putetur. Inflammatur autem & dextrum ilium: deinde urinae eijciendae difficultas, imò & supresio cōsequitur. Amplius autem & uis uisiua oculorum consumitur, delirantq́, & à loco in locum iactatur. Caeterum auxilium sentiunt, si quàm celerrimè uinum dulce eis praebeatur, nucleis pineis recentibus aqua calida praemaceratis ac probè tritis ei ammixtis, aut cucumeris semine decorticato similiter ammixto. Lac etiam assiduè cum melle modico primum exhibendum, postea & per se recens mulctum. Aliquando & adipem anserinum aut gallinaceum liquefactum potui adfundito, aut terrae samiae drachm. I. aut rosmarini drach. I. ex aqua mulsa dato. Dāda etiam iura pinguia porcina, aut ouilla, aut anserina: carnes etiam agninae, gallinarum, porcellorum recens natorum pingues ac probè coctae, & cerebella porcina. amplius autem de iure absorbendum praebeatur, donec affectus ad uomitum concitetur. Bibat insuper uinum dulce tepidum plurimum dilutum, ubi biberit autem, unumquodq; uomitu reijciat, rursumq́ bibens uomat, idemq́ saepe repetitis uicibus faciat. Post uomitū uero lac recens mulctū, aut prisanae succus, uel halicae, aut oryzae, aut maluae, aut seminis lini succus cū adipe anserino uel gallinaceo per clysterē infundatur. Quòd si exolutiones & morsus oboriantur, lac bubulum recens mulctum assiduè bibendum & citò reuomendum exhibeto. Aut uitis germina contusa cū passo diluto dato. At uero contrariae affectionis ratione quantum nihil aliud his auxiliatur cantharidū alae & pedes cū passo potata, & scorpij radix trita ex passo potata, quę itidē optimè ad buprestim facit. Dandum & ex uiperarum theriaca parum quid, aut ex Mithridatis antidoto. Porrò ubi accessiones fuerint sedatae, farina hordeacea cū aqua mulsa ilio imponatur, & uniuerso corpore ex oleo gleucino aut cyprino illito, aeger in balneum deducatur, & in solio diutius moretur. Cibis autem facilè concoctilibus, & acrimoniam lenientibus multo tempore utatur. Vinis item dulcibus & lactis potu.

De bupresti. Cap. L.

Buprestis species quidem est cantharidis, uerum uirosi tum gustus, tum odoris. Ab eius autem haustu uehemens stomachi & alui dolor consequitur. Intumescit item os uentris, uenterq́ ipse ac totum corpus attollitur, quemadmodum in hydropicis fieri consueuit, & lotium cohibetur. Caeterum eadem remedia quae ad cantharidas dicta sunt, etiā ad buprestis sumptionē exhibentur. Propriè autē post uomitū à iusculis pinguibus & passo cōcitatū, & post euacuationes per clysterē, ficus aridae pingues in cibo cōueniunt, & decoctū, ipsarū in potu cum uino. Cōmodissimū autē tum his, tum qui cātharidas acceperūt, est muliebre lac ex ipsis mamillis assiduè exuctum.

De eruca pini. Cap. LII.

Eruca pinus potata, statim dolor circa os & palatum oboritur, & linguę inflammatio fortis, & stomachi aluiq́ ac intestinorū adflictio uehemēs, cum pruriginoso circa interna sensu. Ardor itē per totū corpus, & stomachi fastidiū. Caeterū eadē his auxiliātur quę ad cantharidas sunt relata. Propriè autē oleum melinū pro simplici oleo exhibitū, & uomitu reiectum.

De salamandra. Cap. LII.

Salamandra animal simile est stellioni, asperius & scabrum magis quàm lacerta uenenata. Penetrat autem hoc animal per ignem ardentem, nihil'que laeditur dissecta & discedente ab ipso flamma. Si uero per tēpus aliquod in igne immoretur, consumpto frigido in eo humore, exuritur. Comitatur autem salamandrae acceptionem, inflammatio linguae: mens impedita & turbata: tremor'que cum stupore quodam & exolutione. Quaedam etiam corporis partes per ambitum liuescunt, adeò ut etiam decidant sępius putrefactae: primum equidem maculae albae per corpus apparent, deinde rubrae, postea nigrae cum putrefactione & defluuio capillorum. Danda uero & his quae in cantharide sunt relata, ut inde uomant. Propriè autem resinam pinus cum melle tritam delingendam praebe: aut etiam galbanum cum melle, aut nuces pineas tritas cum chamaepityos decocto: aut urticae folia lilijs incocta cum oleo. Praeter opinionem autem eis auxiliatur ranarum iusculum, si eryngij radices in eo coquantur.

De lepore marino. Cap. LIII.

Lepus marinus reperitur fermè in totum inter loligines, animal paruum, uirosum odorem habens. Concomitatur autem eos qui eum in corpus ingesserūt, sapor in ore similis piscibus uirosus: paulo uero pòst aluum dolitant, & color corporis ad arquati similitudinē permutatur, deinde plumbeus redditur, cum faciei tumore. Incenduntur autem pedis plātae, & pudendum tumefactum cohibet urinae effusionem: progrediente uero malo etiam caerulei coloris lotium emingunt, quandoq; etiam sanguinolētum. Deinde nauseabundi facti biliosa uomunt sanguine permixta, & piscium loturam olentia. Exudant itē graueolentia, & omne piscis genus auersantur ac

odio habent præter cancrum. His igitur lac asininum recens mulctum cum passo assiduè præbeatur, aut si hoc non adsit, bubulum, aut malum decoctum. Indeque confestim uomant, deinde radicis cyclamini tritæ drach. IIII. cum uino diluto dentur. Aut ueratri nigri drachmam unam, aut scammoniæ scrupuli duo cum bubulo lacte aut aqua mulsa. Aut mali punici acini, uel cedrides, hoc est, cedri fructus triti ex uino. Aut picem liquidam, aut cedriam modicam cum passo deligendam dato. Anseris item sanguinem adhuc calentē cū passo bibendū præbeto. Edat & cancros assiduè: piscem enim nullum admittit. Signum porrò salutis iudicabis, si piscem edere possit.

De rana rubeta. Cap. LIIII.

Ranæ rubetæ duæ sunt species: Altera quidem surda est: altera uero non. Surda autem exitiosa censetur. Pascitur autem in arundinibus roris lictu uiuens, ex ea sanè uenenum apparatur. Quod qui acceperint, febris comitatur, extremæ partes incenduntur, frequētique anhelatione ac difficili spiratione anguntur. Tumor autem sequitur corporis cum pallore buxeo intenso, fœtorque oris & singultus. Quandoque etiam seminis inuoluntarium profluuium contingit. Cæterum facilè opem reperiunt, si post aquæ & olei uomitum, uinum meracum multum sumant, aut picē cum uino. Radicem etiam harundinum, in quibus ranæ rubetæ pascuntur, contusam ex uino bibendā dato, aut cyperum ibidem enatam pondere drachmarum duarum ex uino. Aut marinæ testudinis sanguinem cum leporis coagulo & cumino ex uino præbeto. Porrò dolium insuper aut furnum igne feruefacito, igneque extracto laterem imponito, & ægrum immitti, multumque ac diu exudare iubeto. Cogatur autem & ad continentem inambulationē, cursumque ac exercitationem, propter contentum in ipsis stuporem. Vehementer enim efficax exercitatio in ipsis existit. Quotidie etiam lauetur.

De rana palustri. Cap. LV.

Qui ranam palustrem acceperunt appetitione priuantur, sequiturque oris humectatio, nausea, uomitus, & oris stomachi leuior morsus. Curantur autem uini multi potu cum omnibus quæ calfactoriam uim habēt: uelut est cyrenaicus succus, laser, silphium, cuminum, piper & similia.

De hirudinibus. Cap. LVI.

Hirudines cum aqua deuoratæ faucibus adhærent, aut iuxta quempiam stomachi locum, aut ipsi ori uentris: & primum quidem sensim exugunt sanguinē, expletæ autem his quæ deglutimus, uiam obstruunt. Superexpletæ uero etiam sanguinem quem exuxerunt foras profundunt, ut imaginationem inducant tanquam sanguis ex internis locis reiectetur. Cæterum qui affectis contingit exuctionis sensus, is signum sit tibi hirudinem deglutitam esse. Excutit autem ipsas muria continuè & paulatim absorpta, atque id eo magis si acida muria sit, & laser ei ammisceatur. Idē facit & nix aceto dissoluta & assiduè absorpta. Gargarisset insuper nitrum cum aqua, aut aquā marinam, aut atramentum sutorium cum aceto, aut sinapi, aut hyssopum, aut origanum. Si uero infernè circa os uentris hirudo adhæreat, prædicta itidem omnia bibenda dato, præter sutorium atramentum, utendum etiam his quæ aluum soluere possunt, aut medicamento purgatiuo. Cum excrementis enim exire consueuerunt. Nos autem per allij multi esum has eijcientes, nullo ex prædictis opus habemus. Quæ postremum gutturi affixæ sunt, hoc modo excutere oportet. Aegrum in solium calida expletum usque ad collum immittito, & frigidissimam aquam ore tenendam exhibeto, eamque frequenter permutato. Egredietur enim inde hirudo frigidæ appetentia prolecta.

De ephemero. Cap. LVII.

Qui ephemerum quod aliqui colchicum aut bulbum syluestrem adpellant, in corpus adsumpserunt, hos pruritus totius corporis concomitatur, non dissimilis ei qui urticæ aut scillæ irritamentis lacessitus excitatur. Circa stomachum insuper acrimoniam sentiunt & uruntur cum multa grauitate. Inualescente autem malo, per aluum cruentum quiddam ramentosam admixtionem habens effertur. His ueluti Salamandra accepta auxiliari oportet, per uomitus uidelicet assiduos & infusorum immissionem. Cæterum antequàm inualescat uenenū, querci foliorum, aut glandium, aut malicorij decoctū cum uino præbeto, aut origanum cum lixiuio, aut uuas passas pingues tritas cum lacte exhibeto. Mirabiliter autē auxiliatur lac bubulum recens mulctum assiduè potatum, & in ore detentum, ut alio auxilio nō sit opus.

De dorycnio aut solano furioso. Cap. LVIII.

Dorycnio siue solano, ut alij appellauerūt, furioso potato, in gustu ueluti lactis quædam qualitas sentitur, singultus adest continuus, humectatio linguæ, & sanguis aceruatim reijcitur, atque per aluum ramentosa quædam feruntur, quemadmodum in dysentericis fieri consueuit. Antè quàm uero quid tale consequatur, post uomitum & clysterem, aqua mulsa, aut lac asininum recens mulctum assiduè potatum auxiliatur, passum item tepidum cum aniso potatum & amygdalis amaris tribus: pectuscula etiam gallinarum probè cocta, & omne cōchyliorum genus crudum & assatum in cibo acceptum, & locustæ & gammari, & iusculum ipsorum in potu.

De aconito. Cap. LIX.

Aconitum uero quod quidam irim syluestrem appellant, statim dum potatur linguam edulcorat cum quadam adstrictione, deinde paulo pòst in lingua amarescit, & constrictio mandibularum concomitatur, & oris stomachi morsus, & laterum dolor, pectorisque grauitas ac præcordiorū: materia enim quæpiam circa umbilicum innititur, & cum multis flatibus consequentibus corruptio contingit. grauatur item caput & tempora contremiscunt, oculi uero turbatiores fiunt, & subcruenti, ac lacrymas profundunt. Quòd si diutius perseueret malum, etiam tremor ac concussio ac tumor totius corporis sequitur. Cæterum his post uomitus & infusa, origani potu succurrendum est, & rutæ, marrubij, absinthij, erucæ, abrotoni, chamælææ ac trixaginis cū uino. Aut coaguli ceruini, aut hœdi, aut leporis potu ex aceto. Aut ferri recrementū, aut ipsum ferrū, aut aurū siue argētū, aut lapidē molarē omnia igne candefacta in uino extinguito, ipsumque uinū calidū bibendū præbeto, aut lixiuium cū uino dato. Aut pullū gallinaceū tenerū & pinguissimum coquito, & decoquendo eliquato, donec ossa sola relinquantur, & iusculum per se uel cum uino bibendū exhibeto. facit & uitulinū pingue ius potatū, & uomitu

uomitu reiectum. Maximè uero propriè facit trixago potata & castorium, & iris ac ruta. Quanquam aliqui à nullo horum se auxilium sensisse asserant.

De melle quod in Heraclea Pōti nascitur. Cap. LX.

Hoc mel siue in potu siue in cibo acceptum easdem adflictiones infert quas aconitum: in Heraclea enim Ponti urbe aconitū gignitur, ex quo colligitur ibidem istud mellis genus. Conueniunt igitur eadem auxilia in aconito iam relata, & magis uticꝗ rutę folia ex uino mulso potata.

De coriandro. Cap. LXI.

Coriādrum potum ualidam & asperam uocem facit, & delirium furiosum, non dissimile illi quod ab ebrietate proficiscitur inducit, hoc accedente etiam quòd turpia dictu infecti loquantur, & per omne corpus odor coriandri transspiret. Auxiliatur autem eis uomitus ex oleo irino, & uinum meracum cum per se, tum cum absinthio potatum. Oua item in unum uasculum euacuata conquassata & tepefacta ex muriacꝗ absorpta, ius itidem pingue salsum tum anserinum, tum gallinaceum, passum etiam, & anisum in uino acido siue uappa sumptum.

De psyllio. Cap. LXII.

Psylliū potatum totius corporis frigiditatem inducit, & stuporē cum exolutione & mœrore. Auxiliantur autem his eadem quæ coriandro hausto.

De cicuta. Cap. LXIII.

Cicuta potata uertiginem & caliginem oculorum inducit, adeò ut necꝗ minimum cernere possint, singultum insuper ac mentis perculsionem & frigiditatem: sequitur deinde suffocatio, & segnities ac liuor, postremum conuulsi spiritu in respiratione supresso strangulantur. In principio igitur per uomitum ex aqua & oleo cicutam excutere oportet. quod uero ad intestinum delapsum est, per euacuationē expurgetur. Deinde tanquam ad maximum remediū ad passi meraci potum perueniendum, ita ut in interuallis meraci potus bubulum lac aut asininum recens mulctum, aut absinthium cum pipere in potu exhibeamus. Rutam item & castoriū ac mentam cū uino. Aut amomi drach. I. aut styracis drach. I. cum semine urticæ ex uino. Aut lauri folia, aut silphium, aut laser, aut succum cyrenaicum, aut apij semen, aut iridis radicem, aut seseli masilsilense, omnia ex uino dulci, aut nitrum cum aqua larga. Totum præterea corpus calefacere conducit & præsertim præcordia. Ad uehementiorem item motum, ac cursum æger cogatur.

De smilace seu taxo. Cap. LXIIII.

Smilax quæ & Thymion, atcꝗ apud Romanos taxus appellatur, potata frigus totius corporis & suffocationem inducit, & celerem omnino mortem. Cæterum remedia eadem quæ ad cicutæ haustum relata sunt, eis auxiliantur.

De succo carpasi. Cap. LXV.

Carpasi succus potatus soporē grauiorem inducit & sensus hebetat abscꝗ dolore, exudationē etiā facit, & repentinam suffocationem cum exitiosæ saniei reiectatione. Opē uero sentiūt ex his quibus curātur qui cicutam hauserunt, & toxicū, atcꝗ item ephemeron.

De herba sardonia. Cap. LXVI.

Herba quæ Sardonia appellatur, & ranunculi species est, potata furorem & cōuulsiones inducit, malascꝗ contrahit, ut risus imaginem de se præbeat qui eam hausit, à qua dispositione etiam sardonius risus non admodum boni nominis adagio uulgò circumfertur. Est enim accessio grauis omnino quæ falsi risus prætextu præsentem & insperatam mortem inducit. Cæterum qui eam hauserunt, post uomitum, aquæ mulsæ ac lactis potu iuuantur, fotucꝗ ac irrigatione & pinguefactione totius corporis, per calefactoria unguēta. Immittendi etiam sunt in aquam & oleum calidum, inūgendicꝗ ac fricandi plurima post egressum ex solio perfricatione. in uniuersum enim uelut ad conuulsionem curam moliri oportet: castorio itē cum passo & per se in potu dato, & si qua ei consimilia existunt.

De hyoscyamo. Cap. LXVII.

Hyoscyamus acceptus delirium quali ebrij obnoxij fiunt, inducit, & iactatione corporis cum distortione. his succedit exolutio animi deliquio similis, & oculorum rubor, pruritus: deinde tremor, suntcꝗ omnino deliri, & putant se flagris corpore cædi. Cęterum facile curantur aquæ mulsæ largo & lactis potu, si haberi possit, asinini. Id uero si non adsit, caprinum aut bubulum exhibendum. Facit autem & ad eos uinum salsum, & urticæ semē, similiter & folia cocta ex uino salso. sinapi præterea, & raphanus, nasturtium, cepe, & allia eis conueniunt unūquodcꝗ ex uino salso. At uero quiescere eos conuenit, ut uinum eo melius concoquatur. Auxiliatur etiam eis muliebris lactis exuctio.

De mandragora. Cap. LXVIII.

Mandragoræ radicem nemo latenter exhibere potest. etenim trita quidē liquida grauem quendam & nauseabundum odorem exhibet, & gustui etiam amarulenta est & iniucunda. Certa itidem copia & mensura ad lædendum exhibetur: de cætero uero molestias quidem facit, interitum autem serius inducit. Cæterum ex his qui radicem hanc hauserunt: alij quidem segnes & languidi tristescꝗ ac exoluti fiunt, & refrigerati in grauem ueternosum soporem delabuntur, & si quis eos excitet uix audiunt, & excitati cito rursus recidunt: Alij uero calidi quidem minime fiunt, uerum mente perturbati tarde in obliuiosum soporem incidūt. Cura itacꝗ adhuc perturbatis adhibenda est post uomitum, coriandri semine aut pulegio tenuissime trito in potu cum aqua calida dato, aut his quæ uentrem inferne exoluere possunt. Eis uero qui graui sopore pressi sunt, post uomitum, origanum ex aqua frigida exhibendum est: ualde enim inde iuuantur. Dandū etiam absinthium in passo diluto. Caput uero ex aceto rosaceo irrigandum est ægro assidue excitato. Odoramenta etiam naribus admouenda, castorium, ruta, pulegium cum aceto. Porrò mandragoræ mala perfectè matura à quibusdam comeduntur citra noxam, semine tamen reiecto: & si plura quàm oporteat edantur, plus somni quàm iuxta naturam conuenit, inducunt. Immatura uero & crudiora & præsertim cum semine comesta, maximum periculum inferunt. Sequitur ab eorum acceptione ardor circa superficiem corporis. Lingua uero & os exiccantur uscꝗ eo, ut necꝗ saliua hæ partes humectentur. Hiant semper, ore citra intermissionem aërem attrahentes. Et si non statim auxilium feratur, conuulsi pereunt. At uero si remedia afferantur, facile curabiles existunt. aquā nanque cum theriaca ex uiperis Andromachi

machi potantes ab omnibus molestijs liberantur. Vehementer autem iuuatur in aqua frigida natatione, maxime si aliquandiu in ipsa immorentur.

De succo papaueris. Cap. LXIX.

Quemadmodum de mandragoræ radice prædictum est, ita neq; papaueris succum quispiam latenter sano homini exhibere posit, propter saporis proprietatem & amaritudinem ac graueolẽtiam odoris, & quòd certa copia ad interitum inferendum exhibeatur, Quando igitur aliqui uoluntarie hoc pharmacum biberint, siue id manifestare noluerint, siue uolentes dicere non posint, per huiusmodi accesiones cognoscentur. Sequitur enim eos qui eum acceperunt in somnum grauem collapsio, cum frigiditate & pruritu intenso, ut aliquãdo ob ipsum excitetur, odorq; opij per totum corpus effertur & exhalat. Inferior maxilla laxatur, tumescunt labra, irruit singultus, distorquetur nasus, adest pallor, liuor unguiũ, præcordiorũ diuulsio, respiratio parua & frigida, & per interualla fissuræ ad finem etiam cõuulsio. Auxiliatur autẽ his post uomitionem ex oleo, & acrioris clysteris infusionem, acetum mulsum potatum, & acetum calidum per se, & uinum uetus, rufum, meracum, largum cum absinthio & casia, & nitrum cum aqua. Et origanus cum lixiuio, rutæ syluestris semen, piper & castorium ex aceto mulso, satureiæ & origani decoctum cum uino. Oportet autem & hos odoramentis excitare, & in calidum solium immittere, & fouere ob pruritum, post balneũ autem pinguia iuscula, & medulla ceruina exhibenda. Manifestum autem quod & his & omnibus qui etiam aliud uenenum sumpserunt, dari debeat theriace tum ante tum post uomitum.

De toxico. Cap. LXX.

Toxicum inde appellatum uidetur, quòd Barbari sagittas, quas toxeumata Greci uocant, ex eo illinirẽt. Concomitatur autem eos qui toxicum biberunt, labiorum & linguæ inflãmatio, furor adeo uehemens ut ægri uarijs imaginationibus obuersantibus coërceri non posint, atq; ob id adeo etiam ægre curentur, & raro aliquem seruari contingat. Vinculis igitur eos constringere oportet, & cogere ad pasi cum rosaceo potum, & uomitum per immisionem pinnularum. Deinde iusculum pulli gallinacei pinguis absorbendum dato. Auxiliatur autem eis rapi semẽ potatum, magis proprie autem quinquefolij radix, & sanguis hirci uel capræ, & cortex quercinus cum lacte tritus, & mala cotonea comesta, aut decoctum ipsorum potatum, & pulegium potatum, amomumq; & carpobalsamum ex uino. Quod si quis periculum effugiat, multo tamen tempore in lecto decumbet: Stupidus autem & dubiæ ac uacillantis rationis per reliquum uitæ tempus manebit.

De his qui ixiam hauserunt. Cap. LXXI.

Ixia quæ & ulophonõ appellatur potata saporem & odorem ocymo similem habet, linguæ autem inflãmationem fortem infert & furorem; recrementorum uias omnes obstruit, murmuraq; ac rugitus intestinorum cũ animi deliquio inducit, quum tamen interim nihil excernatur. Auxiliatur autem eis post largam uomitionem & uentris per clysterem subductionem, absinthij cremor cum uino multo aut aceto, aut aceto mulso potatus, aut syluestris rutę semẽ, aut silphij radix, aut tragorigani decoctũ cũ aliquo ex prædictis, uel cum lacte. Aut resinæ terebinthinæ & nardi & silphij cuiusq; obol. I. ex uino. Aut castorij & rutæ & terebinthinæ singulorum drac. I.

De chamæleone. Cap. LXXII.

A chamæleonis potu, morsus uentris & linguę tumor cum rugitibus intestinorum sequitur, facies distorquetur, & uomitus spumosus, & tremores, & concusiones, & totius corporis conuulsiones, ac uocis interceptio cõcomitantur. qui uero album chamæleonem hauserunt, etiam strangulantur. Cęterum curantur ex his quę ad fungos sunt relata. Datur eis & thlaspios & betæ succus, & triticeæ ptisanæ succus ex passo, absinthij cremor, & nitrum cum aceto mulso. ubi uero uomuerint, lac recens mulctum sæpe exhibeto, & aluum cum lubricis infusis eluito, uelut est fœni Græci & altheæ decoctũ. Præcordijs etiã fomenta ac calfactoria adhibeto.

De fungis. Cap. LXXIII.

Fungorum aliqui genere, aliqui copia noxij sunt. inferunt autem suffocationes strangulationibus non absimiles. quibus confestim prius quàm penitus uincãtur, auxiliari oportet, per raphani aut rutæ foliorũ largam comestionem. Dandum & nitrum bibendũ ex posca tepida aut aceto mulso, ita ut his liquoribus hyssopum, origanum, thymumq; sint incocta, atq; inde ad uomitum cogantur. mirabiliter autem iuuantur lixiuij ex sarmentorum cinere excolati potu, atq; eo amplius si ex pirastri ligno lixiuium sit factum, aceto ac nitro ad cinerem eius adiecto. syluestria uero pira, aut arboris ipsorum, pirastri uidelicet, folia cum fungis cocta strangulãdi uim ex eis tollunt, insuperq; ab eorum acceptione comesta, auxiliantur. Bibitur & cõmode aristolochiæ drach. I. aut absinthij ex uino, melissophillõ cum nitro, radix panacis cum uino. Nasturtium item uiride edat aut semen bibat. Cæterum Philagrius gallinaceum stercus album inquit, tritũ exhibemus ex posca aut aceto mulso, huius enim manifestum habemus experimentum quod ad fungorum strangulationes auxilietur. Oportet autem & acri infuso aluum euacuare. Quando uero quidam fungi à feris uenenum iaculãtibus arrosi aut infecti, aut etiã in locis ubi eiusmodi bestiæ latibula sua habent, enati, non modo suffocationem inducunt, sed & intestina exulcerant, absinthij & ficuum decoctum large in potu exhibẽdum est, & origanum cum melle, indeq; uomendum, deinde uero theriacẽ bibat, & in calidam aquã demittatur.

De sanguine tauri. Cap. LXXIIII.

Sãguis tauri recẽs mactati potatus in aluo in grumos cogitur, ægram'que spirationem inducit ac suffocationem; comprimit etiam os uentris, & cõtinuas cõuulsiones infert. Inuenitur autem horum lingua rubra & gingiuæ corrosæ, & sanguinis grumi inter dentes. in his itaq; uomitum uitamus, etenim grumi in ore uentris coadunati uomitum impediunt. Damus autem eis quęcũq; grumos dissoluere possunt. grossos igitur ex fico maxime syluestri succi plenos cũ posca & nitro dato, aut fici succum eodẽ modo, aut lixiuium ex cinere lignorum fici, aut ramulos fici tritos cum nitro & posca præbeto. at uero syluestris fici fructus etiã siccus comestus euestigio grumos dissoluit. Datur & silphij radix utiliter ex aceto, & amarantũ, & brasicæ semen, & conyzæ folia

cum pi

cum pipere & lixiuio. Aluus autem pinguibus & lubricis infusis eluatur.

De lacte in grumos coacto. Cap. LXXV.

Lac coagulatum aut multũ & aceruatim haustum, suffocationẽ aliquando infert in grumos coactum. Auxiliatur autẽ his coagulum omne, maxime uero leporinũ ex aceto potatũ. Etenim coagulũ recẽti lacti iniectũ ipsum cogit & inspissat, id uero quod iã coactũ est, ex natura sua dissoluit. Datur eis & calaminthæ uiridis succus, aut folia arida trita, & iuniperi baccæ. item ea quæ ad sanguinem in grumos densatum sunt predicta. Vomitum uero etiam in his recusamus, necq; quicquam omnino salsum exhibemus.

De Gypso. Cap. LXXVI.

Gypsum potatum in lapidem induratur, ac strangulationem inducit: quapropter eadem auxilia quæ ad fungos relata sunt, huc transferre oportet, ita tamen ut in his pro oleo, maluæ, aut fœni græci, aut ficuũ decoctum exhibeamus, aut oleum cum aqua mulsa. His item eadem decocta per clysteres infundenda.

De Cerusa. Cap. LXXVII.

Cerusa ob colorẽ suum latere nõ potest, accepta enim palatũ inalbat, linguãq; ac gingiuas, in quibus etiã pars aliqua cerusæ reperietur. Infert autem singultus & tusses, linguæq; ac faucium ariditatem: frigescunt corporis extrema cum delirio & mentis perculsione, & difficili motu siue torpore. His porrò aqua mulsa exhibenda est, aut ficuum & maluæ decoctũ, aut lac calidum, aut sesamum tritum ex passo, aut lixiuium ex cinere sarmentitio, aut oleum irinum. Omnibus enim oleum large ammiscere oportet, ab uno quoq; uero uomant. facit & scammonia cum aqua mulsa potata.

De argenti spuma. Cap. LXXVIII.

Argenti spuma potata grauitatem stomachi inducit, aluiq; ac intestinorum, cum torminibus uoluulosis intensis, quæ citra umbilicum maxime inniruntur. Lotium supprimitur, corpus intumescit, liuescit ac plumbi colorem induit, & articuli incenduntur, ac ardent. Ad finẽ uero & suffocatio sequitur. Confert igitur post uomitũ à decoctionibus lubricis factũ, hormini semen, & myrrhæ oboli tres ex uino, aut absinthium, aut apij semen, aut hyssopum, aut piper. Et columbinum stercus cum uino & oleo, aut cum uino mulso & oleo. Si uero nimiũ proflua sit aluus, lauacra calida, & carnes suillæ pingues assatæ cõueniunt, & aquæ potus, & oleum similiter in potu.

De Argento uiuo. Cap. LXXIX.

Argentum uiuum hydrargyros Græcis appellatũ potatum, eadem infert quæ argenti spuma. Consimilem etiam curam expostulat: Auxiliatur autem imprimis lac asininum recẽs mulctum potatum ac uomitu reiectum.

De calce, sandaracha & auripigmẽto. Cap. LXXX.

Calx, sandaracha & auripigmentum potata dolorem uentris & intestinorum cum uehementi morsu inducunt. Iuuantur autem succi maluæ potu, aut seminis lini, aut oryzæ, aut halicæ pinguibus iusculis potatis, aquaq; mulsa, & lacte calido, si ea assiduo uomitu reiectent.

De thapsia, ueratro, elaterio & agarico. Cap. LXXXI.

Ex his quæ homini ob cõmoditatẽ in usum ueniunt, aliquãdo uero pericula inducũt, est thapsia, ueratrũ album & nigrum, elaterium agaricum. Quandoque enim & hæc suffocationem inferunt & purgationem ultrà quàm oportet: Agaricum uero in quibusdam per aluum nõ subductum, tremorem & resolutionem produxit. Suffocationibus igitur, ueluti in fungis dictum est, nos opponemus, aut uelut de albo ueratro relatum est in tertio Sermone. Purgationes autem ultra modum factas per ea quæ cohibere possunt, sedabimus, & per ea itidem quæ firmitatem corpori addunt, de quibus similiter in tertio Sermone est prædictum.

De rutæ syluestris & melanthij nocumentis. Cap. LXXXII.

Lubricorũ & acrimoniam hebetantium decoctorum potu cum largo oleo opus habent, qui ea hauserũt.

De aceruato frigidæ aquæ potu. Cap. LXXXIII.

Frigida aqua aceruatim pota, aut etiam uinum meracum, aut passum, à balneo maxime, aut cursu, aut concitatioribus exercitamentis morsus & dolores inducunt. Verum in his statim uenam secare oportet, & per clysterem euacuare.

De strangulatis. Cap. LXXXIIII.

Strangulatis, adhuc tamen inspirãtibus, & aërem attrahentibus sternutatorium naribus admotum auxiliatur, & uenæ in cubito sectio. Piper autem ex aceto siue posca bibendum dato, & ad uomitum cogito. coartatis deinde colli locis aquam & oleum calidum adhibeto, aut anethinum calidum, aut adipem anserinum. lanis insuper mollibus collum amplectendũ est ac fouendum.

De his qui ex alto ceciderunt. Cap. LXXXV.

Ex alto præcipitatis euestigio auxiliantur uitis sarmẽta aquæ incocta, si aqua in potu sumatur. Quòd si æger potam aquam nõ ferat, sed uomitu reijciat, morietur. Si uero is qui cecidit, sanguinẽ expuit, & uenarum ruptura sit suspecta, sarmenta ipsa urito & aqua restinguito, ipsamq; aquam percolatam bibendam dato, quo inde sanguinis grumi dissoluantur. at uero sarmentis non præsentibus cinerem quẽcunq; pelluito, & lixiuio inde utitor.

De præseruantibus & præsagis animalibus. Cap. LXXXVI.

Quando uero & præseruatiua quædã ac præsaga animalia descripta sunt ueteribus, quæ iuxta contrariæ affectionis rationem uenena produnt, ex his etiam magis probata eligemus atq; hic apponemus, quo uniuersus sermo huius tractationis perfectior fiat. Piso itaque in libro de animalibus ait: perdicem qui domi nostræ connutritur uociferari ac clamare circumplicareq;, ac lacerare cortem in qua perdices cõnutriuntur, ubi cognouerit medicamentum quodpiam intra ædes parari aut aliud uenenum. Menelbus autem, aquila, inquit, intra ædes connutrita insilit & arcet eos qui talia moliuntur. Simonides uero pauonem tradit, cognito apparato medicamẽto, ad locũ prodire & clamare, seq; expandere & medicamẽtum ex uasis dispergere, aut etiam effodere, si quidem sit sub terra defossum. Aristodemus porrò ichneumonẽ domi nutritũ medicamenta sub terram defossa præsagire scribit. Pherecydes autem narrat psittacum marem obseruare & arguere ac nominatim deferre eos qui talia faciunt, aut in domum important. Cæterum post præscripta uenena, etiam antidotos multi usus & commoditatis, experimentóque cognitas ex ordine subnectemus.

De the=

De theriaca ex uiperis Andromachi. Cap. LXXXVII.

Ordiemur autem à theriaca Andromachi ex uiperis: Cuius admiratione ductus Galenus hæc de ea scribit. Quum multa discordia sit circa theriaces descriptiones, nos Andromachi descriptione ut lõge optima utimur, quæ etiam in regum usus apparatur. Fit autem apparatus eius hoc modo. primum quidẽ scilliticos pastillos apparare oportet, propterea quòd reficcatione per multos dies opus habent. Apparantur autem hoc modo.

Pastillorũ scilliticorũ præparatio. Cap. LXXXVIII.

Scillam accipere oportet recentem, probe coaltam, rufam & non ualde magnam, eamq; non, ut quidam faciunt, luto, sed fermento mundo integere, & in cacabos in quibus panes assantur inditam in furnũ ut assetur immittere. Deinde extractã per ambitũ purgare, & acceptis internis partibus tenerioribus eas ipsas probe terere, & farinæ eruinæ ex eruo rufo recenti factæ, duas tertias scillæ partes inspergere, ita ut erui quidem libræ sint duæ, scillę uero tres. Quãquam aliquando ex æquo ambo commisceantur. Hæc ipsa inquam, unire ac committere oportet, indeq; paruos orbiculos formare, rosaceo oleo in his conformandis adhibito, deinde in umbra reficcare, atq; bis per singulos dies uersare.

Hedychroi confectio. Cap. LXXXIX.

Ari, asari, amaraci, aspalathi, opobalsami, floris iunci odorati, calami aromatici, phu pontici, singulorum dra. x. xylobalsami, cinamomi, costi, cuiusque drac. XII. myrrhæ troglodyticæ, folij, spicæ nardi, croci, casiæ, cuiusq; drac. XXX. amomi drac. VII. mastiches drachm. V. uini ueteris odorati dulcis quantum satis est. Arida contundito & cribrato, crocum uero cum uino in pila diligenter terito, deinde myrrha & mastiche adiectis ac probe tritis, opobalsamum adijcito, ac arida inspergito, simulq; cõmissis omnibus pastillos tenuiores formato, uino in his conformandis adhibito: ipsos deinde pastillos in umbra refrigerato, singulisq; diebus uersato.

Pastillorum theriacorum præparatio. Cap. XC.

Cæterũ pastillos theriacos hoc modo apparato. Viperas fœminas accipito, nõ quocũq; tẽpore captas, sed desinente uere, nondũ uero inchoata æstate. si uero uer diutius hybernum sit, iuxta æstatis principium, non ita diu post uergiliarum ortum. quęcunq; enim uiperæ prægnantes fiunt, eas uitare oportet, neq; ad confectionem pastillorum adhibere. magis enim exasperatæ seipsis redduntur prægnantes. Ipsas igitur accipito quum in latibulis suis delitescere cessant, & de cætero in locos sub diuo egrediuntur, & non adeo malignum habent uenenum. intus enim delitescentia animalia, & calentis aëris ui minime percutis meatus resoluta, nocentiorem & magis exitiosam ueneni uim in se coaceruant. Sunt autem animalia ipsa subflaua, ingentia, & agilia: oculos subrubros habent, collum angustũ, & latius caput, & caudam aceruatim in tenuitatem abeuntem ac carne penitus nudam, uentrem autẽ sinuosiorem habent, & gressum circa caudæ summum firmant, caudã ipsam non circunuoluentia, sed magis contorquentia, & lẽtius inambulantia. His enim signis fœmina à mare dinoscitur, insuperq; quod quatuor habet caninos dentes, quum mas tantum duos habeat, & angustius caput, ac crassius collum, & totum corpus tenuius, caudamq; paulatim in tenuem desinentem, non aceruatim ut fœmina, neq; omnino carne nudatam. Cauere enim oportet ne mares uiperas in antidoti confectionem assumamus. Neq; uero minus etiam reliqua serpentum genera uiperæ similia uitanda sunt. Similis est autem uiperæ maxime quidem ammodytes, imò & hæmorrhus, & cẽchrias, & seps. Quos omnes ex prędictis in eorum tractatu signis dignoscere oportet, & præcipue ex colore. flauo enim & subfuluo colore uipera est, alia uero genera arenosi sunt coloris, aut fusca, aut nigricantia. Verum non oportet etiam prædicta de unoquoque signa alia negligere. Has sanè uiperas prædicto tempore eadem die aut præcedente omnino captas accipito. ac primum quidem ipsarum capita ac caudas amputato, in tantum sanè, quantum uideris in eis carne nudatum. At uero non amputationis tantum respectum habere oportet, sed & nũ statim ex anguia & immobilia ac omnino mortua animalia appareant: talia enim ut inutilia ad antidoti compositionem censenda. Si uero prædictis partibus amputatis, motũ quẽdam uideris in reliquo corpore superstitem, & animalia ipsa cruorem aliquandiu in se conseruent, hæc ipsa ut optima in antidoti confectionem sunt ammiscenda. Post hoc uero ipsorum pellem totam diligẽter excoriato, adipéque ac omnibus pectori insitis ut inutilibus reiectis, carnes ipsas ex duabus aut tribus aquis lauato, posteáque in ollam puram inijcito, & cõgruentem aquę mensuram affundito, ac anethi uiridis fasciculũ addito, subiectis'que lignis uitis coquito. Quòd si efferueat olla, solet enim assidue in decoquendo aquà ebullire & ex olla effundi, quotiescunque hoc ipsum contigerit, frigidam aquã irrorato. Modum autem decoctionis sufficiẽtem iudicabis, ubi carnes à spinis discessisse uidebis, penitus'que separatas, ut ne quid ex ipsis spinis inhærens carnibus te fallat. Ad manum deinde peluim apposită habere oportet mũdam, & ex iusculo cocturę aliquid cõtinentem, atque in eam ipsam depuratas carnes inijcere. facile enim reficcantur, & proinde difficulter conteri possunt. At uero ubi carnes ipsas puras feceris, ac manibus diligenter expresseris, eas põderato, & in pilam culinariam asperiorẽ conijcito, ac fortiter aliquãdiu terito, paulatimq; iusculum instillato. Vbi autem quàm tenuissime fuerint tritæ, panis purissimi recentis aridi non ex ueteri farina apparati contusi & cribrati, quartam carniũ partem addito, aliquãdo autem quintã solum: & rursus paulatim iusculi quod satis est affundito, ac in cõterendo quàm diligentissime unito: atq; ita pastillos mediocres tenues formato, modico opobalsamo in his formãdis adhibito. eosq; deinde in umbra siccato in domus superiore cœnaculo, ad meridiem, aut omnino ad septentrionẽ sito. Versare aũt ipsos assidue oportet quo æqualiter reficcentur, & ne aliqua pars diutius humecta permanẽs, putrefactioni obnoxia fiat, & periclitetur. Postquã uero ficciores fuerint facti, eos opobalsamo optimo oblinito, & in uitreo uase adseruato: ac quicquid puluerulẽti & albi ex eis per sitũ productũ est post dies aliquot linteo extergito. perforantur enim, si idipsum eis diutius adhærescat.

De reliquis quæ in antidotũ conijciuntur. Cap. XCI.

Cæterum simplicia pharmaca quæ cum tribus antea præparatis pastillis in antidoti confectionem conijciun

conijciuntur hæc sunt. Pastillorum scilliticorum drachm. XLVIII. pastillorum theriacorum, drachm. XXIIII. massæ hedychroi, drachm. XXIIII. piperis nigri drachm. XXIIII. opij Thebaici recentis, drachm. XXIIII. rosarum siccarum repurgatarum, drac. XII. scordij cretici, seminis buniadis agrestis, cuiusque drach. XII. iridis illyricæ non corrosæ, drachm. XII. agarici pontici albi, drachm. XII. cinamomi, drach. XII. aut casiæ duplum: succi glycyrrhizæ sicci drach. XII. opobalsami optimi, drach. XII. myrrhæ troglodyticæ drach. VI. croci cilicij drach. VI. zingiberis nō perforati, drachm. VI. rhei pontici recentis, drach. VI. radicis quinquefolij, drach. VI. calaminthæ montanæ, drach. VI. comæ marrubij in uigore consistentis, drachm. VI. cacuminum & foliorum stœchadis, drach. VI. petroselini macedonici, drach. VI. costi recētis, drach. VI. piperis albi, drac. VI. aut nigri loco eius drach. IX. piperis longi non corrosi, drach. VI. dictāni cretici, drac. VI. thuris masculi integri & in partes non comminuti, drac. VI. floris iunci odorati, drach. VI. terebinthinę chiæ, drachm. VI. casiæ fistulæ, drac. VI. spicæ nardi, drach. VI. radicis gentianæ, drac. IIII. comæ polij, drach. IIII. styracis calamitæ, drac. IIII. seselis masiliēsis incorrupti, drach. IIII. seminis thlaspios, drach. IIII. seminis ammij, drachm. IIII. comæ chamædryos drach. IIII. chamæpityos, drac. IIII. succi hypocysthidis sicci, drach. IIII. foliorum malabathri, drach. IIII. spicæ celticæ, drach. IIII. anisi helladici, drach. IIII. mei athamantici, drach. IIII. seminis fœniculi, drac. IIII. lemniæ terræ quę sphragis appellatur, drach. IIII. chalcitidis semiassatæ, drachm. IIII. amomi racemi, drach. IIII. radicis acori, drach. IIII. phu pontici, drach. IIII. carpobalsami, drachm. IIII. hyperici in uigore consistentis, drach. IIII. acaciæ liquidæ, drach. IIII. gummi uermiculati, drach. IIII. cardamomi drach. IIII. dauci cretici, drach. II. galbani puri, drach. II. opopanacis, drach. II. sagapeni persici, drach. II. bituminis iudaici, drac. II. comæ centaureæ minoris, drach. II. castorij, drachm. II. aristolochię tenuis, dra. II. uini ueteris dulcis quātum sufficit, mellis attici despumati libras X. aut quod satis est.

Modus conficiendi. Cap. XCII.

Apparatur autem antidotus hoc modo. Sex drachmas casiæ, & aliàs etiam XXIIII. quæ cinamomi loco sunt coniectæ, per se tundito ac cribrato. deinde crocum primum in pilam coniectum cum uino probe terito. atque ubi quàm tenuissimus factus fuerit, ei cribratam casiam addito, ac rursus infuso uino terito, ubi uero casia sufficienter fuerit trita, lemniam terrā cum uino modico in alia parua pila per se terito, & asphaltum siue bitumen similiter dissolutum ad crocum & casiam inijcito, ac rursus aliquandiu terito. Reliqua uero omnia herbacei generis cum tribus pastillis & cum castoreo tundito & per tenuissimum cribrum excutito. succulenta autem omnia, acaciam inquam, myrrhā, opium, thus, hypocysthidis succū, & glycyrrhizam, opopanaca, sagapenum, galbanū & gummi contusa, in competenti uini mensura una die antè macerato. Styracem uero in pilam magnam ac amplam coniectum cum opobalsamo terito, & priuatim unito. deinde & præmacerata succulēta in pilam inijcito ac probe terito, atque si opus fuerit, uinum paulatim affundito. postquam autē & hęc sufficiēter fuerint trita, styracem antea tritum, & casiā, & crocum & quæ cum eis sunt adijcito, & diligenter unito. Chalcitidis deinde bonæ sexuncem aut amplius in ollulam paruam nouam ampli oris inijcito, et supra carbones ardentes imponito, ac chalcitidem assidue cum pura rudicula agitato. Quum uero liquefieri cœperit, & lutosam subsidentiam acquisierit, statim ab igne auferto, positáque in terrā ollula quo uniatur diligēter agitato, coagmētatāque paulisper sinito. Deinde ablato & abiecto eo quod in superficie siccius & rufum apparet, ex medio quod uiridius est & molle apparet, accipito, ac quatuor drachmas ponderato, easque in mediā pilā inijcito, in qua reliqua prius trita habes, cum modicoque uino in uno aliquo pilæ loco dissolutas, cum reliquis cōmittito, ac modico addito melle despumato unito. Postquam uero chalcitis ad reliqua trita fuerit admixta, omniaque nigrum acceperint colorem, tunc addito etiam terebinthinam cum modico melle prius dissolutam. Qua deinde ammixta, arida etiam cōtusa & cribrata adijcito, & reliquum item mellis paulatim ammisceto. postea cum magno pistillo omnibus quàm diligētissime unitis, antidotū ipsam in mortariū transfundito, & pistillis ligneis ex grauissimo ligno & politissimo fabrefactis, eam ad solem expositā in mortario tundito. deinde probe contectā sinito, & rursus post triduū aut quatriduum ad horas tres tundito, atque id donec quadraginta trāsierint dies facito: deinde uasis uitreis modico melle despumato prius imbutis excipito. neque uero uasa ualde expleto, sed locum quendam quo transpirare pharmacum possit relinquito. probeque contectū ac obligatum adseruato. Hæc quidem igitur omnia ad pharmaci uirtutem ac conseruationem sunt descripta. Vt autem nigrum fiat, nō scio quomodo in consuetudinem uenerit, & sanè quisquis hunc colorē in eius apparatu nō adsequitur, is irridetur. Modus uero adsequendi omnibus in promptu est. Nosse tamē operæpreciū est ex colore pharmaci, uim ipsius minime permutari. Quòd uero circa colorem pharmaci offendamus & delinquamus, ob chalcitidem est plus iusto ustam. si enim paruum superuratur rubicundiorem antidoti colorē reddit. Si uero amplius, non rubicundiorem, sed à naturali parum immutatum facit colorē. Per mensem porrò antidotū ipsam uisitare oportet, & rudicula munda agitare, ne id quod in superficie est, & quod uasi cōtiguū adhęret, exarescat. Cæterum tempore ad concoctionem non modico opus habet, quo matura usui antidotus fiat, & iuste concoquatur. Vt plurimum uero per duodecim mēsium tempus coadunatur, & cōcoquitur.

Post quantum tempus ea sit utendum. Cap. XCIII.

Qui uero ipsa magis uigente & ualidiore uti uolunt, etiam post unum mensem ea utuntur, præsertim ad eos qui à uenenatis bestijs demorsi sunt, & à uenenosis pharmacis infecti. hi enim quū grauiore malo urgeantur, potentiore etiam ab antidoto auxilio opus habent.

Quanto tempore efficax sit. Cap. XCIIII.

Est autem pharmacum ualidum inquit Galenus, usque ad XXX. annum in his affectionibus in quibus non tanta est nocentis causa. Quòd si uero per tempus siccior fiat antidotus, eam in mortarium coniectam & pistillo tritam, optimo melle despumato affuso, rursus unire ac excipere oportet, atque id quotiescunque

ex gal. l. antidot. x

aridior facta fuerit, faciendum est.

Modus probandi theriacen. Cap. XCV.

Multi igitur ipsius potentiæ probandæ ac cognoscendæ gratia, aliquod purgatiuum pharmacum prius exhibent, deinde ab eius acceptione antidotum bibẽdam præbent, atq; hoc modo eius iudicationem per cõparationẽ quandam faciunt. Si enim ualida & ui gore efficax fuerit, purgationẽ fieri minime permittit, sua ui exuperãs pharmaci purgatiui facultatẽ. Si uero æque purgetur homo, ueluti si antidotũ nõ accepisset, manifestũ fit eam inualidam & exilem esse, ut quæ retinere non potuit purgatiui medicamenti fluxum. Quidam uero papaueris succum duorum scrupulorũ pondere aqua dissoluunt, eumq; cani aut gallinæ uel columbæ bibendum præbent. Deinde etiam confestim antidotum dissoluunt, ex eaq; nucis ponticæ magnitudinem ori animalis infundunt, neq; quicquam mali inde comitatur.

De exhibitionis mensura, & utẽdi modo, & in quibus conueniat morbis. Cap. XCVI.

Cæterum facultatis eius mensura non eadem in omnibus hominibus existit. Sicut neque liquor idem est, in quo dissolutam ipsam exhibemus. In uenenatis namque pharmacis, aut uenenum iaculantis animalis plaga, nucis ponticæ magnitudine in uini cyathis tribus dissolutam bibendam præbemus. In aliis autem affectionibus tum mensura, tum liquore diuersimodè utimur: Secundum affectionum enim diuersitatem, etiam pharmacorum quantitatem competẽter metimur, & conuenientem similiter liquorem eligimus. Non enim solum ad bestiarum morsus & uenena à natura sua auxiliatur, sed & ad alias magnas affectiones auxiliare pharmacũ per usus experientiã à nobis inuentum est. Capitis igitur dolores diuturnos & uertigines sanat: Auditũ grauem & uisum obtusum potu sedat, quãdoque & gustus organũ debilitatũ emendat, & comitiali morbo auxiliari consueuit. Auxiliatur & suspiriosis, & qui orthopnoici dicũtur ex aqua mulsa potata, dissecãs & attenuãs ac facile eductiles reddens coactos & uiscosos humores. cõmodat ueteri ac recenti tussi, & quibus pectoris aut laterũ partes dolent, magnitudine fabę, febre carentibus ex uino mulso, febricitantibus ex aqua mulsa. Cõuenit & sanguinẽ per sputũ reiicientibus siue ex pectore, siue è pulmone eductio fiat, siquidẽ recens sit elatio cũ posca, inueterato autẽ malo ex aquæ cyathis tribus. præstiterit autẽ aquã ipsam radicis symphyti decoctũ esse. Datur autẽ fabæ ægyptiæ magnitudo ad noctẽ & mane. Sępe uero & stomachi uitia curauit, & fastidiũ eius, ciborũq; inappetentiam in eorum desyderium & appetentiam suauiter commutauit. Quin & uentriculi difficilem concoctionem & imbecillitatem corrigit, similiterq; & stomacho inflatos, & intestinis tortos, aut colum dolentes placat. Aliquando autem & cholericę affectioni præclare auxiliatur, corporis miscellam corroborans, & plerasque cohibens fluxiones. Maxima uero eius efficacia in his qui ex oris stomachi morsu animo linquuntur, cardiacos Græci appellant, apparet. præ multis enim & assiduis sudoribus corpore diffluente, & uiribus exoluto, quum ex uini potu sępe nihil opis sentiant, antidotus ipsa potu sudores sistit, & uires concidentes uelut erigit ac fortiores reddit. Lumbricorum etiam omne genus mirabiliter ex intestinis exigit, & hepaticas omnesq; inueteratas affectiones sæpe curat. Arquatum item morbũ ex aliqua hepatis affectione obortũ strennue sanat. Quandoq; & induratos lienes liquefacit, sordibus eorũ & superflua substãtia paulatim cõsumptis, atq; hoc cum aceto mulso data præstabilius facit. Deterit & lapides renũ, omnéque terrenum & sordidũ ex illis repurgat cũ decocto petroselini, difficilem itẽ mictionem uesicæ compescit, & in ipsa ulcerationes quandoq; persanat. Laudatur & ob id, quòd omnẽ insultum diuturni rigoris & algorem tollat, bilisq; uomitum accessionis exacerbationum tempore aliquando concomitantem sedet: Maxime uero quartanis cõducit, si quis ea ingeniose utatur. Ego igitur, inquit Galenus, multos quartanarios hoc ductu usus facilime liberaui. primum quidem eos per uomitũ à cœna euacuaui: Deinde sequenti die mane absinthii cremorem exhibui, atq; ita duabus horis ante accessionẽ antidotũ ipsam dedi: & mirabiliter adeo sępe successisse noui, ut cõfestim nulla accessione qui accepisset, impeteretur. Verum utendi tempus nõ in principio morbi est, sed quum perfecta concoctio in urinis apparet. Etenim si in principio morborum siue ipsa, siue aliud pharmacum præbeatur, congeminat morbum. Datur & hydropicis cum sisari decocto & similibus, & eam præsertim quæ aqua intercutem & Græcis leucophlegmatias appellatur, generose iuuare consueuit, per totũ corpus digesta & distributa, atq; undiquaq; ex carnibus exprimens humorẽ. Quapropter etiã his qui malo corporis habitu præditi sunt, optimum pharmacum existit, & elephantiasim sæpe curare solet, corruptionem corporis fieri prohibens: Et rigore neruorum conuulsis plurimum auxiliatur: Et membrorum resolutiones in potu accepta sæpe persanauit. Credita est & fœminis menstruas purgationes ciere, & immortuos fœtus eiicere, quos natura propter debilitatem expellere non potest. Danda itaq; eis ex passo aut aqua mulsa magnitudine fabæ, ruta tamẽ aut dictamno in prędictis liquoribus decoctis. Podagra etiã affectis & articulorum omnium fluxione infestatis opitulatur, maxime quum augmẽti tempus præterierit, & status acuminis institerit. doloribus enim sedatis per ea quæ eos mitigare possunt, antidotũ in potu præbere oportet. Illatos enim fluores consumit, & alios inferri impedit. Maxime autem profuerit si sani adhuc ipsam accipiant. Superfluos enim humores expendit & totam corporis miscellam permutat: Multi igitur in principio podagræ per assiduum eius potum perfecte ab affectione sunt liberati. Admirari porrò subit antidotum, quum ipsam nõ modo corpori medentẽ uidemus, sed & ipsum animum sæpe ab affectibus male dispositum iuuare potentem: Ex atra bile enim obortos animi affectus ipsa sedat: Etenim assidue exhibitum pharmacum ex uenis & uicinis partibus atram bilem uelut exhaurit & consumit, quemadmodum etiam ex ferarum ictu illatum uenenum: Quin & aquæ formidinẽ pessimum morbũ, quo à cane morsi laborãt, sæpe tollere cõsueuit, atq; ita mirifice tantorum malorũ cõcursum impugnat. Cognita est præterea nobis antidotus, ut quæ in pestilentibus constitutionibus peste appręhensis unice auxiliari potest: Eos uero qui eã præbiberint pestilenti affectione appręhendi prohibet: Ipsa enim uelut

uelut temperamentum quoddam & sanam constitutionem corporibus inducit, redundantes humores consumendo, & refrigeratas partes concalefaciendo, insuper & innatam facultatem corroborans, ad naturales actiones probe obeundas. Cæterum in peregrinando maxime cõsulo ut ea utaris, quum frigido existẽte aëre per hyemem iter facis. Est enim ueluti bonum uiscerum indumẽtum, quod plurimam caliditatẽ ipsis exhibere potest. De Mithridate sanè magno illo belli duce referunt, quòd theriacem quidem non biberit, neq; enim adhuc in usu erat: uerũ ex alterius antidoti, quæ postea Mithridatica ab illo appellata est, usu, ita corpus apparauerit, ut nulla ueneni ui lædi posset, & quum etiam letale pharmacũ accepisset, mori non posset. Quum enim ab hostibus uinceretur, seipsum interficere urgebatur, quando plurimo ueneni haustu morẽ sibi cõsciscere nequiuisset: Quapropter uocato quopiam ex amicis ei iugulum præbuit. Quare uides multæ mixturæ pharmaca multam etiam uim habere, quo corpora ex eorũ usu corroborata, nullis ueneni affectionibus uel raro & difficulter admodum obnoxia reddãtur, atque hac facultate uel in primis theriacem præditam esse constat. Porrò tempus exhibitionis commodũ est, quum probe concoxerit, ipsam accepturus, neque ciborum copia sit oneratus. Bibat autẽ ieiunus, quo sufficiens tẽporis interuallum supersit ad ipsius pharmaci concoctionem. Anni præterea tempus, simulq; regionem inspicito, in quibus ipsum es exhibiturus. Aestate enim neque in totum dabis. Quapropter etiam eis qui in ætate uigoris sunt, & plurimum habent naturalem calorem, neque multum, neq; sæpe pharmacũ ipsum exhibere moneo: Quẽadmodum contrà eis qui iam uergente & adfecta ætate sunt, tum plurimũ, tum sæpe cum aqua, quanquam potius cõsulam ut cũ uino accipiatur. In pueris uero pharmaci exhibitionẽ omnino uitare oportet: Maior est enim pharmaci facultas quàm uires eorum tolerare possunt, & corpus sanè facile dissoluit, & insitũ spiritum cito extinguit: Quemadmodum & lucernæ flammam oleum ipsum, si ignem superet, facile extinguit. Atque ego uere id narrare possum, inquit Galenus, puerum quendam ab intempestiuo antidoti usu exolutum esse. Omnẽ nãq; ipsius habitum pharmacũ ipsum dissoluit, & uẽtrem fluore cõmouit, atq; ita noctu puer expirauit. Quòd si aliquando calidiorẽ regionẽ inhabites, uitare oportet antidoti usum, sufficiente tibi illius loci aëris calore. Vnde neq; hominibus qui sub primo solis ortu habitantes calidissimi sunt, & multum habent illius regionis calorẽ, antidotum theriacẽ cõuenire puto.

Sales Theriaci ex libris Martiani, cum quibus consentit Galenus. Cap. XCVII.

Sales ex uiperis hoc modo apparantur. faciunt autem & ipsi ad omnia prædicta moderate, per assiduum usum commoditatem exhibentes: quanquam sint qui eorum auxiliarem potentiã penitus negent, per exustionem dissipari affirmantes ferarum facultatẽ. Ego uero dicere ausim, eandem quidem potentiam cum theriaca sales non habere, non tamen eorũ uim per ignem perire, quum multa sint quæ per ignis familiaritatem meliora reddita conspiciantur, uelut est aurum, & calx, & similia. Viperæ enim integræ ustæ intensiorem & malignam uim per exustionem deponunt: Temperamentũ autem auxiliare & symmetriam ab igne sumunt. Proprie autem in affectionibus cutis curandis sales commendantur, cuius generis sunt leuce, lepra, impetigo agrestis, elephantiasis, alphos, scabies agrestis, & raritas ac defluuium capillorum. huiusmodi enim cutis uitia confestim delent, & acria recrementa subter cutem redundantia optime discutiunt. Plerisq; enim ex eorum esu sudor prolicitur, atq; ita per exudationem corrupta substãtia euacuatur, adeo ut quidã in principio pediculos excluserint intra XIIII. ad summum dies: post hos enim nullus in corpore pedũculus apparet. Quidã uero pro pediculis sputa pituitosa reiectãt à saliũ reiectione initium faciẽtes, deinde paulo pòst etiã sputa repurgata sistuntur. Licet autem tum in prandio, tum in cœna eis uti, cum quibuscunque edulijs eos accipere uelis, neque ultra ad eorum acceptionem prouocare oportet. Tanta enim ipsis insita suauitas est, ut magis uoluptatis gratia eos cõfectos quis dicere possit, licet igitur usque ad III. cochlearia per diem ex eis sumere, maxime si cibus prius in uentre sit probe concoctus. Qui enim eos accipiunt, concoquunt melius & cibi appetentiores fiunt, floridius etiam corpus habent, & sensus omnes uegetiores. Suffusiones igitur incipientes & nondum congelatas egregie dissoluũt, neq; plane quis suffusionem incurrat qui eos quotidie accipiat. Purgationes itẽ lunares propter obturationem aliquam aut sanguinis coactionem suppressas cient. Iidẽ etiam largum & impetuosum mensium defluxũ sistunt. Quisquis autem eos præsumpserit omnes uenenorum, & uirus iaculãtium bestiarum insidias euincet: neq; etiã quum infectus fuerit, & postea statim sales acceperit, periculum incurret, maxime si corporis sui tẽperamentum per horum salium usum multo tempore appararit ac ueluti condierit, quemadmodum Mithridatem fecisse dixi. Præstat & pestilenti constitutione instante ad auxiliare hoc & mali depulsorium pharmacũ confugere, præsertim si ei myricæ herbã ammiscueris. Morborum præterea omnium medici sales existunt, maxime tamen eorũ qui in renibus cõsistunt: lapides enim in eis atterunt, & plane marcidos renes restituunt. uertigini uero & dolori capitis inueterato, morboq; comitiali nulla alia consimilis medela exhiberi queat, si quis eos per integrũ annũ ex ordine large sumat. Noui & arquatos diuturnos, & splenicos, ac colicos, qui frequenter hanc affectionẽ inciderunt, per eos sanatos, hydropem etiã maxime subter cutem per eorum usum reficcaui & ingentem famem, bulimon Grçci dicũt, dissolui. Vt quis etiã per frigidum aërem iter faciens minus frigore lædatur, comesti faciunt. Rigores autem per circuitum repetentes diuturnos cohibent, & tusses humectas reficcãt. Tabidos uero iam mirabiliter ad bonam corporis habitudinẽ reduxerunt paulatim edulijs adspersi: Exolutos autem à languore perfecte reuiuiscere faciunt. Scio nãq; plurimos membris penitus resolutos per ipsos sanatos. Ad podagrã demum maxime incipientem, & omnino ad omnes articulari morbo affectos unicũ hoc edulium cõstructũ esse uidetur. Adhortor igitur eos qui à podagra liberati sunt, ut eis continue utantur. Quidam uero uiperas totas extẽdunt & siccant, posteaq; terunt ac eas in potu contra morbum articulorum exhibent. Cęterum

uix satis dignis uerbis assequi queas, quantū diuturnas quartanas & deliria ex atra bile oborta dilatent & remorentur, si ante accessiones, & in interuallis quoq; sumātur. Enecāt itē omne lumbricorū genus. optimum est etiā per ipsos maxime crassiores, dētes confricare. Nō enim albiores tantū eos reddunt, sed neq; dens postea laxior factus mouebitur, neq; erodetur, neq; stuporem incurret. Extrahūt etiam per caput recrementorū copiam, ac caput purgant, & oculos leuiores reddunt. Apparātur autē hoc modo. Viperas accipere oportet magnas, eiusmodi qualē praediximus specie eodemq; tēpore captas, numero quatuor, non ultra biduū postquam captae sunt adseruatas: sed si fieri potest, eadē qua captae sunt die, easdem in ollam figulinā puram magnā conijcere oportet, statimq; supra ipsas pro sale ammoniaco, salem cōmunem lotum & exiccatum inijcere. praestiterit quidem ammoniacum salem esse, si uero haberi nō possit, communis & albi italici modij dimidiū, hoc est lib. XX. inijcito, atq; id non in meridie facito, sed mane. Tunc enim rigētes adhuc bestiae ad motū tardiores sunt. Quòd si phagi etiam arboris ramulo uiperas caedas, ad motum ipsas tardiores reddes, & mirabilē eis soporē induces. Est autē phagus species quercus. Quū igitur uelut dictū est, uiperas salibus grauaris & opresseris, pastillos insuper ad sales adijce hoc modo apparatos. Radicis gentianę, sesquilibrā, aristolochię rotūdę sesquilibrā, comę cētaureę minoris lib. II. seminis cardamomi lib. II. marrubij, scordij, apij, chamędryos, seminis rutae hortēsis, singulorū lib. I. Hęc omnia in crassas partes cōtūdito, & cū attico melle subacta in V. aut VII. pastillos latiores, quo probe exuri queant, reducito. Hos equidē pastillos eo quo dixi modo pręparatos habens ad sales uiperis uiuis iniectos imponito. Deinde scillas electas, magnitudine sua manū explētes, recētes V. in tenues partes dissectas pastillis superindito, aliūq; dimidiū modiū Italicū, hoc est XX. libras alias salis supra scillā & pastillos inijcito, & deinde ollā operculo tria foramina habēte obturato, eamq; forinsecus totā luto figulino, ut si rumpatur, nihil pereat, oblinito. Indeq; sensim igni adhibeto, paulatimq; circumlitum lutum torreto, deinde aucta flamma per ficulneorū aut uitis lignorum ollae subiectorum exustionē, uaporem inde per foramina elatum obseruato, primū enim fumus multus caliginosus & turbatus ualde exigens apparebit, significationem perhibens, quòd ignis iā feras ipsas contingit. Quo tempore diligēter cauere iubeo, ne quid ex illo fumo per respirationē haurias, aēre nimirū per ferarum exhalationem infecto, deinde ubi cessauerit uapor, & flammam quandam exilem per foramina conspexeris egredientē, tūc sanè quàm optime assatas putato, atq; ita olla ab igne ablata, perq; diē ac noctem refrigerata, usta per apertam ollam eximito, & cum subscriptis tundito. Sunt autem haec. Seminis rutae syluestris dodrātem, hyssopi dodrātem, nardi celticae sexuncem, stachyos sexuncem. Est autem marrubio similis, non tamen spinosa planta seu frutex, seminis foeniculi montani sexuncem, petroselini macedonici trientem, comae origani dodrantem, seminis hormini tosti dodrantem, racemi amomi quadrantem, cacuminum thymi dodrantem. Foliorum malabathri trientem, carnium iuniperorum baccarum lib. II. seminis coriandri sexuncem, piperis longi lib. II. radicis silphij uncias XVII. zingiberis non corrosi lib. II. seminis satyrij quadrantem. Quidam uero radicis satyrij conijciunt sexuncem, pulegij montani sexuncem, seminis mentae sexuncem. Aut si haberi non possit, herbę siccae sexuncem, tordylij & casiae cuiusq; quadrantem, seselis massiliensis sexuncem, cinamomi unc. I. Maximopere autem conandū est, ut crassiora ueluti sunt lignosa omnia contundendo attenuentur, neq; quicquā ex eis reijciatur. Tusa autē per angustissimū cribrū excutito, bis & ter p eadē cribrella excutiēdo, quo quàm optime uniātur, atq; ita omnia in uitreis uasculis reponito, neq; statim utitor, sed post quadragesimū tandē diem. Inueteratum enim pharmacum maiorem cōmoditatem de se prębet, maxime si extra omnē humiditatē ipsum siccum adseruaris. Cęterū colore non ualde nigrescit. Ego uero, inquit Galenus, bestias ipsas non exuro, sed pastillos ex eis, quorū confectionē in theriaca docui, reliquis quae cum bestijs uruntur ammisceo, & simul exuro, quo eam quā in se habēt amaritudinē, per exustionē abijciā, tantā autē pastillorum mensurā adijcio, quantā cōiectura assequi possum quatuor numero uiperas habere, & sanè sales uere optimi euaserunt, utpote qui neq; ex ustione cinereū retulerint saporē, neq; nigrū colorē, sed & ob qualitatē usui gratissimi sint facti, & qui uim qua eos proprie praestare praedicaui efficaciorē haberent. Efficiunt autē quatuor uiperae magnae, pastillorum siccorum sextantem & unciae dimidium. Atq; hic quidem est totius confectionis salium theriacorum modus. Oportet autem medicum uarie ipsis uti: utpote si sanguinem spuentibus sales hos exhibiturus sit, radicis symphyti contusae & cribratae sextā partem ad salis modum addet, ueluti si quinq; cochlearijs pharmaci unā symphyti addat. In phthisicis autē siue tabefactis & pectore suppuratis, iridis tenuissime tritę aut dictāni sextā partē salis pōderi adijciet. Hepaticis uero chamaepityn, spleneticis cyclamini radicem, aut capparis corticē, aut piperis addet sextā partē. Quòd si ad podagricos apparare uelis, dimidium pręscripti pōderis satyrij auferto, ut tando ne rabiosas & membra exoluentes in ipsis excites uoluptates. Caeterum in renibus lapides quàm maxime atterunt sales, si carpobalsamum, aut lithosperma appellatum habuerint ammixtum. Si uero uim cōtra uenena intensiorē facere uelis, in salium cōfectione scordiū & marrubiū duplicabis, insuperq; anatum sanguinem siccum adijcies. Eis uero qui à rabido cane morsi sunt, amplius conferent, si paeoniae radicem addas aut cancros exustos. Opisthotonicis autem qui retro neruis conuelluntur, maxime profuerunt, si castorij & opopanacis parum habeant admixtum, in eis sanè qui id tolerare possunt. Visum porrò exacuit malabathri foliū duplato pondere in cōfectione additum. Concoctionem uero ciborū iuuant si casiae & costi eis sufficiens modus addatur. Ad inflationes autē cuminū adijcito. Vrinā amplius ciet dauci semen additum. Quartanas uero amplius soluunt, si uerbenacam rectam, & eupatorium, & succum cyrenaicum, aut ipsum laser adsumant. Verum ut summatim dicam, Omne quod cōmodum & habile noueris affecto membro, idipsum ad sales, siue in ipsorum confectione, siue exhibitionis modo ammisceto. Quin & amariores scio sales apparatos.

tos. Ex his enim quæ cum uiperis uruntur aristolochiam, & scordium, & cardamomum, & dimidium centaureæ detraho, eademque postea cũ reliquis quæ tunduntur misceo, imò & stœchadis parẽ scordij mẽsuram addo, atque ita gustũ amariores sales euaserũt, & in usu sanè ad multa mihi commodiores sunt experti. Porrò cauendum est ne eos prægnantibus & ab ubere lactantibus exhibeamus. Et ne pueris, ac tẽperamento calidioribus, & præsertim tempore æstiuo, & regione calida, & qui acuta & sicca febre laborant, eos quoquo modo præbeamus.

Antidotus Mithridatica. *Cap.* XCVIII.

Hæc ut Antipater & Cleopater tradũt, ista capit, Myrrhæ drachmas VII. obolos IIII. spicæ nardi tantundem, croci drachm. VII. obolos III. opij drach. IIII. obolos II. & dimidium, styracis drachm. V. castorij drachm. VI. obol. I. cinamomi drachm. XVII. polij drach. V. scordij drach. XVII. zingiberis tantundẽ, costi drachm. XVI. piperis albi drach. V. obol. I. piperis longi drach. XVI. seselis incorrupti drachmas V. obol. II. petroselini drachmas XIIII. seminis dauci drachm. XVI. casiæ drach. XV. thuris drach. XVI. succi hypocisthidis drach. VI. & sesquiobolum. nardi celtici drac. IIII. seminis fœniculi drac. IIII. folij malabathri drac. IIII. acori incorrupti, phu, sagapeni, carpobalsami, hyperici, iridis illyricæ, acaciæ, gummi, seminis cardamomi citra medullã, seminis pelecini, singulorum drach. II. lemniæ sphragidis, confectionis cypheos, partium scinci iuxta renes sitarum, singulorum drach. II. seminis thlaspios drach. XVI. gentianę dra. IIII. anisi drach. III. rosarum siccarum mundarum drac. IIII. mei drach. IIII. florum iunci odorati drach. VI. opopanacis drachm. VI. galbani drach. VI. obol. III. opobalsami drachmas VI. obol. III. aristolochias drachmã I. hyssopi drach. III. marrubij drac. I. chamæpityos drachm. III. rosmarini drach. V. terebinthinæ chiæ drach. VI. obol. III. mellis attici despumati quantũ sufficit. Vinũ ne addas, sed prædissolutis melle calido succis, indeque tritis ac adiecta terebinthina, inspergito sicca contusa & angustissimo cribro excussa. Vnito & reponito omnia. Datur drachmæ pondere, aut ad summum siliquæ XXIIII. ex ea exhibentur.

Confectio Cypheos. *Cap.* XCIX.

Cæterum Cypheos, quæ in antidotum conijcitur, descriptio hęc est. Vuæ passę tenuis ac pinguissimæ detracta pellicula & uinaceis, hoc est, ipsius carnis drachmas XXIIII. terebinthinæ ustæ drachm. XXIIII. myrrhæ drachm. XII. cinamomi drach. IIII. floris iũci odorati drachm. XIIII. croci drac. I. bdellij drach. VI. onychos, hoc est, unguis aromatici drach. I. aspalathi drach. II. & dimidiam, spicæ nardi drachm. III. casiæ drach. III. cyperi drach. III. & dimidiam, baccarum iuniperi magnarum drac. III. & dimidiam, calami aromatici dra. IX. Mellis quantũ satis est, uini odorati parum. Myrrham, bdelliũ, & terebinthinã ustam contere cum uino ut mellis crassitudinem induant: deinde uuã passam per se probe tritam adijce, simulque tritis mellis sufficiẽtem modũ infunde, ac reliqua insperge, pastillisque inde formatis utere. Vritur autem terebinthina hoc modo. Terebinthinam conijce in ollam, & triplum aut etiã amplius aquæ infunde, & ad ignem adhibe, nihilque omnino mouendo coque. ubi uero consumpta fuerit aqua & terebinthina attenuata ac inualida reddita, ut digitis confringi possit, eam tolle atque in antidoti confectionem assume. Si uero insumpta aqua adhuc mollior appareat terebinthina, aliam aquam superfunde, rursusque ad ignem adhibe, donec friabilis reddatur. Datur autem cyphi ipsum & per se commode his qui hepar aut pulmonem, aut rhenes, aut aliquod aliud uiscus exulceratum uel obturatum habent.

De antidoti Mithridaticæ usu. *Cap.* C.

Datur itaque ad summum ex præscripta antidoto Mithridatica nucis põticæ magnitudo. Eis uero qui ad integram ætatem peruenerunt Græcæ fabæ. Augetur autẽ & minuitur hæc magnitudo in medijs ætatibus. Atque his quidẽ qui febre carent ex uino danda est, aut uino mulso, aut cõdito, si quidẽ hepar habeãt obturatum, febricitantibus uero ex aqua, aut aqua mulsa. Facit enim ad antiquas stomachi fluxiones itemque thoracis, & ad omnes inueteratas in profundo corporis exulcerationes aut abscessus: facit ad tabidos, & ad uentris inflationes. Et cœliacis medetur, & reducit obtusum appetitum, & bonum colorem corpori addit. Frangit lapides, sanat urinæ difficultatem & atram bilem congregari uetat: fœtus immortuos expellit, & ad alias item affectiones conueniens est. Acuit uisum eorũ qui eam accipiunt, plurimam autem præsertim præsumpta uim habet, quòd non permittat quempiã à letali ueneno lędi, qua gratia etiam à Mithridate composita est & appellata.

Antidotus Esdræ aut prophetæ Doctoris. *Cap.* CI.

Amomi scrup. XII. floris iunci odorati drachmas IX. pyretri drac. VI. croci scrupulos XXXVI. cinamomi scrupulos VI. aut casiæ duplũ, myrrhæ troglodyticę scrup. XII. styracis calamitæ scrupu. XVIII. petroselini scru. III. seminis dauci scru. III. tragacanthi scrup. VI. succi hypocisthidis scrup. IX. iridis illyricæ incor rosæ scrupulos XV. seminis fœniculi scrupulos VI. bdellij scrup. IX. thuris drach. I. sulphuris uiui scrup. VI. seminis hyoscyami albi scrup. XXVII. casiæ scru. IX. seminis papaueris scrup. XXX. spicæ nardi scrup. XII. seminis rutę scrup. III. seminis ocymi scrup. III. rhois culinarij scrupulos LV. seminis anethi scrupulos VI. asari drach. I. seminis cardamomi reiecta medulla scru. VI. opij scrupulos XXVII. euphorbij scru. VI. piperis scrup. XXX. rosarum siccarum scrup. IX. folij scrupulos XII. opobalsami scrupulos XXIIII. uentris mergi scrupulos VI. laccæ scrup. XII. lycij indici scrup. XII. cariophylli scrup. XII. stercoris reperti in aluo mergi scrup. VI. rhei pontici scrup. XII. mei athamantici scrup. VI. floris nerij scrup. IIII. & dimidium, terræ cimoliæ scrup. XII. succi artemisiæ scru. uiginti, foliorum seridis scrup. IX. spicæ celticæ scru. XII. rosarũ rhododaphnes scrup. VI. alij etiam castorij scrup. XII. uerum tu castorij scrup. III. conijcito. costi scrup. duodecim, gentianæ scrup. XII. cõfectionis hedychroi scrup. IX. anisi scrup. VI. sisonis scrup. XVIII. ammoniaci thymiamatis scrup. XII. Quãdoque & foliorum citri scrup. duodecim, uini ueteris odorati quãtũ satis est: mellis despumati primarij libras V. uel VI. Apparatur autem hoc modo. Arida omnia cũ croco & castorio ac hedychroo tũdito & per angustissimum cribrũ excutito. Opium uero, myrrham, hypocisthidem, bdellium, lycium, ammoniacum in uino macerato. Tragacãthum autẽ per se macerato. Sequenti deinde die rosas rhododaphnes

& serin terito ac unito, & tragacantho similiter probe tritæ reliqua trita adijcito, & cum succo artemisiæ unito, mel quoq; despumatum & tepefactum sæpe instillato, ne tragacãthus exarescat: Deinde & arida tusa inspergito, sufficienterq; unita probe cõtegito: in sequentibus uero diebus septem aut nouem in sole terito, & uasis uitreis excipito. Neque tamen uasa expleto, sed locum respirationi reliquum facito. Vsus eius est ad uenenum iaculantium animalium plagas, datur autem fabæ magnitudine ex uini cyathis duobus mane & ante somnum eodem modo. Illinitur & plagę, eamq; à periculo uindicat. Eis uero qui letale uenenum hauserunt post uomitus & ante, nucis ponticæ magnitudine datur, mane & ad somnum cum uino. Præsumpta etiam ueneno uim lædēdi adimit. Ad capitis porrò dolorem eam in sapa dilutã fronti illinito. Dato & ad somnum phasioli magnitudine modica aqua & sapa dissolutam. Furiosis uero ante somnum datur fabæ magnitudine ex sapa diluta: dissoluitur etiã cum sapa, & toti fronti & inter supercilia illinitur, per omnem item foris nasum ante somnum, maxime enim somnum inducit. Cæterũ ad oculorũ inueteratas fluxiones sapa liquefactã ad frontem usque ad supercilia illinito. Ad molares dentes erosos, itemq; ad dentiũ dolores cũ sapa liquefactã & calefactã ore detinendã prębe, & confestim quiescet dolor. Ad tussim uero diuturnã & spirãdi difficultatē ac orthopnœã datur nucis ponticæ magnitudine nõ febricitantibus cũ aqua frigida, febricitantibus cũ aqua mulsa. Datur autē ex ordine per dies septē ante somnũ. Ad tabidos uero subcruenta expuentes & eos qui abscessum internum habent, fabæ magnitudine dato cũ sapa modica frigida aqua diluta. Dato autem ad plures dies mane, & ante somnum, & sanabitur affectio quantumuis sit diuturna. utere igitur neque eam cõtemnito. Porrò ad diuturnos stomachi dolores ex frigiditate obortos cum sapæ cyathis tribus, magnitudinē fabæ dato ante somnum: si uero febricitent, cum aqua mulsa. Ad singultum uero ob repletionem aut frigiditatē datur fabę magnitudine ex aqua mulsa ante somnum. Ad hepatis obturationes fabæ magnitudine cum cõdito. Ad duricies uero cum aqua mulsa. Ad splenicos ex aceto aut aceto mulso. Arquato infectis ex uino mulso, hydropicis ex aceto mulso aut uino mulso. illinito etiam cum antidoto tumefactas partes, & tumorē resiccabit. è lapide laborãtibus datur cum sapa: ad urinæ difficultatē cum apij decocto, aut petroselini aut aliquo consimili. Ad profluuium uētris & cœliacis & dysenteriæ maxime incipienti, nucis ponticæ magnitudine dato, mane & ad somnum ex uino, in febrientibus ex posca diluta confidenter utitor. Ad podagrã fabæ magnitudine præbeto cum aqua mulsa. Eliquatam etiam cum sapa affectis locis illinito. Et si quidem principiũ fuerit affectionis, liberabitur ac euadet. Si uero diuturnũ fuerit malum, magnopere iuuabitur. Ad coxendices affectos & reliquos articulos corporis fluxione infestatos, eam cum unguēto aliquo, gleucino puta, aut irino, aut sicyonio eliquato, ac articulis illinito. Ad Elephantiasim in principio pręsertim, imò & his qui iã malo oppressi sunt, nucis põticæ magnitudine ex aqua mulsa bis per diem dato, eliquatam etiam cum uino toto corpori per nouem ex ordine dies in sole illinito: discedit enim paulatim à corpore cutis & ueluti squamulæ decidunt, & tota concretio & corporis miscella renouatur. Ad ægre parientes mulierculas ipsam per se ad imum uentrem illinito, & facile partus prodibit. Ad ulcera postremum maligna, & diuturna in cutis superficie oborta, uestis detritæ panniculo exceptam imponito.

[Handwritten marginal note, partly cut off: …adē Actuari[us] … cuius tamen …mpositio est …uersa]

Antidotus pæonia. Cap. CII.

Antidotus Pæonia uere pæonium pharmacum multo usu iudicatum & approbatum. Amomi scrup. XVIII. croci scrupulos XL. radicis pæoniæ scru. XII. seminis pæoniæ scrup. XII. piperis albi scru. IX. piperis cõmunis scru. XII. phylli scru. IX. euphorbij scru. IX. spicæ nardi unc. I. rhei pontici scrup. XII. costi scru. XII. petroselini scrupulos XLII. opij scru. XV. seminis hyoscyami albi scrupu. XII. alij scrupulos XVIII. habēt, styracis primarij scrup. IX. myrrhæ troglodyticæ scrup. XII. casiæ unc. I. pyretri scrup. XII. thuris scru. XVIII. castorij scru. VI. calaminthæ scru. IX. mellis despumati quod satis est, itemq; uini. Opiũ, myrrhã, thus, cũ uino terito: styracem uero cũ modico melle liquefactum similiter probe terito, atq; eis unito: adiectisq; aridis tritis melle excipito ac utitor. Dantur ex ea siliquæ III. cũ aqua calida ieiunis, frequenter etiã ante somnũ prout res urget. Facit autem ad destillationes è capite, & tusses, purisq; reiectationes, tabidos, peripneumonicos, pleuriticos, præter opinionem enim thoracem extra periculum sistit, tum quod à destillationibus, tum quod ab ulcerationibus imminet, etiamsi sanguinē reiectent. Ad anginam uero uino mulso diluta utere assidue gargarissando, pinnulaq; etiam cum melle illini. Ad colicos autem & ex renum lapide affectos excellenter efficax existit. In exacerbationibus enim colicorũ febre carentium exhibita euestigio dolores sedat. Si uero febriãt, remissiones febriles obseruato, atq; ita exhibeto. Frangit enim calculos, & ab urinæ difficultate liberat ea præsertim quæ ex crassis humoribus & propter obturationem est oborta. Infunditur etiã & maxime in ipsis colicis uehemētissimis urgētibus doloribus cũ oleo rutaceo, & statim à periculo liberat. Lõgas autē febres maxime quotidianã & quartanã facile soluit duabus ante accessionem horis data. Quin & ægros ad reficienda corpora optime apparatos fecit. Datur autē non in principio morborũ, sed quum perfecta cõcoctio apparuerit in urinis. Cęterũ ad pestilentes & populariter grassantes morbos ex uitiato aëre obortos in corporibus summe auxiliatur, & in principio sanè data pestilentē prohibuit sępe dispositionē. Pręseruat etiã à dysenterijs & torminibus intestinorũ. Inducit & somnos dolori minime obnoxios, neq; soporem ac stuporem infert, ueluti reliqua ad leuandos dolores apparata: uerũ somnũ tamdiu detinet, quousq; pharmacum penetrarit, & causas dolorum dissoluerit. Et sanè multi ex ægris à somno surrexerunt adeo cõcoquendi facultate præstantes, ut obliti sint an unquam aliquid à principio doluerint. Plura autem his & ultrà promissa ei confidere potes. At uero si uisceris alicuius inflammatio adsit, cauere oportet ne exhibeamus eam priusquàm inflammatio laxetur. Quòd si tamē periculum maximũ instet, id ipsum præfatus ac prętestatus dato, quo successurę curationi per ipsam æger adseruetur, eaq; tādē uictoriã obtineat morbi.

Antidotus

Antidotus aromatica optima, Galli. Cap. CIII.

Facit ad omnes, maxime tamẽ inueteratas circa os uẽtris, atque ipsum adeo uentrem affectiones, & ad hepaticos. Est stomacho uehementer grata & efficax. Cinamomi drachmam unam, aut casiæ duplum, amomi dextantem, spicæ nardi trientem, folij trientem, myrrhæ troglodyticæ drachmam unam, casiæ bessem, croci unc. I. floris iunci odorati unc. I. costi unc. I. piperis sexuncem, mellis attici despumati quãtum satis est. Ego autem inquit cinamomi modum conduplico, meliorque antidotus redditur. Datur nucis ponticæ magnitudine cũ uino, aut uino mulso, aut etiam cum aqua mulsa, si adsit febris.

Antidotus ex duobus piperis generib. Cap. CIIII.

Antidotus ex duobus piperis generibus, quemadmodum eam describit Archigenes, leuans dolorem, finiens febrem, resiccans & concoquens. Facit ad colicos. Hanc etiam Crito apparauit hoc modo. Croci drachmas sex, casiæ drach. tres, cinamomi drach. duas, costi drach. IIII. styracis drach. VIII. piperis lõgi drach. IIII. piperis albi drachmas quatuor, galbani drach. IIII. myrrhæ drach. quatuor, quidam uero decem sumunt, opij drachmas tres, castorij drachm. V. Succulenta cum uino uetere terito, reliqua uero contũdito & cribrato ac tritis adspergito, & mellis despumati quantũ sufficit adijcito, unitoque ac adseruato. Datur quibusdã magnitudine fabæ, alijs magnitudine erui. Colicis uero à cibo præbeto cum uini austeri cyatho uno. In affectionibus autẽ circa hepar & uesicã ex passo dato. Tabidis & pectore suppuratis fluxioneque infestatis ex aqua mulsa. Vtitor & ad quartanas & ad alios diuturnos & per circuitũ repetentes rigores, duabus ante accesionẽ horis.

Antidotus Athanasia. Cap. CV.

Athanasia ut nunc apparatur, est autẽ Aegyptiorum inuentum. Croci, spicæ nardi, folij malabathri, costi, fœni gręci, glycyrrhizæ, radicis eupatorij, petroselini, styracis, casiæ, opij, singulorũ æquales partes, mellis quod satis est. Datur ad summũ nucis auellanæ magnitudine, hepaticis quidẽ si nõ febriant cum uino mulso, febrientibus uero cũ aqua mulsa, datur ad dies ex ordine septem. In angina cũ melle delingendam dato, in affectionibus pulmonis & pleuriticis cum aqua mulsa. Stomachicis, & qui non cõcoquunt cibum cũ posca. In fluxionibus uero stomachi ac alui in catapotia informatã dato, quibus deglutitis aquam frigidam præbe bibendam. Ad exulceratam uesicam & uuluam cum tepida aqua. In morbo arquato, hydrope, & rhenum morbo cũ uino mulso exhibeto. Ad febres diuturnas per circuitum redeũtes summe auxiliatur ante accesionẽ accepta, his qui diuturna oculorũ fluxione laborãt ad noctem dato, & frontem ex ea illinito. Hæmoptoicis & dysentericis ex posca ante somnum exhibeto.

Oribasij theriaca qua Marcus Imperator usus est quæ ante & post infectionem sumitur. Cap. CVI.

Trifolij bitumen olentis seminis, rutæ syluestris, farinæ erui rufi, aristolochiæ rotundæ, æquales omniũ partes in pastillos redige, & ex eis drachmam unam cum uino & oleo præbe. Alia confectio ualde bona. Farinæ erui rufi, drachm. XLVIII. anisi, seminis fœniculi, ammij, seminis apij, singulorum drachmas octo, mei drachmas quatuor, seminis trifolij, opopanacis, serpilli, cuiusque drach. IIII. cum uino redige in pastillos, & cum uino ter præbe bibẽdos.

Oribasij theriaca ex Bryonia. Cap. CVII.

Theriaca ex bryonia ad uenenatorũ animalium morsus & ueneni haustum, ad morsos à uipera & à scorpio percussos. Radicis bryoniæ, opopanacis, iridis, rosmarini, opij, myrrhæ, singulorum drach. IIII. aristolochiæ. drac. V. thuris drac. VI. seminis rutæ syluestris drachm. VI. cumini drach. XVI. alij tres tantum drac. habent, farinæ erui drach. XVI. alij IIII. habẽt, cum uino pastillos informato, atque ter cum uino præbeto. Philonis antidotus ad colicos præscripta est. Isotheos antidotus ad tusim relata est.

Antidotus Hadriani. Cap. CVIII.

Piperis drachm. XX. seminis hyoscyami albi drach. XX. opij drachm. X. croci drac. V. spicæ nardi, euphorbij, amomi, pyretri, cyperi, cardamomi, folij, rutæ siccę, casiæ, castorij, seminis dauci, myrrhæ, petroselini, cuiusque drach. I. rosarum siccarum sesquidrach. seminis apij sesquidrachmã, zingiberis drach. II. opobalsami drach. II. mellis quantum satis est. Datur ad summum nucis ponticæ magnitudine, minimum uero fabæ Aegyptiæ modo. Facit ad colicos ante somnũ data ex aqua calida: Stomachicis & qui reuomunt cibum ex posca, in urinæ stillicidio ex aqua calida, hęmoptoicis ex posca, dysentericis eam in catapotia redigito, & ab eorum deglutitione modicã poscam absorbendam præbeto. Tabidis ad noctem cum hydromelite dato, aride uero tussientibus cum melle delingendã exhibeto. Morsis à phalãgijs & uiperis cum uino mulso. Educit & menses cum uino mulso accepta, in quo pulegiũ, aut calaminthe, aut ruta sint incocta. Colicis cum aqua mulsa datur.

Antidotus Acharistos, cui digna gratia referri nõ potest. Cap. CIX.

Casiæ, myrrhę, piperis albi, piperis nigri, castorij, galbani, styracis, croci, costi, opij, spicæ nardi, singulorum par pondus. Mellis quantũ satis est. Datur magnitudine fabæ. facit ad omnia diuturni temporis purulenta in thorace, & ad hepaticos cum aqua mulsa, & ad colicos eodem modo, ad splenicos cum aceto mulso. Reperias autem ipsam & ad alias plurimas affectiones approbatam.

Philagrij Antidotus ex sulphure uiuo. Cap. CX.

Febrem finit, hac, inquit Philagrius, omnino utor ad diuturnos per circuitũ repetentes rigores. Sulphuris uiui, seminis hyoscyami albi, seminis cardamomi citra medullam, styracis, opij, myrrhæ, cuiusque drach. VIII. costi drac. X. rutæ drac. X. croci drac. IIII. casiæ drac. XI. piperis drach. XII. excipe melle attico despumato. Dato hora una ante impetum exacerbationis ex posca dilutiore calida, & post modicũ interstitiũ dormire iubeto. Somnum enim inducit, atque omnes diuturnos febrium insultus soluit. Verum nõ conuenit eã prius exhibere quàm bona cõcoctio manifestissime ex urinis deprædatur. Bene prospicere etiã oportet, quo is qui accepturus est, redũdantibus excremẽtis nõ sit onustus, & maxime si febres quotidianę existãt. Datur ad summũ, quum adhuc in uigore est pharmacum, nucis ponticæ magnitudine.

Theriaca Democratis. Cap. CXI.

Medetur hęc morsibus animantiũ uirus iaculantium, uiperarum, cerastæ, aspidum, natricum terrestrium plagis, & paruarum bestiarum puncturis, itemque uesparum. Et marinæ turturis siue pastinacæ ac dra-

conis ictibus, phalangiorũ item & scorpionum. Apparatur hoc modo. Iridis illyricæ, zingiberis, opopanacis, opij, herbæ rosmarini, myrrhæ troglodyticæ, seminis trifolij bitumẽ olentis, cuiusque drachm. VIII. aristolochiæ drach. XI. seminis rutæ syluestris drac. XII. radicis bryoniæ aridæ albissimẽ dra. XVI. serpilli, castorij, radicis eryngij, seminis apij, cumini æthiopici recẽtis, cuiusque drac. VI. alij dra. XII. habẽt, farinæ erui rufi, drac. XXIIII. Omnia hæc contundito & cribrato, oppopanaca uero cũ uino dissoluito, eique arida inspergito & in pastillos reducito, & ex eis drac. I. cũ uino ueteri meraco bibẽdam præbeto. Statim enim ut potatur cõmoditatem suã ostendit, facit ad coli aut uentris inflationes ex aqua ter potatum, facit & ad eos qui intrinsecus aliqua parte dolent, citra manifestam causam.

Antidotus Theodoretus ex anacardijs. *Cap.* CXII.

Antidotus theodoretos, hoc est, diuinũ munus, ad totum hominẽ utilis est, facit ad uertiginẽ & omnes capitis affectiones, omniaque pectoris uitia emẽdat, maxime uero suspiriosis, orthopnoicis, tabidis, pleuriticis, hepaticis, splenicis, & quibus exacesit in uẽtrecibus, & omnibus diuturnis circa stomachũ & uentrem affectionibus prodest. His item qui ex longis morbis se ægre reficere possunt, & qui decolores sunt, & quibus corpus in arquati colorẽ mutatur, & quibus aqua subter cutem effundi incipit, renum etiã affectionibus, & eis qui assiduo coli dolore affliguntur, auxiliatur: omnemque habitũ corporis corroborat. Quin & febribus inordinate ueterascentibus, atque etiã per certum circuitũ redeũtibus ante accessionẽ data prodest. Mirabiliter utilis est mulierculis, quæ purgationis mẽstruæ stillicidio ac strangulatu uexãtur, & quę ab utero suffocãtur. Soluit etiã uentrem citra molestiã. Educit enim ea quæ iam longo tempore intestinis inhæserũt, & ut semel dicã, est diuinũ donum. Huius enim usu in omnibus senties successum. Quòd si quis uere & autũno præsertim, semel aut bis ea utatur, neque circa diætã magnopere delinquat, nullis morbis obnoxius fiet. non solum enim præsentes affectiones sedat, sed quas etiã futuras timemus impedit. Habet autẽ hoc modo. Croci, casiæ, phylli, spicæ nardi, mei, agarici, rhei põtici, floris iunci odorati, acori, epithymi, piperis, sarxiphagi, iridis illyricæ, cariophylli, carpobalsami, myrobalani interni, cuiusque scrupulos IX. anacardiorum scrupulos X. aloẽs scrupulos XXXVI. mellis despumati lib. III. Datur ad summũ drachmarũ IIII. põdere ex aqua mulsa, aut uino, aut uino mulso, secundũ quod cuique affectioni cõmodum fore putas. Cæterũ si scammonię scrupulos IX. adsumpserit, præter opinionem flauã bilem purgat. Si uero epithymi scrupulos IX. acceperit & scammoniæ scrupulum dimidium, atram bilem expurgat. Id quod multo adhuc efficacius præstat, si pro epithymo ueratri nigri corticis drachmam unam assumat. In pituitosis porrò utiliter ad eius exhibitionẽ colocynthidis medulla tusa & tenuissime cribrata ammiscetur.

Theodoretos aliter apparata. *Cap.* CXIII.

Aloẽs drachmas LX. & siliquas LX. agarici drachmas XXIIII. croci drachmas VI. rhei põtici drachmas VI. asari drachmas IIII. costi drachmas VIII. acori drachmas sex, cinamomi drachmas VI. xylobalsami drachmas quatuor, spicæ nardi drachmas III. casiæ drachmas VI. mei drachm II. chamædryos drachm. IIII. mastiches drachmas VI. piperis albi drachmas IIII. mellis despumati quantum sufficit. Dantur ex ea ad summum drach. IIII. ad emolliendũ uentrem. Quòd si quotidie ea ut antidoto uti uelis, in aliqua ex prædictis affectionibus, nucis ponticæ aut ampliori magnitudine præbebis. Quidam uero & piperis nigri, & albi, & longi, singulorum drachmas II. addunt, item amomi, floris iunci odorati, zingiberis, cuiusque drachmas duas, gentianæ insuper drachmas duas, aliqui adijciunt.

Theodoretus per acetum mulsum apparata.

Cap. CXIIII.

Facit hæc magis ad omnes capitis affectiones, & deliria ex atra bile oborta, itemque insaniã, facit stomachicis & colicis, hepaticis, atque amplius adhuc splenicis & hydropicis. Habet cõpositio hoc modo: Spicæ nardi, folij, croci, mei, casiæ, epithymi, floris iũci odorati, rhei põtici, myrobalani, cariophylli, cuiusque drac. IIII. aloẽs sextãtẽ, carpobalsami scrupulos XVI. zingiberis scrupulos XVI. mastiches scrupulos IIII. iridis trientẽ, anacardiorũ scrupulos IIII. agarici scrupulos VIII. corticis radicis fœniculi lib. I. aceti acerrimi sesquisextarium, mellis sesquisextarium. Corticem prælotũ in aceto per triduũ macerato, deinde ut dimidium relinquatur coquito, percolato, & ad acetum mel adijcito, rursusque ad mellis spissitudinem coquito, atque ubi tepuerit ad arida tenuissime trita in mortarium addito, & diligenter unito, reponito ac utitor uelut in prioribus dictum est.

Picra siue amara per acetum mulsum apparata,
Oribasij. *Cap.* CXV.

Facit ad stomachicos, colicos, uuluæ strangulatus, hydropicos. Corticis radicis fœniculi lib. III. aceti acerrimi lib. VI. Radices in aceto ad tertias coquito, & percolato aceto mellis libras IIII. adijcito, & ad mellis spissitudinem coquendo redigito, refrigerato, & paulatim ad subscripta tenuissime trita in mortariũ addito. Sunt autem hæc. Aloẽs bessem, iridis sextantem, mastiches unc. I. zingiberis, casię, nardi celticæ, helenij, singulorũ unc. I. piperis drach. IIII. mei unc. I. aut si nõ adsit, nihil impedit. Datur cochlearij mensura cum aquæ mulsæ cyamis IIII. (Est id poculi genus & Aegyptio uocabulo ciboriũ appellatur) Ab acceptione etiã aquæ calidæ cyamos II. absorbeant.

Cyphi ex rebus XXXVI. *Cap.* CXVI.

Thuris sexuncẽ, styracis pinguis lib. I. myrrhę trientẽ, folij quadrantẽ, costi trientẽ, amomi quadrãtẽ, spicæ nardi quadrãtẽ, casiæ quadrãtẽ, sabinę, cardamomi, ammoniaci thymiamatis, iridis, carpobalsami, singulorũ sextãtem, nardi celticæ, helenij, hypni, floris iunci odorati, aspalathi, cuiusque unciã unam, mastiches quadrantẽ, ladani quadrantẽ, baccarũ iuniperi magnarum & paruarũ, bdellij, singulorũ sextãtem, seselis unc. I. cyperi unc. I. croci trientem, seminis cupressi unc. I. alij drac. I. habẽt, calami aromatici dra. IIII. rosas uirides numero quingentas, terebinthinæ depuratæ sesquunciam, caricarum pinguium sexuncem, palmarum pinguium quadrantem, caruunculæ uuarum passarum quadrantem, nucum pinearum quadrantem, succi hastulæ regiæ unciã unam, mellis sesquilibrã, uini odorati quantum satis est. Arida contusa & cribrata cũ liquidis excipito, palmis, caricis, uuis passis prius in mortario tusis, deinde mastichen

chen tritam eis addito, & bdelliũ ac pineas nuces ro sasq; & thus unũquodq; per se tritũ. postea etiã sti race adĳcito, & ladanũ per se mortario contusa, deinde terebinthinã & mel adfundito, & arida infarcito. Ego uero thus, bdellium, myrrhã, & ladanum cũ uino tero, atq; ita ad tusa in mortarium conĳcio, & pastillis inde formatis utor. Facit ad capitis dolorẽ fronti illitum cũ aceto, similiter & ad oculorum lippitudinem cum uino. Ad hepatis & rhenũ exulcerationes cũ passo, ad obturationes eorundẽ cum uino mulso. Tussientibus, tabidis, orthopnoicis cum aqua mulsa, stomachicis, splenicis, ischiadicis cũ aceto mulso. Ad tormina, lunaticos & morbum comitialem cum aqua calida. Datur drachmæ pondere.

Cyphi ex rebus XXVIII. *Cap.* CXVII.

Aspalathi, bdellĳ, helenĳ, ladani, styracis, myrrhæ, cuiusque drach. VII. baccarum iuniperi magnarum L. paruarum itidẽ L. succi hastulæ regiæ trientem. Sabinæ trientem, croci sextãtem, costi sextantem, cardamomi quincuncem, cyperorum quincuncem, seminis cupressi quadrantẽ, nardi celtici dextantem. Alĳ etiam casiæ habent sextantem, sphagni siue hypni quincuncem, amomi sextantẽ, spicæ nardi sextantem, rosarum siccarum quadrãtem, floris iunci odorati, sextantem, nucum pinearum quadrantem, foliorum malabathri quadrantem, caricarum lib. II. uuarum passarum pinguium sextantem, terebinthinæ chiæ lib. I. palmularum pinguium carũculæ lib. I. mellis lib. V. uini sextarios II. Apparato & utitor ut dictum est. Etenim quæ ex huiusmodi rebus adparantur, ad prædicta optime faciunt.

Masuaphĳ confectio. *Cap.* CXVIII.

Croci quadrãtẽ, styracis unc. XXX. ladani unc. XXIIII. galbani quadrantem, cariophylli sexuncẽ, rosarum siccarum unc. XII. sertulæ campanæ unc. XVIII. hypni (canalicula id parua est ex arbore quę Damascenea dicitur, itemq; ea quæ Rhodacinea appellatur exorta) bessem, malabathri sexuncem, arnabo unc. XII. costi, unguium aromaticorum, casiæ, zacathĳ, singulorum sexuncem, asari quadrantem carpobalsami unc. XXIIII. pilularum cupressi quadrantem, foliorum lauri quadrantẽ, chachula quod cãchryon est, unc. I. amomi unc. XII. spicæ nardi, gummi, cuiusque sexuncem. Vini lib. VI. cõtere & ad formam quancunque uelis redige.

Thymiama siue suffimẽtum Berenices. *Cap.* CXIX.

Seminis uiticis, melanthĳ, cornu cerui, samsuci, baccarum lauri, absinthĳ, sulphuris uiui, bituminis Iudaici, saluiæ, radicis cyclamini, artemisiæ, origani, rutę syluestris, cumini, castorĳ, lapidis gagatæ, anisi, conyzæ, rosmarini, buccinorum ustorum, resinæ, singulorum unciã unam, cedriæ sextãtem, picis zacynthiæ pinguis lib. I. Quidam etiam radicis pæoniæ unc. I. sed nos eam nõ admittimus. Omnia cõtusa & cribrata, cedria, resina, ac pice excipito, in pastillosq; redigito ac utitor. Facit ad anginam potatum & suffitum, ita ut hiante ore æger uaporem hauriat. Ad omnem uero uigiliarũ speciem uino liquefactũ frõti illinito, atq; ipsi forinsecus naso: quin & intrinsecus nares sublinito, & super prunas proiectũ suffito, & somnũ ægro cõciliabit. Facit & ad ozænas sordidũ & fœtidũ nariũ ulcus, ipsis naribus ex eo illitis cũ aceto. Fugat animalia uenenata, muscasq; & culices suffitu. Et ut quidã tradunt, etiam immũdos spiritus arcet. Porrò de pharmacis dolorem leuantibus scriptum est in pręcedentibus quaternionibus, Sermonis noni Cap. XXXII. & octaui Cap. LV.

De Elephantiasi. Ex libris Archigenis. *Cap.* CXX.

Elephantiasis à quibusdam leõtiasis, ab alĳs satyriasis appellatur. Elephãtiasis quidẽ à magnitudine & diuturnitate affectionis nomen accepit, imò & propter cutis asperitatem, quæ in quibusdam succedere consueuit. Leõtiasis autẽ appellatur, quum frons ægrorum cum quodã tumore laxior redditur, ad similitudinem pellis flexilis superciliorũ leonis. Satyriasis uero dicitur propterea quòd malæ faciei ĳsdem cum rubore attollũtur, & musculis maxillaribus ueluti conuulsionẽ patientibus, mentum ipsum dilatatur, quẽadmodum etiam ridentibus euenire solet, similitudine quadã ad picturas satyrorũ: quin & alacritas uehemens ad coitum ipsis adest, quẽadmodũ & de satyris fertur. Est autẽ grauis morbus & propè ex eorũ numero qui incurabiles existunt, & grauis quidem est ipsi ægro, intolerabilis autẽ conspicientibus, utpote qui ipsum omnino auersantur, adeo ut & plerique ex necessarĳs & domesticis ægri ipsius cõuersationem deuitent. Etenim suspitionem de se præbet malum tanquam sit contagiosum. Atq; ego sanè malum esse affirmo cum ipsis conuersari: inquinatur enim aẽr quẽ inspirando adtrahimus ex ulcerum fœtore, & ex uitiata spiritus exhalatione. Cæterum affectio ipsa non solum ob id grauis est, quòd indissolubilem ferè habeat structuram & apparatum, sed quòd principia generationis eius fermè sint ignota, quũ enim circa superficiem iam uestigia eius apparent, tunc nõ gignitur, sed perficitur, intus à uisceribus initio facto, & progressu usque ad cutem dilatato: quare non absimile est, tumentes eminentias etiam in internis oboriri. Appræhenduntur autem hac affectione uiri magis quàm fœminæ, atq; inter illos magis qui crassum & uiscosum ac atra bile redundantẽ sanguinem habent, & qui pituitã multam salsam aut acidam gignunt. Amplius uero & qui uictu crasso & ægre cõcoctili utuntur, & qui in otio degunt. Non minus uero his & qui multis exercitĳs inordinate utuntur, & per hoc sanguinẽ inspissant. Itẽq; hi qui cibos assidue in uentre corrumpunt: quod uero ad ętatem attinet, pueri & iuuenes, maxime quo tempore pubescere incipiunt. Regio uero huius mali inductrix est, tum quę ualde calida est, tum quæ uehemẽter frigida est. Et altera quidem ob id quòd sanguinem adasset: altera quòd frigore suo eundem congelet, & perspirationes prohibeat, ac insitum calorem suffocet. Consequitur eos qui obnoxĳ futuri sunt malo, segnities, spiratio tarda, spirandi difficultas, motus difficilis, assidua cõstrictio alui, urinarũ, ueluti sunt iumentorũ lotia, excretio, respiratio grauis & fœtida, ructus continui, qui etiã ipsis ægris aliquid molestiæ addunt, appetitus non obtusi quidẽ neq; inflãmati, impetus in uenerẽ intensus. Iam uero ubi ad cutem progressum fuerit malum, malæ primum crassiores fiũt & mentũ, deinde rubescũt, non florido, sed liuido rubore. Et sub lingua uenulę uaricosæ fiunt ac nigrescunt: quod signum est etiam uiscera ipsa in simili cõstitutione esse, eiusmodi plane qualis in porcis quibusdam circa interna uidetur, quæ Grandinis nomine insignitur. Quandoq; uero & per omne corpus eminentiæ apparent,

parent, & præsertim iuxta summā frontem ac mentum. Corpus pręterea ipsorum magnū esse uidetur, & cuiusdam intolerabilis grauitatis sensus eis adest, unde neq; potu neq; cibo admodum suauiter delectantur. Pusillanimes fiunt ad omnia, neq; pręuitæ amore uitam relinquere & cōtemnere possunt, neq; affectionem ipsam generoso animo perferre. Verū uelut seipsos cōdemnantes se occultant, & notos homines uitant. Quidam porrò ex eis, ad modum eorum qui suffocantur aut strangulantur, maxime circa somnos afficiuntur. Quēadmodum igitur perfecte à malo eiusq; diuturnitate uictis frustra manum admouemus, ita & abstinere ab his qui iā affectione corripi & tentari uidentur, planè desperantium hominum est & malignorum. Humanum enim & plenum beneuolentię signum est, in extremis etiam malis usque ad experimentum, procedere ad difficultatem affectionis compescendam.

Cura elephantiasi affectorum. Cap. CXXI.

Quum igitur quædam ex prædictis signa affectionis apparuerint, citra dilationem sanguis auferatur particulatim ex utroq; cubito. Reuiuiscit enim inde aliquo modo insitus calor, ut sensibiliter corpus ipsum alleuetur. Habendus tamen est modus in euacuādo. In multo enim inutili & uitiato sanguine parum quiddā genuini sanguinis inest. Post sanguinis autem detractionē paucis diebus interpositis aluus inferne subducatur. & primū quidem colocynthidis pulte utēdum est, ex qua catapotia XVIII. nucū ponticarum magnitudine exhibeantur. Eius autem apparatus prædictus est in coxendicum morbi tractatu. Sequenti deinde die XII. catapotia præbeantur. Si uero ea accipere recusarit, per hierā nostram purgato. Mirabiliter autem eis cōducit per mensem semel data. Post dies autem aliquot sero lactis scissi utendum, ex eoq; nō minus tribus heminis, neq; ultra quinq; accipiendū. Sit autem lac asininum, si haberi potest, ex quo serū ipsum sumitur. Ammiscendum est etiā ipsi ueratrum nigrū trium obolorum pondere, & scāmoniæ scrupulus I. ita ut hæc ipsa cū modico sero ieiunis præbeamus, atq; deinde ipsum serum paulatim per se exhibeamus. Hac enim purgatione frequenter utendū esse censeo. Omnino nāq; conandū est, ut omnē corporis miscellā ab affectione occupatā liquefaciamus, aliāq; quādam ueluti ex integro regeneremus. Idipsum uero fiet, si per interualla oportune purgationes adhibeatur, & cibi apponantur qui facile concoqui, & per corpus distribui possint. Post quorum acceptionē uomitus à cibo fiant, deinde etiā à raphanis à ieiunis, postea ad ueratrum perueniēdum: ac primū quidem decoctum ueratri exhibēdum est, deinde & bulbos ipsius contusos, & ad finē uirgas optimas ex eo præbebimus. Id uero quomodo fieri debeat, iam antea diligētissime traditū est in tertio huius tractationis Sermone. Post hæc autem uirium refocillatrice diæta utendum est. Ad os uentris & utrinq; ad uiscera cucurbita inanis affigatur. Et primo quidē circuitu auxiliorū hoc modo perfecto, rursus ad principiū reflectendum est. Et uenæ quidē sectio uitetur: ab hiera uero principium purgādi sumatur, & reliqua consequēter facienda, uelut prædictū est, ter & quater in anno eodem ductu repetito. Maligna enim & difficulter cedens affectio est, quapropter plurima cura opus est, ne in peius euadat.

De his qui castrantur. Cap. CXXII.

Nouimus quosdam audaciores qui sibijpsis testes ferro resecarunt: castratis enim non in peius malum ipsum procedet. Neq; enim temere reperias, inquit Archigenes, ullum aliquem castratū elephantiasi laborantem, neq; item facile mulierem: Quare etiam quidam ex confidentioribus Medicis manum admouerunt, & quotquot sanè ex eis ex sectione periculum euaserunt, per consequentis curationis usum perfecte ab hac maligna affectione liberati sunt. Noui etiam quendam qui ualde correptus esse existimabatur, à tali quopiam pharmaco curatum. Aceti optimi & cedriæ, singulorū cyamum I. succi brassicæ cyamum I. cōmisceto & ieiunis mane præbeto, deinde ad uesperam ordeaceū panem modicum exhibeto cum quopiam uolucriū leuiorum, & per solum hoc maximum curationis sperato successum. Vtere autem ipso per annum, semel in hebdomade ex eo præbens, quandoq; tamen bis, quanquā ad usum eius adsuefactis etiam rigidius procedēdum sit, nimirum ad duplam pharmaci mensurā. Quum uero & ad comitialem morbum pręclare faciat, eo sanè & ad ipsum utor, & præ omnibus alijs eius profectum laudo. Facit & brassicæ decoctum quotidie potatum, quū ex cedria pharmacum nō datur. Multi etiam sideritim herbam laudant: datur autem foliorum eius aridorū drach. I. ex uino austero. Noui & trifolium herbā bitumen olentem probe huc facientem. Datur autē & ipsa drachmæ pondere trita ex uini cyatho uno, aceti uno, mellis una. Eboris etiam & cornu ceruini ramēta cochlearij mensura sæpe ad prædictā mensuram ammiscentur. nam & per seipsum unumquodq; eorū potatum utilissimū existit. In regione Indorū elephantiasi affectos assidue per sedē eluere per urinæ asininæ infusionē heminæ mensura calefactæ consueuerunt. Crocodilum item terrestrem accipiunt, eiusq; extremas partes amputant, ac interiora proiectant. deinde fermento obuolutū assant. deinde ablato fermento, & scabricie eius derasa, carnis ipsius drac. I. quotidie bibendum præbent, & magnum sanè testimoniū de hoc remedio præbent. Præclare autē succus cyrenaicus facit, erui magnitudine deuoratus: simul enim ut acceptus est, per omne corpus diffusus uehitur. Aselli item sub aquario uase stabulantes, qui & millepedæ appellātur, quinq; aut sex numero cum hydromelitis cyamis III. triti potati præter opinionem tum his, tum suspiriosis, & omnibus suffocatione apprehensis auxiliantur. Multæ commoditatis est & scillæ semen trium obolorum pōdere in cyatho mellis semicocti delinctum. Asperam enim arteriam à pituita repurgat, & coarctationem uiarum uocis probe dilatat. Similiter autem & pastillorum scilliticorum, qui in theriaces confectionem conijciuntur drachma una, exhibetur cum uino austero meraco trita. Ex calida autem datur. Theriaca porrò ex uiperis Andromachi compendium totius medicationis existit, si post purgationes per modica interualla præbeatur.

De uiperarum esu, & de pruritibus, Archigenis. Cap. CXXIII.

Mirabile elephantiasis remedium uiperarum esus existit, eas uero hoc modo apparatas edere oportet: primum quidem amputato capite & cauda, & detracta

tracta pelle, exemptisq; interioribus uisceribus omnibus caro aqua pura bis ac ter lota, in olla instar anguillarum coquitur, aqua quidem sufficiẽte affusa, & oleo modico cũ anetho & porro. post sufficiẽtem deinde cocturã, iusculum moderato sale condiatur, atq; ita ægro in sole desidenti exhibeatur, capite tamen probe uelato. Neq; uero semel tãtum aut bis uiperas edere satis est, sed sæpe id fiat, quum extra periculum sit, & insuper commoditatem afferat. Sint autem uiperæ recens captæ, & ex humectioribus locis accipiantur. Nam quæ iuxta mare degunt, uehementer siticulosæ existunt. Vtimur & ad ipsos salibus theriacis eos quotidie pro liquamentis ad intinctus exhibentes unà cum obsonijs. Suntq; tum sapore, tum odore gratissimi. Quin & ex betonica antidotus ad podagricos præscripta utiliter purgãs, etiã his cõmode exhibetur. Et ut in uniuersum dicã, propter incidentes ipsis suffocationes, etiã ea quę orthopnoicis præbentur, his utilia sunt, utpote quæ crassos humores nõ modo in thorace, sed & in toto corpore contentos secant & diducunt. At uero ob id quòd ferinus est humor, ea quæ lumbricos enecant, & expellunt, etiam his danda sunt. Forinsecus porrò cuti psilothrum assidue per modica interualla in balneo adhibendũ est, oculis probe cõmunitis, ne quid ex psilothro in ipsos dilapsum eos lædat. Commode item facies ipsa ex eo illinitur, utpote quæ maxime ab affectione sit correpta: multo etiã tempore in eius usu perseuerãdum est, donec cutis ipsa rubefiat, non tamen exulceretur. Quapropter ex ptisanę succo psilothrũ apparetur. Vrsinus autem maxime aut uulpinus adeps, uel si hi haberi nõ possint, taurinus cum sarmentitio cinere emollitus, & cum lixiuio coctus probe attenuat eminẽtes tumores, hoc enim modo etiã sapo præparatur, quem in usum conuertere oportet, si ursinus aut uulpinus adeps nõ adsit. Bona est & portulaca cũ aceto trita, & semperuiuũ minus, quod Romani illecebram uocant, & Mercurialis decoctũ tum per se, tum cũ aridis quibusdam mixtum, & fici syluestris folia arida contusa & cribrata cum aceto illita, & in balneo affricta. Optime facit & decoctum ipsorum, & betæ & ocymo cum aceto tritis aut coctis dignam laudem tribues, si per eorum attritum fueris detersus. Myrobalanus item cum aceto præstat: probe auxiliatur & alumen cum sale, & sandaracha æquis partibus in uino & oleo maxime lentiscino, aut si non adsit, rosaceo tritis. Aridum quoque inspergimen ad alphos siue uitiliginem à nobis compositum liberaliter extergit & repurgat. Est autem hoc. Alcyonium, nitrum, sulphur uiuum, myrti folia, & fici agrestis folia sicca, singula pari mensura contundito & cribrato, deinde cum aceto trita oblinito, & in balneo affricato. Cõuenit & alcyonium assatũ cum aceto tritum & affrictum: testæ item ostreorum omniũ ustę, & cum pari melle ac modico aceto tritæ. Et aceti fece arida usta, cum sulphure trita in exudatorio loco commode uteris. Amygdalino autẽ oleo inungito, atque hoc modo corpus forinsecus illinito. Oribasij smegma ad elephantiasin. Pumicis, testæ sepiæ, nitri assati, gallę, cimoliæ, cuiusque sextantem, gummi unciã unam, arida affrica. Aliud optimum smegma. Nitri assati, pumicis usti, testæ sepiæ ustæ, gallæ, cimoliæ, cuiusque sextantem, gummi unciam unam, arido utere in balneo aut lauacro & aqua marina ablue.

Aliud efficax. Spumæ nitri albæ drachm. XX. cimoliæ drachmas XII. melanthij drach. II. radicis bryoniæ drachmas II. alcyonij drachmas VI. sulphuris uiui drachmas IIII. radicis chamæleonis albi siccę drachmas IIII. trita in balneo inspergito, & affricato. Aliud smegma. Ad omnem corporis pruritum & humoris atræ bilis fluxionem celebre. Veratri albi unc. I. ueratri nigri unciam unam, baccarum lauri sextantem, cerusæ, pumicis usti, testarum sepiæ ustarum, pompholygis, rutæ uiridis, singulorum trientẽ, sulphuris uiui bessem, spumæ nitri albę bessem, mellis bessem, aloës quæ in uẽtriculis afferri solet, bessem, aceti quantũ satis est. Vtere in balneo. Remedium ad psoras, Archigenis. Magni nominis est & ad elephantiasi laborãtes, id quod ad psoram feram à nobis priuatim est apparatum. Id ipsum hoc modo habet: Rumicis satiui, & rumicum acutorum radicum, fasciculos manipulares duos in aceto coquito, deinde in mortario tusis, ac postea etiam in pila tritis, acetũ paulatim instillato id ipsum in quo decoctæ sunt radices aut etiam aliud, atq; deinde hęc ipsis infarcito. Nitri drachmas XLVIII. sulphuris uiui drachmas XXV. thuris drachmas XV. Omnia ad strigmenti crassitiem reducta unito, ac æstate quidẽ ad solem sæpe illinito, hyeme uero in balneo donec exudarint. Apparatur autem à nobis pharmacũ ad elephantiasim summe cõgruum, huiuscemodi. Rumicis satiui & rumicis acuti radicum fasciculos manipulares duos in aceto coquito, tundito, ac terito, ut prædictum est. Deinde hæc quàm tenuissime trita eis infarcito. Alcyonij lib. I. sulphuris uiui lib. I. spumæ nitri bessem, testarum cochlearum ustarum trientem, radicis chamæleonis nigri sextantem. Omnia simul cõteruntur, donec ad strigmentitiã spissitudinẽ redigantur: & illinuntur æstate quidẽ ad solem sæpe, hyeme uero in balneo, donec exudent.

Illitiones ad tumentes corporis eminentias.

Cap. CXXIIII.

Illinantur autem tumores in cute efferati & inflãmati ex glaucij succo, aut polij, aut lycij, aut hypocisthidis, aut aloës, & similibus succis. Aut halicę uel erui farina cum plantaginis, aut poplygoni, aut perdicij, aut portulacæ, aut brassicæ succo diluta. Quòd si cataplasmatis opus habeant loci inflammati, cum halica cruda poligoni, aut plantaginis, aut marrubij succo ammixto, contegantur. Postquam uero inflãmationes mitigatę, & laxatæ remiserint, herbæ serapiadis tritesticularis uiridis folia tenera aut semina probe terito, & ægrũ ad solem calidum locatum ad horas II. defricato, atq; ubi prodierit sudor, uinum meracum uetus odoratum bibẽdum præbeto, rursusq; herbam ipsam affricato. Deinde ipsum in aqua marina abluito, & hoc quotidie per dies aliquot facito, & reperies ad sanitatẽ consequendã successum. Optima est & hæc illitio Critonis. Ad tumẽtes eminẽtias, & ad faciei pruritus, ac principium elephantiasis. Gummi albi, spumæ nitri, thuris, sulphuris uiui, singulorum par pondus in aceto dissoluito, & ex probè penitus cõtritis pastillos formato, eosq; in umbra reficcato. Vsus uero tẽpore postulante aceto dilutos illinito. Vbi autem exaruerint, subscripta cõfectione defricato. Est autem hæc. Saponis libram unam, ammoniaci thymiamatis libram unã, thuris, quadran

quadrantem, spumæ nitri albæ quadrantem, mastiches quadrantem. Ammoniacũ cum aqua prius tritum, & sapone ei adiecto, in figulino uase coquito, duobus sextarijs aquæ affusis, atque ubi dissolutus fuerit, thus, mastichen, spumam nitri, unumquodq; per se tenuissime tritũ & unitum adijcito. Deinde in mortarium translata & diligenter tusa in uitreum uas reponito ac utitor. Optime faciunt & hæc ad tumores nõ inflãmatos illita. Ammoniacum thymiama ex aceto, aut marrubij succus & thus eodẽ modo, & uerbenaca recta, & fel capræ aut hirci, & flos æris cum melle, & caninum stercus cũ aqua, & aloẽ cũ thure ex aceto mulso potata & illita. Vtiliter illinitur & dictãni succus melle cocto & cedria permixtus, & sulphur uiuum cum liquida pice, aut sesamum, aut amygdalæ amaræ, aut chamæleonis nigri radix similiter cum liquida pice, & alcyonium cum cedria. Efficacissima uero est cedria cum phocæ adipe aut etiam ursino illita, ita ut simul eliquatis sulphur uiuum infarciatur. Valde efficax & hoc est. Si alumen liquidum linteolo illigatum, & ustum, deinde cum aceto acerrimo & brassicæ, aut ocymi succo tritum, illiniri præceperis. Aliud. Thuris, aluminis scissi, cuiusq; sextantem, sulphuris uiui, ramentorum plumbi, cuiusq; quãtum satis est, unito & leuiter illinito, eminentijs ex pumice prefricatis.

Aliud. Ammoniacum thymiama, & sulphur uiuum, & columbæ stercus, & uitrum tenuissime tritum, in aqua, aut uino, aut aceto terito, & prout cõmodum æstimaueris illinito. Aliud ualde efficax. Cedriæ sesquilibram, aceti lib. II. foliorum cupressi lib. I. folia tusa ad biduum in aceto macerato, deinde excolato aceto, cyparissum probe terito, eiq; cedriã adijcito ac unito, & cũ uulturis pennis ægro in sole locato illinito. Aliud. Efficacissima est & hæc illitio. Auripigmenti drach. VI. thuris drach. VIII. costi drach. II. calcis drac. IIII. baccarum lauri sextãtem, cedriæ drachmas IIII. Omnia teruntur, & cum foliorum populi albæ arboris decocto in coquendo inspissato illinuntur. Aliud ad faciei eminentes tumores præcipue conducens. Mastiches unc. I. myrrhæ drach. IIII. sulphuris uiui drach. IIII. olei omphacini quantum sufficit, utere. Mirabiliter autem prodest ad faciei tumentes eminẽtias, ex milesia herba remedium. Tundũtur autem folia herbæ uiridia cum axungia ueteri, & imponuntur. Et rubefiunt sanè inde plurimum partes quibus imposita sunt: contrahuntur autem facile pane imposito, aut cerato ex oleo amygdalino, rursusq; in naturalem suum colorem restituuntur. Postquam uero exæquatæ fuerint eminentię, illitionẽ talem parato. Thuris unc. I. gummi albi unc. I. cimolię trientem. Vino ueteri aut aceto trita illini. Emplastrum quod & ipsum ad maiores & liuentes eminentias facit, inquit Archigenes. Terebinthinæ drac. X. radicis aristolochiæ drachm. IIII. radicis capparis, ueratri albi, sulphuris uiui, lapidis pyritæ, cuiusq; drach. II. thuris drach. I. terebinthinam liquefacito, & ab igne ablatę reliqua tenuissime trita infarcito. Optime facit & Andronis pastillus & Musæ pastillus similiter illitus uterq;. Maiores porrò tumores etiam emplastro aliquo discussorio cõtegãtur: efficaciter eis auxiliatur emplastrũ ex asellis ad meliceridas ulcera mellei humoris & strumas descriptũ. Magis proprie autẽ hoc cõuenit. Olei cicini lib. I. spumæ argenti drac. C. picis crudæ heminam I. ad lentũ ignem assidue agitãdo coquito: atq; ubi coacta fuerint, ab igne ablatis chamæleonis nigri radicẽ tenuissime tritam drac. X. pondere inspergito, & ex tithymalli succo parũ. Aliud. Ceram & uiscum cum modico myrteo oleo liquefacito, & diphrygis triti quod satis est inspergito, ac utitor.

Aliud. Radicis panacis drac. IIII. nitri drac. V. calcis drac. I. ceræ drac. II. adipis ursini sextantẽ. Liquefacta aridis affundito, & misceto. Cæterum nigras eminẽtias, aut ualde liuidas, cũ scalpello leuibus uulnusculis impactis incidito, deinde splenio cruentis uulneribus destinato, & quod inflãmationem arcere potest, integito, eius generis est emplastrũ Barbarum appellatũ, aut salem tenuissime tritũ oleo subactum, & lanis succidis exceptũ imponito, & postea radicem maluæ tenerã cataplasmatis uice adhibeto, aut cerato ex diphryge cicatricẽ inducete utitor. Audendum autẽ in fortioribus corporibus, præsertim ubi prius corpori robur addideris, etiam excoriatorium ad impetiginẽ feram descriptum illinere, citra tamen cantharidũ ammixtionem apparatum, quod ubi factum fuerit, & bullæ eruperint, eas uiridi Epigoni emplastro, quod Isis à quibusdã appellatur, integito, & per balneas curato: & tunc lac potãdum præbeto. Vlcerationes autẽ obortas, cerato ex diphryge cicatricẽ obducente, aut melino cerato ex uino apparato, sanabis. Facit idem & ex pompholige ceratũ, & quod ex cadmia apparatũ appellatur. Quòd si curationẽ difficulter accipiant, uelut chironia ulcera tractato. Si uero pascendo proserpant ulcera, corace pastillo ex aceto mulso apparato utitor, aut pastillo Andronis. Aliud, ad uitiliginem quæ leuce dicitur, & ad psoras. Calx in uino aut rosaceo fermẽtata cũ aqua illinitur, & post hoc ceratum rosaceũ adhibetur. Aliud celebre ad elephãtiasim. Atramenti sutorij partes IIII. aluminis scissi madefacti partes VI. luto fusco subigito, & ægro nudato ac prefoto, corpus eius illinito, deinde lauato, ac rursus eodẽ modo foueto, illinito, ac abluito: quod ubi ter feceris, cutẽ rosaceo inungito, ægrũq; per totã noctẽ contegito, & reperies sanũ. Aliud, ad elephãtiasi affectos, carcinomata, podagrã, articularem morbũ, strumas, cõdylomata, & cõuulsiones neruorũ. Vulturis cerebrũ unà cũ capitis ossiculis & reliquis carnibus capitis accipito, & in uino dulci coquito, atq; excolata quidẽ illa proijcito: cum iusculo uero ipso, euphorbij, croci, atramenti indici, piperis albi, castorij, myrrhæ, cuiusq; sextantẽ coquito, & foliorũ rubi, seminis satyrij, cuiusq; quadrantẽ, picis quadrantem, succi mandragoræ, cedriæ, cuiusq; unc. I. fel tauri, aut capræ integrũ, uermes ex lignis putrescẽtibus & marcidis numero tres, addito. Hæc sanè omnia in uini dulcis sextarijs nouem simul coquito. Hoc iuramẽto adstrictus accepi, ne cuipiam reuelarem. Hic apparatus ad illitionem in nouem dies sufficit, & eminentias ipsas exterit. Cæterum cum penna uulturis etiam illinatur. Aliud, ad elephantiasim, abscessus, condylomata, strumas, eminentias corporis, tubercula, pingue quiddam in se collectum habentia Græcis inde steatomata appellata, unguium abscessus paronychias uocatos, & gutturis tumores qui bronchocelæ apellantur: ad omnes item malignas eminentias quacunque corporis parte, multo

experimento

experimẽto cognitum. Vulturem uiuum accipito, eumq́ in uini dulcis aut sapæ sextarijs nouem aut sex suffocato: aut uulturinum gallum eodem modo tractato, & à uespere usq; ad matutinũ tempus ad uitis ligna coquito. Cæterum ægrũ tenui uictu connutrito, sæpe etiam inediam perferre iubeto, & per subscriptum purgatiuum medicamentũ purgato, perq́ dies septem ex marina aqua lauato. Postquàm uero uultur coctus fuerit ac excolatus, ossa ipsius contrita cum ægri sudore, præsertim qui à sole prolectus est, cani edenda proijcito: massas uero septẽ inde formatas cani dato. Vulturem autẽ ipsum per triduum à uespere usque ad matutinum tempus, ne ab aurora conspiciatur, coquito, atq; id similiter tertia die facito, probeq́ cõtectum omni die mane in domo tenebricosa reponito. Atq; ubi tandem ita percoctum ac excolatum habueris, ad iusculum in nocte, minime uero in die, sequentia addito. Salis fossilis, algæ siue fuci marini, in petris cõdensati trientem, alij unciam unã habent, galbani, opopanacis, cuiusq; sextantem, colophoniæ, picis, cuiusq; quadrantem, euphorbij, castorij, sanguinis capræ, cuiusq; trientem, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, glutinis aceto dissoluti, picis liquidæ, singulorum sexuncem, rutæ syluestris ramulos septem, catanancæ herbæ scrupulos tres, amiãti scrupulum unum, polypathij herbæ, quæ per contrariam affectionem luna desinente auxiliatur, lapidis gagatæ, cedriæ, singulorũ quadrantem, bituminis iudaici sextarium unum, artemisiæ herbæ, chamæleonis herbæ, cuiusq; sextantem. Hæc omnia cum iusculo ut dictũ est apparato, probe trita committito & unito. Cæterũ uulturem primum unà cum pennis usque ad pedes excoriato, atque ita in sapam coniectum suffocato. Pellem autem ipsam cum pennis myrrha conditam, & in fumum suspensam exiccari sinito. Pedes uero in oleo coquito, & cum oleo podagricos, per uulturis etiam pennam, illinito. Neruos uero ad pedes podagrici pro amuleto appendito, & ab affectione eum liberabis. Porrò purgatiuum, cuius mentionem feci, hocce est. Aloës unciæ dimidium, gari, aceti, parem mensuram unito, & octauam sextarij partem bibendam præbeto.

Ad condylomata in facie elephantiasi affectorum. Thus cum uino austero tritum pinnulis illinito.

Illitio alia optima ad elephantiasi laborantes: facit & ad pruritus. Gummi, gallarum, singulorũ drachmas decem, pumicis drachmas uiginti: contundito & cribrato, ac utitor ut optimo. Aliud, etiã ad lepram. Veratri nigri, gũmi, cuiusq; quadrantem, spumæ ptisanæ quantum sufficit: conijce in ollam, & coque donec succulenta fiant, ac tritis utere.

Diæta elephantiasi correptorum. Cap. cxxv.

Diæta elephãticorum talis sit. A' somno membra eorum plurimum & leniter manibus cõtrectentur, deinde aluus consueta recrementa deponat, & post hęc ipse æger sub diuo aut in porticu deambulet, mollibus calciamentis subligatis, conficiatq́ deambulando usq; ad stadia triginta. Deinde cataplasma ei imponatur primum ex pane, aut faba cocta, aut ptisana, aut aliquo consimili illinatur, uerum ad unumquodq; prædictorum citrij acidi succus ammisceatur si haberi possit, aut si desit, peponũ aqua, & post modicũ interstitiũ aqua pura large abluatur. Postea cerato rosaceo liquidiore facies superne leuiter illinatur. Deinde ubi gestationis genere aliquo fuerit uectus, rursus deambulet concitatiore gressu. Postea uero potione aliqua ex prædictis accepta, quotidiano alicui & consueto muneri uacet. Circa quartam autem horam concitatiore gymnasio exerceatur, & deterso sudore, ursino aut uulpino adipe illinatur, qui si nõ adsint, caprinus aut taurinus, aut equinus, aut aliquis ex uolucrum genere, aut butyrum recens sumatur. Deinde cum fœni græci aut ptisanæ succo, qui parũ ammoniaci cum aceto liquefacti ammixtũ habent, perfundatur, atq; ita lauacro quodam præscripto utatur. Nociuum est enim affectioni, si quis non lauet. Per interualla autem psilothro, ut dictum est, defricetur, & quodam ex prædictis smegmate quotidie expurgetur. Commoda sunt etiã arida fomenta, & post sufficientem ex dictorum usu exudationem, natationes in mari, aut in sulphurulentis & aluminosis aquis, non extreme frigidis, quales sunt aquæ Albulæ in Italia uocatæ. Quòd si tales nõ adsint, frigidæ lauacro assidue utatur, raroq́ balneum petat, nisi psilothri gratia, aut altera aliqua urgente necessitate cogatur. Si uero quis ad frigidæ lauacrũ cunctantior sit, eum in balnei aëre plurima aqua frigida perfundi commodius erit. Pręstat item solium ex decocto aliquo eorũ quæ adstringunt apparare, plãtaginis præsertim, aut rumicis, aut perdicij, quanquã efficacius omnino censeatur betæ decoctũ, cui sanè & ex aceto parũ est affundẽdum. Extergatur etiã ueluti prædictũ est, in balneis cum quopiã prædictorum smegmatum, & cum myrobalano assidue ex aceto. Quibus deinde ablutis, ad acrimoniæ & mordacitatis curationem ex oleo lẽtiscino cum aceto & uino austero conquassato, aut ex oleo myrteo & pari uino conquassatis illinatur. Licet etiam aliquãdo parum ammoniaci, aut alumen rotundum in uino conterere. Optimum est & butyrum recens illitum. Post lotionem & extersionẽ per tenera linteola, ad horæ dimidium quiescat: deinde aqua tepida hausta sponte uomat: aut si id facere nequeat, per immissionem digitorũ. Postea modico interuallo temporis interposito, uinum absinthites aut origanites bibat, non infra heminæ mensuram, & paulo pòst cibus ei apponatur. A' uino in posterũ omnino abstineat, passoq́ & uino mulso, ab omniq́ cibo difficulter concoctili, & maxime à frigidæ potu. Cæterum cibi tempore purgationum qui facile secerni queant, sumantur. Panis hordeaceus aut triticeus recens calidus. Ex oleribus beta, & porrum capitatum duabus aquis edulcatum: lactucaq́ & capparis ex aceto mulso. Ex mari uero herinacei recẽtes, ostrea, pelorides, pectunculi, tellinæ cum beta coctæ, & salsamentum uetus ex aceto mulso. Vbi uero post purgationes refocillare, & uires restaurare uelimus, acria auferenda sunt, præter condimenta, quorum ut urinam cientium, usus commodus est. Exhibendus est autem panis optime præparatus, oua sorbilia, halica lota, & lac cum melle. Omnia tamen cum pane. Ex oleribus, malua, rumex, sisarum, lactuca, seris, fœniculum, ficus coctæ, à quorum acceptione parum aquę calidæ bibat, in qua decocta sint, quæ urinam moderate cient. De cætero uero abstineat, ut ne potet usque ad cœnam. Bis enim cibum capere præstat, quàm semel se explere: nam, ut dixi, etiam prandium ipsum simplicissime paretur: cœnam magis

uariam concedo. In cœnam etiam duæ tertiæ panis partes reseruẽtur. Præbeatur item in ea piscis molli carne non graueolens, coctus, simplici iusculo apparatus & ex auiculis mõtanis, extremæ partes & uentres, ex pedestribus, hœdorum carnes, & leporinæ & dorcadum. Pro condimento & embammate ad intinctus, acetum scilliticum, & sales scillitici commodi sunt. Ex leguminibus, ptisana utilissima censetur. Danda tamen & per interualla oryza, porrò in cocturam eius addito. Ex fructibus conueniunt, ficus electæ, uua arefacta, pirum coctũ in aqua mulsa, similiter & cotonea: unumquodq; certo pro coniectura modo. A reliquis fructibus omnino abstineant. Ex dulciariis mellitis, placẽtam dato ex amygdalis modice tostis, & paucis pineis nucleis, & cnici semine contuso & cribrato, ac modico pipere apparatam. Ex bellariis, parum ex caricis aridis concedito, & uuas passas pingues, amygdala tosta, pistacia, & terebinthos tostos, & cicer tostum, cnico cum eis torrefacto & muria adstillata. In potu aqua calida eis omnino cõuenientior est: sed uiribus restaurandis, uinum album & tenue, ac nõ ualde uetus in cœna post cibos detur: quàm minimũ tamen potẽt, in sitis tantum expletionẽ. Reliquæ potiones ex uino & melle cõfectæ, propomata Græce peculiariter appellatæ, uitandæ. Acetum autem mulsum non incõmode exhibetur tũ ieiunis, tum inter cibos, si stomachus tolerare posit. Somnus porrò diurnus nociuus elephanticis est: nocturnus autem aptissimus. Post longũ à cœna interstitiũ, deambulatio lenta ac sensim facta cõmoda est, quo cibi eo melius descendant. Matutinarũ uero excitationũ sint studiosi. Coitus affectioni infestissimus est. Etenim non reperias ullum aliquẽ temere, qui exectus ab elephantiasi appræhendatur, neq; etiã facile mulierem. Fortè ob id quòd ab utili ac bono humore seminis emissio prodeat, aut quòd largior generatio ipsius in seminariis locis ob materiæ spissitudinẽ contingat. Multo itaq; semine elephantiasi correpti abundant. Non tamen absurdũ fuerit puerorũ gignendorum gratia per rariora interualla coire, neq; enim in totũ contagiosæ successiones ipsius affectionis in omnibus fiũt. præsertim si quis optime dispositus, ad uenerem incitetur. Quòd si succedat curatio, etiam ad quotidiana uitæ munia obeunda demittantur, & longis peregrinationibus sanitati uberius cõsulant. Si uero non succedat, procul à mari & urbibus segregentur.

De pruritu, Archigenis. *Cap. CXXVI.*

In omnibus pruritibus uenæ sectione utendum est, si iuuenes sint, & multo sanguine redundẽt qui ex eo laborant, & nihil aliud impediat eam admittere: particulatim autẽ & paulatim eum detrahere oportet, & quandoq; sequenti die sectione repetita rursus auferre: deinde restauratis uiribus, per purgatiuũ pharmacum aluus subducatur. Lauãdi sunt omnino quidem ieiuni, quandoq; tamen ubi parum quiddã cibi acceperint, à concoctione autem secundario lauentur, ægre enim humectari potest malum. Radenda etiã pilis obsita, & cum maluæ syluestris aut satiuæ, aut betæ, aut fœni græci, aut sesami, aut furfurũ decocto repurganda. Totum uero corpus ex farina fabacea, aut lupinorũ, aut myrobalani conspergatur. Quòd si diutius duret affectio, fomenta quidem & lotiones ex saluiæ, myricæ, mercurialis, origani, pulegii, baccarum lauri, radicum cucumeris agrestis decocto adhibeantur: ex lixiuio item & muria acida. Corpus uero nitro tenuissime trito conspergatur, uini fece usta & arida adiecta. Aut cum hac mistura: Spumæ nitri albæ, sulphuris uiui, alcyonii usti, singulorum æquales partes committe, & insperge. Si uero intensiorem uim eius facere uelis, etiã ueratrum album adde. Eaq; simul citra pinguium ammixtionem corpori insperge. Aliud, bonum & mitius. Spumæ nitri librã unam, thuris lib. I. cimoliæ sexuncem. Aliud. Atramenti sutorii, thuris, sulphuris uiui, nitri, æquales singulorum partes in uino terito, & in prima balnei domo illinito, deinde lauato, & cum uino & oleo inungito. Aliud, ad pruritum totius corporis. Plumbaginis, spumæ argenti, nitri, cimoliæ, iridis, chamæleonis nigri radicis, pumicis, aluminis, sulphuris uiui, samsuci, lapidis specularis usti, omniũ æquales partes committito, ac utitor in balneo. Aliud smegma ad pruritus. Nitri librã unam, pumicis usti librã unam, spumæ nitri sexũcem, ostreorum ustorum quadrãtem, baccarum lauri, costi, nardi celticæ, singulorum sextantem, cyperi unc. I. folii malabathri quantum uoles odoris conciliandi gratia: contusis & cribratis utere in balneo. Aliud, faciens & ad psoras. Sulphuris, nitri, spumæ argẽti, pumicis usti, cumini, omnium parem modũ sume & utere. Inungẽdi sunt & aceto ac oleo in quibus staphis syluestris sit contrita, pulegii item ac thuris æquis partibus cũ oleo & uino tritis. Freq̃ũtius uero cum cimolia in uino madefacta eos expurga, aut cochleas terrestres ustas & tritas cũ melle adfrica. Optimum autẽ est & hoc in balneo. Mellis partes duas, aluminis liquidi partem unã. Coquito ad permutationẽ aliquantulã, ac utitor primũ in sole, deinde in prima balnei domo: atq; ubi parum humectati fuerint, thus cũ sulphure uiuo, & nitro, & gummi, æquali põdere trita arida corporibus eorũ inspergito. Critonis, ad pruritus uehementiores. Foliorũ lauri uiridium fasciculum, salis pinguis cyamũ unum, aceti sextarium unum, olei lib. III. Omnia simul coquito, atque ubi bis aut ter efferbuerint, ab igne auferto, & frigefieri sinito, deinde oleũ segregatum inungito. Aliud, ad ægre tolerabiles pruritus. Fecis uini ustę, nitri assati, cimoliæ, cuiusq; lib. I. staphidis syluestris quincuncẽ, iridis trientem, aceti sextarios quatuor, olei lentiscini sextarios duos. Arida contusa & cribrata humidis excipito. Vsus eius est in sole, aut in balneo. Aliud, Critonis. Radicis rumicis, fœni græci, gummi, singulorum drach. duodecim, sulphuris uiui, aluminis liquidi, cuiusq; drac. IIII. myrobalani, cimoliæ, fecis uini ustę, cuiusq; drac. sedecim, aceti sextarios duos, olei sextariũ unum. Committito ac utere ut dictum est. Efficax est & id quod ex rumicis radicibus ad elephantiasim est præscriptum. Probe facit etiam ad omnem pruritum, inquit, oleum in quo rhododaphne incocta sit illitum. Aliud, ad intolerabilem pruritum, & qui domari non potest. Cæterum quum neque uenæ sectio, neque defricatio aliqua quicquam profuisset, quidam ex huius remedii usu malum exuperarũt. Testudo terrestris uiua in oleo coquitur, & ex oleo corpus inungitur. Sedãt & pruritus ualde egregie, mori folia arida trita affricta, & portulaca trita per se, & perdiciũ, & apium cũ sulphure

phure uiuo & sale. Quũ uero caliditas multa affuerit cum pruritu, ptisanę succus commodissimus est, tum per se, cũ modico aceto ammixto. Quòd si uehemẽter urgeat afflictio, quędã ex prædictis smegmatis ad ptisanæ succũ ammisceto. Vitandæ autẽ sunt insolationes, præsertim in æstiuo sole. Aqua autem marina maxime frigida conuenientissima est prurituі. Quare tentandũ est ut æger bis & ter in die probe perfrictus in ea natet: bis quidẽ ante prãdium, semel uero circa uesperam. Diæta boni succi & uentri commoda eligatur. Etsi aluus adstricta sit, catapotia ex aloë sex numero in erui magnitudinem formata post cœnã præbe. Abstineat æger ab omni acriũ ciborum esu, & ab omni salso edulio, & à cunctis oleribus crudis. Ad scabiosos pruritus. Cæterum ad pruritus scabie perplexos, lac scissum assidue adhibitum cõmodum est, & smegmata omnia prædicta utiliter adhibẽtur. Priuatim autẽ hæc. Myrrhã cum aceto & oleo tritam illinendam præbe donec exudẽt. Sinapi item & myrobalanũ cum aceto & oleo eodẽ modo. Aliud. Spumæ nitri, alcyonij usti, sulphuris, singulorũ æquales partes tritas & linteolo exceptas in oleo madefacito, & deinde ex arido accipito, locosq; donec erodantur defricato, atq; ita aqua abluito. Aliud. Ammoniaci salis, nitri assati, sulphuris uiui, singulorũ unciam unã, myrti aridæ sextantem. Vtere sicco. Aliud celebre. Farina cicerũ cũ caprini stercoris pari modo utitor. Aliud ad psoras, pruritus, uitiligines, & impetigines. Bituminis, sulphuris uiui, thuris, buccinorũ ustorũ, ęquales partes cum aceto & melle tritas adhibe. Optime facit & pulegium cũ mannæ puluisculo ex oleo & uino illitum. Vnguentũ ad psoras. Hederæ folia tenerrima & modicum salẽ cum uino & oleo trita illinito.

Aliud. Oleum amygdalinũ uinumq; ac butyrum conquassata illinito. Aliud. Aloës, cerusæ, spumæ argenti, syrici, plũbaginis, glaucij, recrementi argenti, saponis constãtini, singulorũ æquales partes, aceti & rosacei, quantũ satis est. Vtere in balneo. Aliud, ualde celebre. Nuces rancidas quindecim, sulphuris uiui quadrãtem, gari pontici quantũ usui opus fuerit: tritis utere in balneo. Aliud. Perdiciũ herbam cum sale & sulphure affricato. Aliud, experimento constans. Nuces rancidas quinquaginta, salis manus plenæ mensurã, sulphuris uiui unc. I. tritis utere in balneo ad defricationẽ, oleo nõ adhibito: atq; ubi exudarit, ægrũ in solium calida expletũ demittito, indeq; egressum rursus defricato, & statim rursus in solium demittito. Aliud præsens remediũ. Panis aridi, nucũ iuglandium rancidarũ, æquales partes, sulphuris uiui, paulo plus q̃ pro panis mensura, optime terito uino austero affuso, donec ad strigmentorũ spissitudinẽ redigantur, & absq; oleo in balneo affricãda præbeto. Aliud. Saponis gallici, nitri, pumicis, sulphuris uiui, perdicij herbæ, cuiusq; unc. I. adipis porcini recẽtis unc. XVIII. carpobalsami dra. IIII. Vtere in balneo. Vnguentũ optimũ ad psoras. Picis sexuncẽ, ceræ quadrãtẽ, & unciæ dimidiũ, spumæ nitri sextantẽ, sulphuris uiui sextantẽ, olei myrtei quod satis est, ut ad strigmẽti solidioris crassitudinem redigatur. Vtere in balneo. Aliud. Pyretri drachm. IIII. herbæ lanariæ drachm. IIII. fœni græci drac. VIII. contusa & cribrata reponito. Vsu uero expetẽte quantũ tribus digitis appræhẽdi potest accipito, & cũ aceto acerrimo conquassato: deinde rosaceo sufficiẽti addito unà cũ smegmatis illinito. Aliud. Aluminis scissilis, spumæ nitri, sulphuris uiui, cuiusq; sextãtem, staphidis syluestris sexuncẽ. Aceto & rosaceo diluta illinito. Aliud ad inueteratas psoras. Atramentũ sutorium cũ lacte & rosaceo tritum illini, quidã uero cum adipe suillo utuntur. Aliud. Chalcitidis, misyos, ęquale pondus, tritis cũ uino & rosaceo utitor. Aliud. Nitrũ assatũ, sulphur uiuum, alumen ustũ, æquis partibus cũ oleo circũlinito. Facit & centaurea arida trita adfricta, similiter & chamæpitys. Aliud. Raphani succũ cum ouo in balneo diligẽter illinito, & in paucis diebus curabit ægrum, idẽ & rapi succus cũ ouo probe facit. Aliud, ad psoras. Spumę argẽti trientẽ, oua integra quinq;, aceti lib. V. & dimidiã, olei myrtei sextariũ unum: trita illini. Aliud, ad psoras sanie fluẽtes & fœtidas. Mali punicæ ramulos teneriores aut folia tusa terito, aqua aut posca prout melius iudicaueris affusa: illine assidue, & miraberis. Aliud, ad psoras ægre curabiles, & principiũ elephantiasis. Serapiadis tritesticularis manus plenæ mensurã, radicis altheæ tantundẽ, hyoscyami uiridis tãtundẽ, myrti uiridis tantundẽ, scillam unã mediocris magnitudinis aut paruas duas, olei sextarios tres, aceti sextarios tres, spumæ argenti dodrantẽ, cerusæ trientẽ, croci sesquiunciam, candidũ ouorum decem. Spumã argenti, cerusam, & crocũ cum aceto terito, herbas uero cũ oleo & reliquo aceto coquito, percolato, ac tritis affundito & cãdida ouorũ addito, unito, utitor. Ego uero & perdiciadem herbã adieci, & in magnis affectionibus etiã chamæleonem, & rosmarinum herbam. Aliud ad psoras, quo usus sum in elephantiasis principio. Nitri, aluminis, sulphuris uiui, ceræ, cuiusq; sextantẽ, picis trientẽ, olei in quo rhododaphnæ coctæ sint lib. I. Cæterũ ego sulphuris uiui sexuncẽ cõieci, & pro arida pice liquidã indidi: & corpore ex his illito usq; ad miraculum profeci. Verũ ubi iam ad cicatricẽ perducta essent ulcera, sulphuris sextantem, & picem aridã inieci. Ceratũ ad psoras, ualde celebre. Colophoniæ unc. I. ceræ unc. I. emplastri ex succis sesquunciã, myrti quadrantem. Vsu expetẽte, si quidẽ psoræ fuerint asperiores, ipsũ ut habet adhibe. In exulceratis uero rosaceo liquefacito, ac utitor. Aliud, quo in exulceratis psoris per omnia utimur. Cerę sextantẽ, picis aridæ sextantẽ, emplastri ex succis quadrantem, rosacei trientẽ: liquefacito, ac utitor ueluti eo quod præter opinionẽ auxilietur. Cæterũ si diuturna sit affectio, subscriptis uteris; Epithema præclarũ: facit & ad ulcera cicatricẽ difficulter recipientia. Aeruginis unc. I. atramenti sutorij unc. I. ceræ unciã unam, adipis porcini recentis sextãtem, liquefacta aridis cõmittito & imponito, ac post triduum soluito. Facta uero exulceratione, uelut igne ambusta curato. Aliud epithema. Sandarachæ unc. I. ammoniaci unc. unam: terito, & terebinthina excipito, ut emplastri accipiant formã, & præfricto loco, pellicula excepta imponito, ac post dies quinque soluito. Vbi uero tectoriũ ulceri fuerit inductũ, eodem pharmaco donec tectorium excidat, utitor. Ad exulceratã autem cutẽ his quæ ambustis cõueniunt utendũ est: & maxime emplastro ex hordeo apparato. Porrò ubi in callũ indurauerit affectio, magisq; fuerit exacerbata, sequentibus utendum erit. Epi-

 thema

thema ad psoras in callum obturatas, & ad leprosas dispositiones, pharmacum prospere accōmodatum. nam & callos coërcet, & ex profundo extirpat, & ulcerationes ad cicatricē perducit, solū enim ea quæ præter naturā accreuerunt corpora cōtingit. Farinæ lupinorū tenuissime tritorum, syluestrium quidem malim, si adsint, aut satiuorum, si illi haberi nō possint, uncias quatuordecim, farinę loliaceæ septuncē, nitri rubri sexuncem, picis liquidę italicū sextarium unum, aceti acerrimi italicū sextarium unum, terebinthinæ bessem, picem, cū aceto coquito, & ubi unita fuerint terebinthinā adijcito, & ab igne ablata aliquo modo frigefieri sinito, & inspersis ac infartis farinis, assidue agitato, deinde ad ignē lentissimum admotum coquito indesinēterq; agitato donec pharmacū à testa in qua coquitur, incipit separari. Quo facto ipsum in mortariū trāslatum & probe tritum reponito. Vsu uero exigente præfricto ex nitro loco, linteolo exceptum nouo & denso imponito, ac post tertium diē soluito, & alia noua splenia cōcinnata imponito, atq; id usq; ad perfectā sanationē facito. Oportet autem nō modo hoc epithema, uerum etiam alia quę ex aceto & pice cruda apparantur, in loco sub diuo apparare. Facile enim dehiscūt & disparātur. Heraclides in æreo uase coquendū esse admonet, & terebinthinā postremā conijciēdam. Oribasij, ad ulceratas & feruidas in suris eruptiones. In balneis quidē myrobalanū & sulphur cum liquido cerato leuiter illinito: postquàm uero frigidæ aquæ solium inscenderit, ex oleo myrteo cū uino inungito, aut ex rosaceo aut lentiscino eodem modo. Potes & lētiscino citra uinū uti. Ad psoram, Magistriani, ualde necessariū. Rhododaphnes ramulos in oleo coquito, deinde nuces rancidas & sulphur uiuum in mortario terito, infusoq; ad ea oleo simulq; trito, locos in sole illinito, & post horam lauato, & sanabis. Aliud, præter opinionē ad psoras faciens: Cerusæ, spumæ argenti, sulphuris uiui, ceræ, singulorū sextantē, oua numero duo. Oua recētia in aceto per tres dies ac noctes macerato, deinde unà cū putaminibus trita, reliquis probe tritis aridis ammisceto, & cerā cum rosacei libris duabus & dimidia liquefactam cum eis cōmittito, ac utitor in balneo pro unguēto. Aliud ex ochra, ad psoras cōmodum. Spumæ argenti trientem, cerusæ unc. I. ochræ sextantem, cadmiæ unc I. ceræ trientem, olei myrtei lib. II. arida cum uino terito, & liquefacta affundito, ac utitor.

Ad pruriginosas papularū eruptiones. Cap. CXXVII.

Diphryges cum aceto illinito, & mori radicem ex aceto, plumbaginem, rubiginem ferri, misy, cyclamini radicem, omnia ex aceto: alumen omne melle coctum, rutam cum sale & oleo, cerusam & argēti spumam ex aceto, rutam cum cerato myrteo quadrupla parte. Aliud, ad psoras, humentes lichenes, pinguesq; & tumentes ac multo humore manantes, mirabile. Cadmiam uino & oleo tritam illinito. Ad omnem psoram ulceratam cum pruritu aut dolore, & ad ulcera capitis manantia, erysipelata, & herpetas. Plumbi usti, cadmiæ, plumbaginis, cuiusque unciam unā, scoriæ argēti quæ & helcysma sesquunciam, spumæ argenti sesquunciā, uini & olei omphacini aut rosacei quantum sufficit. Vtere ad omne ulcus aut papulam in toto corpore. Pręter opinionem enim facit, præsertim in infantibus. Aliud, ad psorā asperiorē & tubercula, optimū. Cadmiæ, cerusæ, sulphuris uiui, mastiches, cuiusque unc. I. ceræ quincuncem, rosacei dextantem. Vtere, locos ex eo integendo. In balneo autem ex pharmaco unciam unam, & sapone sesquunciam misceto, ac illinenda dato.

Ad pustulas psydracas Græcis appellatas, & ad papulas ex feruore aut sudore obortas.

Cap. CXXVIII.

Fiunt in toto corpore pustulæ, dolorem inducentes citra saniei collectionē. Eas eczemata, ab ebulliēte feruore Græci uulgo appellant. In his plumbago conuenit cum uino aut lentiscino oleo trita, aut cerusa cum uino & oleo myrteo: aut minium sinopicum cum adipe suillo recēti, aut misy assatum cū uino & rosaceo. Ad exulceratas pustulas. Vbi uero exulceratæ fuerint pustulæ, subscriptis utendum erit. Scoriam plumbi, & spumā argenti, pari pondere uino & oleo myrteo excepta illine. Aliud. Malicorij, spumę argenti, atramēti sutorij, singulorū æquas partes, cum uino & rosaceo illine. Aliud. Baccarum myrti nigrarum, malicorij, atramenti sutorij, spumæ argenti lotæ, singulorū æquale pōdus, cum uino & oleo myrteo illinito. Smegma, ad pustularum eruptiones. Farinæ fabarum, ptisanæ molitæ, radicis polygoni contusæ & cribratę, terræ cimoliæ tostæ, singulorum drach. II. spumæ nitri albæ drachm. I. thuris tenuissime triti tantundem. Vsus eius in balneo est. Ex eo autem quātum sufficere putaueris accipito, ac cum oui candido subigito: deinde corpus ex eo circumlitū exudare sinito. A balneo autem ex rosaceo aut myrteo corpus illinito. Aliud smegma. Cimoliæ drach. II. farinæ erui drach. II. quod ex myrobalano cōtusa & expressa reliquū est tantundē, iridis tusæ drac. II. nitri drach. II. myrti siccæ tusæ drachmæ dimidiū: tritis utere ut dictū est. Aliud. Radicis hyoscyami contusæ drac. I. farinæ lupinorum drach. I. cimoliæ drachmæ dimidium, iridis drachm. III. & dimidia: tritis utere ut dictū est.

Oribasij, ad nigras cicatrices inalbandas.

Cap. CXXIX.

Spumæ argenti, mentæ, thuris, æquales omnium partes, cum melle utitor. Aliud. Stercoris crocodili drachmas decem, thuris drachmā unam, cerusæ drachmas duas: aut ex aqua, aut cum cerato cyprino mixta illinuntur. Aliud. columbinum stercus ex aqua illinito, ipsumq; cito abluito, ne exulcerationē inducat. Aliud. Cimoliæ, stercoris columbini, saponis, thuris, singulorum pares partes cum aceto illinito. Aliud. Hirundinis stercus ex aqua illinito. Aliud. Saponis, stercoris canini albi, ceræ, olei inalbati, æquales omnium partes cōmitte ac utere. Aliud. Nitri, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, sulphuris uiui, singulorū æquas portiones in aceto albo terito, aut uino & aqua trita modice illinito, ne exulceratio succedat. De impetigine, præscriptū est Sermone octauo. De herpete, & similibus, in Sermone quarto decimo. De uerrucis, tum quæ myrmeciæ, à formicis, tū quæ thymi, à similitudine cacuminū thymi appellantur, item in decimo quarto Sermone scribetur. Ad papulas autē infantium, in quarto Sermone tractata sunt remedia.

Ad ulcerosas papularū eruptiones, tum in tibijs, tum in toto crure obortas. Cap. CXXX.

In balneo ex myrobalano & sulphure cerato liquido

exceptis leuiter illinantur, & in aquam leniter calidam demittantur: postquàm uero frigidæ aquæ solium insēderint, loci ex myrteo oleo cum uino, aut rosaceo, aut lentiscino cum uino inungantur. Lentiscino etiã per se utendum. Probe faciunt ad eas & mali punici putamina uino cocta & trita, ac cerato modico liquidiore ex myrteo aut rosaceo oleo apparato excepta, & illita. Facit & myrsinatũ dictum pharmacum, & emplastrũ ex hordeo cum largo rosaceo aut myrteo dilutum & illitũ. Aliud. Valde commodum & hoc est, quod in adolescētulo quopiam sumus experti, qui psoram multam inueteratam iam ac asperrimã circum crura habebat, quæq; à genubus usq; ad pedum digitos procedebat. Semen lini cum aqua cõtusum quàm crassissime illinito, & assidue tanquam uehemēter approbato utitor. Aliud, ualde efficax. In quodam qui asperrimam psorã circum crura habebat cognitum, in quo adeo affectio ipsa inualuerat, ut elephanticorum corporibus nõ absimilis esset: qui sanè in paucis diebus sanatus est. Sulphur uiuum quàm tenuissime tritum, amurca & oleo exceptum, in balneo ad defricationē exhibeto, & post balneũ ex eodē illinatur.

Ad cicatrices nigras ex ulceribus relictas. *Cap.* CXXXI.

Quandoquidem uero in profundorum ulcerũ curationibus, cicatrices nigræ conflantur, etiam de his dicere operæ pretium fuerit. Differunt autem cicatrices à uitiligine nigra, quæ alphos appellatur, in hoc quòd leue corpus habent. Vitiligo enim tum adspectui, tum tactui aspera subiacet. Ad nigras itaq; cicatrices subscriptis utendũ est. Plumbi usti, spumę argenti, æquales partes cum uino tritas, & in cerati crassitiē redactas, reponito. Vbi uero usus expetit, uino & rosaceo liquefactas, & ad pinguis emplastri spissitudinē deductas, illinito. Aliud. Sulphuris uiui, & myrobalani, æquas partes cum aqua illine, aut terebinthina exceptas, & uestis detritæ panniculo infartas impone. Aliud. Myrobalani unciam unã, stercoris columbini unciã unam, melãthij sextantem, tritis utere pro smegmate, poteris & cũ aceto illinere. Aliud. Myrobalanũ, sulphur uiuum, alcyonium, cum aqua ad strigmentorum spissitudinem redacta illinito. Aliud. Buccinorũ ustorum sextantem, thuris unciã unam: illine cum aceto. Oribasij, ad cicatrices nigras. Radicis cucumeris syluestris uiridis drachmas duodecim, adipis suilli recentis drachmas quindecim, aluminis scissi drachm. II. sulphuris uiui, nitri, cuiusq; drachmas duas. Aliud. Spumæ argenti, cerusæ, æquales partes lotas terito, & cum oui candido illinito. Smegma, cicatrices inalbans. Cimoliæ, stercoris columbini, saponis, thuris, æquales omnium partes cum aceto adfricato, & rursus ex eodem illinito. Aliud. Veratri albi drachmas duas, thuris drachmas duas, spumæ nitri drachmam unam, cimoliæ drachmã unam. Vtere cum aceto. Aliud. Bryoniæ radicē concisam, in oleo donec succulenta reddatur coquito, & oleũ ipsum assiduè illinito. Aliud. Erucæ semen cũ felle bubulo, aut alio quod haberi possit, illinito. Aliud. Spumæ argenti sextantē, sulphuris uiui unc. I. erucæ succo trita illini, ubi uero exaruerint, laua. A balneo uero ex sola argenti spuma cum erucæ succo illine. Aliud. Talum ouillũ ustum cũ uino terito, ac illinito. Pastillus ad cicatrices nigras in quacunq; corporis parte. Cornu ceruini usti, buccinorũ ustorũ, spumæ argenti, cerusæ, thuris, alcyonij usti, singulorum unc. I. piperis sesquunciã, sulphuris uiui sesquũciam, gummi unciã I. cum uino pastillos, queãdmodum nosti, formato. Alius pastillus, per experientiam concolores cicatrices faciens. Lapidis pyritæ, comæ absinthij, lupinorũ amarorum, pompholygis, cimoliæ, stercoris columbini, myrobalani, melanthij, æquales singulorum partes in pastillos cum aceto cogito, similiterq; utitor. Ad cubitorum & coxēdicum nigredines ex cinctura obortas. Alcyonium ustum, si quidem tenera cute pręditus sit, cum aqua: si uero duriorē cutem habeat, cũ aceto statim à balneo illinito. Smegma idemq; illitio, ad nigras in toto corpore cicatrices. Farinę fabarum Italicam chœnicem unam, baccarum lauri drach. VIII. ueratri albi drach. VIII. myrobalani drac. IIII. spumæ nitri drach. IIII. contusa reponito. Vsu uero exigente, cũ aqua illinito. Vtere & pro smegmate in balneo. Aliud. Farinæ erui, spumæ nitri albæ, radicis bryonię, alcyonij asperi, myrobalani, singulorum ęquales partes committito, ac utitor, ut dictum est.

De uitiligine, seu alpho. *Cap.* CXXXII.

Vitiliginum, quæ alphi Græcis dicuntur, generatio eiusdem speciei est cũ leuce & lepra, nõ tamen omnino in profundo caro in eis affecta est, sed summa tãtum cutis, & uelut squamulæ quædam uitiligines ipsæ affixæ inhęrent, albæ quidem ex pituita, nigrę uero ex atræ bilis humore obortę. Dictus est autem Græcis alphus, ex eo quòd colorem cutis immutet: immutare enim apud ueteres, ἀλφαίνειν dicebatur. Ad albas igitur uitiligines & nigras cõmuniter faciunt, folia fici, sulphur uiuum, alumen, æqualibus partibus cum aceto illita: quare eis ut præstantissimis utaris. Aliud, ad utraq;. Calcem aqua multoties lotam in æstiuo sole desiccato: usus uero tempore cum aqua liquefactam dilutiorem illinito. Ad nigras uitiligines. Ad nigras uero uitiligines priuatim subscriptis utendum est. Veratri nigri, terræ cimoliæ, æquales partes aceto aut aqua dilutas, & ad strigmentitiam spissitudinem redactas in sole illinito, præfricto antea loco. Aliud. Radicis narcissi, seminis urticæ, cuiusque sextantem, nitri rubri unc. I. cum aceto illine. Aliud. Veratri nigri, nitri, æquis partibus ex aceto utere. Aliud. Cochleas terrestres ustas & cum melle tritas, post modicũ temporis interuallum affricato. Ad inueteratas nigras uitiligines, & superficie iam in callũ indurata, subscriptis utendum est. Radicis chamæleonis nigri dodrantem, sulphuris uiui sextantem, spumæ nitri unciam I. Vtere in aceto dissolutis illinendo ad solem. Aliud. Alcyonij sextantē, nitri sextantem, staphidis syluestris unc. I. sulphuris uiui unciam I. hæc arida adseruato, primumq; psilothro utitor, & interiecta una die corpus in balnèo humectũ ex aridis conspergito, & sudorē ab eo excludet. Aliud. Alcyonij usti, spumę nitri, sulphuris uiui, ueratri nigri, singulorum ęquas partes cum aceto illinito, & cum eodem etiã in balneo defricando repurgato. Aliud odoratum efficacissimum. Veratri nigri drachm. VIII. iridis, spumæ nitri, costi, cuiusque drachmas quatuor, cum aceto illinito, & in balneo citra pinguitudinis ammixtionem affricato. Optimè facit & ad hæc

ad hæc, id quod ad albas uitiligines apparatur adiaptoton, ex eo quòd citra opem non dilabatur, inscriptum. Smegma ad nigras uitiligines. Radicem cucumeris syluestris contusam & cribratã affricandam exhibeto. Aliud. Foliorum fici in umbra desiccatorum drach. VI. similaginis drach. IIII. nitri drachm. VIII. alcyonij. drach. VIII. contusa, cribrata, reponito. Ante usum autem ad solem exudare affectum oportet, deinde inspergere, & sinere exiccari, deinde citra olei ammixtionem defricare. Hoc in quinque diebus uitiligines curat. Aliud. Melanthij, ueratri albi, costi, singulorum drachm. IIII. nitri drachmas XII. Vtere in balneo citra pinguium admixtionem. Manifestum est autem, etiam si nullus dicam, quòd prius ex hiera Galeni corpora purgare oporteat, aut ex colocynthide & aloë catapotijs. Deinde uero subscriptis uti. Bulbos cum aceto tritos illinito. Poteris item purgatiuis ex ueratro nigro & epithymo uti. Ad uitiligines albas. Hos itidem prius cum Galeni hiera purgare oportet, aut per catapotia ex colocinthide & aloë formata, deinde sequentibus uti. Dracunculi radicem, aut ari radicem, cum farina ordeacea ex aceto illinito. Aliud. Bulbos tritos cum aceto illinito. Aliud. Altheæ semen cum aceto tritũ illinito. Aliud. Bryoniæ radicem concisam cum oleo decoquito, donec oleũ inde succulentũ reddatur, & assiduè illinito. Aliud. Baccarum lauri, cimoliæ, nitri, æqualibus partibus utere cum aceto. Illine autem ad solem, & post paruum interstitium aqua ablue. Aliud. Fœni græci trientem, spumæ nitri sextantem, alcyonij usti unc. I. cum aceto illinito. Eodem etiam pro smegmate in balneo utitor. Aliud ualde efficax. Alcyonij usti, sulphuris uiui, ueratri albi, spumę nitri, æqualibus partibus in balneo ad defricandũ utere: cum aceto item in sole illine. Aliud adiaptoton, quòd citra opem non dilabatur, appellatum. Radicis chamæleonis albi drach. VIII. alcyonij usti, sulphuris uiui, atramenti sutorij, spumæ nitri, cardamomi, pyretri, foliorũ fici syluestris, aluminis liquidi, pulueris calcis uiuę, qui parietibus adhæret domus, in qua calx reposita est, singulorũ drach. IIII. tere, & in sole cum aceto illine, ęgro prius in balneo ex eo defricto. Facit & ad uitiligines nigras. Aliud ad nigras ac albas uitiligines celeberrimum. Myrrhæ, sulphuris uiui, spumæ nitri, ueratri albi, cuiusque sextantem, alcyonij usti sexuncem. Vtere confidenter pro smegmate in balneo: & in sole item cum aceto illinito.

De leuce uitiligine altius insidente, Galeni.

Cap. CXXXIII.

Pituitosus & lentus ac uiscosus sanguis, & affectorum locorũ debilitas, causę sunt ob quas leuce generatur. Quum enim ex pituitoso simulq; uiscoso sanguine caro per multum tempus cõnutritur, facilimè leuce omnis per profundũ ipsius pituitosa oboritur, neq; potest amplius delatum ad locum nutrimentum ad propriam naturã in rubedinem transmutare. Accedit his, quòd & ipse qui ad locum influit sanguis pituitosus, ueluti prædictũ est, existit. Qualem igitur locusta, aut cancer fluuialis, & ferè omnia exanguia ostrea ex natura sua carnem habent, talem habent & ex trãsmutatione, ac in aliã speciem degeneratione, hi qui leucis corripiuntur. Etenim hanc carnis affectionẽ ita appellãt ab albo colore nomine accepto. Quum enim in pilo obsitis locis leuce oboritur, pilo locos ipsos non denudat, sed canos omnino facit. Si uero loci pilosi glabri & pilis nudi reddantur, incurabilis leuce censetur. Ad leucas igitur subscriptis remedijs utendum est. Fici syluestris nigræ uirgultorum lib. I. rutæ sexuncem, misyos unc. I. calcis uiuæ unciã I. aceti acerrimi quantum satis est. Contere obnixe & pastillos informa, eosq; in umbra resicca. Vsu uero exigente illine in sole, loco prius confricto: & si bullæ oboriantur, eas acicula penetrato, & ceratum imponito. Aliud. Fici nigræ uirgulta in aceto macerato, & quàm tenuissimè terito, eisq; spumæ nitri, sulphuris uiui, fructus myricæ, singulorũ ęquales partes ammisceto, & locum cum nitro prius defricato, indeq; in sole illinito, diligenter obseruans ne ulceratio ex eis consequatur. Aliud. Fici nigræ folia uiridia in aceto macerato: sit autem aceti tantũ ut ea superet & penitus contegat, deinde contusa & trita cum sufficiẽte calce uiua misceto, & locis prius extersis in sole illinito, usquequo lẽtigini similem imaginem ipsa leuce induat, atq; deinde fici succum recentem supra istam illitionem inducito, ipsamq; leucen solam aliquandiu confricato, & ne uicinas partes exulceres obseruato. Egregiè enim auxiliatur. Aliud, ad leucen diuinum donum: facit & ad lepram. Sandaracham terito, eiq; nucum iuglandium uiridem testam adijcito, ac adfuso aceto, rursus simul probè terito, & loco prius deterso, in sole illinito. Quòd si acre ægro appareat, paucũ panem ammisceto, & assiduè lauato. Aliud, ex cuius usu sæpiculè laudem adeptus sum, citra exulcerationem medetur. Vsus sum eo in muliercula quadam quæ in fronte leucen habebat, & ualde egregiè uires suas declarauit. Seminis cardamomi sesquiunciã, atramenti sutorij sextatẽ, sulphuris uiui drach. IIII. aluminis rotundi & scissi, cuiusq; drac. IIII. cũ aceto diligenter terito, locoq; ex nitro & aceto præfricto, in sole illinito. In quibusdam sanè bullam quotiescunq; illinitur producit, qua sublata leprã ipsam item tollit. Aliud, ad leucas & lepras. Nucum iugladium immaturarum & adhuc acerbarum exteriorem corticem uiridẽ detrahito, & fici nigræ sylstris ramulos amputato, & ad hæc spumam argenti conijcito, ac cum aceto coquito, terito, & ad unguenti formã reducito, idq; ipsum in sole illinito. In decoquendo etiam hordei grana septẽ addito. Hinc enim sufficientis decoctionis signum habebis, ubi uidelicet hordei grana cocta uideris. Aliud, Archelai. Veratri nigri, radicis bryoniæ, radicis chamæleonis nigri, sulphuris uiui, atramenti sutorij, misyos, alcyonij, foliorum fici nigræ syluestris, singulorum æquales partes contusas per angustissimũ cribrum excutito, deinde in mortarium conijcito, & aceto affuso diligenter terito, atque ubi ad liquidissimi cerati spissitudinẽ fuerint redacta, in pyxidem plumbeam recondito. Vsu autem expetente, loco prius cum nitro perfricto, ad solem liquidius pharmacũ illinito. Summè etiã ad lepras conducit. Ad leucas quantũuis crassæ existant. Adarces, canchryos, sulphuris uiui, æquales partes: unumquodque per se priuatim contundito & cribrato, deinde simul cum aceto ad multos dies sufficienter in sole terito, & loco prius cõfricto nõ aceruatim illinito, sed dilutius, obseruans etiam in principio ne cutis exulceretur.

In progressu uero temporis parũ quid ex ueratro, tantundemq́ ex gallis, ad tria prædicta ammisceto.

Aliud. Olus est in Syria folia habens seridis angusto folio præditæ. Vocatur autem lepidium, & cum lacte conditum, seruatur: cum radice uero eius lanæ tinguntur, & nigrum induunt colorem. Hoc ipsum olus tritum & impositum, cutem liuidã reddit & attollit, ut excoriatæ similis uideatur. Est autẽ radix eius alba, crassitudine digitali: ex qua in sole siccata corticem detrahere oportet, & per diem unũ in acerrimo aceto macerare, deinde mane probè & cõstanter terere, affusso'que aceto sufficienti ad strigmentitiam crassitudinem redigere, atque ita repositum adseruare. Vbi uero usus exegerit, locum nitro defrictum paulisper transpirare sinito, atq́ ita pharmacum ipsum ad calentissimum solem illinito, & quodammodo adfricato, deinde acetum paulatim ad illitum instillato. Quum uero æger uellicationẽ ac morsum perceperit, eum ad tolerantiam inhortato. Bullæ namque succedent, quas acicula penetratas excoriare oportet. Vbi itaque excoriatæ fuerint, si quidem adfectus locus excoriatus concolor appareat, ipsum ut secundum naturam habentem & restitutum sinito, si uero non, rursus ad duos & tres dies idem pharmacum illinito, donec omnino perfectè uideris locum ipsum sanatũ. Aliquibus uero ex hac curatione bullæ non erumpunt, uerum locus ipse excoriatur, hos itaque uelut igne ambusta curare oportet. Aliud. Floris mali punici drachmas VIII. spumæ nitri drachm. V. alcyonij drach. III. sulphuris uiui drachm. II. Vtere cum aceto. Est item Siccũ optimum ad leucas, & inspergitur postquàm exciderint crustæ ex acribus pharmacis obortæ. Cæterum ad cicatricem obducẽdam, & cicatrices reliquo corpori concolores reddendas, aceto excipe, & loco probè præfricto illine. Vbi uero bullæ emerserint, pharmacum ipsum cum melle cataplasmatis modo impone. Efficacius autem fit si pro sulphure, ueratrũ nigrum conijciatur. Smegmatis porrò ad leucen itemq́ lepram plurimis ex præscriptis illitionibus uti oportet. Præclarissimè autem ad ipsos Siccũ magnum facit, quod Indum inscriptum est, quo etiam ad elephantiasim, & omnem cutis scabriciem: ad articularem item morbum, & membrorum resolutiones, & ad hydropicos uti conuenit. Salis ammoniaci, salis communis, salis cappadocici, salis amari, nitri assati, farinę fabaceæ, pumicis usti, spumę nitri, singulorum trientem, uerati albi, ueratri nigri, radicis struthij, radicis bryoniæ, cyperorum, aluminis liquidi, aluminis scissi, floris iunci odorati, gummi, iridis, lapidis specularis usti, testarum sepiæ, seminis lini, costi, baccarum lauri, farinæ lupinorũ, pulegij, thuris, seminis uiticis, singulorum sextantem, ostreorum ustorum, radicis dracunculi, fecis uini ustæ, pyretri, radicis chamæleonis nigri, sulphuris uiui, staphidis syluestris, sinapis, radicis pæoniæ, samsuci, spicæ nardi, comæ marrubij, fœni græci, grani cnidij, phylli, singulorũ unc. I. radicis cucumeris syluestris, cimoliæ, gallarum, singulorum scrupulos XVI.

De lepra Archigenis. *Cap.* CXXXIIII.

Ex crasso ac uiscoso, & magis atræ bilis humore lepra generatur. Differt autem lepra à leuce & alpho uitiliginis speciebus, in eo quòd lepra aspera est ad contactum, & pruritum locorum inducit. Cutis enim sola est quæ affecta est, unde & excoriata cute, caro subiecta sana reperitur. In leuce uero, ueluti dictum est, subiecta cuti caro tota per profundum transmutata est ad albidiorẽ colorẽ, & superficies affecti loci leuissima est, & confricta citius rubescit, præsertim in his qui facilè curantur. At uero alphos in superficie hæret, & uelut squamæ cuti affixus est. Cæterum à scabie differt lepra, quòd in scabie quidẽ furfuracea quædam cuti inhærentia apparent. In lepra uero quædam uelut magnorum piscium squamæ. Differt autẽ lepra ab impetigine syluestri, eo quòd impetigo orbiculatius semper ad uicinos locos proserpit. Lepra uero non ita eodem modo. Ad lepram igitur faciunt plurima ex his quæ præscripta sunt ad leucẽ, peculiariter aũt talia. Glutinis, saluię, lacrymæ oleæ syluestris, singulorũ dra. VIII. corticis radicis capparis, gũmi, singulorũ drac. XVI. Vtere cũ aceto illinẽs pręfrictis in sole. Aliud. Cardamomi, atramẽti sutorij, aluminis rotũdi, radicis chamæleonis nigri, nitri assati, farinæ lolij, singulorum æquales partes, loco ex nitro præparato, medicamẽtũ hoc in sole impone. Aliud. Atramẽti sutorij drachmas duas, sulphuris uiui drac. II. cardamomi dra. IIII. farinæ lolij, drachmas VIII. foliorum fici drac. VIII. carnis caricarum pinguium drach. VIII. Aceto trita impone, & alternis solue, ac rursus lotis impone. Aliud. Veratri nigri, sulphuris uiui, radicis bryoniæ, nitri, bituminis, foliorum fici, misyos, alcyonij usti, radicis chamæleonis nigri, atramenti sutorij, singulorum æquales partes. Vtere cum aceto ad præfrictos in sole. Aliud ad lepram experimẽto cognitum, tollit eam per dies quinque. Aeruginis drach. IIII. resinæ pinus liquidæ drachm. III. thuris recentis drach. II. Arida cum aceto terito, & adiecta resina liquata, præfrictis imponito, & alternis soluito, & reperies lepram splenio adhærentem. Deinde uero loco per poscam deterso ac confricto, ut cruentus fiat, rursus impone. At si exulceratio facta fuerit, per muriam & lenticulam cum melle depurga. Et postea perceratũ ad ambusta paratũ curationẽ perfice. Aliud, ad lepras, ipsas excorias. Radicis chamæleonis nigri partem unam, succi thapsiæ partem unam, uentrium cantharidum, sulphuris, ęquales singulorũ partes pice liquida excipe, & loco illine, ubi prius ipsum probè confricueris. Postquàm uero bullæ ac pustulę excitatę fuerint, lenticulam cum melle impone. Archigenis ad lepram, Magistriani.

Arietis nigri adipem accipito, & locum ex eo assiduè inungito, & in paucis omnino diebus citra exulcerationem, eam tollit. Aliud. Seminis raphani drachmas quatuor, sandarachę drachmas XVI. lupinorum aridorum decorticatorum, sulphuris uiui, singulorum drachmas XVI. gallarũ omphacinarum, ueratri nigri, gummi, singulorum drachmas octo. Aceto excipe, & pręfricto ex fici nigrę folijs loco, illine in sole. Cum eodem item in balneo citra olei ammixtionem sicco, per dies nouem defricato. Critonis, ad lepram, ueluti Oribasius tradit.

Farinę lolij chœnicem Italicam unam, cardamomi drachmas IIII. spumę nitri drach. IIII. atramenti sutorij drachmas octo, radices hastulæ regiæ medias quatuor, terito omnia & misceto. Vsu uero expetẽte quantũ satis uidebitur accipito, acetoq́ acerrimo coquito, & ubi ad cerati spissitudinem redegeris,

degeris, crassius illinito, loco tamen prius ex nitro confricto: supernè uero linteolum obligato, idq́ tertio quoque die soluito, frigidaq́ abluito, ac rursus illinito. Aliud, ut Oribasius tradit, citra exulcerationem persanat. Radicis rumicis syluestris drachmas XXIIII, gummi drachmas XII. sulphuris uiui drachmas sex, myrrhæ drachmas IIII. gallarum drachmas IIII. Rumicis radices in aceto ad tertias decoquito, eisq́ tritis reliqua ammisceto, ac simul terito, ad finē uero etiam gummi addito. Vsus autem tempore loco prius ex nitro cōfricto, illinito: sequēti uero die lauato ac similiter curato. Vtere eo & ad impetigines ac psoras asperas ac scabras. Oribasij, ad leprosos. Succi radicis hastulæ regiæ sexuncem, sulphuris uiui drachmas quatuor, mannę drachmas decem, nitri drachmas octo, illine cum aceto.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN DECIMO QVARTO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBUS MEDICINAE TETRABIBLI SIVE QVATERNIONIS QVARTI SERMO SECVNDVS, ET EX ORDINE XIIII.

De sedis, pudendorum ac scroti affectionibus, & de simplicibus medicamentis quæ in emplastra conijciuntur. Et de cruentis uulneribus & inflammationibus, abscessibusq́; ac ulceribus ueteribus.

De affectionibus sedis, ex Galeno. Cap. I.



AFFECTIONES circa sedẽ ob multas causas difficulter curãtur. Nã & ualde tenero sensu prędita pars est: sæpe uero dictũ est, tales partes facilè ab acrioribus ac austerioribus medicamẽtis iritari. Et ipse superfluitatũ alimenti transitus, tũ per se mordax est, tũ ob id maximè quòd simul cũ ipsis pertransit bilis, & aliquando quidã serosi humores. Et ad hæc accedit, quòd neque præfinitum est Medicis certũ tempus ad medicamenta imponenda: sed aliquando etiam tempore nõ conuenienti, ęgri ad recrementorum excretionẽ progrediuntur. Quin & humiditas ac caliditas locorũ, siccantibus simúlque frigefacientibus opus habens, nõ parum efficit ut ulcera ęgrè curabilia fiant. Mordent enim adstringentia, locus autẽ ferre non potest morsum, quũ subtili sensu prædiṫus existat. Quapropter conueniunt ipsis medicamenta, quæ adstringũt citra asperitatẽ: qualia maximè sunt ex metallicis, ea quæ neque acria, neque acerba ualde sunt. Hęc enim lota, citra mordacitatem faciũt id quo opus est. Horum igitur in summa memores, materiã experimento cognitam consequenter scriptam habete.

De inflammationibus sedis. Cap. II.

Ad inflãmationes ani, siue ex fissuris, siue ex tuberculis, siue ex ulcere fuerint. Palmarum passarum sextãtem, panis siliginei unciam unam, croci drachm. II. Palmas & micas panis sapa præmaceratas terito ac illinito. Quum autem inflammatio cessauerit, imminuto pane, palmulas & crocum auge, donec curetur. Curata uero inflãmatione, utere sicco hoc ad ulcus. Cerusę & syrici pares portiones siccas tritas insperge. Facit hoc etiã ad tubercula condylomata appellata. Medicamentũ optimũ ad sedẽ, curat fissuras, & tubercula consumit, & dolorẽ confestim eximit. Sanat etiã ulcera depascẽtia, ac maligna, & ęgrè cicatricem accipientia. Deprimit præeminentia, & replet caua. Facit etiã ad tibiarũ ulcera, & ea quę dulcia appellãtur sanat. Mastiches, cerussę, spumę argẽti, succi hyoscyami, singulorũ unciam I. olei myrtei aut lentiscini, quo strigmentosum pharmacum fiat. Quod si etiã amplius quid de hyoscyami succo cõieceris, prodest. Reponitur in plumbea pyxide. Medicamentum ad sedem, Oribasij. Olei myrtei, libram unam, cerussæ trientem, thuris sextantem. Cerussam cum oleo myrteo ad mellis compagem coctã, ad thus in mortario tritũ affunde, & unitis utere. Phicotyche Oribasij emplastrũ probatũ. Thuris drachmas decem, myrrhę drachmas VII. opij drachmas IIII. butyri drach. IIII. aluminis scissi drac. I. cadmię ustæ ac lotæ, põpholygis, utriusq; drac. VI. ceræ Tyrrhenicæ drachmas IIII. uitellorum ouorum assatorum, numero quatuor, adipis anserini drac. XVI. rosacei drachmas XVI. medullæ ceruinæ drac. XIIII. cerussę drachmas XIIII. plumbi usti & loti drachmas octo, lapidis hæmatitæ drachmam unam, œsypi drach. IIII. & dimidiam. Arida teruntur cum uino. Ambrosia emplastrum Oribasij. Ceræ, mellis, rosacei, spumę argenti, cerussę, adipis caprini, butyri recentis, singulorum quadrantem, thuris unciam unã.

Aliud emplastrum sedis dolorem mitigans ac adimens. Spumæ argenti, cerussæ, ceræ, singulorum unciã I. rosacei sexuncem, croci dra. IIII. medullę ceruinæ dra. IIII. amyli dra. IIII. meliloti unc. I. terebinthinę drachmas duas. Aliquando & ouorũ assatorũ uitellos duos aut tres. Spuma argenti & cerussa lotę ac siccatæ miscentur, deinde teruntur passo cum meliloto, croco & amylo. Emplastrum sedis ex cerebellis Andreæ. Adipis Anserini curati, ceræ, thuris, medullæ cerui, floris rosarum, pompholygis lotæ, cadmiæ teneræ lotæ, plumbi usti loti, singulorum drac. IIII. cerusæ drach. VIII. cerebellorum gruum drach. II. opij sesquidrachmam, œsypi drach. V. succi intybi cochlearium I. rosacei sexuncem, præpara & utere uelut dictum est. Ad inflammationem ignis sacri in sede. Emplastri ex succis lib. I. panis siliginei lib. I. croci unc. I. opij drachm. IIII. rosacei lib. II. Crocus & opium passo macerantur, panis uero in aqua, & ad ipsa trita affunduntur liquida. facit etiam ad podagras, in calida intemperie ac fluxione biliosa. Ad eminentias protuberantes. De rumicis agrestis radice humida adhuc corticem detrahe, & ipsam radicem parum cõtusam ut ex proprio succo madescat, statim eminentiæ ipsi affrica post factam alui exonerationem, nimirum ubi aqua ablueris, & linteo deterseris humiditatem. Hoc decrescente luna fiat. Aliud optimum ad omnem sedis inflãmationem, Malicorij sesquiunciam, meliloti unc. I. fœni græci cyathos II. Vini dulcis ueteris heminas quinque. Coquito ad tertias, & abiectis herbis, terito in uino cerusæ lotæ sextantem, pompholygis lotæ unc. I. thuris trientem, plumbi usti unciam I. Et liquefacito ceræ Tyrrhenicæ sextantem, olei myrtei quadrantẽ, rosacei quadrantẽ, butyri recentis insulsi sextantẽ, œsypi unciã I. medullæ ceruinæ unciã unã, adipis anserini trientem: hæc liquefacta, frigefacta ac erasa, ad trita adijcito, & intybi succum paulatim adstillato, & probè unitis utitor. Aliud Andromachi, quo utor inquit. Rosarum uiridium, drachmas VII. capitum papaueris drachmas IIII.

oua

oua cruda integra duo, butyri recentis, œsypi, mali corij leuissimè triti, singul. drach. XVI. mellis dodrantē, rosacei aut myrtei sexuncē, ceræ bessem. Aliud, quo utor ait. Cerusæ drac. V. spumæ argenti lotæ drach. V. thuris drach. VI. aluminis drach. III. croci obolos tres, uini & rosacei quantum satis est.

De fissuris sedis & de tuberculis. *Cap. III.*

Tuberculum quod condyloma appellatur, in sede fit, ruga aliqua corporum in ano reduplicatorum insurgente, ac præter naturam intumescente. Quum enim sinuosus sit anus, rugas coagmētatas habet. Vbi uero amplius intumuerit ruga, tunc sanè fit condyloma. Et aliquando quidem citra inflammationem fit, & molle est. Quandoque uero cum inflammatione, & durum est ac dolorosum. At uero fissuræ ac rimæ in sede fiunt, quandoque in adstrictiori parte, siue musculo adstringente, quandoque uero in ano. Et aliquando ex influentium acrimonia consistunt. Aliquando autem propter condylomatum inflammationem ac distentionem, partes circumsitæ rupturam sustinent. Curationes autem primum quidem fiunt per medicamenta. Dilata uero curatione, dum & indurantur & callosæ fiunt affectiones, chirurgiā adhibere oportet, ita ut in condylomatis quidem æger cōmodè locetur, & ipsum condyloma uolsella distentum funditus excidatur. In fissuris autem, ut callosa rimæ labia deradantur: quo supina ac recens ulceratio fiat ad facilem curationem. Post chirurgiā consequens curatio primum est suppuratoria, deinde repurgatoria, postea ad cicatricē perducens. Quæ uero in principio adhibētur ipsis auxilia, talia sunt.

Ad condylomata pharmacum, quod contrahit ac consumit ipsa. Misy assatum terebinthina liquida excipe, ut emplastri compagem habeat, & adhibito prius per aquam fomento impone. Vtere uelut admirando. Aliud. Testas ouorum ustas ac tritas lauato, & siccatas inspergito. Aliud Lucij. Ad inflammationes sedis, & rimas, ac condylomata. Facit etiam ad rimas pudendorum inflammatas. Cerusæ quincuncem, spumæ argenti lotæ sextantem & unciæ dimidium, recrementi plumbi loti, aluminis scisi, thuris, singulorum sextantem. Hæc cum uino albo ueteri trita, ad ceratum myrteum ac rosaceū ammisceto ac utitor. Facit ad sordida ulcera sedis, maximè uero circa coronam glandis & præputium consistentia, quæ neq; linamentis repurgantur, & à medicamentis ad depascentia ulcera destinatis exacerbantur. In summa uero perfusiones in condylomatis adstringentes esse oportet, & medicamenta ipsorum adstrictione quadam participare debent.

Aliud ad rimas in sede inflammatas, & ad condylomata. Cadmiæ teneræ ter ustæ ac lotæ, cerusæ lotæ, spumæ argenti lotæ, singulorum sextātem, ceræ quadrantem, ouorum duorū assatorum uitellos, sapæ cyathū I. rosacei cyathū I. Vtere. Est ualde commodū etiā ad antiquata. Ad rimas inflammatas, morsusq; ac feruores, quo ego semper usus, nullo alio opus habui. Collyria asteris aut thuris, aut aliquod consimile, succo hyoscyami & sapa diluito, & rosaceo sufficienti addito, quo strigmentosum pharmacum fiat, ex hoc anum assiduè illinere iubeto. Et primum quidem dolores sedat. Celerrimè uero etiā ulcera sanat. Potes & species collyrij accipere, & cū hyoscyami succo terere, ac pastillos efformare. Et usus tempore cum sapa ac rosaceo diluere. Aliud Andromachi, quo utor, inquit, ad rimas sedis, & cōdylomata inflammata. Lapidis hæmatitæ, ammoniaci thymiamatis, thuris, aluminis rotundi, singulorum drach. XII. In alio exemplari, sextantem, gallarum, croci, singulorum drach. I. terebinthinæ drach. IIII. ceræ tyrrhenicæ drachm. XII. rosacei drach. X. Vtere ad sedem quidem cum rosaceo, ad uterum uero cum unguento Salca appellato. Aliud ad cōdylomata & rimas, quo melius non est. Aluminis scissi drach. III. croci drach. IIII. cerusę drach. II. opobalsami drachm. I. thuris drach. IIII. aloēs drach. I. œsypi drachm. VIII. ceræ drachm. VIII. liquabilia liquefacito, & ad arida trita affundito, ac unitis utitor.

Ad rimas in ano ac pudendis. Resinam pinus siccam cum rosaceo terito, donec strigmentosa fiat, & oui assati uitellū ammisceto ac illinito. Ad rimas sedis, inflammationesq; ac condylomata, puluis siccus mitigans ac eximens dolorem. Rhoidarij, Syrici, cerussæ, spumæ argenti, æquales portiones siccas insperge. Aliud. Foliorum hederæ siccorum cinerem cum uino & rosaceo in pila plumbea tere, ac utere. Aliud. Cineris rasuræ linteorum ustæ, & amyli, æquales partes tere, & foliorum oleæ uiridium succum misce, ac illine. Aliud Maię siue obstetricis ad fissuras & condylomata. Gallæ dra. VIII. plumbaginis drac. VIII. myrrhæ drac. IIII. cerusæ drach. IIII. tritis utere. Prodest ad omnia. Pastillus Aretæ Andromachi, pharmacum accommodatum ad rimas & condylomata, in maximis doloribus, citò liberat. Stibij, acaciæ, plumbi usti & loti, singulorum drachmas XVI. cineris siue spodij pompholygis lotæ, drachm. VIII. Fructus ericæ, aluminis scissilis, thuris, atramenti sutorij, myrrhæ, opij, singulorum drachmas VIII. Vino terito uelut collyrium, & excipe ac forma in pastillos, quos usus tempore passo diluito. Pastillus ad sedem & omnia ani ulcera, rimas ac condylomata. Pompholygis lotæ, terræ samiæ, amyli, terræ lemniæ, aloēs ustæ & lotæ, thuris, sandicis, plumbi usti & loti, radicis symphyti, cētaureæ, singulorum sextantem, croci, squamæ æris, opij, tragacanthę, singulorum sesquiunciam. Excipe uino, & utere ut uoles. Pastillus ex solano halicacabo, uelut Hieras prodit, qui ad rimas parari solet in sede ac pudendo, & ad ulcera, condylomata, ad uerrucas, thymos ac formicarias appellatas, & ad omnem eminentiam. Facit & ad pustulas nocturnas, papulas, reduuias circa ungues & ignem sacrū. Et ad aures purulentas, & labiorum ac plantarum fissuras. Spumæ argenti drachmas XXIIII. cerussæ drachmas duodecim, corticis radicis halicacabi sicci drachmas VIII. atramēti sutorij drachmas quatuor. Terito uelut collyrium cum aqua, & forma pastillos ac utere, ad ualde inflammata cum lacte muliebri, ad ea quæ cicatrice opus habent cum uino. Andromachus autem hūc pastillum sic præparat. Cerussæ libram unā, spumæ argēti, corticis halicacabi, atramēti sutorij, rubricæ sinopidis, singulorum sextantem: in alio exemplari sexuncē: terito cum aceto, ac formato pastillos. Medicamentum cicatricē inducēs ulceribus in sede. Cadmiæ ustæ & uino extinctæ sextātem, cerusę lotę unc. I. plumbi usti ac loti unc. I. cerę unc. I. olei myrtei lib. I. Sicca cum uino terito ad dies sufficientes, & ceratum liquefactum ac refri

ac refrigeratum adijcito ac utitor unitis. Aliud siccum, ad rimas præputij ac sedis, inducit cicatricem.

Cadmię, cerusæ, thuris, ęquales partes. Facit & ad alia ulcera mirabiliter. Aliud cicatricem inducens. Cadmiæ ter ustæ ac lotæ, plumbi usti ac loti, diphrygis, singulorũ unc. I. Vino trita excipe cerato habẽte ceræ quincuncẽ, terebinthinæ drach. XIIII. olei myrtei quincuncem. Et unita ac in massam coacta seruato. Vsus uero tempore, de pharmaco sextantem, ceræ trientem, olei myrtei quantum satis est accipe. Aliud siccum rimas ac ulcera ad cicatricẽ perducens. Seminis spinæ Aegyptiæ sextantem, masticheს unc. I. Singula seorsim trita miscentur, & post sedatas inflammationes inspersa cicatricem inducũt. Aliud. Lapidis phrygij ter usti ac uino extincti, cadmiæ ustæ lotæ, cerusæ lotæ, aloës, thuris, singulorum drachm. IIII. squamæ æris lotæ drach. II. diphrygis drachm. II. diligenter tere ac utere. Aliud. Fructus ericæ, gallarum, thuris, acaciæ, pares portiones siccas insperge.

De thymis in sede ac reliquo corpore nascẽtibus, sycosiq́; ac uerrucis formicarijs, iteq́; clauis. Cap. IIII.

Thymi appellationis originatio transsumpta est à cacuminibus eiusdem nominis herbæ in montibus nascẽtis. Thymi enim in corpore tuberculosæ sunt eminentiæ, asperæ, subrubræ, oblongæ, pręter naturam auctæ, sanguinem effundentes dum auferuntur amplius quàm pro apparente magnitudine. Abundat autem hæc affectio circa sedem & pudenda ac media femora. Quandoq; etiam in facie consistit. Et quidam sanè parui sunt, & uocantur thymi: aliqui uero magnitudine excedunt, & appellãtur ficus: & aliqui mansueti sunt, aliqui uero maligni. Mansueti igitur thymi, carunculæ sunt paruæ quidem, uerum inæquales, obscuris eminentijs exasperatæ, albicantis coloris, aut subrubræ, & doloris expertes. Maligni uero thymi, duriores sunt & asperiores ac maiores, feculenti, ac liuidi coloris, dolorosiq; ac punctorium dolorem inducentes, & exacerbantur maximè ad manuum contactum & medicamentorum adhibitionem. Sunt autem omnes mansueti facile curabiles, maligni uero incurabiles. Curantur autem aliquando hi, non locali exectione, sed cum ablatione totius partis in quo sunt. Ad thymos. Saluiam herbam siccam tusam cum pinguibus caricis præbe edendam, & disparebunt. Verum in pecoribus ordeum rori exponito, & eandem herbam inspergito, & edere sinito, ac miraberis. Ad eminentias. Soleas ueteramentarias humidas urito ac terito, & uino præimbutas imponito. Aliud. Serpẽtis exuuium tritũ carne caricarũ reiectis granis excipito, & emplastri modo imponito. Si uero intra sedem fuerint, glãdulam inde facito, subdito, ac miraberis.

Aliud. Caninum stercus album ustum ac tritum & uino madefactum imponito. Cæterum uerruca acrochordon Græcis dicta, tuberculosa est eminẽtia. Nomen uero inde habet, quòd similis est uertice suo resectæ chordæ iuxta extremitatem. At uerruca formicaria, tuberculosa ac callosa est eminẽtia, nigricantis coloris fundamentum latum habens, & ad cutem residens, ad contactum dolorem exhibens eiusmodi, qualis à morsu formicæ animalis contingit. Vnde etiam nomen habet. Verum in ablatione sanguinẽ fundit, non pro apparentis magnitudinis ratione. Clauus autem callosa est eminentia, capiti claui asimilis, frequens autem est circa manuum extremitates, & circa calcaneum. Appellant porrò etiam in facie orientes magnas eminẽtias, ficus: à magnitudine imposita appellatione. Proinde conandum est ut per pharmaca tum mansuetos, tum malignos thymos curemus, ita ut mansuetis quidem, ea quæ consumere ac contrahere possunt adhibeamus. Malignis autem, ea quæ ad cancerata ulcera describentur, præsertim in mammis ac utero. At ubi uicta fuerint pharmaca & curatio protrahatur, Thymos quidem qui sunt in musculo ani adstrictorio, uolsella attractos radicitus excindere oportet, & siccum medicamẽtum sanguinem sistens inspergere, quale est quod flauum appellatur. Et post chirurgiam, pharmaca resiccantia adhibere, donec perfectè curentur. Nam unctuola curatio affectionem refricat. Si uero in partibus magis expositis fuerint thymi, post exectionem quum magni fuerint ac multi, ustionẽ adhibere expedit ad sanguinẽ sistendum, & regenerationẽ in posterum prohibendam. Adhibita igitur ustione, curatio decernatur communis ad perusta, primum uidelicet ea quæ crustas amouere potest, deinde repurgatoria, postea resiccatoria. Crustas autem remouere possunt in talibus, lac & mel per linamenta adhibita. Quòd si scalpello solum excisi fuerint thymi, post excisionem siccum sanguinem sistens adhibeatur, & reliquus curationis ductus resiccans, uelut dictũ est.

Pharmaca consumentia ac resiccantia thymos, & uerrucas formicarias atq; acrochordonas. Medicamenta quæ consumunt ac resiccant thymos, sunt ea quæ cõmuniter curãt etiam reliquas uerrucas: Quale est hoc quod facit ad thymos in sede ac pudendo, aut in alio corporis loco obortos. Aluminis scissi, atramenti sutorij usti, glutinis, singulorum unc. I. squamę æris sextantẽ. Trita glutine excipito cũ aceto prædissoluto, illinito. Ad thymos in sede, & dura ac non inflammata condylomata, & ficus. Squamæ æris drach. I. sandarachæ drach. I. auripigmenti drach. I. aluminis scissi drach. II. Terito per se singula & cum rosaceo, & ad strigmentitiam crassitudinem redacta largè illinito, & rasuram linteoli imponito, atq; bis singulis diebus curato. At uero in alijs corporis partibus aceto diluta illinito. Mirabiliter autẽ contrahit ac deprimit thymos in sede ac condylomata, & inflammata lenit, pastillus superiore capite descriptus, Arete appellatus. Heraclidæ Tarẽtini ad uerrucas formicarias inueteratas. Sulphuris uiui, sandarachæ, atramenti sutorij, singulorum æquales partes, terito cũ aceto, & pastillos formato. Et usus tempore aceto dilutos illine. Nos autem apposuimus his etiam elaterium pari portione, & ad formicarias atq; acutas uerrucas mirabiliter profuit. Verum in formicarijs primum scalpello circumscalpere oportet, atque sic pharmacum illinere. Oribasij ad formicarias uerrucas & acrochordones. Chalcitidis drac. VI. sandarachæ drach. IIII. cadmiæ dra. X. cum aceto asiduè illine, donec exciderint. Aliud melinum siccum, geminæ mixturæ, heliocaës, hoc est, sole ustum appellatum: calcis uiuæ partes duas, auripigmenti partem unam. Auripigmentum aqua prius terito, & calcem adijcito, & in uase aqua repleto siccari sinito. Hoc ubi tertio feceris, in uas fictile procul ab omni humiditate deponito. Facit ad uerrucas

rucas formicarias & instar chordæ apicis acutas, pterygia, callos, nomas, & epulidas. Aliud. Auripigmēti drachmas VIII. sandarachæ drachmas sex, elaterij drachm. VIII. sulphuris uiui drachmas VI. radicis chamæleonis nigri drachmas IIII. Aceto diluta cogito in pastillos, & utere cū aceto. Verū in formicaria uerruca basim prius circūscalpe, uelut dictū est. Aliud pharmacum accōmodatum. Hoc usus sanaui thymos malignos. Elaterij drachm. VIII. auri pigmenti tantundem, sulphuris uiui drach. VI. glutinis piscium drachm. IIII. trita excipe glutino aceto prædissoluto. Et utere in alijs quidem locis cū aceto dissolutis, ad sedem uero cum rosaceo. Quomodo uero gluten piscium dissoluere oporteat, dictum est in capite, De sanguinem spuentibus, in pastillo qui gluten piscium recipit, Sermone octauo. Ad Thymos ualde malignos, post exectionem & ustionem exoriētes, uerrucas item formicarias, & instar apicis chordæ acutas. Pastillus Pasionis. Squamę æris drachmas XII. æris usti drachmas VIII. salis ammoniaci drachmas VIII. aluminis rotundi drach. VIII. thuris drach. XVI. Omnia terito excepto thure, ad multos dies aceto affuso in sole. Deinde thus adijce, ac rursus probe tere, & pastillos efforma, eosq; assidue cū aceto illine, donec penitus exciderint. Ad eos uerò qui in sede sunt, um passo diluito. Cæterum ficus ablatos, & thymos ac condylomata curat, & rursus generari non sinit, & iam extantes præclare tollit, cinis lignorum uitis cum aceto illitus, & cinis ex uinaceis ustis, cum aceto.

De Hæmorrhoidibus sedis. *Cap. v.*

Hæmorrhois appellationis originationem habet à sanguinis fluxu. Est autem uelut dilatatio localis in sede facta, uasis quibusdam istic apertis, & progressu tēporis callosioribus factis. Hæmorrhoidum uero aliæ sunt cæcæ, aliæ apertæ. Cæcæ sunt quæ omni tempore inflatæ sunt, & nihil excernunt: Apertæ uerò sunt, quæ per tempora sanguinem effundunt. Hęc affectio malorum plurimorū causa hominibus existit. Nam & deformitatem, & miseram uitam hæmorrhoides inducunt. Multos uero etiam uita priuant. Et deformitatē quidem, propter coloris totius corporis uitiationem, ex euacuatione succedentem. Miseram uero uitam, propter corporis debilitatem. Quandoq; autem & de uita periclitantur sic affecti, quum ob excedētem euacuationem perfrigeratum hepar, aquā inter cutē operatur. Conuenit igitur recta diæta ac uenæ sectione præmissa, hæmorrhoidū extirpationem moliri, & nullam penitus relinquere, quemadmodum quibusdam uisum fuit: possibile est enim incolumes euadere, optimumq; curationis finē assequi, post hæmorrhoidum extirpationē, eos qui oportuno tempore uenæ sectione & conuenienti diæta semper utantur, quemadmodū Hippocrati placet. Inquit enim: Hęmorrhoidas sanāti inueteratas, si non adseruetur, periculum est hydropē aut tabem succedere. Non enim uelut quidam opināt, dixit, si nō una fuerit seruata hęmorrhois ad sanguinis excretionē: Sed dixit, Si non adseruetur, hoc est, si nō cōuenienti diæta utatur. Quòd autē sic uelit Hippocrates, ipsa aphorismi distinctio ostēdit. Ait enim hic uir, Hæmorrhoidas inueteratas sananti. Est autem Sanatio perfecta liberatio, & legitima curatio. Quare iuxta Hippocratem non oportet aliquā hæmorrhoidem relinquere, sed omnes excindere, & post perfectam ipsarum curationem, per conuenientem, uelut dictum est, diætam, ad naturalem statum corpus curatum reducere, incidereq; cubiti uenam tempore oportuno, quo uidelicet coaceruatus in corpore sanguis euacuetur.

De Hæmorrhoidum chirurgia. *Cap. VI.*

Aegrū itaq; præparare oportet per modici cibi usum, & aquę potū, & ut plurimum etiam per clysteris infusum, tum prolectandi stercoris gratia, tum ut sedes iritata promptior ad euersionem fiat. Deinde adhibeatur Chirurgia, quemadmodum in tractatu De chirurgia ostensum est, ita ut singulæ hęmorrhoides uncino distēdantur, & basis prius circumscalpatur, & per uncinū obtorqueantur. Deinde paruo interstitio facto obligentur, & resecentur. ipsa enim obtortio adstrictioni correspondens, uasa contrahit ut cōsidant, quo post excisionem sedes minus sanguinis effundat. Quapropter oportet unamquanq; hæmorrhoidem hamulo distendere, deinde fundamentum circumscalpere, postea per hamulum obtorquere, & porrigere hamum tenendum ministro. Postea uero etiam in alijs idem faciendum est. Postquàm uero omnes hamulis distendimus, circumscalptas funiculis obligabimus, & ministro tenendas dabimus. Et tūc primum distentam primam excidimus, & reliquas consequenter ex ordine tollimus. Post exectionem uero, siccum sanguinem sistens apponimus, & spongiam lino obligatam adhibemus, & fili principium foris relinquimus. Postea decernimus consequentem curationem, per linamentorum immissionem, spongiarum appositionem, obligationem sedi conuenientem. Curatio uero postea cōmunis est. Securior itaq; & compendiaria curatio hęmorrhoidum est ipsa chirurgia. Quandoquidem uerò quidam melius esse putant assidue purgari per hęmorrhoidas, uelut mulieres. Quidā uero ob timiditatem, per medicamenta potius aliquas ex his aut omnes tolli cupiunt: cōsequēter subiūgemus auxilia ad has conuenientia. Extractoria hæmorrhoidū.

Quandoquidem pleræque hæmorrhoides opus habent extractione, ad faciliorem medicamentorum impositionem, necessarium est & talia pharmaca describere. Cyclamini succus illitus, & hæmorrhoidas irritat, & non sinit ipsas contrahi in chirurgia, & sedem extrahit ac euertit. Magni pharmacū accommodatū, ad hęmorrhoidas extrahendas. Piperis ac nitri utriusq; pares partes terito, & sedi adhibeto. Aliud. Succum cyclamini cum pari mellis mēsura ad cōpagē mellis coquito. Probè facit. Aliud. Hoc uix prolabentes hæmorrhoidas extrahit. Succi centaurij drach. II. aluminis liquidæ drachm. II. misyos drach. I. staphidis agrestis drach. I. Excipe melle & illine sedem. Aut lanam pharmaco imbutam in sedem inde. Quum autem promptitudinem induxerit, & sedes prolapsa fuerit, & hæmorrhoides apparuerint, imponito ea quæ ad hæmorrhoidum curationem describentur. Quæ aperiant hæmorrhoidas. Aperiunt autē has, in his quibus sanguinē per ipsas excerni uolumus, amaracinū unguentū illitū, perdicij herbæ folia uiridia assidue affricta, mercurialis trita & uelut glans immissa, fel bubulū per lanæ tomentū inditū. Sistētia sanguinis hæmorrhoidum fluxum. Sāguinem qui ex hæmorrhoidibus nimium

nimium euacuatur, sistunt aloë imposita, squama ferri, plumbum ustum cum posca. Aliud, sanguinem sistens confestim. Acaciæ fuluæ drach. IIII. plūbaginis drach. IIII. tragacanthi drachm. II. Singula seorsim terito, & misceto, & aqua subacta crassius imponito. Si uero penitiores fuerint, in massam coacta indito. Aliud delens hæmorrhoidas & omnē sanguinis eruptionem. Mororum crudissimorū siccorum sesquiunciam, chalcitidis sesquiunciam, lapidis molaris trientem, pennarū corui scrupulos XXI. Extremitates pennarum torreto ac terito, deinde omnia uino subacta ad strigmentitiam spissitudinē redigito. Et in hæmorrhoidibus quidem indito: In extrinsecis uero sanguinis eruptionibus illinito, ac obligato. Asclepiadæ prolutio hæmorrhoidum. Spinæ Aegyptiæ quincuncem, foliorum salicis, artemisiæ, sideritidis herbæ, singulorum trientem, in quatuor aquæ sextarijs coquito ad dimidias, & herbas quidem abijcito, ad aquam uero decocti siccum hoc ammisceto. Melanteriæ à clauis drach. X. aluminis rotundi drach. VIII. spumæ argenti dra. IIII. gallarum dra. III. misyos dra. II. soreos drac. II. Siccum in decocto diluito, & cum eo septies in die perfundito, atq; hoc per triduū facito. Si uero reliquiæ quædam hæmorrhoidum restiterint, eas quarta die acu cōpungito. Et si quidem senserint, aut cruentatæ fuerint, decoctum illud similiter prodest, de sicco uero dimidiam partē misce. Prolutione uero facta, ipsum siccum pharmacū adhibe, ut exacte urantur, propter inflāmationē aūt forinsecus panem impone. Hoc cito urit. Ex cataplasmate uero intra septimū diē excidunt crustæ. Mirabiliter quoq; hæmorrhoidas hoc tollit. Cicutæ siccæ dra. II. succi hyoscyami dra. IIII. aluminis dra. II. ęris usti dra. II. rubricę dra. I. cerato rosaceo excipe & impone, faciūt & mali punici acidi cortices sicci cū aceto impositi. Si uero penitiores fuerint, uelut gladē supposititiā indito. Aliud ualde præclarum. Sandarachæ dra. VIII. auripigmenti dra. VIII. cum lixiuio diluta impone, ægro antea probe collocato. Mortificatur enim hæmorrhois, & decidit in semihora resiccata, & à fundamento deuoluta. Verum circū hæmorrhoidas ceratum illinitur, & fit hoc in sole, aut apud ignem. Debet enim homo in eodem situ permanere, donec pharmacum abluatur. Aliud, ad hæmorrhoidas, quod sedat etiam inflammationes ani. Et illæ mortificatæ resiccantur uelut uuæ passæ, & decidunt in septē diebus citra exulcerationem. Cæterum ad condylomata ac fistulas confert eaq; curat hoc, fecis uini siccæ ustæ quadrantem, misyos sextantem, aut pro misy, soreos sextantem. Vtere uelut optimo, fex autē occulitur in prunas, & uritur, donec albescat. Aliud. Stercus asini siccum accipito, & ex eo ollulam paruam impleto, & mannæ thuris dra. VIII. & tithymalli sicci manipulum unū addito, & accenso stercore bubulo, ad carbonū speciem exurito, eaq; trita imponito, donec excidant, septima enim die citra inflammationem mortificatæ decidunt. Aliud mirabiliter exscindens hæmorrhoidas. Chalcitidis ustæ, misyos usti, atramenti sutorij usti, diphrygis, soreos, singulorū drachmas IIII. squamæ æris ustæ drachmas duas. Vtere ipso sicco, & instar testæ induratæ excident. Est hoc præclarū, & omnem carnis eminentiam cōtrahit. Aliud Hippocratis ad hæmorrhoidas admirandum. Gallarum sextantem, myrrhæ sextantē, aluminis scissi quadrantem, melanteriæ quadrantē. Contundito, cribrato, terito, ac utere sicco. Ego uero in penuria melanteriæ, sori adieci, & fecit mirabiliter. Nam intra paucos dies citra mordacitatem ac ulcerationem, hæmorrhoidas dissipat. Verum uino præeluere oportet, atq; sic inspergere.

Ad anum aut sedem procidentem. Cap. VII.

Nos per muriam, aut marinam aquam, prius anū fouere solemus prolapsum, & sæpe nullo alio auxilio opus habuimus. Aliquādo uero salem tritum inspergimus, ęgro commode ad hoc collocato, & sufficiēs tempus expectamus, donec destillantes humiditates extrà processerint. Deinde abluta prolapsa recti intestini parte, illitionibus adstringentibus utimur, nimirum acacia, aut hypocysthide cum uino. Deinde anum retrudimus, & sequenti die insessionem paramus, aut infusum adstrictoriā uim habens, quale est uinum nigrum austerum, in quo decocta est myrtus, aut oleæ folia, aut malicorium. Cæterum in pueris adstringētium usum remittere oportet, & mitiora adhibere. Si uero res urgeat, etiam lumbis adstringentia imponemus cataplasmata ex palmulis ac malis cotoneis & similibus. Item sedi similia adhibebimus. Victus autem sit boni succi, & lactis potus decernatur. Et pultes ex lacte parētur, qualis est oryza cum lacte cocta, & similia. Vinum detur aquosius. pharmaca uero huic affectioni commoda sunt eiusmodi. Gallam coquito, & cum lęuigata anum integito, & siquidē fortiore auxilio opus habes, in uino cocturam facito, sin leniore, in aqua. Aliud. Corticis pinus drach. VIII. pilularum cupresi, drac. II. plumbaginis drach. II. prælauato cum uino adstringēte & acerbo, & sicca trita inspergito. Aliud. Recrementi plumbi drach. VIII. thuris drach. II. prælue, & trita insperge. Aliud. Balaustiorum drach. I. malicorij drach. II. seminis hyoscyami drach. VIII. cerusæ drachm. VIII. myrrhæ drachm. II. plumbi loti drach. II. prælue & insperge. Aliud nostrum ad procidentem anum. Fructus ericæ, gallarum, acacię, cerussę, succi hypocisthidis, corticis pini, myrrhę, thuris, ęquales partes siccas insperge, ubi uino austero sedem prius laueris. Aliud. Lentis ustę, panis usti, farinę erui, ęquales partes imponito cum aceto & sapa. Aliud. Sedem uino pręlauato, & picem aridā tritam inspergito, aut ollulas ustas tritas. Aliud. Cupresi decocto perfundito, & stercus caninū siccū inspergito, picem uero siccā, bitumen, & cyperū suffito. Aliud. Coriādri semē, & laser, trita cū uino illinito. Et torpedinem uiuā assidue apponito, & cōtrahet. Aliud. Bitumen & gallā ęquis portionibus tritis siccis sedi inspergito. Valde pręclarum hoc est.

De prolabētis sedis perustione Leonidæ. Cap. VIII.

Quum fluxus ęgre curabilis apparuerit, & dięta nihil profecerit, neq; medicamenta contulerint, structura mali iā inueterata, ad ustionem peruenire oportet. Quum enim alia intestina inter partes principales connumerentur, externa extremitas intestini recti principalis non est: Sed & dum uritur & secatur, nullum periculū inducit, uelut ipsa experientia testatur, Inurere autem conuenit per cauteria nucleoformia externam sedis partem extremam, ex moderatis interuallis. Sufficiēs est enim ustio ad fluxionem superandam. Cicatrix autem solida succedēs, anum

in ambitu constringit, post ustionem uero, lac cum melle unito, & linamenta ex eo imbuta indito, ac obligato. Postquàm uero elapsæ fuerint crustæ, lentem cum melle imponito. Repurgatis autem ulceribus, utere emplastro ex ordeo, aut alijs cicatricem inducentibus, supra ad sedis affectiones præscriptis.

De absceßibus sedis, Leonidæ. Cap. IX.

Inflammatione prægressa aliquando circa anum abscessus oritur. Quod ubi contingit, plura corpuscula putrescunt, propter locorum humiditatem ac largã caliditatem. Vnde necessarium est in chirurgia ablatione uti, & propterea facile in fistulam trãsire. Proinde in simplicioribus quidem abscessibus facilis est curatio. Verum in magnis affectionibus, ano orbiculatim amputato, plerumque dum cicatrix inducitur, podicis meatus constringitur, & obturatio cõtingit. Quapropter conducit inter curãdum, primis curationis temporibus linamentum parare, idq; in tetrapharmaco, aut alio quodam ad curationem cõmodo, dissoluto intinctum indere in sedem. Tempore uero inducendæ cicatricis, canalem stanneum rotundum sedis meatui conuenientem immittere. Qui foris quidem sit amplus, uerum apposita parte in profundo sita rotũdus ac leuis, habeátque in medio foramen, per quod flatus reddi possunt. Illinatur autem canalis ex medicamento cicatricem inducente, aut samia terra cum uino, aut cerusa, forinsecus autem splenium aut lana incumbat, & commoda obligatio fiat. At uero canalis ipse usq; ad perfectam curationem inditus sinatur.

De ulceribus sedis proserpentibus, ac depascentibus. Cap. X.

Fiunt aliquando in sede ulcera proserpentia & depascẽtia. Si quidem igitur nome depascẽs in adstrictorio musculo fiat, conari oportet ut per sedulam medicationem ad nomas pertinentem affectio curetur. Nã interiores ani partes, ipse inquam adstrictorius musculus, neruosus quum sit, neq; ustionem neq; sectionem sustinet: exciso enim musculo illo, conuulsio sequitur, & nimirum etiam carunculæ imminutio ac decremẽtum: Id quod inde nobis cognoscere datur, quòd sæpe etiam non adhibita chirurgia, ab ipso depascente ulcere musculus ille consumitur, & carunculæ decrementum, Rhoeada Græci uocant, cõsequitur. Vtendum igitur est auxilijs ad nomas descriptis, ita ut myrtorum ac malicorij & rubi decocto, ac similibus, assidue irrigemus, & primum quidem corporibus à natura alienis crustam inuramus, per faustinum appellatum pastillum aut consimiles. Deinde utamur eo qui ex usta charta cõstat, postea Isidem emplastrum cum multo rosaceo dissolutũ per linamenta indamus, & sic reliqua deinceps consequentia faciamus. Cæterum phagedænico ulcere proserpẽdo exedente in ano existẽte, audere aliquid oportet, & aliena à sanis excindere. Deinde ustionẽ adhibere. Quum enim carnosus sit podex, tales chirurgias facile sustinet, post chirurgiam autem, consequenter curatio, uelut aliorum ulcerum facienda. Si uero ustio adhibita fuerit, curare conuenit, uelut in prolabente sede prædictum est.

De fistulis ani, Leonidæ. Cap. XI.

Quandoquidem ex mala ulcerum curatione, & præcipue circa sedem, sæpe fistula succedit, consequenter etiam de his dicendum est. Proinde ægro in sella, aut alio quodam plano loco collocato, artifex à dextris magis ipsius ægri desidens chirurgiam perficiat. Cõuenit autem specillum accipere, & caput eius in medium fistulæ immittere, ipsúmque propellere, quousque per inanem meatum progredietur. Deinde medium sinistræ manus digitum in sedem immittẽs, per ipsum specilli caput arripiat, postea reflectẽs specillum, & ambas fistulæ extremitates inter se adæquatas sinistra manu distendat, atque sic omnia corpuscula callosa per ambitum excindat, unico contactu, si id fieri potest. Si uero post sectionem apparuerit callus adhuc insidens circumscalpatur. Manifestus autem est callus, quum sit subalbidus ac renitẽs. Si uero etiam rugæ propinquæ apparuerint, uolsella extentæ resecentur ad ulcerum explanationem, & facilem deinceps curationem, post chirurgiam manna thuris sectionem implebimus, & linamentis inditis conuenienter deligabimus. Et consequenter communi aliorum ulcerum curatione utemur. Cæterum in his qui ob molliciem aut timiditatem rogãt nos, ut per medicamenta curentur, primum conari oportet ut per pharmaca resiccãtia ac fistulas claudẽtia curemus. Quæ si nihil effecerint, ad ea quæ callosa corpuscula erodere ac consumere possunt, transeũdum est, quæ fistularia collyria appellantur: quorum præparationes in uniuersali de fistulis tractatu paulò pòst in hoc Sermone dicemus. At uero medicamenta quæ fistularum resiccationem promittunt, sunt emplastrum ex spuma argenti & aceto ac oleo paratum, & emplastrum sine cera, & fuluum Galeni, & harmonia, & ex salicibus, & ex lolio cõstans, & consimilia: facit & hoc ad fistulas incipientes in sede, rimasq; ac condylomata, pæoniæ radicis ustæ quadrantem, bituminis Iudaici sextantem, sulphuris uiui unc. I. ceræ sextantem, olei myrtei quãtum satis est. Aliud. Mala cotonea ad cinerem exurito, ac trita superne ad osculum fistulæ imponito, & linamento indito, emplastrum ex uino & oleo, aut simile quoddam adhibeto ac deligato, & alternis diebus soluito. Pastillus ad fistulas sedis. Chalcitidis ustæ drach. VIII. æris usti drachm. IIII. cadmiæ drachm. IIII. cretæ terræ drachm. IIII. pompholygis drach. III. Lycij drach. III. aloës drach. II. croci drach. gummi drach. XVI. terito cum succo senecionis, aut serapidis tres testiculos habentis, & formato pastillos, & utitor siccis, & cum aceto & cum cerato. Vtere etiã ad uniuersales fistulas describendis.

Ad intertrigines inter fœmora ex itinere obortas. Cap. XII.

Chalcitis cũ aqua trita ac illita prodest. Et plũbago cũ aceto aut uino. Et spuma argenti per se, & cum myrto sicca trita. Aut alumen in testa ustum tritum insperge. Aut fici folia usta ac trita cũ oleo illine. Aut rosarum capita unà cum flore trita insperge. Aliud quo utor ualde efficax, plumbaginis drac. VIII. gallarum dra. IIII. aluminis drac. I. myrrhæ dra. II. siccum hoc insperge. Aliquando uero cũ oleo myrteo illine. Ego uero uino semper prius lauo, & siccũ inspergo. Aliud, facit & ad papulas feruidas in femoribus ac sub alis, ex sudoribus obortas, præsertim in corpulentis hominibus. Syrici unc. I. fuci tinctorij unc. I. testæ ex clibano antiquo sextantem, prælauato & inspergito, probe quidem facit, uerum lintea inficit, facit & ad ambusta cum cerato.

De thymis in pudendis, Leonidæ. Cap. XIII.

Huius affectionis proprietatem in loco de thymis in sede diximus, fiunt autē & hic thymi, aut in sola glande, aut in cole, aut in præputio. Aliquando uero in omnibus relatis locis. Antea uero dictum est, quòd mãsueti facile curãtur. Maligni difficulter, & per affectæ partis ablationem sanãtur. Quomodo autem cognoscere oporteat & mãsuetos, & malignos, etiã relatū est. Si quidē igitur mãsueti fuerint thymi ac parui, per uolsellã distēti excindantur, & aliquo sanguinē sistente ac crustã inducente illinãtur, quale est siccū flauum appellatum, quo per crustã, simile quiddã ustioni efficiamus. Quū uero multi fuerint & magni, tūc post excisionem ustio adhibeatur ad sanguinē sistendū, & affectos locos ad aliū statū transmutãdos, & thymorū regenerationē prohibendã. Quum autē totum præputiū thymis fuerit refertū, tū iuxta internã, tū circa externã partē, difficile erit ipsum cõseruare. Itaq; necessariū erit, quãtum eius fieri potest, ad cutis prępution sectionem progredi. Quum igitur ustio post excisionem adhibetur, curatio decernatur ad perusta, relata in tractatu de prolabēte sede. Excisis autē thymis, & post excisionē sicco crustã inurente adhibito, post crustæ discessum reliqua curatio resiccatoria fiat. Vnctuosa enim pharmaca affectionē refricant. Cæterū in his qui chirurgiam reijciunt, utendum est talibus medicamentis. Medicamentum resiccans thymos xeraphium appellatū. Chalcitidis crudæ sesquiunciam, misyos crudi sesquiunciã, squamæ æris sextantē, aluminis scissi unc. I. Locū cū uino prius lauato, & siccū inspergito. Aliud. Gallã & alumen trita inspergito, & exarescent. Vtere etiã si in alio corporis loco thymi fiunt. Aliud, egregie tollens thymos & carnē excrescentem in pudendis. Origanum & rutę radicem, paribus partibus urito, terito ac inspergito. Vtere hoc uelut optimo.

De rimis in pudendis, Leonidæ. Cap. XIIII.

Rimę ac fissurę in præputij summitate fiunt, quãdo angusta ea existens uiolēter reducitur. Ruptis autē corporibus, inflamationes succedūt & dolores intēti. In principijs igitur, omnis rima dū recēs est cruētatur. antiqua uero callosa fit, & rursus quū uiolenter disparatur, rupta rursus cruētatur, proinde ad curam festinare oportet. Vbi uero antiquatæ fuerint, & callosæ factæ curationem distulerint, nihil proficiētibus medicamētis, cõfert cutem abducere, & callosa rimarum labia, supino scalpro quantum eius fieri potest, superficiaria sectione diducere. Resupinatæ enim & recentes factæ rimæ ac fissuræ, celerrime sanantur.

Medicamenta ad rimas & reliqua pudendorum ulcera. Cap. XV.

Rimas medicamentis curare conandum est antea, citra chirurgiam, & utendum est plerisq; ad rimas sedis pręscriptis, & præsertim eo quod Lucio inscribitur: facit enim & ad rimas in præputio, & ad ulcera sordida, & præcipue quū detrahi ac reduci non potest. Inijcitur autem cum oleo & uino per clysteriolum. Mirabiliter autem facit ad rimas in præputio & recentes, & inueteratas, urina quæ inter mingendum intra præputium ac glandem obiter suscipitur, & celerrime sanat, ut ne opus quidem sit alio auxilio.

Aliud ad rimas præputij. Resinam frictam cum rosaceo terito donec strigmentitiam compagem accipiat, & ammixto oui assati uitello utere. Aliud, ad rimas & reliqua ulcera. Colocynthidem siccam urito ac terito, & cū rosarum flore utere. Idem facit & anethum ustum. Aliud, ad præputij rimas, & glandis ulcera, repurgat, & cicatricem inducit. Lapidis phrygij ter usti & extincti, primum butyro aut rosaceo, deinde melle, postea uino, sextantem, florū rosarum unc. I. malicorij unc. I. utere. Aliud, ad rimas præputij & ani, & pudendi muliebris. Cerusę, plumbaginis, gallarum, myrrhæ, æqualibus partibus utere siccis, aut cum uino & oleo. Aliud, rimas & ulcera ad cicatricem perducens, & acrimonias obtundens. Cadmiæ teneræ ter ustæ sextãtem, rosarum recentium detractis unguibus sexuncem. Cadmiam tundito ac cribrato, & cum rosis terito donec exarescat, & sicca inspergito, ubi prælaueris cum uino. Aliud ad pudenda & sedem. Lapidis phrygij ter usti ac extincti uelut dictum est, cerussæ lotæ, cadmiæ, thuris, aloës, singulorum unc. I. squamæ æris drachm. II. diphrygis drach. IIII. utere sicco. Aliud siccum, ad pudendorum rimas & ulcera spontanea. Aloës unc. I. florum rosarum sextantem, utere confidenter. Aliud ad eadem. Aloēn solam tritam inspergito. Si uero adstrinxerit, cadmiã ter ustã ammisceto. Mirabiliter efficax est. Aliud. Pastillum ex halicacabo lacte dilutum exhibeto. Habetur eius pręparatio capite tertio, ubi de fissuris & tuberculis sedis tractatur. Verū in his qui pręputiū reducere non possunt, lacte eundem diluito & tepidum per clysteriorum inijcito. Aliud, ad spontaneas pustulas in pudendis, & maxime in his qui pręputium reducere non possunt. Glaucium cum uino terito, & ubi prælaueris, per fistulam pus attrahentem, tepidum inijcito. Aliud lene incarnans & cicatricem inducens. Amylum per se tritum inspergito. Aliud. Colophoniam tritam solam inspergito. Aliud. Colophoniam, thus, amylum, paribus portionibus inspergito. Aliud. Aloës primariæ, cerusæ, rosarum siccarum, æqualibus partibus tritis utere. Aliud. Collyrium ex thure tritum siccum insperge, aut cum uino dilutum per linamenta indito, aut cum lacte inijcito, facit & quod Aster appellatur, & quod Cleoni inscribitur, & similia. Oribasij ad præputij ac ani rimas. Inducit cicatricē. Cadmiæ lotę, cerusæ, thuris, æqualibus portionibus, utere, facit & ad alia ulcera mirabiliter.

Ad inflammationes pudendorum. Cap. XVI.

Inflãmata pudenda rosarū & meliloti decocto perfundito: Aut betæ folia siue semen tritum, in aqua feruefacito, & calido perfundito, facit ad eos qui præputium retrahere nõ possunt. Cataplasma uero adhibe ex pane cū palmulis sapa præmaceratis, cū modico rosaceo. Aut malicoriū in uino coctū ac tritum cum pane ac modico rosaceo pro cataplasmate impone.

Ad nomas in pudendis. Cap. XVII.

Si ulcus depascens, nomen Gręci uocãt, aut erosio fiat, laxa forinsecus apparet pars erodenda. Et si circumprematur, humorem tenuem subcruentum excernit, deinde feculentum. Conuenit itaq; perfusionibus adstringentibus in his uti ex decocto myrti, ruborum, oleæ syluestris, rosarum, malicorij, plantaginis, polygoni, pharmaca uero ad nomas commoda sunt, pastillus corax, id est coruus inscriptus. Habet autem sic. Gallarum sextantem, squamæ æris sesquunciam, chalcitidis crudæ unc. I. thuris unc. I. terito

 in aceto

in aceto ad sufficientes dies, & ad finem mellis quincuncem addito. Et ex olei myrtei lib. I. ac semisse, adipis taurini recentis besse, ceræ triente, terebinthinæ unc. I. ceratum effice, & in linamentis utere, & per fistulā puris attractoriam inijce, per rosaceum dissolutū. Et superne spōgiam ex uino expressam impone, aut ceratum habens malicorium aut gallas. Aliud ex charta usta. Chartæ ustæ sesquiunciam, squamæ æris sesquiunciam, auripigmēti dra. VI. sulphuris ui ui dra. VI. plumbi usti drac. III. Insperge siccum, aut melle & rosaceo dilutum per linamēta inde. Si uero præputium reducere nō potest, plurimo rosaceo dilutum, & modico melle addito, inijce. Aliud siccū, quod sanauit quosdam iam secandos. Chartæ ustæ sextantem, gallarum sextantem. Vtere sicco.

Ad carbunculos pudendorum. *Cap. XVIII.*

Spumæ argenti dra. IIII. cerusæ dra. II. thuris drach. I. Trita insperge, & rasuras linteorū impone. Aliud. Adipem caprinum cum uuis pasis tritum impone uelut cataplasma. Hoc suppurat, & dolorem eximit, postea eundem adipem cum pice liquida unitū imponito. Aliud, pilulas stercoris caprini ustas cū melle imponito.

Ad interna in meatu urinæ ulcera. *Cap. XIX.*

Lycij dra. II. myrrhę dra. II. atramēti sutorij dra. I. chalcitidis drach. I. omnia simul trita cum pasi hemina una, & uini ueteris odorati cyatho uno, coquito donec uniantur, & reponito in plumbo. Vsus uero tēpore rosaceo diluta inijce: facit & ad ulcera inter anum & testes. Ego autem cygnaria collyria cum lacte diluta per clysteriolum inijcio, & bonum testimonium ipsis præbeo.

Ad scabiosum scrotum & pruriginosum. *Cap. XX.*

Contingit eiam circa scrotum asidue scabies & pruritus, ex influxu humorum acrium ulcerantium cutem. Et ubi quidem plures fuerint & acriores allati humores, cutem ipsam exulcerant. Si uero pauciores ac crasiores, squamas generant, & pruritum inducunt. Curatio horum fit per congruam uictus rationem, & per medicamenta. Aliquando & raro per chirurgiam. Itaque ab acrium esu abstinendum est, & præsertim ab oleribus mali succi. Quæ uero exhibentur bono succo prædita sint. Qualis est lactis potus asiduus, prisana, halica, gallinarum oua, porcellorum extremitates & uentriculi. Vinum tenue dilutius & album. Ex localibus auxilijs, præsertim ubi squamæ ulceri adhærent, & dolor adest, conuenit cataplasma ex fabæ lomento. nam & dolorē mitigat, & ulcera repurgat. Sit aūt ex faba Aegyptia lomentum. Idem facit sesamū crudum, & erui farina melle subacta & imposita. Repurgatione uero ulcerū facta, prurituq; lenito, ad cicatricē inducendā pergemus: probe autē facit in his partibus, misy cum sulphure uiuo tritū, & cerato myrteo exceptū. Conducit & plumbi recrementū, & spuma argenti cū myrteo cerato. Et emplastrum ex cadmia, & emplastrum ex hordeo. Pręclare auxiliatur etiā scroto in superficie tumefacto, terra cimolia cum aqua diluta ac illita, quam illitā exarescere sines, & aqua tepida loco abluto, myrtum siccam tritam modica myrrha addita insperges. Inducta uero cicatrice, nullaq; molestia nec pruritu uexante, curatio transacta est. At si scabie sanata, pruritus restat, aut augetur, aut scrotum humore destillat, Nitrum cū staphide agresti & alumine liquido, rosaceo & aceto dilutum, in balneo illinere iubemus. Et à balneo oui candidum cum melle imponere. Si uero uehemens & intolerabilis est scroti pruritus, fex aceti sicca cum uino madefacta adhibetur, eodem modo uelut pręcedens medicamentum, illito etiam postea oui albumine. Quòd si adhuc amplius uim eius augere uoles, ustā fecem accipies. Idem pręstat alumen cum melle probe coctum, & reliqua quæ ad pruritus retulimus.

De testium ac scroti inflāmatione, Leonidæ. *Cap. XXI.*

Quādoq; testes soli per se inflammantur, quādoq; testibus nihil affectis, scrotū inflammatum est. Aliquando uero testes unà cum scroto inflammantur. Sicut autem in alijs corporis partibus, ita etiam in his, uel ex humorum influxu, uel ictu, uel collisione inflammatio contingit. Proinde solo testiculo inflammato, scrotum colorē naturalem habet, ipse uero testis tumidior, duriorq; ac amplior tactui occurrit. Adest dolor pulsatiuus usque ad renes pertingēs. At si scrotum inflammatum est, tumor rubicundus in superficie est, renitens ad tactum ac dolens. Vtrisq; uero inflammatis, testibus uidelicet & scroto, ex signorum augmento magnitudinem inflammationis iudicabimus. Proinde cibi parsimonia, & aquæ potu per totū curationis tēpus utendum est. Et si inflāmatio uehemens fuerit, præsertim in iuuene sanguinē multū habēte, uena cubiti secāda est, si id fieri potest, sin minus, tali. Nā & hanc secare prodest, ubi sanguis non fuerit multus. At pro localibus auxilijs, si testes sunt inflāmati, & maxime ubi nerui à qbus pendēt simul affecti fuerint: lanā oleo cōmuni aut anethino imbutam adhibebimus ac deligabimus. probe facit et uerbenaca recta in oleo cocta modico uino addito, & scroto imposita, atq; lana superilligata. Cataplasmatis uero ad inflāmationes soluēdas idoneis utemur. E quorū numero admirandū est, ad testiū præsertim inflāmationē, Cataplasma ex faba Aegyptia. Decorticatur autē faba cocta, & cū modico melle trita illinitur. præstat etiam ad testium ac scroti inflammationes, cataplasma ex puro pane, quo ego asidue utor, quandoq; cum oleo & aqua, quandoq; cum mulsa. Egregie facit etiam id quod ex uuis pasis cū cumino torrefacto ac trito, modico melle addito paratur, prodest & asphodeli radix cum polenta in uino cocta. Et lini semen in aqua mulsa coctum. Et senecio cum polenta. Et cupresi folia per se, uel cum panis mica. Ceratum ad testium inflammationes efficax. Ceræ, resinæ pinus, olei anethini & narcisini, singulorum dextantem, cumini sexuncem, fimi asinini pilas tres, fimum arefactum terito & cribrato, & cumino ammisceto, deinde cum cerato liquefacto committito ac imponito. Et lanam narcisino aut rosaceo oleo imbutam superilligato. Confert etiam emplastrum ex succis rosaceo dilutum, durante uero inflammatione, aqua marina calida affundēda est, & cerata adhibenda inflammationes discutiētia: qualia sunt ad mamillas inflammatas descripta. Quòd si non soluatur inflammatio, sed transmutetur, suppurationem cum cataplasmatis adiuuare oportet, perfectoq; iam abscessu chirurgia adhibenda est, & communi curatione utendum. Si uero nome depascens accesserit, eadem curatione etiam hic utendum erit, quam superius ad sedis nomas tradidimus. Oribasij ad testium tumores laxos ac in

ac inflammationes. Olei lib. I. alij habent dextātem, plumbaginis, cumini, passularum sine uinaceis, farinæ fabarum, singulorũ trientē, ceræ sextantē, plũbaginem cũ oleo ad cõpagem coquito, deinde cerā cũ colophoniæ dra. VI. adijcito & ad perfrigerata passulas ac farinā ammisceto, ac utitor. Aliquando tamen farinā ad liquefacta inijcio inquit, postquàm feruor ipsorũ quieuit. Aliud eiusdem. Vuarũ passarũ sine uinaceis drac. XXV. cumini acetabulũ I. resinæ pinus quadrātē, mellis quod satis est. Sāguinis porrò euacuatio efficacissimũ auxiliũ est ad testes inflāmatos, inquit Oribasius. Cęterũ ad testiũ duritias, cucumeris syluestris radicē terito ac cribrato, & in aqua mulsa coctam cũ loliacea farina imponito. Aut lilij radicem uino coctā, & modico melle subactā imponito.

De Hernia aquosa, Leonidæ. *Cap. XXII.*

Hernia aquosa quandoq; ex occulta, quandoq; ex manifesta causa contingit: Ex occulta quidem, quum aquosus humor circa partes corpusculorum, quæ scrotum cõtexunt ac implicant, sanguini ammixtus collectus fuerit. Ex manifesta uero, quum ex plaga collisis, aut fractis uasis, sanguis affluēs ad aquosam substantiam transmutatur. Vbi igitur sponte cõstiterit aquosus humor collectus, subflauus aut subpallidus is inuenitur. Vbi uero ex plaga, cruentam ac feculētam materiam reperies. Humor autem uel intra rubicundam testiculi pelliculam consistit, uel extra ipsam, inter eam & pelliculas adiacentes. Vel in propria pellicula uelut uesica quadā continetur, atq; hoc genus herniam in tunica superagnata uocamus. Aliquando uero duplex hernia oboritur, quum collectio & in rubicunda tunica, & in superagnata consistit. Si quidem igitur in pellicula rubicũda humor collectus fuerit, tumor unius coloris apparet sine dolore, in principio dum adhuc parua est collectio, ad cõtactum cedens. Postea uero aucta collectione, testiculus humore undique circundatus occultatur. At tumor in ambitu extentus ac renitens ad tactum, herniæ carnosæ suspicionem imperitis exhibet. possunt tamen tactu discerni. nam hernia carnosa omnino renititur, sed aquosa digitis cedit. Si uero in superagnata tunica humor colligatur, tumor ipse siue magnus siue paruus fuerit, omnino circumscribetur. At si simul quoq; in rubicunda tunica collectus fuerit, duo tumores deprædhendentur, alter in superagnata, alter in rubicunda pellicula. Quòd si extra rubicundam pelliculā collectio fiat, testiculus tactui occurrit. Cæterũ ab hernia aquosa differt hernia intestinorum. Quoniā in aquosa tumor eiusdem penitus magnitudinis semper, & in quolibet corporis situ persistit. Neque enim humores, uelut intestina transferuntur. Inguen præterea in hernia aquosa secundum naturam se habet, qua nota uel maxime aquosa, ab omenti hernia destinguitur. Nam in hernia omenti, semper in scroto omentum persistit, neque unquàm transfertur, id quod etiam in aquosa contingit. Verum in omenti hernia inguen rarefactum deprædheditur. Tutissima itaq; curatio herniarũ chirurgia & ustione perficitur, si peritus artifex contingat. Potest tamen etiam medicamento scrotum inuri, & consumpto humore ac cicatrice inducta firmari. Ad hunc usum efficax hoc est. Radicis brassicæ ustæ cinerem, cum adipe suillo inueterato liquefacto ad emplastri formam adigito, & impositum alligato, ægrumq; quiescere sinito, & postridie soluto medicamento fomentum adhibeto, & rursus apponito, idq; tamdiu repetito, donec ustio peracta fuerit. Emplastrum autem angustum & oblongum esse oportet, neq; plus quàm conuenit locus inuratur. Ita ut in magnis tumoribus quatuor digitorum longitudinem & pollicis latitudinem habeat. In paruis duorum digitorum longitudinem, & auricularis digiti latitudinē exæquet. At uero ubi tunica per ustionē detecta est, scalpello eam diduces, exclusoq; humore fistulare collyrium fissuræ indes, quo uicinæ partes erodantur. Deinde suppurante medicamento uteris, postea dilapsa crusta, repurgatoria ulcerum per linamenta immittes, postremo ad adstringentia progredieris, quale est emplastrum barbarũ appellatum. Poteris etiam pro brassicæ radice, medicamenta erodentia, septica Græcis appellata, adhibere. De quibus sequenti Sermone agetur. Post humoris exclusionem, ne rursus collectio fiat, huiusmodi malagmatis uteris. Ceræ sesquilibram, picis dodrantem, ammoniaci thymiamatis lib. I. & dodrantē, aluminis liquidi sesquiunciam aut sextantem. Aliud Asclepiadæ, ad herniā aquosam accõmodatũ, quod peracta erosione, & humoris exclusione adhibitũ, persanat & omnem duriciā resoluit, picis aridæ lib. IIII. ceræ terebinthinæ, ammoniaci thymiamatis, galbani, thuris, singulorum lib. I. aceti sextarios III. olei cyprini quantũ satis est. Picem tritā cũ aceti sesquisextario coquito: Deinde ammoniacũ cũ modico aceto tritũ adijcito, & parũ feruere sinito, postea cerā inijcito, eaq; liquefacta, galbanum ac thus aceto trita ammisceto, omniaq; unita & ab igne ablata ad residuum aceti in mortarium mittito, & cyprino adstillato probe subigito, ac utitor. Præclare facit etiā emplastrum ex lolijs, quod Sermone decimo quinto inter Nigra habetur. Sunt etiā medicamenta quæ citra ustionem ac erosionem, humoris discussionem promittunt. Quale est hoc quod habet. Spumæ argēti drach. VI. salis fossitij, atramenti sutorij, singulorũ drachm. X. cerusæ drachm. XIIII. terebinthinæ drac. XI. olei libram unam. Spumam argenti, cerusam, sal cum oleo donec non inquinent coquito. Deinde atramentum sutorium cum aceto tritum addito, cauendo ne efferuescat, atque ubi parum ebullierit terebinthinam addito, & ab igne ablata in mortario subigito, & repositis utitor. Aliud, ad quæcunque sine scalpro curare uolueris. Ceræ, spumæ nitri, rubricæ sinopidis, nitri, singulorum sextantem, terebinthinæ, mannæ, thuris, mastiches, singulorum drachmas XVIII. olei heminā I. aquæ marinæ siue muriæ sexuncem. Arida cum muria diluito, & liquefacta ammisceto, ac unitis utitor. Aliud. Nasturtij drachmas XXX. nitri drachmas X. fimi columbini drachmas VI. galbani, terebinthinæ singulorum drachmas XX. liquefacta cum aridis committito, ac utitor cõfidenter. Confert & psittacium inscriptum, quod Sermone decimoquinto inter emplastra mollientia ac discutientia habetur. Hoc ego ad hernias aquosas usus sum, & primum tumorem emolliuit & ualde compescuit, ac post paucos dies exudantibus testiculis plurimam aquam extraxit. Aliud ad herniam aquosam, ualde efficax. Carnium uuarum passarũ, ammij, terebinthinæ, singulorum drachm. VIII. nitri rubri drachm. X. mellis optimi sextantem. Arida

 scorsim

seorsim terito ac cribrato. Inde uuas passas probe cõtusas ammisceto ac unito, deinde mel cum terebinthina modice coctum addito, & ad emplastri formam adigito, & linteo excepta adhibeto, ac lata fasciola deligato, ægrumq́ quiescere iubeto, & à balneo ac uehementi motu abstinere. Solues autem hoc alternis diebus, & spongia locum fouebis, ac rursus impones. Vtere etiam emplastris discussorijs ac resiccãtibus ad hydropicos suprà descriptis, & precipue eo quod Vestæ nomine inscribitur.

De Hernia intestinorum, ex eodem. *Cap.* XXIII.

Hernia intestinorum est intestini aliquando ad inguẽ, aliquando ad scrotum delapsus, qui multarum molestiarum autor est. Nam & deformitatem, & miserã uitã, & mortis periculum inducit, quando intestina duris recrementis distenta, ad scrotum delata condensantur. Inde enim tormina uoluulosa, ac sepe inflãmationes succedunt, ex quibus pernicies consequitur. Generatur hoc malũ aut peritonæo membrana aluum ac intestina amplectente nimium extenta, aut eadem rupta. Si ab extensione fiat, primum quidem laxitas ad inguen procumbit, & summa uentri incumbens pars conuellitur, simulq́ pili pubis reuulsi cõspiciuntur. Verum postea tumore aucto scrotum uiolatur ac intumescit. Si uero rupta fuerit peritonæi membrana, quę ad inguen pertingit, intestinum per rupturam delatum rubicundæ tunicæ innititur, & hæc tandem temporis mora oppressa, etiam ipsa inferius prolabitur. Quòd si plaga adeo uiolenta cõtigerit, ut simul & peritonæi membrana, & rubicũda tunica rumpantur, tunc intestina repente nudo testiculo occurrentia ad scrotum præcipitãtur. Cæterum nosse expedit, intestinorũ herniã qualiscunque fuerit, semper aquosa esse deteriorẽ. Quæ uero propter extentionẽ peritonęi mẽbranę fit intestinorũ hernia, difficilius sanatur quàm quæ propter eiusdẽ rupturã. Et sanè intestinorũ hernia extreme mala, sola chirurgia curari potest, eaq́ graui ac periculosa.

De Hernia inguinis. *Cap.* XXIIII.

Inguinis hernia propter peritonæi membranæ extensionem facta, in principio adstringẽtibus appositis, aliquando curari potest. Tutior tamen est ustio, si peritus artifex cõtingat. Nunc autem quo pacto hoc malum medicamentis adhibitis ac ligamentis sistamus, ut ne in peius procedat ostendemus, & simul quomodo succedentibus accidentibus sit occurrendum. Proinde delapso ad scrotum intestino, & uoluulosis torminibus diuexantibus, statim conabimur, decliui locato ægro, diductis cruribus intestina sensim ad inguen reducere, ac reducta commodis ligamentis retinere. At si partes scroto uicinæ uehementibus doloribus unà cũ inflãmatione uexentur, tormina itẽ ac flatus adsint, tãdiu differenda est reductio, donec quieuerint. Et interim partes uicinas alternis diebus, primũ lana succida oleo ac uino imbuta, deinde etiam illitionibus rigabimus. Et dolentes partes circũscarificabimus. Neglectæ enim sepe mortificantur. Declinante malo emplastra adhibebimus, quale est Mnascæ inscriptum, & alia huiusmodi. Et ne recidat æger, asseruandi gratia perpetuis ligamentis utatur. Presbyteri Emplastrum ad herniã inguinis. Thuris, myrrhæ, glaucij, opopanacis, sarcocollæ, tragacãthæ, gummi, glutinis taurini, glutinis pisciũ, cinnabaris quo fabri ferrarij utuntur, carnis cochlearũ terrestriũ, singulorum sexuncem, fecis uini adstringẽtis ueteris quantũ satis est. gluten utrunq; & quæ macerari possunt in uini fece macerato, atq; aridis tritis ammisceto, & ad emplastri formã reducito, imponito, alligato, & quiescere iubeto, ac septima die soluito. Ad intestina prolapsa. Symphyti libram unam, mannæ thuris quadrantem, candidi ouorũ recentium unà cũ uitello, numero sex. Symphytum tritum ac cribratũ in fictile uas conijcimus, eiq́ thuris mannam siue pollinem unà cũ ouis subactũ addimus. Deinde suillo adipe ueteri adiecto ad emplastri formã redigimus, atq; hoc intestino prius reducto adhibemus, & ligamẽto alligamus. Aliud. Folia & teneras cupresi pilulas impone & alliga. Et si sicca fuerint, in uino prius coque. Hoc auxiliũ inquit Galenus, omnibus corporibus nimio humore flaccidis confert. resiccat enim & corroborat. Decimo autẽ die id exoluere ac renouare oportet, ita utter repetatur, & puer interim per triginta hos dies in lecto decumbat, & cupresi decoctũ bibat. Aliud celebre. Aloës, malicorij in uino nigro cocti, succi hypocisthidis, thuris, glutinis fabrilis, singulorũ ęquales portiones. Gluten in passo donec dissoluatur, coquito, ac probe terito, & reliqua minutissime trita ammisceto, ac utitor uelut iã sæpe dictũ est. Aliud. Balaustiorum sexuncẽ, thuris, aloës, rhois coriarij, glutinis fabrilis, corallorũ, singulorum quadrantẽ, malicorij, gallarum, singulorũ lib. I. Gallas & malicoriũ in uino nigro è uinaceis expresso coquito, & postea in mortario terito, & ad trita reliqua cũ polygoni succo dissoluta addito, & omnia melle cocto excipito, ac utitor uelut dictũ est. Emplastrum datum cuidam adolescenti ob herniæ intestinalis turpitudinẽ summe anxio, ex quo sanatus est. Resinæ siccæ, ammoniaci thymiamatis, bituminis, sulphuris uiui, æquales portiones. Liquabilia liquato, eisq; ab igne ablatis sulphur adijcito, & in mortario ad emplastri formam redigito, adhibeto ac alligato. Oportet aũt spleniũ in quo adhibetur calfactũ apponere, neq; frequenter amouere, sed sinere donec sponte decidat. Quidam pro ammoniaco picem, quidã alcyonium inijciunt. Aliud. Terebinthinę sesquunciã, cerę, thuris, myrrhæ, glutinis pisciũ, carnis cochlearũ, singulorum unc. I. Glutẽ per triduum aceto maceratur: Deinde in mortario teritur, & ad prunas eliquatur, rursusq; teritur, & ad ipsum reliqua trita ammiscentur. Vtere præterea Iside inscripto emplastro, quod Sermone XV. inter emplastra multi usus habetur. Aliud Theodori, admirãdum ad herniam intestinorum, quod nos experti sumus, & cum multorũ admiratione sanauimus. Curat magnas & diuturnas affectiones. Chartã in aqua frigida ad triduũ madefacito, & ubi humorẽ uelut spõgia imbiberit, ex ea pilã facito, quam reducto prius intestino, inguini adhibeto ac alligato, neq; ante tertiũ diẽ exoluito. Tertio enim die miraberis de efficacia ipsius. At uero ægro minime indicabis quid sit id medicaminis, sed chartã uel pãniculo inuolues, uel atro colore tinges. Neq; uero tu utilitatẽ rei despicias. Aliud, intestinorũ hernias agglutinãs. Chrysocollæ, glutinis pisciũ, lapidis gagatæ, rhois coriarij, acaciæ, symphyti, carnis cochlearũ, singulorũ sesquunciã, ammoniaci thymiamatis, lapidis pyritæ, lapidis magnetis, aluminis scissilis, thuris, sulphuris uiui, alcyonij, picis

brutiæ

bruti§,nitri,singulorum unc.I. Gluten piscium in uino nigro austero macerato, postea in pila terito, & ad prunas cum eodem uino eliquato, & rursus terito, & ad ipsum reliqua trita ammisceto, quo solidũ emplastrum fiat, quod inguini adhibebis ac deligabis, ægroq; quiescere iusso septima die solues. Verum ante adhibitionẽ locũ alicuius ualde adstringẽtis decocto rigato. Sunt qui prędicta myrteo cerato excipiũt. Ego uero acaciã, thus, ammoniacum, seorsim in uino macero ac tero, atq; ad gluten pisciũ recte pręparatum ammisceo. Deinde cochlearum carnibus tritis adiectis, itemq; reliquis tritis, ad emplastri cõpagem redigo, quod crassissime inguini impono, & charta imposita deligo. Aliud Oribasij, picis liquidæ, terebinthinę siccæ, singulorũ lib.I. uisci sexuncem, propolis trientem. Quidam etiã colophoniæ sextantẽ, galbani sextantem, picis & colophoniæ liquatis terebinthinam, deinde galbanum & propolim in mortario prius trita ammisceto, statimq; ubi ab igne sustuleris, uiscum adijcito, & rubicula agitato donec frigescat, facit ad strumas, meliceridas ulcera, & inflãmatos sub alis tumores, & ad abscessus colli. Repurgat & agglutinat. Aiũt porrò Aëtiten lapidem gestatũ ut inguen cõtingat, prohibere, ne intestinũ assidue delabatur. Idem etiã tritus recte medicamẽtis quę imponuntur ammiscetur.

De Emplastrorum præparatione ac coctura, & quæ in ipsa conijciuntur, Galeni. Cap. XXV.

Emplastrorum cõpositionis multæ ac uariæ particulares differentię sunt. Quædã enim ipsorũ ad cruenta uulnera commoda sunt, itemq; uulnera agglutinant, atq; fracturis conueniũt, aliqua maturant, aliqua discutiũt, aliqua attrahunt, aliqua sinus explẽt, alia resiccant, alia cicatricem inducunt, alia leniunt, alia pinguia sunt. Quorũ omnium uarietates uaria simpliciũ medicamentorũ natura distinguit. Quapropter prius simplicium uires cognoscere oportet. Ita enim etiã compositorũ facultates & causas, propter quas inter se differunt, dinoscemus, ut nõ solum singulorum naturas intelligamus, sed componendi quoq; artẽ ediscamus: quo si forte liber in quo pharmacorum cõpositiones quibus utimur scriptas habemus, intercidat, ipsi consimilia deperditis componere possimus. Graue enim fuit id quod duobus medicis mihi notis contigit: Quorũ alter ob huiusmodi scriptorum amissionem mœrore contabuit, alter uero medicãdi artẽ desiuit. Adest autem exercitatis, ad hoc quod pharmaca componere possunt, etiam iudicandi facultas de his quæ priores medici descripserunt, ut & his quę ab illis scripta sunt commode uti posis, & his quæ ipse iuxta rectã methodum composuisti, præstat tamen his quæ longo experimento probata sunt uti, quàm noua usurpare. Sed uelut dixi necessitas aliquãdo nos cogit in peregrinationibus, ut noua quædã & experimento non cognita usurpemus. At uero si omnibus præter naturam affectionibus simplici medicina mederi possemus, compositis non opus haberemus. frequenter enim ad certum quendã modũ corpus calfacere uolentes, nullum simplex quod id facere posit reperimus. Nam medicamentũ curandæ affectioni correspondere oportet. Quin & aliqua simplicia citra alterius mixturã in usum deduci non possunt. Velut quando medicamentum meatus obducens adhibere uolumus, nullum simplex ad hanc rem idoneum habemus. Nec; enim bitumen, neque cera, nec; resina, nec; pix, nec; propolis, nec ladanũ, nec ærugo, nec cerussa, nec argẽti spuma, nec alia metallica, talia sũt. Ideoq; qui primo medicamenta emplastica & meatus obducẽtia excogitauerunt, cũ oleo metallica coxerunt, & liquabilia eliquarunt. Deinde herbas siccas tritas ammiscuerunt. Cõtrà in aliquibus affectionibus, unico quidẽ simplici medicamento opus habemus, sed alia quædã illi miscemus, uel ad uirium ipsius uehementiam obtundendam, uel ad saporis asperitatem mitigandam, uelut quum ad purgantia medicamẽta, quicquam ammiscemus ex his quæ stomacho grata sunt. Et ad dolorem sedantia, quædam uim ipsorum lenientia, uelut castoreũ & cætera huiusmodi, ad opium & mãdragoram. Tunc autẽ maxima componendi pharmaca necessitas est, quum morbus contrarias facultates inter se requirit, uelut repellentes simul & extergentes, aut inspissantes & simul attenuãtes, quale est quod ex papaueris capitibus ac melle paratur. papauer enim tenues destillationes à capite inspissat. Mel autẽ humores ad pectus iã delapsos, reiectu faciles facit. Necessariò præterea componũtur medicamẽta, ut idem medicamentum habere possimus ad plures morbos cõgruum, uelut ad uirus eiaculantium bestiarum ictus, & ad uenenosas potiones. De Antidotis ergo & epithematis satis suprà tractatum est. Cæterum eorũ quæ in emplastra inijciuntur, quædam terrea sunt, ueluti metallica, & lapidum ac terræ species, fecesq; ac cineres & testæ. quædam oleosa, quædam lacrymæ, quædã liquores, quædam succi, quędam liquabilia, quædam semina, quædã herbæ, quædam radices. Et rursus quædam qualitatis expertia, quædam acria, quædam adstringentia, quædã calfaciẽtia, quædam extersoria, quædam maturãtia, aliqua diffundentia, aliqua mollientia, aliqua discussoria, & innumeræ aliæ differentiæ reperiũtur. Spuma igitur argenti exiccat, extergit, calefacit ac refrigerat moderate, ad omnia æqualiter efficax. Hæc aliquando in oleo solo, aliquando aqua aut uino, aut aceto ammixto coquitur. Primo autẽ seorsim exactissime terenda est, deinde rursus cũ oleo ad strigmẽtitiam compagem redigenda, atq; ita assidue agitata ad lentũ ignem coquenda. Intumescit primum ac bullas emittit, quum autem sufficiẽti cocturæ propinqua fuerit, colorem fecis induit. Mensuram uero cocturę iustam recipit, quum tumor cõtractus fuerit, neq; amplius inquinat. Similes spumæ argenti uires plumbago habet, ad frigiditatem tãtum magis progressa, nec pariter extergens. Eodem etiam modo coquitur, nisi quòd in eius coctura non solum quæritur ut ne inquinet, sed ut colorẽ quoq; ex igneo rubore, ad fuluum ac ualde floridum trãsmutet. Aes ustum adstrictionis & acrimonię particeps est, cõtrahit, cicatricẽ inducit, & ab inflãmatione tutatur. Quum autem coquitur, nõ statim in principio immittitur, sed emplastro iam semicocto. Mensurã cocturę, nisi ualde modicũ inijciatur, color indicat, ut uidelicet exuberet, & fuluũ emplastrũ faciat. Squama æris carnẽ erodit, adstringit, & ualidius glutinat quàm æs, sed minus discutit. Coquitur sicut æs, & eodem tẽpore inijcitur, eandẽq; cocturæ rationẽ habet. Nisi enim color eius exuberauerit, & fuluũ emplastrũ effecerit,

nondum ad iustā cocturam peruenit. Squama uero ferri, præsertim stomomatis, ampliori adstrictione participat, quapropter ad malefica ulcera illi præfertur. Eodem autē tempore iniicitur, & rutilū colorem inducit. Diphryges mixtas uires habet, adstrictoriam cum acrimonia. Quare ad putrida ac maligna ulcera utilis est. Et hoc medio cocturæ tempore iniicitur, bullitq; donec color eius exuberet, neque amplius inquinet. Chalcitis adstrictione simul ac acrimonia participat, contrahit, attenuat, discutit, aperit, & amplius superioribus adstringit, ac minus mollit. Vsta uero tenuior euadit, & adstrictionem perdit. Coquitur sicut æs, citius tamen liquefit. Mensura cocturæ est, ut rubicundius, ac punicei coloris emplastrum faciat. Misy similes chalcitidi uires habet, tenuiorū tamen partium est, & ideo magis attenuat, discutit & aperit. Sed minus mollit ac adstringit. Ad finē uero cocturę iniicitur, neq; ullā mensurā exhibet. Sori quoq; similes chalcitidi uires habet, nisi quod magis terreū ac crassum est, atq; ideo magis adstringit. Iniicitur & ipsum medio cocturæ tēpore, & tardius liquescit, & nisi quid prohibuerit, atrum colorē reddit. Flos æris tenuior est ære usto & squama æris, participat nonnihil abstersoria ui, ideoq; attenuat & agglutinat. Coquitur uelut de ære diximus. Atramentū sutoriū ex mixtis facultatibus cōstat. Valde enim adstringit, neq; ingenerose calefacit. Prę omnibus itaq; humidas carnes siccare, omnemq; humiditatē consumere cogereq; ac adstringere potest. Iniicitur medio cocturæ tempore, & liuidiorem emplastri colorē facit. Imò nisi alia obstiterint, atrum eius colorē faciet. Auripigmentum & sandaracha ambo urendi facultatem habent. Magis igitur prædictis discutiunt, & usta tenuioris essentiæ sunt. Iniiciuntur autē ad cocturę finem. Plumbum ustum ex his quæ citra erosionem siccant, efficacissimum est ad maligna, chironiaq; ac cancerosa ulcera, habetq; per se, & cū aliis mixtum, facultatem inducendi cicatricem. Iniicitur medio cocturæ tempore. Cerussa meatus obducit, & moderate frigida est. Cocta uero siccior seipsa euadit. Hæc in emplastra alba, ad finem cocturæ iniicitur. Sic enim colorem conseruat, & magis inalbat. In nigra uero, aut melina statim in principio inditur. Aerugo æris acrimoniæ particeps est, discutiendi incidendiq; ac consumendi omnē carnē uim habet, plurimo autem cerato ammixta exterget ac cicatricem inducit. Hæc in emplastra uiridia post cocturā iniicitur. In quibusdam uero ne iniicitur quidē in ollam, sed cum aceto in mortario teritur, & reliqua ad ipsam affunduntur. In melina uero emplastra medio cocturæ tempore inditur. At in ea quæ geminā faciem ac colorem præ se ferunt, statim à principio iniicitur. Dū enim coquitur ęrugo primum melina, deinde bicolor, postremum fulua efficitur. Alumen omne uehementissimam habet adstringēdi facultatem resiccatoriam & agglutinatoriam. Omnium autem tenuissimum est scissile. Iniicitur plerunq; post cocturam, neq; peculiarem cocturæ mensuram habet, color eius plerunque ad uiriditatem mutatur. Rubrica adstringit, resiccat, agglutinat, iniicitur in fine cocturæ. Cadmia extersoriam uim habet, caliditate & adstrictione temperata. Vsta lota sine erosione exterget ac resiccat, pompholyx quoq; lenissimum pharmacum est, & malignis ac ulcerosis ulceribus congruum. Iniiciuntur ambo in cocturæ principio. Sal mixtam facultatem habet extergendi ac adstringendi, magis tamen adstringit, & ualde resiccat. Nitrum autem extergendi incidendique ac exiccandi uim habet. In attractoriis emplastris sal ipsi misceri solet. Et ambo medio cocturæ tempore induntur. Sulphur omne attractoriam uim habet, calidæque ac tenuis essentiæ est. Iniicitur in fine cocturæ. Nigrefacit enim emplastra. Atque hæc quidem metallica sunt quę in emplastra iniiciūtur. Terræ uero in ipsa induntur, samia, erethria, cimolia, ampelitis & lemnia. Ex lapidibus autem phrygius, asius, pyrites, hæmatites, magnes, achates, iaspis, gagates, cos. Horum uires superius exposuimus. Iniicitur & pumex, extergendi attenuandiq; ac discutiendi uim habens. Testæ prēterea conchyliorum ustæ, ac crudæ, tanquam attenuantes, extergentes, ac discutientes, & resiccātes, ad sinus glutinandos ammiscentur. Idem præstant & fictilium testæ, extersoriæ etiam ipsæ ac resiccantis facultatis. Iniicitur item calx tanquam præclare resiccans, & ad cicatricem perducens. Cinis uero præsertim sarmentorum sinus agglutinat, callósque exterit ac resiccat. Hæc omnia terrea in fine cocturæ iniiciuntur. At uero in pinguia emplastra oleum recipientia, oleum statim à principio cum metallicis iniicere oportet. Si uero cum resina quadam, aut pice liquida emplastrum paretur, & oleum statim ab initio inieceris, incohærens faciet medicamentum. Quapropter ut compages fiat, resinas liquidas primum indere oportet, deinde in fine oleum superaddere, atq; ita rursus ad bonam compagem coquere. Reliquæ pinguedines, & præsertim adipes recentes tenerrimi, medio cocturæ tempore iniiciuntur. Ex unguentis irinum quidem cocturam sustinet, cyprinum uero & rosaceum, minus ferunt, cætera omnino non tolerant. Quapropter hæc in fine cocturæ iniicies. Cera porrò calefacit & moderatè mollit, minusq; glutinat uulnera cruenta. Nunquam coquitur per se, ita enim uratur. Neque cum resina aut pice liquida, ita enim incompacta maneret. Sed iniicitur ad oleum purum, uel aliud cum metallicis coctum, aut ad resinam uel picem præcoctam. Resina omnis multò magis quàm cera calefacit, discutit, mollit, extrahit & aperit, ac cruenta uulnera glutinat. Et arida quidem resina post ceram iniicitur, liquida uero seorsim præ cæteris omnibus coquitur, nisi admodum fuerit modica. Pix uires omnes resinæ habet, sed ualidiores. Iniicitur præ aliis omnibus. Mensura cocturæ liquidæ est, ut cogatur. Siccæ uero, præsertim si cum aceto coquitur, ut non amplius bullas emittat, neque intumescat. Bitumen cruenta uulnera glutinat, & præclare calfacit ac resiccat, & sinus implet. Coquitur statim ab initio iniectum. Verum non minute tritum id iniicere oportet, habet enim asperitates ficuum granis similes. Quare crassius contundendum est, & in aceto coquendum citra agitationem, donec non amplius bullas emittit. Agitatum enim in grumos cogitur. At si absque aceto coquendum est, oleo simul additum facile liquescit. Propolis calfacit, discutit, maturat, extergit & attrahit. Hanc præmollire oportet, atq; ita coquere ab igne ablatis iniectā. Nullā enim amplio

ampliorem cocturam tolerat. Ammoniacum mollit, discutit, calfacit, putredinem educit, attrahit. Inijcitur medio cocturæ tempore. Et si quidem cõteri ac cribrari potest, leuissimum insperges. Sin minus, cum liquore quopiam leuigatũ immittes. Cum aceto quidẽ aut uino, si ad cruenta uulnera emplastrum paratur. Si uero ad fistulas aut strumas, penitus cũ aceto. Si uero molle fuerit emplastrum, qualia sunt quæ ad sedem parantur, cum aqua, ita ut ad reliqua refrigerata infundas, ut ne efferuescant, ac rursus coquas. Opopanax magis calfacit quàm ammoniacũ, discutit & resiccat. Inijcitur peracta coctura, qua penitus modica opus habet. Et hunc aceto aut uino prius terere oportet. Galbanum ualde calefacit, concoquit ac discutit. Cocturam autẽ penitus non tolerat. Itaque ablato ab igne medicamento probe mollitam inijcere oportet. Aut cum aceto uel uino ad strigmentitiam compagem dilutã reliquis ammiscere. Sagapenum uires habet galbano similes, magis tamen discutit & attenuat. Inijcitur in fine aceto aut uino prius tritum, ita ut cum ablato ab igne emplastro emolliatur. Bdellium calfacit, discutit, attrahit, mollit. Inijcitur tritum post peractam cocturam. Si uero pingue fuerit, ac teri non posset, in mortario tusum cum emplastro emolliatur. Thus parum calfacit, præclare maturat, modice attrahit, & sinus glutinat pollen eius, similes uires habet, magis tamẽ adstringit. Quare medicamẽtis ad cruenta uulnera cõmode miscetur. Inijcitur utrunque in fine cocturæ. Myrrha calfacit, concoquit, attenuat, discutit, & exiccat, facit ad uulnera cruẽta. Inijcitur in fine cocturæ cum aliquo liquore qui emplastris miscetur contrita. Aloë ex uarijs facultatibus constat. Adstringit enim, calfacit, attenuat, discutit, sinus glutinat ac resiccat. Additur post omnem cocturam. Succus papaueris strenuè perfrigerat, dolores ac inflãmationes mitigat, & cruenta uulnera glutinat. Hic pridie in aqua modica maceratur, & in mortario teritur, atque sic emplastrum ad ipsum diffunditur. Thapsia calefacit & rubificat cutem. Inijcitur postrema liquore quodam trita. At uero nulla herba, aut radix, aut semẽ cocturam tolerat, celerrime enim torrefiunt. Teruntur igitur ac manent in mortario, & liquefacta reliqua ad ipsa diffunduntur. Aliquando tamen herbas aut radices præmaceratas, in oleo coquimus, & expressas abijcimus, & oleum ad medicamenta assumimus.

De cruentorũ uulnerũ curatione, Galeni. Cap. XXVI.

Parua & superficiaria uulnera, natura sua sponte nullius medicamenti indiga sanare solet: labia solum à nobis contrahantur, & ligamento circundentur, ne pilus, aut arena, aut tale quid illabatur, & ulcus penitus coalescet. At si amplum fuerit uulnus, ut labia contrahi non possint, & sanies congregetur, aut urgeat dolor, tale uulnus sola labiorum contractione agglutinari non potest, sed per medicamẽta resiccantia collectam saniem consumere, & affluentem prohibere oportet: talia uero sunt agglutinatoria pharmaca inflammationem arcẽtia. Si uero uulnus profundius fuerit, & in superficie angustius, scalpello incidatur, ut æqualis amplitudo fiat, & insinuati humores non putrescant, neq; uicinas partes corrumpant: proinde qui cruenta uulnera glutinare uoluerit, hæc consideret, & præ omnibus grumos diligenter ex uulnere educat. Quantulacunq; enim eorum pars in cauitate relicta in pus cõuertitur, & carnes subinde putrefacit. Educemus autẽ grumos spõgiarum mollium assiduo fotu, atq; hæ nõ in omnibus ex aceto exprimantur. Sed si uulnera sine eruptione sanguinis fuerint, aqua solum foueantur, ita enim carnem nihil offendemus, quam adstringens acetum impedit ne cito coalescat. At uero profundiora uulnera penitiores & difficulter extirpabiles grumos in se habẽtia, aceto rigabimus, quod ex spõgia usq; ad fundum ipsorum exprimemus. Acetum enim ad dissoluendos gumos efficax est, per adstrictoriã facultatẽ aperta uasa occludens, allationemq; sanguinis cohibens, quibus omnibus à principio intentum esse conuenit, etiamsi aliàs acetum obturando corpora, tardiorem faciat uulneris unionem. Cæterum si in capite uulnus fuerit, suprà relata mẽbrana caluariam ambiens considerãda est, an illæsa aut simul pertusa sit: Si enim illæsa permanserit, labia suturis protinus contrahes, & agglutinatorijs uteris: Si uero perforatam aut cõtusam repereris, ad tutiorem curationem membranam dissecabis, & os diligenter derades, linamentaq; cõuulsa indes, & forinsecus splenium inflãmationem arcens impones, & supra id lanam succidã seu spongiam mollissimam, uino aut aceto imbutam ac expressam, sine oleo adhibebis, præcipue si sanguinis eruptio præcessit, postea fasciolam lineam aceto rigatam ac expressam obligabis, uinculi capite in uulneris loco statuto, quemadmodũ in artuum fracturis fieri solet. Studio uero habendum est ut ligatura sursum uergat. Verum constrictionem eius moderatã esse cõuenit. Nã uehemẽtior dolorem excitat, laxior inutilis est, post tertiã diem uulnus fractura carens spongijs foueatur, deinde linamẽta medicamẽto suppuratorio illita indantur, & reliqua suppuratoria curatio adhibeatur, postea ad repurgandum ac incarnandum progressus fiat, quemadmodũ paulò pòst de ulceribus indicabitur. Porrò quoniã rupta caluariæ membrana, ubi uulnus negligitur, inflammatio cõsequitur, si in principio inflãmationis uoceris, protinus siccare uulnus conare, & membranã diducere atque os caluæ deradere. uulnere enim diducto, inflãmatio antequàm excandescat, supprimitur: facta dissectione linamẽta indes, & ad ea retinenda linteũ uino & oleo imbutum, aut splenium inflãmationẽ arcẽs, forinsecus impones, & supra hoc lanã uino & oleo imbutã adhibebis. Et deinde ad suppuratoriũ ductũ te conuertes. Si uero inflãmationem uehementẽ nactus fueris, derasis capillis locum aqua moderate calida rigabis, & medicamẽta adhibebis inflãmationẽ sedantia. Inflãmatione uero sedata, mẽbrana caluam ambiens suppuratur, & uicinæ partes abscessum patiuntur. Quapropter expedit ut dissecetur uelut dictum est, & pus excernatur, ac caluariæ os deradatur, & postea cõmunis ulcerum curatio fiat. Si uero fractura in capite aut alio loco unà cũ uulnere fuerit, emplastrum ad fracturas accommodatum imponatur. De eo uero partem quadrangularem resecare oportet, quo loco uulnus existit, aliudq; paruũ splenium uulneri imponere, quale diximus. Atque hoc paruum splenium quotidie tollendum est, & ulcus curandum, ac deligandum. Cæterum agglutinatoria medicamenta Sermone XV. scripta habentur.

De sanie

Aceti

in capitis Vulne[illegible]

De sauciatis neruis, Galeni. Cap. XXVII.

Neruus uulneratus aut punctus, dolorem & inflãmationem uehementissimã habet, propter sensus subtilitatem. Quapropter cutis uulnus inagglutinatum seruare oportet, quo per ipsum saniosi humores effluant. Vbi uero uulneris os latius fuerit, conari ut resiccantibus medicamẽtis labia ipsius cõmittantur ac uniantur. At si per acum aut paxillum, aut tale quiddam, uulnus inflictum fuerit, & in altum progressum, id saltem studio habendũ est, ne inflãmatio sequatur. Essetque longe tutius ut cutis circa uulneris osculum dissecaretur, quo cõmmodius in altum procederent uires medicamentorũ. At uero si uires ualidæ fuerint, & nihil impedierit, uniuersum corpus per uenæ sectionẽ euacuetur. Seruandaq; est in euacuando locorum affinitas, ut dextra manu sauciata, dexter malleolus siue talus, sinistra sinister incidatur: Et uice uersa dextro crure uulnerato, subalaris uena dextræ manus, sinistro sinistræ, rectitudine seruata secetur. Si uero subalaris non apparuerit, mediã secabimus. Quòd si corpus uitiosis humoribus repletũ fuerit, purgatione per idoneũ pharmacum utemur. Cæterũ aqua calida quæ reliquis inflammationibus commodissima est, his infestissima existit. Ab humectãtibus enim & calfacientibus putrefactio inducitur: prẽstat igitur neruos sauciatos oleo moderatè calido tenuiq; ac nihil adstringẽte rigare, tale autem est dulcissimũ, quod melius longe fuerit, si annos duos aut tres habuerit. Nerui enim sauciati curatio medicamẽtis opus habet, quæ tepidam caliditatem habent, ualde uero siccãt, atq; hoc citra molestiã, & quę substãtia tenuissima prædita sunt. Huiusmodi enim sola sine partium distensione ac mordacitate, saniem ex alto euocare possunt. Quapropter oleo in quo anethum & ruta decocta sunt, calido perfundimus. Sæpe etiam ceratum ex Euphorbio, aut emplastrũ Anicetum, aut quoddam ex his quæ ad uulneratos neruos describẽtur, modico oleo liquatum adhibemus. Deinde emplastro aliquo ex prædictis imposito, lanam oleo calido imbutam extrinsecus illigamus, & per singulos dies bis aut ter soluimus. Et si longiores fuerint noctes, noctu quoque, præsertim ubi mordacitas uulnus irritet. Quòd si neque mordacitas, neq; dolor percipiatur, bis tãtum in die, & circa uesperã semel soluemus. Et præterea alas ac collũ oleo calido large rigabimus. Si uero neruus in crure sauciatus fuerit, inguina ac totã spinam & collũ, oleo item calido ubertim perfundimus. At uero si neruorũ uulnera à principio male fuerint curata, maxima inflãmatio ac putrefactio sequi solet. Itaq; farinam ordeaceam, aut fabarum, aut erui in lixiuio cũ aceto mulso coctam imponere oportet. Est enim hoc cataplasma efficax ad ea quæ iam putrescunt. Si uero uehemens inflammatio cum maximo dolore infestauerit, farinam erui aut fabarum cũ optima sapa, modico aceto addito coctam imponito, calido oleo prius affuso. Ceratum uero ex euphorbio ad neruos uulneratos, cuius paulò antè mentionem fecimus, hoc modo pręparatur. Ceræ, terebinthinæ, olei, singulorum trientem, euphorbij recentis sextantẽ, aut biennalis quadrantẽ, aut prorsus antiqui trientem. Et si terebinthina defuerit, colophoniam pro ea accipito. Longe uero præstantius euadet medicamentum, si propolim pinguem ac recentem acceperit, ut sit terebinthinæ quadrans, propolis triens, ceræ uncia I. olei triens, euphorbij sextans. Deficiente uero euphorbio, sulphur, aut castorium, aut cõsimile quiddam calidum ac tenuium partium ammiscebis. Quòd si omnino ab exacta & media pharmacorum ad sauciatos neruos compage aberrãdum sit, præstat ad molliorem compagem declinare, etiãsi ita paratũ inquinet. Optimum præterea ad eundem usum pharmacum est ex brutia pice & oppopanace, quod etiam ad morsus canis rabidi facit, præcipue si corpora contigerint robustiora. Nam in tenerioribus per ceratum ex oleo aliquo discussorio uires eius mitigare potes, quale est irinum, aut amaracinum, aut opobalsamum, aut oleum uetus. Egregie facit & Anicetum, quod sermone XV. inter emollientia medicamenta habetur. Quin & ex metallicis cõstans pharmacum, efficax est ad neruorũ punctiones. Habet id hoc modo. Chalcitidis crudæ drach. VIII. misyos crudi dra. XVI. squamæ æris drach. XXIIII. ceræ drach. XCVI. olei dulcis aut ueteris, æstate quidem drach. CVIII. hyeme uero centum XX. thuris drac. XXIIII. terebinthinæ drac. XVI. galbani drach. XII. aceti acerrimi & antiqui quantũ satis est. Metallica ad solem æstiuum pluribus diebus terito, indéque addito thure rursus conterito, & quæ liquari possunt liquata affundito ac subigito. Hoc medicamentum uulneri appositum inflammationem arcet, uelut sæpe experti sumus. Admirandum præterea ad sauciatos neruos medicamentum est quod è senecione paratur, & habet senecionis succi uncias XXIIII. olei antiqui, olei cyprini, olei dulcis, apochymatis siue picis è nauibus erasæ, singul. trientem, galbani, æruginis, singulorũ drachm. IIII. terebinthinæ drach. VI. adipis ueteris drachm. XI. ceræ drachm. VIII. resinæ pinus siccæ drachm. VI. Succum cum oleis coquito donec propemodum consumatur. Aeruginem uero cum modico succo terito, & quæ liquari possunt liquato ac excolato, iniectaq; terebinthina cum decoctis unito, postremumq; omnia ad æruginem tritam affundito ac subigito: facit ad maximas musculorum in uulneribus inflammationes. Et duritias ac recẽtes puerorum strumas dissoluit. Porrò qui sauciatos neruos habent, urgente necessitate post septimam, uel ubi dolor penitus quieuit, lauari possunt. Verum lauandis medicamenta uulneri indimus, & forinsecus multiplicia lintea oleo imbuta imponimus, & fasciam ex linteo obligamus. deinde ęgro in solium descensuro, ligamenta multo oleo rigamus. Et post balneum remotis omnibus quæ applicata fuerant, præscriptam curationem adhibemus. At si uulnus in manu fuerit, admoneatur æger, ne id calidæ siue frigidæ lauacro humectet. Oribasij ad priuatos sauciatorum neruorũ abscessus: priuatos autem uocat, quãdo in proximis puncturæ locis abscessus parui & multi per certa interualla oriũtur. Cerę, colophoniæ, butyri, singulorũ lib. I. picis siccæ, mellis singulorum sexuncẽ, æruginis quadrantẽ, aceti quantũ satis est ad æruginem conterendam ac dissoluendam.

Curatio neruorum denudatorũ ac uulneratorũ in ulceribus. Cap. XXVIII.

Quòd si neruus non fuerit pũctus, sed manifesta dissectione incisus, ita ut etiã cutis præposita sit dissecta, & appareat nudus neruus, secũdũ rectitudinẽ & nõ transuersim

transuersim dissectus: relata ex euphorbio aut metallicis medicaměta, minime adhiběda sunt. Abstinendum etiã ab emplastro Aniceto, & cęteris tanta acrimonia prædítis. Nudus enim neruus uehementem ipsorum uim non feret, proinde calcem assumes lotam plurimo rosaceo dilutã. Sit autě calx in diebus canicularibus ad solem aqua dulcissima sæpe elota ac resiccata. Bonũ est & ex pompholyge medicamětum plurimo ac optimo rosaceo dilutum, pompholygem autě itidem lauare uelut calcem oportet. Sed & cera in huiusmodi pharmaca recipienda lauanda est. Per omně enim denudati nerui curationě, resiccare citra mordacitatem intendimus, quare nihil acre uulneri admouendũ est. subtilissimo enim sensu prędítus est neruus, & tẽperamento frigidus, ac principalissimo principio cohærěs ac coniunctus. Sed nec oleo tale ulcus rigandũ est. sordidum enim inde euadit. Verum lana molli specillo obuoluta sanies detergenda, & ne arida lana uulnus contingat, sapa imbui potest, & ea expressa uulnus detergi, præterea medicaměta quę adhibětur, tepida esse oportet. Quę enim frigida apponũtur conuulsioně inducunt. Ad neruos quoq; denudatos emplastrũ Aegyptium efficacissimũ est, quod è succida lana paratur, & fuluũ piscatoris, ambo rosaceo diluta & linamentis indita. Omnium autem præstantissimũ est & nulli comparandum emplastrũ Isis appellatũ, optimo rosaceo dissolutum, & cũ linamento tepidum ulceri inditũ. Sedat enim dolores & sordida ulcera cito repurgat, incarnat, & ad cicatricem perducit. At ubi linaměta ulceri immiseris, forinsecus emplastrũ è senecione si haberi potest, sin minus, anicetum adhibebis. Cæterum si uulnus nerui transuersum fuerit, maximum cõuulsionis periculũ imminet, inflãmatione à dissectis fibris ad integras transeunte. Quòd si integre fibræ couulsæ fuerint, eadem curatio & his, & ulceri adhibetur, parcius tamen hinc ægro sanguis auferendus est, & diæta tenuis constituenda, & quies imperanda, & stratum mollissimum parandum, plurimum item oleum calidum inguinibus, spinæ, axillæ, collo, ac capiti affundendum est. Atq; hæc curatio communis ad omnia neruorum uulnera est.

De neruorum contusione. Cap. xxix.

Contuso neruo si cutis simul contusa fuerit, & ulceratio fiat, farinam fabaceam cum aceto mulso, aut erui farinam cũ sapa & modico aceto impones. Ambæ enim sunt efficaces. Quòd si cum contusione dolor adsit, picem liquidam ad fabaceæ farinæ cataplasma addes, & simul cocta calida adhibebis. Si uero maiori resiccatione opus habueris, parem mensuram farinæ erui ammiscebis, itemq; iridem illyricã, si adhuc fortius resiccare uolueris. Vniuersi uero corporis curatio eadem est cum ea quam paulò antea pręscripsimus. At si neruus fuerit contusus citra manifestam cutis contusioně, oleo calido discussorio, anethino aut rutaceo locus assidue perfundatur, & lana oleo imbuta adhibeatur. Reliqua uero curatio prædictis similis fiat. Porrò si totus neruus fuerit dissectus, nullũ quidě periculũ imminet. Verũ pars mutila fit, præsertim si dissectus neruus magnus fuerit. Curatio uero eadě uelut ad alia ulcera adhibetur.

De glãdularũ inguinis inflãmatione, Galeni. Cap. xxx.

Quũ glandulæ inguinis uniuerso corpore pleno, citra aliam manifestã causam, inflãmatæ intumuerint, humores circa glandulas constipantur. Proinde nisi quid prohibeat, cubiti uenam secabimus, tantumq; sanguinis auferemus, quãtum plenitudo ostenderit. Loco uero inflammato & ante sectioně uenæ, & in ipso sectionis tempore, adstringentia ac repellentia medicamenta apponemus. Verum postea euacuato corpore, discutientibus ea quæ affluxerunt utemur. At si ulcus in crure fuerit, & per consensum glandulas inguinis afflixerit, quemadmodũ in digitorum pedis offensa fieri solet, glandulã inflãmari incipientem statim à principio lana oleo calido imbuta mitigabimus, non adiecto sale, uelut aliqui faciunt. Sal enim tenuiores humores cõfertim discutiěs, reliquũ callosum, ægre curabile, & sæpe immedicabile relinquit, postquàm autě inflãmationis feruor quieuit, mitigatoria relinquemus, & discussorijs utemur, quæ ad cerati compagem redacta glandulis imponi debent. Nam quæ duriora fuerint, eas partes distendunt, & rursus inflãmationes irritant. Atq; hoc quidě modo glandulæ tractentur, ipsum uero crus statim à principio calfaciendũ ac humectandum est, ita ut ulceri inflãmationis causæ cataplasma mitigatoriũ, aut ceratũ aliquod ad sedis affectiones paratũ imponas, totumq; membrum lana oleo calido imbuta foueas, & ægro quietem imperes. Sedato autě ulcere plerunq; etiã glandulę doloris exortes fiunt. Egregie uero glandulis confert psyllium aqua calida madefactũ, & panniculo aut brassicæ folio exceptũ & impositũ. Item ceratũ ex butyro paratum, & quod ostrea usta recipit. Confert & discussoriũ emplastrum Dionysia appellatum, & quod è buccinis præparatur, quorũ omniũ præparationes Sermone xv. habetur. Vbi etiam ceratum è psyllio est, aut emplastrum, si ita appellare malueris.

De quacunq; inflãmatione, eiusdem. Cap. xxxi.

Omnis inflãmatio ob sanguinis affluxum, uel à manifesta, uel ab occulta causa generatur. A' manifesta, quãdo ab offenso pede glandulæ inflãmantur. Ab occulta, quando aliqua parte delegante, aut toto corpore transmittente, & affecta parte ob debilitatě recipiente, humorũ copia affluxerit, uelut suprà de podagra ostensum est. Sæpe uero etiã pars quæ inflammatur ob morbosam aliquã & præter naturã caliditatem, materiã ad se trahit. Erit itaq; inflammationis principiũ, quum primũ pars sanguinea materia repletur. Augmentũ uero, quãdo affluxus aliũde cessat, & qui in parte cõtinetur putrescere incipit. Atq; eo tempore caloris præter naturã incrementũ, & humorum diffusio, & partis distensio longe maior est quàm antea fuit. Vbi uero iam pus cõflatur, maximiq; dolores adsunt, inflãmatio in uigore est. Declinationem autě dicimus, quũ allapsus humor discutitur, & tumor ac distentio minuitur, & dolores mitigãtur. Inchoante itaq; inflammatione uictus ratio moderãda est, cibusq; contrahendus, & aquæ potus imperãdus. Et si inflãmationis magnitudo sãguinis detractioně postulat, & ętas ac corporis habitus, & anni tẽpus nõ obstat, pręsertim in hominibus sãguine abundãtibus, post præstitutã uictus rationě, uenã secabimus, tantũq; euacuabimus, quãtũ plenitudo, & inflãmationis magnitudo, & ægri uires indicauerint. Verũ in prĩcipio, & ante uenę sectioně, & ipso sectionis tẽpore, inflãmatę parti cataplasmata repellětia adhibebimus. In augměto uero ex discussorijs

aliqua ad repellentia ammiscebimus. At in uigore dũ uehementissimi sunt dolores, mitigatoria applicabimus, uelut in declinatione ea solũ quæ discussoriam uim habent. Inchoantes itaq; inflãmationes repellunt glauciũ, perdiciũ, stratiotes in aquis nascens, plantago, polygonũ & similia. Mitigant autem & dolori in uigore inflãmationis cõmoda sunt, malua per se, & cũ modico pane ac rosaceo imposita, præstat & melilotũ passo coctum & cum pane impositum. Idẽ præstant palmulæ in passo coctæ, & cum pane ac rosaceo subactæ impositæ. In declinatione uero agrestis malua pollet, & uuæ passæ, uinaceis exẽptis, cũ pane ac modico melle. Item ordei farina cum melle aut oleo adhibita. Quòd si locus affectus nimia materia turgeat, nõ mox ad chirurgiam prorumpere oportet, uelut quidã faciunt, sed conari ut materia collecta per pharmaca discussoria digeratur. Quale est quod è buccinis ustis cõstat Ariobarzanium appellatum, aut Oribasij fuluum, aut quod Dionysias appellatur è misy paratũ, & reliqua eius generis, quæ Sermone XV. habetur. At si residuũ ex inflãmatione callosum factum fuerit, uehemẽtioribus medicamentis utendum erit, ita ut singulis diebus bis quantum ea proficiant inspectemus.

De abscessibus. Cap XXXII.

Si inflãmationes producantur, & ad suppurationem conuertantur, adiuuare oportet ut quàm celerrime transmutentur, proinde partẽ affectã altheæ ac ficuũ decocto rigabimus, & farinã ordei aut panem cum aqua & oleo imponemus. Quòd si ęgre suppuretur inflãmatio, hordeum aut panem in pinguiũ caricarum & altheæ decocto coctũ imponemus. At si adhuc diutius perstiterit, fimũ columbinũ, & nitrum, & terebinthinã adijciemus, peracta uero transmutatione in pus, locus aperiatur qua parte maxime eminet. ibi enim tenuissima est cutis. Et si pars aliqua suppurati loci, putrida uidebitur, ea necessario rescindẽda est. Resectio autẽ ad myrtei folij formam fiat, lõga uidelicet & angusta, quod sanè in axillis ac inguinum abscessibus faciendum est. In capite uero & huiusmodi locis simplici sectione utemur, qua facta thuris pollinem tenuissimum ulceris cauitati inspergemus, & linamenta cõuulsa indemus. At uero ubi duæ aut tres sectiones factæ fuerint, limniscos immittere oportet, & postea linamentis conuulsis ulcus replere. Ad tutandum uero locum simplex linteolum uino & oleo imbutum obligabimus. Tertia deinde die ad suppuratorium curationis ductum conuertemur, per tetrapharmacum & similia rosaceo diluta. Si uero post indita linamenta circumsitæ partes adhuc fuerint inflammatæ, cataplasmata adhibebimus, & si nihil amplius urgeat, splenium sedandis inflammationibus aptum imponemus. Cæterum suppuratione facta repurgantibus utendum est, ex quorum numero præstat emplastrum Aegyptium, quod recipit terebinthinæ liquidæ & mellis ac rosacei portiones æquales simul liquatas. Sed in robustioribus corporibus, ac impurioribus ulceribus, terebinthinæ ac mellis par mensura absq; oleo liquatur, & mirifice repurgat. Verum ad ulcera quę difficulter repurgantur, confert Aegyptiũ quod coctum appellatur, colore fuluũ, cum ærugine rasa ac melle coctum, donec fuluum colorẽ susceperit. Sunt & alia huic similia, quæ ad fistulas paulò pòst referentur. Repurgatis ulceribus ad incarnãtia transeundum est, quæ paulò inferius ad caua ulcera describemus. facta uero incarnatione, rhodio emplastro aut psaro cõmittantur, & ubi explanata fuerint ad cicatricem perducantur, per sicca medicamẽta quæ referentur ad ea quæ cicatrice opus habent. Suppuratorium abscessuũ, experimẽto constãs. Maluæ agrestis tritæ ac coctæ, farinæ tritici, stercoris suilli, æquales partes in sapa coquito, ac imponito, & celerrime suppuratio cõtinget. Philosophi. Ad omnes inflãmationes discutiendas, facit priuatim ad mamillas & glandulas inflãmatas. Adipis suilli sexuncem, albumina ouorũ duorum, mel ad ouorũ mensuram, nitri sextantẽ, farinæ polẽtæ quantum satis est. Adipi liquefacto oua ammisceto & mel, deinde nitrũ, postremum etiã polentæ farinam quantũ ad emplastri compagem satis erit. Sunt qui ita præparent. Accipiunt oua unà cum uitellis undecim numero, farinę polentæ libram unã, adipis suilli librã unam, mellis quantum sufficere putant. Nam discutere uolentes, uberius: sedare intendẽtes, parcius ammiscent. Quidam etiam nitrũ addunt. Sed quod nitrũ habet, magis discutit, quod nõ habet, magis sedat. Vtere præterea eo quod ex psyllij succo paratur. Ruptoriũ abscessuum. Nitrum & ammoniacũ aceto subacta impone, quàm diu locũ perrumpi uolueris. Quidam pro ammoniaco thus adijciũt. Abscessus autẽ etiam permutatos discutiũt, Ariobarzanium ex buccinis constans, & quod Dionysias appellatur, ambo in sequẽti Sermone descripta. At quod ad Oribasiũ refertur sic habet, lapidis pyritæ drac. XII. ammoniaci thymiamatis tantundẽ, farinæ fabarum drac. VI. terito ac cribrato & resina excipito. Sitq; resina, si haberi potest terebinthina, sin minus, liquida, quo emplastri forma fiat. Hoc uel discutiet, uel dirumpet, euacuabit, ad cicatricem perducet, & sanabit. Nec uero diutius antea præparandũ est hoc pharmacum, cito enim exarescit. In decimo quinto Sermone etiam aliud discussorium, & aliqua ruptoria reperies. Oribasij Aegyptium repurgans. Mellis despumati libram unam, aceti libras duas, squamæ æris unciã. I. æruginis drach. IIII. Acetum & mel ad mellis compagem coquito, deinde reliqua ammisceto. Aliud, eiusdem, ulcera sordida probe repurgans. Amurcæ coctæ, mellis despumati, aluminis Phorimi appellati, æquales portiones. Aliud ad abscessus, discutiens aut rumpens, & sine dolore euacuans. Spumæ argenti, cerusæ, ammoniaci, singulorum librã unã, olei quantum satis est, resinæ pinus, propolis, opopanacis, singulorum sexuncem, castorei trientem, galbani, myrrhæ, thuris, singulorum sextantem. Aceti quantum sufficit. Spumam argenti & cerusam cum aceto coquito, & terenda cum aceto terito, & quæ liquari possunt liquefacito, & ad cocta ammisceto, & tritis adijcito, refrigerato, ac subigito.

De cauis ulceribus non malignis. Et ratio curandorum ulcerum. Galeni. Cap. XXXIII.

Cauum ulcus humidum ac sordidũ est, & ideo pharmacis moderate siccantibus ac extergentibus opus habet. Sæpe uero à nobis dictum est, non omni naturæ eadẽ medicamenta cõuenire, sed debiliori molliorìq; molliora, ualidiori ualidiora esse adhibenda. Neque enim tolerat debilis natura potentiora, proinde quanto humidius fuerit corpus in quo est ulcus,

ulcus, tantum minus resiccātes medicinas postulat. Quare duobus ulceribus æquali humiditate præditis, alterū quod in sicciori temperatura est, maiorem resiccationē postulat: alterū quod in humidiore est, minore resiccatione opus habet, quanto hæc natura alia humidior existit. Carnem enim, quæ ad ulceris nutritionē distribuitur, reliquo corpori similē esse oportet. Vbi igitur pristina caro siccior est, ibi noua quoq; superueniens siccior fieri debet. Meritò ergo resiccāda est, & quanto prior siccior fuerit, tanto ampliorē siccandi facultatē medicamentū habere debet. Et uice uersa, tanto minus resiccātia medicamēta conueniūt, quāto minus sicca prior fuerit caro. Thuris itaq; qualitas ad humani corporis naturā comparata cū temperatis & medijs naturis cōsentit, humidiores autē paulo amplius resiccat, quęadmodū sanè etiam extreme siccis, aliquādo humidius existit. Si igitur diligenter obseruaris, comperies thus in humidioribus quidem naturis carnē producere. In siccioribus autem minime, sed potius suppurare. Thus ergo sicut moderate calidum est, ita ex omnibus incarnantibus appellatis minime siccat. At hordeacea & fabacea farina magis siccat quàm thus, & nulla caliditate participat. Aristolochia uero & panax omnibus amplius in suo genere resiccāt, & calidioris sunt naturæ. Mediū uero inter hæc obtinent, farina erui & iris. Et huiusmodi omnia in primo ordine resiccantiū ac extergentium locantur, & minoris ac maioris discrimine tantū inter se differunt, & quòd alia uires quibus excellunt simplices habent, alia cōpositas. In libro uero De simplicibus medicamentis ostendimus pompholygem ustā & lotam, & cætera huiusmodi, uelut cadmiā & ostreorum testas, ex eorū esse ordine quæ sine mordacitate siccant & incarnant. Præterea ad ulcera caua incarnāda emplastrum uiride cōducit, quale est quod Isis appellatur, multo rosaceo dilutum. Qui ergo recta uia medicādi procedet, ubi ægri naturā considerauit, statim dinoscit, quo medicamento ulcus indiget. Quū autem medicamentum incarnans adhibuerit, & nihil profecerit, sic quodammodo ad aliud transire oportet. Nam si ampliores sordes fuerint, & humidius ulcus, nosse debet quòd medicamentum minus quàm oportuit resiccauit, quapropter mellis ammixtione uires eius intendet. Si uerò purum & humiditatis exors ulcus cōpererit, plus quàm debuit resiccauit. quare oleū ammiscebit, & ceratū liquidū adhibebit. Atq; in his summa diligentia utendū est: contingit enim aliquādo, ut à fortiore medicamēto ulceris caro colliquetur, & sordidum ac humidū appareat ulcus, uelut ea quę minus quàm oportuit sunt resiccata. Verū hoc à peritis facilè dinoscitur: ulcus enī eliquatū cauius seipso efficitur, & labia protuberantia habet, rubet itē & inflāmationē habet, & æger sæpe manifestè mordacitatē percipit. Alterū autē ulcus, quod minus resiccatū est, tale nihil cōsequens habet.

Medicamenta quæ per linamēta indūtur, ad suppurandū, repurgandū ac incarnādū. Cap. XXXIIII.

Sunt & alia multa ad repurgandū idonea, uelut lens, iris, marrubium, singula cum melle cocta, herinacei marini testa usta, narcisi radix cū rosaceo & melle. Basilicum uero tetrapharmacū, & quod ad Azaniten refertur, & Macedonicū, singula liquefacta suppurandi uim habēt, & omnia Sermone XV. describentur. Sed & hoc mirificè suppurat, omnē quoque duritiam citra dolorē emollit, & incarnat, & cauis ulceribus eximiè prodest. Ceræ, terebinthinæ, medullæ ceruinæ, adipis uitulini, anserini, bubuli, butyri recentis, mellis attici, olei rosacei, myrrhæ, singulorū drac. VIII. Myrrha cū melle trita ad prunas coquitur, & reliqua liquata affundūtur ac uniūtur. Aliud Aegyptiū, ad ulcera repurgāda mirādū. Mel cū pari terebinthinæ mēsura, aut rosaceo, aut si neruosæ fuerint partes affectæ butyro ad prunas colliquamus. Verū in robustioribus corporibus, & sordidioribus ulceribus, terebinthinā cū melle adhibemus. Vtere etiā eo quod ex melle, aceto, & liliorum succo constat, quod Galenus ualde approbauit, cuius præparationē & utendi modum, in simplicium Sermone, capite De lilijs habes. His omnibus efficacius est quod aliqui Aegyptium uocant, sic habens. Aeruginis drac. IIII. squamæ æris unc. I. aceti trientem, mellis dodrantē. Arida cum aceto terito, & adiecto melle ad prunas ad fuluum colorem coquito. Aliud aureū uocatū, antiqua & recentia uulnera repurgans & incarnans. Salis cōmunis, cerusæ, atramenti sutorij, spumæ nitri albæ, singulorū quadrātem, aristolochiæ longæ & rotūdæ, aluminis scissi, singulorū unc. I. Arida cū aceto trita, ceræ sextante & olei dodrāte excipito: deinde usu expetēte cū plurimo rosaceo ad olei spissitudinē diluito, & admiraberis. Idem capitis quoq; ossibus denudatis per linamenta inditur. Aliud caua ulcera replens. Adipis uitulini recentis, ceræ, terebinthinæ, singulorum drac. IIII. rosacei drac. XVI. para & utere. Aliud Archigenis Nutrix appellatū, ad cauitates explendas. Rosacei, terebinthinæ, mellis, singulorū sextantē, cerusæ, butyri, singul. unc. I. para & utere. Quidam & thuris unc. I. addunt. Aliud ad caua & pura ulcera explenda, experimento cōstans. Rosacei triētem, ceræ sextantē, terebinthinæ, butyri, mellis, singulorū unc. I. Omnibus ad calidū cinerē colliquatis ac simul unitis ad linamenta tingēda utere. Si uero sordida fuerint ulcera, repurgatis antea uelut dictū est, adhibeto. Aliud. Cerussæ, spumæ argēti, pares portiones uino odorato & oleo excipe, & per linamēta usq; ad cicatricē inductā inde. Aliud, ad sordida, cicatricē non recipientia, malignaq;, ac callosa ulcera. Marrubij succū optimo melle exceptū inde. Aliud siccū, maligna & profundissima ulcera explēs. Farinæ erui drachm. XXX. iridis drachm. XX. spumæ argenti drach. XV. aristolochiæ longæ tantundem, mannæ thuris, terræ samiæ, singulorū drac. X. squamæ æris, cadmiæ, singul. drach. XV. Hoc in sordidis largè, in puris parcissimè linamentis illinito. Exæquatis uero ulceribus & iam cicatrice indigentibus, aridum specilli nucleo inspersum ulceri indito, & postea linamentum uino imbuto immittito.

De siccis repurgātibus, ac incarnantibus, cephalicis appellatis, Galeni. Cap. XXXV.

Sicca medicamēta quæ cephalica, hoc est, capitalia aplantur, omnibus quidem totius corporis, maximè tamen capitis ulceribus incarnādis conueniūt, præsertim ubi ossa in quacunque parte fuerint denudata. Nam ad ossa denudata pinguium & eorum quæ ad tingenda linamenta parantur, usum uitamus, & siccis tātum utimur. Quin & citra ossium denudationē, pinguia non ita frequenter in ulcerum cura

tione adhibemus. Sunt autẽ sicca cephalica huiusce-modi. Asclepiadis siccum cephalicũ ad Xenocratem relatum, quo fistulas sanabat. Erui farinæ trientem, iridis illyricæ sextantem, aristolochiæ tenuis, squamæ æris, mannæ thuris, singulorũ unc. i. Misce ac utere. Quidam etiam radicis panaceæ unc. i. adijciunt. Et ex melle cocto oblongum quasi collyrium faciunt, quod in fistulã immittunt, & postea siccum inspergunt. Aliud siccum. Erui drach. xx. aristolochiæ tenuis drach. x. squamæ æris, radicis uitis albæ, singulorũ drac. v. Vtere ad repurgandũ cũ melle, ad replendum sicco insperso. Aliud siccũ optimum, tunicolas ulcerum relictas consumens, callos rescindẽs, sordida ulcera purgãs, caua replens. Squamæ æris, resinæ pinus, singulorũ drac. xii. pumicis usti & uino extincti, iridis, aristolochiæ tenuis, silphij, singulorũ drac. viii. thuris drach. iiii. Misce ac utere sicco, uel cũ melle. Aliud siccum, omne profundũ ulcus incarnans. Farinæ erui drach. xx. thuris drac. xviii. fuci tinctorij, amyli, singul. drach. viii. misce & utere. Aliud, ad capitis ulcera replenda. Amyli, halicæ, thuris, lapidis specularis translucidi usti, singulorũ unc. i. Aliud. Colophonia seorsim trita ulcus repleto, & citò sanabitur. Aliud. Colophoniæ, amyli, thuris, cerusæ, æquales portiones para & utere siccis. Aliud admirãdum Seueri, ad ossa præcipuè capitis denudata, deraso osi inspersum: celerrimè enim incarnat. pollinis tritici, colophoniæ tenuissimè tritæ, pares portiones præpara ac utere, & linamẽto indito, eius retinẽdi gratia emplastrũ quoddã molle cicatricem inducens impone. Aliud, ad ulcera contrahenda. Misyos dra. iiii. gallarum, chalcitidis, atramenti sutorij, aluminis scissi, squamæ æris, singulorũ unc. i. para & utere.

De ulceribus in quibus caro superexcrescit, & quæ depreßione opus habent, & de medicamẽtis siccantibus, Galeni. Cap. xxxvi.

Carnem in ulceribus superexcrescentẽ consumũt medicamenta fortiter siccantia. Qualis est flos asiæ petræ, & testacea omnia usta, & utercꝫ herinaceus cũ toto corpore exustus, & diphryges inspersum, & æris flos. Verũ ęrugo omnia robore suo uincit. Siccum Herculis. Squamæ æris, misyos, chalcitidis ustæ, atramenti sutorij, aluminis scissi, æquas portiones præpara & utere. Aliud, Rhodium appellatũ, refertur ad Hierã. Sistit itẽ sanguinẽ. Gallarũ drach. ix. squamæ æris drac. v. atramẽti sutorij drach. iii. aluminis scissi drac. ii. Gallas ex dimidio ustas uino austero extinguito, & reliquis tritis ammisceto. Quidã atramẽti sutorij drac. v. squamæ dra. iii. cõijciũt, & gallas omnes cõburunt. Rhodiũ, inquit Heras, ad sanguinẽ sistẽdũ efficax est. Facit & ad sacros ignes, & ulcera proserpendo depascentia, ac nimio humore marcescẽtia contrahit, ac cicatrice includit. Quidã hoc modo Rhodiũ cõficiũt, & ualde laudãt. Chalcitidis crudæ, misyos crudi, singul. dra. x. squamæ ferri drac. xvi. gallarũ dra. viii. Siccũ Psarum appellatũ. Hoc largè inspersũ contrahit ac deprimit, parcè adhibitũ, ad cicatricẽ ducit. Chalcitidis crudæ lib. i. misyos crudi sexuncẽ, atramẽti sutorij lib. i. æris usti sexũcem, squamæ æris sexuncẽ, præpara & utere. Aliud utilissimũ, deprimendi uim habens. Squamæ æris drac. iiii. æruginis drach. i. Aliud. Squamæ æris, calcis uiuæ, mannæ thuris, æquales partes præpara & utere. Facit ad ulcera maligna, & carnes fungis similes cũ melle repurgat, & cum cerato replet. Aliud. Misyos drac. iiii. chalcitidis dra. ii. gallarũ dra. iiii. atramenti sutorij, aluminis scissi, squamæ æris, singulorũ drac. ii. terito, & aperto ulcere cum specillo inspergito. Vtere etiã ad maximas carnis superexcrescentias, his quæ ad sedis thymos descripta sunt. Aliud. Lanæ succidæ ustæ ac tritæ inspersæ carnes marcidas ac flaccidas consumunt. Idem faciunt balaustia ubertim inspersa.

De ulceribus nõ malignis cicatrice indigentibus, Galeni. Cap. xxxvii.

In ulceribus quæ cicatrice opus habẽt, caro quidẽ innato operimento munitur, sed cutis enasci non potest. Quapropter in summa carnis superficie simile quiddã cuti efficiẽdum est. Quoniã uero cutis carne siccior est ac densior, si carnẽ siccabimus & adstringemus, cuti persimilem faciemus. Necꝫ uero satis est hoc docere, quòd resiccãtia & adstringẽtia adhibere oportet: nam & quæ cruenta uulnera agglutinant, siccantia sunt & adstringentia. Verũ in glutinandis uulneribus id tantũ quod influit resiccare conamur, quò pars affecta superfluitatibus careat: in cicatricibus uerò inducendis, non solũ influentẽ, uerum etiã contentũ in carnibus humorem consumere oportet. Itacꝫ medicamentũ, quod cicatricem inducit, longè siccius esse oportet, eo quòd glutinat, quo nõ solum superfluũ consumat, sed naturalẽ quocꝫ humorem attingat. Hanc itacꝫ rem præstant, galla omphacitis, malicorium, spinæ Aegyptiæ fructus, & quæ citra mordacitatẽ uehemẽter adstringunt, qualis est myrtus. Testæ etiã & cadmia, & plumbum, singula usta & lota, citra mordacitatẽ siccant, & ad cicatricẽ perducũt. Sed his ualẽtiora sunt, chalcitis, misy, alumẽ scissum. Et his adhuc potentius est æs ustũ. Omnium autẽ potẽtissima est squama æris, quæ usta lene medicamentũ efficitur ad antiqua ulcera cicatrice includenda. Illitio Tetanica, ab extendẽdo ac explanando appellata, consumens ac deprimens. Adipis suilli, cerę, singulorũ unc. i. terebinthinæ semunciã, nitri unc. i. fellis taurini semunciam, resinæ unc. i. Omnia simul decocta ac excolata ubi tepuerint, manibus subige ac utere. Quidam adijciunt atramenti sutorij drach. v. Et medicamẽto ab igne remoto aceti & saponis singulorũ unc. i. adijciunt, ita ut hæc prius in alio uase simul sint cõtrita ac dissoluta. Obseruandũ est ne pharmacũ hoc in bulliendo efferuescat, & assiduè agitandum, donec ad compagem perueniat.

Sicca ulceribus non malignis cicatricem inducentia. Cap. xxxviii.

Siccum quod cicatricẽ inducit. Ostreorũ ustorũ drac. xii. mannæ thuris dra. vi. cadmiæ dra. iiii. præpara & utere. Aliud. Spumæ argenti, cerussæ singul. dra. viii. recremẽti plumbi, myrti siccę, gallarũ omphacitidum, singulorũ dra. iiii. para & utere. Aliud siccũ cicatricẽ inducẽs. Cadmiæ, cerusæ, mannæ thuris, amyli, æquales partes unito ac utitor. Aliud admirãdum. Cerusæ sextãtem, amyli unc. i. spumæ argẽti, thuris, rosacei, singul. sextãtẽ, unito ac utitor. Incarnat enim & ad cicatricẽ ducit. Aliud. Hoc etiã diuturna ad cicatricẽ perducit. Corticis pinus drac. vi. cornu cerui usti dra. iiii. cerusæ dra. iiii. æruginis dra. ii. cadmię dra. viii. mãnę thuris dra. vi. præpara & utere. Aliud. Aristolochiæ dra. vi. corticis

pinus

pinus, pumicis usti & uino extincti, colophoniæ, singul. drac. IIII. iridis dra. II. unito ac utere ad incarnandũ & cicatricẽ inducendã. Aliud. Pumicis usti & uino extincti drac. VIII. mannæ thuris, squamæ æris, singul. dra. IIII. præpara & utere. Aliud mirabile. Aluminis scissi dra. IIII. in aqua dissoluito, & in eo diluto linteolũ tenue, uetus ac detritũ, purum, tingito, & in sole siccato, atq; hoc usus tẽpore cõcisum ulceri indito. Verũ ad sedis ulcera & diuturna alia, alumẽ in uino dissolues, & similiter facies: ad auriũ uerò affectus, lanam pro linteo accipies. Aliud, plantaginẽ cum radicibus siccã terito & cribrato, ac utere cõfidenter. Aliud. Cerusæ drac. VIII. gallarũ, myrti, recremẽti plumbi, singul. dra. IIII. para & utere. Aliud. Ostrea usta, cerusam, cadmiã, mannam thuris, paribus portionibus unito ac utitor. Aliud siccũ, ad caua & maligna ulcera replẽda, expertus loquor. Farinæ erui dra. X. iridis dra. XX. spumę argẽti dra. XV. mannæ thuris drac. XV. terræ samię dra. X. squamæ æris, aristolochiæ tenuis, cadmiæ, sing. dra. V. præpara & ad sordida ulcera largè, ad pura parcè adhibe, & hapsum lanæ è uino expressum superimpone. Hoc & chironia ulcera appellata, ad cicatricẽ ducit. Aliud, quod etiam callos exterit. Chalcitidis crudę, spumę argẽti, ladani, singul. dra. X. bituminis dra. VIII. ceræ dra. II. olei myrtei lib. I. uini heminã I. Vsu expetẽte spleniũ ex eo imponito, & linamẽta eo tincta indito. Aliud Andromachi. Spumæ argẽti dra. XXXII. atramenti sutorij drac. VIII. aluminis scissi dra. XII. ceræ dra. C. squamæ æris dra. VIII. bituminis, ladani, singul. dra. XXXII. olei myrtei lib. I. & quadrãtẽ. Vini ueteris adstringẽtis quãtum satis est: utere uelut prædicto. Aliud. Bituminis, ladani, singul. dra. VIII. squamę æris, myrti, spumę argẽti, singul. dra. IIII. ceræ dra. XXIIII. olei myrtei dra. XXX. Et si hyems fuerit, drachm. XXXVI. Vini quod satis est, præpara & utere uelut dictum est.

Emplastra quæ non maligna ulcera cicatrice includunt. Cap. XXXIX.

Emplastrũ è Cadmia preparatũ, rosaceo dilutũ repurgat ulcera, incarnatq;, & cicatrices cõcolores cuti efficit: pernionibus itẽ ac fissuris, & ani affectionib. medetur: habet autẽ hoc modo: Chalcitidis ustæ lib. II. cadmiæ ustæ & uino extinctæ lib. I. ceræ trientẽ, terebinthinæ lib. II. olei myrtei lib. III. chalcitidem & cadmiã cũ uino sufficiẽti diluito ac conterito, & reliqua liquata ammisceto ac utitor. Aliud. Cadmiæ, chalcitidis ustę, sing. dra. XXV. ceræ dra. XLVIII. terebinthinę dra. XXIIII. olei myrtei lib. I. uini quod satis est, præpara & utere. Aliud, ad cicatrices inducẽdas efficacissimũ. Facit & ad igne ambusta mirificè. Cerusæ, spumę argenti, ordei usti, singul. unc. I. ceræ quadrãtẽ, rosacei aut myrtei olei bessem, cerusam & argẽti spumã cum uino terito, cerã uerò cum oleo liquefacito, & ad medicamẽtum ab igne ablatũ, hordeum ustũ tritum ac cribratũ inijcito atq; unito: & omnia frigefacta in mortariũ coniecta subigito, ac utitor. Aliud è ladano, ulcera antiqua ad cicatricem perducens. Spumæ argenti dra. C. picis dra. L. ladani dra. XXV. æruginis dra. VIII. ęris usti dra. VIII. squamæ æris dra. II. olei myrtei lib. VI. Argẽti spumã cũ oleo coquito, & medio cocturæ tẽpore, æruginem, squamã, & ęs adijcito, & coquito donec nõ amplius inquinẽt. Et postea picẽ liquefactã ac excolatã coctis ammisceto. His uero unitis & amplius nõ inquinãtibus, ac ab igne amotis, deposito iam feruore, ladanum cũ uino tritũ addito, & perfrigerata in mortarium coniecta probè subigito, & ad maligna ulcera ac fistulas utitor. Aliud. Cadmiæ, chalcitidis, sing. trientẽ, ceræ, colophoniæ, olei myrtei, sing. un. I. uini quãtum satis est. Aliud. Aeris usti & crudi, sing. sextãtẽ, cadmiæ sexuncẽ, chalcitidis ustę sesquilibrã, ceræ lib. I. olei myrtei lib. II. uini quod satis est. Aliud emplastrũ candidum, ad cicatricẽ perducẽs, experimento constans, faciens ad tenera corpora, uelut sunt mulierũ, eunuchorum, ac puerorum. Conuenit etiã ulceribus spõtaneis. Spumæ argẽti lib. I. & trientẽ, cerusæ lib. I. cerę lib. I. & trientẽ, thuris & mannę eius, singul. quincuncẽ, terebinthinæ unc. I. aquę lib. I. olei myrtei lib. II. cerusam & argenti spumam in aqua coquito, & consumpta aqua, ac medicamento non amplius inquinante, ceram primum, deinde resinam addito, & ablato ab igne pharmaco, thus ac mannam siue pollinem eius ammisceto.

De malignis & ægrè recipientibus cicatricẽ ulceribus. Cap. XL.

Quẽadmodũ antea diximus, duplex scopus propositus est in curatione partiũ, quibus nullus deprauatus habitus inest: alter, repellendi quod influit: alter, discutiẽdi quod in affecta parte impactũ est, atq; hęc à cõtrarijs qualitatibus fiunt: nã quæcunq; adstringunt, repellere possunt quod influit: quæ uero adtrahunt, discutiũt id quod in affecto loco cõtinetur. Adstringẽtia itaq; exasperãt, & ob id dolorẽ inducunt, attrahẽtia uero & discutiẽtia quũ acria sint, loca ulcerata mordent. Quare contingit ut ex his quæ exasperãt, & mordent, superflua humiditas ad affectas partes illabatur, quam inflãmatio & erosio ulceris cõsequũtur. Cæterum eius meminisse oportet, quod sæpe à nobis dictũ est, quòd corpora plena sãguine, aut uitiosis humoribus referta, & mollia ac subtili sensu prædita, ex mordacitate facilè inflãmãtur. Mulieres autẽ & pueri & eunuchi, itẽq; uiri colore albidi & mulierosã uitã degentes, inter molles naturas numerãtur: proinde quãtũ eius fieri potest, medicamẽtorũ materia peruestiganda est, quæ citra mordacitatẽ ac dolorẽ ulcus resiccet, quã sanè nunq; inueniet medicus, nisi quid singula medicamẽta adhibita peregerint, rectè expenderit. Itaq; cõsiderabit quantũ humiditatis primũ pharmacũ ab ulcere desiccauit, aut si sordidũ est, quãtum sordium detersit, idq; tertiũ ac quartũ experietur, donec purũ ac siccũ ulcus apparuerit: quod ubi deprædẽdet, ad aliud medicamentũ, eiusdẽ qdẽ generis cũ priore, sed debilius, se conuertet: fortiora enim repurgatis iã ulceribus morsum ac dolorẽ inferunt, & influxiones ac inflammationes pariunt: talia igitur corpora exactè euacuare, & à superfluitatibus asseruare oportet. Alijs itaq; sanguis si redundet, detrahẽdus est, alijs purgatio uitiosi humoris, & simul uenæ sectio cõuenit. Quibusdã uaricem excidere ex ulcere oportet, aliquibus iecur aut splenem curandã assumimus. Neq; uerò malignis crurium aut surarũ ulceribus, ea curatio debetur: sed manuũ quoq; ac reliquarũ corporis partium: nã cuidã adolescẽti diuturnum ulcus ad radicẽ manus habẽti, uenã ad ulcus supernè allatã excidi, atq; intra paucos dies hominẽ sanaui, qui per quinquennium ea affectione laborauerat. Sunt

quibus loca ulceri uicina scarificare oportet. Quibusdã uero labia ulceris callosa circumcidere. Si uerò nihil ex his fecerimus, humiditatis ac sordiũ quãtitatẽ considerabimus, & inde ad cõgruum medicamentũ transibimus, ita ut diligẽter expẽdamus, quę siccãdi quidem uim habent, non autẽ extergendi: & quæ cõtrà extergent, nõ autẽ fortiter siccãt: suntq; in hoc etiã qualitatis singulorũ gradus expẽdendi. Medicamentũ cicatricẽ inducens. Plumbi usti sexuncẽ, cadmiæ trientẽ, æris sextãtẽ, colophoniæ, olei myrtei, sing. lib. II. Vini ueteris odorati quantũ satis est. Aliud. Cadmiæ, cerusæ, singul. triẽtẽ, ceræ, olei myrtei, singul. sexuncẽ. Aliud. Cadmiæ, spumæ argenti, cerusæ, singul. unc. I. cerę trientẽ, rosacei sexuncẽ. Aliud, è ladano. Squamæ æris un. I. bituminis, terebinthinæ sing. dra. IIII. ceræ, ladani, singulorũ quadrantem, olei myrtei quadrãtem, at si hyems fuerit, amplius de oleo accipies. Cerã cum oleo & bitumine liquefacito, & terebinthinam adijcito, deinde omnia ad squamã ac ladanum prius trita ammisceto.

Simplicia medicamenta quæ citra mordacitatẽ resiccant ulcera maligna. Cap. XLI.

Simplicia porrò medicamẽta sine mordacitate & manifesta exasperatione resiccãtia ulcera, hæc sunt: Lemnia terra, sigillũ appellata, moderatè resiccat. Cadmia item sub caniculæ æstu cum uino trita ac siccata: ubi uero ulcera ualdè sunt maligna, ex aceto terẽda est. Vtrunq; superat chalcitis usta, & uelut cadmia trita ac resiccata: nã cruda adeò efficax est, ut etiã crustas inurat. Huic similis est ærugo usta: non usta enim sicut & chalcitis nimis efficax est, nisi quòd chalcitis simul adstringit. Atramẽtum sutoriũ inter omnia metalla summè resiccat. Chalcitidi similia sunt misy & sori, maioris tãtum ac minoris ratione differentia. Stibiũ magis quàm sori siccat & adstringit. Diphryges cõmodè siccat, sed aliquantulũ mordax est. Omnia aluminis genera exactè siccãdi uim habent, uehemẽterq; adstringunt: quapropter alumẽ solum per se ad huiusmodi usus adhibetur. Chrysocolla naturalis & artificialis eandẽ uim habent. Plũbum ustum sori ac stibio pręstat, plumbi recrementum, & squãma ferri præsertim stomomatis, plurimum siccant. Aeris squama præter resiccandi uim, etiã exterget: quare ulcera præ omnibus repurgat, omnia tamen metalla prius lauare oportet, deinde ulceribus admouere: ita enim mirificè siccare citra mordacitatẽ possunt. Siccant etiã buccinorum, purpurarũ, ostreorumq; testæ ustę ac lotæ. Item trãslucidus lapis specularis mollia corpora citra mordacitatẽ siccat. Idẽ facit nitrum ustum, & quod in æneis lebetibus balneorum adhærescens ex aquæ coctura reperitur: æquè enim siccat & adstringit. Præterea gallæ & malicorium usta ac arida trita adhibita, malignis & ægrè recipiẽtibus cicatricẽ ulceribus commodissima sunt. Quin & capparis cortex tritus & siccus inspersus maligno ac putrido ulceri cõmodus est. Polium item tenue siccãdi uim habet, & caries lignorum unà cum extersoria facultate. Item peucedani & pastinacæ, pręsertim agrestis, radix & folia, scordium quoque ac centaurea, & alia huiuscemodi, uel priuatim per se, uel simul composita.

De usu relatorum medicamentorum. Cap. XLII.

Necessariò uerò talia ulcera uitioso humore referta, sordidissima existunt. Quare ubi aliquod ex relatis simplex aut compositum siccum adhibituri sumus, linteolo prius molli puro ac sicco ulcus extergemus, deinde medicamẽto cauitatẽ explemus, & extrinsecus splenium ad ulcerum labia attenuãda imponimus. Et linteolo supra splenium imposito ac ligato, spongiam ex frigida aut uino expressam adhibemus, conamúrque ut per totum tempus spongia frigida permaneat, quod facilè cõtinget, si assiduè illi frigida instilletur, citra uinculi, linteoli, siue fasciæ obligatæ solutionem.

De ligamenti & curationis ratione. Cap. XLIII.

Ligamentũ ulceri conuenit quod ad fracturas usurpamus. Quòd si unũ tãtum fuerit ligamentũ, principio ipsius ad superiorem ulceris partẽ locato obligabimus, siue sura, siue genu, siue talus, siue cubitus fuerit, pars ipsa affecta. At si duobus ligamẽtis uti malueris, uelut in fracturis fieri solet, primũ ab ulcere ad superiorẽ regionẽ ducatur. Secundum uero initium sumat ab ulcere, & prius infrà obligetur, & postea sursum desinat, & ad eundẽ terminum cũ primo ducatur: nam ad alia cõmoda etiam hoc accedet, quòd ulcera ob rotunditatẽ coalescere nequeuntia oblõga reddẽtur. Solutio autẽ non quotidie, sed alternis fiat, & à solutione aqua ulceri ne aspergatur, sed cũ molli puro ac sicco linteolo sanies detergatur. Quòd si partes ulceri uicinæ inflãmatæ appareant, splenio latiore facto liquidũ medicamẽtum illines, quale est phœnicinũ emplastrũ, aut aliquod simile, ita ut hoc dissoluas uino adstringẽte, sitq; oleũ quod adijcitur melinũ aut myrteũ. At si duricies circa uicinas ulceri partes apparuerit emplastrũ phœnicinũ oleo antiquo aut cicino dissolues. Tutiusq; fuerit superiori regioni aliquod repellẽdi ui præditũ adhibere, præsertim in crurũ ulceribus, & his quæ eminentem uaricẽ habẽt: uena uerò quæ amplior fuerit, & atræ bilis sanguinẽ habuerit, excidenda est, uelut diximus. Aliquãdo tamen eiusmodi uena excisa, ulcus quidẽ protinus coalescit ac sanũ euadit. Sed qua parte uena recisa est, nouũ malignũ succedit, quod cicatricẽ respuit. Præstat igitur in talibus uires ægri perpẽdere, & à uenæ sectione auspicari, deinde pharmaco atræ bilis ac pituitæ humorẽ educente purgare: nã & pituita aliquãdo ad huiusmodi uarices confluit, atq; tunc uaricosam uenã resecare, multaq; sanguinis copia hinc educta, uaricis sectionẽ prius curare, quæ ubi exactè coaluit, tunc demũ maligni ulceris curationẽ aggredi, eo quẽ retulimus modo. Aluus porrò lactis sero in quo cnicus coctus est, aceti mulsi modica mẽsura addita assiduè emolliẽda est. Dabis autẽ ex eo, ab hemina una usq; ad quinq; mẽsuram augens, sic tamen ut æger per multos antea dies aquã biberit. Optimum itẽ est & lac recens mulctum per se, uel cum aqua calida aut modico passo, ante cibum sumptum. Nam & humores contemperat, & uentrem eluit. Confert etiã aloës drach. I. per interualla deuorata. Balnea uero minimè dulcia, sed sulphurea potius & bituminosa adhibenda sunt. Quòd si æger illotus manere non possit citra totius corporis læsionem, lauãdus est ulcere nequaquã denudato. Postremum ab omnibus edulijs ac potibus acribus & ægrè concoctilibus, ac uitiosos humores generantibus, penitus abstinere oportet.

De emplastrorum compositione ad maligna ulcera. Cap. XLIIII.

Quandoquidē in malignis ulceribus quae difficulter cicatricē recipiunt, is scopus nobis propositus est, ut medicamēto nō mordaci resiccemus, & oleum ac aqua maximè omniū humectāt, ab utrisq; penitus cauere oportet, ipsaq; neq; per se adhibere, neq; cū relatis siccis permiscere: cera igitur recēs pinguis & in sole subacta ac emollita, idonea est ad sicca medicamenta excipiēda. Quòd si caloris ex sole copia non detur, cerā prope ignē molliemus, uel in feruentem aquā inijciemus: neq; enim illi omnino ammiscetur aqua: at uerò proportio miscendi huiusmodi est, ut si moderatū pharmacū esse uolueris, metallicorum quartā partē ceræ misceas: si ualidius, tertiā. Neq; uerò parua uarietas est pro corporū ratione, ánne molliores aut duriores habeāt carnes: quare fieri nō potest, ut omnibus idē medicamentū cōueniat: itaq; his cōsideratis, ubi simpliciū facultates cognoueris, facilè iudicare poteris uniuscuiusq; cōpositi medicamenti facultatē, prout ab antiquis sunt descripta. Emplastrū admirandū è sori, cicatricē inducens, deploratis ulceribus opitulās, quæ à multis frustra fuerūt tentata, cui fidendū est, uelut multo experimēto cognito. Soreos dra. xxiiii. gallarū drac. xxxii. aluminis scissi, calcis uiuæ, malicorij, sing. dra. xvi. thuris dra. xxxii. ceræ dra. cxx. adipis uitulini drach. clx. olei antiqui lib. i. & si uitulinus adeps non affuerit, porcinus antiquus sine sale ammisceatur: nā taurinus calidior est. arida terito & cribrato: deinde liquata ab igne remota ammisceto: & omnibus probè unitis, alumē, thus, sori, calcē, cū uino adstringēte trita adijcito, ac utitor. Ego, inquit Galenus, dū hoc medicamētū præparare, oleū & adipē quadraginta annorū adieci, & semper mihi prçter spem successit ad maligna ac diuturna ulcera. Sunt autē talia ulcera, à quibus pars affecta in deprauatū habitum perducta adeò est, ut etiāsi probè coctus sit sanguis, qui ad ipsam alimēti gratia affertur, ipsum transmutet ac corrumpat, & si uitiosus sit humor qui affluit, ab ipso solo erodatur, etiamsi pars ipsa minimè esset affecta. Aliud spleniū optimum. Plumbi usti & loti trientē, cadmiæ sesquiunciā, æris usti unc. i. thuris sesquiunciā, aluminis scissi un. i. æruginis sextātem, ceræ sexuncē, olei myrtei lib. i. Aliud Galeni, ad maligna & chironia. Ceræ, picis, bituminis, sing. lib. i. mannæ thuris, cerussæ, æruginis, sing. sexuncē, malicorij, gallarū, spinæ Aegyptiæ fructus, iridis, aristolochiæ rotūdæ, atramēti sutorij, sing. un. i. aristolochiæ lōgæ, æris usti, sing. sextantem. Olei antiqui aut cicini lib. i. arida in aceto pluribus diebus terito, & liquabilia liquata affūdito ac utitor. Aliud, Oribasij, ad efferata ulcera deprimēda ac cōtrahenda. Ochra attica usta, trita, sicca, utiliter adhibetur. Ego uerò inquit, etiā cypria usus sum. Idē facit & chamæleonis nigri radix, & malicoriū ustum. Et supernè hapsus lanæ uino imbutus illigatur. Aliud Galeni, fuluū. Spumæ argenti lib. iii. olei cicini aut antiqui lib. iii. aceti acerrimi lib. ii. squamę æris, chalcitidis, æruginis, singul. sextantē. Spumā argenti cū oleo coquito, medioq; cocturæ tēpore metallica ad æstiuū solem multis diebus cū aceto trita adijcito, tādiuq; ad ignē sinito, donec non inquinarint. quū autē metallica adijcis, lebes ab igne tollatur, ne efferuescant & superfundātur. Sed & spumā argenti cū aceto & oleo decoquere licet, & medio cocturæ tēpore metallica addere, & simul sinere ut ebulliāt, donec non amplius inquinent. Hoc pharmacū fistulas glutinat, & labia ulcerū callosa resiccās unit ac cōmittit, ita ut non amplius disparentur, si quis recta diæta utatur. Diuturna insuper ulcera & cicatricē respuentia, chironia appellata per se adhibitū, nullo antea puris uestigio apparente, maturat, & suppurat: at nō quotidiè, sed alternis hoc soluendū est. quòd si stomomatis ferri squamā addideris, lōgè præstātius pharmacum euadet. Ego dū hoc præparabā, aliquādo etiam diphrygis unc. i. adieci, aliquādo chrysocollæ sextātem. Sæpe etiā utrunq; ammiscui. Atq; ita prçparatum magna uulnera glutinat. Hactenus Galenus. Nunc uerò hoc modo cōficitur. Spumę argenti lib. iii. olei antiqui lib. vi. aceti lib. ii. ęruginis, squamæ æris, chalcitidis, sing. quadrantē, coquito sicut dictū est. Quidā diphrygis un. i. addūt, asseruntq; efficacissimè strumas discutere. Aliud Galeni, ad chironia ulcera in mollibus corporib. Ceræ lib. i. cerusæ bessem, rosacei lib. i. salis ammoniaci triētem, squamæ æris sextantē, thuris, aluminis, æruginis, malicorij, calcis uiuæ, sing. un. i. quę liquari possunt liquata ac frigefacta ad sicca cum uino trita misceto. Aliud ad maligna & serpēdo depascētia ulcera, præsertim tibiarū. Spumæ argenti, mastiches, adipis caprini, rosacei, singul. sexuncē, ouorū uitellos v. Argenti spumā cum rosaceo & adipe coquito, deinde mastichen adijcito, & ad frigefacta ouorū uitellos ammisceto. Aliud, ad maligna tibiarū ulcera, experimēto cognitum. Lupinos aridos ustos tritos largè inspergito, & hapsum lanæ ex uino expressū superligato. Hoc repurgat, incarnat, & ad cicatricem perducit.

de lupinis

De ulceribus quæ post obductam cicatricem rursus rumpuntur. Cap. xlv.

Quædā ulcera post receptā cicatricē non multo tēpore interposito inflāmantur ac refringuntur. Nā quum substratū os malè sit affectū, uicina quidē caro cicatricem recipit, & exactè sana apparet. Verū postea sanie paulatim ex corrupto in alto osse affluente putrescit, & oborta inflammatione cicatrix rumpitur. Quæ igitur horū curatio instituenda est? nimirū ut hactenus exiccemus, quatenus squama affecti ossis excidat: facilè uerò excident ossiū squamæ, si papaueris syluestris & fici folia cum uino & polenta imposueris. Aut hyoscyami & atramenti sutorij pares portiones adhibueris: sed & peucedani radix trita citissimè ossiū squamas disparat. Vtere etiā siccis capitalibus suprà descriptis, prçsertim eo quod silphiū recipit. Aliud siccū, ad chironia & cicatricē respuentia ulcera mirificū. Squamæ æris, thuris, singulorū sextātem, aluminis, salis ammoniaci, singul. triētem, malicorij, cerusæ, singulorum unc. i. utere sicco, uel si malueris cum cerato. Aliud. Pumicis multifori sexuncem, sulphuris uiui unc. i. terito & cribrato, ac utitor. Facit & pumex per se aridus tritus inspersus. Aliud, ad cicatricem inducendā diuturnis tibiarū ac totius corporis ulceribus. Calcis uiuæ ac lotæ in aqua & siccatæ un. i. cimoliæ tantundē, ceræ, terebinthinæ liquidæ, sing. sextantē, olei myrtei aut rosacei quadrātē: poteris & ostreorū ustorū tritorū un. i. addere. Ad sicca in mortario cū uino trita quæ liquari possunt liquata ammisceto ac unito. Hoc, itemq; reliqua omnia relata, & præcipuè quod è sori fit, chironijs ac malignis ulceribus medentur. Eisdē quoq;

priuatim commodant capparis radix trita inspersa, cẽtaurea minor, scordium, caries lignorũ ueterum, pastinacæ radix, peucedani radix, malicoriũ, oleum in quo scillæ bulbus coctus est, absq; linamẽtis cum penna illitum. Malicorium in uino coctum & rosaceo cerato exceptum: omnium uero efficacissima est theriaca Andromachi è uiperis, rosaceo modico diluta, & emplastri modo adposita. Aliud. Sandaracham tenuissimè tritam ursino adipe exceptam imponito: aut ammoniacum salem eodem modo præparatum, uel per se adhibeto.

Ad extremitatum ulcera. Cap. XLVI.

Myrti baccas cum uino coctas impone: uel peucedani radicem tritã: uel lignorum ueterum cariem insperge: aut brassicæ uel sabinæ folia cum fœni græci farina & aceto subacta impone: aut sideritidem melle exceptã adhibe: aut oleũ in quo scilla cocta est absq; linamentis cum penna illine: ita enim ne musca quidem ulceri appropinquabit.

Ad callos extremarum partium. Cap. XLVII.

Brassicæ folia cum melle terito, & cerato ex sinopica rubrica præparato, excipito, & adhibeto. Aliud. Clibani antiqui testam cum uino austero terito, & cum cerato ex ouis facto, aut cum medicamento ex põpholyge ad sedis affectiones parato, adhibeto.

Ad uermes in ulceribus. Cap. XLVIII.

Vermes in ulceribus generatos enecãt, plantago sicca, ligni ficulni cinis, calaminthæ succus assiduè instillatus. Cerusæ, inquit Theodorus, & polij pares portiones cũ pice liquida adhibe. Quidã pro cerusa absinthium scribunt. Aliud. Linamentum ex saliua hominis ieiuni illitum adhibeto. Hoc etiam aurium uermes necat, & cicatrices concolores facit.

Ad nomas & putredines ulcerum. Cap. XLIX.

Nomæ, hoc est, proserpendo depascentia ac putrida ulcera appellãtur, quæ uicinas partes erodunt & putrefaciunt. Et sane uehemẽtissimis medicamentis opus habet. Et sæpissimè ustiones requirunt. Siccũ optimum, faciens ad nomas, putredines, polypos, uerrucas, thymos & formicarias appellatas, hæmorrhoidas, citra omnẽ mordacitatẽ. Misyos crudi, chalcitidis crudæ, sing. dra. VIII. ochræ dra. III. sandarachæ dra. IIII. calcis uiuæ dra. II. squamę æris, aluminis, sing. dra. II. diphrygis dra. IIII. Vnito ac utitor.

Sicca crustam inducentia, inter quæ etiam pastilli multi usus. Cap. L.

Melinũ, crustas inducẽs & callos exterens, inspersum, siue cum specilli nucleo adhibitũ, & leuiter saltẽ ulceris superficiei inductum, ut inde coloretur modo, ulcera cõmittit ac sanat, quæ ægrè curantur. Chalcitidis crudæ drac. VIII. cadmiæ drac. IIII. ieiuni hominis saliua excipito ac subigito, & in mortario operta, mali cydonij colorem assumere sinito, & cum pistillo leuiter trita in umbra assiccato. Alij tamen aliter præparãt, & à colore quẽ acquirit, fuscum appellant. Sumunt enim chalcitidis drac. XII. cadmiæ drac. VIII. & ad caniculę æstum cũ aceto terunt, atq; ita in umbra siccant. Aliud siccũ, quod item ad solis feruorẽ paratur, & melinum colorem habet. Calcis uiuæ sextantem, auripigmẽti unc. I. Auripigmentũ cum aqua terito, & calcem addito, ac simul probè conterito, deinde in mortariũ aqua plenum conijcito, ut subsideant, & ubi subsederint priore aqua diffusa, nouã affundito, ac diu uersato, & rursus subsidere sinito, quo facto rursus priore aqua diffusa, nouam affundito, atq; idẽ tertio repetito. Postremũ uase aqua repleto sinito, ac singulis diebus uersato donec arefiat, & cõsumpta aqua aliã affundito. Atq; hoc per dies XL. sub caniculæ æstu facito, & tandem pharmacũ siccatum in fictili uase in superiore parte domus nõ humida seruato. Hoc citra mordacitatem crustas inducit, & ualdè deprimit. Facit & ad gingiuas putridas, & epulidũ eminentias deprimit, dentes inalbat. Potest quoq; in mortario subactum in fictile transferri, atque insolari. Vtere Faustini quoq; pastillo, ac reliquis eiusmodi ad dysenteriam descriptis. Aliud, ad totius corporis putredines & nomas. Calcis uiuæ, chalcitidis, singulorũ drach. II. auripigmenti dra. I. Hoc ad reduuias digitorum, & ad putredines adhibetur, partibus putridis ex eo inspersis. Facit & ad carbunculos splenio resinato exceptum. Confert fistulis melle exceptũ cocto, & uelut collyrium inditum. Oribasij, ad pudendorũ nomas præsertim meliceridas dictas. Gallarum, floris mali punici, satiui, itemq; syluestris, aristolochię rotundæ, squamæ æris,, chalcitidis crudæ, singul. drac. VIII. atramenti sutorij dra. VII. aluminis scissi drac. IIII. malicorij dra. I. Adhibetur pudendo cum melle, quemadmodum id quod ex charta præparatur. Facit ad nomas ualdè profundas, sicut etiam pastillus Andronis. Cæterum medicamentum ex charta hoc est: Squamæ æris, chartæ ustæ, singulorum drachmas XXIIII. auripigmenti, sulphuris uiui, singulorũ drac. XII. uel ut alij habẽt, XIIII. plumbi usti drac. IIII. alij drach. VI. Charta primum teritur, deinde metallica leuissimè trita ammiscentur. Facit ad oris ac totius corporis putredines, ad humidiores quidẽ siccum inspersum, ad sicciores rosaceo imbutum. Additur aliquãdo & mellis modicum. Ego uerò plumbi dra. VI. adijcio. Siccum ad antiquas nomas, & ad gingiuas cruentas. Deprimit etiã carnem excrescentẽ. Chalcitidis ustæ dra. XL. misyos drach. XXX. æris usti drac. X. atramenti sutorij drach. VIII. sandarachæ drach. V. auripigmenti drac. II. unito ac utitor. Aliud, experimento constans. Rhois culinarij drac. X. squamæ æris, aloës, foliorum oleastri siccorum, singul. dra. VIII. chalcitidis drac. V. auripigmenti, sandarachę, aluminis scissi, salis tosti, singul. dra. IIII. malicorij sicci drac. VI. chrysocollæ factitiæ drac. IIII. rusci sicci drach. VIII. trita, unito ac utitor. Aliud ad nomas & putredines, Oribasij. Salis fossilis dra. II. aluminis in fictili usti unc. I. squamæ æris, pumicis usti, sing. unc. I. Aliud, eiusdem. Auripigmenti, squamæ æris, misyos, chalcitidis, portiones æquas præpara & utere. Aliud Pasiphilum uocatum. Atramẽti sutorij, sandarachæ, misyos, chalcitidis, pares portiones cõmittito. Siccum aureũ appellatũ. Aufert ossa, reprimit influxiones, fistularũ callos exterit, & contrahit sinus. In fistularũ autẽ & sinuum cõcauitates per specillũ lana obuolutum inditur. Melantheriæ à uetustis clauis derasæ drac. V. malicorij dra. XXV. aluminis scissi dra. III. atramẽti sutorij, misyos, chalcitidis, æris usti, sing. drac. VIII. squamæ æris dra. XVI. gallarũ dra. XV. Aceti quãtũ satis est. Oportet autẽ aceto in uas æneum coniecto clauos quotidię agitare, & deinde acetum excolare: lõgè uerò præstat quod in fundo residet. Aliud siccum, ad nomas, defluxus, gingiuas, columnellas, & pu

& pudēda. Ochræ sesquilibrā, croci lib. I. putaminū ouorum ustorū sexuncē, gallarū sexuncē, tritis utere. Gallæ autē sint omphacitides. Pastillus ad nomas commodus. Sabinę, myrrhæ, sing. dra. III. soreos, misyos, cyprij, atramenti sutorij, thuris, aloës, singu. dra. II. terito cum uino, & formato pastillos.

Pastillus ad nomas & putredines, quo utor, inquit Oribasius, appellatur Asclepius siue Aesculapius, & Cyriacus, hoc est, dominicus. Gallarū drac. VIII. florū mali punici, aristolochiæ rotundæ, chalcitidis crudæ, cadmię, sing. dra. VI. iridis, squamæ ęris, sing. drac. IIII. misyos crudi, atramēti sutorij, aluminis scissi, thuris, nitri, singul. drac. III. Terito cū aceto ad dies sufficientes, & pastillos XX. formato. Eosq́ usus tēpore aceto mulso dissolutos cerato excipito, hoc modo utens: Accipe pastillorum trientem, ceræ quadrantem, olei myrtei sexuncem, galbani trientē. Et pastillis aceto dissolutis ac tritis, liquata ammisceto. Atq; hoc quidē modo præparantur ad ignem sacrū, panos, & condylomata. Ad ozęnas uerò, carbūculos, & carnis excrescētias, pastilli sicci insperguntur, uel aceto mulso triti ac dissoluti. Pastillus Corax, id est, Coruus appellatus. Ad putridorū ulcerū pręsertim pudendorū nomas. Gallarū sextantē, squamæ æris sesquunciā, chalcitidis crudæ, thuris, singulorū quadrātē, ceræ triētē, terebinthinæ unc. I. adipis taurini bessem, olei myrtei dextantē. Arida cū aceto in sole ad sufficientes dies terito, & mellis sexuncem adijcito. Deinde cerato exceptis utitor. Hic pastillus citra ammixtionē per se adhibitus, omnibus nomis pręsertim siccioribus cōfert, & ubi nerui sunt denudati. Cū æquali uerò cerati portione, sordida ulcera exterget, cum uberiore cerato cicatricē inducit. Ego, inquit Asclepiades, sic præparaui: Squamę lib. I. gallarū, adipis taurini, sing. dodrantē, chalcithidis, thuris, singulorū sexuncē, cū aceto uelut collyria tero, & pastillos formo. Postea uerò ex pastillis drac. XXII. aceto tero, & mellis drach. X. addo, & cerato quod habet olei myrtei, adipis taurini, singulorū dodrantē, ceræ sextantē, terebinthinæ trientē, excipio.

Pastillus è croco. Myrrhę, malicorij, ęruginis, aluminis scissi, singulorum sextātem, croci unc. I. aloës, squamæ æris, thuris, sing. unc. I. sulphuris uiui drac. IIII. mellis lib. I. cū uino adstringēte terito. Facit ad nomas, putredines oris, & cuiuscunq; loci, dētes motos firmat, ulcera marcida & flaccida repurgat & adstringit, purulentas aures, sinus, fistulas, & carbūculos curat, squamas osiū resoluit, & incarnat. Est enim ualdè cōmodus ad ossa carne uestiēda. Cōfert etiā dysentericis, & adhibetur uel aridus, uel hoc modo coctus. Mellis lib. III. aceti lib. I. pastilli sextās, simul ebulliant ad mellis cōpagem. Si uero partibus molli sensu pręditis adhibendus est, uino tantum diluitur. Pastillus ex plantis inscriptus. Malicorij, foliorum myrti siccorū, testarum nucum iuglandium siccarum, fructus spinæ, singu. drachm. VIII. gallarum drach. IIII. salis fossillis drac. VIII. omnia tundūtur, & cribrata aceto subigūtur, & in uas fictile mittuntur, ac assantur. Deinde cū aceto terūtur, & adijciuntur myrrhæ dra. IIII. thuris dra. II. & formātur pastilli. Vsus horū est cū aceto. Pastillus ex lanis succidis quem Leonidas ualde laudat. Lanę succidæ ustæ, ramētorū plūbi, squamæ æris, bituminis, sing. dra. X. aluminis scissi & rotundi, gallarū, malicorij, misyos, thuris, chalcitidis, singulorū dra. V. myrrhæ drach. II. amurci sesquiheminā, terito cū aceto, & formato pastillos, ac utitor. Pastillus Bithynus, ad nomas, fistulas, reduuias e digitorū, carnē excrescentē citra mordacitatē deprimit. Cū cerato aūt facit ad ignē sacrū & alia huiusmodi. Malicorij, gallarū, aristolochiæ, chalcitidis, cadmiæ, sing. drach. VI. iridis, squamæ æris, sing. drac. IIII. misyos, atramenti sutorij, aluminis scissi, sing. dra. III. nitri, thuris, sing. dra. II. Sub canis æstu cū aceto terito, & pastillos formato. Pastillus Pasionis. Squamæ æris drac. XII. æris usti, salis ammoniaci, aluminis, ęruginis, thuris, sing. dra. VIII. Aeruginē cū ære, squama & alumine sub sole terito, & ad probè trita thus addito, simulq́ terito, ac pastillos formato. Vsus est ex aceto. Polyidæ sphragis siue sigillū, ut habet Asclepiades. Aluminis scissi dra. II. thuris dra. IIII. myrrhæ, aloës, fellis taurini, sing. dra. VIII. floris mali punici satiui dra. XII. atramēti sutorij dra. III. Excipe uino dulci & utere. Sigillū Coracinū. Facit ad tōsillarū inflāmationes, luxatā columellā, & gingiuas humore flaccidas. Facit & ad nomas, & affectiones sedis. Aristolochiæ rotūdę, florū mali punici satiui, chalcitidis tostæ, thuris, myrrhæ, atramēti sutorij, crocomagmatis, aloës, fellis taurini, æquales portiones passo excipe, uelut dictū est. Pastillus Andronius. Ad ulcera fluida, inflāmatas columellas, tonsillarū fluxiones, extrinsecus sub mētum illitus. Facit & ad pterygia oculorū, & glādularum circa inguina inflāmationes incipiētes, & ad ruptos intestinorū abscessus, callosq́ fistularum exterit. Florū mali punici satiui drac. X. gallarum, aristolochiæ, sing. dra. VIII. aluminis scissi, atramenti sutorij, singulorum drac. IIII. alij II. tātum habent. myrrhę, aloës, thuris, croci, singu. dra. I. singula seorsim primū, deinde simul terito, & in pastillos redigito. Infunditur per clysterē prout uires tolerarint ad ruptos intestinorum abscessus, si febris adsit, cum aquæ cyathis VIII. si nō, cū uino. Pastillus Antonij Musæ. Aluminis scissi, aloës, myrrhę, florum mali punici satiui, sing. dra. VI. atramēti sutorij drach. III. croci, crocomagmatis singulorū dra. III. Terito è uino mulso ex passo confecto, & pastillos formato, quos in umbra exiccabis. Heras qdē & nos ita præparamus. Asclepiades autē hunc ad Aristarchū Tarsensem refert. Et cætera quidē simili modo cōponit. Verùm atramenti sutorij drach. VI. accipit, & cum uino falerno pastillos formare iubet. Facit ad ulcera recentia ac uetera, putrida, marcida, efferata, phagędenica, ac fistulosa, & quę priuatim ceria appellātur. Ad ozænas diluitur cū uino. Ad suppuratas aures cum sapa & modico aceto. Ad condylomata item cum sapa. Ad ulcera genarum carbunculosa ac maligna cū sapa. Ad carnis excrescentias in naribus, ore, extremitatibus omnibus, uulua, pudendis, omnem eminentiā compescit, & digitorum reduuias tollit, ulcera caua replet, sinus & fistulas melle dilutus ac cum lixiuio instillatus glutinat. Idē ad oris uitia gargarissatur. Quòd si semel in mense fiat, neque dentes dolebunt, neq; aliquid incommodi ori accidet. Facit & ad testium sacrum ignē, & articulorum inflāmationes illitus. Et ad hæc omnia utitur eo Asclepiades. Quòd si mollire discutereq́ uolueris, quadruplū ammoniaci miscebis, & cū aceto ad mellis spissitudinem conteres, illinesq́ & alligabis. Si uerò em-

 plastri

plastri formã malueris, quadruplum terebinthinæ ammiscebis, adiecto etiam oleo si durius pharmacũ apparebit. mollit enim & cicatricẽ inducit, ac glutinat. Idẽ pastillus splenicis, hepaticis, ac dysentericis confert, & uiscerum ulcera sanat, & incipienti tabi auxiliatur. Dantur ex eo oboli tres cum familiari in singulis affectionibus potione. Per aliquot autẽ dies ducit urinas loturæ carnis similes. Itaq; ab eius usu desistendum non est ante sanitatem restitutam. Vino quoq; mulso, & mali punici dulcis succo dilutus, & cum pẽna illitus, anginis medetur. Verũ interim dũ illinitur, nauseam excitat, & uomitum prouocat. Cęterum crocomagma quod in pastillũ recipitur, & quo ad capitis dolores utimur, ita pręparatur: Croci dra. c. myrrhæ troglodyticæ, rosarũ recentiũ resectis unguibus, amyli recentis, singulorũ drac. C L. Cũ uino ad collyrij formã terito, & pastillos formato. Porrò pastillus ex solano halicacabo, superius ad fissuras ac tubercula sedis descriptus est.

De sanguinis eruptione, & quæ crustam inurant, Rufi. Cap. LI.

Quãdoquidẽ pleraq; ex his, quę ad sanguinis eruptionẽ adhibemus, ad nomas quoq; usurpari solẽt, annectemus etiã de sanguinis eruptione tractationẽ. Ex ea enim præsens aliquãdo periculum incurrimus, exhibetq; ea res imperitis negotiũ turbationemq; ac formidinẽ, ut ne medico quidẽ parua solicitudo impędeat. Primum itaque nosse oportet, arterias ad sanguinis eruptionẽ magis q̃ uenas paratas esse. Perpetuò enim pulsant, amplioresq; meatus ac solidiores tunicas habent, ut non facilè cedant. Sanguis quoq; in ipsis cõtentus tenuior est, & plurimo spiritu abũdat. Quin & aliquãdo obducta cicatrice cutis, & arteriæ fissura non obturata, sanguis sub cutem exilit, & efficitur tumor, quem aneurysma, hoc est, arterię dilatationẽ Græci appellãt. Ab arteria igitur aut à uena sanguis manat, uel osculis ipsarũ apertis, uel tunica diuisa, uel per transudationẽ, ut ita dicam. Porrò tunica diuiditur, uel ex uulnere, uel ex contusione, uel ruptione, uel erosione. Oscula uerò aperiũtur, aut ob multitudinẽ cõfertim ad osculũ uasis prorumpentẽ, aut propter acrẽ qualitatẽ extrinsecus allabentẽ, aut propter uasis imbecillitatẽ. Transudatio uerò aut persultatio fit, tunica quidem rarefacta, sanguine uerò attenuato. Potest tamen aliquãdo etiã fieri paruarum uenularũ osculis apertis. Si ergo ex uulnere, aut cõtusione, aut casu, aut clamore, ruptio cõtigit, causa iã pręterijt. Si uerò ex multitudine, fieri potest ut adhuc nũc etiã uas amplius rumpatur, quum efficiens causa adhuc maneat. In huiusmodi itaque affectione, multitudo quàm citissimẽ euacuanda est. Deinde sanguis sistendus, postremò ulcus curandũ. In quibus uerò iã cessauit causa efficiẽs, protinus sanguis sistẽdus est, & deinceps ulcus curãdum. At quo modo sanguinẽ sistemus? Nimirum ut ruptum adstringamus ac obturemus, & sanguinem aliò diuertamus. Obturabuntur autem labia uel digitis nostris, si in superficie ulcus fuerit, uel per deligationẽ, & per refrigerantium ac adstringentium pharmacorum adhibitionem. Nonnunquam & grumis concreti sanguinis uasis oscula occluduntur. Cæterum ex his quæ imponuntur, aliqua adstringunt, aliqua meatus obducunt, aliqua crustas inurunt. Quę itaq; meatus obstruunt, ad sanguinis eruptionem adhibita, citò occludũt. Quę uerò crustã inurũt, crusta excidente ulcus cauum faciunt, & sæpissimè excidẽtibus crustis, sanguinis eruptio curatu difficillima sequitur. Quapropter eiusmodi medicamẽtis nõ nisi cogẽte necessitate utemur, ueluti si à putrida erosione sanguis erũpat. Tunc enim omni putrido exciso, tutius est uel cauterijs mali radicẽ exurere, uel crustã inurẽtia adhibere, præsertim in pudendorum ac sedis affectionibus. Nã tales partes ob redundantem humiditatem, & acrium recrementorum transitum facilimè putrescunt. Proinde in eligẽdis medicamẽtis quę crustam inducunt, non tãtum caliditatem, sed etiam adstrictionem considerabimus. Talia uero sunt, misy, chalcitis, atramentum sutorium. Quæ enim ex calce uiua & auripigmento fiunt, uehementiora quidẽ his sunt, sed crustæ inde inductæ citò excidunt, eò quòd nulla adest ipsis adstrictoria facultas. Quæ uerò ab adstringentibus inducuntur crustæ, diutius in corporibus persistunt: quæ res non modicã cõmoditatẽ affert. Priusquã enim excidãt, præuenit incarnatio, ut caro medijs partibus innata, tãquam operculum quoddã uasis fiat. Et hac de causa nõ festinãdum est, uelut multi faciunt, ad crustarum ablationẽ, ubi eruptionis sanguinis periculum imminet. Sed in his tãtum affectionibus, in quibus ob putredinem cauterium adhibere coacti fuimus. Vocatur aũt huiusmodi affectio Nome, quoniã ab affectis partibus proserpens, partes secundum naturã se habentes depascitur, & semper aliquã ipsarum ulterius inuadit. Medicus itaq; his cõsilijs instructus, ad sanguinis eruptiones curãdas accedet, pro locorum natura, & uenarũ magnitudine remedia adhibẽdo. Et statim quidẽ digitis osculum ulceris uasis appręhendat, leniter innitens ac citra dolorẽ comprimens. Simul enim & sanguinẽ sistet, & grumũ uulneri infiget. Quòd si uas, unde sanguis manat, in profundo etiã situm fuerit, exactius sanè hinc & sitũ ipsius, & magnitudinẽ dignoscet, & utrũ uena sit an arteria, cognoscet. Postea uerò immisso uncino extendat, ac moderatè ipsum obtorqueat. Si uerò neq; sic sanguis sistatur, si q̃dẽ uena fuerit, conãdum est ut citra uinculũ sanguinem supprimat, per aliquod sanguinẽ sistens medicamentũ. Optima aũt ex his sunt quæ meatus obstruũt, cõposita ex resina fricta, & farinæ tritici polline, ac gypso, & alijs huius generis. Si uerò arteria fuerit, ex duobus alterũ faciẽs, aut uinculũ circundãs, aut totũ uas præcidens ac dissecãs, sanguinẽ sistes. Cogimur tamẽ aliquãdo etiã magnis uenis uinculũ obligare, atq; etiã aliquãdo totas ipsas dissecare, trãsuersas uidelicet: quę necessitas incũbet in his, quę rectæ ex alto sursum feruntur, & præsertim per angustiam aliquam aut principales partes. Sic enim utraq; pars utrinq; retrahitur, & ab incumbentibus corporibus uulnus tegitur & occultatur. His aũt peractis, incarnãdum uulnus est, priusquã uinculum uasis excidat. Nisi enim producta caro circumsitũ dissectæ arterię locũ præmunuerit, sed uacuus locus inuentus fuerit, affectio sequetur quã Aneurysma appellãt. Quapropter in his potius suadeo, ut sanguinẽ sistẽtibus quæ meatus obstruunt, utaris, quàm his quę crustã inurunt. Citius enim ac tutius post illa uulnus incarnatur. Optimũ itaq; omnium quæ ego noui medicamẽtorũ est, quo etiã ad sanguinis è cerebri mẽbranis eruptionẽ tutius utemur, hoc est: Thuris partes II,

aloës

aloës partẽ I. cũ oui cãdido ad mellis cõpagẽ subige, & mollissimis leporis pilis excepta, uasi ac toti ulceri ubertim impone, & forinsecus fascia ex linteo deliga, ita ut primas quatuor aut quinq; eius obuolutiones super ipsum uas quod sanguinẽ fundit facias, & hinc ad radicẽ eius procedas, deinde alternis diebus soluas, & si quidẽ adhuc tutò adhæserit ulceri medicamẽtum, rursus aliud ipsi circũfundas, & linamẽtũ prius ex pilis cõstans, uelut madefacias, ac rursus uelut antea, deliges. Si uerò prius linamentũ sua spõte exciderit, sensim per digitũ uasis radicẽ cõprimas, & hoc qdẽ leniter adimas, aliud autẽ apponas. Atq; eo curationis ductu uteris, donec uas carne impletũ fuerit, ęgro in multa quiete seruato. At uerò hoc medicamento uariè utimur, aliquando duplũ thuris ad aloën addentes, aliquãdo ambo æquali põdere miscẽtes. Sed & mannã quandoq; pro thure ammiscui, ut quę uehementius adstringat. Illud porrò constat, in durioribus corporibus ea quæ magis adstringũt, & plus aloës habent adhibẽda esse. In mollibus, ea quę plus thuris habent. Sed & ad sanguinis è cerebri mẽbranis eruptionẽ, & ad uulnera in collo, usq; ad ipsas iugulares uenas, medicamento utimur, quod plurimum thuris recipit. In his enim sanguinẽ citra uinculum sistit. Et quãuis multa sint quæ meatus obstruunt medicamẽta, nullum tamen æque incarnat. Optimè etiã obstruunt meatus pharmaca ex pice torrefacta, & colophonia, & puluere molendini parietibus adhærẽte, & gũmi, & tragacãtha, ac similibus. Quandoq; etiam ex gypso præparata. Et symphyti quoq; radix ad hãc pręstãtissima est. Maximè cõuenit, ut Medicus pharmaca sanguini sistendo idonea apud se præparata habeat, quò singulis oportunè opẽ ferat. Tale est siccũ Philagrĳ ad sanguinẽ sistendũ ex aloë & thure paratũ. Primum aũt digitis dissectæ partes cõmittantur ac cõprimantur donec cohæreant: tunc enim impactũ medicamentum sanguinis impetũ cohibet, qui amplius adhuc supprimetur, si leporis pilos molles sub uẽtre repertos ad impactũ medicamentũ apponemus, & ex eodẽ sicco superinspergemus. Atq; hoc ita finẽdũ est, donec caro excreuerit uelut operculũ sectioni obducta. Cõfert ad idẽ rhodiũ suprà inter deprimentia ac cõtrahẽtia relatũ.

Cæterũ quędã ex sanguinem sistentibus, uelut diximus, crustã inducunt. Quędã cũ siccitate adstringũt, quædã explent & glutinãt: quorũ aliqua magis parabilia referemus, quò ad singulas causas peculiare medicamentũ in promptu habeatur. Ex his igitur quæ crustam inurũt, citra mordacitatẽ & efficaciter sanguinẽ sistit hoc. Sandarachæ, auripigmẽti, chalcitidis, calcis, singul. drac. IIII. Hoc Ammonius chirurgus utebatur. Eo uero adhuc efficacius est quod habet chalcitidis dra. VIII. atramenti sutorĳ drac. X. calcis uiuæ dra. VI. æris usti drac. VI. misyos, diphrygis singu. drac. V. Aliud celebre. Aluminis scissi, atramenti sutorĳ, gallarũ, singu. dra. VI. misyos dra. VIII. soreos dra. IIII. Hoc optimè facit & ad nomas.

Aliud ex erethria terra. Terræ erethriæ aut cimoliæ, drac. VIII. squamæ æris, aluminis scissi, resinæ aridæ, thuris, myrrhæ, singu. dra. VIII. Aceti quãtũ satis est. Terito in sole ad cõpagem, & pastillos formato. Aliud. Spongiã nouã liquida pice imbutã bitumine trito insperso, in olla exurito. Deinde eius sextãtem accipito, chalcitidis, misyos, singu. un. I. At si mitius facere uolueris: accipe spõgiæ ita ustæ sextãtem, plũbi usti & loti unc. I. stibĳ unc. I. Hoc crustã nõ inducit. Aliud confestim sistens sanguinis eruptionẽ. Chalcitidis dra. VIII. Thuris siue mãnæ eius dra. XVI. resinæ aridæ, gypsi recẽtis, singu. dra. VIII. Cætera, trita ac cribrata, in pyxide ærea seruato. Gypsum uerò quo tempore medicamento miscendum est, recens terito, & ammisceto. Aliud sanguinem sistens, citra crustæ inustionẽ. Misyos, succi polygoni sicci, singu. dra. XLII. aluminis scissi dra. XXI. Aridum aceto rigatum spongia excipe, & ulceri appositum deliga. Aliud Oribasĳ, facit ad pudendorũ & totius corporis nomas. Callos etiam exterit, & strumas sanat. Minĳ cũ oleo rosaceo subacti, sulphuris uiui, auripigmẽti, sandarachę, calcis uiuæ, ęquas portiones unito ac utitor. Aliud, optimum ad sanguinis eruptiones, Galeni. Gypsum & tritici pollinem oui candido excipe, & cum leporis pilis impone.

Aliud. Resinã pinus probè tritã uel per se, uel cum thuris polline adhibe. Qui ergò plura medicamẽta expetit, multa in simplicium medicamentorũ libris, & in tractatione de singularum partium morbis inueniet. Sed & quæ nunc recensui, sufficere possunt. Omnia enim alia ex ĳsdẽ præparãtur, & non longè uiribus inter se differunt. quædã fortiora, quædã debiliora sunt, ut cuiq; cõgruũ eligi possit. Etenim quũ Eunuchus quidã in summitate manus ulcus haberet, idq; malignum euaderet, & circũ circa eroderet, & sanguis ex ipso manaret, medicamẽtum ex thure & aloë apposui albumine oui exceptum, & hoc magis auxit sanguinis eruptionẽ. Detracta itaq; aloë, thus ipsum per se cum ouo imposui, & neq; sic sanguis sisti potuit. Cognoui autẽ quòd ex multa sensus subtilitate hoc pateretur. Quapropter linamenta posca dilutissima imbuta indidi, iussiq; tãdẽ assiduè super linamẽta instillare, atq; ita statim sanguinis eruptionẽ suppressi, neq; ab eodẽ medicamento usq; ad exactã incarnationẽ destiti. Aliud, ad arteriã dissectã. Sal cõmune & equi aut asini fimũ siccũ, pari portione cũ lixiuio quercini cineris subactũ impone. Aliud. Porrũ cũ aceto tusum impone. Aliud. Cochleas cum domib9 suis, tũ paruas tũ magnas, ustas tritas impone.

Exedentia & urentia medicamenta. *Cap. LII.*

Erodentia & ustoria medicamenta ad columellas adhibemus assidue destillãtes ac laxatas, & ad callosas carnis excrescentias, ulceraq; cancerata & strumas, quas erodere uolumus. Item ad coxendicum & articularem morbum, affectiones splenis, pro cauterio. Præterea ad formicarias uerrucas, clauos, ficosos tumores, & alia huiuscemodi. Præcipua uero ipsorũ uis est, ad carbunculosa & maligna ulcera. Adhibita enim nomas compescunt, & crustas exterunt. Erosiuum citra mordacitatem. Squamæ æris drach. IIII. sandarachæ dra. II. ueratri nigri, auripigmenti, sing. drac. I. præstantius hoc euadet, si pro auripigmento aluminis scissi par pondus adieceris. Aliud. Squamæ æris, sandarachæ, auripigmenti, ueratri nigri, seminis urticæ tosti, æquales portiones cum rosaceo terito ac utitor. Aliud, citra omnẽ mordacitatẽ crustas in altũ inducẽs. Squamæ æris, sandarachę, sing. dra. III. ueratri nigri dra. I. Ad humida ulcera utere sicco: ad reliqua cũ rosaceo. Oribasĳ erosiuũ efficacissimũ, quo utor: Seminis urticæ, squamę æris rubrę, sandarachæ, par põdus cum rosaceo terito ac utitor.

Aliud

Aliud. Sandarachæ, aluminis scissi, singul. drac. IIII. squamæ æris drach. II. auripigmenti drac. I. Et si quidem nome est, quę adstringi debet, siccum adhibeto. Si uerò struma, aut canceratus tumor curandus est, rosaceo excipe, & quotidie bis impone. Ceratum ustorium, quo ad lippitudines utimur, temporibus adhibito donec rubefiant, facit & ad coxendices, statim enim sedat dolorē. Cantharidū, atramenti sutorij, succi thapsiæ, allij, singu. unc. I. ceræ trientem, olei quincuncē. Aridis ex aceto tritis liquabilia liquata ammisceto. Et ubi locus rubicūdus factus fuerit, illinito ea quę ad ambusta ab igne prę parātur. Aliud cauterium è uisco. Calcis uiuæ, fecis uini ustæ, sing. drach. IIII. uisci drac. II. nitri dra. I. Mitius hoc fiet, si calcis dra. III. solum acceperis, & saponis quantum satis est. At si desit sapo, lixiuij lib. I. ad tertias coquito, atq; hoc modo præparato. Arida leuissimè trita, uisco ad ignē liquato excipies, & rudicula agitabis. Deinde ad frigefacta lixiuiū paulatim instillabis, & emollies, ut medicamentum strigmentitia spissitudine liquidius euadat. Quod in plumbea pyxide solidiore seruabis, & si resiccetur, lixiuium subinde instillabis. Hoc ad menti impetigines ad semihoræ spatium illinito, & postea loco per spōgiam foto, album men oui, aut emplastrū ex plumbagine, aut hordeo, paratum imponito. Hoc aliqui etiā ad coxendices, & splenis affectiones, ac articularem morbum utuntur, hoc modo applicantes. Linteolo cuidam detrito medicamentum aliquod glutinosum illinunt, & hoc rotundis foraminibus pertusum adhibent, foramina uertētes eò ubi inustionē facere uolunt: Atque istic medicamentū ustoriū ubertim imponunt, quo uidelicet pars requisita tantū inuratur. Tum brassicę aut betæ folia superimponunt, & decē aut pluribus horis sinunt. Et ablato postea medicamento, ad mitigatoria trāseunt, quę ad ambusta parātur. Erosiuū incomparabile. Veratri nigri dra. III. squamæ æris rubræ drac. XII. sandarachæ, auripigmenti, singulorum drac. II. atramenti sutorij drach. IIII. uentrium cantharidū dra. XII. Omnia lixiuio excipito. Cauterium ad columellas, Demosthenis. Calcis uiuæ dra. IIII. fecis uini ustæ dra. II. Sit autem fex nō uetusta, sed duorum mensium, nitri tosti drach. II. minij drac. I. Cum lixiuio ad mellis liquidioris spissitudinem terito, & bis aut ter ebullire sinito, donec cogatur. Deinde in plumbeā pyxidem recōdito, ne exarescat, & ea gratia subinde lixiuiū instillato. Facit ad uerrucas cū alias, tū formicarias appellatas. reduuias digitorū, clauos pedū ac manuum, callos, cicatrices eminentes, & carbunculos. At uerò post columellæ ustionē, oleum gargarissandū & in ore retinēdū exhibeto. Tertia die transacta, ex aqua mulsa, aut lacte cū melle os eluatur, donec excidat crusta. Eodē modo etiā anthero, siue florido, aut phrygio medicamēto uteris. In alijs uero corporis partibus ad locum inustū repurgādum, aluminis liquidi, amurcæ, mellis cocti, ęquales portiones misce & adhibe. Et post repurgata ulcera mitigatorijs medicamentis utere.

De sinibus, Galeni. Cap. LIII.

Omnia sinuosa ulcera modo aqua mulsa, modo uino, modo uino mulso, modo aceto mulso eluimus. Ad extergendam enim saniem aqua mulsa præstat. Ad repurgandum uerò & roborandum uinum mulsum confert. Ad glutinationem, uinum. Ad cruentum ac graueolentem humorem, acetum mulsum. At in diuturnis affectionibus incarnatione opus habentibus, medicamenta meatus obstructia plurimo rosaceo diluta, per fistulam in directum perforatā, cui uesica alligata est, infundemus. In quem usum probe facit Machærionis emplastrum, & quod Isis, & quod Harmonia appellatur, & pleraq; nigra. Sed & hoc quod subijciemus, probè facit. Primum enim sinus repurgat, deinde incarnat, postea glutinat. Corticem caprifici à teneris ramulis detractum in oleo coquito, & oleo excolato, ceræ quantum satis est ammisceto, ut liquidum & infusile fiat medicamentum. De quo quantum satis esse uidebitur, tepidum in sinum infundes, & parato ex eodem solidiore cerato, id ipsum impones ac deligabis. Potes & forinsecus imponere emplastrum barbarum, & quæ ex pice ac bitumine præparantur, & quod ex salicibus conficitur, & quod è uino mulso, & quod ex spuma argenti, & Harmonia, & emplastrum Piscatoris, & melinū Pasionis. Ad eos tamē qui uicinas partes teneriores habēt, magis cōueniunt emplastra ex sale parata. Super emplastra uerò spōgia aceto mulso, aut posca, aut uino imbuta imponatur. Deligatio uero à fundo sinus incipiat, & ad osculū ulceris desinat. Et linteorū obuolutiones citra dolorem quidem fundum sinus adstringant, sed inde paulatim remittantur, ac laxius ad osculū ulceris cōnectātur: ita ut emplastrū quod forinsecus sinui adhibitū est, iuxta osculū forpice pręcidatur, quo sanies excerni possit, & aliud paruum recisi loco imponatur ex eodē medicamēto, sit aūt laxius propter eādē saniei excretionē, & alternis diebus auferatur, relicto illo totū sinū ambiente. Deinde ubi sinū agglutinatū cognouerimus, ad cicatricem inducentia pergemus. An aūt probè glutinatus sit sinus in profundo, ex pure effluente cognoscemus, si modicū effluxerit & cōcoctū: Et si in ipso sinu neq; dolor, neq; tumor percipiatur, sed cōtractus fuerit locus siccusq; ac doloris expers. Illitio ad sinus antiquos. Gallas omphacitidas ad duas horas oleo macerato, & in fictile siue æneum lebetē cōiectas cum oleo coquito ad prunas, donec nigrescant & uelut torrefiant. Deinde ex oleo eximito, ac frigefactarum un. I. accipito, & aluminis scissi, aloës, singu. un. I. addito, & radicum althęę siccarum, arthemisiæ unicaulis siccę, sampsuchi, sing. sextantem adijcito, & singula seorsim terito, ac cribrato, & postea mista simul seruato, & usu expetente, oui luteo excepta illinito. At uero in ipso ulceris osculo paruum emplastrū impones ex pastillo, qui ad Iudęum refertur. Idem medicamentum facit ad fistulas, herniam aquosam, & podagram.

De sinibus attritam cutē habētibus, eiusdē. Cap. LIIII.

Inflāmationibus ad abscessum mutatis si serius incisio fiat, cōtingit aliquādo ut cutis sinui incūbens tenuis, uelut detritum uestimētū reddatur, & propterea huiusmodi ulcera detrita appellantur, quę difficulter coalescunt ac glutinantur, & præsertim si quis compage siccum medicamentum imponat. Ab his enim magis adhuc cutis deteretur, & exarescet uelut pelles attritæ. Ad ea igitur glutinanda utendum est medicamento, compage quidem liquido, facultate uero sicco. Quale est phœnicinum emplastrum Galeni, quod nos ad huiusmodi affectiones præstare cognouimus, si ita paratum fuerit, ut neq; ualde durū sit, neq;

sit, neque adhuc inquinare desiuerit, ita enim præparatum & cruenta uulnera glutinat, & omnibus ulceribus cicatricem inducit. Ad sinus autem detritos efficacissimũ est, quod tenerũ est & cõpagem mollẽ habet, & cum oleo ueteri ac uino moderate antiquo resolutum est. Nam sicut duriciam ad hos usus improbamus: ita mollicíem nimis fluidã reijcimus. Liquidũ enim calido corpori incumbẽs diffluit, & linteolum siccum relinquit, quod nõ solum nihil prodest, sed etiam glutinandæ cuti obest. Sed & mel moderate coctũ ad hanc sinuum affectionem mirifice conducit: Cui myrrhã, uel aloẽn, uel thus probe trita, seorsim singula, uel simul omnia inspergere prodest, præserã si linteolo illitũ mel liquidius appareat. Expertus sum & cẽtaurium tenue mirãdum pharmacũ ad hos usus: Deinde symphytũ, & plantaginis folia cũ radicibus siccata. Conuenit & rumicis radix, oleastri folia: Verbenaca supina cũ radicibus, uitis alba, iris, dictamnũ, saluia, poliũ, sabina, cupresi folia, salicis succus. Et in teneris carnibus erui farina. Quæ omnia prius tũdenda ac cribrãda sunt. Et ex eis tunc melli ammiscendum est quum coctũ ab igne auferatur, ita ut probe cum eis agitatum mel donec tepidũ fiat, imponatur linteo inductum.

De fistulis. Cap. LV.

Quandoquidem sinus male curati in fistulas mutari solẽt, de his quoque ex ordine dicendum est. Appellantur autẽ fistulæ per trãslationẽ à fistulis harundinũ, aut ex alia materia cõfectis. Nã in ipsis cauitas quædam est harundinum cauitatibus similis, & sinus callosus inest, qui citra chirurgiam aut fortius pharmacum rescindi nõ potest. Fistulis itaque obliquis sub cutem extensis specilli nucleũ immittimus, & eleuata cute totã longitudinẽ una sectione incidimus. Deinde callos uelut fistularum causas, si in superficie fuerint, specillo deradimus: sin in profundum penetrauerint, scalpello rescindimus. Nisi enim rescindãtur, neque caro produci, neque ulcus coalescere poterit. At si fistula non fuerit obliqua, sed decliuis & ad profundũ uergens, fistulę ambitũ resecamus, tantũ de carne circũsita auferẽtes, quo calli cõmode resecari possint. Si uero fistula in os desinat, ab osse denudato, squamã deradimus. Cæterũ fistulæ in os desinentes ampliores quidẽ nucleo specilli immisso ex renitentia deprehẽduntur. In angustioribus uero apice specilli pertentamus, & durũ ac osseũ corpus ocurrens cõtingimus, ac sonũ quendã percipimus, uelut assis ære percussi, qua arte nõ solũ fistulã osi cõtiguã esse, sed etiã an corruptũ aut illæsum sit, dinoscimus. Inducto enim undiquaque specillo, si tanquam à leui corpore ipsum semper lapsare percipimus, os incorruptũ est. Si uero specillũ aliquibus partibus inhæserit, inæqualitates ac asperitates subesse indiciũ est, & ex eo os corruptũ esse coniectamus. At in fistulis quæ amplissima habent oscula, sæpe uisu os deprehendimus, ut cõiectura nõ sit opus. Si uero obliquæ fuerint, flexũque aliquem uel plures habuerint, ut specilli apex progredi nõ posit, uirgulã plumbeã aut stanneã parabimus, qua iter pertentemus. Quũ enim flexilis ualde sit, ad fistulæ figurã facile se accommodabit. Si uero propter nimiã obliquitatẽ, fistula nihil tale admiserit, ex humoris allati natura fistulæ terminũ cognoscemus. Quòd si fistula neruũ attigerit, ex dolore indicabitur, punctionis enim sensum exhibebit, aut stuporis. Deinde motus q̃ ab illo neruo perfici solet, deterior apparebit. Sed & in specilli cõtactu molestus sensus perceptus, indicationem faciet. Humor autem inde allatus tenuior est, similis ei qui ab ossibus defluit, nõ quidẽ oleosus aut pinguis, sed saniosus & glutinosus. Eadẽ uero accidẽtia cõcomitãtur fistulas ad musculos penetrãtes. In his aũt quę carnes tãtũ penetrãt, crassiorẽ ac humectiorẽ saniẽ reperies. Quæ uero uenas occupãt, eadẽ accidẽtia habent q̃ ad neruos sunt relata, sed imbecilliora, dolores itẽ ac pũcturas. Verũ nullus motus impeditur. Idẽ uero etiã de his dicẽdũ est q̃ ad arteriã pertingũt. At uero si fistula locũ erodente uena suberit, plurimus ac crassus sanguis effunditur: Si uero arteria, tenuis & flauus cũ multo spiritu ac stridore exilit. Atque hactenus de fistularũ signis ac differẽtijs, deinceps autẽ de medicamẽtis ad easdẽ cõferentibus tractãdũ est. Post callosarũ igitur partiũ resectionẽ, carnosis quidẽ partibus suppurãdi ductũ adhibebimus, & desquamata ossa siccare conabimur. Basilicũ itaque emplastrũ & reliqua huiusmodi inter suppurãtia medicamẽta habentur, sicut etiã quæ capitalia appellãtur desiccãdi uim habẽt. Linamenta quoque melle illita cõmode induntur. Ad fistulas uerò inchoãtes, nec adeò profundas, quarũ chirurgiã ægri penitus recusant, medicamẽta callos exterẽtia adhibebimus. Deinde remoto callo, curatione reliquis ulceribus cõmuni utemur.

Collyriũ fistulare, ab antiquis fistulis callos exterens. Atramenti sutorij, misyos, chalcitidis crudæ, æruginis, aluminis scissilis, rubricæ sinopicæ, gũmi ęquales portiones aceto excipito. Quòd si pro gummi thus adieceris, & duodecuplũ mellis ammiscueris, callosos sinus repurgat. At si uni eiusdem parti, octuplũ mellis adieceris, incarnat & ad cicatricẽ perducit. Aliud, faciens ad fistulas antiquas. Misyos, atramẽti sutorij, aluminis scisi, ammoniaci thymiamatis, ęquales portiones excipe aceto. Aliud siccũ, callos fistularũ exterens. Cadmiæ, chalcitidis crudę, sandarachæ, gummi, singulorũ quadrantẽ, æris usti, misyos crudi, singulorum sesquiunciam. Aliud xyraphium, hoc est, callos deradens, ad capitis ac mẽti ficosas papulas faciens. Misyos, chalcitidis crudæ, singulorum drac. II. aluminis scisi drac. I. præpara, & eloto prius loco, medicamentũ ubertim insperge, & postridie rursus eloto loco & calli ramento spõgia deterso, nouũ medicamẽtũ adhibeto, tamdiu hoc repetẽs donec totus callus fuerit derasus. Et cauẽdũ interim est, ne olei contactu pars curanda inquinetur. Quod si ita uisum fuerit, poteris ammoniaci thymiamatis drac. I. aceto resolutam ad septẽ huius medicamẽti drachmas ammiscere, & collyria efformare. Aliud Collyriũ fistulare. Chalcitidis crudę, mysios crudi, æruginis, soreos, atramẽti sutorij, ammoniaci thymiamatis, æquales portiones aceto excipito. Aliud philosophi: Brasicę radicẽ, cucurbitã siccatã, os canini capitis, cerui cornu, simul exurito, & ad cinerẽ ipsorum origanũ, & stercus gallinaceũ, utrũque siccum ac tritũ ammisceto, & arida seruato. Vsu uero expetẽte fistulę osculũ uino humectato, & siccum large inspergito, & linteolo imposito deligato. Hoc abscessus rũpit, & sanat fistulas chirurgia nõ dũ attactas. Aliud eiusdẽ. Cõchas cũ testis exustas & tritas adhibe: Vel carnes cochlearum cũ myrrha, thure & aloẽ, in fistulam inde, externisque impone.

Aliud

Aliud, fistulas mirificè resiccans. Facit & ad seminis fluxum, capitis destillationem, aures contusas, ac dysenterias. Consumit omnem humiditatem. Idem pubi & lumbis impositũ, muliebrem fluxũ & hæmorrhoidas sistit. Cochlearũ carnes cum domibus suis, bulbum paruum, bitumen, aloën, thus, cum aceto terito ac utitor. Aliud ad fistulas optimum. Polygoni folia à ieiuno commansa apponito, & uuas passas unà cum uinaceis tritas superligato. Et ne cõtẽpseris medicamenti uilitatem. Aliud siccum Magistriani, fistulas incarnãs. Chamæleonis nigri radicem, corticem pinus, thus masculum, aristolochiam lõgã, singula paribus portionibus terito, & fistulæ aqua mulsa elotæ sicca inspergito. Aliud. Aloës sextantẽ, radicis anchusæ unciam I. Replet & incarnat. Aliud. Scillam in olla ustam ac tritam indito.

Aliud pręsentaneũ, quod Hercules appellatur. Idẽ etiã ægilopas radicitus tollit. Pridie uero papyrus in fistulam indatur, deindẽ collyrium ad fistulæ siue papyri mensuram immittatur, & per triduum sinatur, & in quarta fistulam prorsus sanatum comperies. Cadmiæ ostracitidis drachmas VI. æris usti drachmas V. misyos tosti drachmas IX. chalcitidis crudæ drach. VIII. cantharidas numero septem, libanotidis siccæ drac. I. hermodactyli radicem integrã, gummi drach. X. excipe aceto & collyria formato. Sunt qui atramenti sutorij & æruginis singul. drac. VI. adijciunt. Aliud ad fistulas usq; ad os pertingentes. Squamæ æris, æruginis, ammoniaci thymiamatis, singulorum æquas partes aceto subige, & pastillos efforma. Vsu expetente quantum satis est accipito, & ad ignem emollito, & collyria formato fistulæ æqualia, eaq; indito. Aliud Oribasij, ad fistulas & uibices, à Dionysio acceptum. Foliorum lepidij herbę in umbra siccatorum, floris cnici, mellis despumati, terebinthinæ, æquales portiones. Arida cum aceto terito, & adiecto modico rosaceo, omnia simul ad emplastri formam subigito. Postea fistulæ ex aceto præfrictæ, lepidij folia sicca trita inspergito, & splenium ex medicamento illitum superimponito. Aliud, experimento cõstans.

Radicum liliorum ustorum cinere fistulam expleto, & callus exteretur, quo sublato smilacem herbã arundinibus se implicantem, flore cãdido, folijs hortensi phaselo similibus accipito, eam'que siccam ustam tritã fistulæ indito, & incarnabitur. Aliud. Oleastri radicem ustam terito, & siccam fistulæ uino calido austero elotæ inspergito, & callus excidet. Aliud fistulas incarnans. Lapidem translucidum specularem appellatum urito, ac tritum fistulæ inspergito. Cæterum post usum eorum quæ callos exterunt, collyrijs repurgãtibus utendũ est ex ęrugine & melle cocto. Medicamentum sinus repurgãs & incarnãs. Myrrhę, croci, aristolochię, rubricę sinopicæ, singul. unc. I. Fel taurinum integrũ, mellis quadrantẽ. Fel cũ melle coquito, deinde reliqua tenuissime trita ammisceto, & rursus coqto, & collyria formato. Aliud. Muscij herbæ quã & dorcadiadẽ uocãt, misyos torrefacti, singul. drac. VIII. salis communis, aluminis scissi, æruginis, singul. drac. II. chalcitidis dra. X. nitri, terebinthinę, sing. dra. IIII. mellis lib. III. aceti libr. I. Quæ teri possunt terito, & omnia melle excepta coquito, & collyria formato, quæ in sinus ac cauitates indes. Emplastrũ Oribasij ad sinus & fistulas, è cedria præparatũ. discutit enim strumas: & ad elephãtiasis tumores prodest. Ceræ, picis siccę, singul. lib. I. colophonię bessem, cedriæ sexũcẽ, propolis trientẽ, uel ut alij habent, sexuncẽ. Reliqua omnia donec non inquinent coquito, deinde propolim adijcito, unito ac utitor. Aliud. Picis, ceræ, singul. lib. I. colophoniæ, cedriæ, singulorũ sexuncẽ, coquito simul donec non amplius inquinent, & propolis sexuncem adijcito, & sublatis ab igne thuris, aloës, & aliquãdo myrrhæ, singul. unc. I. ammisceto. Emplastrũ magus uel Hephæstias nuncupatum. Glutinat sinus & fistulas, & alia huiusmodi. Spumę argenti lib. I. scoriæ argenti, quæ helcysma Græcis appellatur, lib. II. testæ clibani antiqui, ceræ, singul. lib. III. olei lib. VI. succi coriãdri sextar. I. Simul coquito donec nõ amplius inquinẽt, deinde cerã adijcito, unito ac utitor. Idem hydropicis confert. Quidã ceræ nihil, quidã quadrantem saltẽ inijciunt. Alij uero ita præparãt. Testæ fictiliũ lib. II. plũbaginis lib. II. olei sextar. I. Sed hoc modo compagem nõ acquirit. Commodũ est fistulis etiã nigrũ è lolio pręparatum, & reliqua eius generis. Tutò etiam adhibetur quod ex argẽti spuma paratur, & quod ex aceto & oleo. Vtrumq; in proximo sermone habetur. cõmodat quoq; fuluum Galeni, quod ad maligna ulcera paulò antè descriptum est.

De Gangræna & sphacelo, Galeni. Cap. LVI.

Gangrænam appellant, quãdo ob inflammationis magnitudinẽ, mortificatio partis imminet, & nisi celerrimè succuratur, pars ita affecta facile mortificatur, & malũ ad contiguas partes proserpẽs, singulis perniciẽ impertit. At ubi iam pars mortificata penitus sensum amisit, nõ amplius Gangręna, sed sphacelus, id est, caries, malũ appellatur. Accidit autẽ hæc affectio etiam ossibus, quũ circumsita caro uitiosos humores generans, per hos illa perrigauerit ac putrefecerit. Proinde partem mortificatam celerrimè resecare oportet, quatenus contingit uicinam sanam, ita ut nihil prorsus putridi ac cariosi relinquatur: Deinde locum inurere, & postea sesamum cũ melle, uel sicum capitale item cum melle adhibere, deinde panẽ exterius, uel farinã ordeaceam aqua & oleo subactã imponere: Sed & iris & panacis radix, & aristolochia ac eruum crustas tollunt, singula cum melle. Itẽ Machærionis emplastrum, & Isis, cum rosaceo & melle diluta. Vbi uero crustæ exciderint, curationẽ reliquis ulceribus communem adhibeto. Cæterũ priusquàm pars mortificatur, & affectio adhuc gangræna appellatur, sanguinem in loco affecto impactum, quãtum eius fieri potest, plurimum euacuabimus: propter quẽ sanè mortificatio contingit, quum arteriæ ob locorum angustiã distendi non possint: atque sic reliquo perspirationem exhibebimus. Aut igitur si uena magna fuerit in loco affecto, hac dissecta corruptũ sanguinẽ euacuare oportet, & sæpe uel ut uaricẽ uolsella correptum excindere: Aut totã cutem affectæ partis profundis sectionibus diuidere, aut uulnusculis altioribus incussis scarificare, & sanguinem effluere sinere, & postea imponere pharmacum ad putrescentia commodum. Talia uero sunt, farina erui aut lolij cum aceto mulso, uel si hæ non sunt, fabacea. Quarum uires si intendere uolumus, salẽ adijcimus, aut aliquẽ pastillum leuissime tritũ, ad nomas suprà descriptũ, qualis est Andronis, Pasionis, & Musæ, & noster Asclepius appellatus, quibus omnibus pro ægroti corporis habitu uteris.

Rusticana enim & duriora natura, fortioribus medicamentis opus habent, molliora debilioribus. Prosunt etiam gangrænis nuces ueteres, farina lolij cum raphano & sale, & aliquando aceto. Vuæ passæ dēptis uinaceis cum raphani cortice, urticæ folia, raphani semen cum aceto, quæ etiam crustas tollunt. Item lupinorum amarorum decoctum affusum. Aliud ad Gangrenas. Sordes matulæ adhærentes illinito, & postea urina abluito. Nonnulli cedriam sordibus ammiscent. Aliud. Plurimas lactucas exemptis fibris cum loliacea farina imponito. Aliqui iridis farinam accipiunt. Aliud, hoc & uitiligines & alia huiusmodi sanat, & inflammationes mitigat. Herbam catananceu urito, eiusq; drachm. VIII. cum gummi drach. XVI. cum aceto terito & imponito. Aliud. Aeruginem, rubricam, alumen scissile, paribus portionibus ex aceto trita adhibeto.

De canceratis tumoribus, eiusdem. *Cap. LVII.*

Cancerati tumores ex atra bile crassiore efferuente generantur, quæ si etiam acrior fuerit, ulceratos tumores efficit. Quapropter huiusmodi tumores inflammationibus acriores sunt, citra tantā caliditatē, habentq; uenas plenas & circum circa extentas, ad similitudinem pedum cancri animantis. Quandoquidem uerò è profundo inutilis sanguinis multitudo attrahitur, ideo uaricosæ redduntur uenæ, & insanabilis morbus efficitur, quum ob nimiam crassitudinē, humor neque repelli, neque discuti, necq; per totius corporis purgationē leuari possit. & leniora quidē medicamenta adhibita contemnit, ab acrioribus autem irritatur. Fieri tamen potest ut incipientes cancros, prius quàm in affecta parte cōfirmētur, augeri prohibeamus, atræ bilis humore euacuato. Primū itaq; mitioribus ad hoc utemur, quale est Epithymū cum sero lactis, deinde Hiera Rufi, quæ ueratrum pro uirium robore ammixtum habet. At solani succus forinsecus illitus, ulceratum cācrum mirificè mitigat. Ex eo autem linteolum molle duplicatum madefactum imponendū est, & supra ipsum quoq; lana tenera imponēda eodem succo imbuta, sed & ipse succus assidue his superfundendus est, ut ne hæc exarescant. Vtendum est & medicamento è pompholyge ad cācros ulceratos. Sed & hoc quod subiungam, ad cācerata ac maligna pudēdorum, scroti, sedis, mamillarumq; affectiones, & ad ani ac muliebrium locorū rimas & tubercula efficax est. Oleū rosaceū & hyoscyami, aut solani, aut semperuiuæ, aut umbilici ueneris, aut psylij, aut uuæ acerbę succum, in plumbeo mortario, cum plumbeo pistillo ad strigmentitiā cōpagem terito. Confert & cancri usti cinis cū cadmia lota inspersus, uel cum cerato adhibitus. Idem etiam gangrænis conducit. Aliud. Irionis semen cū melle ad emplastri formam terendo redactum adhibeto, & maligna ulcera in quacunq; corporis parte citò ad cicatricem perducet. Idem facit & malicorium ustum tritum inspersum. Aliud, ad cācerata & maligna. Testudinē terrestrem donec inalbescat urito, & cinerem ad alia cum butyro, ad cancros uerò ulceratos cum oleo dulci ad emplastri formam subactū, splenio illinito ac imponito. Repurgat enim, cōstringit, & ad cicatricem perducit. Et prohibet ne malum reuertatur. Adhibetur idem utiliter & gangrænis. Nec incommoda est Theriace Andromachi cū modico rosaceo diluta. Aeger porrò ptisanæ succo uberrimè alatur, & lactis sero. Et ex oleribus, malua, atriplice, blito, & cucurbita. Piscibus uerò petrosis, & uolucribus omnibus pręterquàm palustribus.

De carbunculis, ex eodem. *Cap. LVIII.*

Carbunculi à sanguine atrabiliario effructe, & ad partem aliquam irruente generantur, & sunt sanè ulcera crustosa, plerunq; à pustula incipientia, aliquādo etiam citra hanc. Pruritus certè in principio in parte affecta adest, deinde modo una pustula, modo plures tenues, uelut milij grana, insurgunt, quibus ruptis similiter crustosum ulcus succedit. Quòd si etiā citra pustulas cutis excoriatur, semper tamen crustosum apparet ulcus, uelut ea quę à cauterijs fiunt, crusta iam cinereum, iam nigrum colorem habente, & fundo adhærente, & uelut clauo affixa, comitante etiam noma depascente. At reliqua caro circumsita uehemēter inflāmatur, & nigra fit ac splēdida, instar bituminis & picis. Talis autē est exquisitè atra bilis. Febris aūt ægrotos lōgè uehemētior quàm igne sacro correptos inuadit. At uerò carbunculi qui iuxta carnē cōsistunt, citò abolētur. Qui uerò in mēbranis aut neruis fiunt, diutius permanent, & subiectos locos per cōsensum afficiunt. Nā qui caput occupāt, ad collum aut ceruicem, aut pectus, aut brachia, aut sub alas, cōsensum distribuunt. Qui uerò pudenda inuadunt, crura & inguina simul afficiunt. Aliquæ uerò partes etiā ad suppuratione ueniūt, quę uidelicet magis expositę sunt iniuriæ. Dolores insuper accedunt lōgè maiores q̄ pro paruitatis ratiōe. Sępe etiā in repurgādo ulcere, membrana aut neruus putrefactus, medullæ speciē præ se ferēs eximitur. Carbunculum igitur ubi primū eruperit, statim curare oportet, sanguine usq; ad animi deliquū euacuato. Nisi enim uenæ sectionē quid prohibeat, à nullo auxilio maius emolumentū cōsequitur. Post sectā uenā nō incōueniēs est locū scarificare, uulnusculis profundioribus impactis, ob humoris crassitudinem. Deinde aluus eluenda est, tenuissimaq; uictus ratio cum quiete & trāquillitate imperāda. Ad locū uerò nihil uehemēter repellens aut refrigerās adhibendum est. hinc enim maius dispendiū, quàm cōpendium sequetur. Nō tamē affluxus negligēdus est, sed medicamenta adhibenda quæ cum moderata repulsione etiā discutiunt. Tale aūt est ex plātagine & lenticula cocta cataplasma, cui addita est panis clibano cocti, necq; nimis puri, necq; sordidi medulla. In ipso uerò carbunculi ambitu emplastra imponantur ad ambusta descripta. Super ipsum uerò ulcus fortiora pharmaca imponemus, quale est Andronis, aut Pasionis, aut Polyidæ pastillus, & reliqui huiusmodi ad nomas parati, cū passo ad mellis cōpagē diluti. Carbūculorū aūt crustas mirificè eximūt, & fluxionē ad locū sistunt, uerbenacæ rectæ folia cū adipe trita & apposita. Idem faciunt & cupresi folia ac tenera germina, & pilulæ teneræ cū polenta. Aliud. Gallinaceū stercus siccum cū axungia subactū ipsi solum carbūculo imponito, & bene sperato. Aliud. Nitri & & rutæ pares portiones cū aceto adhibeto. Aliud. Fimi columbini, & seminis lini, æquales portiones cū melle imponito. Aliud. Silphiū, rutā & nitrū, æquis portionibus cū melle soli carbunculo imponito. Sępe etiā erodētia aliqua suprà descripta ulceri imponimus, & per linamēta indimus. In ambitu uerò carbūculi lenticulā coctā circūponimus. Aliud ad car

ad carbũculos mirabile. Liliorum radicẽ recentẽ & humidã ad emplastri formã tritã imponito, & brassicæ foliũ ne exarescat superimponito, & admiraberis. Circũscarificat enim & crustas eximit, repurgat, replet, ad cicatricẽ perducit, ut ne uestigiũ quidẽ eius appareat. Aliud Oribasij, minimè contemnendũ. Saponis partẽ unã, axungiæ tãtundem, salis, cineris sarmẽtorũ uitis, aut lignorũ fici, singulorũ dimidiã partẽ, præpara & adhibe, & forinsecus panẽ illine.

Aliud siccũ, ad carbũculos & nomas. Chalcitidis crudę, misyos crudi, atramẽti sutorij, æris usti, æquales portiones sub sole in aceto terito donec siccentur, & utere sicco. Misy uerò nõ uratur, sed tãtum torreatur. Siccũ Oribasij, ad carbunculos, nomas, gãgrænas, ulcera antiqua & chironia, & ad strumas ac podagras. Spumæ argenti librã I. olei antiqui sesquilibrã, auripigmenti unc. I. Spumã argenti cũ oleo coquito donec non inquinet, & ablatis ab igne, auripigmẽtũ adijcito, ac rursus coqto, donec nigrescat. Deinde manibus refrigeratũ subigito, & utitor, ad strumas quidẽ, tali quale est, ad alia uerò cum oleo diluto, quo linamentis illini possit. Aliud Massiliẽsis, quod suæ ciuitati cõposuit, quum in ipsa carbunculi sæuirent, & multos occiderent. Bouis armẽtarij fimum siccum ac tritum seruato, usu uerò expetente aqua madefactũ soli carbũculo imponito, & linteũ aqua humectum, aut cataplasma è lenticula superponito. Aliud. Chrysocollæ, nitri tosti, lapidis asij, auripigmẽti, sandarachæ, misyos torrefacti, chalcitidis, aluminis scissi, diphrygis, singul. drach. IIII. terito, & in æreo uase seruato. Vsus uerò tempore, cũ specilli nucleo in ipsum carbunculi ulcus indito, & uiride subscriptũ superimponito. Emplastrũ uiride. Thuris, æruginis, singu. drachm. I. squamæ æris, aluminis scissi, salis ammoniaci, singulorum obol. IIII. ceræ drac. VIII. resinæ pinus siccæ dra. XVI. olei lib. I. Arida ad solẽ in aceto terito, & reliqua liquata adijcito, ac utitor. Aliud Asclepiadæ. Nitri torrefacti, succi cyrenensis, singul. drac. III. laseris drac. IIII. s. cerę, colophoniæ, olei, singulorum sesquunciam, præpara & adhibe. Carbunculi humorem resiccat, & circũsitas partes scarificat. His autẽ scarificatis, utere hoc quod mox describã; Nã post scarificationem carbunculos à uicinis partibus radicitus euellit. Mali punici acidi recẽtis ac maturi corticẽ, exemptis interioribus in aceto coquito, & flaccidum factum tritũ & super linteolum ad emplastri formã extẽsum adhibeto, assidueq; acetum superstillato, ne exarescat. Idẽ etiã in pastillos formari potest, & in umbra siccari, qui deinde usu expetẽte aceto diluti adhibẽtur. Hoc ego freqũter in principio usus sanitatem restitui. Cæterũ pudendorum carbunculos eodẽ modo curabis, quẽ in oculorũ carbunculis retulimus. Confert & mel ammixta sapa coctũ, & cum specilli nucleo sæpe præputio impositum. Aliud Oribasij, ad carbũculos. Chalcitidis, atramẽti sutorij, singu. drac. VIII. spumæ nitri drac. I. cũ aqua tere & utere. Probè facit & ouillũ stercus torrefactũ cum melle. Aliud, ad carbunculos, nomas, putredines oris, suppuratas aures, & digitorum reduuias. Aluminis scissi drac. VIII. chalcitidis drach. VI. sandarachæ drach. III. malicorij, misyos, atramẽti sutorij, nitri, omphacij sicci, singul. drac. II. prępara & utere arido, uel cum melle, & lenticulam coctam cum pane superimpone.

De erysipelate, hoc est, igne sacro, Galeni. Cap. LIX.

Flaua bilis tenuior & acrior facta, unã cũ sanguine ad aliquam corporis partem irruens, erysipelas efficit, quod aut exulceratur, aut sine ulcere existit. Si itaq; sanguis dominiũ habuerit, inflãmatio ad erysipelatis naturã uergens exoritur. Si cõtrà, bilis dominatur, erysipelas ad inflammationẽ tendẽs appellatur. Quòd si neuter humor excesserit, affectio inter erysipelas & inflãmationem media uocatur. At uerò erysipelatis tumor feruentior ac flauior quàm inflãmationis percipitur, non tamen dolorem, neq; pulsum, neq; pressionem, neque tensionẽ inflãmationi æqualem inducit. Sæpe enim per cutem tantum diffunditur, carnẽ nulla inuria afficiẽs, atq; hoc est quod exactè Erysipelas nominatur. Grauiora uerò sunt erysipelata circa caput, quare nisi efficacibus auxilijs opẽ feramus, partes tonsillarum per cõsensum afficiunt, inflãmantq; ac suffocant. Ea igitur uenæ sectione curabimus, si sanguis redũdarit: Sin bilis, per medicamentũ bilẽ flauã expurgãs. Vtemur & infusis efficacioribus. Et quod influit repellemus, & feruorẽ refrigerabimus, per ea quę humectãt simulq; frigefaciũt. Sit aũt terminus refrigerãdi, mutatio coloris. At uerò id quod nõ exactè erysipelas est, sed quodãmodo ad inflammationis naturam uergit, liuidam cutem facit, si plus æquo refrigeretur. Et nisi medicus destiterit à refrigerãdo, etiã denigrabit, præsertim si senile fuerit corpus quod curatur, ita ut erysipelata sic refrigerata, ne discussorijs quidẽ medicamentis discuti possint, sed induratum quendã tumorẽ in parte relinquãt, proinde præstat ab humectãtibus ac refrigerãtibus ad discussoria progredi, postquàm mutatus fuerit color, antè quàm niger aut liuidus appareat. Sunt aũt humectantia ac refrigerantia, citra manifestã adstrictionẽ erysipelatis cõmoda, solanum, semperuiuum, portulaca, umbilicus ueneris, psyllium, lenticula palustris, hyoscyamus, & glaucium, et cerata ex frigida aqua præparata. Cera enim cũ oleo optimo, pręsertim rosaceo uel omphacino liquatur, & ceratum liquidum fit, quod frigefactum in mortario aqua frigida paulatim instillata, quãtum imbibere potest, cũ pistillo teritur. Sit autẽ oleum duplũ, aut quadruplũ, ceræ respectu. Si uerò tenuis & albi ac pellucidi aceti modicũ affuderis, medicamentum refrigeratorium magis efficies: potest & succus aliquis herbarum relatarum ammisceri: pastilli quoq; ad erysipelata præparati, nõ affectis modò partibus, sed sanis quoq; uicinis adhibẽdi sunt, & assidue permutãdi, citissimè enim resiccantur ac uires amittunt, prioribus itaq; per spongias ex tepida aqua expressas elotis, recẽtes adhibeãtur. Pastillus Andromachi. Quo utor, inquit, ad erysipelata. Spumæ argẽti lib. II. cerussæ lib. I. opij, sulphuris uiui, croci, singulorũ quadrãtem. Excipe passo & utere cum passo. Oribasius aũt pastillus, inquit, ad erysipelata admirandus ita pręparatur. Spumę argẽti, cerusę, croci, sulphuris uiui, opij, singulorum quadrantem, passo excipito.

Alius. Acacię dra. VIII. misyos dra. IIII. thuris dra. IIII. opij dra. II. præpara & utere, uelut dictũ est. Ad ignes autem sacros aceto dilue. Quidã etiã aloës dra. II. adijciunt. Cæterum ad erysipelata faciei præsertim, hirundinis nidum tritum ac cribratum melle excipito, & cum penna illinito: citò enim discuties: at sedata inflammatione, priusquam pars liuescat,

scat, discussoria adhibēda sunt, & aqua calida affundenda, itēq; marina ac muria. Cataplasmatis etiam eadē ammisceātur, cōfert & brassica per se uel cū polenta adhibita, aut mādragoræ radix cū pane & aceto. Aut terra figularis cū coriādri succo. Aut ceratū rosaceū paulò antè descriptum cum calce. Quòd si liuor aut durities partē affectam præoccuparit, scarificatio profundior fiat, & marina aqua aut muria affundatur, deinde uerò cataplasmata adhibeantur.

De Herpete, ex eodem. *Cap. LX.*

Si flaua bilis citra alterius humoris mixturam secreta, iuxta partem aliquam cōstiterit, Herpes appellatur affectio. Si quidem igitur crassa fuerit cōpage, & magis acris, omnem cutem usq; ad subiectam carnem exulcerat, & uocatur Herpes exedens. Si uerò tenuior fuerit, & minus acris, superficiem solum uelut inurit. Atq; hæc species generis appellationem tulit, simpliciterq; ac citra appositionē, Herpes uocatur. Est enim adhuc tertia herpetis species quæ Miliaris appellatur, eò quòd pustulas paruas & multas in superficie cutis excitat, milio similes. Oritur autē etiā ipse à bile, uerū minus acri & calida quàm priores. Alij uerò hunc pituitæ ad bilem flauam ammixtione fieri putant, proinde herpetem curabimus rectè, si præeuacuato uniuerso corpore, localia deinde medicamenta adhibuerimus. Qui uerò cuti solidandæ statim à principio intentus est, hanc quidem sanabit, uerùm humorem affluentem non prohibebit, sed semper prioribus ulceribus solidatis, contigua cutis rursus uelut prior in superficie erodetur. Itaq; in herpetibus erodentibus, sero lactis cum scammonia exhibito, totum corpus euacuabimus. In miliaribus uerò pharmacum exhibebimus, quod bilem simul ac pituitam educit. At uerò partibus affectis non eadem quæ erysipelatis adhibētur. Tametsi enim refrigeratione uelut erysipelata opus habent, nō tamen item humectatione indigent. His itaq; medicamenta refrigerātia ac simul resiccantia cū adstrictione cōueniūt, ita ut erodētibus quidē, & in superficie hærentibus, mitissima adhibeamus: miliaribus uerò magis discussoria. Quare neq; lactucā, neq; semperuiuū, neq; quicquā aliud refrigerās ac humectās adhibebimus. Sed in principio facta purgatione, pampinos uitis, rubiq; aut polygoni, aut plantaginis folia imponemus, postea uerò his etiā lenticulā, & mel, & polentā miscebimus. Illitiones uerò ad herpetas commodæ sunt, acacia cū aceto, plātaginis succus, glauciū passo dilutū. Ad pustulosum uerò herpetē, plūbi recremētum è uino austero tritū illinitur, & folia betæ in uino cocta imponūtur. Aliud. Olei myrtei sexūcē, recremēti plūbi triētē, cerę triētē. Recrementū dilue cū uino, & liquata cera excipe, & illine. Aliud, ad herpetas uehemēter erodētes. Lanæ succidæ mollis tędę obuolutæ & ustæ dra. III. malicorij è punico malo dulci, spumæ argēti, singulorū drac. VI. ceræ, adipis caprini, singulorū sesquiunciā, olei myrtei trientem aut quincuncē. Præpara & utere. Ad herpetem uerò sub cute extātem, plumbi recrementū cum succo polygoni tritum illine. Aliud ad herpetas. Lanę mollis succidæ tædæ obuolutæ & ustæ dra. XII. s. recremēti plūbi sesquiunciā, ceræ dra. XXV. adipis caprini depurati, & frigida loti dra. XXV. olei myrtei quincūcē, præpara & utere. Aliud, ad herpetas pustulasq; superficiarias insigne medicamentum. Cornu caprinum ustum cum aceto tritum illinito. Cornu uerò urendum super flāma detineto, exurgentesq; bullas excutito, & postea in mortario terito. Idem præstat etiā cornu ouillum & præcipuè arietinum. Potest idē cinis etiam cerato excipi. Pastillus ad herpetas.

Terræ cimoliæ, rubricæ sinopicæ, singulorū dra. III. misyos torrefacti, aluminis rotundi, corticis thuris, singulorū drac. VI. terito ex aqua, & formato pastillos: Vtere uerò cū aceto aut uino myrteo. Alius pastillus. Misyos drach. VIII. salis fossilis drach. IIII. gummi drach. II. Terito cum uino & formato pastillos, & utitor cum uino. Alius. Aluminis scissi, atramenti sutorij, salis fossitij, singulorum drac. II. excipe aceto, & utere cū passo. Alius pręclarus. Aluminis rotundi, chalcitidis, melāteriæ, soreos, singulorū drachmas duas, misyos, malicorij, acaciæ, singulorum drachm. IIII. calcis uiuæ dra. XVI. aceti sextar. I. tere & forma pastillos, & utere cum aqua. Ego uerò his omnibus fortioribus, & Andronio ac Musæ pastillo, & reliquis huiusmodi, ad affectiones diuturnas utor. Quum enim fortissimi sint, ualde resiccant. quapropter in principio lenioribus utendū est. Est & hoc medicamentum ad diuturnas affectiones mirabile. Nitri, chalcitidis, atramenti sutorij, misyos, calcis, acaciæ, partes æquales aceto excipe, & utere cum aqua. Ceratum ad herpetas excoriatos. Cerusæ, spumæ argēti, radicis anchusæ ustæ, singulorum drachm. II. pollinis thuris, aluminis scissi, singulorum drach. I. ceræ drach. XVI. adipis uituli drachmas centum, olei sexuncem, ouorum candidum duorum. Arida cum uino tere, & liquatis reliquis, ammisce. Aliud ad excoriatos herpetas. Cerussæ, spumæ argēti, radicis anchusæ crematæ, singulorū dra. IIII. aluminis scissi, misyos torrefacti, singulorū dra. I. resinæ pinus dra. VI. ceræ trientē, olei myrtei lib. I. & trientē, uini heminam unā. Arida cum uino tere, donec fuerit cōsumptū, deinde cum liquatis cōmitte, & paratū medicamentum linteolo inductum adhibe. Cōuenit quoq; emplastrū ex hordeo, oleo dilutum ad eosdē herpetas, foueatur itē ac rigetur locus assiduè per spōgiā ex uino, uel si id nō liceat, ex aqua expressam. Et humiditas tenui linteo extergatur, & postea relata medicamēta adhibeātur. Neq; interim squamæ ab ulceribus detrahātur, donec spōtè excidāt aut discedant: neque splenium durum imponatur. Si uerò depascendo proserpentia fuerint ulcera, cataplasma ex lenticula cum melle adhibeto. At si pura & nuda fuerint, & nome sedata, spumā argenti aut plumbaginem, cum uino tritam impone.

Ad Epinyctidas, hoc est, pustulas noctu erumpentes. *Cap. LXI.*

Epinyctides ulcuscula sunt spontè erumpētia, pustulosa, subrubra, quibus ruptis sanies subcruenta effluit. Hæc interdiu non ualde infestant, noctu uerò maiorem dolorem excitāt, quàm pro ulceris magnitudine. His itaq; medentur brassicæ, uel solani, uel hyoscyami, uel rhamni folia, cum melle imposita, & plantago trita, & centaurium uiride, & uua passa cū ruta, & cucumeris satiui folia, cum aqua, & sesamū cum aceto tritum. Egregiè facit & calx cum oleo ad mellis compagem subacta, imposita, & laser cum aqua, desiccat enim absque mordacitate. Aut sulphuris uiui, & spumæ argenti pares portiones, cum aceto & oleo myrteo ad strigmentitiam formam tritas adhi

adhibe. Ego uerò, inquit Oribasius, oleum nō admitto, & pro aceto potius cum uino tero. Lenticula itē cocta, & emplastrū ex polline tritici, utiliter imponitur, postquàm uero epinyctis excoriata fuerit, emplastris liquidis utere, & caue ne acria, & acida, ac salsa adhibeas. Vitāda sunt itē fomēta, balnea, & sol.

De terminthο. Cap. LXII.

Terminthus tuberculi species est. Incumbit autē ipsius pustula nigra supernè ac infernè, qua rupta infernè desquamato similis apparet, hoc autem dissecto, pus inuenitur. At uerò curatio huius similis medelæ pustularum nocturnarum iam relatæ.

De papulis siue pustulis. Cap. LXIII.

Papulæ quibusdam exoriuntur similes his quæ à feruida aqua ambustis emergunt, non tamen multum dolorem inducētes. Quibus ruptis subflaui humoris copia paulatim effluit, ad biduum aliquando ac triduum durans. Hæ fœminis quibus menstrua defecerunt, aut aliàs non rectè profluunt, sæpe in cruribus oriri solent. Infantibus uerò aliquando in toto corpore. Verum uiris rarissimè accidunt. Quomodo uerò infantium ulcera curare oporteat, iam antea sermone quarto, ostensum est. In fœminis autem mēses oportunè ciere oportet. Virorum uerò corpora congruo medicamento purgare. Vtrisque uerò alimenta aluum emollientia exhibebimus, & urinas proliciemus. Acriaq; ac salsa prohibebimus. Ipsas autem pustulas acu perforare oportet, & humorem excludere, & emplastrum è tritici polline adhibere. Euacuato uerò humore, & non amplius effluente, id quod ex hordeo præparatur, apponendum est.

Ad ambusta ab igne. Cap. LXIIII.

Corpora ab igne aut feruida aqua ambusta, moderatè extergentibus pharmacis opus habent, citra manifestam calfactionem aut refrigerationē. protinus itaq; ad pustularum bullas prohibendas, terra quæcunq; occurrerit, modò leuis sit, in teneris carnibus cum aqua, in durioribus cum posca illinatur, præstat tamen terra cimolia, si haberi potest. Ouum item crudum molli lana exceptum, refrigerat & siccat citra mordacitatem, & thus cum aqua tritum, & betæ folia contusa & cocta ac cum uino imposita. Et alumē omne cum aqua et oui candido. Facit & hoc mirificè. Aeruginis & spumæ argenti pares portiones cū uino & oleo tritas, cum pēna illine. A' manuū enim cōtactu prorsus abstinere oportet, & tenue linteolū superimponere. Quòd si bullę emerserint, eas in principio ne rumpas, si uerò durauerint, rumpe & ceratum impone. potest aūt pastillus præparari, ac in hūc usum seruari. Aluminis drac. IIII. thuris drach. II. cū aqua terito, & pastillos formato, ac utitor cū posca.

Alius. Cimoliæ sextātem, corticis thuris, misyos usti singulorū drac. VI. rubricæ dra. III. cū aqua formato pastillos, & utere cum posca. Cęterum cūctari non oportet, sed statim terram quæcunq; ad manum fuerit cum aqua illinere, eamq; postea tepida posca abluere, & quæ relata sunt adhibere, porrò ad ambusta iam pustulosa, rhoēm & polentam aceto trita impone, aut fel porci coctum, aut hyoscyami uiridis succū assiduè illine, & bullæ marcescēt. Ex folijs quoque hyoscyami uiridibus pastillos forma, & in umbra exicca, & in hyemem reserua, quos usu expetente aqua dilue. Aut calcem uiuam cerato liquido exceptam, & linteo inductam impone. Aut myrrham uino tritam adhibe. Excoriatis uerò & ulceratis, betæ folia in uino cocta ac trita illine. Aut ad ceratum rosaceum liquidum, betæ succum paulatim instilla, quantum imbibere potest. Sint autem olei partes tres, ceræ una, succi quantum satis est. Vtere, & miraberis. Aliud. Fimum columbinum panniculo linteo illigatum exurito, cineremq; cū uino tritum, aut cerato exceptum adhibeto. Aliud. Lupinorum madefactorum & coctorum, quales quotidie comeduntur, cortices in mortario tritos, unciæ pondere accipito, & cum ceræ sextante, ac olei quincunce colliquatis, commisceto ac utitor. Sed & hoc ambusta citò ad cicatricem perducit. Cerussæ, spumæ argenti, hordei usti ac triti, singulorum unc. I. ceræ quadrantem, rosacei aut myrtei dodrantem. Hordeum ad ceratum liquidum ammisce, & postea spumam argenti ac cerussam in mortario cum uino tritas adijce.

Ad flagellatos. Cap. LXV.

Pellem ouillam recens detractam & adhuc calentem flagellatis circūda, omninoq; intra unius diei ac noctis spatium sanabit. Cōfert & brassicæ succus affusus. Est & hæc irrigatio inflammationi arcendæ cōmodissima. Olei partes III. aceti partem I. surculorū anethi fasciculum I. Acetum & oleum assiduè per anethi fasciculum agitata coquuntur, ad aceti cōsumptionem. Deinde adijcitur cera, quanta satis est ad strigmentitiam compagem. potest autem ex hac irrigatione, etiam solidius ceratum præparari. Sed & Sphærium ad irrigationem efficax est, & reliqua quæ sequenti Sermone habentur emplastra, diluta uelut ibi ostendimus. At uerò aurigæ ad ictus flagrorum utuntur calce trita cum ouis crudis soluta, adiecto rosaceo cerato. Accipiunt autem calcis quadrantem, ceræ quadrantem, rosacei sextantem, oua cruda tria. Hoc medicamentum illinunt, & assiduè renouant. Ad uibices uerò flagellorum facit hoc, ceræ, terebinthinæ, spumæ argenti, butyri, thuris, mellis, æquales portiones, loco prius foto impone, & quotidie permuta. Aliud. Calcis uiuæ lotæ, succi solani, olei rosacei, pares portiones cōmitte, illine, & linteolum superimpone.

Ad desquamata. Cap. LXVI.

Desquamata appellantur, quando ex lapsu aut uiolenta aliqua offensa cutis auulsa est. Hæc ab inflammatione tutatur: Rhus ruber cum melle illitus, sideritidis folia trita, stratiotes herba in aquis nascens, cum aceto. Vtere & cerato ad intertrigines subscripto, & cæteris huiusmodi.

Ad intertrigines. Cap. LXVII.

Intertrigines ex calceamentorum attritu obortæ, dum dolorem excitant, pulmone suillo aut agnino calido apposito mitigantur, & ab inflammatione asseruantur. Item calceamento ueteri usto trito insperso. Aut succida lana, aut mali punici satiui flore, singulis ustis tritis inspersis. Aut acacia cum aceto illita. His uerò qui teneras carnes habent, emplastrum ex hordeo ad ambusta descriptum, & alia huiusmodi adhibeto. Sed & ad papularū eruptiones, intertriginesq; ac ambusta, efficacissimum est hoc. Recrementi plumbi quadrantem, ceræ trientem, adipis suilli recentis unc. I. olei myrtei lib. I. Ad cicatricē uerò inducendam absq; adipe præpara. Vtere etiam emplastro è psyllij succo, quod sequenti Sermone habetur, ex spu

ex spuma argenti, cerusa, & amylo paratum.

Ad contusa & sugillata. Cap. LXVIII.

Carne ab aliquo graui illapso contusa, & paruis in ea uenulis disparatis, sanguis per persultationem profunditur, qui sub cute collectus sugillationem appellatam efficit. Scopus igitur est curationis, ut sanguis sub cute cōtētus discutiatur, & hoc citò antequàm locus nigrescat. In principio aūt aliquid ex adstringentibus ad discussoria ammiscēdū est, quēadmodū Sermone octauo ad faciei sugillationes docuimus. Tunicæ enim uenarum contusæ, opus habent ut densentur ac firmētur, ne noua materia attracta ad locū allabatur, postea uerò solis discussorijs utemur. Sed & in principio scarificamus sugillata, atq; sic reliquam curationem facimus. Optime autem facit ad contusa, citrij mali pars interna cum oleo illita: aut linteū oleo cicino imbutum imponito, & miraberis.

De ruptione. Cap. LXIX.

Ruptio non in fibrosis, sed carnosis musculorum partibus soluta cōtinuitas existit, nunquam citra sanguinis effusionem contingens. Quæ à sinu differt, eò quòd nullum osculum ad humorum effluxum uelut sinus habet, proinde & in hac discussorijs utemur, ad ea quæ in rupto corpore continentur discutienda. Ad hoc autē idonea sunt medicamēta lassitudinē eximētia. Acopa Grǽcis appellata. Tale autē est quod ex populo nigra paratur, itemq; quod ex abiete, ac reliqua huiuscemodi. Omnino uerò ubi in profundioribus partibus ruptiones fuerint, acriora ac magis incidentia pharmaca adhibere oportet. Atq; ea de causa cucurbitę quoq; adhiberi debent. Si quidem igitur statim totus sanguis effusus, fuerit discussus, facile caro diducta coalescit. Si uerò diutius perseuerauerit, & sordes subnutrita fuerit, ruptio de cætero coalescere nō potest, labia solū inter se cōponūtur, ut ex leui occasione facile disparētur, & intermedius locus humore quodā repleatur, fiatq; quodam modo assidue sanguinis effusio, similis ei quę ab initio contingit.

De uulsione. Cap. LXX.

Vulsio fit fibris quibusdā distractis, quæ in mēbranis ac musculis cōtinentur. Et sola mitigatione opus habet, ut doloris exors maneat. Neq; enim fieri potest ut huiusmodi fibræ glutinentur, quū è sinuū genere sint, uelut etiā ruptiones. Est & huius affectiōis similis uelut ruptionum prædictarū curatio, ex discussorijs & citra molestiā siccantibus constans. Verū ad ruptiones ac uulsiones in profundo factas, in pectore uidelicet aut intestinis, aristolochia rotunda utiliter potatur, & si quicquam aliud, commoda existit. Similiter etiā centaureæ magnæ radix & succus. Itē rheon, costus, bdelliū, singula cū aceto mulso pota.

Ad luxatos articulos. Cap. LXXI.

Luxationes ex lubrica præsertim emotione factas, mitigat lana succida, aut spōgia noua aceto & oleo imbuta ac imposita, ita ut quies imperetur, & deligationes fiant ad ossium fracturas fieri solitæ, facit etiā ad easdem bulbus coctus cum melle, aut cerato liquido exceptus, & folia uiticis, & sal, ac nitrum assatū cū cerato, aut symphytū cū cerato, & urticæ folia cū sale, & heliotropiū, scorpiurum appellatum, & cinis sarmentorū cum axungia ueteri. Sed nihil præstantius est quàm emplastrū quoddam apponere ex his, quæ ad ossiū fracturas parantur, si eius copia detur.

Ad laxos articulos. Cap. LXXII.

Laxos articulos contrahit ac firmat acacię succus aqua dilutus ac affusus. Et spinæ Aegyptiæ fructus, rubi item ac myrti, & malicorij, ac foliorum quercus decoctū, & myrteum ac lentiscinum oleum assidue illitum. Et malicorium coctum & cerato myrteo exceptum, aut per se uino coctum tritū ac impositum.

Ad perniones. Cap. LXXIII.

A' pernionibus pręseruat sal cū melle tritum, manibus ac pedibus assidue inde perfrictis. Aliud, non modo præseruans, sed genitos etiā perniones curans. Citriorum magnorū internā partem acidam, reiectis seminibus diligēter terito, & cum adipe suillo uetusto ad cerati compagem redigito, & ad hyemis initium quotidie illinēs ex eo digitos, utitor. Aliud Oribasij. Sulphur uiuū cū melle cocto imponito. Aliud, facit etiam ad omnes feruidas eruptiones. Myrrhæ trientē, aluminis liquidi sextantē, aceti quantū satis est, præpara & pernionibus nō ulceratis, ac pruriginosis feruidis eruptionibus imponito. Aliud. Succi uuæ acerbæ lib. I. thuris dra. III. ceræ dra. XVI. coquito simul ad succi ferme cōsumptionē, deinde in mortario subige ac utere. Aliud, ualde insigne, ad reliquas quoq; inflammationes commodum. Cerussæ, spumæ argenti, aluminis liquidi, singulorum lib. I. myrrhæ, thuris, singulorum quadrātem, ouorū assatorum uitellos XVI. adipis suilli ueteris lib. I. Arida cum aceto terito, in quo malicoriū decoctum est, & ubi strigmentitiam compagem habuerint, adipē adijcito, ac simul probe subigito, & in plūbeo uase seruato. Vsu uerò postulante, rosaceo aut myrteo oleo diluito ac illinito. Aliud. Hyoscyami succus assidue illitus, eodē die inflāmationē ac dolorem sedat. Aliud. Alliū in oleo torreto, eoq; abiecto, & cera ad oleū addita, ceratum facito ac imponito. probe facit etiā amurca illita, & rhus coriarius. Cęterū irrigationes circū perniones cōueniunt. Radicis cyclamini decoctū, item rhois coriarij, betæ, ac lupinorū amarorū, marina aqua calida per se. Verū rapi decoctū reliquis omnibus præstat. Aliud, ad ulceratos perniones efficacissimū. Ceratū rosaceū in magno rapo ad ollæ similitudinē excauato, ad feruentē cinerē liquefacito, & adhibeto. Idē ceratū etiā in raphani radice liquefieri potest, faciūt & cācri fluuiatiles usti melle aut cerato excepti. Aliud. Vmbilicum ueneris & malicorium in uino coquito, & cerato rosaceo excipito. Aliud. Rutę, medullæ taurinæ, rosacei, æquas portiones unito. Hoc etiā ad ulcera antiqua facit, & articulorū ossa denudata. Aliud, perniones imminentes arcens. Atramēti sutorij, florum mali punici satiui, singulorum drach. IIII, aluminis scissi drach. IIII. myrrhæ, thuris, singulorum drachm. II. ceræ drachm. IIII. adipis suilli drachm. VIII. olei myrtei quantum satis est. Aliud. Aluminis scissi drachm. X. spumæ argēti drach. IIII. myrrhæ drach. I. ouorū albumina duo. Vino & oleo myrteo excipe ac utere. Aliud. Aluminis rotundi drach. IIII. calcis uiuæ drach. II. ceræ unc. I. rosacei aut myrtei olei trientē, præpara ac utere. Idem & ad attritus facit. Aliud. Spumæ argenti drachm. X. cerusæ drachm. III. ceræ drachm. XII. adipis suilli recentis drachm. XX. ouorum assatorum uitellos duos, pollinis thuris drach. I. Spumam argenti, cerussam, & oua cum aceto terito, deinde ceratum adijcito, ac præparatum seruato.

Vsus autem tempore cum rosaceo dilutũ adhibeto.

Aliud, perniones ac cicatricem ducẽs. Cõfert etiã ad papularum eruptiones, excoriatas intertrigines, & desquamata. Ceræ, adipis suilli, singulorum drach. VIII. spumæ argenti, corticis pinus, singulorum drac. XVI. mannæ thuris drach. VIII. rosacei quantum satis est. Quidam plumbaginem pro argẽti spuma sumũt. Oribasij Hexapharmacum. Ad perniones ulceratos. olei omphacini, taurini adipis, succi hyoscyami, singulorum lib. I. spumæ argenti sexuncem, colophoniæ trientem, mellis sexuncem.

Ad digitorum pterygia siue reduuias. Cap. LXXIIII.

Ferruginem cum aceto illine. Aut aluminis, sandarachæ, calcis uiuæ, diphrygis, æquales portiones impone, & linteolum uino imbutum ac mollem spongiam superimpone. Aliud. Squamę æris, malicorij, caricarum leniter assatarum, æquales partes melle excipe, & loco prius ex spissamẽtorum astringẽtium decocto rigato impone. Et quod de pterygio exarescit depurga. Aliud cito resiccans ac curans. Soreos usti, thuris, singulorum drachm. II. æruginis rasæ drach. I. cum melle tere, & super ipsum pterygium impone, facit & ad reliqua horum locorum ulcera maligna, nigredines & putredines. Oribasij zopyrios ad pterygia. Aluminis rotundi acetabulũ in fictili exurito, & ad tritum aceti cyathum, hoc est, sextantem ammisceto, & mellis quadrãtẽ, & hæc simul pterygijs imponito. Aliud bonum, cimoliæ tostæ drach. VIII. pumicis usti drach. IIII. æris usti, gallarum, singulorũ drach. II. præpara & utere. Aliud ad pterygia putrefacta, & ulcera pudendorum. Thuris drachmas quatuor, squamę æris drachm. II. æruginis rasæ drachmas IIII. Mellis quadrãtem, terito ad solẽ donec flauescant, & loco ex uino prærigato impone, & linteolum ex aqua expressum, ac spongiã superimpone. Ex huius usu magnũ successum habui. Aliud. Hoc per triduũ citra mordacitatem sanat. Caricarũ pinguium tostarũ, ut probe teri possint, drachmas duas, misyos cyprij drachmas duas, squamę æris drachmas duas, mellis quãtum satis est, præpara & utere, ac miraberis. Ego uerò squamam æris per se tritam adhibui, & linteolũ è uino expressum superimposui. Oribasij ad pterygia. Gallarum, auripigmenti, atramenti sutorij, æquales portiones unito ac utitor. Aliud. Aeruginis dra. IIII. mannæ siue pollinis thuris, sulphuris uiui, sing. dra. II. Vtere etiã pastillo Musæ uelut admirãdo, linteũq; è uino expressum superimpone. Aliud ad pterygia experimento constans. Gallam non perforatam cum carie ligni quercini tritam insperge.

Ad paronychias, id est, unguiũ abscessus. Cap. LXXV.

Ad paronychias incipiẽtes priusquã suppurẽtur, siue ĩ manuũ siue pedũ digitis fuerint, lanã ex aqua frigida ĩbutã imponito, aut ꝑ linteolũ ex aqua expressũ assidue refrigerato. Aliud. thus & gallã cũ melle trita, simul aut seorsim imponito. Aliud. folia myrti trita inspergito, aut ceratum myrteũ imponito. Aut sordes auriũ assidue illinito, & sanabis. At si fuerint inflãmatę, panẽ aqua madefactũ cũ rosaceo adhibeto. Aliud. Oliuæ folia tenera imponito. Aliud. Cadmiam tritam inspergito. Oportet autem carnem undiquaque ab ungue disparare, linamentis conuulsis, è linteo interpositis, & probe adhibita medicamenta alligare. potest etiam Spodium simili modo inspergi. Aliud, ad paronychias exulceratas. Aeruginis, spumæ argenti, sing. drac. IIII. sarcocollę drach. I. terito & large inspergito. Aut farinam erui adhibeto. Carnem item eodem modo uelut dictum est disparato, & linteum ex uino expressum, itemq; spongiam uino imbutã superimponito. Hoc ego sæpe uti soleo. Aliud, quo utor. Nitri, squamę ęris, pumicis usti, sing. unc. I. cimoliæ quadrantem. Omnia cũ aceto & modico melle terito, & pastillos formato. Vsus aũt tempore aqua diluito, & adhibeto linteo exceptum. Vtor etiam pastillo insigni, quẽ Iridem uocãt, cum uino diluto, qui sic præparatur. Aluminis liquidi drach. centũ, croci, myrrhæ, singulorum dra. VIII. Quidã etiam aloẽs drach. VIII. adijciunt. Subigito ac formato pastillos, ac utitor cum uino, & linteum ex uino superliga, prodest & Musę pastillus, ac reliqui eius generis. At uerò depascendo iam proserpentes sistes, auripigmẽto usto trito ubertim insperso, & linteo è uino expresso superimposito. Ego uerò sandaracham & auripigmẽtum, æquis portionibus simul trita adhibeo. Et si cicatricem inducere oportet, eadem terebinthina liquida excipio ac adhibeo. Quòd si suppuratæ fuerint paronychię, primum ipsas perforabis, & humorem exprimes, & deinde lenticulam cũ melle impones. Aut rosas uirides, aut siccas aqua madefactas, tritas adhibebis.

Ad contusos ungues. Cap. LXXVI.

Myrtei & mali punicæ folia tenera impone. Aut felle tauri euacuato, in ipsam fellis uesicã unguem indito, ac sinito donec perfecte sanetur. Aliud. Sal fossile cũ aqua & oleo tritũ illinito. Est enim efficacissimũ.

Ad subcruentos ungues. Cap. LXXVII.

Picem siccam liquefacito, & cum farina mixtam apponito, præstat tamen subcruentatum unguem in medio perforare, ac cruorẽ subterlapsum exprimere. Si enim perstiterit, putrescet, & ulceris difficulter curabilis causam exhibebit.

Ad motos ungues. Cap. LXXVIII.

Vngues ex aliqua offensa motos, & pũgitiuo dolore affectos, caricæ cũ melle tritæ mitigant. Quòd si dimidium unguis exciderit, nitrũ aut salem cum pari fellis uitulini mensura misce, adhibe, & sanabis.

Ad scabros ac leprosos ungues. Cap. LXXIX.

Adipem ouillum emollitum, & super linteũ extẽsum adhibeto, ac tertia die soluito, & si mollem unguem repereris deradito, & eundẽ rursus imponito, & tertia die solutũ similiter deradito. Atq; hoc tandiu facito, donec integra sanitas accedat. Aliud. thus tritum adipe ouillo excipe, ac utere uelut dictum est. Aliud ualde bonũ. Alumẽ scissum anserino adipe excipe ac utere uelut dictũ est. Aliud, ex cuius usu successum sentio. Mastichen chiam in aquam feruẽtem coniectam ac emollitam, ungui impone ac obliga, & tertia die solue, & deraso ungue rursus impone, atque hoc facito usque ad perfectam restitutionem. Aliud. Hordei farinam cum pice ad emplastri formam coquito ac imponito, uelut dictum est.

Aliud. Gummi drachmas sex, lacrymæ oleastri drachmas quatuor, atramenti sutorij drachmas tres: Gummi & lacrymam aceto diluito, & adiecto atramento sutorio in olla ad prunas ad compagem coquito, & derasis unguibus apponito, & alligato, ac tertia die soluito, & ungue deraso rursus imponito,

ponito, idque tandiu facito donec unguis excidat. Aliud. Auripigmentũ colore aureo, & sandarachã, æquis portionibus probè terito, & terebinthina ad emplastri formam excipito, & imponito, ubi prius per unũ atq; alterum die, farinam ordeaceã cum aceto & syluestris cucumeris radice tritam adhibueris. Tertia uerò die similiter soluito, ac tandiu repetito, donec unguis excidat. Cauendum est autẽ ne locus oleo attingatur. Aliud. Sandarachæ, auripigmenti, chalcitidis, myrrhæ, thuris, singul. drac. II. farinæ lolij dra. VI. terebinthina excipito & adhibeto. Aliud, auferens ungues citra exulceratione͂. Bituminis dra. II. sulphuris uiui, sandarachæ, auripigmenti, singul. dra. I. Excipe terebinthina & utere, ac per septimum diem solue, derasoq; ungue, rursus nouum impone, atq; ubi unguis exciderit, ceratũ myrteum, cui aliquid eiusde͂ medicamenti admixtum est, applica. Aliud. Calcem uiuã cum oleo, aut mastichen cũ opobalsamo imponito. Postquàm autẽ morbus occalluit, & præscripta medicamenta nihil proficiunt, excoriatoria nunc referenda statim adhibeantur. Excoriatorium leprosi unguis, callos, uerrucas & clauos auferens. Cantharidas numero XV. sulphuris uiui, chalcitidis, singulorũ drac. I. allij depurgati nucleos IX. omnia probè trita terebinthina excipito. Vsus autẽ tempore partes ungui uicinas miti aliquo medicamẽto munito, & excoriatoriũ hoc pelliculæ uesicæ bubulę illitũ adhibeto, & postridie soluito, bullasq; exortas rũpito, & si subiacentibus locis sordes inhæserint, panẽ cum aqua mulsa, aut lenticulã cum melle illinito. Et deinde ulcera repurgata, cerato ex anserino adipe, thureq; ac cerato parato, curato. Aliud excoriatoriũ. Nasturtij, sinapis, sulphuris uiui, nigellę, cãtharidũ, atramẽti sutorij, æquales portiones ex aceto probè tritas terebinthina excipito, & uelut diximus utitor. Aliud, Oribasij leprosos ungues exterẽs. Propolis, cerę, bituminis, sing. dra. II. sulphuris uiui dra. I. præpara, & oleo, ne inquinetur. Vsu autẽ expetẽte, calefactũ unguibus imponitur. Aliud eiusdẽ. Atramentũ sutoriũ & sulphur uiuũ sufficienter uisco excipe, & corio inductũ adhibe. Aliud. Picem liquidã, ceram, colophoniã, ammoniacum thymiama æqualiter misceto ac imponito. Aliud. Ceræ, colophoniæ, terebinthinæ, sulphuris uiui, staphidis agrestis, nitri, singul. dra. II. sandarachæ, cãtharidum, singulorum drach. I. cedriæ quantum satis est.

Ad reparandos ungues. Cap. LXXX.

Myrrhæ drach. VIII. aluminis scissi drach. IIII. panis hordeacei sicci drach. I. excipe melle & impone. Aliud, ad ungues ægre orientes. Betæ agrestis semen cum aceto tritũ imponito. Aliud, poliũ cum adipe uitulino & terebinthina tritum adhibeto.

De anulis, digitis impactis. Cap. LXXXI.

Anuli aliquando digitis impinguntur, quum circulus ipsorũ angustior, uiolenter illorũ partibus crassioribus fuerit adactus, atq; hoc tum maxime contingit, quum homo cibo ac potu distẽtus, prona ac pendula manu sopitus decubuerit. Ita enim manuũ extremitates longè magis intumescunt, quàm si erigãtur. Aqua igitur & oleo, aut maluę decocto, manus largè perfundatur. Nam parca perfusio tumorẽ magis auget. Deinde anulus leuiter uersatus detrahatur. Quòd si perfusio nihil effecerit, filum crassius cõtortum accipito, & alterũ eius caput sub anulum ponito, & reliquum totum digito laxe circumligato, & postea caput fili anulo suppositum sursum trahito: filo enim attracto, anulus deorsum procedet. Quòd si neq; sic successerit, specilli partem latiorem sub anulũ submittito, & anulũ utrinq; propè sigillum per spatham incidito, & filo lineo utrinq; circundato anulũ attrahito. Et consequenter lanam uino & oleo imbutam mitigandi gratia adhibeto.

Ad clauos. Cap. LXXXII.

Clauus rotundũ est tuberculum, album, claui capiti simile, plerunq; in calcaneis ac plantis pedũ enascens, & in gradiendo dolorẽ inducens, ad durioris alicuius rei occursum. Sed & in summis manuum digitis sæpissime oriri solet. Huius itaq; tollendi gratia sectionem & ustionẽ recusamus, quoniã hę partes neruosæ sunt ac subtili sensu præditæ. Vtimur autem ustorijs medicamẽtis huiusmodi. Cantharidum pectuscula XV. sulphuris uiui, chalcitidis crudę, ammij, sing. obolos. III. Singula seorsim terito, & pice liquida siue terebinthina ad emplastri formã excipito, atq; utitor hoc modo. Caput claui & circũsitum eius ambitũ deradito, & spleniũ inflãmationi arcẽdæ idoneũ, glutinosum, in medio excisum, quãtum claui totius ambitus patet, adhibeto, & tũc splenium ex relato medicamẽto sup ipsum clauũ, ad glutinosi splenij cæsurã imponito, & forinsecus charta integito, ac rursus aliud linteolũ custodię gratia superligato, atq; ita per biduũ aut triduũ, ægrũ quietũ dimittito, ideq; sæpe repetito, donec clauus à subiecta carne prorsus discesserit. Clauo uerò sublato deraditur plãta, & rursus adhibetur emplastrum, donec ulcus fuerit explanatũ. Aliud. Deraso prius ac repurgato loco, sicut diximus, succũ cyrenaicũ, uel si is desit, laser cũ nitro ficus pinguissimę carne, uel terebinthina excipito ac imponito. Aliud. Lupinos crudos ustos melle excipe, & circũraso ac depurgato clauo impone. Aut gallinaceũ stercus ustũ melle exceptũ, aut nigellã cũ aceto tritã, eodẽ modo adhibe. Aliud. Clauum circumcirca repurgato, & succum cyrenaicum probe tritum, aut laser ubertim adhibeto, & deinde splenium è melle eodemq; succo illitum apponito. Hoc etiã ad strumas facit. Aliud. Rpurgato clauo fabam fresam, aut lomentum fabaceũ aceto coctum apponito. Idem ad cicatricem perducit. Aliud. Clauo repurgato atramentum sutorium leuissime tritum inspergito, & linteo alligato. Aliud, clauos è manibus ac pedibus tollẽs. fimum columbinum in acerrimo aceto ad cerati compagem coquito, & clauo repurgato imponito. Et per biduũ aut triduum funditus tollet, aut circumraso ac repurgato clauo, ex erodentibus medicamentis suprà relatis aliquod adhibeto. Aliud, clauos digitorum citra molestiam auferens. Mastichen nigram Aegyptiam in aceto coquito, atque ita calidam adhibeto.

Ad plantarum rimas. Cap. LXXXIII.

In plantis quoque rimæ oriuntur, gradientes magis infestantes. Planta igitur assidue scalpi debet, & hæc medicamenta adhiberi, picem liquidã ammixta cera, ita ut ceræ pars una sit, picis uerò liquidæ duæ, illinito. Aliud. Scillæ medullam in oleo coquito, & cum terebinthina tritam imponito, aut etiam abiecta scilla, terebinthinam in oleo liquato, ac utitor. Aliud. Cancrorum fluuiatilium ustorum cinerem cum melle subactum impone, uel oleo dissolutum

rimis præscalptis instilla. Aliud. Malicorium aceto coctum per dies quinque imponito, indéque purgatis calcem cum oleo adhibeto. Aliud. Cornu caprini usti cinerem liquida pice aut terebinthina excipito ac utitor. Aliud. Amurcæ in æneo uase ad mellis compagem coctæ cyathum unum, aceti cyathum unum, squamæ æris, pollinis thuris, singulorum drachm. duas, lanæ succidæ teneræ manipulum unum. Lanam tædæ obuolutam urito, ac reliquis aridis ammisceto. Amurcam uerò cum aceto ad mellis compagem coquito, & illis adijcito. Vtere hoc ad uulnera quidē cum uino dissoluto, ad plantarum uerò ac pudendorum affectiones cum passo. Aliud ad pedum rimas, porcinum adipem sale inueteratum calidum asiduè instilla. Aliud. Spumam argenti, colophoniam, mel, oleum, æquis portionibus præparato. Hoc etiam ad reliqua caua ulcera facit. Aliud, ad pedum rimas, quod labiorum quoq; duritiam emollit. Cerussæ drachm. II. spumæ argenti drachm. X. myrrhæ drachm. I. ouorum cādida II. Vino odorato paulatim instillato terito ac utitor. Mihi uerò etiam oleum adijciēdum uidetur, ut pinguis compages fiat. Et ualdè probo commune illud quod è melle paratur, & mellis, ceræ, olei, spumæ argenti, æquales portiones recipit. Nam hoc ad omnes pedum ac manuum exulcerationes facit, siue in uola, siue intra digitos fuerint, & præsertim si propè ungues extiterint. Ad calcaneorum præterea intertrigines ex calceamentorum attritu obortas, & ad attritus ex longo decubitu factos, quales sæpe in cubitis ac coxis uisuntur eorum qui diutino morbo laborauerunt. Hoc medicamento sæpe prosperè usus sum. Neque enim simile habet, præsertim ad os sacrum & femora ex longo decubitu attrita ac ulcerata. Aliud floridum, ad rimas. Calcis uiuæ drachm. X. cerussæ drachm. XX. ceræ drach. XXX. adipis suilli recentis septuncem, colophoniæ dodrantem, succi seminis lini cyathum unum, olei dulcis quincūcem. Cerussam & calcē cum succo terito, & ad ceratum frigefactum ammisceto, & loco prius repurgato adhibeto. Hoc præ omnibus teneram plantam efficit. Ad reliqua uerò ulcera ob fœtorem improbatur. Aliud. Amurcæ, mellis despumati, singulorum drac. II. aluminis phorimi drac. I. Hoc etiam gingiuas purgat ac firmat.

De crurum ac reliquarum partium uaricibus.

Cap. LXXXIIII.

Varices appellātur uenæ dilatatæ, quæ aliquādo circa testes, aliquādo circa crura ampliātur. Sed qui in testibus fiunt, chirurgiā difficulter admittunt. Qui uerò alibi consistunt, hoc modo curari solēt: primum simplex sectio fit cutis uasi adiacentis, deinde uas ab ambiētibus corpusculis separatum cæco uncino attrahitur, ac lineo funiculo supernè deligatur, & non aliter quàm in uenę sectione fieri solet uas inciditur, & euacuato sanguine quantum opus esse uidetur, superior pars cōstringitur, & postea totum quod ampliatum fuerat amputatur, peracto opere sectio polline thuris impletur, & splenio ac linteo imposito deligatur. Aeger autem quiescere iubetur, seruato accliui partis situ, ne si decliuis iaceat, humores ad ipsam confluāt, postea curationis ductus ad puris generationē dirigitur, & reliqua cura ulceribus communis adhibetur. Atq; hæc compendiaria ac secura curatio est. Quidam uerò ustionem malunt, & per lati digiti spatiū cauteria uasis adhibent. Et ubi crusta exciderit, ulcusq; incarnatum ac cicatrix inducta fuerit, locum roborant. Alij uarices incipientes talibus medicamentis prohibere conantur. Emplastrū citra molestiam resiccans, etiamsi ulcera manantia in ipso uarice fuerint. Bituminis iudaici sesquilibrā, olei uetustissimi bessem, terebinthinę liquidæ septūcem, sulphuris uiui trientem. Bitumen ad cicerum magnitudinem crasiius contusum, in oleo donec liquescat, coquito, deinde adiecta terebinthina simul coquito, donec non amplius inquinent, & sublato ab igne medicamēto sulphur tritum inspergito, atq; simul omnia in mortariū frigida aqua plenum inijcito, & probè subactis utitor.

De brachiorum ac crurum dracunculis, Leonidæ.

Cap. LXXXV.

Qui appellantur dracūculi, lumbricis similes sunt, & aliquando magni, aliquādo parui reperiuntur, frequentius quidem in cruribus, quandoq; uerò & in musculosis brachiorū partibus cōsistentes. Nascuntur autē hi in Aethiopia ac India in pueris pręcipuè, estq; ipsorum generatio nō dissimilis lumbricis latis uentris. Sub cute enim mouentur nihil molestiæ afferentes, uerum temporis progressu circa dracunculi extremitatem locus suppuratur, & cutis aperitur, ac dracunculi caput exeritur. Quòd si dracunculus attrahatur, uehementem dolorem inducit, præsertim si nimia tractus uiolentia fuerit ruptus. Nam quod relinquitur, molestissimos dolores infert, proinde ut ne recurrat animal, ualido filo brachiū cōstringere oportet, & quotidie hoc molliri, ut dracunculus paulatim progrediens constrictione quidem intercludatur, nequaquam autem abrumpatur. Locus item aqua mulsa, & oleo in quo absinthium aut abrotonum coctum est, aut alio quodam ex his quę ad alui lumbricos descripsimus, irrigandus est. Omnia tamen acria uitanda, propter periculum inflammationis. Cataplasmata quoque laxatoria ac suppuratoria è farinis cum aqua mulsa & oleo præparata adhibeantur. Quòd si dracunculus sponte progrediens facilè extrahi poterit, nihil amplius faciendum est. Sin ad suppurationem uertetur, à cataplasmatis, & aquæ mulsæ ac olei rigatione nō est discedendum. Nos uerò emplastrum è baccis lauri, post cataplasmatum ablationem, imponere solemus: facta uerò suppuratione, cutis per longitudinem dissecetur, & dracunculus denudatus auferatur, & cutis linamentis inditis disparetur, & reliqua curatio suppuratoria adhibeatur, ita ut animali suppurato & extracto, ulcus incarnetur & ad cicatricem perducatur.

FINIS.

INDEX EORUM QVAE IN DECIMO QVINTO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBVS MEDICINAE TETRABIBLI SIVE QVATERNIONIS QVARTI SERMO TERTIUS, ET EX ORDINE XV.

De tumoribus laxis itemq; duris, & de strumis, & emplastrorum multi usus compositione.

De tumoribus laxis. Cap. I.



QVEMADMODVM ab influxu bilioso erysipelas, hoc est, ignis sacer, ita à pituitoso tumor laxus, quẽ œdema Greci uocãt, generatur. Est aũt tumor hic citra dolorẽ, flatuosũ spiritũ continẽs, uelut à uaporoso humore ꝓgnatus. Solẽt etiã aliter tumores laxi fieri, circa pedes præcipuè, in hydrope, ac tabe, & malo corporis habitu, q si digitis premãtur, cauus locus fit. Et hi in qbusdã etiã faciẽ occupãt. Verũ hi tumores accessio sunt aliarũ affectionũ, & nullã ꝓpriã ac precipuã curã reqrũt. Sufficit em̃ ipsis frictio, aliquãdo ꝑ acetũ ac oleũ rosaceũ ꝑmixta, aliquando ꝑ oleũ & salẽ, potest etiã sal ad acetũ oleo rosaceo permixtũ adijci. At si ob pituitosi humoris influxũ in parte aliqua laxus tumor cõsistit, spõgia posca imbuta ac imposita, & leui adstrictiõe alligata, q. ex infernis partib. initiũ sumat, & in supnas desinat, affectionẽ quãdoq; sedauit. Oportet autẽ spongiã esse nouã, si uerò talis nõ adsit, expurgãda est nitro uel spuma nitri, & lixiuio. Quòd si neq; sic tumor deprimatur, parũ aluminis ad poscã adijcies. Aptum est & Tarsicũ ellychniũ, aut aliud mollissimũ, eodẽ humore imbutũ ac impositũ. Cõfert & glauciũ, & collyriũ ex eo paratum. Sordes itẽ lucernarum aqua mulsa dilutæ utiliter adhibẽtur. Cæterũ diuturnos tumores laxos oleo præillitos, & spõgia noua ex lixiuio superimposita uiolẽtius cõstrictos sanabis. Discutit itẽ ac cõpescit laxos tumores terra omnis illita, & præsertim quæ in lẽtibus reperitur ad salẽ adhibita, uelut Sermone secũdo retulimus. Itẽ isatis hortẽsis ac satiua.

De inflatione. Cap. II.

Flatuosus spiritus aliquando sub cute, aliquando sub pelliculis ossa aut musculos ambiẽtibus, colligitur, & inflationẽ parit. Aliquando etiã circa uiscera uentremq; ac intestina coaceruatur. Si itaq; uiscera inflata fuerint, satis cõstat, ex uitioso uictu malũ esse obortum. In musculis autẽ cõtingit præcedẽte plerũq; contusione. Suntq; huiusmodi musculorũ affectiones curatu difficiles, quoniã in omnes fermè musculi partes flatuosus spiritus dispergitur, constringiturq; ac intercluditur ab ambientibus pelliculis, & plurimis alijs corpusculis usque ad cutem pretensis. Ad uentris ergo ac intestinorum & uiscerum inflationes, oleum tenue efficax est, in quo ruta aut cyminum, aut apij semen, & alia attenuantia ac calefacientia coctum est, si aut irrigetur, aut per clysterem infundatur. Magna etiam cucurbita circa umbilicum absque scarificatione apposita, tam citò hominem à molestia liberat, ut admirabilis sit ea celeritas,

& incantationi similis. At uerò musculis ex contusione inflatis, ex calidorũ & acriũ usu partes exacerbãtur, & auctis inde inflãmationibus musculi magis læduntur, ac dolores intẽduntur. Mixtas itaq; facultates habere oportet ea, quæ inflatis musculis adhibẽtur, præsertim si cõtusio fuerit aliquãtulũ inflãmata. Quapropter in principio mitigatoria augẽda sunt. In declinatione uerò discussoria. Neq; repentè ab alteris ad altera trãseundũ est. Sed paulatim mitigatorijs detractis, discussoria augebimus. Mitigatoria uerò in huiusmodi affectionib. sunt, sapa, & œsypus, modico oleo adiecto. Discussoria autẽ acetũ, nitrum, spuma nitri, & lixiuiũ. Et in principio quidẽ solã sapam cũ modico oleo, & aliquãdo uino adhibemus, ut ne omnino repellendi ui careat, & hæc omnia succida lana excepta. Quę si nõ adsit, œsypũ reliquis quacunq; lana exceptis ammiscemus, præ omnibus uerò curãdum est, ut hæc calida permaneãt, neq; sinãtur donec frigesiãt, forinsecus itaq; calida lana adhibeatur, & ubi calorẽ eius æger amplius non percipit, noua statim applicetur. Mitigato autem ægroto, acetũ ac nitrũ ammiscebimus, copia ipsorum paulatim aucta. At uerò neglectas & antiquatas inflationes, primũ lixiuio fouebimus, deinde emplastrum quoddam molliens ac discutiẽs imponemus. Quale est hoc. Strigmẽta feruefacta excolato ut pura fiant, & rursus in ollam mittito, & calcem uiuam uelut farinam tritã infarcito, ut lutosa cõpages medicamenti euadat, & utitor. Hoc uerò adhuc efficacius est pharmacum ex sycomoris compositum.

De *tumoribus induratis*. Cap. III.

Indurati tumores laxis opponũtur. Laxorũ enim nota est, ut appressis digitis cedant & cauus locus fiat. Durorũ uerò tumor ptinax est, & ad tactũ renitẽs, & ad sensus difficultatẽ inclinat, ut tandem hi loci in quib. est, sẽsus exortes fiãt, & ad ossis duritiã peruenĩant, & nullã oĩno curationẽ admittant. Sed & pili in ipsis oriri soliti, minimè nutriũtur, & exactè glabri fiũt. Duri itaq; tumores aliquãdo statim ab initio cõsistũt ac augẽtur. Aliquãdo uerò à medicis inducuntur, q inflãmationes ac erysipelata uehemẽter pfrigerarũt ac adstrinxerũt, quũ tamen trãsacto principio discussoria adhiberi debeãt. At uerò q ex erysipelatis fiunt, cutis duritiã saltẽ pręse ferũt. Qui uerò ex inflãmationib. succedunt, subiectas etiã carnes inuadũt, tanto pfundius quãto inflãmationes erysipelatis sunt profũdiores. Inchoãtibus ergo duritijs, & debilẽ aliquẽ sensum adhuc habentibus, medicamenta emolliẽtia adhibebimus, quæ simul moderatè etiã discutiunt, & talia sanè sunt quæ & molliẽdi ac diffundendi uim habẽt. Nã quæ uehemẽter discutiunt, & sine mollitione statim euacuant, manifestè quidẽ tumorẽ imminuũt, reliquias uerò affectionis incurabiles efficiũt. Discussis enim tenuiorib. humoribus quod exactè terreũ ac solidũ est ptinaciter restitat, quapropter in hũc usum medicamẽta adhibẽda sunt, quę molliẽdi simulq; discutiẽdi uires habẽt. Primũ igitur molliẽtib. utemur, deinde ad discussoria pcedem⁹, eaq; molliẽtib. paulatim miscebimus. Cõsiderãdus tamẽ est & curãdi corporis habit⁹, & affectionis status quantũ processerit. Hęc uerò si rectè cõsideraueris, cõiecturalẽ qdẽ, non tamẽ penitus arte carẽtem, peritiã acquires. prima em̃ die statĩ mollientia adhibebis, altera deinde aut tertia trãsacta, facilè intelliges an augere aut remittere medicamenti uim oporteat, præstat autẽ tum ad hos usus, tũ ad reliquos, si rectã curationẽ peragere uelimus, opposita medicamenta, ualidissima uidelicet ac mitissima, pręparata adseruare, quò pro affectionũ diuersitate, diuersæ mixturę fieri possint. Ad duros itaq; tumores molliẽdos caprinus bubulusq; adeps cõmodus est. At sicut taurinus ac hircinus ualidiores sunt, ita hœdinus ac uitulinus imbecilliores, & suillus debilissimus. Sed his omnibus præstãt ad discutiendum, non autẽ molliendũ, leoninus, pãtherinus, hyænæq; ac anseris. Gallinaceus autẽ inter suillũ ac anserinum medius est. At inter medullas prima est ceruina, deinde uitulina: Cæterũ resinę odoris nõ acris, his medicamẽtis ammixtæ uiscositatẽ exhibent, nec tamen molliẽdi uim auferunt. Cõmodissima uerò omniũ resinarũ est terebinthina, quæ chia appellatur, & laricis resina, liquoris compage nihil ab illa differens. Deinceps uerò pinea & abietina. Verum sicciores, qualis est resina pinus arida, physema priuatim appellata, nimiũ siccant. Et propterea ad emolliẽtium medicamẽtorũ cõpositionẽ inutiles sunt, sed terebinthina ac laricina eligendæ. Pix quoq; Brutia quum eiusdẽ facultatis sit, in eosdẽ usus recipi potest, sed aridiorẽ reprobamus, sicut etiã bitumen. Habet & mastiche chia uim emolliendi, Aegyptia uerò mastiche nigra emollit qdẽ, sed magis siccat ac discutit. Thus insuper nõ expers est facultatis molliẽdi, itemq; fœni græci semẽ, hoc enim coctũ mollire potest, quanquã thus quoq; in mollitorijs medicamẽtis paululum est coquendũ. Eiusdẽ ordinis sunt & balneorũ strigmẽta, butyrũ, altheæ decoctũ. Media uerò inter lenia & ualidissima propolis est. Validissima autẽ appello, ammoniacũ thymiama, bdelliũ, præsertim Scythicũ resinosum, & colore nigricãs: styracẽ maximè pallidũ, qui calamites uocatur, flauum item ac pinguem. Galbanum enim & opopanax supra uim discussoriam, etiam molliunt. Verum galbanũ molliendo, opopanax discutiendo præstat. Atque huiusmodi sanè molliẽtium medicamentorum materia est. Tu uerò libros adeptus medicamentarios, singulorum compositorum uires ex simplicibus expendes, quò uarias pro maioris ac minoris ratione ipsorum differentias cognoscas, & corporum simul ac affectionum differentias consideres, atq; ita fortia fortibus, & mitia debilibus adhibeas. Inter curandum autem affecta pars oleo calido foueatur, & glutinosa medicamenta apposita antequam sponte decidant, ne remoueantur: imò etiamsi lauandus sit æger, omnino permittẽda sunt. A' balneis tamẽ medicatis abstinentiã cõsulo, præsertim quæ aluminis, aut sulphuris, aut æris qualitatẽ ammixtam habẽt. Hæc enim huiusmodi affectibus aduersantur. Et hęc profectò sufficere possent ingeniosis, & in artis operibus aliquatenus exercitatis uiris. Verùm quum non omnes tales sint, medicamẽta quoq; usu & experimentis cognita explicare oportet, initio sumpto ab his quæ summã molliendi uim obtinent, & paruis etiã inflãmationibus commoda sunt, quę aliqua duritia participãt. Horum autem simplicissimũ est parhygrum appellatum, ex cerę, butyri, & colophoniæ æquis portionibus cõstans. Deinde quod Mnasææ, inscribitur, & reliqua eiusmodi. Item helladicũ mollitoriũ, & quod ex perna præparatur, & quod Lucio inscribitur, ad anchilopas & reliqua quę paulò inferius in hoc Sermone habentur.

Tendinum

Tendinũ ac ligamẽtorũ induratorũ curatio. Cap. IIII.

Tumorum equidẽ induratorũ emollitio ac discussio prædictis medicamentis perficitur, quæ emollictia appellãtur. Quũ uerò partes quedã natura rariores, quedã densiores sint, consequens est ut singula proprijs medicamẽtis priuatim opus habeãt. Quapropter ad tendines ac ligamenta præstabilius esse iudico, ut mollictibus medicamẽtis aliquid adiungatur, quod incidendi uires habeat, inter quæ precipuũ est acetum. Affecta itaq; parte cõmodis medicamentis pręmollita, huiusmodi fomentũ sæpe habuit successum. Acerrimo aceto ignitum lapidẽ pyritẽ, si haberi potest, aut molarem, ex quo molas faciunt, restinguo. Deinde ad excipiẽdum substrati lapidis calidũ uaporẽ ab asperso aceto emergentẽ, ligamẽtum siue tendinem induratum adhibere iubeo ac cõmouere. Hinc enim mirificè opẽ sentit. Et postea rursus medicamẽtum mollitorũ impono, & paucis interpositis diebus, idẽ fomẽtum rursus repeto. Sæpe enim in hac ligamẽti aut tendinis admotione ac cõmotione, ita ab eleuato uapore duritia resoluta est, ut res incãtationi similis uideretur. In principio tamen affectam partem nõ aqua, sed oleo plurimo quotidie largè perfundo. accipio autẽ oleum dulcissimũ adstrictione penitus carens, in quo interdũ fœnũ græcum, & altheę ac cucumeris syluestris radicẽ, uel alicuius consimilis coquo. Vtor præterea aceto etiam ad alias partes, quæ iam diu medicamẽta alia expertæ sunt. Scio enim esse quædã medicamẽta ex aceto parata, quæ post mollientiũ usum per integrũ diem imponere soleo, deinde rursus mollientia adhibere, & paucis interpositis diebus, rursus ex aceto pręparata imponere. uis enim aceti per interualla locis iã pręmollitis admota, crassos ac uiscosos humores incidit ac dissoluit, & hinc tales affectiones nõ leuiter iuuat. Verũ si quis adeò fortiter discutientibus plus æquo usus fuerit, præsertim in principio, tenuiores quidẽ humores discutiet, residuũ uerò ad lapideam naturã mutatum, loco impactũ persistet, supra hoc quòd nimius etiã eorũ pharmacorũ usus, neruorũ essẽtiã lædit. Quapropter neq; freqẽter, neq; ab initio, neq; duobus cõseqẽter diebus, medicamẽtis cũ aceto pręparatis, ad ligamẽtorũ ac tendinũ duritias, utẽdũ est. Lienis tamen partibus induratis, tutus & cõmodus ipsorum usus est. Et multi sanè indurato lienis tumori, ammoniacũ thymiama cũ aceto subactum adhibẽt, & hoc solũ sæpe ad splenis indurati curationẽ sufficit. Ego uerò etiã carnosarũ partium musculis induratis, inter molliẽtia medicamẽta, ammoniacum cũ aceto adhibere soleo, & summã eius cõmoditatem depræhendo. At hoc etiã hic una tantum aut altera die adhibẽdum est, & deinde ad molliẽtia reuertendũ: et pluribus diebus interiectis rursus ad medicamentũ ex aceto trãseundũ, siue ammoniacum id sit, siue aliud quoddã emolliens cũ aceto præparatũ. Molliẽs autẽ esse oportet, quod cũ aceto paratur: siccãtia enim primũ quidẽ prodesse uidentur, sed residuum postea incurabile efficiunt. Proinde inter emollientia freqẽter hoc cataplasmate uti soleo. Altheæ radicem tritã ac angustissimo cribro excretã, adipe excipio ac appono. est enim medicamẽtum ad huiusmodi affectiones efficax. Sit autem adeps anserinus, si haberi poterit: sin minus, gallinaceus. At si hic quoq; desuerit, suillo utemur. Sed & maluæ agrestis ubique nascentis folia aliquo relato adipe subacta utiliter apponuntur, quæ si moderatè fuerint cocta, crudis erunt præstantiora. Talia enim pharmaca locis iam præmollitis adhibita, citra mordacitatem ac tutò discutiunt.

De strumis, Leonidæ. *Cap. V.*

Strumas appellant Gręci chœradas, à porcis, in quorũ gutture adenosi quidam tumores reperiũtur, strumis similes. Alij à multiplici partu porcorũ nomen desumptum putant. Sunt autem strumæ carnes subcandidæ, facilè augescentes, in membrana contentæ, & in summa, glandulæ induratæ, quæ in collo, sub alis, ac inguinibus oriuntur, ubi glãdulæ uasis substratæ sunt. Aliquando etiam, sed tamen rarò, ex carne eorundem locorum fiunt, quæ affinitate quadam ad strumarum naturam uertitur, & materiæ accessione augetur. Differunt strumæ inter se, magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, & uasorũ complicatione. Magnitudine, quia aliæ paruæ, aliæ mediæ, aliæ magnæ, aliæ ingentes sunt. Natura, quoniam aliquæ mãsuetæ, aliquæ malignæ cõperiuntur. Mansuetæ citra inflãmationem, citra dolorem, moderatam duritiã habent. Neq; enim molles sunt uelut tubercula adiposa, Steatomata appellata, neq; durę, sicut tumores indurati, sed mediã quandam tactus proprietatẽ habẽt, & tumorẽ circumscriptum, rotundum ac æqualem. Malignæ uerò strumæ inflammationes ac dolores pulsantes inducunt, & tumorem inæqualem præ se ferunt, in quo uasa prominent, & ad manuum cõtactum ac medicamentorum impositionẽ efferantur. Loco autem differunt, quoniam quædam in anteriore colli parte, quędam ab altera ipsius parte, quædam ab utraq; oriuntur. Quædam item statim sub cute superficiem habent, quædam circa magna ac nobilia uasa penitus insidẽt. Ortu, quod quædam uelut eleuatæ, quædã insertæ oriuntur. Et eleuatæ quidem facilè huc & illuc mouentur: insertæ uerò ad contactum renituntur. Multitudine, quia & una, & plures generantur. Vasorum complicatione, quædam enim uenas ac arterias implicatas habent, quædam omnino non habent: paruæ igitur strumæ facilius curantur quàm magnæ, & mansuetæ citius quàm inflammatæ. At uerò malignæ incurabiles sunt. Quum enim omnes huiusmodi strumæ canceratæ ac uasis refertæ sint, si eas per chirurgiam aggrediaris, sanguinis eruptionis periculum imminet supra hoc quòd penitius insidẽtes, rescindi nõ possunt. Vasa enim nobilia, uenas, uidelicet iugulares & arterias carotidas appellatas, maligna struma uelut radices habet. Verùm pro loci ratione superficiarię facilius curãtur quàm profundę, deinde & quæ in collo oriũtur facilius curãtur quàm reliquæ. Vocales tamen neruos in his diligenter uitare oportet. Multi enĩ strumas circa asperã arteriam secantes, uocalibus neruis simul recisis, hominem de cætero uoce priuarunt. Nã supra nerui recisionẽ, uocalia instrumẽta denudata, & inter curãdum perfrigerata, uocis actionẽ amiserunt: pro multitudine uerò, certũ est unã facilius quàm plures curari posse. Sicut quãtũ ad ortũ attinet, lõgè citius curãtur eleuatæ, q̃ insertę. Optima porrò ac cõpendiosissima sanabiliũ strumarũ curatio fit per chirurgiã. Aegrũ igitur prostratũ decumbere oportet. Sedens enim facilè animi deliquium incurret. postq̃ igitur decubuerit,

decubuerit, cruribus inter se cōpositis caput à ministro detineatur. Deinde cutis tumori incũbens, recta uel obliqua sectione incidatur. Sectio enim trãsuersa collo incōmoda est, quũ uasa & nerui recta porrigantur. Necꝗ uno impetu tota cutis crassitudo dissecetur. nihil enim uiolentè fieri debet. Et in paruis quidē tumoribus simplex sectio fiat, in maioribus autē ad myrtei folij figurã cutim rescindes, tum uasa paulatim denudata sepones, quae quũ naturali carne sint cãdidiora, facilè discernes, postea sectionis labia hamulis distendes, & pelliculas de struma tũ manu, tum scalpello detrahes. Quod si incerta fuerit, attētè res peragenda est, ne per incuriam sanguinis eruptio fiat, atꝗ ea gratia unũ tantum sectionis labiũ hamulis distendatur, & ita sensim à connexis corporibus per scalpellũ separetur. Et ubi ex una parte connexa fuerint disparata, in altera idē fiat. Deinde tota basis diligēter, propter neruos & uasa substrata resecetur. At in strumis circa alas ac inguina ortis, sectio trãsuersa fit ob cutis reduplicationem, peracto opere si sanguis erumpat, medicamēta sanguinē sistentia suprà relata adhibeantur: Sin minus, sectio thuris polline expleatur, & linamenta indantur, & lana uino imbuta adalligetur, postridie permissis ligamentis, locus uino, & oleo profũdatur, & hoc usꝗ ad tertiã aut quartã diem fiat. Deinde soluatur, & suppuratio procuretur, & curatio reliquis ulceribus communis fiat. Ad repurgãdum autē, & incarnandũ, ac cicatricem inducendã, theriaca efficacissima est. Caeterum inchoantes strumas, tum in pueris, tũ his qui chirurgiam nō admittunt, medicamētis dissoluere ac discutere conabimur, & sanè curatio ipsarum similis est ei, quã ad induratos tumores paulò antè retulimus. Primũ enim mollire, postea discutere oportet. Emplastrum ad strumas. Strigmēta à palaestrae parietibus derasa ac probè subacta, super linteolo extendito ac imponito. Aliud. Laser aut calcē uiuam cerato cyprino aut irino exceptã imponito. Aliud. Sulphuris & galbani aequales portiones resina excipito. Aut clibani testã cum aceto terito, & uelut ceratum efficito. Aut corticem radicis mãdragorae cyprino aut irino cerato excipito. Hoc equidē efficacissimum est. Aliud, Strumas erodens. Sandarachã cum adipe caprino aut bubulo, aut calcē cũ eodem imponito, aut nasturtiũ cũ cerato. Aliud. Succum cyrenaicũ, aut si haberi non potest, laser cũ melle attico ad cerati cōpagem illinito. Aliud, rumpēs strumas. Pumex cũ aceto tritus strumas rumpit ac resiccat. Aliud. Semē nasturtij & lomentũ aqua subigito, & quotidiè bis imponito. Et post eruptionē eodem usꝗ ad exactã sanitatē utitor. Aliud. Vrticę semen cum uino tritũ, rũpit, repurgat, incarnat, & cicatricē inducit. Aliud. Grossos praesertim caprifici cũ axũgia imponito. Omnē enim tumorē discutiũt. Aliud. Recremētũ ferri cum oleo, aut bdelliũ cũ melle, linteolo inducito, ac adhibeto. Et quinꝗ diebus transactis soluito, & spongij locũ foueto, cauens ne oleo inquinetur. Oportet autē bdelliũ ad prunas cũ melle subactũ optimè distēdi, atꝗ ita applicari. Aliud. Psyllij, lomēti, seminis urticae, pares portiones, pice liquida excipe ac utere. Aliud. Ostreorũ testas ustas ac minutissimè tritas inspergito, loco prius uino ex ore consputo. Atꝗ hoc frequēter facito. Emplastra etiã adhibeantur, quae paulò inferius describētur. At quod ex achate lapide praeparatur, ad suppurandum, rumpendũ, ac persanandũ cōmodissimũ est. Itē quod pardalis appellatur, superius ad hydropicos relatũ. Strumis insuper laborãtes uiperarũ esu magnoperè iuuantur, quēadmodũ de elephãtiacis diximus. Itē si laser quotidie ieiuni ciceris magnitudine uorauerint. Aluum etiã facilè solubilem habere oportet, & tenui uictu uti, uomitũꝗ frequenter ciere, & pituitã per os detrahere, ac caput resiccare. Cataplasmata quoꝗ sincipiti adhibenda sunt, quae mediocres pustulas excitare possunt, uelut est capparis radix cum polenta, ac reliqua huiusmodi. Smegmatis item ac puluillis eiusdem facultatis utendum est.

De Bronchocela, hoc est, gutturis tumore. Cap. VI.

Brōchocele appellatur tumor in gutture oriēs. Omnis enim tumor apud antiquos, cele nũcupatur. Nomē igitur cōmune est, sed species tumorũ differũt. Quidam enim meliceris à melleo humore, quidã adiposus, quidã pultaceus, quidam canceratus appellatur. Aliquando etiã propter localē uasorum dilatationē oritur, quomodo frequentissimè ex partu cōtingit, quum in uehementissimis doloribus puerpera spiritũ uiolenter detinuerit, cōstatꝗ uasorũ huius loci dilatationē incurabilem esse, quēadmodum etiã tumorem in scirrhum induratum, malignumꝗ ac magnitudine ingentē. Verùm reliqui omnes chirurgię ac medicamētis cedentes facilè sanãtur. Chirurgia uerò praesenti tumori cōueniens fit, siue meliceris, siue adiposus, siue pultaceus tumor fuerit. At uerò quae gutturis tumores discutiunt, sunt bdellium cũ melle tritum, calx cum axungia, laser cum sulphure, lixiuium cum melle, stercus caninũ cum aceto. Aliud. Calcem uiuã, ammoniacũ, bdellium, testam clibani ustam, aeruginē, sulphur uiuum, paribus portionibus cũ aceto terito, & axungia aut terebinthina excipito ac imponito. Aliud, Adamãthij. Gallarũ unc. I. lapidis pyritae drac. III. pyrethri drac. II. nitri dra. I. silphij sesquidrachmã, sandarachae dra. II. terebinthinae dra. II. cerae, picis, singul. drach. tres, axungiae ueteris drach. II. aluminis liquidi unc. I. Arida è uino ac sapa terito, & liquabilia liquefacta ammisceto, ac utitor. Aliud. Spumae argenti, aeris usti, singulorum drac. VIII. olei antiqui drac. centũ, resinae pinus drac. XL. galbani, ammoniaci thymiamatis, singulorũ unc. I. aluminis scissilis, mannae thuris, sing. drac. IIII. oleum cum spuma argēti coquito, & medio cocturae tempore aes tritum inspergito, & bullire sinito donec non amplius inquinent. Deinde liquabilia liquata adijcito, & ab igne sublatis pollinē thuris ac alumen ammisceto, ac utitor. Aliud. Silphij, similaginis, singulorum drac. VIII. calcis uiuae drach. XVI. sandarachae drã. XII. mellis quantũ satis est, praepara ac utere. Ad laxos autē tumores qui sub mēto oriuntur, iridem illyricam cum aqua tritam, adiecta modica rubrica, ter singulis diebus illinito. Est enim medicamentum insigne.

De pultacei ac mellei humoris tumoribus, Leonidae. Cap. VII.

Atheroma est tumor cōcolor, citra dolorem, in tunica neruosa, humorē pulticulę similē, quae ex farina cocta fit, & athera Graecis appellatur, cōtinēs. Aliquãdo autē unà cum pultaceo humore, lapidosa quaedã duraꝗ corpuscula, & alia tanquã sulphuris ramēta reperiũtur. Aliquãdo uelut mãsa gallinarũ ossicula.

Inueni

Inuenimus etiã aliquãdo uelut pilos crasſiſsimo humori cõplicatos. Philoxenus autẽ dicit ſe aliquando reperiſſe animalia in humore, culicibus aut muſcis paruis ſimilia. Eſt autẽ atheromatis tumor ſpecie & figura oblõgus, ſublatúſque, & ad compreſsionem digitorũ, ob humoris craſsitudinẽ, tardè cedens, & amotis digitis tarde reuertẽs. Meliceris autẽ eſt pellicula neruoſa tenui humore inſtar mellis referta, ſimiliter citra dolorẽ conſiſtens, differens ab Atheromate figura, & humoris eſſentia. Nã & figura rotũdior eſt, & humoris eſſentia tenuior. Et huius tumor magis extẽditur, & ad digitorũ cõpreſsionẽ celerius cedit, & amotis digitis pari celeritate reuertitur. Cæterũ ꝑ chirurgiæ ratione nihil refert, ſiue pultaceus, ſiue melleus, ſiue feculentus humor, aut cuiuſcunq; eſſentiæ fuerit cõtẽtus. Vnus enim ſcopus propoſitus eſt, ut tunica ſiue pellicula humorẽ continens auferatur. Sed id conſiderandũ eſt, quòd tumores quidam ſunt eleuati, & ad motum ac contactũ expoſiti, facileque curabiles. Quidã contrà inſerti, & ad motũ nõ expoſiti, & in chirurgiæ aggreſsione ſummã diligentiã expetentes, propter imminentes ſanguinis eruptiones ac neruorũ puncturas. Pleriq; enim chirurgi ob imperitiã etiam neruos ſubſtratos cum huiuſmodi tumoribus recidũt. Chirurgiam itaque aggreſſuri, ægrum in ſella locabimus. Et ſi paruus fuerit tumor, ſimplicem ſectionem faciemus, uelut in ſtrumis diximus. Si uerò maior, ad myrtei folij figurã pro tumoris ratione, cutẽ incumbentẽ reſcindemus. Sed neq; hic uno impetu tota ſectio fiat, ne pellicula humorẽ cõtinens diſſecetur, & humor euacuetur. Si enim euacuatus fuerit, & tumor cõciderit, tunica difficulter excoriari ac curari poterit. Sũma itaq; diligẽtia pellicula paulatim excorianda eſt, nihilq; de ipſa circa baſim relinquendũ, ne malũ regeneretur. Poſt ablatã pelliculã, labia ſectionis cõmittimus, & ſi plus æquo laxa fuerint, redundantẽ cutem reſecamus, deinde ſuturis labia cõnectimus. Illud porrò animaduerſione dignũ eſt, ut ſi in capite huiuſmodi tumor fuerit, poſt ablatã pelliculã, membranam os ambientẽ ſecemus, & caluariam diligenter deradamus. Peracto opere in paruis tumoribus, quũ paruam ſectionẽ fecerimus, nulla difficultas imminet, & ſtatim poſt ſuturã, ſplenium glutinatoriũ inflãmationibus arcẽdis idoneum adhibemus. Qui uerò adhuc cruenti ſunt, & glutinari non poſſunt, in his ex maioribus interuallis ſuturas fieri oportet, ut oblõga ſectionis figura fiat: deinde linamẽta indere, & puri generationi ſtudere, quemadmodũ ſuperius de abſceſsibus docuimus. At uerò ad eos qui chirurgiã recuſant, medicamẽtis tumorẽ diſcutientibus utemur. Emplaſtrũ ad Melíceridas, paſſarũ uuarũ uinaceis exẽptis lib. I. cumini leuiſsime triti ſexũcem, nitri quadrãtem. Omnia ſimul in mortario ſubacta adhibeto, ac adalligato. At ſi tẽſiones ex cõſtrictione remittere oportet, cerato excipito, ex oleo ſicyonio & pauca maſtiche præparato. Aliud ad meliceridas, & ceria, id eſt, fauos appellatos tumores, commodũ. Squamã æris & pollinẽ paribus portionib. ad malagmatis formã ſubigito ac adhibeto. Aliud, ad meliceridas & ſteatomata. Ceræ, terebinthinæ, ſquamæ æris, ſing. ſextãtẽ, ſulphuris uiui, nitri, ſing. unc. I. radicũ ſiccarũ cannabis ſylueſtris dra. XXXV. Et ſi defuerint, Ariſtolochiæ tantundẽ, olei antiqui lib. I. Radices per triduum aqua madefactas & contuſas in oleo coquito, donec torrefiant. Deinde ipſis abiectis, cætera quæ liquari debẽt liquata ammiſceto, & arida ex aceto trita adijcito, ac utitor. Aliud diſcuſſoriũ ad Meliceridas. Salis ammoniaci, ſpumę argẽti, ceruſſæ, ſing. lib. I. ceræ, terebinthinæ, galbani, opopanacis, ſing. unc. I. rubricæ ſinopicæ ſexuncem, aceti heminã, olei antiqui lib. III. Spumã argenti, ceruſſã, & ſal leuiſsime trita in oleo coquito, deinde rubricã aceto tritã adijcito, & liquabilia liquata affundito, omnibusq; ſimul ſubactis ac perfrigeratis opopanacẽ ac galbanũ aceto diſſoluta ammiſceto ac utitor. Aliud ex aſellis paratũ, ad ſtrumas, & meliceridas, quod etiã cicatricẽ inducit. Aſellos ſub hydrijs ſtabulãtes ducẽtos, oſtreorum uſtorũ drac. IIII. rubricæ ſinopicæ drac. VIII. terebinthinæ lib. I. oſtrea & rubricã primum ſeorſim, deinde ſimul terito, & tũ aſellos adhuc uiuos adijcito, ac ſimul terito, & poſtea cum terebinthina ad calidũ cinerẽ lente coquito, donec non amplius inquinet. Sublatũq; ab igne medicamẽtum in mortario ſubigito, ac adhibeto, & quinta die exoluito, poteſt tamen locus ſubinde prolui ac rigari aceto.

De ſteatomatibus, hoc eſt, tumoribus adipoſis.

Cap. VIII.

Steatoma eſt tumor pręter naturã, adipẽ in ſe cõtinens, mole cõcolor, & tactu lenis, & in principio quidem puſillus, ſed tẽporis progreſſu ampliatur, pleraq; uerò ſteatomata baſim habẽt ampliorẽ, raroq; contingit, ut baſis anguſtior, & apex amplior reperiatur. Differt à ſtruma, tactus mollitudine, qua nota etiã à meliceride & atheromate diſcernitur. Curatur & hic ꝑ chirurgiã, ſectione ꝓ tumoris magnitudine fiẽte, ſimplici aut ad myrtei folij ſimilitudinẽ, atq; hic libere cutim incidimus. Nõ enim ſicut in atheromate ac meliceride tunicæ ſectionẽ formidamus. Nã pinguedo adipoſa etiãſi ſecetur, non effluet. Verũ illud negligendũ non eſt, quod in ſtrumis quoq; prædiximus: ſi ſteatoma eleuatũ fuerit, in circuitu & ſubter excoriari oportere. In circuitu per ſcalpellũ, ſubter uerò, digitis. Inſertũ uerò in ambitu & ſubter incidendũ eſſe, peracto opere uulneris labia ſuturis cõſtringãtur, ut melius glutinẽtur. Aut linamẽta profunda indantur, & curatio ad puris generationẽ adhibeatur. At uerò ſi ſteatomata apicem amplum, & baſim anguſtam habuerint, miſsis ſuperuacuis, tota à baſi reſcindemus. Hic enim chirurgiæ modus expeditiſsimus eſt, & ulcus paruũ ac planum fiet, & curatio cõpendio tranſigetur. Cæterum ſteatomata diſcutiũtur, floribus buphthalmi, cera & oleo antiquo exceptis. Idem facit & cyclamini radix axungia ueteri excepta, poſſunt & emplaſtra ad meliceridas præſcripta adhiberi, præſertim quod ex ſulphure & nitro paratur, & ſimilia inferius referẽda.

De ganglio, Philagrij. Cap. IX.

Gangliũ eſt nerui nodoſa coactio ac tumor, ex plaga aut labore obortus, raroq; ſpõte proueniẽs, manuũ iuncturas, ac talos frequẽtius occupans, rarius cubitũ & caput. Fit & in alijs partibus. Quantũ ad notas attinet, tumor eſt inæqualis, paruus, dũ cõprimitur, ſtupidum ſenſum exhibẽs. Differtq; à meliceride & atheromate tumoris inæqualitate & reniſu, & quòd nõ orbiculatim uelut illa trãſfertur, ſed dextrorſum ſolũ ac ſiniſtrorſum pro nerui ſitu flectitur. Cęterũ à

gangliorum chirurgia abstinemus, præsertim si in manibus fuerint ac pedibus, & medicamẽtis tãtum curamus. Ad hanc rẽ ammoniacũ iuxta ignẽ ad emplastri cõpagem emollitũ imponitur, & lamina plũbea tumori æqualis supponitur, & ne hinc & inde labet, arctis uinculis media cõstringitur. Transactis aliquot diebus ubi gangliũ fuerit emollitũ, nulla rei mentione ad ægrũ facta, statim dum adhuc calet locus, uincula tollimus, & pollicem dextræ manus gãglio immittimus, ac reliquos quatuor digitos ipsi parti iniectos cõprimimus, & gangliũ cõfestim dissoluitur. Vtere etiã mollitorijs emplastris, præsertim eo quod ex psyllio, pice, masticha nigra, stercore columbino, & malua syluestri prẹparatur. Vtere & Lucij malagmatis ad cõtractos articulos descriptis. Cõmodum est etiã hoc. Cerussę, olei antiqui, resinæ pinus, sing. lib. I. ceræ sextantẽ, ammoniaci thymiamatis, galbani, sing. unc. I. Cerussam cũ oleo coquito, donec non amplius inquinet: deinde ammoniacum tritum, postea resinam & cerã. Postremum galbanum præmollitum adijcito. Alij resinæ quincuncem, ceræ autem trientem conijciunt.

De uasorum dilatatione. *Cap. X.*

Vasorum dilatatio, quàm aneurysma Græci uocãt, in qualibet corporis parte fit, sed in gutture frequentius, ubi tumorẽ branchocelã appellatum producit. Accidit sæpissime mulieribus in partu, propter uiolentã spiritus detentionẽ. Sed & in capite circa arteriarũ locos, & in reliquo corpore, ubi arterię uulnerantur. Sicut quãdo imperiti medici uenã cubiti secturi, simul subiectã arteriã dissecant. Oritur autẽ omnino uasorum dilatatio, aut dũ sanguis & spiritus ex arterijs persultant, aut dũ oscula ipsarum aperiũtur, aut dũ rumpuntur. Sanguis autẽ & spiritus paulatim excreti sub cute colligũtur. Notæ aneurysmatis sunt, tumor paruus, aut magnus, concolor, citra dolorẽ, ad tactũ mollis, spongiosam laxitatẽ præ se ferens. Et ita ad digitorũ cõpresionẽ cedens, ut propemodũ euanescere uideatur, uerũ amotis digitis citissimè reuertens, id quod in menti aneurysmate, & reliquis quæ sine uulnere fiunt, præcipue uidere datur. At ubi arteriæ uulnus præcesit, & deinde coalescente cute uasorũ dilatatio accesit, tumor non similiter mollis occurrit. Sanguis enim copiosior spiritu est, qui in grumos coit, & tumorẽ extẽdit. Atq; hæ quidẽ sunt notæ. Quãtum uerò ad curationẽ attinet, sciẽdum deplorata esse aneurysmata apud chirurgos, quę gutturi aut capiti accidunt. Simul enim cum aneurysmatis sectione, abundãtissima sanguinis eruptio cõtingit, cũ qua etiã uitalis spiritus simul erũpit, ut homo sæpe in medicorũ manibus deficiat. At uerò quod in cubiti cauitate fit aneurysma, hoc modo per chirurgiã aggredimur. Primũ arteriã superne, ab ala ad cubitũ, per internã brachij partẽ delatã signamus: Deinde in eadẽ interna brachij parte simplicẽ sectionem, tribus aut quatuor digitis infra alam, per longitudinẽ facimus, ubi maxime ad tactũ arteria occurrit, atque ea paulatim denudata, deinceps incũbentia corpuscula sensim excoriamus ac separamus, & ipsam arteriã cæco uncino attractam, duobus fili uinculis probe adstringimus, mediamq; inter duo uincula dissecamus, & sectionem polline thuris explemus, ac linamẽtis inditis cõgruas deligationes adhibemus. Postea uerò tumorẽ in cubiti cauitate siue flexura, securi secamus, nihil amplius uerentes sanguinis eruptionẽ. Tunc grumis euacuatis, arteriã unde sanguis prodijt perquirimus, & repertam uncino attractam sicut priorẽ cõstringimus ac dissecamus, rursusq; thuris polline sectione expleta, puris generationẽ procuramus. Cæterũ ad gutturis aneurysmata, emplastrũ è cupresso inferius inter discussoria medicamẽta describẽdũ cõmode adhibetur.

De cerijs, hoc est, fauis. *Cap. XI.*

Ceriũ tumor est ulceratus, incumbentẽ cutẽ perrodẽs, ita ut ex foraminibus melleus humor excernatur: quapropter tũ ob foraminũ figurã, tum propter excreti humoris speciẽ, ceriũ, hoc est, fauus appellatur, frequẽter autẽ in musculosis locis, in articulis, & plãtis pedũ oritur. Sæpe etiã sextã colli uertebrã occupat, & aliquãdo etiã costas inuadit. Si uerò in capite generatur, primum reliquis partibus, deinde caluæ etiã putredinẽ transmittit. Proinde in principio subscriptis medicamẽtis curationẽ tentabimus. Quibus superatis partes corruptas præsertim in capite resecare oportet, deinde mẽbrana caluã ambiente dissecta, os caluæ deradere, tum ferreis cauterijs labia sectionis exurere, ita ut caluã ne attingamus, id quod etiã in alijs diuturnis affectionib. fieri debet. Postea medicamenta ad nomas descripta adhibenda sunt. Quale est siccũ ex charta usta prẹparatũ, & pastillus è lana succida, ac reliqua huiusmodi. Lẽticulã quoq; coctã, cum malicorio aut oliuæ folijs imponemus. Sedata autẽ noma, curatio reliquis ulceribus cõmunis fiat. At uerò incipiẽtibus fauis cõmoda hęc sunt. Sulphur & ordei farinã aqua mulsa coctã imponito: aut adipis suilli, terebinthinę, & mellis pares portiones ad cõgruã compagẽ coctas adhibeto. At ubi aperti fuerint, sulphure uiuo cũ pice liquida utitor. Aut erui farinã cũ melle impone. Aut squamę æris, pollinis thuris, passarũ uuarũ, pares portiones simul tritas adhibe. Ad ampliores autẽ fauos ficus probè tritas apponito. Ego uerò lenticulã coctã, cum malicorio, ac melle subactã imponere soleo, & si inflãmatio adsit, modicum panis adijcio. Sedata uerò inflamatione, malagma Helladicum, aut emplastrum melinum Serapionis, aut Pasionis, aut Venus appellatũ, adhibeo. Molliora autẽ adhibẽda medicamẽta esse oportet, propter molestias ex duris orientes. Si itaq; durius fuerit, cũ oleo emolliẽdum erit.

Emplastra ad cruenta uulnera glutinanda, & ad multos usus commoda. *Cap. XII.*

Atractylis, quã aliqui Androsæmon uocant, herba est aculeata, humorẽ sanguineũ reddẽs, si folia eius cõprimãtur. Hãc radicitus euulsam & in umbra siccatã terito, & angustissimo cribro excernito, & de ea accipito trientẽ, colophoniæ sesquilibrã, olei dulcis trientẽ, æruginis sextãtẽ, ceræ bessẽ. Oleũ, cerã, & colophoniã liquefacito & excolato, deinde æruginẽ, & postea herbã tritã ac cribratã adijcito, tũ omnia simul in frigidã aquã cõiecta manibus subigito, & in eadẽ frigida per totã noctẽ sinito, ac deinceps ad cruẽta uulnera in quacũq; corporis parte reponito, siue in infantib. siue in adultis fuerint. Facit & ad ulcera antiqua, sectiones, ictus, sugillata, & ex frigore dolores. Exterit crustas & cætera quæ in ulceribus difficulter repurgãtur. Lepras itẽ ac uitiligines curat. Etenim femur cuiusdã ense dissectum, ita ut uulnus usq; ad inguẽ penitissimè progrederetur, quum per quatuor menses æger decubuisset, neq; glutinationis initium appareret, hoc ego medicamẽto agglutina

glutinaui. Tibiam præterea alterius à poplite usque ad talum uulneratã, inflãmatione prius mitigata, cũ cataplasmate ex lomento passo, uino mulso, & rosaceo, intra paucos dies persanaui. Ego uerò inquit Philagrius, cum Iside emplastro antiquos sinus, nõ inflãmatos, & repurgatos, ac uino mulso elotos, ad uires uidelicet excitandas, feliciter curaui. Illud uerò constat, fistularũ sinuumq; ligamẽta, à superioribus partibus ad inferiores moderata cõstrictione ducenda esse, quò humores in cauitatibus delitescentes, ad osculum ulceris exprimãtur. Viride Andromachi hecatõtodrachmõ uocatũ. Ammoniaci thymiamatis drac. VIII. squamæ æris drac. XII. pollinis thuris drac. XVI. resinæ pinus drac. XII. adipis uituli drach. XIIII. terebinthinæ drach. VIII. ceræ drac. XXX. olei drac. VIII. aceti quãtum satis est. Hoc magna uulnera glutinat, sordida ulcera exterget, crassaq; ipsorũ labia deterit, sinus contrahit, discussoriã ac repulsoriam uim habet. Et cũ cerato linamentis illitũ ac inditum caua ulcera incarnat. Viride quod Isis appellatur, à quibusdam Hermoni sacerdoti inscriptum. Hoc ad multos usus cõmodat, & ad omnia uulnera, præcipue capitis unà cum ossibus dissectis. Sanat enim citra destructionẽ ac perforationẽ: facit etiã ad puncturas, aculeos infixos, hominũ ac canum morsus. Ad uiperæ itẽ ac scorpionis, draconisq; marini ac pastinacæ uenena. Et ad artuũ fracturas cum uulnere, citius enim ac securius callũ obducit, facit ad fistulas omnes recentes, & antiquos ipsarũ recessus, sinus, tubercula, parotidas, mammarumq; ac alarũ abscessus, aut ut ne fiant, aut ut facti curẽtur, cõmodum saniei effluxum nobis procurãtibus. Idẽ strumas aufert cum tunicis celerrimè suppurans: fronti uerò impositum fluxiones oculorum sistit. Liuores delet, gangrænas obliterat, putredines repurgat. Et in summa efficax est medicamentũ ad omnia. Ceræ drach. centũ, colophoniæ drac. ducentas, alij centum, squamę æris rubri, ęruginis rasæ, aristolochię rotũdæ, thuris, salis ammoniaci, thymiamatis, æris usti, singul. drac. VIII. aluminis usti dra. VI. aloës, myrrhæ, galbani, singul. drach. XII. olei antiqui lib. I. uel sexuncẽ, aceti quãtum satis est. Atq; hoc quidẽ emplastrum absolutè Isis appellatur. Verùm Isis quæ Epigono inscribitur, etiã radicis dracũculi dra. VIII. recipit: qua Galenus se uti dicit. Sola enim dracũculi radix per se tusa ac probè trita ad puluilli formam, maligna ulcera curat. Metallica igitur cum aceto in mortario terito, & deinde reliqua trita ac cribrata adijcito, & liquabilia liquata ad ipsa in mortarium affundito, subigito, ac unito, & utitor aliquando puro, aliquando mixto ac dissoluto. Ad ulcera enim sordida adhibetur medicamenti pars una, cerati uerò rosacei liquidi partes duæ. Verùm ad ea quæ modica extersione opus habent, medicamenti pars una, cerati partibus tribus ammiscetur. Emplastrum Machærionis celebre, & ad multa cõmodum. Congruit ad relata omnia. Sed & recẽtia uulnera glutinat, & ab inflammatione tutatur, & pręsertim quæ cõtusa sunt, facit & ad canis rabidi morsum spatiosiore loco impositum, & asidue permutatũ, facit ad omnẽ nomen ac ulcera depascẽtia, & ad auriũ ac pudendorũ ulcera. In ossibus autẽ denudatis carnẽ auget. Cõpetit & nariũ ulceribus. Diluitur autẽ rosaceo. Aristolochiæ rotundæ, galbani, æruginis rasæ, opopanacis, iridis illyricæ, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, singul. drac. VIII. terebinthinæ, ceræ, olei omphacini, singulorũ septũcẽ, & unciæ dimidiũ. Olei dimidium cũ ærugine terito, & reliquũ cũ cera ac terebinthina coquito, opopanacẽ autẽ cum aceto dissoluito, & simul subigito omnia, ac unito. Emplastrũ Cephalicũ ex herbis, sine perforatione: squamas disparat, & ossa corrupta educit. Verũ ossibus prærasis adhibere oportet. Idẽ ad recẽtia uulnera facit, & nomas linamẽtis indita repurgat. Cũ rosaceo uerò cerato replet, una eius parte, ad duas cerati ammixta, facit & ad carcinomata ac putrida ulcera. Exterit lepras, furunculos dissoluit, strumas suppurat, & expurgat, cõuenit podagricis, & tophaceas ipsorum duritias dissoluit. Anagallidis cæruleum florẽ habẽtis, papaueris corniculati, foliorũ tenerorũ hyoscyami, marrubij uiridis, singulorum drachm. LVI. squamæ æris rubri drach. XXV. mannæ thuris drac. XX. resinæ pinus siccæ drach. XVI. aloës drachm. VI. aluminis scissi, & rotundi, ammoniaci thymiamatis, salis ammoniaci, singulorum drachm. IIII. ceræ drachm. centum, olei ueteris heminas duas, siue uncias XXIIII. aceti quantum satis est. Herbarum folia in pila leuiter tundito, ut succus nõ exprimatur, deinde in mortarium coniecta minutissime terito. Et in alio mortario, squamã, pollinẽ thuris, resinam pinus, alumen, aloën, salem, & ammoniacum thymiama, ad solẽ ad strigmentitiã spissitudinẽ cum aceto terito, & ammixtis herbis, omnia simul terito. Liquabilia deinde liquata frigefactaq; ac erasa adijcito, subigitoq; simul ac utitor. Emplastrum Hestia, id est, Vesta appellatum, quod etiã ex Græci nominis ἑστία literarum calculo, drachmarũ DXVI. inscribitur, & ad Nechepsonẽ regẽ refertur. Conducit ad omne uulnerũ genus. Ad neruorũ puncturas per se sufficit, omnẽ oculorum destillationẽ pro glutinamẽto appositũ reprimit. Venenũ uirus eiaculantiũ bestiarũ exugit, ita ut emplastro adhærens cõperiatur. Nomas itẽ & fistulas ac ulcera maligna repurgat, & ad cicatricẽ perducit. Nariũ ozænas sanat cũ aceto, facit & ad strumas, & tumores induratos. Aut enim discutit ipsos, aut rũpit, ut admireris. Varices sanat, sagittas & aculeos extrahit. Spumæ argenti, ceræ, singulorũ drach. LXXIIII. terebinthinæ dra. XVI. Aristolochiæ, propolis, galbani, singulorũ dra. XX. æruginis dra. X. gallarũ, radicis chamæleonis nigri, singul. drac. XXIIII. olei sextar. IIII. adipis uitulini dra. XLVIII. aceti dra. XXIIII. succi brassicæ dra. VIII. serapiadis tritesticularis dra. XVI. succi medullæ arundinũ dra. XII. oleũ, spumã argẽti, & adipẽ simul coquito, donec probè uniatur. Deinde cerã, resinã, galbanũ, propolim prius cũ modica cera in mortario tusam adijcito, & ab igne ablatis, aristolochiã, gallã, radicem chamæleonis addito. Aeruginẽ uerò cũ succis & aceto tritã reliquis, ubi iã tepuerint, postremum ammisceto, omniaq; simul in mortariũ cõiecta subigito ac manibus emollito. Et utere tanq; admirãdo. Aliud ad cruẽta uulnera glutinãda, purpura inscriptũ. Spumę argẽti, olei dulcis, sing. lib. II. picis, ceræ, colophoniæ, sing. unc. XVI. radicis symphyti minutissimè tritæ ac cribratæ sextãtem, sanguinis draconis sextãtem, aquæ marinæ un. XX. oleum, spumã argenti, & aquam marinã simul coquito, donec nõ amplius inquinẽt. Deinde liquabilia

bilia liquefacta adijcito, & ab igne ablatis draconis sanguine ac symphytum addito, & perfrigerata manibus subigito, ac in massas efformato. Cæterũ sanguis draconis in India ex herba dracunculo appellata colligitur. Phœnicinum, Galeni. Spumæ argẽti leuissimè tritæ libras tres, adipis suilli insulsi, antiqui, libras duas, olei antiquissimi libras tres, chalcitidis crudæ trientem. Spumã argenti tritam, ac cribratam, rursus cum chalcitide in mortario exquisitissime conteres. Deinde oleum in sole ammiscebis, ut liquidũ medicamẽtum permaneat. Tum adipem exẽptis fibris in mortario tusum, quò facile liquescat, ad ignẽ liquefacito, & excolato, donec purissimus euadat. Atq; eius ita præparati lib. II. in mortario diligenter cũ cæteris permisceto. Deinde omnia simul in cacabum transfusa coquito, ac palmę ligno agitato. Sufficiet autem tibi ramus unus magnus, ut crassiore eius parte ad agitationem spathulæ uice utaris. Adhęrentes autem crassæ eius parti ramulos utrinq; exortos resecabis, & corticẽ detrahes, & in tenues partes cõcisos in medicamentũ cõijcies, ut ibi succus ipsorũ excoquatur. Hęc uerò segmẽta palmę, tũ demũ inijcies, ubi medicamentũ cerato similẽ cõpagẽ habuerit. Si enim à principio inieceris, succus per decoctionẽ cõsumetur, quẽ ob uim adstrictoriã permanere uolumus. Sed & ipsius spathæ qua pharmacum uersatur pars infima in coctura arefacta, resecãda, ac abijciẽda est, ac residua utẽdũ, atq; hoc sæpe faciẽdũ est, ubi fuerit resiccata. Vbi uerò pharmacũ non amplius inquinarit, priusquam exarescat, ab igne tollatur, & exemptis omnibus rami segmentis agitetur, donec frigescat. Deinde in mortariũ trãslatum, ac manibus subactũ, in massam redigatur. Hoc ad cruenta uulnera, & ulcera ægre cicatricẽ accipientia utimur, & oleo dilutũ in sinus fundimus. Cõuenit partibus omnibus inflãmatis, & podagris, quo tempore dolores nõ uehementer urgent, & irrigationibus ac fomentis mitigantibus opus est: facit ad inguinũ tumores, tubercula, ambusta, perniones, cõtusa, fracta, & omnes fluidas affectiones. At uerò si chalcitidis sexuncẽ inieceris, longè efficacius fiet ad ampla uulnera glutinanda, & ad cicatricem inducẽdam. Sed non ita inflãmatis conueniet. In dissoluendo uerò pharmaco, hanc proportionem seruabis, ut medicamẽtum paululum olei quantitatem excedat, præsertim æstatis tempore, ut sit medicamenti quidem dextans, olei uerò dodrãs. Emplastrũ duplicis coloris. Aeris usti quadrãtem, aluminis scissi unc. I. colophoniæ, adipis suilli recentis, ceræ, singulorum lib. I. aceti quantum satis est. Emplastrũ ex aqua & oleo. Spumæ argẽti, olei sinceri, aquæ puræ, singulorũ lib. II. Argẽti spumã cum oleo, & aqua in mortario exquisitissimè terito, deinde ad prunas assidue uersata coquito, donec non amplius inquinent. Hoc moderatè refrigerat, & ideo partibus ulceratis nihil influere sinit, & quod iam influxit, repellit. Desiccat etiã ac discutit, & ulcera ad cicatricẽ perducit. Vtimur eo ad mulierũ, infantium, eunuchorũ, ac cætera corpora, quæ molles ac albas carnes habẽt. Efficitur autem adeò glutinosum, ut ne ablutũ quidẽ detergi possit. Sed ulceribus cicatrice includendis præcipue cõmodum est, ut adhibitũ multis diebus adhæreat. Cuius facultatis est, & parhygrum appellatum, & reliqua huiusmodi. Emplastrum ex uino & oleo. Spumæ argenti lib. I. uini & olei, singulorũ lib. III. Spumam argenti in mortario sub caniculæ ardore per dies quindecim cum uino antiquo dulci terito, tantum uini instillãdo, quantum exiccari potest, & post prædictos dies oleũ ac uinum affundito, & coquito simul assidue agitando, donec nõ amplius inquinẽt, & utitor. Hoc ego medicamẽtum oleo dilutum ad ulceratas affectiones adhibui, & sinus glutinaui. Et femur diu induratũ persanaui, & optimum etiam ad uulnera cruẽta cognoui. Ad sinus uerò & duritias solidũ, prout habet, imposui. Emplastrum ex aceto & oleo. Spumę argenti libram I. olei antiquissimi libras tres, aceti albi acerrimi libras tres. Ad lentum ignem assiduo uersatu coquito, obseruãs ne in grumos coẽant, & per integrum diẽ ebullire sinito, donec nigrescat, ac splendeat medicamentum. Enitendum est autẽ ut reuera non inquinet, facilè enim imperitis imponit. Nam in frigidã aquam diffusum, durissimũ statim euadit. Sed postea digitis diutius subactum remollescit, lãguetq; ac rursus inquinat: proinde nõ prius ab igne remouebis, donec cõpertum habueris, nõ amplius inquinaturum. Habet hoc summas exiccandi uires, & ideo cruenta uulnera glutinat. Vlcera curatu difficilia, & fistulas incipientes sanat. Ego enim cũ eo fistulã pueri à parotide exortam sanaui, quæ semestris existens usq; ad mandibulę articulationẽ progressa fuerat. Sed & mulieres & adolescentulos eodẽ curaui, & induratos musculos emolliui. Tribus autem diebus trãsactis soluere hoc oportet, & nouum adhibere, idque rursus post triduum exoluere. Emplastrum Galeni fuluum, Harmonia appellatum, suprà ad maligna ulcera descripsimus. Emplastrũ fuluum Piscatoris, ad cruenta uulnera, sinus glutinat, inflammationes sedat, duritias ac strumas discutit, plurimo rosaceo dilutum caua ulcera replet, sordida extergit, & ad cicatricẽ perducit. Spumæ argenti sesquilib. ceræ lib. II. galbani, œsypi, terebinthinæ, propolis, pollinis thuris, rubricæ, singul. sextantẽ, olei lib. II. aceti lib. III. Spumã argenti ad æstiuum solẽ cum aceto terito, quãtum imbibere potest. Deinde oleo ac reliquo aceto affusis simul coquito, donec nõ amplius inquinent, tum liquabilia liquata & excolata inijcito, & postea ab igne ablatis pollinẽ thuris, rubricã, ac galbanũ ex aceto tritum adijcito, omniaq; simul subigito. Et demũ frigefacta ac erasa manibus mollito, ac utitor. Hoc ad sinus glutinãdos efficacissimũ est, ita ut spõgia ex uino expressa superimponatur. Aliud fuluũ piscatoris, facit ad cruẽta uulnera, & concisos neruos. Itẽ ad antiqua ægre recipientia cicatricem ac fluida ulcera, probè etiã emollit, præsertim duritias circa mãmas exortas. Vtimur eo & ad hominũ & canum morsus. Egregiè facit & ad pastinacarum marinarũ, & draconũ, & aliorum horrendorum piscium plagas. Et in summa est cõpositio admirãda. Spumæ argẽti, ceræ, singul. dra. cẽtum, terebinthinæ, mannæ thuris, galbani, rubricę sinopicæ, singul. drac. VIII. olei lib. II. præpara sicut diximus, absq; tamen aceto. Aliud piscatoris celebre. Spumę argẽti, ceræ, sing. dra. C. terebinthinæ, myrrhę, minij sinopici, æruginis rasæ, squamę æris, sing. dra. VIII. aristolochiæ drac. VIII. thuris drac. XXV. diphrygis dra. VI. ammoniaci thymiamatis, galbani, sing. dra. XII. olei lib. II. Aliud Tyrium. Ad ampla uulnera & qua

& quadrupedũ morsus, furũculos discutit aut rumpit, humorẽ ex crustis inductis extrahit, & ad cicatricẽ ducit, fronti impositũ oculorũ fluxiones reprimit. Hoc post cocturã purpuræ tyriæ colorẽ habet, atq; hinc appellationẽ traxit. Spumæ argẽti, libr. V. æris usti, squamæ æris, æruginis, galbani, sing. trientẽ, ceræ lib. II. resinæ pinus pinguis lib. III. olei lib. VI. Spumã argẽti, & oleũ in mortario simul probè trita, in ollã coniecta coquito, & assidue uersato, donec mellis cõpagem acquirãt. Deinde adiecta ęrugine, & squama ebullire sinito, & postea æs ustũ addito, & simul coquito, donec bonus color euadat, & nõ amplius inquinẽt: tunc cerã, ac resinã excolata adijcito, ac rursus coquito donec non inquinent, & postremũ ab igne ablatis galbanũ ammisceto, manibusq; probè subigito, ac utitor. Emplastrũ ex anemona. Colophoniæ drac. LXXIIII. resinæ pinus liquidæ, ceræ singul. trientẽ, olei dodrantẽ, florũ anemones recẽtium, exẽpto nigro quod in eis reperitur, & recisis unguibus bessem. Colophoniam cum oleo ad lignorum pini ignẽ coquito, & tędacea spathula usq; ad solidã compagẽ agitato, deinde resinã adijcito ac rursus coquito, donec nõ amplius inquinent, & postea cerã addito, qua liquefacta medicamẽtum ab igne tollito, & ad flores in mortario tritas diffundito, manibusq; oleo illitis subigito: est enim glutinosum. Aquã autẽ uitare oportet, facit ad cruenta uulnera, & carnes contusas, ad maligna antiqua exuberãtia ac ægre cicatricẽ admittentia ulcera. Ad uenenũ eiaculãtiũ bestiarũ ictus. Ad tumidos, inflãmatos, dolẽtes ac ęgre mobiles articulos. Ad strumas, fistulas, gãglia, steatomata, furũculos, sinus, nomas, abscessus tũ aliarum partiũ, tum maximè thoracis. Ad eruptionẽ sanguinis nariũ, spleniũ ex eodẽ stomacho imponitur, potest & ad frontẽ imponi. Et in summa, mollit, discutit, contrahit, siccat, ac dolorẽ mitigat. Quòd si cũ aceto præparare malueris hoc medicamentũ, ita facito, flores anemones recisis unguibus purgatos, & ad solẽ siccatos, in uitreo uase seruato, & eorũ postea bessem sumito, & aceti albi acerrimi heminas atticas tres affundito, ac per diẽ ac noctem macerato, deinde manibus subigito, paulatimq; omnẽ succũ exprimito. Et colophoniæ lucidissimæ drac. XLII. resinæ pinus liquidæ, cerę, olei, singul. triẽtẽ, succi anemones heminas Atticas duas, & dimidiã accipito. Et colophoniã cum oleo ad tædæ lignorum ignẽ lẽtum coquito, tędaceaq; spathula assidue agitato, donec solidius pharmacum euaserit. Deinde resinã paulatim adijcito, ne ebulliens extra ollã redundet, & rursus bullire sinito, & ubi iã planè solidũ uideris, cerã addito, eaq; liquata medicamentũ ab igne ablatũ spathula uersato, atq; ubi iã deferbuit, succũ paulatim instillato, diligẽter obseruãdo ne efferuescat. Facilè enim ebullit, ut periculũ sit, ne superfundatur. Postq; autẽ ita paulatim ammixtus fuerit, uariũ purpureũ ac suauẽ colorẽ pharmaco affricat. Omni igitur succo iniecto ac unito, medicamentũ in mortariũ transferatur, atq; frigefactũ manibus subigatur, donec totus succus secedat. Hoc ad eadẽ cõmodũ est, ad quæ illud prius recẽtiũ florũ pharmacũ cõducit, Nisi ꝙ leuius est, ac magis tẽperatũ, & ad canũ morsus, ac uenenatorũ ictus cõmodũ. Idẽ rosaceo dilutũ ad ani ac pudẽdorũ ulcera cõducit, ubi remissiore medicamẽto opus habẽt.

Emplastra Cephalica, & ad fracturas, & ad multa commoda. Et de iusto eorum usu. Cap. XIII.

Cephalica, hoc est, capitalia, emplastra dici solent, quæ uulneribus capitis adhibita, uim penetrãdi in altum habẽt, squamasq; ac ramenta ossiũ disparata, nõ solum in capite, sed etiã reliquo corpore educũt, ac extrahũt. Itaq; acrimoniã quandã ipsis insitã esse oportet, per quã ex profundo extrahũt ad superficiẽ externã, non solũ ossa, sed multò magis crassum uiscosum, aut omnino uitiosum humorem. Quę uerò ad fracturas fiunt, extersoriã ac discussoriã uim habent. Quidã uerò etiã adstringentia ipsis ammiscuerunt, ut quod ad affectas partes influit repellatur, & extersoriorũ uis usq; ad profundũ deducatur. Verũ hoc nosse expedit, quòd si adstringentia nõ ad lanuginẽ minutissimã trita fuerint, atq; hoc cũ aceto, damnũ magis quàm utilitatẽ afferent, si attractorijs fuerint ammixta. Sed & hoc scire oportet, quòd inter emplastra ad fracturas præstantiora sunt, quæ capitalia inscribũtur. Et propterea cũ cerato præsertim rosaceo, incarnare solẽt, linamentis excepta, ac indita. Eiusdẽ porrò generis cũ cephalicis est Isis quoq; superius descriptũ emplastrum, & quod Machærioni inscribitur, & Barbarũ Hierę Cappadocis, quod aliqui Aphrũ appellãt, hoc. Emplastrũ nigrũ, ad insigniores pręsertim capitis dissectiones, fistulas, sinus, fracturas citra inflãmationẽ glutinãdas, ad neruos, chartilagines, ac ossa cõcisa. Facit & ad ulcera profũda, sinusq; magnos glutinat. Adhibetur etiã cõmodè abscessibus dissectis ad saniei eductionẽ. Spleniis etiã, ac hepaticis cõducit. Et est ad cruenta efficacissimũ uulnera. Ad sanguinẽ reijciẽtes duobus corijs inducitur, quorũ alterũ pectori, ac costis imponitur, alterũ dorso. Sanguinẽ eñ supra opiniõnẽ sistit. Facit & ad hominũ, ac canũ morsus. Et omnino inflãmationes arcet. Ceræ, picis, bituminis, resinæ pinus, sing. lib. I. mannæ thuris sexũcẽ, cerusæ, atramẽti sutorij, sing. trientẽ, opopanacis sextãtẽ, olei, aceti, singul. lib. I. Cerã, bitumen, oleũ, acetũ, modico ex eo relicto, omnia simul in ollã nouã indito, ac liquefacito, deinde picẽ, & resinã probè cõtusa adijcito, & omnibus semicoctis, & ab igne remotis, ac excolatis, atramentũ sutoriũ modico aceto residuo tritũ inspergito, & ne efferuescat caueto, atq; iterũ leniter coquito, ac uersato. Vbi uerò nõ amplius inquinat pharmacũ, opopanacẽ residuo aceto maceratũ ac dissolutũ affundito. Et postea cerussam ac mãnã probè trita inspergito, & paululũ tepefacito, ut uniantur, cauens ne opopanax aut manna cõburatur. Atq; ita medicamẽtũ in mortariũ diffundito, ac frigesieri sinito, emollito, reponito, ac utitor. Hoc omnia uulneraria medicamẽta superat, uelut experimento cõstat. Est autẽ hyeme ꝑ septẽ dies, æstate per quinq;, aut re ita urgẽte, per tres exoluẽdũ. Nigrum insigne ad multa cõmodũ, Panalethes appellatũ. Olei dulcis dodrãtẽ, bituminis, ceræ, resinæ pinus siccæ, picis, singul. lib. I. spumæ argẽti, cerusæ, æruginis, singul. drac. X. ammoniaci thymiamatis, thuris, aloẽs, myrrhæ, singul. drac. VIII. opij, succi malorũ mãdragoræ, sing. drach. VI. aluminis scissi, atramẽti sutorij, chalcitidis, croci, singul. dra. IIII. aceti quãtũ satis est. Omnia spuma argenti usq; ad crocũ, probè ad strigmentitiã spissitudinẽ terito. Deinde oleum, & bitumẽ ad fabarum magnitudinem cõtusum, &

ceram simul liquefacito, eisq́; liquatis picẽ, ac resinam adiicito. Et hæc liquata, ac excolata rursus coquito, & trita adiicito, subigito ac utitor, facit hoc ad uulnera recentia, ad ensium, sagittarũ, ac lancearũ puncturas, ad fracturas item, ac contusiones, siue cũ uulnere, siue sine uulnere fuerint. Vtere & ad neruos uulneratos, ad canum, luporum, ursorũ, leonũ, aprorum morsus, facit & ad uenenum eiaculãtium, & præsertim uiperarum ictus, loco prius scarificato, & inde medicamento imposito. Idem apponitur ad abscessus simplici sectione diductos, & sanie exclusa. Vulnera, ac ulcera repurgat. Et quosdã uertebris, ac talis sauciatos persanauit. Ego uerò manum alicuius ense inter ulnã, & radium uulneratã, eo curaui. Cõfert & ad scrotum cõcisum, & ad hepatis, ac splenis inflãmationes ex febribus obortas. Duobus item coriis illitum, ut alterum pectori, alterũ dorso imponatur, sanguinis reiectionem sistit. Ad inflãmationes autem irrigationis uice adhiberi potest, ita ut accipiatur de eo quadrãs, ceræ uerò, & resinæ frictę, ac picis, singul. sextans, & olei lib. I. Hæc liquentur, ac colẽtur, & cum medicamẽto, ac farinæ ordeaceæ quadrãte, cum aceto trito imponãtur. Sic etiam flagellatis conducit. Aegyptiũ Andromachi celebre, ad sinus maximos glutinandos, ad ossa carne nudata, ac cõcisa, ad detortos, ac luxatos articulos, ad abscessus, ad hominũ, quadrupedum, ac reptilium bestiarum morsus, fronti impositum oculorũ fluxiones sistit, maximas ac profundissimas ensium cæsuras triduo sanat. Eximiam discutiendi uim habet, ut etiam pus, nisi ualdè multum fuerit, sine cutis perforatione discutiat. Membra quomodocunq; indurata emollit, & maligna ulcera, ad cacatricem perducit. Ceræ, spumę argenti, singulorũ drach. CXLIIII. ammoniaci thymiamatis drachm. LXII. terebinthinæ drachmas XXXII. lanæ succidæ ustæ drachmas XVIII. aristolochiæ, thuris, squamæ æris, singulorũ drachmas VIII. squamæ ferri stomomatis drachm. VIII. myrrhæ drachmas III. opopanacis drachm. II. olei cicini aut sicyonii, uel antiqui lib. III. Spumam argenti, cum oleo ad cõpagem coquito. Deinde addita squama rursus bullire finito, donec non inquinet. Tunc cerã primũ, deinde ammoniacũ tritũ adiicito, & his liquatis terebinthinã addito. Et ab igne ablatis, thus tritum, & lanæ cinerem inspergito. Et frigefactum pharmacũ manibus subigito, ac utitor aliquando puro, aliquando diluto. Panacęa emplastrũ, quod aliqui Trium fratrum uocãt: Hieras Hygieam, id est, sanitatẽ appellãt, facit ad nomas, & omnia ulcera maligna. Coërcet enim nomas, neq; crustam inducẽs, neq; circumsita corpora indurans, sed omne corruptum rumpẽs, ac tabefaciẽs, ut nihil differat ab uuis passis humectis. Sanguinis fluxũ supprimit, tũ alibi, tum ex hæmorrhoidibus erumpentẽ, sed & ipsas hæmorrhoidas tabefacit, ac consumit, prętere a fistulas sanat, & carbunculos, & ægilopas, & ulcera chironia appellata, & in summa totũ ægre curabiliũ ac diuturnorũ gen⁹, priuatim uerò ad mãmarũ duritias, earundẽq; cãcros, ac nomas cõducit, facit & ad hydropicos, splenicosq; ac articulorũ affectiones. Et ad uteri qdẽ affectiones oleo cyprino dilutum, ac liquatum iniicitur. Externis autem præstat ita, ut est, imponere, uelut singula alia. Omni uerò ulceri impositum, etiãsi ferũ fuerit, statim ipsum mitius efficit, & dolores iidem, ac uigilias mitigat. At uerò rosaceo dilutum, sinus magnos, & fistulas glutinat, prius elotos: recentes autẽ sinus aqua mulsa eluere oportet, deinde exterius medicamẽtum adhibere, & debitam ligationẽ facere. Ad fauos etiam inflãmatos efficacissimum est. Verum Damocrates etiã ad canis rabiosi morsum, & uenenum eiaculantium bestiarum ictus, iam liuescẽtes ac denigratos, & ad medicatas sagittas facere asserit. Spumæ argenti, bituminis Iudaici, terræ ampelitidis, singulorum drachmas ducentas, thuris, propolis, singul. drac. L. aloës, polii, centaurii, galbani, aluminis scissi, singulorum drac. XXV. chalcitidis ustæ drac. XVI. chamæpityos, symphyti, radicis chamæleonis nigri, marrubii, helenii, aristolochiæ, singulorũ drac. XVI. gallarum, myrrhæ, iridis, singul. drach. XII. terebinthinæ dra. XXV. mellis Attici unc. XXV. olei noui lib. VIII. Spumã argenti, terram ampelitidem, bitumen contusum, ad lentum ignẽ coquito, assiduéq; uersato, citissimè enim exuritur. Et ad strigmenti spissitudinẽ redactis, chalcitidẽ inspergito, bullireq; sinito. Deinde alumen adiicito, ac rursus coquito, donec non amplius inquinet, in alio uerò uase galbanũ, propolim, & terebinthinã cum melle liquefacta habeto, & medicamẽto ab igne amoto, hæc ammisceto, & his probè unitis, arida trita adiicito, omniáque simul subigito, & in uase pelle cooperto reponito, ac utitor tanquam admirãdo. Poteris etiã Archigenis nigro emplastro uti, quod inter orthopnoica medicamenta sermone octauo habetur. Nigrum Icesii, ad omne ulcus recens ac uetus, ad contusa, luxata, fracta, ad inflãmationem, & omnem dolorem. Statim enim à dolore liberat, facit ad canum, ac hominum morsus, ad furunculos, & duritias, præsertim mammarũ, ad tubercula sedis, ad hydropẽ, & quæ discuti oportet. Est enim attractoriũ, ac glutinatorium. Vlcera maligna, strumas, parotidas, perniones, panos, clauos, nigredines, impetigines, fistulas, & hæmorrhoidas inflãmatas sanat, aculeos & infixa extrahit, facit & ad uenenatorũ ictus, & quadrupedũ morsus. Spumæ argenti, bituminis, terræ ampelitidis, singulorũ dra. ducentas, propolis, ceræ, singul. drac. L. terebinthinæ, galbani, aluminis scissi, singulorũ dra. XXV. chalcitidis drac. VIII. myrrhæ, iridis, gallarum, singulorũ drac. XII. Mellis lib. III. olei omphacini recentis libr. VIII. coquitur uelut panacæa, & spathula tædacea assidue agitatur, ne subsideat, facilimè enim comburitur. Nigrum Asclepiadæ, ad ossium fracturas optimũ. Hoc usus sum ad ossium fracturas, in quibus ossa disparata uelut innatabãt, quæ cum cæteri auferenda iudicarent, ita præter opinionem detinuit, ut instar calli coaluerint. Spumę argenti drachm. CCL. bituminis drach. CC. ceræ, picis, singulorum drach. C. resinæ pinus drachm. L. aluminis liquidi, propolis, singulorum drachm. XXX. ammoniaci thymiamatis drachm. XXIIII. æruginis drach. X. olei drach. XLV. Spumam argẽti cum oleo coquito, donec non inquinet. Deinde ceram, & bitumẽ priuatim liquato, & picem adiicito, & omnia colata ad spumã argenti ammisceto, postea ammoniacũ tritũ addito, & rursus ad bonã compagẽ coquito. Deinde propolim ac resinã pinus adiicito, & ab igne ablatis alumẽ & æruginẽ minutissimè trita ammisceto, postremum medicamẽtum, in aquã aceto per

to permixtã diffundito, manibus subigito, ac utitor.

Emplastrũ Athena inscriptum. Cadmiæ dra. xx. æris usti, malicorij, gallarũ aristolochiæ lõgæ ac rotũdæ, salis ammoniaci, squamæ æris, nitri, aluminis scissi, aluminis rotundi, iridis, misyos, atramẽti sutorij, chalcitidis, æruginis, aloës, myrrhæ, thuris, ammoniaci thymiamatis, galbani, sing. dra. xxx. ceræ, picis, sing. dra. c. uelut alij habẽt cc. colophonię dra. cccc. olei sexũcẽ. Hoc quidẽ modo apud Oribasiũ habetur. Asclepiades aũt habet aloës drac. xii. myrrhæ drac. xii. & ammoniaci thymiamatis dra. xvi. Arida ad solẽ æstiuum sufficiẽtibus diebus terito, & ad ea postea liquabilia liquefacta adijcito ac unito, facit ad sinus, & maxima capitis uulnera citra inflãmationẽ glutinat. Cerato liq̃do dilutũ per linamẽta inditur, ad punctos ac uulneratos neruos, ad musculos cõcisos, ad capitis ulcera, ad fistulas & ulcerũ cuniculosos recessus. Ossa corrupta citra perforationẽ educit, facit ad nomas, putredines, cãceratas affectiones, inguinum, alarũ, ac colli nigredines, & ad ulcera ægre recipiẽtia cicatricẽ. Et omnino uires siccãdi habet, quas laudes Asclepiades ipsi adscripsit. Nigrũ ex salicibus, celebre & ad multa commodũ, facit ad cruẽta uulnera, ad resolutos articulos, ad fistulas, madore flaccidas carnes cõstringit, erysipelata & alias affectiones citra ossiũ fracturã obortas sanat, pectori ac dorso adhibitũ sanguinis reiectionẽ, tabidosq́ ac pectore suppuratos curat. Misyos, chalcitidis, æruginis, cerussæ, gallarũ, aluminis scissi & rotundi, melãteriæ sing. sexuncẽ, malicorij sexuncem, atramenti sutorij sexũcem, cerę, resinæ pinus, picis, bituminis, foliorũ salicis uiridium, olei sing. lib. ii. olei rosacei trientẽ, aceti sextarij dimidiũ, uel quantũ satis est, folia salicis cũ aceto ad tertias decoquito, deinde folijs cõtritis ac humore expresso, primũ ęruginem, cerussam, & melanteriã leuissime trita, & deinde etiã reliqua trita ammisceto. Et postremũ liquabilia liquata affundito, frigefacito, subigito, eradito, ac utitor. Aliud è salicibus, à Critone ad Herodotũ relatũ. Melãterię, gallarum, aluminis scissi & rotũdi, singu. sexuncem, ceræ, bituminis, picis siccę, resinæ pinus, foliorũ salicis, singul. lib. ii. olei lib. ii. aceti sextarij dimidiũ, præpara uelut dictũ est. Aliud è succo salicis, ex Oribasio. Hoc Magnus, inq̃t, inuenit ad destillationes. Salicis folia uiridia ad solem terito, postea in ollã nouã cum sufficiente uino mittito, & apposito operculo, ad lẽtũ ignẽ coq̃to, & excolato, abiectisq́ folijs expressis succũ adseruato, postea uerò sumito colophonię unc. xxiiii. olei sextãrẽ, succi lib. i. Et colophoniã percolatã cũ oleo, ad lẽtum ignẽ coquito, donec in aquam diffusa, & manibus subacta, nõ amplius inquinet. Deinde cerę unc. xxiiii. ammisceto, eaq́ liquata, ollaq́ ab igne amota succũ salicis adijcito. Vinũ uidelicet in quo folia cocta sunt, paulatim instillando ut ne efferuescat, & rusus ad mitissimum ignẽ decoquito donec medicamẽtũ resederit. Et deinde in mortarium trãsfusum eodẽ succo infuso, manibus diligentissime subigito. Emplastrũ Cyzicenum appellatũ, facit ad recẽtia ac uetera uulnera & ulcera cuniculosa. Duritias pręsertim mãmarũ diffundit, attrahit, repurgat, replet, glutinat, cicatricẽ inducit: facit & ad cãceratas duritias ac fistulas, & ubi scapellũ admoueri non potest, uelut in collo, collyriũ ex hoc medicamẽto inditur. Idẽ minãtes fieri abscessus mitigat, tubercula diffundit, gãglia & collectiones fastigiat ac rumpit. Sagittas, & ossa, & aculeos, & infixa extrahit, crustas citra molestiã exterit. Verũ in ulceribus cuniculosis, magnis splenijs utendum est. Discutit etiã strumas, & ad uesicæ affectiões egregie facit, pectini impositũ sanguinis eruptionẽ, uel ut alij habent, hæmorrhoidas, supprimit, thoraci & dorso adhibitum, tabidis cõfert. Thuris, myrrhę, croci, iridis, bdellij, atramẽti sutorij, propolis, aloës, chalcitidis, misyos crudi, aluminis scissi & rotundi, radicis panacis, malicorij, ammoniaci thymiamatis, uisci, opopanacis, æruginis, acacię, florũ rosarũ, sing. dra. viii. ęris usti dra. xxiiii. Alij pro ære, squamę ęris tantundem adijciunt, aristolochiæ, gallarũ, sing. dra. xvi. terebinthinę drach. cxliiii. ceræ unc. xxxii. adipis uitulini unc. xxxii. aceti aut uini antiqui sextarium. Si itaq́ pharmacũ acre & discussoriũ habere malueris, acetum eligito: sin adstringẽs ac repulsorium, uinum accipito. Arida & quæ ad succorum naturã accedunt, cum uino aut aceto terito. Deinde ad cerã cum adipe liquatã, ac excolatã, terebinthinã adijcito, simulq́ ad cõpagem coquito, postea propolim ac uiscum addito, & spathula uersato, & ad hæc dissoluta, arida antea trita paulatim adijcito, ac fortiter agitato. Et postremũ in mortarium trãslata manibus subigito, ac unito. Ego uerò neq́ acetũ, neq́ uinũ adhibeo, sed arida omnia solũ cõtero & adijcio. Nã si uinũ aut acetũ aut aqua ammixta fuerit, ad cõpagẽ non peruenit. Emplastrũ Moschionis, ad uulnera recẽtia ac cõcisos neruos, & dissectiões cum cõtusione, facit & ad fracturas cum uulnere. Nã & uulnera sanat, & ossibus callum obducit, cũ debita deligatione impositum, facit & ad inchoãtem hydropẽ, & testes cõtusos. Aresacit etiã eminẽtias sedis. Curat rimas butyro dilutũ, & gutturis tumores sanat: dissoluit omnẽ duritiẽ, facit ad articulos luxatos ac distortos. Callosas manuũ ac pedũ eminẽtias, quas clauos appellamus, aufert citra exulcerationem. Et est omnino pharmacũ ad multa commodum, præparatur sic. Spumæ argẽti, picis siccæ, adipis uitulini, sing. unc. xx. terebinthinæ, mãnæ thuris, singulorũ dextãtẽ, ceræ quincuncẽ, æruginis, opopanacis, galbani, singulorum unc. i. picis liquidę selibram, aceti, succi sycomororum, olei cicini, uel sycionij, uel antiqui, singulorum heminã unã, id est, librã i. Spumam argẽti cũ oleo coquito, & ubi ebullierit, adipẽ adijcito, & assidue agitato, & ubi cõpagẽ acceperint, cerã, picem, ac resinam adijcito, & coquito donec non amplius inquinent. Deinde succum sycomororũ, & picem liquidã seorsim cocta, & ad compagem redacta ammisceto, & galbanum, ac æruginem, & mannã thuris inspergito, postremum opopanacem aceto dissolutum addito. Et ad ignem admota rursus coquito, donec nõ amplius inquinet. Atq́ ita pręparatum medicamentum in uinum transferto, & per triduum sinito, postea uerò manibus emollito, ac utitor. Oportet autẽ post impositum medicamẽtum, fasciã uino imbutã exprimere, & circundare. Cæterũ quod statim subijciã, succum sycomororũ nõ habet. Est autẽ medicamentũ ad ossium fracturas commodũ. Ad cruẽta uulnera ad sinus glutinãdos, & pręsertim capiti aptum. Spumę argẽti, adipis taurini, picis siccæ, sing. unc. xx. uelut alij habent xvi. olei cicini aut sycionij, aut antiqui, dextantem, pollinis thuris,

terebinthinæ, sing. bessem, ceræ trientē, opopanacis, æruginis, galbani, sing. unc. I. uisci sexuncē. Spumā argenti cū oleo & adipe ad bonā compagem coquito. Deinde cerā, picem, ac resinā adijcito, & mox ab igne tollito, atq; ubi paululū frigefacta fuerint, reliqua cū aceto trita paulatim adijcito, ne efferuescant, & rursus ad prunas admota sensim coquito, donec non amplius inquinent. Et demum manibus emollito, ac utitor. Emplastrum insigne, ingentes sinus, ac fistulas sanās, aculeos & sagittas extrahens, inflammationes ac duritias dissoluens. Coxendicum item ac renum affectionibus cōmodū est. Spumæ argenti dextantem, olei unc. XV. picis siccæ, colophoniæ, sing. unc. XVI. adipis taurini tantundem, misyos, iridis, calcis uiuæ, singul. quadrantem, atramenti sutorij sesquiunciam. Spumam argenti cum oleo ad bonam compagem coquito. Deinde liquabilibus liquatis ac excolatis adiectis, rursus paulatim coquito, donec non inquinent. Et postea paululum frigefacta ad reliqua in mortario cū aceto trita ammisceto. Emplastrum theriaca appellatū, ex centaurio, quod laudat Oribasius, facit ad neruorū ac musculorum uulnera & puncturas. Ad ferarū canis rabiosi morsus. Glutinat sinus antiquos, & ad cicatricem perducit, pręcipue uerò ad reptilium ictus facit. Genuum ulcera fluida & ægre curabilia sanat. Spumæ argenti sexuncē, olei antiqui trientem, resinæ pinus siccæ dra. XXXII. ammoniaci thymiamatis, propolis, thuris, singul. drach. XII. cerussæ drac. VIII. ęruginis, squamæ æris, galbani, aristolochiæ rotundæ, centaurij, singulorum drach. III. thuris, aloës, iridis, gallarum, chalcitidis, singulorum drac. IIII. Spumā argenti cum oleo ad moderatā compagem coquito. Deinde squamā, æruginē, cerussam, & chalcitidem adijcito, & ubi non amplius inquinant, propolim, ammoniacum ac galbanum in mortario prius dissoluta, addito. Et ab igne ablatis ac aliquātulum frigefactis, reliqua arida minutissime trita ammisceto. Etiam planè frigefacta manibus emollito. Aliud ex dictamno, cuius admiranda uis est. Ad neruos, musculos ac chartilagines cōcisas. Vlcera quoq; antiqua ac ægre curabilia sanat, ossa corrupta, aculeos, & infixa extrahit. Habet uim discussoriam, facit ad capitis dolores. Reprimit oculorū fluxiones. Est & malagma pleuriticis cōmodū, & hepaticis, cum emplastro ex siccis parato, facit ad omnium uenenum eiaculātium reptilium plagas. Spumæ argenti drac. C. colophoniæ drachm. L. ceræ drachmas XXV. ammoniaci thymiamatis, aristolochię, singulorū drachmas XVI. mannæ thuris, galbani, singulorum drachmas XII. æris usti, ęruginis, dictamni, aloës, propolis, singulorū drachmas VIII. diphrygis, squamæ æris, radicis gentianæ, singulorum drachmas VI. olei antiqui lib. II. Hieras autē dictamni & aristolochię, singulorum drachmas X. conijcit, ammoniaci uerò solum drachmas XVI. In reliquis consentit. Hoc pręparatur uelut emplastrum Piscatoris, aut Tyrium, quę suprà retulimus. Verum eius meminisse conuenit, herbas non nisi ablato ab igne pharmaco, minutissime tritas immittendas esse. Sed & Democrates in cæteris similis, dictamni drachmas X. diphrygis uerò VIII. recipit, & ad mammarum, colli ac spinæ ulcera conuenire asserit, quantumuis fuerint diuturna.

Emplastra emollientia ac discussoria, ad multa commoda. *Cap.* XIIII.

Emplastrum Nigrum Asclepiadis, Achillæ inscriptū. Mammarum duritias, & testium inflammationes discutit. Hoc medicamentum discussoria ui omnibus alijs præstat, & ad multa commodum est. Locus autem prius abluendus est, deinde medicamentum adhibendum. Spumæ argenti libras sex, picis brutiæ libras quatuor, bituminis, resinæ pinus siccæ, singulorum libras VI. terrę ampeletidis lib. II. ceræ lib. IIII. thuris sequilibrā, aluminis scisi, aloës, myrrhæ, singul. trientem, olei omphacini antiquissimi lib. VIII. succi serapiadis lib. VI. aceti quantum satis est, præpara uelut panacæam. Nigrum è lolio Hieræ, facit ad fistulas, alarumq; ac inguinū abscessus, ut nihil abscindere opus sit per chirurgiam, sed tātum perforatione facta ac sanie exclusa, medicamētum imponere. Illinendum est autem duobus corijs, altero iuxta alterum locato, neque humor de splenijs detergendus est. Imbibitur enim & fortius fit medicamentum, picis libras duas, resinæ pinus siccę dodrantem, ceræ tyrrhenicæ, ceræ ponticæ, singulorum quadrantem, olei antiqui quincuncem, liquabilibus liquatis ac excolatis loliaceam farinam inspergito, & bitumen in aceti triente dilutum affundito, omniaq; simul in mortario subigito manibus frigida humectatis. Sit autem bituminis sesquiuncia, farinæ loliaceæ unc. XIIII. facit ad malignas mammarū duritias, parotidas ac perniones. Emplastrū Essentia appellatū, desiccandi uim & mitigandi dolores præ omnibus habet, facit ad sanguinis reiectationē, ad articulorum ac costarum duritias, ad gāgrænas, sinus, strumas, ulcera chironia, fistulas, ęgilopas. Spicula extrahit, hydropicos intra septimum diem curat. Hepati ac spleni magnopere conducit, pluribus diebus impositum, splenē penitus consumit, facit ad podagricos, & coxendicum affectiones. Spumæ argenti drachm. XX. cerussæ, æruginis, singulorum drachm. XX. squamæ æris, thuris, singulorum unc. I. bituminis bessem, resinæ pinus dextantem, & unciæ dimidium, ceræ uncias XVI. picis uncias XXXII. In alio exemplari habetur, ammoniaci thymiamatis drach. VI. galbani drach. VI. Spumam argenti & cerussam ad bonam cōpagem coquito. Aliqui etiam bitumē in principio cū his inijciunt, utūturq; eo ubi magis siccare proposuerunt: deinde reliqua ex ordine imponito, uelut sæpe diximus, at si plus iusto coxeris, duritias non mollit. Emplastrum Ebrietas uocatum. Vim habet discutiendi ac rarefaciendi, duritias inflammatas diffundit, facit ad ossium fracturas, ad uulnera cruenta, cōuulsa, rupta, uulsiones, coxendices, calculos. Ad omnes capitis affectiones utiliter adhibetur, aliquando fronti & temporibus, aliquādo uertici derasis pilis impositum. Spumę argēti dodrātem, olei antiqui sexuncē, olei rosacei, ceræ, singulorum sextantem, adipis taurini, terebinthinæ, thuris, singulorum trientem, picis dodrātem, galbani, opopanacis, æruginis, singulorum quincuncem, aceti sextarium I. præpara, uelut sæpe dictum est.

Emplastrum ex succis. Vulnera neruorum ab inflāmatione tutatur, sectiōes glutinat, ulcera inflāmata, & musculos uulneratos, citra aliud cataplasma aut fomentū sanat, facit ad podagricos quocūque tēpore adhibitum. Ad uteri inflāmationes ueteres ac recentes

recentes in pessis siue talorum formis subditur. Rosaceo, aut myrteo oleo dilutum caua ulcera replet, citoq; persanat. Et in summa, omnia reliqua cataplasmata ac medicamenta exterius adhiberi ulceribus solita, superuacua sunt, hoc præsente. Duritias quoque mollit ac discutit, cæteris ad hunc usum commodis ammixtum. Spumæ argenti lib. VI. olei recētis æstate quidem libras VII. hyeme uerò libras IX. succi libras IIII. oleum cū succo ad prunas coquito, & ubi feruere & bullas emittere desierint, spumam argenti inijcito, & ad lentum ignem donec non amplius inquinent coquito, & ubi flauum ac bonum colorem acceperit, nondum autem fuluum attigerit, ab igne tollito, frigefacito, manibus subigito, ac in massam cogito. Vsu uerò expetente sumuntur medicamēti partes duæ, olei & ceræ, singulorum pars una, aut plus, prout res postularit. Succus porrò ita præparatur. Aquæ sextarij XX. accipiuntur, radicis altheæ recentis lib. III. seminis lini fœnigræci, singul. sextarij dimidiū. Radices lotas & cōtusas aqua madefacito, & postridie fœnumgræcum purgatum & lotū adijcito, ac madefieri sinito, & tertia die semen lini similiter lotū addito. Et quarta die ad bonā spissitudinē coquito, & percolatū succū ad medicamēti præparationem accipito. Ego uerò, inquit Oribasius, duodecim aquæ sextarijs altheæ lib. IIII. fœnigræci ac lini seminis, sing. sextariū inijcio. Aliud emplastrū è succis, Oribasij. Spumę argēti, olei sing. lib. II. ceræ bessem, fœnigræci, seminis lini, radicū althææ, ptisanæ, sing. ęquales portiones prius madefactas coqto, donec crassissimus succus euadat. Et huius ex colati lib. II. postea coquito, uelut dictum est. Emplastrum ex ptisana. fœnigręci, seminis lini, ptisanæ, singulorum unc. I. meliloti, radicis altheæ, singulorum sextantē. Hęc probe mundata ac lota per biduum in aqua madefacito ac coquito, donec succū reddiderint. Et eius excolati lib. II. sumito, & olei antiqui lib. III. ac simul coquito, donec oleum solum restiterit, & huic postea taurini adipis sexuncem ammisceto, colophoniæ tantundē, galbani unc. I. ceræ lib. I. Hoc ungēto quopiam dissolutum, etiā laxādi uim habet. Emplastrum ex psyllio. Spumę argenti lib. IIII. olei dulcis lib. VII. ceræ lib. I. resinæ pinus lib. VII. succi psyllij lib. III. Succum uerò ita parabis, psyllij quadrātem in aquæ sextarijs quinq; madefacies, deinde coques, & excolatum succum rursus cum oleo & spuma argenti ad bonam compagē decoques, & liquabilia liquata adijcies. Hoc ad omnes induratas inflāmationes utiliter adhibetur. Aliud è psyllio simplicius, inflāmationibus, intertriginibus, papularū eruptionibus, tuberculis ac podagris cōmodū. Spumę argēti, cerussæ, sing. sextantem, ceræ sexuncem, olei rosacei lib. I. succi psyllij lib. III. præpara & utere crudo. Nō enim coquitur. Aliud è psyllio simplicius, ad inflāmationes podagricas in ipsa pręsertim exacerbatione cōmodum. psyllij trientē in duobus aquę sextarijs madefacito, ac coquito, & excolato succū, ei q; ceræ sexuncē, olei lib. I. ammisceto. Emplastrum ex Serapiade, ad tubercula, papulas, & intertrigines. Spumæ argēti lib. I. olei lib. II. succi serapiadis triteesticularis lib. III. Spumā argenti cum oleo & succo ad bonā compagem decoque ac utere. Psittacium. foliorum hyoscyami uiridium, colophoniæ, ceræ, adipis porcini, singul. sexuncem, ad folia trita affundito liquefacta, ac utitor. Emplastrum ex Althea, Polletis. Corticem radicis althęæ herba uigente in pila contundito, deinde in æneum aut fictile uas translatum, uino albo ueteri odorato ac adstringente respergito, ut solum humectetur. Deinde tegito, ac per triduum sinito. Quarta die rursus in pila tundito, & succum fortiter exprimito. Et accipito colophoniæ uncias XXIIII. ceræ trientem, olei, æruginis, singulorum sextantem. Succi heminas Atticas II. præparatur autem hoc modo, colophoniam oleo liquatam ac colatam, ad lentum lignorum pini ignem coquito, & tædacea spathula agitato, donec in aquam instillata solidior euadat, deinde ceram adijcito, eaq; liquefacta ollam ab igne tollito, & ubi frigefacta fuerint, succum paulatim affundito, ac caueto ne efferuescat: facile enim ebullit ut super effundatur, postquā autem constiterit, rursus igni adhibeto, & ubi incaluerint, æruginem inijcito, & ablata ab igne frigefacito, ac manibus subigito, ut probe uniantur, facit hoc ad noua & antiqua ulcera, ad ferarum ac canum morsus. Virus enim ab ulcere extrahit, panos & strumas aut discutit, aut suppurat, aut rūpit, aut materiam ad superficiē euocat, uelut in sugillatis, ac in uaporē diffundit. Sedat dolores, scabiem ac scabros ungues, lepramq; ac uitiligines exterit, nec soluendū est in his ante septimum diem. Aculeos & infixa extrahit, podagricas inflammationes in ipsa exacerbatione mitigat, tumores articulorum ac ganglia dissoluit, fauos ac ficus curat, hydrocephalam infantiū, aquosam capitis affectionem sanat. Splenis duritiā mollit, cancros non ulceratos lenit, imminentemq; erosionē cōpescit, pesso exceptum ac subditū mēses ducit, pectini impositū calculos pellit, urinæ difficultatē corrigit. Aluū suppressam laxat. Rosaceo dilutū, plātarū rimas sanat, ulcera testiū ac pudendorū repurgat & incarnat. Et si absq; ęrugine pparetur, serpētia ulcera sistit. Ossiū fracturis prodest, irrigatiōis uice adhibitū. Dolores eīm sedat, fit etiā ex floribus althęæ rosaceis similibus efficacissimum pharmacū, hoc modo. flores illi resectis unguibus tundūtur, & ad puluillum rediguntur: & eius sumuntur partes XII. colophoniæ partes XXXVI. ceræ partes VI. olei partes II. Omnia simul uelut dixi præparata manibus probe subigito ac utitor, priore cōmodius est, & dolores amplius mitigat. Emplastrum ex semine lini, Polletis. facit ad pectoris affectiones. Neruosarū partium inflāmationes discutit, ac dolorē mitigat, facit ad exacerbationes podagricas, & contractos articulos relaxat. Seminis lini partes II. farinæ ordeaceæ partes III. colophoniæ partes IIII. ceræ partes IIII. resinæ pinus liquidæ, uel cupressi, si haberi potest, partes II. seminis thlaspios partē unā, florum chamęmeli, pilularum cupressi clausarum, singulorum partē unā, olei partes duas. Cerā & colophoniā cum oleo ad prunas liquefacito, & assiduè uersato, & ab igne ablatis cupressi pilulas tritas & cribratas adijcito, ac caueto ne efferuescant. Deinde farinā, semen lini, resinam liquidam addito, & rursus ad ignem adhibeto, & paulatim donec uniantur coquito, postea procul ab igne chamæmelum & thlaspim inspergito. Et tandem medicamentum in mortarium frigida semiplenum coniectum diligenter manibus subigito. Emplastrum Elephantinum. De Elephantino Polles libro secundo. Id ego inquit, prius inueneram,

neram, sed postea longo usu ductus immutaui, & quum facilius meliusq; ac fortius cognouerim, in hunc secundum librum retuli. Dorycnij siue solani uesicarij dextãtem, radicis mãdragoræ bessem, radicis panacis sexuncem, colophoniæ sextantem, resinę pinus liquidæ trientẽ, opopanacis sextantem, ceræ, terebinthinæ, singul. lib. I. bdellij unc. XX. aceti lib. I. uel amplius. Quidã etiam potamogitonis unc. XX. adijciunt. Verum descriptio non habet. Aliud Elephãtinum, facit ad contractos articulos, mollit ac discutit podagricorum callosas concretiones, & in ossium fracturis inductos callos dissoluit, panos, strumas, & quamlibet duritiam emollit. Quod si experiri libuerit, eboris aut cornu segmentum ex eo illinito, & ad dies triginta aut quadraginta alligatũ sinito, & deinde soluito. Et nõ reperis eboris aut cornu naturã, sed aliud quid, quod commode flecti possit. paratur autẽ sic. Corticis radicis dorycnij aut solani uesicarij uirentis, siue in umbra siccati, corticis radicis mandragoræ, singulorum bessem, radicis panacis sexuncem, opopanacis bessem, potamogitonis uiridis, bdellij, resinæ pinus liquidæ, singulorũ uncias XX. terebinthinę lib. I. ceræ sextãtẽ, aceti albi bessem. Mandragoræ ac solani corticis uirentes quidẽ, in pila tundito, & postea in mortario terito: siccos uerò cum panacis radice terito ac cribrato, similiter etiam bdellium terito, ac potamogitonem, omniaq; simul in mortario mixta terito, aceto paulatim instillato. Et liquefactis quæ liquari debẽt, excolatisq; ac ad probã cõpagem coctis, & ad trita ammixtis, medicamẽtũ frigefactũ manibus subigito, & in fictili uase aceto affuso seruato, & ne trãspiret probe cooperito. Emplastrũ ex herba sacra siue uerbenaca, Polletis. Verbenacæ rectæ in uigore cũ radice euulsę ac exiccatæ, tusęq; ac cribratæ sexuncem, colophoniæ lib. II. ceræ trientẽ, olei sextantẽ. Liquabilia liquefacito, colato, & ad bonã compagem coquito, & adiecta uerbenaca subigito ac utitor, facit ad omnẽ capitis dolorẽ, ad hemicraneã, ad oculorũ fluxiones, ad dentiũ dolores extrà adhibitũ. Ad scorpionũ ictus. Ad neruosarũ partiũ inflãmationes, & omnino impositũ partes à fluxione tutatur. Emplastrũ Geraniũ, Polletis. facit ad laxatos ac crassos neruos resolutionis periculũ expectãtes. Ad oẽs fluxiones, tumidosq; ac inflãmatos articulos, ad gãglia, steatomata, atheromata, strumas, panos, & quęcũq; molliri, attenuari, rũpi, ac extergi debẽt. Ramẽta statuæ æreę, ex asidua olei illitione sordidæ ac æruginosæ lib. II. ceræ lib. II. sandycis, sandarachæ, terebinthinæ, singulorũ lib. I. Quod si statuæ ramenta sicciora fuerint, terebinthinæ lib. II. accipito, & cum his omnibus gruis pennas unito. Hoc modo. Gruis pẽnas omnes in ollam nouam conijcito ac operito, argillaq; oblinito, & in fornacẽ mittito. Eamq; ubi totã exterius ignitã uideris, extrahito, ac frigefieri sinito. Ea deinde aperta pẽnas ustas eximito ac terito, & longo tẽpore antea paratos asseruato, & medicamentum postea sic præparato. Ceræ ac resinæ liquatis ac excolatis, sandicem & sandaracham minutissime tritas adijcito, & uersato donec omnia fuerint probe mixta, & postea ab igne ablatis pennarum cinerem ammisceto, ac simul subigito, frigefacta autẽ aliquatenus medicamento statuæ æruginem cum modico aceto tritã adijcito, atque in mortario probe unito, subigito, ac utitor. Emplastrum ex buglosso, Polletis. Buglossum herbã cum radice euulsam, & in umbra siccatam, terito ac cribrato, & sumito eius pates IIII. colophoniæ, resinę pinus liquidę, cerę, singulorum partes VIII. olei partes V. Colophoniam cum oleo ad lentum ignem coquito, ac spathula agitato: ubi uerò durior apparuerit, resinam liquidã adijcito, ac rursus coquito, donec non amplius inquinet, & postea ceram adijcito. At ubi ab igne amoueris, cribratam herbã addito, & medicamentum in mortarium aqua semiplenum infundito, ac manibus subigito, Facit ad oẽs inflãmationes, strumas, parotidas, panos, plagas, collisiones. Ad antiqua & maligna ulcera, ad ulneratos neruos, sinus, nomas, fistulas. Repurgat, mollit, cõtrahit, attenuat, & quædã discutit, quędã rumpit, replet, & ad cicatricẽ perducit. Dolores ulcerum ueterum ac recentium statim sedat, & liuida abolet. Ego uerò in buglossæ defectu nycteridẽ herbam, ab aliquibus unguentum Helenes appellatam, ad coxendicum affectiones adhibui, & bene successit. Emplastrum ex achate lapide, Polletis. Lapides achates appellatos, leoninæ pelli colore similes, in fornacem fabrilem mittito, & aggestis carbonibus ualde sufflato, & ubi ignitos lapides uideris, forcipe extrahito, refrigeratosq; terito ac arctissimo cribro excutito. Deinde accipito colophoniæ drachmas XLVIII. resinæ pinus, ceræ, singulorum bessem, olei trientem, achatum lapidum ustorum quincuncem. Colophoniam cum oleo liquatam coquito donec non amplius inquinet, deinde ceram ac resinam prius liquata & excolata adijcito, & his unitis lapidum cinerem addito, ac rursus ad moderatam compagem coquito: postea medicamentum in frigidam aquam missum frigefieri sinito, & manibus subactum in massam cogito. Vtere hoc ad scorpionum, uiperarum, & uenenum eiaculantium bestiarum ictus, facit ad tumores ægre concoctiles ac sanabiles, ad induratos tumores, ad liuida. Velocem suppurandi uim habet: Strumas aut discutit, aut concoquit & rumpit. Erit autem efficacius ad strumas, si capparis folia uiridia, aut corticem eiusdem probe tritum, ad emplastrum calefactum ac remollitum ammiscueris. Emplastrum parhygrũ, facit ad inflãmationes ad duritiam quãdam inclinantes. Adipis porcini à fibris depurati uncias XLIIII. ceræ uncias XXIIII. spumæ argenti, cerussæ, singulorum sexuncem. Liquida cum aridis permisceto. Manebit quidẽ hoc pharmacum aliquandiu liquidius, sed postea ad bonam compagem perueniet. Emplastrum è buccinis. Hoc Xenocrates malleoli abscessum suppuratum iam discusit. Inflãmationes autem induratas, præsertim parotidas, priusquàm in pus transmutentur, mirifice dissoluit. Spumæ argenti dra. CC. ceræ dra. LII. olei antiqui lib. III. cerussæ drach. VIII. terebinthinæ drach. LII. buccinorum ustorum drach. X. thuris drach. XIX. aquæ sextarium. Spumam argenti & cerussam minutissimè trita, rursus cum aqua terito, & iterum cum oleo, & ex mortario in ollam translata, lẽto igne coquito, asidueq; uersato ne subsideant, deinde cerã, & mox thus ac terebinthinam adijcito, & ad bonã compagem, non tamen multam duritiã coquito. Postremum cinerem buccinorum addito, & paululum feruere sinito, & medicamẽtũ ab igne tollito, & in mortariũ aqua humectũ effundito,

dito, & diu manibus subigito, ut glutinosum euadat: nam temporis progressu durius propter buccina efficitur. Emplastrũ Dionysia appellatum. Inflãmationes & abscessus mammarum præsertim, discutit: omnẽ enim humorẽ per cæcos meatus diffundit. Sed & duritias ac parotidas dissoluit. Ceræ, terebinthinæ, spumæ nitri, olei antiqui, singulorũ sexuncẽ, misyos crudi un. I. aquæ coactiliariorũ quantũ sufficit. Spumã nitri & misy cum aqua terito, & cũ oleo coquito, deinde cerã, mox terebinthinã adijcito, & ebullire sinito, donec nõ amplius inquinẽt, nõ tamẽ nimis solida euadãt, & sublatum ab igne medicamẽtũ in mortariũ aqua humectũ diffundito, manibus subigito, ac utitor. Hęc dionysia inter attractoria emplastra rectè descripta habetur, eaq́ utaris uelut istic descripta est. Emplastrũ è sapone, discussoriũ præcipuũ ad furunculos. Adipis porcini, picis, ceræ, saponis nigri, æquales portiones liquatas excolato ac utitor: discutit etiã hydropas. Aliud, ad furunculos, parotidas & panos. olei antiqui, ceræ, saponis, nitri, lixiuij, æquales portiones. Cerã cũ oleo liquefacito, nitrum uerò cum lixiuio in mortario terito, & deinde saponẽ simul cõterito, & in ollã cõiecta paulatim coquito ad moderatã compagem, & utitor. Emplastrũ ex Heliotropio. Facit ad percussa, collisa, luxata, uulsa, rupta, stilorũ ac similium rerũ pũcturas, ad dolores in profundo. Neruos ab ictu aut frigore crassefactos, aut aliter affectos curat, firmat, & dolore liberat. Vlceribus antiquis, & uulneribus recentibus confert. Aduersus medicatas sagittas loco affecto imponitur. Ad digitos contusos, etiam si ossiculum collisum sit, ab inflãmatione tutatur, & dolorẽ eximit. Maturat, suppurat, discutit, contrahit, glutinat, repurgat, incarnat, cauitates replet, & ad cicatricem perducit. Heliotropiũ herbã tria grana habẽtẽ, in autumno totã cum radice euulsam & in umbra siccatã terito, ac cribrato, & eius accipito trientẽ, colophoniæ splendidissimę unc. XLVIII. resinę pinus, aut cupressi liquidæ bessem, cerę bessem, olei trientẽ. Resinã, oleum, cerã, simul liquefacito: deinde herba adiecta ad lentũ ignẽ coquito, & tædacea spathula agitato, donec bonã cõpagẽ acquisierit medicamẽtum, & in frigidam diffusum subigito ac utitor. Strumas & duritias suppurat, rumpit, siccat, incarnat, ad cicatricẽ ducit, & dolorẽ sedat. Emplastrum Mnaseæ, secundi mollientiũ ordinis. Spumæ argẽti, adipis porcini, olei, æquales partes simul decoque, donec non amplius inquinant, & si fortius medicamentũ efficere uolueris, adipẽ & oleũ utrunq́ uetus accipito: uetustiora enim efficacius reddũt medicamentũ. Quòd si magis emolliens esse uolueris, oleũ minues, & adipẽ augebis. Si uerò magis discussoriũ, adipi detrahe, & oleo adde. Quidã cũ oleo & adipe radicis altheæ cõtusæ sesquilibrã coquunt, donec torrefiat, eaq́ abiecta, in oleo ac adipe colatis spumã argenti coquũt, sicut diximus. Atq́ sic quidẽ Galenus. Mnaseas autẽ sic. Spumæ argẽti, ceræ, passi, colophoniæ, olei, axũgiæ, sing. lib. I. oleũ & spumã argẽti coquito, donec nõ inquinant, & cerã, colophoniã, axungiã, liquatas & excolatas adijcito, ac rursus ad bonã cõpagẽ coquito: deinde passum affundito, ac fortiter agitato. Et sublatum ab igne pharmacũ sub canis æstu insolato, & quotidie cũ spathula uersato, donec ad debitã soliditatem perueniat. Emplastrum Helladicum mollitorium. Ammoniaci thymiamatis, spumæ argenti, cerussę, olei antiqui, resinæ pinus, ceræ, sing. lib. I. thuris sexuncẽ, galbani sextantẽ, castorij lib. II. propolis, opopanacis, sing. lib. I. aceti quantum satis est. Oleum, spumã argenti & cerussam simul coquito, & medio cocturæ tẽpore ammoniacũ tritũ adijcito, & ebullire sinito, donec nõ amplius inquinent, deinde liquabilibus additis ac probè ammixtis, thus & castoriũ minutissimè trita addito. Et postremum opopanacẽ aceto dissolutũ affundito, & perfrigeratum pharmacũ manibus subigito, ac utitor. Discutit abscessus etiã in pus transmutatos. Aliud, emolliens ac discutiẽs abscessus. Spumę argenti sexuncẽ, cerussę sesquiunciã, ceræ trientẽ, ammoniaci thymiamatis sextãtẽ, galbani, myrrhæ, thuris, singulorũ trientem, olei lib. I. oleũ, spumam argenti, & cerussam coquito, donec nõ amplius inquinet, deinde ammoniacũ, mox cerã & thus ac galbanum adijcito, & ab igne ablatis myrrham addito, subigito ac utitor. Aliud, discutiẽs abscessus, & iã ruptos expurgans ac sanãs. Facit & ad capitis lendes. Colophoniæ sexuncem, ammoniaci thymiamatis sextantẽ, mastiches un. I. ceræ unc. I. galbani scru. IIII. opopanacis scru. III. æruginis scrup. IIII. resinæ pinus lignosæ, olei, singulorum trientem. Aliud è tritici polline. Facit ad abscessus & furũculos, ad herniã aquosam & intestinorum, post chirurgiam inflammationibus sedatis. Ceræ, pollinis tritici, resinæ liquidæ, singulorũ sexuncem, ammoniaci thymiamatis quadrãtem, olei trientem, aceti aut uini quãtum satis est. Pollinẽ pridie in aceto aut uino subiges. Sequẽti die liquatis his quæ liquari debẽt, fermentatũ pollinẽ probè subactũ in mortario ammiscebis, & uteris. Aliud è fermento. Saponis, sandarachæ, singulorũ sextãtẽ, fœni græci un. I. resinæ pinus lib. I. colophoniæ, cerę, sing. sexuncẽ, fermenti sexuncem. Fermentum aqua dilutum cũ liquabilibus liquefactis miscebis, & terẽda trita adijcies, omniaq́ simul subiges, ac uteris. Hoc discutiẽdi ac rumpendi uim habet. Aliud è Masticha. Colophoniæ lib. I. ceræ sexuncẽ, ammoniaci thymiamatis triẽtẽ, mastiches, galbani, terebinthinæ, singu. sextantem, omnia liquefacito ac excolato, & in frigidã cõiecta emollito ac utitor. Aliud trium specierum appellatũ. Cerã, colophoniã, terebinthinã liquidam, paribus portionibus simul liquefacito, & in frigidã mittito, subigito ac utitor. Hoc sicut etiã quod proximè pręcedit, ossa capitis denudata incarnat, & squãmas citra molestiã disparat, & solum absq́ alterius usu ad cicatricẽ perducit. Quòd si mastichẽ pari portione adijcias, ad ossiũ fracturas admirandũ euadet.

Emplastrũ Iudæi. Colophoniæ lib. I. mastiches un. I. olei trientẽ, omnia simul liquefacta in frigidã mittito, & post ruptos abscessus utitor, ita ut nihil reseces, neq́ linamentum indas, sed solum medicamento cauitatem expleas. Ex eodem etiã emplastrum adhibeto, citissimè repurgat, ac præ cæteris incarnat. Postquã autem ulcus explanatum fuerit, ad cicatricem inducendã alio medicamento opus est. Nã hoc superuacuã carnem efficeret. Emplastrũ reipublicæ præsidis. Resinæ quæ in uasculis ac laguncul is ligneis affertur, excolatę lib. I. ceræ quadrãtem, mastiches tãtundem, olei à Martyreo uel aliunde allati, sesquiunciã. oleum cum resina liquefacito, cẽtaurijq́ uiridis, si haberi potest, sin minus, arido fasciculo agitato,

agitato, & his excolatis reliqua ammisceto, ac manibus subigito. Quidam centaurij sicci un. I. adijciunt: inter liquādū uerò & dū agitas, hæc uerba insusurrato. Deus Abrahā, deus Isaac, deus Iacob, huic pharmaco uires largiatur. Hoc sinus & fistulas glutinat, ægilopas siccat. Et si centaurium receperit, duritias ac strumas inchoantes emollit. Emplastrum Mutum appellatum. Ammoniaci thymiamatis, galbani, opopanacis, singulorum unc. I. mastiches, ceræ, colophoniæ, singulorum sexuncem, aquæ marinæ quantum satis est. Aliud. Hoc ad ossium fracturas inflammationibus sedatis facit. Optimè cicatricem inducit. Colophoniæ, resinæ pinus, singulorum lib. I. ceræ sexuncē. Omnia in ollam feruidæ aquę missa liquato ac excolato, deinde in frigidam transfusa emollito, & in massam cogito, ac utitor. Aliud, mirificè molliens. Facit ad stomachi duritiam ac frigidos affectus. Colophoniæ puræ sextantem, ceræ albæ trientem, mastiches puræ unc. I. olei cyathum I. Omnia simul liquata ad probam compagem coquito. Emplastrum Pyxis inscriptum. Confert ad omnes inflammationes, præsertim pedum, egregiè enim emollit. Ceræ, colophoniæ, singul. sexuncem, succi seminis lini trientem, adipis porcini sextātem, terebinthinæ quadrantem, & unciæ dimidium, olei omphacini dextātem, ammoniaci thymiamatis unc. I. thuris quadrantē, lactis bubuli trientē, & unciæ dimidium, ouorū candida nouē. Ammoniacū & thus cū lacte, succo, & ouis terito, & reliquis liquefactis ammisceto. Aliud è melle, mollit ac discutit. Spumæ argēti, olei, singul. lib. II. colophoniæ, ceræ, axūgiæ, mellis, sing. unc. XX. spumā argenti cum oleo & axungia coquito, donec non amplius inquinant: deinde reliqua liquata adijcito, & ab igne ablatis mel affundito, & frigefactum medicamentum manibus emollito. Melinum Serapionis uulnerarium, ad multa cōmodum, Omnes duritias dissoluit, abscessus discutit, humores per occultos meatus diffundit. Sinus glutinat, spicula, ossa corrupta & aculeos extrahit. Rosaceo dilutum caua ulcera replet, Sedat etiam inflammata. Hoc præceptor Lucius utebatur, atq; ipsum dupliciter præparabat, modò glutinosum, modò solidius efficiens: collyria enim ex solidiore formabat, & filum innectebat, & sic ad usum paratos habebat, ac in sinus fistulosos indebat, filo foras propēdente ad cōmodiorem extractionē: quæ enim sine filo induntur, quum duriora sint, sæpe frāguntur, & priuatim abscessus efficiūt. Spumæ argēti drac. CIIII. colophoniæ dra. LXIIII. ceræ drach. XLVIII. ammoniaci thymiamatis dra. XXIIII. æruginis, myrrhæ, galbani, sing. dra. XX. olei æstate unc. XV. hyeme XVIII. spumā argenti cū oleo ad lentum ignē coquito, & ab igne ablatis æruginē inijcito, ac ne efferuescat caueto, & rursus coquito donec nō inquinant, & ad cotonei mali colorē perueniant. Dein de cerā ac resinam liquefactas ac excolatas addito, & ubi parū ebullierint, ammoniacū leuissimè tritū, & aqua aut aceto dilutū ammisceto, & mox galbanū tritum addito, & tandē ab igne amotis myrrhā inspergito. Melinū Pasionis Athanasia inscriptū, ad ueteres sinus, etiā si usq; ad uacua perforati fuerint. Idem puerorū strumas recentes discutit. Facit & ad articulos distortos ac lācinatos, sicut Hieras & Galenus testantur. Spumæ argenti, resinæ pinus siccę, singulorum drach. C. ceræ drac. XII. S. olei, uini ueteris odorati adstringētis, singulorum heminæ dimidiū Spumam argenti cum uino ad solem æstiuum pluribus diebus terito, donec fuerit exiccata, & postea cum oleo ad lentum ignem coquito, donec non amplius inquinet. Postea ceram ac resinam adijcito, præparato, ac utitor. Emplastrum Venus appellatum, ad multa cōmodum. Omnem duritiā dissoluit, strumas discutit, spicula & aculeos extrahit. Ad uenenū iaculantiū bestiarū morsus mirificè cōmodum. Fistulas & sinus glutinat. Podagricis per exacerbationū interualla utiliter imponitur, & coxēdici diuturnæ medetur, spumę argēti unc. XXV. ammoniaci thymiamatis dextantē, colophoniæ un. XVI. æruginis, galbani, sing. sextantē, bdellij, opopanacis, sing. quadrantem, myrrhæ, aristolochię, sin. un. I. olei antiqui lib. II. Oleum cum spuma argenti coquito, & in medio coctur æ tempore æruginē adijcito, & donec nō inquinent bullire sinito, deinde colophoniā liquatā & excolatā addito, & ab igne ablatis, aristolochiam ac myrrhā aceto trita, cū galbano, bdellio, ac opopanace ammisceto, & in mortariū transfusa subigito, unito, ac utitor. Aliud emplastrum Venus appellatū. Facit ad eadē uelut præcedens, & est ad podagras per exacerbationū interualla ualde insigne. Olei antiqui lib. III. spumæ argenti lib. II. ammoniaci thymiamatis lib. I. ceræ unc. XXII. colophoniæ dodrantē, galbani, æruginis, singul. quadrātem, resinę pinus unc. XVI. myrrhæ trientē, prępara, uelut dictum est. Emplastrū Panacęa, emolliens ac discussoriū. Ceræ bessem, colophoniæ, terebinthinę, sing. lib. I. ammoniaci thymiamatis sexūcē, galbani, opopanacis, pollinis thuris, olei, sing. un. I. uini quantū satis est. Emplastrum è rumice, ad multa commodum, abscessus discutit ac rūpit, strumas mollit. Cerę, resinę, adipis porcini, foliorū rumicis uiridium probè cōtusorū, spumę nitri, ammoniaci thymiamatis, sin. lib. I. præpara, & usus tempore cum oleo antiquo emolli, ac utere. Emplastrū è perna, omnē duritiā, strumas, gāglia, meliceridas, & reliqua huiusmodi dissoluit, sinus glutinat. Facit ad furunculos, abscessus, neruorū per cōsensum affectiones, confert pleuriticis, coxendicūq; ac articulorū affectionibus. Pinguedinis suillæ è perna antiquissima, spumæ argenti, sin. lib. III. resinæ pinus lib. I. ammoniaci thymiamatis quadrātē, galbani, thuris, euphorbij, sin. un. I. pinguedo uerò de perna sic parāda est. Pernā suis antiquā in olla fictili cū aqua præsertim marina coquito, & eius iusculi excolati ac refrigerati pinguedinē cōcretā, tū superstantē, tum subsidentē accipito, & expurgatā ad medicamēti præparationē asseruato. Cum hac itaq; liquata spumā argenti ab lentū ignē coquito, donec nō amplius inquinet, deinde ammoniacū adijcito tritū, & postea resinā excolatā, & thus minutissimè tritū: his uerò unitis galbanū pręmollitū addito, & sublato ab igne medicamēto, euphorbiū ammisceto, ac utitor. Emplastrū è perna, Galeni. Callosas instar tophorum concretiones dissoluit. Pinguedinis pernæ suillæ pręparatę, uelut dictū est, lib. I. ammoniaci thymiamatis, casei bubuli aut caprini uetustissimi, adipis taurini, apochymatis, hoc est, resinę cū cera ex nauigijs derasę, sing. lib. I. medullę ceruinę bessem, œsypi quadrantē, opopanacis unc. I. olei cyprini sexuncē, uini quantū satis est: cætera liquato ac excolato.

Caseũ uerò cũ uino terito ac liquefactis adijcito, prę parato, & in mortario manibus emollito. Emplastrum mollitorium Lucij præceptoris, ad distortos articulos inscriptum. Facit ad abscessus profundos, neruos & articulos contractos. Prodest opisthotonicis neruorum per consensum affectionibus, eximit lassitudinẽ oleo cyprino aut irino, aut laurino dilutum. Item ad duritias diuturnas ac ægrè curabiles. Bdellij, adipis uitulini, ammoniaci thymiamatis, iridis Illyricæ, sin. dra. XVI. opopanacis dra. L. galbani, canchryos, styracis, thuris, sing. dra. VIII. piperis grana CLX. ceræ, terebinthinæ, singul. sexuncem, olei irini æstate quidem sextantẽ, hyeme uerò quadrantẽ, uini quantũ satis est. Ceram cum oleo liquefacito, & ammoniacũ, bdellium, ac thus trita ammisceto. Et si thus ægrè teri posit, uino madefactũ conteratur: & his omnibus probè unitis, terebinthinã ac styracem addito, deinde ab igne ablatis, iridẽ, cãchry, & piper minutissimè trita adijcito, & postremũ opopanacẽ uino dissolutũ affundito, & probè subigito. Hoc medicamentũ supremi ordinis est emollientiũ: nec facilè reperias quod magis induratas partes molliat, ac duritiã discutiat. Emplastrum è psyllio, experimento cõstans. Strumas resiccat ac discutit, furũculos dissoluit, inguinũ ac alarũ abscessus etiã in pus transmutatos discutit, sinus glutinat, ganglia diffundit, clauos in manibus ac pedibus exterit, carbũculos sanat, uitiligines emẽdat. Radicis altheæ tritæ cribratæ un. I. psyllij triti cribrati sextantem, stercoris columbini minutissimè triti, axungiæ ueteris purgatæ, singulorum quadrãtem. Picis siccæ lib. I. mastiches nigræ Aethiopicę quadrãtem, aut si haberi nõ potest, Chię tantundem, quæ liquari possunt liquato, & ab igne amotis arida ammisceto, & frigefactũ medicamentũ probè manibus subigito, atq; usus tẽpore, chartę aut corio inducito. Mollitorium ex ruta. Articulos manuum contractos mirificè emollit. Ceræ trientẽ, terebinthinæ sextantem, galbani, opopanacis, œsypi, castorij, singul. unc. I. euphorbij trientem, rutæ sextantem. Liquabilia liquefacito, & euphorbium, castorium, singula seorsim trita, cum opopanace ac rutæ folijs in mortario contritis simul subigito, & ad liquefacta ammisceto. Aliud emolliens.

Strumas, parotidas, furunculos, panos ac meliceridas dissoluit. Ladani mollis, bdellij Scythici resinosi, propolis recẽtis ac mollis, ammoniaci thymiamatis, terebinthinæ, æquales portiones præpara & utere. Aliud molliẽs ac discutiens. Facit ad strumas, parotidas, meliceridas, itemq; atheromata. Vtimur eo etiã ad uasorum dilatationẽ. Spumæ argenti dra. C. colophonię, adipis caprini, singu. drach. LXXX. ceræ, rubricæ, uisci, singul. drachm. XL. lapidis pyritæ drachm. XVI. picis drac. XXIIII. calcis uiuæ marmoraceæ drach. XXXII. galbani, ammoniaci thymiamatis, bdellij, singul. drach. XVI. cerussæ, aloës, myrrhæ, bituminis, mannæ thuris, dictamni, singulorum drach. XII. olei antiqui lib. III. spumã argenti, oleũ, cerussam, adipem, simul ad bonam compagem coquito: deinde ammoniacum & bdellium trita adijcito, & his liquatis primum uiscum, deinde lapidẽ pyritẽ, ac calcem, & cætera sicca trita addito, & omnia unita, frigefacta, manibus subigito, ac utitor.

Aliud, abscessus ac strumas discutiens. Candidum canis fimum terebinthina excipe, ac utere. Aliud. Sedat inflammata, strumas, hernias carnosas, & omnẽ duritiam emollit. Caricarũ pinguium, nitri tosti, seminis nasturtij, singulorũ ęquales partes cum melle emplastri forma excipito, ac emollito. Emplastrum è buglosso. Duritias dissoluit. Buglossi bessem, spumæ argẽti quadrantẽ, ammoniaci thymiamatis sextãtem, adipis porcini sexuncem. Olei antiqui tantundem. Emplastrũ Persarum è lapidibus, Tyrrhenicũ & Pampathes appellatũ. Vesicæ & rhenum calculos cõfringit impositum. Callos in manibus ac pedibus dissoluit: citra molestiã enim eos suppurat, & est post septimã tãdem diem exoluendum: idem etiam in steatomatis, strumis, gutturis tumore, gãglijs, & similibus facit. Ad ęgilopas & fistulas antiquas, prę sertim sedis, sub alis inguinum ac mammarũ, uelut mysteriũ diuinum habetur, in his autem quinta exoluendũ est, & callus fistulæ derasus apparebit, nec desistendũ est ab eius usu, donec callus penitus fuerit excisus. Facit & ad ulcera maligna, & ad ungues manuum ac pedum motos, ut à Deo missum putes. Ad herniam aquosam, hydropem, splenis tumorem, corio pro tumoris magnitudine inductũ imponitur. In hydrope sanè anterius ab alis usq; ad inguina, posterius à ceruice usq; ad lumbos: omnẽ enim aquã ui debis diuino quodã mysterio efferri, eoq; uteris donec res melius habere uidebitur. Ad anhelosos insuper ac erecta ceruice spirantes, tabidos, & deploratos intus delitescentes abscessus, pilulas cum modico melle ex eius pastillis feci, easq; uiris, mulieribus, pueris, senibus, exhibui, & deploratos reuiuiscere uidi. Idem & in pestilentibus constitutionibus feci, & plures à peste liberaui. Verum desino plures alias eiusdẽ uires recensere, ne tantum Dei munus aliquis fabulã putet. Spumæ argẽti lib. I. ceræ un. XVII. ammoniaci thymiamatis quadrantẽ & semunciã, propolis unc. XVI. s. galbani sesquiunciã, squamæ æris unc. I. lapidis phrygij unc. XVIII. resinæ pinus siccæ lib. I. diphrygis sextantẽ & scru. XVIII. æris usti un. I. thuris sextantem, & obo. IIII. radicis aristolochiæ rotundæ un. XL. & scru. XVI. lapidis magnetis uiuentis ac trahẽtis un. I. aloës sextantẽ & semunciã, dictãni quadrãtem. Cinnabaris cõmunis scru. XVIII. adipis struthocameli lib. II. lapidis pyritæ sextantem, lapidis uitæ scythici scrup. XVIII. lapidis hæmatitæ unc. I. cadmiæ ustæ trientem, gentianæ, aristolochiæ longæ, lapidis parciaci, aut pro eo gagatæ, singul. unc. I. betonicæ, radicis chamæleonis nigri, singu. unc. I. in alio exemplari, scrup. XVIII. æruginis un. I. olei antiqui lib. I. in alio lib. II. floris salis, aceti scillitici, singulorũ quantũ satis est. Spumã argẽti & lapides omnes primũ seorsim, deinde simul tritos, ad salis florẽ ammisceto, & ad fecis compagẽ simul cõterito. Deinde æruginem & æs trita adijcito, postea thus, aloẽn, ammoniacũ, singula seorsim trita addito, & mox galbanũ, & semper florẽ salis addendo cõterito. Postremũ herbas minutissimè tritas ac cribratas immittito, & rursus flore salis addito cõterito ac subigito, & cum aceto scillitico pastillos & massas formato. Quæ uerò liquari debent, priuatim liquefacta seruato, & ubi medicamentum in usum assumere uoles, ammisceto. Cæterũ locus cui adhibẽdum est medicamentũ, oleo ne inquinetur. Aliud, strumas discutiens. Spumæ argenti lib. I. olei antiqui sesquilibram, auripigmenti unc. I. spumã argenti cum

ti cum oleo coquito, donec non amplius inquinet. deinde auripigmentũ prius cum olei sextãte tritum adÿcito. Vtere cõfidenter, & ne contempseris utilitatem. Aliud ad strumas. Spumæ argenti sexuncẽ, æruginis ferri sextãtẽ, ammoniaci thymiamatis, olei antiqui, singulorũ bessem. Spumã argenti, æruginẽ, & ammoniacũ, singula seorsim trita coquito, ita ut æruginem & spumã argenti cũ oleo primũ coquas, & ad semicocta ammoniacũ adÿcias, sinasq; ebullire donec non amplius inquinent. Aliud è sale, Democratis, omnẽ duritiã discutit. Salis triti, cerussæ, singul. lib. I. galbani, propolis, aristolochiæ, singulorum sextãtem, olei ueteris libras II. & si crassius fuerit pharmacum, aliã adhuc olei librã adÿcito. Cerussam & sal cum oleo coquito, donec nõ inquinet. Deinde galbanum & propolim, postremum aristolochiã, singula trita addito, ac preparato. Aliud eiusdem. Discutit strumas, omnem frigidum humorem absorbet, hepatis ac splenis aquosas affectiones sanat, urinã prolectat, coxendices ueteres curat. Ceræ, resinæ pinus, colophoniæ, sing. lib. I. calcis uiuæ, aluminis scissi, auripigmenti, sing. unc. I. liquabilia cum modico oleo liquato ac excolato, deinde ad arida cũ modico aceto trita ammisceto, ac utitor. Posse hoc diuturnas uiscerum duritias dissoluere constat, ita ut multã humiditatem extrahat. Ciet quoq; mẽses diu suppressos. Ego uerò ablata calce, duplum aluminis adÿcio, & medicamentũ longè præstãtius cõperio: neq; enim pustulas excitat. Emplastrum Philagrÿ discussoriũ. Curat gutturis tumores, & duritias discutit. Spumæ argẽti dra. L. resinæ pinus dra. XL. olei antiqui drac. LXXX. æris usti, ammoniaci thymiamatis, sing. drac. VIII. aluminis scissi, mãnæ thuris, sing. dra. IIII, ceræ dra. L. spumã argenti cũ oleo coquito, & ad semicocta æs adÿcito, & bullire sinito donec nõ amplius inquinet: deinde ammoniacũ tritũ addito, eoq; liquato resinã & cerã liquatas ac excolatas affundito, ac rursus ad cõpagem nõ inquinãtẽ coquito, ac mox galbanũ præmollitum addito, & ab igne ablatis, thuris mannã inspergito, unito, & frigefactũ medicamentũ manibus subigito. Emplastrũ discussoriũ abscessuũ admirãdum: nulla enim ruptione abscessus facta, pus crassissimum in emplastro inuenitur, idq; detergẽdũ est, ac medicamentũ reparatum, rursus imponendũ. Colophoniæ lib. I. ceræ sesquilibrã, olei hyeme cyathũ I, æstate uerò dimidiũ. Nitri berenicarÿ fului aut albi & friabilis sexuncẽ. Cetera liquefacito ac excolato, nitrũ uerò minutissimè tritum inspergito, & probè uersato, perfrigerataq; manibus emollito, & in massam cogito. Obseruandum est ne medicamentum in aquã transfundamus: alias enim nitrũ abolebitur. Aliud. Picis siccæ, ceræ nouæ, sing. lib. II. olei lib. IIII. ad lentum ignẽ coquito, subigito, ac utitor. Facit ad abscessus, strumas, fistulas, & alia huiusmodi. Aliud Oribasÿ, ad strumas, & alarũ ac inguinum & colli tumores duros. Papaueris corniculati folia cum axungia & propoli pingui terito, & imponito. Aliud ad strumas & omnẽ duritiã. Verbenacæ rectæ foliorum uiridium drac. XLII. hyoscyami uiridis drac. CXLIIII. adipis porcini, resinæ pinus siccæ drachm. XLVI. picis drach. XXIIII. Liquabilia liquata ac excolata cũ herbis tritis committito. Aliud è rumice. Foliorũ rumicis, perdicÿ, senecionis, resinæ pinus, singu. dra. XLVIII. foliorum hyoscyami, axungiæ antiquæ, singu. drac. XCVI. galbani dra. VIII. liquabilia liquefacito, ac cũ herbis cõmittito. Aliud è rumice. Ad strumam & omnem duritiã, ad alarum ac inguinum abscessus, ad ulcera maligna & fistulas, ad uteri strãgulatus. Facit & ad splenẽ induratũ. Alÿ nucleos XV. ceræ drac. XCVI. olei drac. XCVI. nitri Alexãdrini dra. XLVIII. æris usti, terebinthinæ sing. dra. XXIIII. thuris drac. VIII. foliorum rumicis in olla uel charta sub calcẽti cinere resiccatorũ drac. XLVIII. Lquida cũ aridis tritis cõmittito, & in mortario subigito. Alia uerò in oleo fricta terantur. Aliud è scolopendrio, philosophi. Discutit abscessus, furũculos, & ad multa cõmodat. Colophoniæ lib. II. ceræ, axungiæ recẽtis, sing. lib. I. resinæ pinus bessem, olei sexuncem, scolopendrÿ sextãtem. Vini antiqui sextarios II. pollinis tritici un. XIIII. tritici pollinem cum uino coquito, deinde liquida affundito ac unito, & postremũ scolopendrium addito, ac utitor. Quòd si oleũ reprobas, pro eo axungiæ sexuncem accipito, & magis emolliet: at si oleum receperit, magis discutiet.

De emplastro ex aspidibus. Cap. XV.

Emplastrum ex aspidibus, strumas & alias duritias discutit. Facit & ad podagras per exacerbationũ interualla adhibitum. Terebinthinæ, lapidis asÿ, bituminis, sing. dra. CCCLX. spumę nitri, adipis uituli, cerę, baccarum lauri, ammoniaci thymiamatis, sing. dra. CCCXL. lapidis pyritæ, calcis uiuę, sing. dra. CXX. cineris aspidum uiuarũ ustarũ drac. CXL. olei antiqui lib. II. Oleũ & cerã primã, deinde bitumen tritum liquefacito, & ad hæc adipẽ, mox ammoniacũ, & terebinthinã adÿcito. Et his ab igne ablatis, calcem, & lapidẽ asium ammisceto, deinde baccas lauri & nitri spumã. Postremum autẽ aspidum cinerẽ frigefacto medicamẽto inspergito, ut ne pereat, omniaq; simul subige ac utere. Cæterũ ad aspidũ exustionem, ollã totã forinsecus argilla crassius oblinito, & ad solem siccato. Et iniectis aspidibus ollã operito, & probè munito, duobus aut tribus foraminibus relictis, ex quibus cognoscas ubi uapor purus exhalet. Hoc emplastrũ oleo gleucino dilutum & illitum articulorũ affectiones ac coxendicum resolutiones curat, & cũ laurino oleo illitum uitiligines albas exterit.

De emplastro Aniceto, Critonis. Cap. XVI.

Emplastrum Anicetum, id est, insuperabile appellatũ, in multo nobis usu est. Attrahit, rumpit, expurgat, glutinat, pus per splenium educit. Collyrium ex eo in sinus inditur. Diffundit duritias, & cõtractis neruis opitulatur impositũ citra irrigationẽ, ut ne perfrigerentur. Vngenti uicẽ explet dissolutũ uelut ungentũ ad lassitudines eximẽdas paratum: sedat enim lassitudines in principÿs morborum, & ex obscura causa obortas. Est & extremarũ partiũ mollitoriũ, in magnis splenÿs impositum. Glutinat etiã cruenta uulnera, post suturã, aut hamulos impositos, ita ut linteum cõplicatum solo aceto imbutũ splenio superponatur, æstate frigido, hyeme calido. Facit & ad plãtarũ offensas, putredinesq; ac digitorum affectiones, & ad fracturas cum uulneribus, & neq; incarnãte, neq; cicatricẽ inducẽte alio utendũ est, sed ipsi soli fidendũ. Facit etiã ad hominum, canum, ac ferarum morsus. Maxima uerò eius promissio est, quòd nõ sinat fieri abscessus ocultos in colo & mẽbrana aluũ ac intestina ambiente, si sanè non fuerint suppurati,

aut si

aut si fuerint facti, quod eos attenuet, & ad intestina eorũ ruptionẽ diuertat. Oportet autem spleniũ ad locũ imponere, & hapsum lanæ aut linteum superponere, aceto & oleo calido imbutũ, & irrigare bis per diẽ. Ne solueris autẽ, nisi per tres aut quatuor dies. Deinde fomento ad uaporem adhibito, rursus impone. Appellationem accepit, ab admirãdis ac multis operibus. Squamæ æris drac. LVIII. pyrethri, staphidis syluestris, grani cnidij, seminis sinapis, cãchryos, stercoris columbini, aristolochiæ tenuis, æruginis, misyos cyprij, seminis erucæ, cumini, sing. dra. XVI. nitri, salis ammoniaci, sin. dra. XXXII. mãnæ thuris, baccarũ lauri, iridis, singul. drac. CXX. aceti acerrimi sextarios XVI. caricarũ decocti cyathos V. Decoctũ porrò caricarũ sic paratur: Caricarũ pinguiũ li. V. in aquę sextarijs VI. coquuntur ad tertias. Omnia itaq; cõtusa ac cribrata simul cũ aceto terito sub caniculæ feruore. Vbi uerò siccũ & uiride euasit medicamentũ, affundito caricarũ decoctũ ac cõmollito, & ablatũ in æris rubri pyxide seruato. Vsu autẽ postulãte, medicamẽti partem unã cum aceto ad strigmentitiã spissitudinẽ dilutã, cum ceræ ac colophonię modico oleo liquefactarũ partibus sex cõmittito. quòd si durius efficere uolueris, ceræ & colophoniæ quatuor partes sumito. Sin mollius & magis dilutũ, octo ammisceto. Idem & ad impetigines feras conuenire dicitur, si meracius adhibeatur. Aliud, discutiens abscessus. Ceræ, terebinthinæ, nitri, butyri, æquales portiones committito. Aliud ad abscessus. Verbenacam rectam cum nitro, sulphure, & resina liquida committito, ac utitor.

Emplastra ruptoria. *Cap.* XVII.

Emplastrũ scalpelli usum explens. Nitri lib. III. propolis, fimi colũbini, salis ammoniaci, ęruginis, sing. sex uncem, aquæ marinæ aut muriæ sesquilib. olei antiqui lib. III. arida seorsim primũ terito, deinde ęruginem, nitrũ, & sal, simul in mortario leuissimè cõterito, & mox affusa aqua rursus probè terito, & mox oleũ quoq; ammisceto, ut strigmẽtitia cõpages fiat, postea simul omnia in fictilẽ ollã cõiecta lento igne ad aquę cõsumptionẽ coquito. postremũ propolim pręmollitã adijcito, & ablato ab igne medicamento ac tepefacto, fimũ columbinũ inspergito, ac cõmisceto, & hoc linteo illitũ, fastigiato ac molliori abscessus loco imponito: sit autẽ spleniũ ex eo illitũ minutũ, & aliud amplũ ipsi superponatur, cui emplastrũ è succis, aut melle, aut melinũ Serapionis, aut Mnaseę, aut aliud mollitoriũ sit inductũ. Aliud perforãs.

Ceræ unc. XVI. salis cõmunis, cerussæ, sin. dra. XL. cineris sarmẽtorũ uitis, harundinũ Gręcarũ ustarũ, ęruginis, nitri rubri, sing. dra. X. Singulis seorsim tritis, deinde permixtis aquã affundito, & ad strigmẽtitiã spissitudinẽ cõterito. Postea cerussam cum olei quincunce aliquatenus coquito, & deinde cerã addito, simulq; bullire sinito, donec non amplius inquinent, & ad reliqua trita ammisceto ac utitor. Aliud, perforãs arundines & aculeos, & quęcunq; infixa, ac in profundo hęrẽtia extrahẽs, & ulcera glutinãs. Bituminis, nitri, sing. dra. XXV. aristolochię drach. XII. baccarũ lauri dra. XX. præpara & utere. Aliud. Fimi columbini, nitri, sing. drach. IIII. caricas numero VII. nitrũ & fimum simul terito, & postea cũ caricis cõtusis subigito, & linteo inducito, & si durius uidebitur, mel & axungiã depuratã addito. Hoc eadẽ die dissipat ac rũpit. Oribasij ruptoriũ. Picis liquidę, picis siccę, propolis, portiones æquales unito, & adhibeto: rũpit & ad cicatricẽ perducit. Aliud eiusdẽ, extrahit, rũpit, & glutinat. Ammoniaci thymiamatis, propolis, aluminis, sing. sextãtẽ, thuris sesquidrachmã, galbani, auripigmẽti, sing. dra. I. Emplastrũ ruptoriũ. Succi ranunculi, auripigmenti, chalcitidis, lathyridis, squamę æris rubri, uentriũ cãtharidũ, sing. un. I. calcis uiuæ dra. II. excipe cedria. Vsus tempore spleniũ dimidij digiti latitudine, & longitudine quãta uidebitur, ex eo illinito ac imponito, & emplastrũ ex succis emollitũ superimponito. Sinatur autẽ ad horas III. uel V. & caueatur ne neruus, aut uena, aut arteria attingatur, néue prius adhibeatur quàm maturus fuerit abscessus: hoc etiam strumas rumpit.

Aliud, Oxynitrũ appellatum. Cerussæ un. XX. salis fossilis dra. VII. nitri quadrantẽ & semunciã, olei ueteris trientẽ, aceti heminã I. omnia simul coquito donec nõ amplius inquinent. Aliud sine molestia rumpens. Cerę, nitri, sing. dodrãtem & semunciã, fecis uini ustæ un. XIIII. auripigmenti dra. VII. olei antiqui lib. II. liquabilia liquefacito, & ad arida trita ammisceto. Aliud ad strumas, ac omnẽ duritiã: aut enim discutit, aut mollit, & rũpit, purgatq; ac sanat. Succi potamogitonis, stratiotæ, ceparũ acerrimarũ, ceræ, propolis, pollinis tritici, sing. un. XVI. fermẽti acidi, serapiadis tritesticularis, sing. sexuncẽ, tragacanthæ, resinæ pinus, sing. quadrãtem. Aliqui etiã horũ sexuncem adijciunt, galbani, opopanacis, olei antiqui, sing. dodrãtem. Tragacanthã in parte aliqua succorũ madefacito, similiter opopanacẽ, & galbanum seorsim madefacito ac terito. & his postea fermentũ cum succis subactum ammisceto: postea oleo & resinæ liquatis & excolatis, propolim emollitam adijcito, & ad hæc tritici pollinẽ inspergito & unito; postremũ omnia in mortariũ trãslata manibus probè subigito. Aliud, abscessus dissipãs, uel rũpens. Vitrũ, specularis pręsertim lapidis minutissimè tritum, & thus, ęquis partibus cũ aceto probè trita, pẽna illinito. Ruptoriũ efficax. Bulbũ Aphricanũ, nasturtiũ, nitrũ, fimũ colũbinũ, ficus aceto pręmaceratas, axungiã depurgatã, æquis portionibus oĩa cũ melle ad emplastri formã subigito, ac imponito pro partis ratione, quã rũpi uoles. Aliud, discutiẽdi ac extrahendi uires habẽs. Ad strumas & gutturis tumorẽ mirũ in modũ cõmodũ: olei ueteris lib. III. plũbi lib. II. coquito simul donec nõ amplius inquinẽt, deinde terebinthinę, galbani, sing. sexũcem, ammoniaci thymiamatis sextãtem ammisceto, ac utitor. Aliud Oribasij. Candidum canis stercus terebinthina excipe, & impone.

Emplastra discussoria & attractoria. *Cap.* XVIII.

Qui cõpositorũ pharmacorũ facultates descripserunt, quędã emplastra attractoria appellauerũt, sicut quędã discussoria: aliquibus uerò testimonium præbuerunt utriusq; facultatis: sunt eñ uicinæ inter se facultates, attractoria ex profundo, & discussoria attractorũ. Nam quę attrahũt, omnino etiã discutiunt, & quę discutiũt, etiã attrahunt. Et pędominatur in discussorijs quidẽ medicamẽtis facultas discussoria. In attractorijs uerò attractoria: attractoria porrò ex simplicibus cõposita sunt, quæ uim habent humorũ superfluitates ex profundo ad cutem attrahendi. Discussoria autẽ ex his quę uim habẽt discutiendi attracta. Quò itaque emplastri forma fiat, alij spuma argenti

gēti miscetur, alij resina, alij oleum, alij cera, alij pix: quum talia neq; discussoriā memorabilē, neque attractoriā uim habeāt, quemadmodum propolis, galbanū, calx, medullae, asiae petrae flos, spuma nitri, acetum, piper, sinapis, herba lanaria, sal cibarius & ammoniacus, & multa huiusmodi quae in superioribus Sermonibus de simplicibus cōmemorauimus. Ceterū aliqui adstringentia medicamēta attractorijs ammiscuerunt, ueriti id quod fieri solet, in his quibus superflui sunt humores: attrahūt enim aliquādo plus quàm cōuenit, ut ne solū ex parte quae curatur à profundo attractionē faciāt, sed etiā ex omnibus circūsitis eliciāt. Eius uerò meminisse oportet, quod suprà de incarnātibus medicamētis relatum est, attractoria & discussoria, & quę magis quàm oportet detergēt, omnia fieri incarnātia per cerati ammixtionē, ita ut his quae fortia sunt, amplius, quae uerò debilia, minus de cerato ammisceatur. Atq; hac ratione diuturna ulcera cicatricē respuētia, putrida & serpētia, per emplastra ex sale, ac reliqua huiusmodi, cerato ammixto repurgātur, & cicatrice includuntur. At si medicamento attractorio aut discussorio ammixtū fuerit aliquod adstringens, eo pharmaco nō est utendū ad incarnandum, eò quod facultas adstringendi, ad uulnera quidem glutinanda, & sinus, & ad ulcera cicatrice includenda utilis est, uerum inutilis ad incarnādum: cęterum emplastra attractoria ac discussoria faciunt ad omnes panos, ac inflammationes induratas, ad furunculos, strumas, atheromata, hominum ferarumq; morsus. glutinant etiā sinus, quibus asperi aut flaccidi ac marcidi calli insunt. Podagricis itē ac arthriticis in declinatione auxiliantur. Frigidos enim & crassos humores ab articulis exugunt. Et si discussoria ac attractoria medicamenta in memoriā reuocaueris, tum suprà relata, tum describēda, facilè fuerit eorum utilitatem ac usum comperire. Emplastrum, ad omne panorū genus discutiendū & attrahendum, quod ab abscessu etiā in pus trāsmutato, citra cutis cęsurā, pus uelut per colum exugit. Desiccat etiā sinus forinsecus impositū efficacissimè. Radicū siccarum hyoscyami, & cucumeris syluestris, farinae ordei, singulorū quincuncem, terito & cribrato, ac hyoscyami succo aspergito, & in pastillos cogito, eosq; in umbra quotidie uersando siccato, & usus tēpore aqua diluito, ac crassius illinito. Ego uerò inquit, etiā corticum radicis capparis dra. II. & succi sycamini dra. I. si habere potui, adieci. Emplastrū attractoriū album. Ad strumas ac parotidas & particulares abscessus. Facit & ad fistulas ac aegilopas, ut citra sectionē liberet. Facit & ad fluida ac aegrè curabilia, & ad hydropicos. Spumae argenti, cerussae, salis, singulorum drac. LXXX. olei ueteris libras duas, singula seorsim trita cū oleo in mortario subigito, tum in ollā coniecta, assiduè agitādo coquito, donec nō amplius inquinent, & in mortarium trāslata frigefactaq; probè tundito, mollito, ac utitor. Aliud, occultos abscessus discutiens, rosaceo dilutum duritias dissoluens, uetera ac putrida ulcera repurgans ac incarnans. Cerussae, cerae, singulorum lib. II. olei ueteris libras III. atramenti sutorij, salis cōmunis, singulorum sexuncem, nitri lib. I. aceti quantum satis est, cerussam cum oleo ad bonā compagē coquito, deinde ceram adijcito, & hac liquata ad arida trita in mortarium diffundito, & omnia probè subigito, unito, ac utitor. Aliud, attrahens, rumpens, ac cicatricem inducēs. Picis siccae, picis liquidae, propolis, aequales portiones cōmittito ac utitor. Aliud attractorium, huic Philagrius testimonium praebet. Iridis, mānae thuris, spumae nitri, pumicis, singu. drach. VIII. ammoniaci thymiamatis drach. XXV. galbani drach. VI. cāchryos drach. XII. cerae dra. C. olei lib. II. aestate uerò unc. XV. cerae cum oleo liquatae ac excolatae, ammoniacū tritum adijcito, & eo liquato galbanum praemollitū addito, & ab igne ablata aridis minutissimè tritis ammisceto, ac simul commollito.

Andromachi Melinum, abscessus profundos resorbet, & habet exactam ponderum proportionē. Facit ad strumas, ganglia, meliceridas, atheromata, panos, parotidas, furunculos. Perforat abscessus, fistularum callos atterit, sinus glutinat. Cerussae, salis fossilis, olei antiqui, sing. lib. I. cerae, colophoniae, singulorum quincuncem, ammoniaci thymiamatis quadrantem, opopanacis, galbani singul. unciam I. Sal tritum, & cribratum, ad minutissimum puluillum redigito: deinde cum aqua marina praesertim probè subigito, & cerussam simul terito: deinde oleum affundito, & omnia probè unita ad bonam compagem coquito, & adiecto ammoniaco bullire sinito, donec non amplius inquinent. Postremum liquabilia liquata cum galbano & opopanace madefactis ac praemollitis ammisceto. Aliud, ad strumas, gangraenas, antiqua, & chironia ulcera.

Spumae argenti, olei antiqui, auripigmenti, sing. lib. I. Spumā argenti cum oleo coquito, donec nō inquinet, & ab igne ablatis, auripigmentum cum olei sextāte tritum adijcito, & ebullire sinito, donec medicamentū nigrescat, & postea in mortariū translatum primū pistillo, deinde manibus diligēter subigito ac utitor, ad strumas quidē ac duritias sincero & meraco: ad podagras uerò & ulcera, cum oleo diluto. Facit & ad carbunculos. Aliud attractoriū, Oribasij. Spumę argēti, cerussae, nitri, cerae colophoniae, ammoniaci thymiamatis, singulorū trientē, olei ueteris lib. III. spumā argēti, cerussam, nitrū, oleū, cum lixiuij è cinere ficulneo libris duabus coquito, donec nō amplius inquinent, deinde ammoniacum tritū, postea cerā, mox colophoniā adijcito. Praestat tamē pro nitro, spumam nitri inijcere. Aliud, ad strumas, gāglia, parotidas, mammarum abscessus, mirificè efficax: tumores enim dissoluit, & impactum humorē per occultos meatus educit, sinus agglutinat, fistulas & aegilopas citra sectionem curat. Cerę, terebinthinae, nitri fului, olei ueteris sing. lib. I. aquae heminā I. Andromachus pro aqua lixiuium ponit. Nitrū tenuissimè terito per se, & mox cū aqua, ut penitus diluatur, & postea in fictili coquito, & coopertū per interualla uersato, & post sedatū feruorē, liquabilia liquefacta affundito, assiduèq; agitato donec nō amplius inquinēt, & in mortariū translata, frigefacta probè emollito. Aliud, quo Menecrates utebatur. Ad strumas ac mammarū duritias, peculiare auxiliū: tumores em̄ discutit, & ferè non rumpit, sed tenuissimas riumulas infert, per quas uelut per colum impactus humor excernitur. Sinus etiā glutinat, & ad cicatricē perducit. Cerae, terebinthinae, spumae nitri, galbani, resinę pinus, olei antiqui, sing. lib. I. cineris quercini ac ficulnei, singulorum sextarium unū. Pēdet autē cineris sextarius unc. X. Liquabilia liquata ac

ta ac excolata coquito, deinde galbanum præmollitũ adiicito, & ab igne ablatis cineres ammisceto, & probè subigito, & utitor, ita ut primum quinta die, postea tertia exoluas, donec tumor perforetur. Deinde uerò quotidie soluas ac cures. Aliud attractoriũ ac discussoriũ efficax. Abscessuũ humores citra ruptionẽ per cæcos meatus uelut excolat, ac diffundit. Olei antiqui unc. XXII, ceræ albæ uncias XV. aphronitri albi quadrãtem, terebinthinæ librã I. lixiuij è cinere querneo aut ficulneo sextariũ I. spumã nitri, siue aphronitrum cũ lixiuio per pistillum ad strigmẽtitiã compagem terito. Cerã uerò cum oleo liquefacito, & terebinthinã ammisceto, & ab igne ablatis, asidueq; uersatis ac frigefactis, spumam nitri ammisceto, subigito, ac residuũ lixiuium paulatim adstillato. Aliud, Dionysia inscriptum. Hieræ Cappadocis confert ad relatas affectiones, & ad mammarum ac aliarum partium induratas inflammationes præcipuum est. Ceræ, terebinthinæ, mãnæ thuris, spumæ nitri albi, sing. lib. I. olei antiqui lib. II. aquæ siue lixiuij coactiliariorum sextariũ I. misyos crudi sextãtẽ. Misy & spumam nitri cum dimidia lixiuij parte terito. Ceræ uerò cum oleo liquatæ terebinthinã adiicito, ac paulatim ad compagem coquito. Et ablatis ab igne, mannam thuris inspergito, & asiduè agitãdo frigefacito, & ad reliqua prius trita ammisceto, residuũ lixiuij paulatim instillãdo, donec totum fuerit absumptum. At ubi inflãmatione discussa, & dolore sublato, durities aliqua restiterit, hoc medicamẽtum remouebis, & pro eo melinũ, aut Venus inscriptum, aut aliud emolliens ac discutiens adhibebis.

Aliud attractoriũ ac discussoriũ, longo usu cognitum. Colophoniæ lib. I. ceræ sesquiunciã, nitri sexuncem. Olei hyeme quidem cyathũ I. æstate uerò dimidiũ. Nitrum cum aqua, uel posca, uel aceto tritum, prout res postulat, cum liquabilibus liquatis cõmisceto, ac manibus subigito, obseruando ne nimia aquæ copia ad nitrũ affundatur, & in pastillum cogito. Facit hoc ad carbunculos, furunculos, strumas, abscessus, fistulas, ægilopas. Humorẽ per cæcos meatus citra ruptionẽ exugit, ut emplastro impactus uideatur. Emplastrũ Piscatorium inscriptũ. Nitri unc. I. salis cõmunis, cerussæ, singulorum drac. VIII. propolis drac. XXIIII. galbani drac. VIII. medullæ ceruinæ lib. I. olei ueteris lib. II. aristolochiæ unc. I. Erit autẽ medicamentum præstãtius, si pro oleo medulla sumatur, ut sint medullæ lib. III. Aliud Piscatoriũ, lõgo usu constans. Nitri dra. XVIII. stercoris columbini, salis cõmunis, cerussæ singulorũ dra. VIII. Aristolochiæ rotundæ drach. XVIII. propolis dra. XXIIII. galbani dra. XXVIII. medullæ taurinæ, olei antiqui, singulorum lib. III. Cerussam, sal, nitrum, singula seorsim trita, ad emplastri compagem simul coquito, & postea propolim ac galbanum adiicito, & ablatis ab igne, stercus columbinum & aristolochiam ammisceto. Aliud, ad strumas, & reliqua huiusmodi usu cognitum. Ceræ libr. I. colophoniæ dextãtem, auripigmenti, galbani, opopanacis, myrrhæ, halcyonij, sing. unc. I. adarcæ sextantem, floris salis, misyos, singul. sesquiunciam, atramenti sutorij, aluminis scisi, singul. sextantem, & scrup. VI. aluminis rotundi, aluminis liquidi, singul. unc. I. & scrup. III. sulphuris uiui sextantem, & scrup. VI. nitri drachm. XVIII. salis communis drachm. XLII. terebinthinæ quadrantem, olei lib. I. aquæ marinæ lib. I. & sextantem. Colophoniam cum oleo dissoluito, deinde ceram, mox terebinthinam adiicito, & simul ebullire sinito, & ab igne ablata, ad arida prius seorsim, & postea simul cũ aqua marina trita ammisceto, subigito ac utitor. At uerò ubi superficiem ignitã, & locum ruptum uideris, infrà scriptum emplastrum adhibeto. Spumæ argenti, plumbaginis, singulorum lib. I. picis siccæ, galbani, chalcitidis crudæ, æruginis, squamæ æris rubri, mannæ thuris, singulorũ drac. XXII. salis assati, uisci, singulorum drachm. LXXII. olei lib. II. Spumam argenti, plumbaginem, chalcitidem, squamam, cum oleo coquito donec nõ inquinent, & ad compagem redacta fuerint. Deinde liquabilia ammisceto, simulq; paulatim bullire sinito. Postea uiscum adiicito, & demum arida addito, ac frigefactum medicamentum manibus subigito, ac utitor, usque ad sanationem.

Emplastrum Nechepsonis, è cupresso. Cap. XIX.

Facit ad strumas, tumorem gutturis, parotidas, omnẽ duritiam, & totum laxorum tumorum genus. Cupresi folia uirentia in uigore minutisimè terito, uino insperso quod à uinaceis post primi uini collectionẽ exprimitur, efficitq; solidi strigmenti crasitudinẽ, ac locis affectis imponito: omnem enim tumorem discutit, & si strumis imposueris, tertia die soluito, strumasq; cõtractas, & uicinas ac incũbentes partes desquamatas cõperies. eas itaq; digitis exprimito ac dissoluito, & medicamẽtũ rursus adhibeto, ac tertia die rursus soluito, iterũq; ualidisimè exprimito, & tertio medicamentũ adhibeto, ac similiter exoluito. Intra septẽ enim aut summũ nouem dies, strumæ abolebuntur. Vtere hoc auxilio uelut admirãdo, & tanquã naturalẽ quandã proprietatẽ habente, aduersus hanc affectionem. Nã si aliquid ammiscere, aut aliquo modo ipsum permutare uolueris, magis officies quàm proficies. Facit & ad gutturis tumorẽ extra fauces prominentẽ, & est eodem penitus modo adhibẽdũ cum digitorum presione, uelut diximus: contrahit enim ac discutit, siccatq; ac tumorem extirpat, & uasa materiã ad affectum locum afferentia cõstringit. Confidenter igitur eo utaris: promissionibus enim nostris experimentum testimoniũ dabit. Emplastrũ è Cappari, Oribasij. Plumbaginis, olei antiqui, sing. lib. II. salis communis lib. I. ceræ sexuncem, resinæ pinus trientem, squamæ æris, corticum radicis capparis, singulorũ quadrãtem. Aristolochiæ rotundæ sextãtem, propolis tãtundem, galbani unc. I. Squamam & plumbaginem tusas ac cribratas, & sal primum seorsim, deinde simul cum his tritum, cũ oleo in mortario probè subigito, & in ollam coniecta coquito, donec nõ amplius inquinent. Deinde cerã, resinã, propolim, liquatas ac excolatas, & mox galbanum adiicito, & ablatis ab igne aristolochiam ac cortices capparis tritas inspergito, unito, frigefacito, emollito, ac utitor. Facit ad duritias, coxendicum affectiones, hemicraneas, ac hydrocephalam in pueris aquosam capitis affectionẽ: abrasis enim capillis capiti impositum, humorem exugit. Glutinat etiam sinus: aliqui etiam sine cera præparant. Emplastrum ex Agarico, occultos abscessus & omnem humiditatem resorbens. Ceræ, colophoniæ, picis, spumæ nitri, thuris, agarici, singulorũ lib. I. terebinthinæ, uisci quercini, singulorum sexuncem, medullæ

ceruinæ trientem, œsypi quadrantem, grani cnidij, pyrethri, galbani, singulorum sextantem. Liquabilia liquato & excolato, & ab igne amotis uiscum adijcito, eoq; liquefacto, arida ammisceto, subigito, ac utitor.

Apochymatis præparatio, Oribasij. Cap. XX.

Picis aridæ lib. I. picis liquidæ, ceræ, singulorũ trientẽ, resinæ pinus sexuncem. Omnia liquata & excolata in peluim aquæ marinæ siue communis plenã mitti to, & manibus uelut pastillũ subigito ac utitor. Emplastrum eiusdem, ad collisa, mitiganda, irrigationis uicem supplens. Spumæ argenti lib. II. strigmentorum balnei excolatorum lib. VII. aquæ marinæ è pelago haustæ sextarios II. colophoniæ unc. XVI. ceræ sextantem, squamæ æris quincuncem. Spumam argenti, squamam, strigmenta, aquam marinam simul coquito, & arundinibus uirentibus agitato, donec non amplius inquinent. Deinde cerã ac resinã adijcito, & rursus ad bonam compagem coquito, & irrigationis loco utitor. Ego uerò etiam olei libr. II. adijcio. uerum inter emollictia emplastra Oribasij, hac serie reperitur. Strigmentorũ lib. III. s. aquę marinę, olei antiqui, spumę argenti, colophoniæ, sing. lib. II. ceræ lib. I. æris usti, ammoniaci thymiamatis, singulorum sextantem. Facit inquit, ad duritias, & præparatur uelut dictum est.

Cerata utilißima. Cap. XXI.

Basilicũ tetrapharmacũ. Cerę, colophonię, picis, adipis taurini, æquales portiones. Macedonicũ. Cerę, colophoniæ, picis, adipis taurini, thuris, æquales portiones. Liquabilibus liquatis & ab igne amotis, thus inspergito ac infarcito. Macedonicũ Azanitæ, ad multa commodum & insigne. Picis siccæ unciam unã, ceræ quadrantem, adipis suilli antiqui & expurgati sexuncem, adipis taurini, œsypi, singulorum quadrãtem, resinæ pinus siue piceæ quincuncem. Liquefacito ac utitor. Facit ad omnia maligna, ad gãgrænas, fistulas, uulnera recentia, ambusta, perfrigefacta, uelut acopon lassitudini eximendæ destinatum. Est & pessus mollitorius. Conuenit etiam ad uteri ulcera, panos, parotidas. Et ubi caua fuerint ulcera, maiori eius copia utendum est. Vbi uerò propè cicatrix inducta fuerit, pauciore. Aduersatur huic pharmaco oleum, quare hoc uitabis. Maximè autẽ facit in his quibus plaga circa neruos aut musculos est.

Heptapharmacum laxans, suppurans, incarnans. Cap. XXII.

Cerussæ bessem, spumæ argenti triẽtem, ceræ, picis, colophoniæ, adipis taurini, thuris, singulorum sextantẽ. Liquabilia liquata cum aridis unito, atq; usus tẽpore medicamenti quidem ac ceræ singul. unc. I. olei uerò rosacei trientem accipito ac utitor. Quòd si laxandi uim intendere uolueris, oleum irinũ aut sicyonium, aut gleucinum sit, & maiore copia sumatur.

Enneapharmacum, Hori Mendesij. Cap. XXIII.

Hoc suppurat & laxat, præcipuè neruis per cõsensum affectis. Ex eodẽ fit & pessus, siue pessarium ad sedis affectiones cõmodum. Adipis anserini, uitulini, butyri, medullæ ceruinæ, ceræ, terebinthinæ, olei rosacei, cicini, mellis, singulorum portiones ęquas liquefacito, unito ac utitor.

Emplastrum Philosophi. Cap. XXIIII.

Facit ad calcitratus, uulneraq; tumida. Rũpit, pus educit, cicatricem inducit. Hyoscyami perdicij, & sideritidis folia recentia, æquis portionibus conterito, & panem siligineum tusum ac cribratum, unius herbæ portione adijcito, omnia simul cum axungia subigito, & ad emplastri formam redigito, & utitor uelut admirando.

Oesypi præparatio. Cap. XXV.

Huius quidem optimam præparationẽ in secundo libro descripsimus: ex lanis enim succidis paratur. uerum ubi illud haberi non potest, accipe hoc quod ita parari solet. Meliloti triẽtẽ, cardamomi, hyssopi herbæ, singulorũ sextantem, lanæ succidæ ex alis ouiũ sumptæ trientem, colophoniæ, ceræ, resinæ pinus, singulorum dextantem. Olei dulcis lib. II. aquæ sextarios III. melilotũ, cardamomum, lanam, & hyssopum, per triduum aqua macerato, deinde ad tertias coquito, & excolato. Postea liquabilia liquato ac excolato, & succum ac oleum ammisceto, & omnia simul ad succi consumptionem ebullire sinito.

Emplastrum Manus appellatum. Cap. XXVI.

Hoc emplastrum à quinque rerum speciebus quas recipit, Manus appellatur. Colophoniæ lib. V. ceræ libr. IIII. resinæ pinus lib. III. adipis taurini lib. II. butyri lib. I. liquefacito ac utitor.

Emplastrum Bromium appellatum. Cap. XXVII.

Fœni græci, seminis lini, succi althęæ, singulo. libr. I. simul ad succi consumptionem coquito. Et colophoniæ, resinæ pinus, singulorum quadrantem, cerę sexuncem, galbani trientem, liquefacito & ammisceto ac utitor. Aliud optimũ. Seminis lini, althęæ, fœni græci, singulorũ trientẽ, in duobus aquæ sextarijs macerato, & de expresso succo sumito lib. I. cerę lib. I. resinæ pinus, colophoniæ, singulorũ sexuncẽ, galbani sextantem, opopanacis unc. I. præpara & utere.

Emplastrum ex ouis. Cap. XXVIII.

Spumæ argenti, cerussæ, singulorum trientem, cadmię sextantem, ceræ libram I. rosacei lib. II. ouorum candida X. metallica cum aqua ac uino terito, deinde cũ ouorum candidis subigito, & liquabilibus liquatis ammisceto, unito, ac utitor.

Parhygrum Galeni. Cap. XXIX.

Spumæ argenti, cerussæ, singulor. lib. I. olei purissimi, aquæ, singu. libr. II. Ego uerò, inquit, sæpe olei quidem lib. I. adipis uerò anserini sexuncem ammisceo, aut si is desit gallinacei, aut hoc quoq; deficiente, suillum recentem accipio. Omnia simul ad prunas fumum non edentes citra solidam compagem coquuntur, & in cocturæ fine, aliquãdo etiam amyli sexuncem adijcio. Si itaque adipem receperit hoc medicamentum, maiorem mitigandi uim acquirit, & dolores ex uulnere inflammato obortos sedat. Sed ad cicatricem inducendam inutile est. At uerò aquam addere frigiditatem satis constat.

Emplastrum ex ouis, Oribasij. Cap. XXX.

Ceræ unc. I. spumæ argenti, cerussæ, amyli, singulorũ sextantem, oua numero IIII. rosacei lib. I. oua in pręparatione postremum addantur.

Parhygrum Oribasij. Cap. XXXI.

Facit hoc ad spontanea ulcera in corporibus delicatis. Adipis suilli recentis deuncem, ceræ sexuncem, cerussæ, spumæ argenti, singul. unc. XV. liquida cum aridis committito. Facit & ad ulcera serpentia. Et cum rosaceo dilutum uuluarum ac sedis affectionibus medetur, & malignas faciei pustulas curat.

Emplastrum Rosaceum inscriptum. Cap. XXXII.

Hoc mammarum duritias discutit, & est ad sedis affectiones efficacissimum, si cum rosaceo, aut myrteo oleo diluatur. Spumæ argenti, cerussæ, adipis suilli recentis, singulorum sexũcem, olei ueteris sesquilibram, myrrhæ drach. IIII. ouorum crudorum uitellos duos. Reliquis ad bonam compagem coctis, ac frigefactis, oua cum uino albo trita ammisceto, & utitor hoc medicamento aliquando sincero, aliquando diluto.

Emplastrum Phycotyche appellatũ. Cap. XXXIII.

Ad omnia ulcera, & præcipuè in sede cõmodum est hoc emplastrũ. Croci unc. I. cerussæ, spumæ argenti, medullæ ceruinæ, adipis anserini, ceræ, singulorum sexuncem, rosacei uncias XXXVI. ouorum candida XXX. uini quantum satis est.

Emplastrum Sphærium appellatũ. Cap. XXXIIII.

Hoc irrigationis uicem supplet. Facit ad desquammata, excoriata, intertrigines, ambusta, ad flagellatos, ad tibias collisas. Spumæ argenti, cerussæ, calcis uiuæ, singulorum quadrantem, ceræ sesquunciã, nitri unc. I. olei rosacei unc. I. Aridis minutissimè tritis liquida ammisceto, & sphæria, hoc est, pilulas formato. Vsu uerò expetente olei sexuncem, rosacei quadrantem, ceræ sextantem, ad prunas liquefacito, & medicamenti sextantem adijcito, spathulaque agitato, & ubi frigefactum fuerit medicamentum, cum aquæ dodrante contundito.

Emplastrum pentatheton. Cap. XXXV.

Ceræ, picis, colophoniæ, adipis taurini, calcis uiuæ, æquales portiones. Liquabilia liquato, & calcem adijcito. Vsus autem tempore olei sexuncem, ceræ sextantem, olei sicyonij quadrantem, liquefacito uelut proximè dictum est, & medicamenti sextantem adijcito. Facit ad uibices flagellorum, ad cutem excoriatam, & ad collisa, ac cætera huiusmodi.

Emplastrum ex Ochra. Cap. XXXVI.

Easdem cum prædictis uires habet etiam hoc. Ochræ lib. II. cretæ, ceræ, singulorũ libr. I. colophoniæ, picis, resinæ pinus, singulorum libr. I. spumæ argenti, terebinthinæ, singulorũ bessem, olei libr. II. arida cũ uino terito, & liquabilia liquata ammisceto, & in massas efformato. Vsu uerò postulãte, ceræ lib. I. olei ueteris lib III. liquefacito, & excolato, & medicamẽti lib. I. ammisceto, & uino adstillato cõtundito.

Emplastrum Telamonium. Cap. XXXVII.

Hoc carbunculis medetur. Dilutũ sinus siccat, & cicatricem inducit. Spumæ argenti, calcis uiuæ, ceræ, resinæ pinus, singulorũ dodrantẽ, cerussæ un. XXV. olei sesquilibrã. Spumã argenti cum oleo ad compagem coquito: deinde ceram, ac resinã adijcito. Postea calcem, & cerussam minutissimè trita ammisceto, ac utitor. Et ad carbunculos quidẽ linteo inductum imponitur. Ad reliqua uerò, rosaceo aut myrteo oleo ad strigmentitiã compagem dilutum adhibetur.

Pilarium ex recremento argenti. Cap. XXXVIII.

Recrementi argenti sexuncẽ, ceræ, adipis taurini, singulorũ quincuncem, colophoniæ trientẽ, picis, olei, singulorum sextantẽ. Argenti recrementũ uino, aut fœni græci succo teritur. Quòd si non posit haberi argenti recrementũ, plumbaginem pro eo accipimus. Facit ad desquamata, ac excoriata, & his similia.

Emplastrum ex pompholyge. Cap. XXXIX.

Hoc longo usu constat eunuchorum, mulierum, puerorum, ac aliorũ mollium corporum ulceribus cõuenire, ad cicatricem citra dolorẽ inducendam, & ad cancerata ulcera tutò adhibetur. Cerussæ, spumæ argenti, pompholygis, singulorũ sextantem, cadmiæ trientẽ, medullæ ceruinæ quadrantẽ, ceræ, olei rosacei, singul. lib. I. olei myrtei sexuncẽ. Metallica trita, ac cribrata, & cũ uino subacta, liquabilibus liquatis ammisceto, ac utitor. Aliud Archigenis, & Oribasij. Pompholygis, cerussæ, spumæ argenti, singulorum unc. I. ladani sextantẽ, acaciæ trientẽ, ceræ quadrantem, olei myrtei bessem, ouorũ assatorum uitellos IX. uini quod satis est. Aliud Oribasij. Spumæ argenti, cerussæ, singul. sextantẽ, pompholygis unc. I. croci un. I. ceræ un. I. adipis anserini quadrãtẽ, ouorũ assatorũ uitellos IIII. Rosacei, uini, quod satis est.

Emplastrum rutaceum. Cap. XL.

Hoc ad fistulas scabras facit. Cadmiæ, spumæ argenti, recrementi argẽti, sulphuris uiui, singulorum sextãtẽ, aluminis scissi, rutæ uiridis, singulorũ un. I. ceræ bessem, olei myrtei lib. II. uini quantum satis est.

Ceratum è perdicio. Cap. XLI.

Facit ad sinus. Foliorum perdicij lib. II. ceræ, colophoniæ, olei, singulorũ libr. I. Herbã exactissimè terito, & liquida ammisceto, & in mortario unito. Hoc in aliquibus ob nimiam uim repellendi, uicinos locos inflammat, & materiam eò colligit. Quod ubi contigerit, ad locum quidem inflammatum, idem medicamentum imponito: uerùm ad sinus osculum emplastrum è lolio, aut quod Venus inscribitur, aut quoddam attractorium adhibeto.

Ceratum è succo betæ. Cap. XLII.

Facit ad uulnera inflãmata, ad achoras capitis ulcuscula, & ad ambusta. Ceræ libram unam, olei sesquilibram, liquato, ac excolato, & ab igne ablatis, betæ succum quantum imbibere possunt affundito, & in mortario subigito. Præstat autem paulatim succum cerato instillare. Aliud è succo plantaginis, ad inflammationes, & sinus. Ceræ lib. I. olei lib. II. s. succi plãtaginis quantũ satis est. Ceratum liquefactum & in frigidã aquam diffusum, aqua sæpe permutata probè lauatur, & postea in mortario pistillo tunditur, ac subinde plantaginis succus paulatim instillatur, quantũ eius imbibi potest. Ceratũ Myrteum, ad oculorum inflammationem, & cicatricem inducendam, ad intertrigines, ac scabiosas affectiones commodum. Ceræ lib. I. olei myrtei lib. II. plumbi usti sexuncem, cerussæ, spumæ argenti, syrici, singulorum unc. I. uini quantum satis est ad conterendũ. Melinum cicatrices inducens. Chalcitidis crudæ sexuncem, cadmiæ quadrãtem, ceræ lib. I. olei myrtei lib. I. uini quod satis est.

Ceratũ ex sandyce, Homo appellatũ. Cap. XLIII.

Hoc ulcera diuturna, ac maligna, & in tibijs oborta, solum per se adhibitum ad cicatricem perducit. Sandycis lib. I. olei dulcis lib. II. coquito, donec non amplius inquinent, & utere confidenter.

Emplastrum ex allijs. Cap. XLIIII.

Hoc uim attractoriã habet. Facit ad omnẽ duritiã, abscessus, furunculos, strumas, inguinũ tumores, fistulas, impetigines humidas, mammas induratas. Ceræ lib. II. colophoniæ sexuncem, medullæ ceruinæ tãtundẽ, nitri albi bessem, allia uiginti, olei lib. IIII. Allia depurgata in oleo coqito, donec torrefiãt, deinde ad oleũ excolatũ liquabilia adijcito, & postea

nitrum tritum adijcito, ac utitor. Nos uerò ita præparamus: Ceræ, colophoniæ, olei, singulorum quincuncem, nitri sexuncem, medullæ ceruinæ sextantē, alliorum nucleos xxx. præpara & utere, præsertim ad fistulas: humorem enim attrahit, quem quotidie crebro detergere oportet. Hoc solū citra alterius opem extrahit, incarnat, & cicatricem inducit. Aliud Oribasij, ad pustulas, intertrigines, ambusta ab igne, perniones non exulceratos, ad bullas nondum apertas, ad cutis tibiarum excoriationem, ad ulcera antiqua, & proserpentia sub cute. Recrementi plumbi trientem, aut quadrantem ad ceratum ammisceto, quod habet ceræ bessem, aut dextantem, adipis suilli recentis, olei myrtei, singulorum sextantem, aut quadrantem. Quòd si cicatrix inducenda est, absque adipe præparetur.

Emplastrum è scilla, Asclepiadæ. Cap. XLV.

Hoc ad fistulas, sinus, nomas, & putredines facit. Vlcerum eminētias contrahit, ad fistulas angusta oscula habentes collyriū ex eo formatū inditur. Si uerò lata ac ampla fuerint oscula, rosaceo dilutum adhibetur, eloto prius sinu siue fistula cum posca, aut uino mulso, iniectum, locusq; emplastro munitur, ac deligatur: hoc enim modo incarnat, ac replet fistulosa capitis ulcera. Cōuenit & nomis, si membrana non fuerit denudata. Idē sincerū ad capitis fracturas adhibetur, & ad anhelosos ac orthopnoicos amplis splenijs inductum pectori imponitur: cōuenitq; omnino ubi ad superficiem materias attrahere uolumus. Scillæ repurgatæ quincuncē, squamę æris, iridis, singulorū quadrantē, myrrhæ drach. XVIII. ammoniaci thymiamatis drach. XII. galbani, picis liquidæ, styracis, æruginis, resinæ pinus siccæ, aristolochiæ, singul. sexuncem, ceræ unc. XX. terebinthinæ triētē, olei ueteris lib. II. aceti acerrimi sextarios IX. aut quod satis est. Scillā ad solem æstiuū tundito, & acetū paulatim instillato, quantū satis ad exactè terendam. In alio autē mortario squamā æris, & ęruginem cū aceto diutisimè terito, & arida trita, ac cribrata adijcito. Postea ammoniacū, styracem, myrrham, galbanū addito, & instillato aceto simul probè cōterito, deinde liquabilia liquefacta, iride ac aristolochia inspersis, frigefacito, & ad reliqua ammisceto, subigito, ac utitor. Ad fistulas quidem & ossa corrupta, collyria ex eo formata indens, uerū ad ulcera repurganda sumito medicamēti trientem, ceræ sextantē, rosacei quadrantem, & pro repurgationis ratione aliquid de medicamēto detrahito, & cerato adijcito, donec cicatrix inducatur, ita ut postremum quū iā absoluēda est cicatrix, medicamenti un. I. olei rosacei, aut myrtei dodrātē, & cerę triētē cōmisceas.

Emplastrum ex pompholyge, Hieræ Cappadocis. Cap. XLVI.

Hoc ad sedandos dolores, ac inflāmationes facit, præcipuè ad ulcera maligna, ac cancerata, antiquaq; ac cicatricem non recipientia. Facit & ad ambusta ab igne. Rosaceo, aut myrteo oleo dilutū cicatricem inducit, & butyro dilutū incarnat. At cum rosaceo ad omnes sedis affectiones cōmodum est. Cadmiæ botryitidis lotæ dra. VIII. pompholygis lotæ dra. VII. plumbi usti, & loti drach. IX. thuris drac. IIII. cerussæ lotæ drac. IX. spumæ argenti lotæ drach. VIII. ceræ albæ drach. C. terebinthinæ chiæ drach. VII. olei myrtei drach. CLXX. Arida trita & cribrata, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, cū uini sextarijs IIII. terito: cæterū in uino hoc, infrà scripta polentæ modo contusa, per diem ac noctem præmaduisse oportet. Iridis, meliloti, aristolochiæ, capitulorū papaueris, seminis hyoscyami albi, singulorū drach. VIII. cum hoc itaq; uino excolato, metallica sicut diximus sunt conterenda, usq; ad mellis compagem, & deinde oleum myrteum adijciendum, quo illitionis spissitudo fiat. Postea uerò omnia in ollam nouam coniecta lento igne ad emplastri formam, & terebinthina adiecta medicamentum ab igne tollito, ac frigefacito, subigito, & utitor.

Emplastrū nigrū, Essentia appellatū. Cap. XLVII

Facit hoc ad duritias, ad articulos, & costas fractas, gāglia, strumas, & tumores dissoluit. Tibiarū ulcera chironia & fistulas curat. Facit ad morsus ferarum. Aquæ inter cutem molem delet. Clauos sanat, aculeos extrahit. Splenicis, podagricis, hepaticis prodest. Spumæ argenti, cerussæ, æruginis rasæ, singulorum quadrantem, squamæ æris sextantem, thuris masculi sextantem, & semūciam, bituminis Iudaici bessem, terebinthinæ quadrantem, ceræ flauæ, picis aridæ, singulorum libr. III. olei antiqui lib. I. lapidis gagatæ, lapidis asij, aluminis scissi, magnetis uiui, myrobalanorum, singulorum quandrātem. Spumam argenti, cerussam, squamam, æruginem, bitumen, & thus, omniaq; arida tundito, & in mortario aceto paulatim instillato, ad strigmētitiam spissitudinem terito, deinde ceram, picem, oleum, ac reliqua liquabilia liquata ammisceto, unito, ac utitor.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN DECIMOSEXTO SERMONE AETII CONTINENTVR.

AETII MEDICI GRAECI CONTRACTAE EX VETERIBUS MEDICINAE, TETRABIBLI SIVE QUATERNIONIS QUARTI, SERMO QUARTUS, ET EX ORDINE XVI.

De conceptus, ac partus ratione, & de affectionibus muliebribus uteri præsertim & mammarum. Item de unguentorum pretiosorum, & potionum, ac suffumigiorum præparatione.

De uteri situ, magnitudine, ac forma. *Cap. I.*



VTERVS Græcis Metra, hoc est, Matrix appellatur, quòd ex ipso omnia animantia, uelut à matre oriãtur. Vocatur eisdem hystera, quòd posterior situ sit omnibus uisceribus. Situs est enim uterus intra peritonæum membranã, aluum, & intestina omnia circũcirca amplectentem, inter uesicã ac rectum intestinum. Atq; huic quidẽ fermè toti incũbit: uesicã uerò iuxta umbilicum, ubi fundũ habet, ut plurimũ supereminet. Iuxta partẽ autem ad pudendũ tendẽtem ipsa uesica uterũ excedit collo. Magnitudo eius nõ in omnibus eadẽ est. Multò enim minor est uterus eius quę prægnans nõ est: maior autẽ prægnantis. Eius uerò quæ nunquam pregnans fuit, longè adhuc minor uterus existit. Et iuxta ætatẽ minimus est his quæ ad uenerem experiendã tempus nondũ attigerunt. Nam & aliàs semper minor est his quæ uenere non utuntur. Longitudo itaq; in moderatè se habẽtibus mulieribus, à fundo circa umbilicũ, usq; ad pudẽdũ, est plerunq; undecim digitorũ, latitudine uerò ad utrũq; latus per cornua sua extenditur. Quantũ uerò ad figurã attinet, totum quidẽ reliquum corpus, & maximè fundũ uesicæ simile est. In quantũ uerò exortus papillares ad lũbos nutãtes habet ab utroq; fundi latere productos, uesicæ similis nõ est: appellãtur autẽ hi exortus cornua, & primum sursum uergũt, postea deorsum tendunt, & paulatim angustiores fiunt, ut postremæ partes uenis similes sint. Hæ itaq; angustę cornuũ partes sinuosis flexibus ad testes inserũtur, qui à lateribus uteri siti sũt, singuli ab utraq; fundi parte propè cornua: & per hos sinuosos cornuũ flexus, in cõgressu uiri uterus semen à testibus attrahit. Sunt autẽ testes mulierũ parui, neq; sicut in uiris rotundi, & oblõgi, ac tenera carne præditi, sed lati, ac glandulosi, & pelliculosi. Appendet porrò uterus uesicæ, & intestino recto, per fibrosa quædam interstitia. Appendet & ossi sacro, per robusta quędam ligamenta neruosa, ac musculosa. Sunt & ligamenta, ac appẽdices quæ in ipsum uterũ inseruntur, partim quidem texentia & perplicantia ipsum uteri corpus, quorũ non exigua pars sunt nerui à spinali medulla orientes. Partim uerò incrementi, ac nutrimenti ipsius uteri, itémque fœtus gratia facta, uelut sunt arterię & uenæ. A uena enim caua quę per spinam à gibba hepatis parte fertur, & ab arteria magna quæ illi incumbens simul defertur, duæ uenæ, & duæ arteriæ exoriuntur, utrinque sanè uena & arteria: atq; hæc quatuor uasa ad uterum delata, antequàm in ipsum inseruntur, ramulos ad testes extendũt, & postea in ipsum uteri corpus deferuntur, ipsũq; intertexũt, & per ea mẽstruus sanguis in uterũ deriuatur. Sũt autẽ & alię uenę, ac arteriæ utrinq; utero insertæ, partim ad testes, partim ad ceruicẽ tendentes. At uerò ipsum uteri corpus ex duabus tunicis cõstat, & externa qdẽ neruosior est, interna uerò uenosior. Et externa quidẽ simplex & una est, interna uerò duplex, ut si excoriare uolueris, duo tibi uteri esse uidebuntur, sub una & eadẽ tunica siti. Cæterũ collũ uteri musculosum, ex dura, ac chartilaginosa carne factũ est, & semper durius seipso euadit, & progressu tẽporis chartilaginosum, adeò ut quæ sępius pepererũt, aut iã aniculę sunt, his multũ durũ, ac chartilaginosum collũ sit, ut gutturi sũmo simile existat. Est & in collo uteri foramẽ, p quod & menses deferũtur, & mulier masculi semẽ suscipit, exitq; per ipsum etiã fœtus: incredibile enim dictu est, quãtũ hic meatus pro tẽpore amplitudinẽ euariat. Nã reliquo tẽpore toto specilli extremũ, aut paulò crassius quiddã suscipit. Prægnãte uerò muliere ita clauditur, ut nihil suscipere posit. At ubi fœtus ab utero exoluitur, dolores partus ipsum quàm plurimũ extendũt, & quod mirũ auditu est, animal totum per ipsum trãsit. Finit autẽ collũ, ac desinit in muliebrẽ sinũ siue pudendũ. Lõgitudo porrò pudendi in mulieribus ætate perfectis sex ferè digitorũ mẽsura est. In partu tamẽ & cõcubitu breuius efficitur, collo nimirũ uteri se extẽdẽte. Est & in puellari ætate pudẽdũ delicatius, ac mollius. In aniculis uerò & his quę sæpius pepererũt, callosius euadit, & chartilagini simile: ex crebro enim cõgressus attritu, & partiũ exeuntiũ collisione callescit. Sed & mẽsium delatione indurescit, nõ aliter quàm ob plurimũ, & acrem humorẽ influentẽ ulcera callosa, ac fistulosa fiũt. At uerò imminẽte mensiũ tẽpore, uterus crassescit, ac intumescit, aliàs tenuior, ac cõtractior existens. Crassior item est, in his quæ sæpius pepererunt. Tenuior autem in his quæ nondũ prægnãtes fuerunt. Idem etiã primis à conceptu diebus crassescit. Vbi uerò fœtus adoleuit, ac iam pariendi tempus adest, tenuissimus euadit. Attenuatur autem uelut uesicæ flatu repletæ solent, crassitudine in longitudinẽ abeunte. Atq; hactenus de situ, figura, ac magnitudine uteri dictũ sit.

Quæ intra prægnantis uterum nascuntur. *Cap. II.*

Impraegnationis tempore primũ Secũda utero adnascens, & totũ fœtũ ambiens generatur, deinde aliæ duæ pelliculæ, altera farciminalis, à farciminis similitudine appellata, eminẽtibus fœtus partibus duplicata incumbens. Altera agnina, à teneritudine uocata, quæ totum fœtum ambit, ac complectitur.

De secundæ generatione. *Cap. III.*

Secũda hoc modo generatur. Singula uenarũ, ac arteriarũ oscula, quę intra uterũ pueniũt, in extremitatibus suis nodosas quasdã eminẽtias hæmorrhoidib. ani similes habẽt, quas aliqui cotyledonas, hoc est, acetabula appellãt. Atq; hę in mulieribus sunt minores, quàm

res, quàm quę in uaccis, capris, ac ceruis, atq; alijs talibus animalibus reperiũtur. Sed & in brutis flacciores, ac mucosiores sunt, figura cotyledoni herbę, id est, umbilico ueneris similes. Tales igitur eminentiæ in uteri sinu ubi mulier cõceptura est aperiũtur. Contingit autem hoc tempus, incipientibus fluere menstruis purgationibus, aut desinẽtibus. Et quanquã etiam reliquo toto purgationis tẽpore apertæ sint, tamen nõ cõcipit mulier. Nõ enim potest semẽ in utero manere, quũ influentis sanguinis multitudine eluatur. Quando uerò cessant mẽses, & quum incipiunt, aperta sunt uasa, & purgatio lunaris neq; multa neq; coaceruatim effunditur, ut semẽ ob uteri asperitatẽ facilè adhæreat, & ab allabentis sanguinis paucitate abundè alatur: priusquam enim fluere cœperint menses, mulier non cõceperit, quòd & semen careat alimento, & unde adhærere posit nõ habeat: leuis enim tunc uterus est ob uasorũ conclusionem, ut inde semen tanquã color à leui pariete elabatur. Nã qui parietes illituri sunt, eos primũ exasperant, deinde colores inducunt. Proinde semẽ uiri iniectũ, & in utero detẽtum, acetabulis dextri uel sinistri sinus impingitur, cõtrahitq; seipsum uterus, ac semen undiq; complectitur. Secundæ itaq; generatio ab osculis in uterũ apertis initium sumit, ita ut ab unoquoq; osculo uas generetur, ab osculo arteriæ arteria, à uenæ osculo uena, atq; hæc uasa distinguit ac cõnectit mẽbrana. Et hoc modo Secunda generatur. At uerò hæc uasa per Secũdã dispersa rursus inter se coëunt, & in duos ueluti stipites desinũt, binasq; uenas ac binas arterias perficiunt, quæ ad ipsum fœtũ se ingerũt circa umbilicũ. Nihil enim aliud est umbilicus quàm quatuor hęc uasa, in medio sui uragum, hoc est, lotij du ctorẽ appellatũ habẽtia. Hic uerò est principium pelliculæ farciminalis, perforatusq; est ad fundum uesicę ipsius fœtus, ut per ipsum lotium fœtus excernatur, & in pellicula farciminali colligatur. Tum uerò ex duabus uenis una tantũ efficitur, quæ per umbilicum delata, simę parti hepatis ipsius fœtus inseritur, uenaq; caua appellatur. Et per hanc ad fœtus alimentũ sanguis ab utero deriuatur. Postquam enim hepar ipsius fœtus sanguinem allatum suscepit, in omnes corporis partes distribuit. Similiter etiam duæ arteriæ in unam coalescunt, quę circa uesicam firmatur, & magnæ arteriæ inseritur, quæ spinæ eiusdem fœtus adhæret. Et per hanc uitalis spiritus ex uteri arterijs ad fœtum distribuitur. Porrò partus tempore instante, quum magnus perfectusq; infans uterum undiquaque distẽderit, Secunda pro infantis mole angusta efficitur, neque iam sanguis ab utero allatus alimentum sufficiens exhibet. Quapropter concitatus infans exilit, & ambientes pelliculas dirumpit: atque ita arcana quadam ratione uteri hostium aperitur, ac fœtus progreditur. Et hæc quidem de fœtus generatione breuiter, & quàm lucidissimè id fieri potuit explicauimus. At si quis diligẽtius speculari hæc uoluerit, capram aut uaccam, uel ceruam dissecare poterit, ossa pubis remouendo, & cutem aptè resecando. Et uteri cum uicinis partibus unionem apertè uidebit.

Menstruæ mulierum purgationis ratio. Cap. IIII.

Circa quartumdecimũ annum menses in fœminis apparere incipiunt, quo tẽpore, & pubescunt, & mammæ ipsis intumescunt. Non tamen omnibus eodem tempore, eademq; mẽsura, & per totidem dies prodeunt. Sed plerisq; plus minus duarum heminarum mensura, quatuor dierum spatio, interpositis uiginti duobus diebus, aut summũ triginta, singulis mensibus deferuntur. Nec ante trigesimũ quintũ, nec serius quàm quinquagesimo anno desinunt. Rarissimè enim ad sexagesimũ annum mẽstruæ purgationes perueniũt. Citissimè uerò in pinguibus corporibus deficiũt. Cæterũ sãguinis qui profluit copia paulatim usq; ad ætatis uigorẽ augescit. Deinde aliquãdiu æqualitatẽ seruãs, paululum penitus crescit, aut minuitur. At ubi ad finẽ tendit, paulatim rursus minuitur, donec in totum desinat. Vt autẽ ordinem seruent, aut excedãt, & ut multitudine uel paucitate delinquãt, in ætate situm est, ac anni tẽpore, itemq; uictus ratione, & peculiaribus mulierum studijs. Huc faciunt & ciborum qualitates, & morbi accedentes.

Notæ futuræ uirginum purgationis. Cap. V.

Virginibus futurã purgationẽ pręsagiunt mammarũ pruritus, lumborũ, pectinis, & capitis dolor, bilis, aut pituitæ uomitus. Quum hæc circa decimũ quartum annũ apparuerint, Medicũ coniectarẽ oportet, quomodo purgationẽ maturet, & per leniores decoctiones sanguinis delationem adiuuet.

Quãdo semẽ appareat, & cõceptus tẽpus adueniat. VI.

Semen quoque circa decimũ quartum annum, & plerisque in ipso pubertatis tempore apparet: uerum ad generationem aptum efficitur, anno plerũq; decimo octauo, aut uigesimo. Et statim sanè ubi semen comparuerit, coëundi desiderio flagrare incipiunt.

Fœcundarum mulierũ dinotio, Sorani. Cap. VII.

A' decimoquinto ætatis anno ferè usq; ad quadragesimum, mulieres ad cõcipiendum idoneæ sunt, quæ neq; uiragines, neq; corporis habitu denso, aut duro præditæ sunt, neque contrà humecto, ac languido, neque alui fluxione asidua laborant: sed & recta ratione, ac læta mente funguntur, & lumbos habent latos, & uentrem amplum. Et quibus menses non impediuntur, & quæ uteri affectionibus non infestantur. Cæterum conceptura sit an non mulier, hoc modo deprændi aiunt. Infernas partes uestimentis cõtectas resina suffiũt, ita ut intra pudendum uapor recipiatur. Et si quidẽ odor per corpus ad os, & nares transeat, fœcunditatis signum iudicant: sin minus, sterilitatis. Allia itẽ decorticata, & lanæ inuoluta, mulier dormiẽdi tempore sibijpsi uelut pessum, siue tali formã subdat. Et ex odore an ad os peruenerit aut non, fœcunditatem aut strilitatẽ iudicet.

Quomodo cognoscantur quæ cõceperunt. Cap. VIII.

Mulierem concepisse argumento primum est, si ab obstetrice interrogata respondeat, se post concubitum uiri semen non effudisse, & in ipso coitus opere horrorem quendam percepisse, & moderato dolore circa pudendum, ac umbilicum uexari. Et ad hæc si pudendi sinus & os arida sint. Et uteri osculum non durum, nec inflammatum, sed interius ac exterius occlusum fuerit, & aliquantulum sursum progressum. Et si Veneris appetentia languerit, & menses cõsueto tẽpore non apparuerint. Si uenæ pectoris uirere, & mammæ intumescere inceperint, & progressu tẽporis lac habuerint. Si cauitates oculorũ subpallidæ fiant. Si nigræ maculæ in facie, & aliquibus lẽtigines oriãtur. Si colli pars anterior calidior, ceruix uerò frigidior appareat. Si circa secundũ mensem præter cõsuetudinem salsa, aut acida appetat. Quibusdã etiam os nimio humore madescit, & ad

& ad agendum torpor adest, & aspectus languidus ac planè effœminatus efficitur, & color ad albedinē, ac pallorem mutatur, prægresso plerunque rubore si fœminæ uiriliores fuerint. Circa consueta, item purgationis menstruæ tempora aggrauantur prægnantes, & mammæ intumescunt, lumbi difficulter mouentur, uesica rubens, ac ignitum lotium cum dolore excernit, & suppressorum mensium calor sinum, ac ceruicem uteri accendit.

Notæ fœtus masculi ac fœminæ. Cap. IX.

Hippocrates, & alij quidā maris notam esse dixerunt, si prægnans sit bene colorata, & ad motum facilis, & si dextra mamma amplior, & præsertim papilla sit. Contrà uerò pallidus color, sinistraq; mamma, ac papilla tumidior, fœmellæ indicium est. Sed & in masculi conceptu dextræ partis uasa, uenæ, ac arteriæ, magis intumescunt, præsertim sub lingua. At in fœmellæ conceptu contrarium apparet. Aiunt etiam papillas in fœminæ conceptu deorsum nutare, in masculi uerò sursum tendere. Sed & lac prægnantis aquæ instillatum, si fœtus fœmella sit, diuelli, ac detrahi: si uerò masculus, in superficie persistere. Certissimum uerò minimè fallax masculi fœtus signum est, si prægnans dextræ manus pulsum ualidiorem, ualociorem, maioremq;, ac duriorem habuerit: Et uice uersa in fœmella.

De pica, Galeni. Cap. X.

Circa secundum mensem affectio quædam prægnantibus accidit, quæ à pica auicula nomen accepit. Alij tamen ab hederæ similitudine, quę cittos Græcis uocatur, hanc affectionem cittam Græcis appellatam esse sentiunt. nam sicut illa uarijs plantis prout occurrunt se implicare solet: ita mulieres ex pica laborantes, uaria edulia appetunt, atq; ea contraria, quæ tum uoluptatē, tum insuauitatem gustati exhibent. Accidit autē ferè circa quadragesimum diem à conceptu. Et est stomachi languor cum nausea, & auersione ciborū, bilis ac pituitæ uomitū inducens. Cōsequūtur assiduè expuitiones oris, uētris morsus, ac anxietates. Atq; hæc omnia ob humoris sanguinei pręsertim redundātiā fiunt: q enim per uteri uasa singulis mēsibus excerni solebat, à fœtu suppressus, sursum uergit, & stomachū præcipuè, uelut subtiliore sensu præditū infestat: pro uarietate autē uitiosi humoris, uaria ac peregrina edulia appetūt, quædā salsa, aliquę acida, aliquę terrā, aut testas, aut extinctos carbones. Et sæpe usq; ad quartū mensem hæc affectio durat: in principio enim modicus sanguis ad fœtus alimoniā distribuitur. Postea uerò crescente fœtu, plus alimenti attrahitur. Itaq; tum demum uitioso humore partim per uomitum euacuato, partim ad uterū alendi fœtus gratia delato, relata accidentia remittūt. In quibus igitur multus sanguis collectus uidetur, his modicus cibus competit, & exercitia mulieribus cōueniētia, quæ redundātem discutere possunt. Prosunt & fatigationes, ac peregrinationes: quæ uerò citra laborem uiuere consueuerūt, hæ prægnātes ægrè ferunt repentinos aut laboriosiores motus. Quarum uerò stomachus ab acri, acidóue aut salso humore mordetur, hæ ad excitādum uomitum tepidam aquam commodè bibent, ut humor affligēs reuomatur. Abstineant autē à dulcibus obsonijs, & uinum fuluum, odoratum, antiquum, & subastringens bibāt. Sit autē potus moderatus ne alimenta uentriculo innatent. Confert etiam ante cibum oliuas muria conditas cum pane molli exhibere. Aut quinq;, uel septē amygdalas amaras. Aut polentā succo cotoneorum, aut punicorū malorum respersam. Aut seridem siue intubum. Aut asparagū palustrem, aut sisarum. Ex auibus deligendæ sunt, quæ neq; pingues, neq; uirosæ sunt. Cōueniunt etiā pedes, ac rostra & uentriculi porcorum, & herinacei marini recentes. Post cibum uerò uuæ passæ, mala punica, ac pira exhibeantur. Sint tamen omnia quantitate moderata. At quæ cibos auersantur, obsoniorum uarietate, ac iucunditate illectentur. His autē quæ terrā comedunt, nihil ita prodest, uelut amylum recēs pro terra oblatum. Cæterum medicamenta cōtra picam cōmoda sunt, portulacę cremor, & ipsa in cibo sumpta, cucumeris semē decorticatū, & ex aqua potum. Polygoni decoctū potum, similiter etiā anethi. Et rhei pōtici, ac spicę nardi cremor. Itē intubi succus, uel ipsa herba cruda, aut cocta assiduè comesta. At si crassius est quod euomunt, & ob uiscositatem difficulter excernitur, salsamenta & raphanos ex aceto mulso edant, omni studio adhibito, ut infestus humor citra molestiam ac conuulsionem educatur. Forinsecus autē adhibita lāguido stomacho cōferunt hæc, œnanthe, balaustiū, rosæ, cytyni, myrtus, smyrnij coma, fœniculi semen, cū uino cataplasmatis modo adhibita, addita etiā galla, aut cumino, aut absinthio. Palmularū item carnes uino coctas, aut maceratas, tritas pro emplastro imponere prodest. Aut mala cotonea cum posca trita, rosaceo uel nardino cerato excepta, addito croco. Aut lanam succidā, aut linteolum uino, & oleo, aut aceto & oleo, uel rosaceo, & aceto, aut nardino & uino imbuito, & stomacho adhibeto. Morsus enim, & stomachi puncturas mitigant. Pręterea calidā aquā, non tamen feruidam assduè absorbere, & sensim assiduè obambulare, & præcordia molli lana integere, fouere ac inungere, & ante cibum infernas partes pro uiribus exercere, hæc omnia ad sanitatem assequendam mirificè faciunt.

De tumoribus pedum in prægnantibus. Cap. XI.

Pedū tumores in prægnātibus, rosaceo & aceto, & sale aliquando addito, perfricato. Prodest & terrā cimoliā cum aceto illinere, aut alumē scissum cum uino. Bonum est, & citriorum malorū decocto pedes lauare. Et anthyllim aceto maceratam obligare, & brassicę folia per latū distēta imponere ac obligare.

Cura prægnantibus adhibenda, Aspasiæ. Cap. XII.

Prægnātes quæ recens conceperunt, à timore, tristitia, ac omni forti mentis perturbatione asseruādæ sunt. Prohibendæ etiam gestationes in curribus, & uiolenta exercitia, ac spiritus detensiones, & coxendicū ictus. Neque uerò permittendum est, ut graue onus eleuet, aut saltet, aut duris sellis insideat. Sed nec acria edulia, nec flatuosa, nec clysteres acutos, nec cibi aut potus inopiam, aut superfluitatem concedemus. Sanguinis etiam effluxio, siue è naribus, siue ab hæmorrhoidibus, aut alio quocunq; loco, prægnantibus periculū inducit. Quapropter alimētis utēdum est moderatis, & stomacho cōmodis, lecticæ gestatione, leni deambulatione, molli frictione, & lanificij exercitio. At circa octauū mensem qui omnium molestissimus est, alimentū contrahendū est, & motus uehemētiores præscribendi. Et si aluus suppressa fuerit,

fuerit, ob intestini recti angustias ab utero illatas, edulia exhibeantur uetri subducendo apta, uelut est ptisanæ succus, rumex coctus, malua, lactuca. Cæterum mense nono relaxandi corporis gratia, balneo frequẽter utendũ est, & omni modo prospiciẽdũ, ut paritura futuros partus dolores fortiter ferre posit.

Notæ partus secundum naturã futuri. Cap. XIII.

Parituris pectinis, ac superioris uentris grauitas, pudendiq; ardor adest. Et uterus ad pudendũ procumbit, ut obstetrici facilè sit per contactum tentare. Os quoq; uteri disparatum, ac dilatatum est, & ad tactũ lęue, ac humectum percipitur. Partu autem instante, superior uenter cõtrahitur, & inguina, ac pubes intumescunt, & assidua mingendi cupiditas adest. Deinde plurimus humor prodit, plerisque etiam sanguis tenuioribus secundæ uasis ruptis.

Parientibus facienda. Cap. XIIII.

Quæ præparare oportet, & quomodo secundũ naturam parientibus cõsulendum sit, superuacuũ fuerit scripto prodere, quũ ex longo usu nõ modo obstetrices, sed reliquæ quoq; mulieres ista sciant. De hoc tamen uelut necessariò admonebimus, quòd parientes spiritum detinere oportet, & ad inferiores partes propulsare, nõ uelut imperitæ aliquę faciunt in gutture congregare. Inde enim plerisque gutturis tumor, & uasorum eius loci dilatatio contingit, quæ affectio penitus incurabilis existit.

Cura circa ægrè parientes adhibenda, Aspasiæ. Cap. XV.

Quum partus difficultas instat, & loci pręclusi manẽt, prægnans in balneum ducatur, & in calidæ labrum desideat, sæpeq; perfundatur. Vtaturq; insessionibus, ac illitionibus lubricitatem inducentibus. Quale est oleum tepidum, ouorum candida tusa, maluę, fœni gręci, seminis lini decoctum. Aut cerato liquido ex oleo cyprino præparato loci, ac inguina illinãtur. Sed & hirũdinũ nidus oleo dissolutus, & lũbis iuxta spinam affusus, partum accelerat. Ferunt etiam tithymalli maioris radicem linteo illigatam femori utiliter alligari, & similiter styracem, coriandrum uiride, polygoni radicem, halcyonium, cucumeris syluestris semen, atq; hęc omnia statim à partu amouenda esse. Cæterum si post partum secunda non sequatur, uiolenter ne extrahatur, sed sternutatio excitetur, & spiritus detineatur, & os, ac nares obturentur. Et si adhuc remanserit, extractio fiat uelut postea docebimus.

Quomodo opem ferre oportet his quæ non tutò concipiunt. Cap. XVI.

Quædam mulieres etiamsi concipiant, in partu tamen periclitantur, siue ob uteri paruitatem, ut ob id fœtum perficere non posit, siue ob colli eiusdem angustiam, siue quod tuberculũ, aut tale quiddã in eiusdẽ ostio exortũ est, quod partũ impedit. Atq; hę sanè optimè fecerint, si à partu omnino cauerint. At si cõceperint, satius est fœtũ corrũpere, quàm excidere. quare ex ordine de corrũpentibus fœtũ, & de inducẽtibus sterilitatẽ agemus. Quod enim sterilitatẽ inducit, differt ab eo quod fœtũ corrũpit. Illud enim conceptũ fieri prohibet, hoc factũ corrumpit & expellit. Proinde, ut ne mulier cõcipiat, primũ caueat, ne temporibus conceptui idoneis cum uiro coëat, in cipientibus uidelicet, aut desinentibus mensibus. In ipso uerò concubitus tempore, quum uir semen eiecturus est, spiritum detineat, ne in uteri cauitatem semen feratur, statimque exurgat, ac genibus innixa sternutamenta cieat, & pudendum probè detergeat. Ad prohibendum etiam conceptum os uteri cum melle illinere oportet, aut cum opobalsamo, aut cedria per se, uel cum cerussa. Item cum cerato myrteo liquido cerussa ammixta: aut alumine liquido, aut galbano cum uino. Talia enim frigida, meatus obducentia, ac adstringentia, ante coitum os uteri claudunt, & semen in eius cauitatem penetrare nõ sinũt. Calida uerò proritantia, non solum uiri semen ab utero pellunt, sed reliquos etiam eius humores attrahunt, ac exugunt. Sed & ea quæ sequuntur conceptionem prohibent, ac sterilitatem inducunt.

Peßi sterilitatem inducentes. Cap. XVII.

Corticum pinus, rhois coriarij, singulorum æquales portiones cum uino è uinaceis expresso terito, & in lana ante concubitum adhibeto. Et hoc ablato post duas horas mulier cum uiro coëat. Aliud. Malicorium recens cum aqua tritũ subdito. Aliud. Malicorij partes duas, gallarum partem unam, terito, & glandulas paruas efformato, easq; ubi mẽses desiuerint subdito. Aliud. Gallarum drach. III. myrrhæ drach. II. cum uino uelut erui grana efformato, & in umbra siccato, atque ante coitum pro pessis subdito. Aliud. Caricarum carnes cum uino subactas adhibeto. Aliud. Florum mali punici satiui drachm. II. gallarum tantundem, absinthij drach. I. cum cedria uelut ordei grana formato, & duobus diebus à sedatis mensibus subdito, totoq; die sumãtur, & his amotis tãdem uenere mulier utatur. Hoc non fallit, & longo usu cognitum est. Potio ad idem. Succus cyrenaicus ciceris magnitudine cum duobus uini diluti cyathis potus, cõceptum prohibet, & menses ducit. Aliud. Succi cyrenaici, foliorum rutæ, opopanacis, æquales portiones terito & cera obducito, & fabę magnitudinẽ exhibeto, deinde uinum dilutum propinato. Et hoc menses prolectat. Aliud. Aloës drach. I. seminis uiolarum albarum obolos III. myrrhæ drac. III. piperis grana II. Hæc in tres partes diuidito, & tribus uicibus exhibeto, statim ubi mẽses cessarint. Quin & fabrorum aqua in qua ferrum extinguunt, assiduè pota, maximè statim ubi menses cessarint, sterilitatem inducit. Idem facit & populi albæ drachma, ex aqua singulis mensibus semel pota. Aliud. Mustelæ hepar sinistro pedi alligetur. Aut testes eiusdẽ animalis circa umbilicum gestentur. Aliud. Adeps siue pinguedo uuluæ leænæ in uase eburneo gestetur. Est hoc efficacissimum. Aliud. Cerussa cum oleo uelut pessus subdatur. Aliud. Florum mali punici satiui, malicorij, gallarum, succi uuæ acerbæ singulorum drachmas duas, absinthij drachm. I. cedria excipe, & uelut ordei grana efforma. Et mulieri quæ per biduum à uiro secubuit subde. Aliud. Postquàm mulier à uiro secubuit, tot hederæ grana nigra è uino propinato, quot diebus fœminã concipere nolueris. Aliud. Hyoscyami semen antequàm in terram exciderit, ab ipsa herba decerpito, & cum lacte asinino terito, & modica myrrha, ac hederę nigro grano, aut corymbo ammixto, leporis aut muli, aut cerui corio inuolutum, gestandum exhibeto. Obseruandũ est autẽ ne hoc amuletũ terrã contingat: aut fabrorum aquã frigidã ieiunæ

propinato: aut salicis decoctum cum melle, propter eximendã amaritudinẽ, potandum dato. Ferunt etiã dentem infanti elapsum, si terrã nõ attigerit, in anulo à muliere efficaciter gestari. Item lumbricũ lapidicinæ pro amuleto efficaciter appẽdi. Aliud. Hyoscyami semen cũ aquę pullũ alentis lacte subactũ, & ceruino corio illigatũ, sinistro brachio appendito, & ne terram contingat caueto. Aliud. Coriandri semẽ toto anno potũ, sterilitatẽ inducit. Aliud. Vir aliquo adstringẽti illinatur, quale est alumen, malicoriũ, galla ex aceto trita, & ante coitũ muria abluat, & non generabit. Omnia porrò medicamenta spleni conferentia, maxima ex parte conceptionem impediunt. Idem faciunt, & mulorum castratorum testes usti, & cum salicis decocto poti.

Fœtum corrumpentia, ex Aspasia. Cap. XVIII.

Si mulier ad gignendum fœtum inepta, per negligentiam cõceperit, primũ usq; ad trigesimum diem contraria fiãt his quæ suprà de cura prægnãtibus adhibenda diximus, ita ut uehementissimis motibus uti iubeatur, & ut saliat, ac grauissima onera leuet. Et ut decoctionibus urinã, ac menses prolectantibus atq; aluum subducentibus assiduè utatur, & acrioribus infusis uentrem eluat. In balneo item superiorẽ uentrem, pubẽ, ac lumbos quotidie defricet, & in aquæ tepidæ labro diu moretur, insessusq; paret ex fœni græci, althææq;, ac artemisiæ decocto, & cum oleo antiquo per se, uel cum rutæ succo, ac melle perfundatur: & si adhuc perstiterit conceptus, præcordia & lumbos ex lupinorum farina taurino felle subacta integat, & epithemata huiusmodi imponat. Cyclamini, elaterij, artemisiæ, singul. drac. V. absinthij, grani cnidij, singul. drach. X. nitri drach. VIII. radicis cucumeris syluestris drach. V. opopanacis drac. X. lupinorum amarorũ, radicis chelidonij, seminis aut radicis uiolæ albæ, singulorum drach. VI. olei cyprini quantũ satis est ad emplastri formã. Hoc post perfusionem cum artemisiæ decocto, superiori uentri imponere oportet, deinde caricas cum nitro, aut simile quiddã in pudendi sinum subdere, aut cum oleo trita illinere. Hoc autem simplex insigne est. Cupressi folia cocta trita, post balneum cubitum itura uentri imponat, & tota nocte sinat, & supina iaceat. Præstat & collyriũ ex opopanace subdere, & allij cortices, ac pilos muliebres suffire. Quòd si hęc nihil profecerint, ad ualidiora auxilia pergendum erit, neque tamen temerè hoc faciẽdum est. Omnis enim fœtus corruptio periculosa est, præsertim in muliere robusta, uterumq; duriorem, ac densiorem habente. Quare diligenti animaduersione opus est. Et secundus maximè, ac quartus mensis uitandus: est enim in utroq; naturalis quædam difficultas ac mora, & impares mẽses aptiores sunt ad aggressionem, ac firmitatem. Vnicũ itaq; tertij mensis tempus deligendum est: neque enim prius, neq; posterius cõueniet. Mulier autem à qua fœtus expellendus est, per aliquot dies antea tenuissimo uictu, & assiduis balneis, ac pessis emollientibus subdititis utatur, & à uino abstineat. Deinde uena secetur, & sanguis copiose detrahatur: sanguis enim à muliere prægnãte euacuatus abortũ facit, inquit Hippocrates. Tum post biduum, aut triduum, ubi interim à cœna euomuerit, foliorum mercurialis fœminæ decoctum, cum oleo, & garo conditum, ieiuna absorbeat. Aut agaricum cum aqua mulsa bibat. Aut seminis uiolæ albæ drac. I. aut artemisię, aut dictamni, aut gentianæ, aut castorij, singulorũ drac. I. aut ammoniacum thymiama, aut myrrham, aut lauri baccas cum aqua mulsa. Aut cacumina thymi, au fel tauri cõgelatum nucis auellanæ magnitudine ex uino odorato dilutum bibat: hæc enim omnia etiam mortuos fœtus expellunt. Atque hæc quidem conceptum fœtum corrumpunt. si tamen non profecerint, oportet ante potiones, & epithemata quæ adhibentur, sternutamenta ciere cum his quæ ad hoc efficacissima habentur. Pessus corrumpens fœtum. Iridis, galbani, grani cnidij, terebinthinæ, singul. drac. I. cum susino, cyprino, ac rosaceo oleo æquis portionibus efformato, & mulieri prius lotæ subdito, ac per totam noctem sinito. Mane uerò in fœni græci, & artemisiæ decocto sedeat, & si non successerit, idem rursus post balneum fiat. Alius. Seminis uiolæ albæ, nitri, absinthij, myrrhæ, pares portiones cum uino subactas in lana subdito. Alius. Foliorum rutæ, baccarum lauri, myrrhæ, singulorũ drac. II. cum uino subacta subdito. Collyrium citra molestiã trimestrem fœtum expellens. Seminis nasturtij, seminis uiolæ albæ, myrrhæ, absinthij, singul. drach. I. cum aqua efformato, & mulieri prius lotæ subdito, & interim pulegij decoctũ bibendũ dato. Aliud insigne. Abrotonum quantũ uoles in aqua ad totius aquæ consumptionẽ coquito, & exprimito, eumq; liquorem exceptũ lana subdendũ exhibeto. utere etiã auxilijs, ac epithematis, quæ ad retẽtos menses describemus. Tradũt etiã stercus columbinum suffitum fœtũ expellere. Et cucumeris syluestris grana spõte excidentia, panno excepta antequàm terrã attingant, adalligata magnã uim habere ad fœtum corrumpendum.

Signa futurum abortum præcedentia. Cap. XIX.

Futurum abortũ aquosa primum euacuatio, deinde saniosa aut cruenta, & uelut carnium lotura præcedit. Vbi uerò planè exolutio aduenerit, purus sanguis, deinde grumi, ac demũ fœtus ipse formatus, aut informis egreditur, plerisq; etiã lumborum, ac coxarum grauitas adest, & superioris uentris, capitisq;, ac oculorũ dolor, stomachi morsus, extremarũ partiũ frigiditas, animi deliquiũ, horror febrilis: quædã etiã conuulsiones retrorsum, & uelut à comitiali morbo habẽt. Atq; hęc pręcipuè accidũt his quę per medicamentorũ uiolentiã abortũ procurarũt. Nam in his quæ citra medicamẽta abortum faciunt, præcedit, uelut Hippocrates testatur, mammarũ gracilitas præter rationem oborta, femorũ frigiditas, & grauitas, etiam lumbos occupans. At uerò ex abortu minus læduntur, quæ saniores sunt, & aluum natura laxiorem, ac uteri partes humidiores habent. Et quæ frequenter magnos infantes sine molestia pepererunt, & ætate prouectiores, paucumq; sanguinem habentes, & non pingues.

Quomodo abrupti fœtus eiectioni opitulemur. Cap. XX.

Si fœtus abruptus fuerit, & in uteri collo detineatur, oleo cyprino, terebinthina ammixta totũ corpus, & præcipuè partes utero uicinæ perfundantur. Eodem etiã eiecto iã fœtu loci assiduè rigẽtur, & si sic nõ succedat, mulier aromatũ decocto insideat, ac sternutamenta adhibeat. Et ex resina sicca, bitumine, propoli, & cancris fluuialibus, ac galbano suffitus fiat. Hec

& alia

& alia huiuscemodi facienda sunt, si inflãmatio non obstiterit: nam ea præsente, intra insessus laxandi, ac mitigandi uires habẽtes nos continebimus. at si fœtus detinetur ex eo, quòd uterus citra inflãmationẽ conclusus est, papyrũ & spongias aridas, primũ tenuiores, deinde crassiores, instar pessi subdemus, & extrema opopanace, uel panacis radice, cum melle, ac terebinthina trita illinemus. Porrò eiecto fœtu, si secunda non fuerit sequuta, uiolente extrahenda nõ est. Sed neq; umbilicus incidendus, & secunda relinquenda est. Strangulatus enim, & certa pernicies ex hoc consequeretur. Verũ si res diutius protrahatur, umbilicus incisus fœmori mulieris alligetur, & sũmum studiũ adhibeatur, ut secunda eximatur, quemadmodum inferius de fœtus exectione referemus.

De his quæ bimestres aut trimestres fœtus aboriunt. Cap. XXI.

Quæcunq; moderatè corpus habentes, bimestres, aut trimestres abortus faciũt, citra manifestam causam, his acetabula siue cotyledones muco plena sunt, & non possunt præ grauitate fœtũ cõtinere, sed abrumpitur, inquit Hippocrates. Has igitur curare oportet per medicamenta pituitã ducentia, totũ corpus euacuãdo: qui enim ante totius corporis purgationem, & ante prohibitum humorum influxum, statim à principio locos euacuare nititur, simile facit, uelut si quis perennẽ putei aquã exhaurire uelit, dũ interim in exhaustæ locũ assiduè riuuli scaturiunt. Toto uerò corpore euacuato, tandẽ cum his quæ pituitã ducunt, etiam uterũ purgabimus. Quales sunt pessi ex colocynthide præparati, qui cõtra sterilitatẽ ex humorum redundantia contingentem inferius describetur. Optima autẽ è lotio purgatoria pituitam ex utero educẽs, sic fit. Colocynthidem magnã supernè incidito, & seminibus eiectis, ac dimissa medulla oleum irinũ infundito, & cum defecta particula colocynthidẽ operito, & per diem, ac noctem madescere sinito, deinde feruẽti cinere coquito, ac oleũ excolato, & hoc tepidum in uuluã iniicito. Hoc multas steriles fœcundas fecit, educta ex alto pituita, quæ conceptum impediebat. Victus autẽ ratio adhibẽda est calefaciens, ac siccãs, moderata item exercitia, ac frictiones, & omnis perfrigeratio uitanda. At uerò his quæ ob naturalẽ facultatis retẽtiuæ debilitatem aborum faciũt, herinacei terrestris pellis usta, ex aqua, aut uino pota, ex naturali quadã proprietate auxiliatur. Idem facit & pudendi osculo illita. Idem potest & marinus herinaceus, ac conchæ ustæ. Itẽ myrti baccæ cum uino, aut oleo lentiscino siue susino illitę. Rubi quoq;, ac myrti & similium decoctis, loci utiliter irrigantur. Aetites etiam lapis circa uentrem gestatus, & prægnantes, & fœtus cõseruat, nec sinit uterũ flaccescere. Idẽ facit tritici granũ intra panem repertum, sinistro brachio alligatum. Sardonius quoque lapis prodest superiori uentri appensus, donec dolores partus instant, & tunc ablatus. Lapis itẽ in uulua, aut corde, aut intestinis ceruarum repertus pro amuleto gestetur: est enim ad retinendos fœtus efficacissimus. Iisdem uiribus præditus est lapis qui trunco arboris pro cunei more impingi solet.

Pariendi difficultatis causæ. Cap. XXII.

Pariendi difficultas uariis de causis cõtingit: aut enim eò quòd puerpera animo, aut corpore, aut utrisque simul imbecilla est, aut ob uteri paruitatẽ, aut propter meatus angustiam. Quæcunq; autẽ propter ætatem staturæ breuioris sunt, hæ ferè uterũ reliquis corporis partibus correspondentẽ habent. Potest & difficultas pariendi contingere: aut ob ceruicis uteri obliquitatem: aut ob carnẽ eidem ceruici, uel osculo eius adnatam: aut ob eiusdẽ loci inflãmationem, uel abscessum, uel duritiã: aut quòd tunicã ambientẽ solidiorem fœtus perrumpere nõ potest: aut quòd humor in utero collectus ante debitũ tempus excretus est, & iuxta partus tẽpus sine humore, ac sicci manẽt loci, quãdo maximè opus est hoc humore, ut qui facilem transitũ fœtui exhibeat: aut quòd puerpera uesicæ calculo laborat, qui dũ uteri collũ comprimit, difficultatẽ pariẽdi inducit: aut ob prægnãtis carnositatẽ, siue pinguitudinẽ. Sed & ossa pubis nimium cõserta, pariendi difficultatẽ faciunt, dũ in partu dilatari nõ possunt: neq; enim uelut in uiris, ita in mulieribus ossa pubis alternatim cõseruntur, sed forti copula cõnectuntur. Contingit itẽ pariendi difficultas ob nimiã lumborum cauitatẽ uterum comprimentem: aut ob excrementorũ copiã, in intestino recto, aut uesica detentã. Aliquæ etiã prouecta ætate debilitate ægrè pariunt. Aliæ quòd primũ parere incipiunt, anguntur, & propter imperitiã corpus aptè præparare ignorãt, aut quòd per ætatẽ nondũ uiriles sunt, nec uires uigores adeptę sunt, sed adhuc puellæ pueriliter agũt. Difficilis præterea fit partus, quũ fœtus totus, aut pars magnitudine excellit: sæpe enim caput, uel thorax, uel uẽter, plus ęquo augescit: aut quum debilior est fœtus, & saltibus, ac motibus suis matrẽ adiuuare nõ potest: aut quũ biceps est, aut tripes: aut quũ gemini prodeunt, & repentè uterq; simul collo uteri illabitur: aut quũ fœtus interiit, & parturiẽti nihil auxilii præbet: aut quũ mortuus intumescit, & pręter naturã iacet. Situs enim prodeũtis fœtus naturalis est, ut rectà in caput, manibus ad utrunq; femur extẽtis prodeat. Præter naturã uerò caput in dextrã, uel sinistrã uteri partem declinat: aut altera, aut utraq; manus exeritur, & crura intus inter se diducũtur. Reliquis tamẽ figuris minus suspecta est ea quæ in pedes contingit, præcipuè si manibus super utroq; femore extentis prodeat. Fœtus uerò qui altero pede prodeunt, altero intus detẽto, aut duplicati alicui uuluæ parti innituntur, directione indigent, sicut & qui manus expassas habẽt. Cæterũ qui obliqui prodeũt, minus improbãdi sunt, & hoc tripliciter cõtingere potest: aut enim in alterutrũ latus, aut in uẽtrẽ prodeũt. Sed tutius est in latus progredi: ita enim obstetricis manui locus datur, ut in caput, aut pedes nascentem dirigat. At qui duplicati prodeũt, in pessimã figurã illapsi sunt, maximè si in coxarũ uertebras deferãtur. Tripliciter autẽ duplicari solent: nã uel capite & cruribus, uel uẽtre, uel coxarũ uertebris, osculo uteri incumbũt. uerũ præstat uentrẽ incũbere, eo enim à nobis dissecto, & interaneis exẽptis, considẽte corpusculo, facilis est figuræ trãsmutatio. Difficilis item fit partus, si secunda, aut propter crassitudinẽ nõ abrumpitur, aut propter tenuitatẽ antequàm oportet diuellitur. Porrò ab externis causis pariẽdi difficultas oboritur, uelut si anni tẽpus frigidum, & hyemale meatus cõstrinxerit, aut calidũ & æstiuũ exoluerit. Hæc omnia de muliere ægrè pariẽte medicum percũctari ex obstetrice oportet, nec temere ad chirurgiam progredi. Neque

uerò obstetrici permittendum est, ut uterum diutius dilaniet. Si ergo ob lumborũ cauitatẽ pariendi difficultas contigerit, puerpera in sella, prona flexis genibus collocetur, ut uulua delabens ceruicẽ rectà extendat: eodẽ modo sistantur etiã pingues, ac carnosę. si uerò propter aliquã angustiam, aut stuporẽ, aut coarctationẽ, opem ferre oportet laxationi per insessus calidos, & suffitiones, ita ut etiã aër domus calefiat, & per infusiones oleorum, tum actu, tum potentia calidorũ, itemq́ per illitiones, ac cataplasmata eiusdẽ generis. Adhibẽda quoq; sunt laxamenta à balneis, si non febris, aut aliud quid prohibuerit, & ex gestatione lecticæ in loco calidiore. Quidã etiam concussiones fortes in his adhibuerũt. At uerò eam quæ ob exolutionẽ imbecilla est, ad partũ corroborare oportet cõdensantibus, ac maximè cõstringentibus, & firmitatẽ inducẽtibus: qualia sunt respersiones, ac insessiones ex myrto, aut pampinis uitis, aut malis punicis, aut rosis. Et odoramẽta cum aceto, & ungẽta ex uino & oleo rosaceo frigidis: si uerò propter figurã præter naturã ipsius fœtus, partus difficultas adest, ad naturalẽ sitũ reducendus est, quãtum eius fieri potest. Et si pedẽ, aut manũ protrusit, ne attrahatur per membrũ: magis enim impingitur, aut luxatur, aut etiã abrumpitur. Verũ per digitos humero aut coxæ fœtus admotos, promissa pars ad cõuenientẽ locũ introducatur. Si uerò unà cũ coarctatione, totius fœtus figura mala fuerit, prius ab osculo uteri in sublime eleuetur, & postea rursus ad osculum rectà dirigatur, fiantq́ omnia placidè, leniter, ac citra compressionẽ, oleo assiduè locis affuso: hoc enim ex salute tũ fœtus, tũ parientis fuerit, & uterus ita quoq; illæsus manet. At si uteri osculũ clausum permanserit, pinguibus medicamẽtis emolliatur, ac relaxetur. Quòd si uerò calculus affuerit, eum extra uesicæ collũ per catheterẽ propellemus. & si uesica lotio plena fuerit, eodẽ catheteris instrumento lotiũ educemus. si uerò intestinũ rectũ excrementis plenũ fuerit, per clysterẽ eluemus. At si ob inflãmationẽ, abscessum, ulcus, tumorẽ laxũ, aut duritiã, aut simile quiddã mulier parere nequeat, singulis pro affectionum ratione succurremus. Si uerò ob carnem collo uteri adnatã, aut ob tunicã aliquã innatã solidiorẽ, parturiẽdi difficultas eueniat, uelut in nõ perforatis mulieribus accidit, quicquid impedimẽto fuerit, resecetur. Et si solidior fuerit, membrana fœtũ ambiẽs quàm ut abrumpi possit, discindatur. Quibus uerò humor in tunicis cõtentus ante debitũ tempus effluxit, ita ut loci sint resiccati, eis albumina ouorũ cum maluæ aut fœni græci decocto excolato, aut cũ ptisanæ cremore tepido infundantur. At si uteri paruitas in causa fuerit, loca pinguedine aliqua inungantur, ac foueãtur, & os uteri digitis dilatetur, & fœtus uiolẽter extrahatur. Si uerò nõ successerit, dissecetur. Quod tum maximè faciendum est, ubi fœtus fuerit magnus, aut mortuus. Mortuũ autem cognoscemus, ex eo quòd ad tactum frigidus occurrit, & motu caret. At si gemini, aut tergemini fuerint, ac collum uteri obsederint, reliqui ad fundũ uteri repellantur, & is qui magis paratus uidebitur, prius educatur. Si uerò ob capitis, aut thoracis, aut uentris magnitudinẽ, partus difficilis fiat, omnino necessariũ est fœtũ secare. Porrò tẽpus collocandi puerperã in sellam, est quum uteri osculo aperto, digitis occurrerit, ac prominuerit id quod prærumpi solet.

De fœtus extractione, ac exectione, Philumeni. XXIII.

Medicũ ante exectionis aggressionẽ spectare oportet, resoluta sit ne mulier aut nõ. Et an seruari possit, uel sit deplorata. Et seruari quidem potentem aggredietur, deploratã uerò relinquet. Quæ igitur letaliter affectæ sunt, lethargico sopore premuntur, & resolutæ sunt, ac difficulter reuocari possunt. Et ad maximas inclamationes reuocatæ, debiliter respondentes rursus deferuntur in soporem. Quædam etiã per conuulsionẽ contrahuntur, aut neruis tremulæ fiũt. Et pulsus fortiter tumidus, uerum obscurus, ac debilis depræhenditur. At uerò seruãdæ, nihil tale patiuntur. Mulier itaque supina in lecto decumbat capite decliui, eleuatis cruribus, teneatur q́ utrinq; à peritis, ac robustis mulieribus. Ac primum duæ, aut tres buccellæ panis uino imbutæ offerantur, ad arcendum animi deliquium. Et in ipso opere assiduè facies uino respergatur. Chirurgus autem difficultatis causam per instrumentum pudendum diducens conspicatus, thymúsne sit, an callosa eminentia, aut aliquid ex his quę retulimus, quicquid id fuerit, uolsella arreptum scalpro amputabit, uelut postea docebimus. Si uerò tunica uteri os obstruxerit, eam quoq; resecabit, sicut inferius de non perforatis mulieribus trademus. Si uerò pelliculæ fœtum ambientis soliditas obstiterit, eam uolsella extentam cultro aculeato incidemus, & incisam digitis dilatabimus, & locum idoneum ad fœtus egressionẽ parabimus. At si caput fœtus locum obstruxerit, in pedes uertatur, atq; ita educatur. Quòd si ita impactum fuerit, ut nullo modo retrudi possit, uncinus attractorius oculo, aut ori, aut mento infigatur, & ita infans extrahatur, hoc modo, ut instrumentum tractorium in dextra manu teneatur, uncinus uerò ipsius digitis occultatus, per sinistram manum leniter cointroducatur, & in aliquo ex dictis locis figatur, & deinde alterum instrumentum ex altera parte oppositum similiter immittatur, ac infigatur, ut æqualis, & ad neutram partem declinans attractio fiat, eaq́ tutior, ne fortè unum instrumentum in attrahendo elabatur, ac fœtum dimittat. Atque ita æqualiter non solum in directum, sed etiam ad obliqua trahatur, & digitus pinguedine aliqua illitus, intra uteri os, & impactum corpus immittatur, & circumcirca ducatur. Dimidio autẽ fœtu extracto, attractorium instrumentum ad superiores partes transferatur, ac infigatur. At uerò si caput, uel natura, uel hydrocephala affectione aquosa, magis tumidũ impactum fuerit, scalpro incidendum est, atque ita euacuatum, ac contractum extrahendum. Quòd si neq; sic prodierit, caluam contundere oportet, & ossa digitis eximere: si uerò ossa eminuerint, per forcipem dẽtarium, aut ossarium auferre, ac tum demum instrumentum attractorium infigere, ac fœtum extrahere. at si capite progresso, circa thoracem coarctatio fiat, itidem scalpro loci circa clauiculas dissecentur usq; ad uacua: ut humore euacuato, moles thoracis considat. si uerò nimis uenter inflatus fuerit, mortuo fœtu, aut hydropico existente, eadem methodo utentes uẽtrem dissecabimus, ac intestina eximemus: si uerò manus protensa fuerit, ab humero resecetur: oportet autem linteo obuolutum, ut ne elabatur, aliquantulum extrahere, quo sic humeri articulus exeratur,

exeratur, & tunc diductis pudendi labijs resectionẽ facere, & postea sinistram manum immittere, ac caput dirigere, & ita fœtum educere: idem faciendum est etiam ubi ambæ manus fuerint protensæ. similiter etiam pedes protensos reliquo corpore non consequẽte, ab inguinibus resecare oportet. At si duplicatus fœtus occurrerit, & dirigi nõ poterit, si caput magis expositum fuerit, ossa eius conteremus cute non dissecta, deinde alicui eius parti attractoriũ instrumentum infigemus, ac attrahemus, & cruribus directis educemus. Sed si crura magis exposita fuerint, coxæ articulum resecabimus, & ita coxas trãsgrediemur, ut caput fiat contritioni facilè paratũ. Si uerò duplicatio pertinacior fuerit pedibus magis expositis, caput circa coarticulationẽ ad uertebram amputetur, deinde transgresso thorace pedes attrahantur. Si uerò reliquis partibus ablatis, caput recurrẽs detineatur, sinistra manus oleo illita in uteri profunditatem immittatur, & caput requiratur, & per digitos ad uteri os deuoluatur, & unũ, aut duo attractoria instrumenta infigãtur. Cæterum loci ad infigendũ instrumentũ idonei, in capite sunt oculi, auriũ meatus, os, mẽti pars inferna. In thorace axillæ, clauiculæ, præcordia, pectus, uertebrarum articuli, iugulũ. In cruribus ossa pubis, fœmineũ pudendum. at uerò si osculũ uteri ob inflãmationem fuerit conclusum, nihil uiolenter agendũ est, sed infusionibus pinguibus largè utendũ, insessionibusq́;, ac irrigationibus, & cataplasmatis, quò inflãmatione aliquatenus sedata, & osculo dilatato, fœtus uelut dictũ est educatur. Vbi uerò integrã fœtus sectionẽ fecerimus, omnes eius partes cõponantur, diligẽterq́; obseruemus ne aliqua desit, aut interius clam nobis relinquatur. Deinde Secunda protinus educatur.

De secundæ eductione, Philumeni. Cap. XXIIII.

Si Secunda, quę etiam loculus appellatur, & Secunda quidem dicitur, quòd uelut secundũ domicilium, ac receptaculũ sit ab utero, & uelut fœtus indumentũ. si Secunda inquam detinetur, interdũ uteri os clausum, interdum apertũ reperitur, & aliquando inflãmatum, aliquando citra inflãmationẽ. Et modo uteri fundo cõiuncta secunda reperitur, modo seiuncta. si ergo os uuluæ apertũ, & secunda seiuncta reperitur, circa aliquã uteri partem instar pilæ conuoluta, facilima est eductio. Sinistrã enim manũ calidam & pinguefactã in profundũ immittere oportet, & arreptam secundã extrahere. Si uerò uteri fundo connexa fuerit, similiter quidem manum immittemus, uerum appræhensam secundam non statim rectà attrahemus, propter prolapsus uuluę timorem, sed sensim nulla uiolentia adhibita, primum in obliquum placidè ducemus, hac & illac obuertẽtes. Deinde aliquando ualidius attrahemus. Sic enim obedit, & à concretione exoluitur. At si uteri os clausum fuerit, perfusionibus pinguibus utemur, & per sinistrę manus digitos leniter aperire, ac paulatim dilatare conabimur. Et si non successerit, superiorẽ uentrem ex cruda ordeacea farina aqua calida, ac oleo subacta integere oportet, rursus que locos perfundere, pinguiaq́; fomenta adhibere. Et si uires non fuerint debiles, etiam sternutatorijs utendum est, ex castorio, ac pipere præparatis, & potionibus mẽses cientibus, de quibus postea agemus. Atq́; hæc omnia prima, ac secũda die faciẽda sunt. Suffitibus insuper utemur per aromata ex olla, qualia sunt casia, nardus, iunci odorati flos, artemisia, iris, sabina, dictamnum, pulegium, & huiusmodi, ita ut olla sellę supponatur, cui mulier insideat undiq́; uestimentis contecta. Postea uerò tentabimus, & si uteri osculum apertũ inuenerimus, manum immittemus, & sicut dictũ est, secundã educere conabimur. Si uerò neq́; sic educta fuerit, perturbari non oportet: intra paucos enim dies putrefacta, & in saniem dissoluta excidet. Quando quidẽ uerò ob graueolentiam caput replet & obturat, ac stomachũ subuertit, odoramenta assiduè suffiantur cõuenientia: & ad hunc usum probata sunt, cardamomum, caricæ, bdelliũ, sabina, thus, styrax, lapis gagates, onyx aromaticus, ladanum. Eisdem quoq́; castorij, ac pulegij singul. drac. I. ex aqua mulsa bibenda detur. Conueniunt etiam leniora menses ducentia, artemisiæ decoctũ, & baccarum lauri, cum uino mulso. Pessi etiã subditi ad hoc faciunt, myrrha & cyclaminus ungento excepta. Facit item ouis & capræ secunda arefacta, trita, è uino pota. Aut cũ ungẽto subdita, aut pro amuleto gestata. Alius pessus. Carnium uuarũ passarum, cumini, resinæ, terebinthinæ, spumæ nitri, singul. drac. X. excipe melle, ac subde. Idẽ possunt & insessiones in artemisiæ, baccarum lauri, anethi, ac chamæmeli decoctis.

Cura post fœtus exectionem, Aspasiæ. Cap. XXV.

Postquã secunda siue statim ab educto fœtu, siue postea educta fuerit, neq́; quicquã superuacuum in utero relictum, crura cõponantur ut partes distractę cõueniant. Et si loci satis purgati uidebuntur, maluæ, aut fœni græci decocto eluatur, & oleo calido perfundantur. Eodemq́; lumbi, ac pubes perfundantur, molliq́; lana oleo calido imbuta integantur. Et alimenta sorbilia offerãtur, & aquæ potus uitetur. Ac si purgationes non suffecerint, insessiones ex fœni græci, artemisiæ, altheæ, pulegij decoctis adhibebimus. Pulegij itẽ, ac fœni græci decoctũ propinabimus. Si uerò purgationes nimiũ processerint, irrigationes moderatè adstringentes, ac insessiones consimiles adhibeantur, & uenter lõga fascia uinciatur, & cibi adstringentes offerantur. Si uerò inflãmatio superuenerit, inflammationi succurrendum est. Et si copiosa sanguinis eruptio, etiam ipsi medendũ est, cum his quæ postea referemus. Si nihil horum acciderit, uteri collum, ac osculum, & pudendum pinguitudine aliqua inungantur, ac foueantur.

Causæ sterilitatis, itemq́; curatio in uiro, ac muliere. Notæ item conceptionis. Cap. XXVI.

Sterilitas aut uiri, aut mulieris, aut utriusque ratione contingit. Et ex uiro quidem est, quum semen eius uel feruidum, & uelut torrefactum, uel frigidum, tenue, aquosum, languidumq́; fuerit, quale est decrepitorum. Vel crassius quàm oportet emittitur. Aut quum uiri semispadones sunt, & penem breuissimũ habent, ut semen in uuluæ profunditatem eiaculari non possint. Quod etiam aliquando ob nimiã obesitatem contingit: tales enim præ nimia aqualiculi mole, semen ad uteri recessus non eiaculantur. At uerò mulier non concipit, si uterum habet uel calidum & igneum, uel frigidum & humidum, uel squalidũ ac siccum, uel carnosum & pinguem, uel excarnem ac gracilem, aut debilem, aut angustũ, aut breuem. Aut quòd uasa eius clausa sunt & obstructa, aut per cicatricem inductã excæcata. Aut quòd membranæ

osculum uteri obturantes, nullum foramen relinquũt. Aut quòd uteri ceruix obliqua est. Aut quòd osculum nimis angustum, uel amplum. Aut quòd alia aliqua affectio ex inferius recensendis uuluam impedit. Sed & inuiti coitus inanes, ac steriles sunt. Amor enim genituram conciliat, & propterea fœminæ amantes crebrò pariunt. Aetas etiam, uel iunior, uel prouectior conceptionem impedit. Quapropter primum pubescentes à uenere prohibendæ sunt, ita ut uir quidem trigesimum annum, mulier uerò decimum octauũ attingat. maximè uerò inepta mulieris forma sterilitatis occasio est: fœcunda enim mulier habere debet proceritatẽ corporis moderatam, lumbos & superiorem uentrẽ latos, nates eminẽtes, pectus angustum, mammas amplas: tales enim mulieres fœcundæ, his autem oppositæ steriliores sunt. Potest & præter enumeratas causas, aliqua magis recõdita esse. Verum tot ferme sunt quæ noscuntur. Viri itaq; qui ob deprauatam uictus rationem semen corrumpunt, ad magis compositũ, ac salubriorem uictum conuersi, seminis fœcunditatem acquirũt. At qui alienis fœminis delectati proprijs uxoribus non cõueniunt, seruata temperantia generabunt. Qui uerò seminis profluuio laborant, curati, fœcundi fiunt. At qui genituræ meatus occæcatos habent, uelut quidã quibus calculi execti sunt, eos pro deploratis habebimus. Sed neq; semispadones, ac nimis angustis meatibus præditi, semen excernunt. At uerò ubi uir, & mulier bene se habent, neq; ætas, neq; corporis habitus, neq; aliqua uteri affectio obstat, tali uictus ratione utemur, ut neq; nimio labore, tum uirũ, tum mulierem defatigemus, neq; prorsus ociosos esse sinamus. Hoc enim superfluitatibus corpus replet. Illud sanguinem siccat, & purgationes cõsumit. Balneis utantur neq; assiduis, neque copiosis. Cibos ac potus concoctu faciles, & quos uenter superare potest sumant. Hoc uerò uelut maximũ negligendum nõ est, ut nec uir, nec mulier pinguem habitũ acquirãt. Tales enim inepti sunt ad pueros gignẽdos: nã neq; pudenda inter se adaptare possunt, & uiri parũ seminis emittũt, & mulieribus menses pauci feruntur, quũ maxima alimenti pars in pinguedinẽ transeat. Cæterũ quomodo pingues se gerere debeant, Sermone quarto de carniũ subuersione diximus. Cõuenit & cibos, ac potus uenerẽ stimulantes, ac semẽ generãtes assumere, atq; tales sunt qui calfaciunt & inflãt. Vinũ igitur aquæ præferendũ est. Et ex oleribus prodest horminum, eruca, & irio, ac similia. A' ruta uero mentaq;, ac calamintha penitus abstinendũ est: mẽta enim semen quidẽ multum, sed debile, ac languidũ gignit: ruta uerò corrumpit. Illud autẽ obseruandũ est, lunari purgatione appetẽte oportunissimũ concipiendi tempus esse. Tunc ergo mulieri ex uberiore alimẽto aliquid detrahendũ est, & cibus moderatus, attenuans, ac boni succi exhibẽdus. Omnibus tamen alimẽtis ammiscẽda sunt quæ purgationes iritare possunt, uelut sunt olera odorata & acria, scandix, crethmon, fœniculũ, gingidiũ, apiũ, smyrniũ, asparagus palustris, & similia: spes est enim probè purgatã priusquã uterus refrigeretur cõcepturã esse: quòd si à cõcubitu cõceptionis notæ apparuerint, spes rata erit. Cõceptionis notæ sunt, si uteri os clauditur, ac siccũ est, & à pudẽdo recedit. Imò peritiores fœminæ post semẽ immissum, uterũ moueri percipiunt: mouetur enim ad geniture complexũ. Quibusdã præcordia exiliunt, alijs oris uẽtris dolor, ac exolutio cũ uoluptate quadã accidit. Est & hoc non exiguũ indicium, si mulier urinæ stillicidio uexatur, quod præcipuè patiuntur, quæ primũ concipiũt, & quæ menstruas purgationes integrè nõ exegerunt, quanquã idem etiam alijs usq; ad septimũ diem aliquatenus accidit. Post septimum autẽ obscura quædã picæ signa oboriuntur, acidorum, ac salsorum desiderium, uertigines, pallor, somni longiores. Eodem etiam tempore menses citra molestiam detinentur. Mas autem uehementius, ac uelocius in dextera parte magis mouetur: fœmella debilius & tardius, atq; in sinistra. Atque hactenus de præseruatione dictum sit. Nunc quomodo singulæ affectiones conceptionem impedientes curandæ sint, dicetur.

Frigidioris uteri signa, ac curatio. Cap. XXVII.

Si mulier ob uteri frigiditatẽ non cõcipit, exercitijs, omniq; fomentorũ genere calorẽ reuocet: neq; incõmodum fuerit castoriũ, cuminũ, anisum, pulegium, & alia huiusmodi bibere, & singulis piper ammiscere. Vtilius tamen hoc medicamento purgabitur. Epithymi, euphorbij, piperis, dauci, petroselini, singulorũ æquales portiones bibat, sit autẽ totũ drac. II. hoc & aluum ducit, & uuluam calefacit, ut multis prius non purgatis hinc menses eruperint. Quòd si purgatio per inferna nõ suffecerit, uomitus quoq; prouocetur origani, aut thymi decocto, ante & post cibum, omni studio adhibito, ut pituita euacuetur. A' uomitu uerò castorium & prædicta semina bibat. Vteri uerò fomẽta fiũt per suffitus & uapores, arundine ollæ operculo perforato inserta, ita ut uapor intra pudendũ excipiatur. fiunt etiã per affusiones aquæ calidæ, in qua decocta est artemisia, saluia, ruta, cuminũ, pulegium, cyperus, acorũ. Possunt & hæc singula pectini imponi cataplasmatis modo. Cõfert & polyarchiũ epithema, & quod Amythaoni inscribitur, & reliqua huiusmodi. Pecten item, ac coxæ irino & amaracino, ac cyprino oleo perfricẽtur. Et pessus ex myrrha, ruta, galbano & castorio paratus uuluæ subdatur. Possunt etiã aliquando ualidiora ammisceri, uelut est piper, sal, fel bubulũ. Validũ est elaterium, sed minimè molestum. Fiat quoq; ex aqua mulsa, aut marina per se, uel aceto ammixto fomenta. Prædicta tamen medicamenta molli lana excepta adhibeãtur, ut ne corpus mordeant, & exulcerationem faciant: neq; difficile est ipsorum quantitatem metiri: pro affectionũ enim magnitudine, ac diuturnitate, medicamẽta sunt augenda, aut minuenda, mora item lõgioris, aut breuioris temporis trahenda in ipsorum usu. Cæterum uterorum frigiditatem ex mensibus suppressis conijectamus. Neque enim præ nimia crassitudine cõmodè deferũtur. Sed & stupidus sensus circa pectinem, lumbos, ac crura percipitur. Aliquæ etiã penitus crurum impotentes sunt. Quòd si prorsus perfrigeratæ fuerint, ne uenerem quidem appetũt, & uteri osculum contractum habent. Atq; hæc de uteri frigiditate sufficiunt.

Calidioris uteri signa, ac curatio. Cap. XXVIII.

Vterorũ caliditas ex reliqui corporis caliditate conijectatur, & ex mẽsium paucitate cũ dolore prodeuntium, ita ut pudenda mulieris exulcerẽt. Sed & quæ prodeũt nigriora sunt, & ob nimiã puncturã nullũ ordinem

ordinē seruant. Sequitur etiā ad hanc temperaturam insignis salacitas, & totius corporis siccitas. His itaq; coueniunt humectantia ac frigesacietia, qualia sunt ex oleribus quidem lactucæ, maluæ, blitum, cucumis, cucurbita, pepo, atriplex, & portulaca. Itē alij consimiles cibi. Vinum uerò tenue sit, & album, ac aquosius. Somnus autem longior, & aquarum dulcium balnea. Ad uesicā uerò, & summum uentrem ac lumbos, frigefacientia adhibenda sunt, uelut est solani aut umbilici ueneris succus rosaceo ammixto lana exceptus. Idem & in pudendum commodè subditur. Mercurialis item lumbis ac pectini imposita, utero calidiori prodest. Spuma quoque argēti & cerussa cum aqua trita. Horum autem omniū quantitatem recte metieris, si semper singula multum posse arbitratus, perfrigerationis excessum caueris.

Humidioris uteri curatio. Cap. XXIX.

Quæ ob uteri humiditatem non cōcipiunt, eas sicciore diæta uti conuenit, multumq; exerceri ac fricari, & euacuationis ac auersionis gratia aliquando post cibum, aliquando ieiunas uomere, & moderato cibi usu resiccari, & carnes assatas potius uigentium ætate animaliū, ac pisces duriores comedere, & uinū potēs meracum quidē, sed parcius bibere. Sicca etiā fomēta crebro: balnea uerò rarò adhibenda sunt. Cæterū qui statim à principio resiccantia ac adstringentia utero adhibēt, non parū lædunt: cohibita enim materia ad principales partes decurrit. uerum ubi totum corpus purgatū fuerit, tutius deinde utero adstringētia corroborantia adhibētur. Quale est lentisci decoctum, & myrti, ac rosarum, & rubi tenerorum uirgultorum, & polygoni fœminæ decoctū: mas enim gramini magis similis est, flore puniceo, folijs rutæ similibus, semine intra folia pusillo. Poterit tamen etiā huius decoctū ieiunæ cōmodè in potū dari. Ad nimiā quoq; uteri humiditatē huiusmodi potiones coueniūt. Myrti baccas, aut malicoriū punici dulcis, cū uino terito ac exhibeto: aut auellanas nuces ustas cū uino tritas propinato. Hoc autem epithemate utēdū est. Psylliū tusum, & palmularum carne cū aqua mulsa trita exceptum apponito. Aut mala cotonea similiter palmulis excepta adhibeto.

Siccioris uteri curatio. Cap. XXX.

Mulieri quæ ob uteri siccitatem nō concipit, humidiora alimenta exhibenda sunt, & reliqua uictus ratio humidior constituenda. Toto enim corpore humectato, uterus quoq; eadem qualitate participabit.

Diuersarum affectionum, ob quas mulieres non concipiunt, curatio. Cap. XXXI.

Si propter humorum crassitudinem mulier non concipit, humorē cōsiderare oportet, & mordentem sero lactis purgare, heminis quinq; paulatim exhibitis: Cibos item boni succi offerre, & uomitū per interualla ciere. Pituitosos autē & aquosos humores, laboribus & exudationibus ac uomitibus crebris euacuare oportet. Quādoquidē uerò etiā flatus in utero existentes, cōceptionē impediunt, & flatus ab imperfecta cōcoctione fiunt, primum quidē parcior cibus exhibēdus est, deinde danda quæ flatus expellūt, uelut est ruta, cuminū, anethū, ac reliqua familiaria semina, & pleraq; aromata, quę etiā subdi possunt, prę sertim ruta cum melle ac modico nitro. Possunt ex ijsdem etiā fomēta parari, & cataplasmata ac cerata, ad pubē imponēda. A' leguminibus autē & edulijs dulcibus ac flatuosis omnibus abstinendū est. Si uerò cōclusi fuerint uteri, odoratis persusionibus, & mollitorijs ex adipe anserino paratis aperiēdi sunt. A' mollioribus tamen insessionibus ac persusionibus incipiēdū est, ex malua, semine lini, ac fœno gręco, & oleo, & aliquādo melle paratis. Deinde ad ualidiora trāseundū, artemisiā, conyzam, calaminthā, pulegium, amaracū & chamæmelum. Atq; his adijciendū est irinum ac cyprinum oleum, ac mel, myrrha uerò troglodytica, terebinthina, nitrū, casia, caricarū carnes, ungentū amaracinū, & huiusmodi subdantur. At uerò his quæ ob uteri os nimium hians non cōcipiunt, conueniunt uictus, & fomenta, ac medicamenta ficciora ac adstringentia. Talia sunt gallarum decoctum, cytini, lentiscus, rubi radix, myrtus, & eiusmodi. Vteros uerò distortos mollientibus fomentis dirigere ac corrigere oportet: fomenta enim ad hoc maximè faciunt, & pessos mollitorios subdere. Quin & specillo & digito correctio eorum faciēda est. Maximè uerò pulegij & artemisiæ decoctū, & castorium è posca potū, utero distorto cōferunt, & tota curatio ad uteri declinationē postea referenda. At si per aliquorū pharmacorū adhibitionē, quę conceptionem prohibent, mulier non concipiat, eius pharmaci facultas consideretur, nunquid humoris attractione semen eluerit, aut flatuum multitudine idem eiecerit, aut per adstrictionem os uteri obturauerit, ac seminis accessum interceperit. Et deinde singulis affectionibus succurratur, perfusionibus ac insessionibus cōgruis. Hę uerò maximè utiles fuerint, si osculum & acetabula uteri fuerint adstricta. Pinguia etiam cuncta ac fomēta adhibenda sunt, & quæ humiditates attrahere possunt. Cæterum medicamēta sterilitatē inducentia, quum uasa uteri excæcent, incurabilem plerunq; affectionem faciunt. Et tamen non statim omnes uires adimunt: quædam enim potiones cæcitatem curabilem inducunt, cui si protinus subuenias, mederi posis. Quemadmodū enim lethalia uenena uomitu, aut clysteri, aut medicamento cōgruo exoluuntur, temporis uerò progressu nullo modo corrigi possunt, sic & quæ ualidam sterilitatē inducunt, aliquando depellere datur, si statim opem feras: si uerò diutius perseuerauerint, incurabilia euadunt. Porrò ulcera & inflammationes uteri quomodo curare oporteat: itē carnis excrescētias, thymosq; ac tunicas auferre, singula suis locis ex ordine dicentur. Superuacuum est enim eadē sæpe dicere. At uerò si nulla re infesta, nec in utero, nec in reliquo corpore apparente, incertum fuerit cur mulier non concipiat, asinino lacte ipsam purgabimus, cibisq; boni succi alemus, & fomentis suffitionibusq; odoratis, & pessis subditis, uteri os aperientibus, & sanguinem attrahentibus utemur, uenéremq; per duos aut tres menses prohibebimus.

Potiones, pessi, & suffitus ad cōceptionē. Cap. XXXII.

Mercurialis cum castorio, item absinthium, tribus aut quatuor diebus consueto mensium tempore in potu exhibeto. Est & hæc potio ad conceptum efficax. Salis ammoniaci drac. II. saluiæ, cumini, sing. dra. I. omnia simul per triduū menstruis desinentibus cum uino præbeto. Alia. Nigellæ, salis ammoniaci, singul. drac. I. cyperi dra. VI. simul terito, & in quatuor partes diuidito, & unam singulis diebus cū uino bibendā dato, mēstruis desinētibus, & postea cū uiro

congrediatur. Sed & uirum strenuã operam nauare oportet, interimq; à uenere abstinuisse, & boni succi cibis nutritũ esse. Pessi uerò subscripti cõueniunt, prę sertim si ex humorũ mucositate infœcundæ fuerint, poterisq; ex his, cõgruum singulis affectionibus medicamentum eligere. Pessus Asclepiadæ, utero purgãdo idoneus. Cyperi, nitri, aluminis scissi, myrrhę, thuris, croci, spumę nitri, mellis, æquales portiones cum modico pipere tritas melle excipe, & pessum in de tenui linteo aut lana pura inuolutum ac rosaceo imbutum, mulieri prius elotæ subde. Vtere etiam elotione purgatoria admirãda suprà ad bimestrem aut trimestrem fœtum abortientes descripta, ex colocynthide & oleo irino. Alius pessus purgatorius. Succi cyclamini, medullæ colocynthidis, nitri rubri, mercurialis, singul. drachm. IIII. myrrhæ drac. II. omnia seminis lini decocto excipe, & utere post menses purgatos uelut dictũ est. Alius. Medullæ colocynthidis, myrrhæ, nitri, cumini Aethiopici, singulo. unc. I. excipe carne caricarum, & utere post menstruã purgationem. Alius. Anisi, cardamomi, nitri, aristolochiæ, pulegij, fœni græci, carnis caricarum pinguium, singul. drach. II. arida terito & cribrato. Carnes autẽ caricarũ passo subigito, eisq; arida excipito, & in cornea pyxide seruato. Deinde usu expetente columbini oui magnitudine accipito, & irino oleo madefactum ad uteri osculum subdito. Huiusmodi pessi mucosos humores educunt. Sufficiente uerò purgatione facta, insessiones adhibeantur. At uerò quoniam nõ ea solum quæ uterum purgant, conceptioni conferunt, sed alia etiam medicamenta ad parãdam fœcunditatẽ descripta sunt, ea itidem iuxta ueterum traditionẽ subiungemus. Pessus ad conceptionẽ idoneus. Coaguli leporis partes II. aluminis scissi partem I. melle excipito, & pessum formato, ac utitor ubi prius uterus per prædicta fuerit purgatus. Alius. Seminis satyrij, mellis, singulorum sexuncem in pessum efformato: aut uesicam fellis dorcadis aut hirci euacuato, & ex uiscoso intus reperto pessum formato, & paululũ ante congressum subdito, aut penem ex eo illinito. Aut purpuram ueram hircino felle imbutam, mulieris umbilico per septẽ dies imponito, & deinde crescente luna uiro congrediatur. Alius. Dorcadis, hœdi, leporis coagulũ, & fel, cum sanguine & adipe agnino, & medulla ceruina, post purgationem subdito. Nardini etiam ac rosacei olei aliquid addito. Alius, quo Asclepiades in nobilibus fœminis utebatur. Myrrhæ drac. IIII. iridis, stercoris leporis, singu. drachm. II. cum aqua in collyria efformato, ac subdito mensibus desinentibus. Et postea cum uiro misceatur. Alius. Aluminis scissi, rhois rubri, singu. drach. II. myrrhæ drach. I. croci obol. II. terito, ac melle excipito. Vsu autem postulante, medicamẽti gallæ paruæ quantitatẽ accipito, & hoc molli lana exceptũ ac rosaceo imbutũ, post mensium declinationẽ subdito, & per triduũ sinito, donec purgatio fuerit peracta. Tertia uerò die mulier lauet, & locis rosaceo illitis cum uiro concumbat. Alius. Leonis, aut ursi, aut hyænæ, aut taurini fellis uesicam euacuato, & in ipsam olei rosacei, nardini, irini, mellis, æquales portiones indito, omniaq; simul ad calidũ cinerẽ unita seruato, ac utitor post mẽsium purgationẽ ante cõcubitũ. Alius. Fel piscis per se uel cũ melle subdatur. Aut uerbenacæ rectæ succus cũ butyro, desinẽte lunari purgatione supponatur. Alius lenissimus. Radicis altheę purgatæ ac lotæ quadrantem cõtundito, & in olei sextario torreto. Deinde abiectis radicibus, adipis coturnicis sexuncem, ceræ sextãtem ammisceto. Ego uerò trientem cerę ammisceo, & similiter in pesso subdo.

Amuletum naturale. Ossa quæ in corde cerui reperiuntur, sinistro brachio adalligata, arcana quadã naturæ ui cõceptionem iuuare creduntur. Suffumigium ad cõceptionem efficax. Bitumen, pilos leporis, rutam aridã, simul terito, & cũ cera præmollita in pastillos formato, & super stercore bubulo suffito. Aliud obstetricis. Sãdarachã tritã cum cupressi ramẽtis, sufficiẽti cera in pastillos cogito, eosq; super bubulo stercore statim post mensium purgationem quatuor diebus suffito. Aliud eiusdẽ. Caprini cornu ramẽta oleo cõspersa peractis mẽsibus suffito, & locis adhuc calẽtibus mulier cum uiro cõgrediatur.

Ad mares generãdos. Si uir dextro pede fascia cãdida uincto cũ muliere coëat, marem ut ferunt, generabit. Si uerò sinistrũ pedẽ colorata fascia ligarit, fœmellam. Tradunt etiam satyrij ac serapiadis radicẽ solidiorem salaces facere, & masculis generãdis prodesse, flaccidiorem uerò contrarium efficere.

De lactis defectu. Cap. XXXIII.

Hæc affectio infantibus magis quàm mulieribus grauis est. Quapropter Sermone quarto ubi de pueris tractauimus, conuenientem curationem tradidimus. facit autem naturaliter lapis galactites pro amuleto adalligatus, & aqua dissolutus, ac potatus.

Ne lac in mammis coëat in grumos. Cap. XXXIIII.

Vt ne lac in mammis puerperarum in grumos coëat, ab adultis ac peritis mulieribus leniter exugatur, & mammæ cyprino oleo, cum ouo & croco illinãtur. Aut fœni græci succum, aut cumini decoctum cum modico croco oblinito. Aliud. Ceræ unc. I. portulacæ sesquiunciã, cum oleo sesamino illine, ac utere uelut probato. Lac etiam instar casei coagulari in mammis prohibet cera alba in pilulas redacta, & quotidie magnitudine trium erui granorũ exhibita. Cæterũ Soranus mammas assiduè dolentes, neq; à mulieribus, neq; ab infantibus exugi oportere affirmat, & suctione plus materiæ attrahi asserit.

Probè etiã facit terra cimolia cũ aceto aut aqua, & oleo rosaceo imposita. Et cãdidi marmoris aut cãdidorum lapidũ ramenta similiter adhibita. At si amplior fuerit plenitudo, & ob id mulier grauetur, ac doleat: lentes aqua marina aut muria coquito, & cũ decocto quidem mammas abluito, ipsas autem lentes contusas imponito. Confert item apium & mentam, & fel bubulũ præsertim illinere aut imponere.

Aliud. Fucum tinctorium terito, & cerato excipito, & adhibeto, ac singulis diebus bis permutato. Sit autem fuci triens, ceræ quadrãs, olei myrtei dextans. Aliud. Pollinis thuris drach. X. ceræ dextãtem, pumicis unc. XX. olei rosacei unc. XX. utere eodẽ modo. Aliud. Lapidis asij, ceræ, singulorũ sextãtem, olei rosacei, aut cicini bessem, præpara ac utere bis in die permutando. Lac enim abolet, & inflammationes sedat. Quòd si asius lapis defuerit, pyrites succedat pro ipso. Pręstat & aqua marina aut muria assiduè fouere.

De coagulato in mammis lacte, & iisdẽ turgentibus ob lactis redundantiam. Cap. XXXV.

Ad hæc

Ad hæc uitia in principio leniter reprimentibus utendum est, uelut est spongia pura posca imbuta, & palmulę cum pane & posca tritæ, deinde uincire, ac moderatè cōstringere oportet. quòd si lac restinguere malueris, alumē & psyllium cum aceto & coriandri succo: aut lapidē pyriten cū rosaceo & aceto adhibeto. Ad coagulationem uerò lactis priuatim furfures in aceto coctos cum rutę decocto imponito, quū primum lac gignere incipiunt. Idem facit menta polentæ ammixta. & iuglans cum ruta ac melle. & ricini folia trita. & cuminum priuatim, uel cum polenta. & capita papaueris cocta cum melle. & crocus cū lacte. & muriæ fomentum. & apium uiride impositum, quod etiam grumos lactis dissoluit. Vtendum & ceratis ad grumos descriptis.

De uitiato lacte mammas lædente. Cap. XXXVI.

Lac uitiatū aliquando māmarū uasa exulcerat: quēadmodū itaq; in reliquis partibus uitiati humoris peculiares destillationes efficiunt: salsa enim lacryma oculum mordet, & acres excrementitiæ superfluitates intestina erodūt. Ita & lac in mammis uitiatum, scabiem, panos, & papularum eruptiones producit. Vlcera ergo hic enata, simili modo ijsdemq; remedijs, quibus cætera totius corporis ulcera curantur. Ipsi tamē lactis uitiationi primū succurrendū est. cuius improbos colores, subalbidū, nigricantē, flauū, subfuluū, aut uiridē, hac arte deprehēdemus. Tenuia ac cādidissima linteorū frusta eo lacte imbuta, in umbra siccabimus, & in his postea quātum lac à natiuo colore discesserit, speculabimur. At uerò uirosum ne sit, aut aliàs fœtidū: ex olfactu cognoscemus, sicut salsedinē, amaritudinē, acorem, insipiditatem, gustu dignoscimus: tenuitatē uerò ac crassitiem, lubricitatē item ac lentorē ex ungue probabimus: si enim gutta eius ungui instillata non decurret, nec uelut mel aut gluten adhęrebit, lac bonum esse iudicamus. Aliqui pilo probitatē lactis experiūtur. nā si pilus lacte madens suspēdatur, & lac delabitur, aut uni parti guttula adhæret, lac reprobandū est. Si uerò totum pilum circumsidet, optimū esse confitentur. Alij lac per coagulū concretū digitis exprimunt: deinde seri ac casei mensuras expendunt. Postquā igitur cuiusq; lactis uitium cognouerimus, recta uictus ratione id corrigemus, purgationesq; prorsus recusabimus, præsertim si nutrices semper eo uitio laborare nouerimus, quādiu lactauerint. Priuatim itaq; eas quæ salso humore abundant, balneis & uini diluti potione curamus. Deinde copiā lactis uino mulso, & aceto mulso reuocamus, & in cibo exhibemus lac ex alijs animalibus probatissimū, quod forma & similitudine humani lactis speciē refert. Est autē omnino rectæ diætæ eò amplius innitēdum, quòd scimus hoc uitium solo alimēto bono non difficulter curari posse. Neq; negligenda est hæc curandi ratio. Sæpe enim infantes eiusmodi lacte corrupti, ad ultimam perniciem deueniunt. Ad panos & scabiem mammarum, myrrham cum oleo sampsuchino tritam, uelut maximū remedium illinito. Ad coërcendas autem uirginum ac reliquarum mammas, æruginem ferri cum oleo omphacino aut uino subactam adhibeto, aut cicutæ semen cum folijs tritum illinito.

Ad mammas inflāmatas, Philumeni. Cap. XXXVII.

Sesamum tritū butyro ammixto moderatè tepefactū, quotidie bis imponito. At si inflammatio perseuerauerit, medullæ panis aqua madefactæ ac tritæ partes II. perdicij herbæ seorsim tusæ partem I. cerati liquidi partem unā & dimidiā simul subigito, & bis in die adhibeto. Idem etiam post eruptionē abscessus usq; ad perfectā sanitatē conuenit. Vtere etiam hoc, uelut probatissimo. Foliorum hyoscyami recentiū, ceræ, colophoniæ, adipis porcini recentis, olei, ęquales portiones, liquabilia liquefacito, & folijs tritis ammisceto. Pharmacum Iuniadæ, ad omnes inflāmationes, præsertim mammarum. Olei antiqui lib. III. ceræ quadrantē, colophoniæ, adipis suilli, singulorū sesquilibrā, spumæ argenti lib. I. pollinis tritici, seminis lini, cerussæ, singulorū sexuncēm, thuris sesquiunciā. Aliud eiusdē. Spumæ argēti, cerussę, sing. drac. VI. thuris sesquiunciā, ceræ, colophoniæ, singulorum sexuncem, adipis gallinacei libr. I. pollinis ordeacei sesquiunciam, succi seminis lini dextantem, olei communis trientē. Spumam argenti, cerussam, & thus cum modico succo terito, deinde cū residuo succo pollinem ordeaceum subigito, & ita per duas aut tres horas sinito, postea omnia ammisceto, & cerato excipito. Aliud, ad inflammationes plurimū prurientes, ac rubicundas. Cerussæ, spumæ argenti, mellis, butyri, ceræ, adipis gallinacei, singulorū sexuncem, thuris sextantem, rosacei unc. I. Spumam argēti & cerussam cum rosaceo coquito, & reliquo liquefacta adijcito, & unitis mel addito, & ab igne amotis thus ammisceto, ac utitor. Aliud ad inflammationes, quo utor. Tenerorum solani foliorum quantum satis esse uidebitur coquito & terito, & mellis sexuncem ammisceto. Postea uerò emplastri parhygri, ceræ, singulorum sexuncem accipito, olei unc. I. omniaq; simul unita reliquis ammisceto, & loco prius eloto apponito. Hoc mammarum inflammationes per exudationes plurimas discutit. Vtere & medicamento ex seride ad sedis affectiones præparato, & alijs huiusmodi. Facit hoc & ad igneas māmarū inflammationes. Ceræ, colophoniæ, olei, sing. lib. I. foliorū papaueris cornuti quadrātē: liquata folijs tritis ammisceto. Tradunt & leporis coagulū cum aqua tritū ac illitū, omnibus tumoribus māmarū, & affectionibus ob lactis redūdantiā obortis, prodesse. Ad profundas mammarū duritias, Sphōdyliū herbā, & asphodeli radices uino coctas imponito: aut terræ intestina cū malis cotoneis: aut cācros fluuiales cum ouo adhibeto, hoc & lac extinguit.

Ad induratas mammarum inflammationes, Philumeni, Cap. XXXVIII.

Semen lini, aut fœnigræci, aceto mulso coctum imponito: aut sesamum illotum modicè tostum cum melle terito, & calidum apponito: aut stercus caninum album terebinthina exceptū adhibeto. Aliud optimum. Spumę argenti lib. II. strigmentorum balnei in quo uiri solum lauantur lib. IIII. colophoniæ, ceræ, singulorum bessem, squamæ æris sextātem & semunciam. Aquę marinæ aut muriæ lib. I. squamam aqua marina sufficientibus diebus terito, & adiecta argēti spuma ac strigmētis, ad probam cōpagem coquito, deinde cerā & colophoniā liquefactas adijcito, & ablatum ab igne medicamentum frigefacito, manibus subigito, ac utitor, inter coquendū autē cū arūdinis radice uersato, donec nō amplius inquinet. Facit & ad collisa, fracta, ulcera antiqua, cōdylomata oleo dilutū & adhibitū. Vtere etiā emplastro dionysia,

nysia, superiori Sermone descripto, quod habet tere binthinã, mannam thuris, spumam nitri, oleum antiquum, cerã, singula ponderibus istic adscriptis. Nec minus conuenit piscatorium.

De mammarum abscessu. Cap. XXXIX.

Inflammatione & duritia perseuerãtibus, & ad abscessum progredientibus, spe discutiendi sublata, maturantibus auxiliabimur. nos tamen mammarum inflammationes iã in pus trasmutatas, per dionysiam emplastrũ suprà relatũ frequenter discussimus: totus enim humor ab ipso per occultos meatus trãspirat, & durities euanescit. Probè facit & fuluum piscatoris, citra acetum paratũ. Et nigrum Asclepiadæ. Quę omnia si parum profecerint, chirurgia opus erit. Reliquæ igitur mammæ partes tutò incidũtur, si putrida corpora reperiũtur, uerum locus circa papillam lunari sectione exactè incidendus est, ut per sectionem quidem abscessus profunditas denudetur, sed papilla conseruetur, in maribus quidẽ formę gratia, in fœminis uerò præter formam, ut ne lactandi facultas intercipiatur. Peracta chirurgia linamenta sectioni indãtur, & omni modo obseruetur, ne plaga linamentis nimium obturetur, huic enim sæpe fistula inducitur. Postea tertia die suppurationi studendum est, deinde his quæ repurgare possunt, postea resiccantibus ac glutinãtibus. Bene autem facit ad hæc emplastrum fuluum piscatoris, citra acetum paratũ. Et fuluum Galeni, ad maligna ulcera suprà præscriptum. Est autem his spongia ex uino expressa superponenda. Prodest etiam nigrum è lolio præparatũ. Euacuat enim & glutinat. Magistriani ad mammarum abscessus. Intestina terræ cum polenta terito, & imponito.

De mammarum fistulis, Leonidæ. Cap. XL.

Aliquando rupto abscessu si mamma non fuerit rectè curata, fistula consequitur, & sanè fistulæ istic obortæ plerunq; in carnem desinunt, rarissimè ad os, nisi diutius durauerint. Has itaq; congruis primũ medicamentis curare conabimur, quale est quod ex lolio præparatur. Sed & hoc emplastrum peculiariter prodest, quod & in mammarum abscessibus atq; omni tuberculorũ genere, pus per occultos meatus educit, & probè incidendos abscessus discutit, & foris impositũ fistulas efficacissimè desiccat. papillã tamen semper ab eo medicamento adseruare oportet. Spumæ argẽti, olei, sing. lib. I. aquæ sexuncẽ, ammoniaci thymiamatis, pyrethri, singulorũ sexuncem, resinæ pinus trientem, colophoniæ unc. I. spumam argenti, oleum, & aquã simul ad prunas coquito, donec nõ amplius inquinent. Deinde ammoniacum cribratum inspergito, eoq; soluto resinas adijcito, & ablato ab igne pharmaco pyrethrum addito, subigito, ac emollito, & imponito, lana sicca superposita, ita ut papillam uelut diximus non contingat. At si perseuerarit fistula, nucleo specilli attollatur ac incidatur, quatenus in profundum specillum fuerit progressum, & quicquid duri ac callosi inest amputetur. Et facta incisione emplastrum adhibeatur repurgans, deinde resiccans, & ad cicatricem perducens.

De mammarum nomis. Cap. XLI.

Nomæ mãmarũ perfusionibus ac cataplasmatis curantur ad reliquas nomas descriptis. uerũ ad muliebriũ mammarũ ac pudendorum nomas ac putredines, & alia huiusmodi facit hoc medicamentum. Rhois coriarij lib. I. pilularum cupressi recentium tantundẽ, gallæ omphacitidis sesquilibram, uini austeri libr. XX. Hæc solida per triduum macerato, deinde cum uino ad dimidias coquito, & cupressi ramo uersato. Postea ad horã quiescere sinito, ac deinde excolato, & rursus ad mellis cõpagẽ coquito. Atq; ita paratũ pharmacum in uase uitreo seruato. Vsu uerò expetente, si extersione opus fuerit, melli ammisceto, si uerò uim obducendi meatus augere uolueris, lac adijcito.

De exedentibus mammarum ulceribus. Cap. XLII.

Phagedænicum & exedens ulcus à cancerato differt, eò quòd circumsitas partes non ita duras, neque uenas uaricosas habet, neque ita ad fundum perrepat. Sed & omnis phagedæna medicamentis cedit. Maligna uerò & efferata ulcera medicamentis magis exacerbantur. Ad exedentia itaque ulcera compendiariam curam adhibere oportet, callosorum uidelicet labiorum excisionem, ita ut eadem labia ignitis cauterijs inurantur. Nam sic & sanguinis eruptionem coërcebimus, & tutiorem medicationem peragemus. Postea uerò medicamenta ad mammarum putrefactiones commoda adhibeantur, infrà ad cancros descripta.

De cancris mammarum, Archigenis & Leonidæ. Cap. XLIII.

Cancerati tumores circa mammas frequentissimè generantur, & mulieres magis quàm uiros inuadunt, & ex illis eas quæ amplas ac carnosas mammas habent. Veteres autem ulcus canceratũ, malignũ ac ferum appellabant, & cancerati sanè appellatio à cancro animante transsumpta est: sunt enim ea animantia aspera & dura, & si quid forcipibus suis ceperint, haud facilè auelluntur. his itaq; canceratus tumor similis est. Nam & prominet, & ad tactũ renititur, & difficulter tractabilis est. Maleficum autem & ferũ ulcus à feris ac malignis animalibus cognominatur. Est enim proteruum, & curatione efferatur, & manuum tractatione exacerbatur. Duæ uerò sunt supremæ cancrorum differentiæ. Quidam enim sine ulcere, quidam cum ulcere consistunt. Qui sine ulcere sunt, ab omnibus ferme ueteribus Occulti appellantur. Philoxenus tamẽ cancrum occultũ priuatim nominauit, qui in utero ac intestinis esset. Cancro itaq; non ulcerato in mamma existente, tumor apparet ingens, ad tactũ renitens, inæqualis, instar ferę sæuus, penitissimè pertinaciter insertus, radices longè lateq; extendens, & uenis circumsitus uelut illigatus, quas circum circa uaricosas habet, colore cinericius ad ruborem uergens, & aliquando subliuidus, & uidentibus quidem mollis apparet, tangentibus autem durissimus est, ut uisui hac parte non sit credendum: dolorem autem inducit pungentem latè se extendentẽ, ut sæpe per cõsensum, glandularũ malignas inflãmationes sub alis excitet. Pertingunt etiam dolores usq; ad clauiculã & scapulas. At uerò exulceratus cancer assiduè erodit, & ubi ad profundum perfodit, nec sisti potest, & saniem emittit omni ferarũ ueneno deteriorem, copia & odore abominabilem. Adsunt & huic dolores pungentes. Atque hic præcipuè medicamentis ac manuum tractatione exacerbatur.

Qui cãcri curatu faciles, & qui difficiles. Cap. XLIIII.

Cãcros in pectore obortos oĩno deploratos esse scito, quemad-

quemadmodum & eos qui in capite, collo, humeris, sub alis, & in inguinibus generantur: sunt enim & hi incurabiles. Nam præterquam quod perfectè tolli non possunt, sanguinis eruptionis timor incubit, ne ex ea æger inter manus pereat. Eos uerò qui papillæ summitatem occupant, affectæ partis amputatione facilè curaueris.

Cancri chirurgia, Leonidæ. Cap. XLV.

Ego quidem in cãcris in pectore obortis chirurgia uti soleo, quę sic fit. Aegram supinam decumbere facio. Deinde supra cancrum partem mammæ sanam incido, & incisam cauterijs inuro, donec crusta inducta sanguinis eruptio sistatur. Mox iterum incido & profundum mammæ disseco, ac rursus partes incisas uro, sæpeq; idem repeto, & secans, & sistendi sanguinis gratia inurens. Ita enim sanguinis eruptionis periculum euitatur: post amputationem uerò integrè peractam, rursus partes omnes ad resiccationẽ usq; inuro: et primæ quidẽ inustiones sistendi sanguinis gratia fiunt. Postremæ uerò ad omnes morbi reliquias abolendas. Sæpe uerò etiam citra inustionem opus perfeci, ubi induratus tumor cancri generationem minãs in mamma fuit: tali enim affectioni amputatio usq; ad sanam partem sufficit, quum nullum hic periculum eruptionis sanguinis immineat.

Cancri curatio post amputationem, & inustionem. Cap. XLVI.

Post amputationem si inustio facta non est, linamenta ulceri indemus, deinde suppurationi studebimus, & deinceps ad reliquã curationẽ resiccatoriam progrediemur. Si uerò post chirurgiam locos inusserimus, aliquãdo solo cataplasmate ex plantagine, aut polygono, aut sesamo trito utimur. Aliquãdo etiã panis medullam alicui ex prædictis ammiscemus, & supra cataplasma linteum aqua madefactum adhibeamus. Citra dolorẽ uerò crustas aufert lac melli ammixtũ ac illitũ. Continendæ autẽ sunt ægrotæ in domo calida, omnis enim frigiditas ipsis infesta est, pręcipuè quo tempore ulcera repurgãtur: tunc enim maximè conuulsionis periculũ imminet. Secunda uerò aut tertia die exoluto medicamẽto, tepida aqua locũ perfundimus, & lenticulã coctã cum modico melle imponimus: mellis enim uim exacerbandi formidamus, deinde folijs uitis aut lactucæ foris impositis, deligamentũ adhibemus. Neque ab horũ usu discedimus, donec crustę exciderint, postea linamẽta indimus, atq; in his tum acria, tum pinguia medicamẽta uitamus. Vtraque enim malum renouant. Quapropter soleo muliebri aut asinino lacti rosaceũ ammiscere, & ex eo madefacta linamenta indere, & pro linamenti conseruatione linteum lene ac simplex eodem lacte imbutum forinsecus obligare. Nam plurium linteorum onus graue est in hac affectione. Et suppurationis quidem tempore rosarum amplius sit: dum uerò repurgamus, lac excellere debet. Quòd si res urgeat, melilotum cum rosaceo & aqua aut lacte muliebri cataplasmati exterius adhibẽdo ammisceatur. Cerata enim & nimis elaborata cataplasmata, huiusmodi affectionibus sunt aduersa. At si arido aliquo opus fuerit, spodium pompholygis probè lotum ac siccatũ, aut cadmiã ter ustam & rosaceo extinctã, & postea probè lotam ac resiccatam inspergito. Toto uerò curationis tempore à uino & cibis ægrè concoctilibus, & frigidæ potu abstinendum est. At dũ ulcus ad cicatricem ducitur, diligẽter studebimus ut totius corporis firmus reddatur habitus, & ut bono succo impleatur, id quod bonis alimentis, exercitijs, gestationibus, ac reliquis eiusmodi corpus reficientibus, facere oportet.

Cancrorum curatio citra chirurgiam. Cap. XLVII.

Primũ, uelut sępe diximus, ante cuiusque maligni ulceris curationẽ, totũ corpus curare oportet, deinde localia auxilia adhibere. Aluus itaq; cõuenietibus alimẽtis, & aloë uel picra ex aloë præparato pharmaco soluatur, & quę uenenis resistũt assiduè exhibeatur, uelut est theriaca, mithridaticum antidotum, & quod ex sanguinibus constat. Ex simplicioribus autem anseris aut anatis recens iugulatæ sanguis calidus in potu detur. Aut trifolij bitumen olentis cochleare I. aut II. cum aquæ cyathis III. aut seminis rutæ unc. I. aut pulegij ueteris drachmam I. cum maluæ decocto. Prodest etiam cancrorum fluuiatilium decoctum cum lacte asinino per dies quinque exhibitum, ita ut per totidem dies etiam ipsi cancri comedantur: talis enim periodus septeno circuitu peracta, mammarum cancros placidissimos efficit, ut deinceps per simplicium epithematũ usum pristina sanitas restituatur.

Canceratorum tumorum non ulceratorum curatio. Cap. XLVIII.

Tumoribus canceratis non ulceratis panem cum modico symphyto imponito, exigua quantitate, ut ne grauet. In exacerbationibus autẽ rosas, melilotum, semen papaueris, omnia cum passo paululũ trita coquito, & cũ uitellis ouorum subacta imponito: aut altheæ folia cocta per se, uel pani ammixta imponito. Est & hoc in exacerbationibus efficax, plantaginis, capitũ papaueris unà cũ seminibus, psyllij, æquales portiones accipito, & reliqua quidẽ terito ac cribrato. Psyllium uerò passo cretico maceratum, cum palmulis pinguibus subactum, aridis ammisceto, & parum adipis anserini adijcito. Hoc medicamentũ securè adhibetur calefactum. Si uerò frigidum potius malum postulauerit, omnia prædicta palmularum carne & modico pane madefacto excipito, ac frigida imponito. Prodest & Trionis semen cum œsypo & aqua mulsa calidum impositum. Fraxini item arboris folia mollia, aqua cocta, & trita, per se calida imposita, malignorum ulcerũ dolores mitigant, & assiduus ipsorũ usus mirificè ipsa discutiet. Ego uerò eorũdem foliorũ decocto huiusmodi locos fouere soleo. Arbor ipsa sterilis est, & ad materiã idonea. Postea uerò cataplasma è plãtagine rursus imponatur. Item Icesij emplastrum, aut nigrũ panacæa inscriptum, ad contactũ mollissimum, aut aliud quoddam huiusmodi adhibeatur, nisi obstiterit ulcus.

ulcerat

Cancri ulcerati curatio. Cap. XLIX.

Vlceratis cancris lenissima epithemata imponantur, quorum uelut fundamẽtum, inquit Archigenes, hoc est: Spumæ argẽti, adipis porcini recentis, cerę albæ, sing. lib. I. olei boni unc. XVI. uitellos ouorum assatorum XII. Spumam argenti cum pauca terito, deinde olei parum affundito, & uitellos ammisceto. Adipem uerò exemptis in mortario terito, & cum cera liquefacito ac excolato. Et his frigefactis residuum olei paulatim affundito, & omnia simul in mortario probè subigito, postremumq; reliqua trita ammisceto. Hoc medicamentum usus tempore rosaceo dissoluito,

dissoluito, & molli lana excepto, pro linamento utitor. Et si dolor aberit ab ulcere, etiā iridis, myrrhæ, aristolochiæ, singul. drach. III. adijcito. Idem etiam non ulceratis cancris adhibitum utile comperies.

Aliud, ulceratis cancris blandè hoc medetur, & non ulceratos egregiè mitigat. Ceræ tyrrhenicæ, terebinthinæ, adipis taurini, medullæ cerui, aut uituli recentis, olei cicini & rosacei recentis, adipis anserini recentis, mellis optimi, thuris, diphrygis, singulorum partem unam, œsypi triplum. Sine thure tamē mitius est, & ulceribus commodius. Verum cū thure magis discutit ac maturat, & non ulceratis magis commodat. Et si absque thure præparabis, diphryges cum uino teres. Si cum thure, utrunque diphryges uidelicet ac thus aridum, liquatis reliquis adijcies, & deinde addito melle securè adhibebis.

Aliud Theodori ad maligna. Spodij cyprij loti & resiccati, plumbi usti & loti, succi rosarum, singulorum drachmas quatuor, præpara & utere cum rosaceo. Hoc quidē magis mitigatorium est. At si uerò multa & depascens putrefactio fuerit, ultra quàm credas efficax est hoc ad totum malum extirpandū. Rhois coriarij sextarios duodecim, pilularum cupressi libram unam, gallarum omphacitidum, cassiæ, singulorum sexuncem. Omnia simul contusa in uini Adriani, id est, adstringentis, odorati & antiqui sextarijs uiginti, per triduū macerato, & deinde ad tertias coquito, ac cupressi spathula uersato. Posteáque omnibus probè expressis ac reiectis, succū rursus ad mellis compagem coquito, ac uitreo uase seruato. Hoc medicamento ad nomas sincero utendum est, modico uino aliquādo addito, si crassius uisum fuerit: uerum si affectio in muliebri pudendo fuerit, exactè diluendum est. Sed & asinino aut muliebri lacte dilutum, mitigatorium est, & reliquas item nomas citra inflammationem curat. Aures diu purulentas, gingiuasq; madore flaccidas resiccat. Vlcera curatu difficilia, & ægrè cicatricem admittentia sanat, si moderatè adhibeatur, ac pro ratione diluatur: quomodo enim ipsi mitia restiterint, cui fera & agrestia cedunt? Cæterum hoc animaduersione dignum est, ut ne ulcera ad cicatricem perducātur, priusquàm omnis duritia fuerit resoluta, modo linamētis maturātibus, modò splenijs adhibitis, quàle est Icesij melinum, aut Serapionis, aut panacæa. Ego uerò declinationis tempore sæpe usus sum theriaca, lacte & rosaceo diluta, & in molli lana ulceri indita. Eandem etiam ex passo bibendam præbeo. Ad huiusmodi enim affectiōes efficacissima est, sicut quoq; reliqua antidota ad reptilium ictus, & uenenosas potiones parata, his itaq; cōfidenter utere, ac irrisores contemne, qui mali naturam minimè intelligunt.

De mammis induratis, Leonidæ. Cap. L.

In alijs equidem corporis partibus prius ostendimus, induratum tumorem sine dolore esse. At in mammis non ex affectionis natura, sed detractæ papillæ grauitate dolorem inducit. Si itaque tota mamma indurata fuerit, atque ita scirrhi tumor induratus thoraci annexus, ut citra periculum à sanis partibus amputari non posit, chirurgiam nequaquam attentabimus. Si uerò summittas mammæ solum indurata fuerit, aut ultra dimidium affectio non occupauit, summitas amputādа est citra inustionē: neque enim in scirrhi tumore indurato, uelut in cancro, sanguinis eruptionem uereri oportet. Post amputationem uerò linamenta indemus, & reliquam ulcerum curationem adhibebimus.

De menstruis suppreßis, Rufi & Aspasiæ. Cap. LI.

Mulieres aliquas menstrua purgatione omnino carere, uel naturale est, uel præter naturam. Naturale est, si mulier nulla inde molestia uel totius corporis, uel uteri afficitur. Proinde quantum ad ætatem attinet, infra decimumquartum annum, aut ultra quinquagesimum purgationes menstruæ non fiunt. Sed & steriles, & prægnantes, cantrices item ac saltatrices naturaliter non purgantur. Quicquid enim in eis superfluum est, nimia exercitij uehementia consumit. Et in summa: Mulieres calidioris tēperaturæ, & fortibus exercitijs utentes, & agrestes, parum purgantur. Quādo igitur mulier plus iusto calida fuerit, siue ob naturalem temperaturam, siue ob exercitiorū excessum, menstruis purgationibus carebit. Ex multo enim calore corpora sicca euadunt, & calida temperatura cibos optimè cōcoquens, nihil superflui in toto corpore relinquit. Est autem talis mulier omnino uirilis, coloris fusci, corporis probè compacti, neruis robustis, uenosa, lumbos & nates ampliores habens, pectore ac humeris latioribus, mammis solidis, uoce graui, fortior item ac hirsutior. Talis enim aut omnino non, aut modicè purgatur. Aliquando uerò etiā menses uel ob nimiam pinguedinem, uel ob gracilitatē supprimi solent. Pingues enim magis exangues reliquis sunt, minimasq; uenulas habent, & sanguis qui in ipsis est paucissimus, ferè in pinguedinē transit. Atque huius rei ex eo indicium est, quòd tales minimè omnium concipiunt. Et si aliquando conceperint, fœtus graciles ac ualdè imbecilles pariūt. Quomodo ergo purgabuntur, quę neque sanguinem, neque uenas amplas habent? At uerò graciliores ob diuturnam aliquam ęgritudinem attenuatæ, nihil penitus superflui sanguinis habēt. Sistūtur præterea mēses eis quibus sanguis crassus aut uiscosus est, & quibus ad alios locos defertur, uelut per nares aut sedē. Quin & ex thorace sanguinē reiectantibus, & quibus ex uenæ sectione multus sanguis euacuatus est, menses supprimuntur. Sed & reliqua excretionum genera sæpe faciunt ut menses intercipiantur. Velut est multus sudor, assidui uomitus, alui profluuia, saniei copia alicubi prodiens, pustularum omne genus per cutem erumpens. Sistunt item menses morbi acuti ac magni, & alimenta uel infra uel supra modum ingesta: modicum enim alimentum statim transpirat: multum uerò meatus obturat, & excretionem intercipit. Ad hos itaq; scopos etiam curandi ratio digerēda est. Quæ enim ob plenitudinem non purgantur, uenæ sectione curantur. Cibi porrò crassi ac pituitosi purgationibus aduersantur. uerum acres sanguinem fluidum efficiunt. Quapropter uina crassa & noua, aquas frigidas & crudas, labores nimios, ocium item sublestū uitare oportet. Atq; hæc uictus ratio ad totum corpus pertinet. Quantum uerò ad ipsum uterum, conclusiones, ceruicis eiusdem distortiones, durities, inflammationes, macies, resolutiones, perfrigerationes, distentiones, atq; aliæ huiusmodi affectiones cōsiderandæ sunt. Et insuper attendendum, an aliquid uteri os obturans, sanguinis exitum impediat. Callositates enim istic exortæ, aut carnis excrescentiæ, aut pin-

aut pinguedinis copia, sæpe purgationẽ prohibent. Aliquibus etiã statim à principio pellicula quædam circa collum aut osculũ uteri adnascitur, quemadmodũ his accidit, quę imperforatæ appellantur. Et tales curari non possunt, nisi pellicula illa locum obturãs perforetur, aut resecetur. Aliquibus etiam ulcerũ cicatrices, oscula uasorũ in utero excęcarunt, quæ penitus incurabiles sunt. Quibusdam post abortum uteri os exulceratur, ac deinceps ad cicatricẽ perducitur, atq; sic obturatio superuenit, quæ tum alias uuluæ trãspirationes impedit, tum sanguinis excretionem prohibet. Quin & curæ assiduæ, & immodicus timor, ac mœror ingens, menses supprimunt.

Mulieribus quæ nõ purgantur accidentia. Cap. LII.

Mulieribus quæ non purgantur cõsueto more, sanguinis reiectationis ac syderationis periculũ imminet. Nam suppressis mensibus molesta accidentia consequuntur. Totius corporis grauitas, nauseæ, fastidia, horridi quidã discursus uelut in his quæ cõceperunt. Non tamen ita sicut his quæ conceperunt uteri osculum clauditur: illis enim occlusio adest cum quadam duritia. Dolores insuper circa lumbos, fœmora, collum, sinciput, & oculorum radices adsunt. Febres itẽ assiduè cõcomitantur, & urinæ nigræ sunt cum rubicundo quodã seroso ac sanioso humore. Difficultatẽ item ac stillicidium urinæ patiuntur. Et quædam in melancholicum atræ bilis morbum, aut insaniam delabuntur. Cutis superficiem dolent, & inflammationes ac ignes sacros diuersimodè sustinent.

Curatio earum quæ ob nimiam caliditatem non purgantur. Cap. LIII.

Præstaret equidem ad integram sanitatis conseruationẽ, uictus rationẽ prę scribere, à qua mulieris corpus ita resiccaretur, ut menstrua purgatione non haberet opus. Verum hoc conceptioni penitus aduersaretur. Non enim concipiunt quæ non purgantur. Proinde cõceptus gratia, & eò quòd omnes ferè mulieres temerè uictitant, purgationes sunt necessariæ. Et propterea curationẽ conscribere cõuenit, per quam menses suppressi euocãtur. calidiores itaq; mulieres & quę plurimum exercẽtur, quàm maximè humectare oportet, aquarũ dulciũ balneis, uberiore humidioreq; cibo ac potu, quales sunt ptisanæ ac alicę sorbitiones, & quæ ex lacte præparãtur. Et ex oleribus lactuca, cucurbita, & eiusmodi. E' carnibus agni, hœdi, ac porcelli recentes, cicures præsertim & fœmellæ. E' piscibus qui teneras carnes habent. Ex auibus teneriores. Ex fructibus ficus recentes, uuæ maturæ, pepones, cucumeres. E' potibus uinum tenue, albũ, dilutum, non uetus.

Frigidæ temperaturæ dinotio ac curatio. Cap. LIIII.

Frigidioris temperaturæ fœminas, tum ex his quæ dicta sunt cognoscemus, tum quòd somnolentiores & ad motum pigriores sunt, & coloris albi siue plumbei, uenis subnigricantibus, urina aquosa, pituitam etiam assiduè exscreant, & aliquando pituitosos humores euomunt. Harum itaq; curationem oppositã esse oportet ei, quam ad calidiores retulimus. Plurimos enim labores imperabimus, & edulia calidiora exhibebimus. Vinum item fuluum, odoratum, uetus, ac minime dulce. Confert etiã uinũ aqua marina dilutum. Medicamenta uerò eligenda sunt, quę calore suo sanguinẽ dissoluunt. Velut est thymi, pulegij, calaminthes, dictamni, abrotoni, iridis, radicũ asphodeli, corticum radicis mori, mercurialis, casiæ, carpesij, floris iunci odorati, spicæ nardi ac celticæ, acori, mei, phu, sabinæ, asari, ac similium decoctum. Hæc enim singula in uino albo ueteri coquũtur, & uinũ ipsum merum excolatũ calidum à balneo ieiunis bibendum datur. Atq; ita menses cientur his quæ frigidam temperaturam habent. Probe facit & succus cyrenaicus erui quantitate potus. Aut opopanacis unc. I. Aut sagapeni tantundem. Aut myrrha magnitudine fabæ. Aut castorij drac. I. Aut nigella pota, & sublita. Idem possunt etiã seminum nobis familiarium decocta, uelut cumini, fœniculi, petroselini, laueris, dauci, ammij, cicerum. Est & hoc efficacissimũ atq; acerrimum. Pulegij, artemisiæ, rutæ, saluiæ, anethi, singulorum manipulum unum, piperis grana uiginti, aquæ sextarios duos, piper contusum & herbis ammixtũ per noctem aqua maceratur. Mane uerò ad dimidias coquitur, & ad excolatũ mellis quantũ satis est adijcitur, indeq; cyathi duo ieiunæ exhibentur. Ipsa uerò sensim inambulare iubeatur, & lectica gestetur. Tempora autem ad talia medicamenta accipienda commoda sunt: alterum appropinquante iam purgationis tempore: alterum ut post unctionem fomentaq; ac balneum statim bibat, ita ut in calidum adhuc & solutum corpus illabens medicamentũ, uires suas efficacius declaret. At uerò si quis omnia auxilia in hunc usum commoda recensere uelit, ei multo ocio opus fuerit. Sufficere tamẽ possunt relata. Si uerò nullum ex his menses euocauerit, alius modus potentior exquiretur. Ego etenim cum hæc medicamenta frustra adhibuissem, mulierem solutiuum pharmacum bibere iussi, atq; ea accepto euphorbio cum petroselino, per aluum purgata, & deinde menstruorum excretio successit. Quòd si redundans humor atræ bilis magis fuerit, epithymi drachm. V. exhibeto, cum aceti mulsi diluti hemina, pauco sale adiecto. Fece enim sanguinis educta, pars subtilior deinceps facilius sequetur. Plerisq; etiam uomitus profuit. Vomant autem accepto prius thymi aut origani, aut hyssopi decocto. Deinde post uomitum cẽtaurij aut absinthij cremorẽ potant. Quin & pessis subdititijs uterus irritãdus est, ut per uictũ quidẽ, sanguis calidus ac tenuis reddatur: per pessos uerò, excretio prouocetur. Fortiores tamen euitabimus, quales sunt qui ex elaterio, cãtharidibus, cyclamino, felle bubulo, & ueratro fiunt. Periculũ enim est, ne ex eiusmodi medicamentorum uehementia, inflammationes, ulcera, ac febres exoriantur.

Pessi menses educentes. Cap. LV.

Mitiora proinde in pessis adhibere oportet, uelut est ruta, baccæ lauri, artemisia, conyza tenuia folia habens, pulegium, mercurialis. Hæc singula cum oleo irino subdantur. Quòd si ualidioribus opus erit, myrrhę drachmam unã, aluminis scissilis drachmas duas, cum uino terito, & rosaceo ammixto subdito. Aut terebinthinam cum myrrha, melle, & croco efformato. Hoc autem ualidius est, pelecini semen cum myrrha & melle. Aut bdellium, uel galbanum, uel styrax, cum absinthio & lupinorum decocto. Aut caricas pingues granulis exemptis, cum thure & nitro, singulis fabæ magnitudine subdito.

Vterus item calido quodã oleo siue ungento perfundatur, uelut est susinum, cyprinum, irinum, sam-

psuchinum, laurinum, amaracinũ, narcissinum. Assidui etiam suffitus per styracem, galbanum, ac thus fiant. Probe facit etiam lapis gagates. Suffumigiũ probatissimũ. Radicis aristolochiæ, radicis asphodeli, resinæ siccæ, sandarachæ, atractylidis agrestis, stercoris uulturis, bdellij, sabinæ, cardamomi, artemisiæ, singulorum drach. unam, ossium piscium salsorum minutissime tritorum drachmas tres, nigellę, styracis, singulorum drachmas quatuor, pastillos cum aqua formato, & usus tempore super bubulo stercore, bis in die, mane ac uesperi suffito. Pręcipue uerò odoratis fomentis uterum fouebimus, amaraco uidelicet, serpillo, pulegio, calamintha, cypero, iride, chamæmelo, costo, aniso, ac similibus in aqua coctis. Sit autem fomenti usus talis. Olla operculo perforato operiatur, arundóque foramini inseratur, & undique oblinatur. Et mulier sedẽs excepta intra pudendum arundine fotum admittat. Alius uerò fomenti modus est, ut mulier in aliquo ex relatis decocto usque ad umbilicum insideat, & deinde calida aqua dulci abluatur, & postea pessos prædictos subdat. Pessus optimus menses educens. Carpobalsami, caryophyllorum, olei amaracini aut susini, singulorũ drachmas octo, passarum uuarum pinguiũ exemptis uinaceis libram unam, carnes palmularũ duodecim, salis communis drachmas sedecim, mellis cochlearia tria, efforma ac utere post balneum, aut fomentũ. Cataplasmata insuper adhibebimus ex cruda ordeacea farina, artemisia, amaraco, iride, aut alio quodam ex relatis ammixto. Liquor autẽ cataplasmati ammiscendus sit, uinum odoratũ, mel, amaracinum, irinum, anethinum oleũ. Postea lanam quoq; oleo aliquo ex prædictis imbutam superponemus. Bonum est etiam bdellium cum styrace ac thure tritum, cum uino & unguento quodam relato, imo uentri ac lumbis illinere. Epithema ad sanguinem menstruum euocandum. Elaterij, myrrhæ, galbani, farinæ ordeaceæ, singulorum drach. quatuor, foliorum rutæ recẽtium drach. II. fellis taurini quantum satis est. Reliquis omnibus minutissime tritis & unitis fel ammisceto, & lũbis ac imo uẽtri imponito. Ducit hoc menses, & sedis hæmorrhoidas prouocat. Vtere etiã alijs epithematis Sermone tertio conscriptis. Philosophi ad menses educendos. Cancrum fluuiatilem in uinum coniectũ suffocato. Deinde uinum id meracum, calefacito, ac totũ bibendum dato, & ubi satis sanguinis purgatum uidebitur, cancrum suffocatum comedendum dato.

Glans subdititia menses educens, facit ad uteri strangulatus diuturnos. Fellis taurini, succi absinthij, & comæ eiusdem, radicis struthij, myrrhæ, singulorũ drachmas quatuor, castorij, opobalsami, singulorũ drachmam unam, succi cyclamini drachmas decem. Omnia artemisię succo excipito, & glandes paruas subdititias formato, probè facit & fex uini antiqui apij succo excepta ac subdita. Aut lilij radix tosta subdita. Aut nigella, aut sesamum, aut rutæ semen & fœnum græcum butyro ac melle exceptũ ac subditum. Pessus eadem die plerunq; sanguinem ducẽs.

Folia artemisiæ & nitrum pari portione oleo irino aut rosaceo excipito, & pòst balneum subdito.

Curatio earum quæ præ pinguedine non concipiunt. Cap. LVI.

Pinguiores mulieres uictu attenuante curabimus. Dictum est autem in secundo ac quarto sermone de his alimentorum facultatibus, & quomodo macies sit reparãda. Non tamen interim fomenta & potiones prætermittantur. Si enim materia infrà declinabit, haud ægre euacuabitur, & corpus gracilius reddetur. & quanquã purgatio per inferiorem aluum nõ sit ualde tuta, ut quæ corpus tabefaciat, mulieri tamẽ ita habenti hæc quoq; adhibenda est. Sæpe enim sola purgãtis medicamẽti potio ad mẽses educendos sufficit. Ex purgatorijs itaque acerrima & pinguibus maxime idonea sunt, granum cnidium, scammonia, & cortex radicis tithymalli myrsinitæ. Singulis autem petroselinum, aut daucum, aut apium, aut anisum, iucunditatis gratia, & ad sanguinẽ attenuandũ, ammiscere oportet. Pessos quoq; ualidiores his adhibebimus, uelut pulpã colocynthidis, nigellã, myrrhã, simul cũ uino dulci trita ac subdita. Aut nitrum cũ cyclamino, felle bubulo, ac melle. Aut caricarũ carnes cũ nitro, melle, & ruta. Fomenta itẽ ac epithemata ad frigidiores temperaturas relata huc transferantur.

Curatio earum quæ ob plenitudinem non purgantur. Cap. LVII.

Quæ propter plenitudinem non purgantur, congruo menstruorũ tempore magis grauãtur, dolores circa lumbos ac imum uentrẽ percipiũt, flatuq; replẽtur, ad quẽ distẽtiones ac horrores totius corporis cõsequuntur. Sed præcipue insigni uenarum tumore dinoscũtur. Atque hæ quidẽ copiosa sanguinis missione sanantur. Cubiti itaque ac tali uenas secare oportet. Deinde euacuato sanguine cętera facere suprà relata, potiones uidelicet ac fomenta adhibere. Postquã autem menses fluere incœperint, mulieri quies imperanda est, & in lecto eadem detinenda. Ac prima die à balneis ac cibis abstinendum, proxima uerò ptisanæ succus cum aceto præparatus in cibo exhibeatur. Deinde olera ad hunc usum idonea. Tertia aũt die lauanda est, & cõsueta uictus ratio repetẽda.

Curatio earum quæ ob maciem non purgantur. Cap. LVIII.

Quæcunq; ob maciem gracilitatemq; non purgantur, siue id ex morbo, siue alia ratione contigerit, eas primum reficere oportet, & corpori carnem congruo exercitio, moderatoq; labore ac uberioribus exercitijs reparare. Vbi enim carnosæ factæ fuerint, maxima spes est menses spõte erupturos esse. At si hoc nõ contigerit, potionibus ac pessis prouocentur.

Curatio earum quæ ob uitiatos humores non purgantur. Cap. LIX.

Biliosos ac pituitosos humores, & quicunque alij sanguini ammixti mensium purgationem impediunt, totius habitus uitiatione cognoscemus, ac reliquis notis sæpe à nobis relatis, & aliquando ex his quæ circa uterum contingere solent. Pauci enim menses qui deferuntur, si biliosi fuerint, uuluam mordent ac rodunt, & coloris sunt abunde fului. Si uerò pituitosi, segnius prodeunt, crassi sunt, albiq; ac subfrigidi, & stuporem inducunt. Quum igitur huiusmodi signa apparuerint, præstãtissimum est totum corpus congruis medicamentis purgare. Deinde muliebres locos colluere ac fouere. Cibos autem dulces ac boni succi exhibere, & in potu uinum mulsum dare. Exhibeatur etiam lac asininum cum melle. Et aqua in qua pulegium ebullijt cum uino dulci propinetur. Hæc

tur. Hæc & menses prouocat, & nullam superfluitatem in sanguine relinquit. Cibis insuper ac potibus semper aliquid odoratū ammisceatur. Ex oleribus Crethmū, gingidiū, & daucū, singula ad flacciditatē cocta, & fœniculū eligemus. Neq; interim pessi negligātur, qui quales esse debeāt, partim relatū est, partim proxime dicetur. Si enim biliosa ducere uolueris, elateriū cū carica pingui, aut cyclaminū cū uino subdes. Pituitā uerò subdita trahūt folia anemones, iris cū melle, loliacea farina lolio prius paululū tosto, cū modico pipere & melle, colocynthis cū carica. Aquositatem autem euocat porrum cum melle. Post pessos uerò mulier in aqua calida desideat, & ungento rosaceo aut cerato, aut adipe gallinaceo, uteri os inungat.

Curatio earum quibus sanguis ad nares, uel sedem defertur. Cap. LX.

In his à quacunq; parte fluxerit sanguis, reprimendus est, & ad uterum congruis auxilijs reuocandus, ne forte inde propulsus ad principalem ac nobilem aliquam partem uertatur. Itaque & sudoribus, & uomitu, & alijs excretionibus corpus euacuetur. Verum hoc sciendum est, non multū male affici eas quę ob tales causas nō purgantur: sicut neq; quæ ob maciem, aut laborum excessum. Concipere tamen nequeunt, quum uteri purgationes defecerunt.

Curatio earum quæ ob nimium ocium non purgantur. Cap. LXI.

Certum est eas quæ ob nimium ociū non purgātur, laboribus destinādas esse. Labores aūt mulieribus cōgruētes deābulationes sunt, & gestationes aliquanto uehemētiores. De cętero uerò uelut frigidæ ac pituitosę curētur, & omnino cōtraria iuxta Hippocratē, dētur his quę sanguinis delationē impediūt. Et si ex aqua frigida cruda pota sit offensa, aliā optimā perquiremus, quā uino albo ac tenui pmiscebimus. Cibos itē, p frigidis calidos, p crassis attenuātes, p siccis humidos exhibebimus, & reliqua iuxta rationē.

Curatio earum quæ ob aliquam uteri affectionem non purgantur. Cap. LXII.

Si corpus bene se habuerit, uictusq; ratio purgationi congrua fuerit, & tamē mulier nō purgatur, considerandum est an uterus aliqua affectione laboret. Id quod si fuerit, nullū medicamentū omnino adhibeatur, neque aliqua potio mēses ducens detur, ut ne attracto ad uterū sanguine, dū loci laxari non possunt, dolores molesti uelut in partu ingruāt. Primū itaq; affectio curetur, quæ suppressorū mēsium causa est. Deinde sanguis prouocetur. Quomodo uerò uteri affectiones curādæ sint, postea ex ordine referemus.

De mensium stillicidio. Cap. LXIII.

Mēsium stillicidiū uocatur, quū grauissimo dolore intimas partes uexāte sanguis stillatim prodit. Aliqui enim morbi uteri affectionibus uesicæ similes sunt. Nā & in illa aliquādo urina supprimitur, aliquādo stillatim prodit, & quandoq; difficulter mingitur. Quinq; uerò sunt stillicidij causę specie diuersę: meatuū angustia diuersimode cōtingens, uiriū debilitas, sanguinis multitudo, sanguis pituitosus, & sanguis feculentus. His singulis quoties impedimento fuerint, succurendū est: ita ut multitudinē, euacuemus, crassitudinē attenuemus, uires firmemus, & meatus dilatemus. Angustiæ tamen causam inquirere oportet, eamq; auferre. Causis enim sublatis libera purgatio consequitur. Quomodo uerò singulis causis occurrendū sit, partim de menstruis suppressis diximus, partim deinceps referetur, ubi de uteri morbis agemus. Nūc autē explicare instituimus, quomodo graues dolores lenire oportet. Exacerbatione itaq; instante mulier in domicilio locetur, moderate tepido, nō tamen obscuro. Et manuū ac pedū extremitates fascijs deligētur, neq; ullus pessus irritatorius interim adhibeatur. Aquæ potus uitetur, & omnino ab acribus potionibus ac cibis, præcipuè flatuosis, abstinēdū est. Imus autē uenter & femora uarijs calefactorijs foueātur, ita ut aliquādo lana succida uino & rosaceo calido imbuta imponatur, aliquādo uesica oleo calido semiplena adhibeatur, aliquādo uasa uaporatoria lenticulata admoueātur. Quod si dolor perstiterit, & uires ferre poterint, cubiti uena secetur, & sanguis pro uiriū ratione auferatur, & deinde rursus eadē fomenta repetantur. Et si neque sic successerit, cataplasma è semine lini, pane, & aqua mulsa paratū adhibebimus, cui aliquādo terebinthinā liquatā ammiscebimus. Vtemur & insessionibus ex altheæ, seminis lini, fœni græci, anethi, rutæ, ac artemisię decoctis, & spōgijs ex ijsdem expressis pudendū fouebimus. Rutā item tritā ac melle exceptā & pāno lineo inductā pubi ac pectini imponemus. Aliquādo eodem cataplasmate etiam pudendum integemus. Prodest & per uteri fusorium instrumentū infrà scriptū liquorem infundere. Rutā & fœnum græcū in oleo coquito, & ad hoc excolatum butyri, terebinthinæ, œsypi, quantū ad cerati liquidioris formā satis est ammisceto. Idem etiā in sedem ad trium uel quatuor cyathorum mensurā injci potest. Aliud consimile infusum. Oesypi drach. IIII. cerebella anserum duorū, adipis anserini, phasiani, gallinacei, singulorū unc. I. ceræ quadrantem. Misce ac utere uelut priore. Pessi pręterea Libanus & enneapharmacus ac alijs cōsimiles subdātur, qui inferius ad uteri inflāmationes & induratos tumores describentur. Adhibenda sunt & epithemata, primū tetrapharmacum, bromium, & quod ex succis constat. deinde polyarchiū, & quod ex meliloto, & quod è seminibus paratur, prout usus postulauerit. Si uerò adhuc malum nō quieuerit, sed aut per certos circuitus, aut incerto ordine uexauerit, ad ualidiora pergendū est auxilia. Et cucurbitæ pectini ac inguinibus apponendæ. Primum quidem tres aut quatuor citra scarificationē. Deinde si affectio durauerit, etiam scarificabimus, & moderatā sanguinis quātitatē euacuabimus. Cōferūt & hirudines post cucurbitas admotæ, nihil minus quàm cucurbitæ attrahētes. Deinde epithemata ac dropaces adhibeātur, & cutim rubificātia, & loci molliter assiduè cū oleo ac sale cōfricētur. Exercitiū pręterea tēperatū imperabimus, ac gestationē deābulationi pręferemus. Postremū balnea naturalia adhibebimus, & marina aqua frigida iugiter abluemus.

De nimia mensium purgatione. Cap. LXIIII.

Nimiæ mensiū purgationes mulieribus fiunt, aliquādo sanguine copiosiore & per plures dies prodeūte, id quod rarius, & in uehemētioribus motibus fieri solet. Aliquādo post partū, plurimo sanguine fœtū insequēte. Sæpe uerò post abortus cōtingunt, & repētinū quādoq; periculū inducūt. Primū itaq; cōsiderāda est erūpentis sanguinis multitudo, & delationis modus. Amplioribus enim uasis ruptis aut apertis,

Vide infra

s.a cubiti uenā s

magna sanguinis copia cõfertim profluit, à minoribus uerò uice uersa. Ab erosione uerò paulatim & cũ maximo dolore prodit. Sequitur autẽ ad redundãtes sanguinis eruptiones decoloratio, ac coloris uitiatio, aliquãdo cũ febre, quãdoq; citra febrẽ, appetitus ꝓstratus, difficilis cõcoctio. Saepe etiã pedũ ac totius corporis tumores, & omnia quae ad nimiũ haemorrhoidũ fluxũ consequi diximus. Artus ergo & extremas partes primũ cõstringere oportet, ab alis & inguinibus exordio facto, & poscã nõ frigidã, sed tepidã propinare, & eadẽ posca locos perfundere, & multam lanã uino & oleo rosaceo, aut melino, aut myrteo imbutã imponere. Nã spongiae ex posca expressę uterum ac uesicã perfrigerãt, & damnum amplius quàm cõmoditatem afferunt. Imperãdũ est autem unius aut alterius diei ieiuniũ. Quod si tolerare nequeat, panis micas è posca exhibebimus, aut alicã lotam, aut oryzam ex posca, aut ouum sorbile molle frigefactũ. Dabimus item in potu balaustium ex posca, aut hypocysthidis aut acaciae succum. Aut lyciũ, aut terrã samiam stellam appellatã, aut uuae acerbae succum siccũ. Prodest & sesamum posca macerare, atq; ita molle factũ edendum praebere. Potest idẽ etiã cõteri, ac in potu dari. Exhibebimus & rhei pontici decoctũ, aut idem tritum potioni inspergemus. Aut loti ramenta, & eorundem decoctũ. Aut corallorum drach. II. Aut paeoniae grana rubra XII. At uerò spongia noua liquida pice imbuta, & in olla exusta, cum aceto aut posca subdita, mirifice auxiliatur. Nã & his quę in uterũ subijciuntur ac induntur, uti debemus. Noui inquit Galenus, per quatuor aliquãdo dies sanguinem ab utero manasse, & ad nullũ auxilium cessisse, & tandem à nobis plantaginis succo supressum esse. Quãtitas autẽ eius inijciendi, sit cyathi mensura. Hoc itaq; optimum est medicamentũ ad sanguinis eruptionem ex erosione obortam, cui aliquando fortius aliquod ammiscere soleo, aliàs aliud, pro affectionis respectu. Si igitur uas unde sanguis profluit, magnũ & amplũ fuerit, austeris medicamentis opus erit, balaustio, acacia, hypocysthide, succo uuae acerbae, gallis, malicorio, & similibus. Si uerò paruum, id quod facile cognoscemus ex modico sanguine citra dolorem prodeunte, cõferent aloẽ, mãna thuris, cortex pinus, terra lemnia sigillata, spinae aegyptiae fructus, crocus, lapis haematites, & reliqua huiusmodi cũ succo plantaginis, aut uino nigro austero, aut senecionis succo subdita & iniecta. At si ab erosione sanguis profluxerit, plerunq; uelut diximus nõ cõfertim, sed modicus at paulatim defertur. Et propterea Andronis, aut Pasionis, aut Polyidae, aut Musae pastillo, aut eo qui ex charta paratur, utẽdũ est. Omnes enim tales quum nomen sistant, erosionem curãt, ac sanguinis eruptionẽ reprimũt. Sunt autem quodã liquore ex relatis diluendi. Pessi uerò ad sanguinis ab utero eruptionẽ faciunt huiusmodi. Aluminis scissi, acacię, medullę gallarũ, pollinis thuris, singulorũ dra. I. Hęc plãtaginis succo terũtur, & uitelli ouorũ assatorum quatuor ipsis ammiscẽtur. Vsus autẽ tẽpore pesso lanae excipiatur, qui rosaceo tinctus subditur. Suntque pessi omnes penitius usq; ad uteri os immittendi. Est autẽ pessus lana carpta ac cõuoluta ad digiti figurã, qua medicamẽta excipiuntur. Alius. Medullae gallarũ, & thuris, pares portiones aqua subactas subdito. Aut è polygono trito pessum formato. Ipsas praeterea in hoc decocto assiduè insidere iubeto. Capitulorũ iunci acuti, foliorũ myrti, rosarũ, rhamni, uirgultorũ rubi, aequales portiones in aqua coquito pro insessu. Alius Pessus. Cytinorum, foliorũ cupressi, oleae, rubi, singulorũ ęquas partes efformato. Forinsecus autẽ imposita prosunt epithemata ac cataplasmata ex palmulis ac malis cotoneis, quae adsumunt balaustium, acaciam, hypocysthidem, alumen, & similia. Conferunt & emplastra glutinatoria, quale est fuluum Galeni, & Icesij, & quod è salicibus paratur. Et Harmonia, & Pallas siue Athena inscriptum, si lumbis ac pectini imponantur. Tauri itẽ glutinũ aceto maceratur donec dissoluatur, deinde ualido panniculo inductũ lũbis agglutinatur, & efficaciter prodest. Sed & cucurbitae leues ac magnae ad mammas utilissime affiguntur.

De fluxu muliebri, Archigenis. Cap. LXV.

Fluxus muliebris est uteri destillatio diuturna, à menstrui sanguinis eruptione differẽs, eò quod in illa sincerus sanguis prodit. Hic uerò fluxus corruptus apparet, & aliquando ruber est, uelut sanguinis sanies: aliquando albus, uelut ptisanę succus, à pituitoso uidelicet sanguine. Interdũ pallidus, ubi bilis amara redũdarit: interdum aquosus, à serosorũ humorũ superfluitate. Qui itaq; exquisite colorẽ pręse fert aliquẽ, is redundantẽ humorẽ facile indicat. Si uerò obscurũ colorẽ habet, causam eius perscrutabimur. Linteũ eo inquinatũ arefactũ simplici aqua eluemus, & inde à maculę colore redundantis humoris notionẽ capiemus. Hic uerò fluxus plerũq; citra dolorẽ prodit. Aliquando tamẽ ulcere exulcerato etiã cũ dolore promanat. Si itaq; aliqua pars doluerit, & humor profluens planè cruentus fuerit, partis alicuius in utero ruptionẽ aut erosionẽ indicat, id quod maxime in collo uteri contingere solet, & potest hoc digiti immissione percipi. Inferre uerò solet hic fluxus debilitatẽ, coloris uitiationẽ, appetitus subuersionẽ, inenarrabilẽ tristitiã, pedum tumorẽ. Et in aliquibus perpetua destillatio perseuerat. In aliqbus per interualla quędã redit. Et aetate quidẽ uigẽtes, rubra ferè fluxio infestat. Declinãte uerò aetate, alba. Et utraque sanè fluxio si suae aetati acciderit, facile curatur: si alienę, difficulter. In oĩ uerò defluxu os aperitur ipsius uteri, & uelut relaxatur. Quibusdam etiã uterus ipse ꝓcidit, ut usque ad muliebre pudẽdũ progrediatur.

Curatio rubri uteri fluxus. Cap. LXVI.

Mulieri rubro fluxu uexatae primũ sanguinẽ euacuabimus per uenę sectionem. Haec enim nõ solum materiã ad uterũ confluentem diuertit, sed detentionem etiã ac cõstrictionem tutã efficit. Multa enim sequerẽtur incõmoda, si sanguinis uel cuiuscũq; defluxus lationem localibus auxilijs reprimeremus. Nam aliquae inde in hydropem, aliquae in neruorũ affectiones, aut oris uentris, aut capitis uexationes collapsae sunt. Proinde si nihil obstiterit, hoc est, si non ualde magna fuerint obstacula, sanguis mittatur, prę sertim si aetas uenę sectionẽ nõ prohibet, & sanè paulò antè dictum est, iuniores fere rubro fluxu uexari. Detractio uerò sanguinis uelut in his qui sanguinẽ reijciũt partiatur, ut paulatim reuulsio fiat. Et dilata uenę cubiti sectione, à frõte, aut naribus, aut scapulis sanguinem auferemus. At uerò lumbis ac femoribus detrita ac mollia lintea imponantur, frigidis succis imbuta. Locetur autẽ mulier coxis accliuibus, cruraq;

racꝫ extendat ac inter se complicet ad uteri partes cõ trahendas. Quòd si copiose sanguis feratur, coxæ, pecten, & lumbi spõgijs posca madefactis integantur. Si uerò modice destillet, lana succida uino & rosaceo imbuta adhibeatur. Et extremę partes deligẽtur, atque hæc non solum in principio fiant, sed etiã post circuitus ante exacerbationem, & in ipsa exacerbatione. Vtatur ægra etiam insesionibus, ex myrti, rubi, malicorij, & similium decoctis, in quibus sępe aceto affuso usque ad umbilicum immergatur. Adhibeat & infusiones adstringentes ac moderate frigefacientes, uelut est plantaginis succus, polygoni, stratiotæ, malorum cotoneorũ, ac mespilorum. Sed & sideritidis herbæ aut parthenij succus eximie cõfert. Hæc autem singula cum rosaceo aut myrteo oleo infundantur. Vinum item dulce in mali punici cortice calfactum, utilissime tepidum infunditur. Efficacissime uerò fluxum compescit spõgiæ pice liquida imbutæ ac ustæ cinis subditus, itẽmque leporis pili usti. Solemus & linteum alumine madefactum ac resiccatũ similiter adhibere. Asininũ autem lac, si eius copia fuerit, præsertim asinæ per pascua pratorũ nutritæ, omnibus succis præstat, ubi fluxus cũ dolore defertur. Confert & stercoris eiusdẽ asinæ succus, & alicæ aut ptisanæ succus: & rosaceum uel per se, uel cũ lacte infusum. Cæterũ pessi ad rubrũ fluxũ ijdẽ faciunt, qui ad sanguinis eruptiones sunt relati: sunt autem in aliquo ex prædictis succis madefaciẽdi. Facit & lycium, acacia, hypocysthidis succus, singula lacte bubulo aut sapa diluta. Aut galla cum thure & rosaceo. Aut spodiũ põpholygis cũ rosis & passo. Aut oui testa usta cũ myrto sicca & passo. Aut cinerẽ sarmentorũ linteolo illigatũ, & aliquo prædicto succo tinctũ subdito. Aut senecionẽ herbã tritã subdito, & bibẽdã dato. Galla itẽ usta, & modo uino, modo aceto extincta, ac in pessum efformata subijcitur. Ablatis autẽ his, pedes adstringentibus decoctis moderate frigidis aut tepidis abluatur. Et ex relatis succis aliquis utero infundatur. In debilioribus tamẽ ac delicatioribus fœminis mitiora adhibebimus. Aliquibus enim occulti uteri meatus à uehemẽtioribus medicamẽtis adeò cõstringũtur, ut ulcus aut duritia oboriatur, & concipiendi facultas tollatur. Ventri quocꝫ ac lũbis refrigerãtia ac adstringẽtia adhibeantur, uelut est portulaca, perdiciũ, solanum, hyoscyamus, per se & cũ polẽta acetoꝗ ac palmulis. Aut ordeacea farina cũ palmulis, malis cotoneis, ac mespilis. Cerata itẽ ex ijsdem præparata pectini ac lumbis imponãtur. Cõferunt & cucurbitę dorso & sub alis affixæ. Et quęcũcꝫ potiones sanguinẽ reiectãtibus cõgruunt, his quocꝫ cõmodæ sunt. Velut est ex simplicibus rheon põticũ, terra samia stella siue aster appellata, terra lemnia sigillũ uocata, cũ plãtaginis aut polygoni succo, & reliqua tum simplicia, tũ cõposita, suo loco relata. Sit porrò & uniuersa uictus ratio ad strictoria, quæ aliquatenus crassefaciat, & potus aqua. Quòd si uires collabãtur, uinum crasius exhibeatur. At si fluxus multitudo reprimatur, paucus autẽ adhuc feratur, pro refrigerãtibus ac adstringẽtibus, media inter hæc adhibeantur, ut ne fluxu repente suppresso, inflammatio aliqua oboriatur. Vtendum est & emplastris ad cruenta uulnera idoneis, uelut est quod è salice paratur, & quod Icesiũ appellatur, & alia huiusmodi.

Albi fluxus curatio. Cap. LXVII.

Si fluxus albus, aut serosus, ac saniosus, aut liuidus infestat, in principio quidem resistendum non est, ut aliena à corpore excernãtur. Post principium uerò oleo susino totũ corpus large illinatur. Gestationes autẽ & uocis exercitationes, frictiones item ac deambulationes, non in hac solum fluxus specie, sed etiam in alijs conueniunt. Ipsis uerò locis moderate adstringentia adhibeantur, quæ simul extergendi uires habent. Et sanies profluens assiduè calida aqua eluatur, & lana detergeatur, ne ab humore transeunte ulcus excitetur. Rosaceum item aut myrteum, aut melinum oleum illinatur. Aqua etiam pura nihil adstringens habens ammixtum, in principio præsertim adhibeatur ob influẽtis humoris acrimoniã: Et ob eandem causam etiam alicæ ac oryzæ succus infundatur. Facit & fœni græci decoctum plurimo oleo susino ammixto. Susinũ enim oleum tũ huic, tum alijs succis utiliter ammiscetur. Atꝗ hi quidem succi efficaciores erunt, si quid acacię, aut hypocysthidis, aut de alio quopiam ad rubrum fluxum relato, fuerit ammixtum. Possumus etiã pro susino oleo lẽtiscinum aut œnanthinum adhibere. Stercus insuper caprinũ cum myrrha, thure, & aloë, rosaceo & aceto addito cõmode subditur, ita ut his ablatis loci uino nigro austero abluantur. Vbi uerò quæ profluunt fœtida sunt, post relatorum usum tetrapharmacũ rosaceo dilutum adhibebimus, & per certa interualla uicissim tum prædicta auxilia, tum tetrapharmacũ applicabimus. Si uerò fluxus sordidus fuerit, & dolorẽ intulerit, uitellos ouorũ assatos cũ modico croco & rosaceo subdemus. Aut malũ cotoneum assatũ eodẽ modo. Et lẽticulę decoctũ cum plãtaginis succo infundemus. At si quæ profluunt sordida quidẽ fuerint, & feci similia, dolorẽ tamẽ nõ intulerint, infusa ad dysenteriã idonea immittemus. Vbi aũt loci purgati fuerint, adstringẽtibus elotionibꝰ cõsidẽter utemur. Locis uerò induratis asininũ lac cũ rosaceo aut susino oleo infundemus, & in pesso subdemus. Et si asininũ defuerit, caprinũ succedat. Lac uerò præstat quòd ab animali per prata pascente emulgetur. Aliquãdo etiã amylũ ad crassitudinẽ comparandã, lacti ammiscemus. Pessi insuper ijdem, cataplasmataꝗ ac emplastra eadẽ quæ ad rubrũ fluxũ retulimus, huc transferãtur. Pręcipuã uerò fiduciã in recta uictus ratione habere oportet. Nec quantitatis solũ, sed etiam qualitatis eduliorum ratio habẽda est. Sitꝗ alimẽti materia talis, quę & crassefaciat ac uires corroboret. Quales sunt sorbitiones è tritico ac lacte paratæ, nõ aquosæ ac dilutæ, sed probe cõpactæ, quæ pro occasione etiã ex passo cretico parentur. Carnes uerò eligẽdæ sunt siccãdi ui prędițæ, uelut aues mõtanæ, & ferarũ animantiũ. Cęterũ ubi fluxus cessauerit, à uehementi ambulatione, à multis pectinis ac lũborũ frictionibus, ab acriũ esu, à calfacientibus, à flatuosis, & ab his quę urinã prolectãt, diu abstinẽdũ est, & balneis raro utendũ, necꝗ uẽter mouẽdus est, necꝗ spiritus retinẽdus. Hęc enim omnia malũ reuocant. Partes aũt superiores sensim ac leniter exerceãtur, ac perfricẽtur. Insesiones fiãt in aqua nõ adeò frigida. E pessis aũt subditijs elaboratiores ac mẽdicamentosi uitẽtur. Verũ post insesiones rosaceũ lana exceptũ subdatur, & in ipso curationis tẽpore ægrotæ bibãt ea quę ad sanguinis per sputũ reiectionẽ retulimus. Faciunt

& pæoniæ grana pallida x v. assiduè pota. Aut corallorũ dra. I. e uino nigro. Aut uinacea trita cũ uino. Aut leporis siue hœdi coagulum erui magnitudine in posca dilutum. Aut corticis loti arboris decoctũ. Aliud Aspasiæ, ad mulieres quæ sinũ pudendi ualde humectũ habẽt, ut ex eo nõ cõcipiant. Gallas per octo dies aqua macerato, deinde lanã purã ac mollẽ in aqua illa siue cremore gallarũ tingito, & nõ exprimito, sed siccari sinito, & lanã ita subdendã dato. Ex hoc mulier uelut uirgo reddetur, & hoc sæpe repetat. Aliud. Semẽ rumicis acuti cũ pauca aqua subigito. Aut si uiride fuerit, per se terito, & subdẽdũ exhibeto, & fiet pudendum uelut uirginis adstrictum.

De uteri strangulatione. Cap. LXVIII.

Vteri strãgulatio ab utero quidem inferne oritur. Verũ supernæ partes & principales præsertim, per consensum afficiuntur. Nam ad cor per arterias: ad cerebrum per spinæ mẽbranas ac neruos: ad hepar per uenas affectio trãsit, uidetur que uterus uelut ad supernas partes ascẽdisse. Cõsequitur affectas accedẽte exacerbatione, mẽtis lãguor, pigritia ad agendũ, debilitas crurum, pallor faciei, tristis aspectus. Instãte uerò strãgulatione, sopor grauis ac pfundus, mẽtis ac sensuũ apprehẽsio, cũ uocis interceptiõe. Pulsus aũt parui ac debiles fiũt, & aliquãdo penitus intercipiũtur. Quibusdã aũt neque respiratio sensibilis pmanet. Aliquæ uerò alijs actionibus integris manentibus, magnã respirationẽ ex hac affectione habẽt. Et hinc manifestũ est, quòd nõ circa cor & stomachũ cõpresio, aut morsus, aut perfrigeratio, à partis ascensu fit, sed circa partes respirationis, & pulmonẽ hoc cõtingit. Quapropter neque animi deliquium his uehemẽs est, quũ cor affectionis exors permãserit. Neque enim fieri potest ut animi deliquiũ citra cordis cõsensum ingruat. Cęterũ affectiõis differẽtiæ, pro causæ efficiẽtis differẽtia ac magnitudine sunt. Et sanè quidã experiri uolẽtes an aliqua adhuc supersit respiratio, lanã carptã naribus admouẽt, atque inde ex lanæ motu colligunt, an aliqua inspiratio aut expiratio restet. Alij poculũ aqua plenũ ad os uentris ponũt, & cõsiderãt an aliquo motu aqua agitetur. Et profectò utrique ignorãt, aliquãdo sublata penitus oris ac nariũ respiratione, superesse adhuc eam quę in toto corpore ab arterijs perficitur. Id quod etiã in reptilibus uenenatis cõtingere uidemus. Hęc em̃ per totã hyemẽ mortuis simillima in cauernis latitant, per arterias tantũ totius corporis respirãtia. Sic etiam in uteri strãgulatione fieri potest, ut toto corpore frigefacto, oris ac nariũ respiratio intercidat, supersit autẽ ea quæ ab arterijs fit. Sed & oris ac nariũ respiratio adeò parua esse potest, ut sensum lateat. Profundissimo itaque sopore corripiũtur huiusmodi mulieres, uoce, sensu, ac motu interceptis. Stomachi etiã dolore uexantur, & saliuã uomũt, si in stomacho aut capite humiditas sita est. Deinde uerò exolutis causis corpus firmari incipit, & malę rubescũt, & oculi post multã grauitatẽ attollũtur. Et ubi iã malũ ægrã relicturũ est, humiditas quędã ex locis muliebribus excurrẽs, tactu percipitur, & intestina murmurant, & ipse uterus paulatim laxatur. Atque sic exurgens ęgra intellectũ ac sensum recipit. Accidit hęc affectio omni quidẽ tẽpore, sed hyeme pcipuè ac autũno, iunioribus pręsertim, salacibus, ac sterilibus, maxime si per medicamenta steriles fuerint. Oritur aũt uel utero perfrigerato, dũ mẽses prodeũt, uel propter abortũ, uel sanguinis eruptione ab utero, ab aliquo repente suppressa. Atque hic morbus ubi inuadere assueuerit, comitialis modo diuturnus, & p circuitũ repetẽs efficitur, & tutus quidẽ apparet, singulis tamẽ accessionibus præceps periculum affert, ut nõ eadem solũ die, sed intra paucas horas interimat. Et pulsus quidem primum densiores fiunt, & inordinate mouentur, deinde etiã penitus intercipiuntur, & exigua quędã humiditas cutis superficiem irrorat. Similiter & respiratio primũ obscuratur, postea penitus intercidit. Est autẽ hic morbus flatuosa perfrigeratio, nõ inflãmatio, uelut Soranus putat. Semẽ enim in utero paulatim coaceruatum, aut alia quędã materia insita ac putrefacta, perfrigeratur: & ad cerebrum ac cor frigiditatẽ trãsmittit, atque hæ partes principales frigefactæ relata accidentia inferunt. Et ego sanè mulierẽ uidi in hũc morbum collapsam, dum ab obstetrice laxantia ac odorata auxilia adhiberentur, & pudendi sinus digitis penitius confricaretur, tum ex auxiliorum admotorum caliditate, tum ex digitorum contrectatione, se contraxisse cum dolore quodã uoluptate permixto, deinde excreto multo crasso, uiscoso que semine, protinus à molestijs ac afflictionibus liberatam esse. Neque mirum uideri debet, uel ex minima humorũ mole tanta accidentia consequi. Si enim paucissima ueneni quãtitas, & tã exiguum uirus reptilium per angustissimum foramen eiectũ, mala longe sæuiora inducit, non absurdum dictu est, semen corruptũ aut menstruum sanguinem suppressum ac detentum, talia inuehere accidentia. Sed & ex canum rabie facilis huius rei cõiectura est. Tãta enim inde humorum fit alteratio, ut si eorum canum saliua solum corpus humanum cõtigerit, cõfestim rabiem inducat. At uerò scire operęprecium est, hunc morbum nõ solum ob uteri ascensum fieri, uitioso humore uelut diximus in eo collecto: sed sæpe etiam ex uentris repletione utero affectionem transmitti. Et aliquando hepatis aut splenis causa, uasa ex quibus uterus dependet, retrahi. Quum ergo uterus ex seipso laborat, pro seminis uel menstrui sanguinis coaceruati quantitate, ac qualitate, alia aliàs accidẽtia cõsequentur. Si enim causa efficiens frigefaciendi uires habuerit, ita uniuersum corpus perfrigerabitur, ut respirationis ac pulsuum sensus penitus aboleatur. Si uerò humores affligentes crassi aut acres fuerint, conuulsio subsequetur, quemadmodũ atrę bilis humores animi tristitia comitatur. At animi deliquia exacerbationum uehementia, & maxima pfrigeratio, & oris uẽtris affectio inducit. Aegra itaque ceruice ac scapulis accliuius collocetur, femoribus ac inguinibus decliuibus. Et in ipsis exacerbationibus extremę partes deligẽtur, & pedes ac crura fricentur. Naribus aũt odorata admoueãtur, uelut est galbanũ, aut castorium, aut sagapenũ, singula ex aceto trita, ac naribus illita. Aut acetum acerrimum, in quo pulegium, calaminthe, thymus, origanum, conyza tenuis, & alia huiusmodi acria decocta sunt, calefactum naribus adhibeatur. Hæc enim crassos uapores cerebri incidere & attenuare possunt, ac simul frigiditatem depellere, & inspirata thoracem ac pulmonem expurgãt, & stomachum corroborãt. Excitentur etiã sternutationes, castorio, pipere, struthio, naribus per specillum admoto. Os autem ægræ aperiatur, ac medius digitus ad uomi

ad uomitum proliciendũ intromittatur. Nares item castorio, bitumine, galbano, sulphure suffiantur, aut funiculo lucernario recẽs extincto, aut pennis ustis, aut soleis antiquis, aut ceparũ, aut alliorum corticibus, aut capillis ipsius proprijs exustis. Aut cornu caprino incenso, aut pice ad prunas liquescente, cedriaq́; ac ueratro: aut pane recens incenso, & similibus. Quidã etiam matulã urinariam inueteratã, & pannos sulphuratos incensos naribus admouent. Sinapi item tritum cũ aceto, & gagates lapis aqua tinctus & incensus, ac oleo extinctus, naribus adhibeatur. Aut rutam uiridẽ manibus cõtritam suffito. Uterũ uerò inferne per pudendũ odoratis suffito, storace uidelicet, ac sandalis, & aloë ac similibus. Illinãtur etiam intra pudendũ ea quæ laxãdi, calfaciendi, ac flatus dissoluẽdi uires habẽt, qualis est pessus Eneapharmacus appellatus, & cæteri eiusmodi ad uteri duritias inferius descripti, amaracino, gleucino, irino, cyprino, aut capnisto oleo diluti, adiecta etiã rutæ aut cumini portione. Atq; hæc digitis excepta obstetrix usq; ad uteri os immittet, ac leniter & diu confricabit, ut hinc irritatus crassus humor qui in utero hæret, prouocetur, ac calefactus excernatur. In ipsum quoq; uterum per uteri fusorium clysterem, amaracinum, aut gleucinũ, aut foliatum unguẽtum iniiciatur. Et in sedem glandes indantur, ex ruta, cumino, nitro & melle cum aliquo ex relatis ungentis & butyro præparatæ. Est & cucurbita primũ inguinibus, ac femoribus, deinde utrinq; circa umbilicum, cum plurima flãma citra scarificationem affigenda. Et super hæc omnia mulier magnis uociferationibus excitetur, ac uocetur. Insessiones quoq; parentur in decoctis baccarum, ac foliorũ lauri, pulegij, calaminthes, marrubij, artemisiæ, conyzæ, sabinæ, centaureæ, dictamni, sampsuchi, fœni græci, altheæ, chamæmeli, aristolochiæ, iridis, serpylli. Insessionũ uerò tempore cerebri cura nõ relinquatur, sed rosaceo & aceto caput irrigetur, & in aceto prius serpyllum, sphondyliũ, ruta, baccæ lauri, interdum & castorium coquatur. Et naribus prædicta odoramenta assiduè adhibeantur, præsertim castoriũ cum aceto. Præcordia item fascijs uinciantur, & distentis manibus os uteri comprimatur. At ubi exacerbatio instat, ægra ad uomitũ cogatur. Omnes enim uomitu leuantur, sed præcipuè quę cibo grauantur. Tertia uerò die cucurbitę cum scarificatione pectini, ac lũbis affigantur, deinde loci scarificati sale cõspergantur. Et ubi ab huiusmodi auxilijs discesserimus, ad castorij potionẽ transibimus, quod assiduè potũ sæpe penitus ab hoc morbo liberat. Dandũ est quotidie drachmæ põdere, aliquando cum aqua mulsa, aliquãdo cum artemisiæ decocto, bituminis quoq; scrupulus utiliter ei ammiscetur. Nec parum ijsdem confert acetum scillinum assiduò potum. Atq; hæc curatio in morbi exacerbationibus adhibetur. Ubi uerò diuturnus factus fuerit, plerunq; à uenę sectione initiũ facimus, præsertim si menstruæ purgationes fuerint detentę. Deinde ad alui euacuationẽ progredimur. Ac hiera quidẽ ex colocynthide omniũ efficacissima est. Mulieribus tamen & uteri affectionibus magis conuenit hiera ex aloë picra, hoc est, amara appellata, quæ habet aloës drachmas centum, asari, croci, cinamomi, mastiches, spicæ nardi, xylobalsami, singulorũ dra. VI. Hoc medicamentũ aridũ seruari debet. Usus uerò tempore ad integram alui ductionem, drach. IIII. ex eo cum aquæ mulsæ cyathis sex propinentur. At si partitam purgationẽ maluerimus, drac. II. tãtum ex tribus aquæ mulsæ cyathis exhibebimus. Ita enim stomachũ firmat, uires reparat, ac morbum depellit. Neq; post adeptam sanitatem medicamenti usus statim deserendus est, sed quantitas solum paulatim imminuẽda. Peracta euacuatione, cucurbitæ inanes quidẽ, sed cum plurima flãma affigendæ sunt, & uiolenter detrahendæ. Aliquando etiã scarificatio fit, & scarificati loci sale consperguntur, deinde cũ cyprino cerato ad cicatricem perducuntur. Deinde emplastrũ siue epithema emolliens pectini adhibeatur, quod è seminibus præparatur, suprà inter splenis auxilia descriptũ, primum cum cerato dilutum, postea cerato paulatim detracto, ipsum solũ per se imponatur, donec pustulæ uelut uari, in cutis superficie excitentur: quæ postquã emplastro albo, aut alio quopiam ad ambusta destinato, fuerint sanatæ, iam locus est sinapismis & dropacismis acopisq; appellatis, ex euphorbio, pyrethro, adarce, ac piperis paratis. Multũ uerò conferet ad medicamenta etiã recta uiuendi ratio, per deambulationes matutinas, gestationesq; in curru, uel naui, uel iumento. A motu uerò gestationis prodest uociferatio, & lectio clara, modulata ac concinna. Item unctio, frictio, & exercitatio per congrua interualla repetita. Balneum autẽ raro, & non nisi sordis detergendæ gratia adhibeatur, & tamen bis, aut ter per totã curationem, ad morbũ expellendum admitti potest. Postremum uerò confugiũ est ad balnea naturalia, tum calida, tum frigida. Recuperata tandem sanitate mulier non omnino negligatur, sed præseruationis gratia per certa interualla, suspectis præsertim temporibus, insessiones suprà relatæ adhibeantur, & saluiæ, pulegij, mercurialis, fœni gręci decoctis, loci eluantur. Et pessi calefacientes & emollientes post elotiones subdantur. Philosophus uerò inquit: ad mulierem ex uteri strangulatu collapsam, plurimis remedijs frustra tentatis, duos staminum glomos in oleum anethinum feruens coniecimus: Et alterum probè expressum calidissimum loco adhibuimus, & antequam frigefieret, alterum pro eo subiecimus, hocq; uicissim tam diu repetiuimus, donec mulier citra dolorem exurgeret. Sed & ceratum ex araneis interdum umbilico imposuimus. Aliud, ad uteri strangulatus, ac dolores. Testudinis terrestris hepar tritum in pesso subdito.

Pessi ad uteri strangulationem idonei. Cap. LXIX.

Pessi ad strangulatum uteri idonei tales sunt. Adipis anserini sexuncem, mastiches, adipis phasiani, styracis, singulorum quadrantem, ceræ quadrãtem. Unguẽti nardini, spicæ nardi, croci, singulorum unciam unam, crocus cum uino odorato ueteri teratur, sitq; uinũ adstrictionis omnis exors. Alius. Ceræ sexuncem, ammoniaci, mastiches, singulorum unciam unam, opobalsami, olei irini, singulorum quadrantem. Alius. Styracis sextantẽ, ceræ albæ dodrãtem, casiæ, spicæ nardi, amomi, croci, mastices, singulo. drach. I. adipis porcini, terebinthinæ, singulorũ sexuncẽ, thuris sesquiunciã, adipis anseris & phasiani, singulorum quadrãtem, opobalsami, olei liliorum, amaracini, cyprini, nardini, irini, singulorũ unc. I. Quòd si ualidiorem facere malueris, cardamomi

drachm. quatuor adijce, & seminis rutę tantundem. Oportet autem aëris constitutionis respectu, ea quae calefaciunt detrahere, uel addere.

Vnctiones ad uteri suffocationē, Philagrij. Cap. LXX.

Vnctiones post balnea præseruationis gratia tales adhibeantur. Olei dulcis lib. I. seminis uiticis, rutæ, cōtusorum singulorū quadrantē, casiæ tritæ quadrantem. Omnia simul misceto, & sub canis ęstu per dies quadraginta insolato. Quòd si pro temporis, anni, aut regionis, aut temperaturæ calidioris siue frigidioris ratione, unctionis uim intēdere, uel minuere uolueris, addito ac detrahito ex medicamentis quantum ex re esse iudicaueris. At si unctio præparata non fuerit, irino ungento rutā, aut casiam, aut amomum, aut quicquam ex his quæ suprà dicta sunt ammisceto, ac utitor. Possunt & citra balneum hæ unctiones pectini, ac lūbis illini. Efficaciores autē euadent, si adarcen ustum, uel crudum, aut pyrethrum, aut piper tritum, aut oleū laurinum, aut cicinum, & reliqua eiusmodi addideris, ita ut unctio crasior fiat. Alia unctio ad eandē uteri strangulationē. Terebinthinæ, olei laurini, singulorum sex uncem, olei irini, anethini, singulorū lib. I. seminis cānabis, adarcæ, singulorū sextantē, piperis, saluiæ, calaminthæ, singulorū unc. I. Pyrethri sextātem, nigellæ, casiæ, singulorum unc. I. Arida tenuissimè trita liquabilibus liquatis ammisceto, unito, ac adseruato. Vsus autē tempore aliquo oleo calido diluito, pectiniq́, ac lumbis illinito. Suffumigium uteri. Stercoris canini albi, & sabinæ, æquales portiones suffito. Et si torsiones successerint, morbi uexationes quiescent.

Varia auxilia ad uteri strangulationē, Philagrij. Cap. LXXI.

Mulieres ad uteri strangulatū procliues, diospolitico pharmaco assiduè uti debēt, & eo quod ex tribus piperis generibus cōstat, & quod ex calamintha appellationem habet. Singulis autē ammiscenda sunt quę semen minuunt, ac abolent, qualia sunt uiticis, rutæ, cannabis semina, nymphææ radix, ac reliqua huiusmodi, quæ in uenereorum tractatu retulimus. Castorij quoq; drac. I. assiduè potēt, modico aniso adiecto. At uerò si prægnantibus respiratio intercepta fuerit, foris quidē ad corporis temperiem emendandam, auxilia adhibenda sunt, uerū potiones, & quæ in uterum funduntur, aut subduntur, penitus uitare oportet, sicut etiā clysteres & sanguinis missionem. Ex omnibus enim his abortus periculum imminet. Cæterum meminisse oportet, ut his quę neq; cōtractionem, neq; declinationem uteri patiūtur, pro humiditatis, aut siccitatis ratione medicamenta idonea exhibeantur, & ualidiora: sicut his quæ rarum, ac molle corpus habent imbecilliora, & rursus oppositis fortiora. Itidemq́ iunioribus simpliciora, ætate prouectioribus efficaciora. Et his quidē quæ totius corporis distentionem à flatu uētoso percipiunt, flatus leuantia exhibenda sunt. Quæ uerò grauitatem perceptant, incidentia ac attenuātia. His autem quæ humorum acrimonia uexantur, laxātia, ac pinguia. At si declinatio, aut contractio, aut inflammatio circa uterum fuerit, omnia imbecilliora offerātur. Fortiora enim morbum exacerbant, & seminis excretionem prohibent. Et contrà quæ pro curandi corporis ratione moderata sunt, tum ipsi affectioni medentur, tum seminis excretionem adiuuant.

De seminis fluxu, Sorani. Cap. LXXII.

Mulieres non aliter quàm uiri è seminis fluxu laborant. Est autē hæc affectio seminis citra concitationē ac tensionem uenereā profluuium, ad quod uteri laxatio, ac debilitas, & totius corporis tabefactio consequitur. A' toto enim corpore materia paulatim ad uterum cōfluit, atq; isthic modicè uelut in oculis lacryma mutatur. Et sæpe contingit ut affectio hæc diuturna fiat. Quapropter recentē adhuc reprimere, ac sedare conabimur, per ea quæ sensim adstringūt, uelut est rosa, myrtus, rubus, lentiscus, & huiusmodi. Pectiniq́, ac inguinibus acaciā, hypocysthidem, & similia cū uino austero imponemus. Cerata item ac cataplasmata è palmulis, malis cotoneis, ac myrti baccis adhibebimus. Laminam quoq; plumbeā latam, ac tenuem lumbis alligare oportet, & stratum nō sit delicatū, sed potius asperum. Vomitus à ieiunis quidem fiat, à cibo tamen admitti quoq; potest. Præterea partes supernę exerceātur, ac diu cōfricentur. Et cauendū ne affectæ partes inungātur, aut calefiant. In potu detur solani radix arefacta, aut uiticis, aut rutę, aut cannabis semē ex aqua, singula drachmæ pondere. Cibi uitādi sunt exoluti, ac sorbiles, & ad seminis generationē, ac uenerem excitandam idonei. Vescatur autē solidioribus edulijs, & aucupiis assatis utatur, ac uinū fuluum bibat. Et omnia uitet quæ ad uenerem irritare possunt, ita ut neq; picturas, neq; signa formosa spectet, neq; de cōcubitu uerba faciat. Sed tetrica uiuēdi ratione, lectionibusq́, ac colloquijs seueris utatur. Perseuerāte uerò affectione, exercitia, sudorū prolectationes, frictiones, & frigida balnea adhibeātur. Et rosaceū assiduè pectini, ac lūbis illinatur. Si uerò aliquādo ob acriorē cōstitutionem, ac qualitatē irritās, ac quodāmodo mordens sensum, semen ipsis prodit, contrarijs cibis, ac potibus utatur, balneis item, ac lactis potu, & fructibus, & aquæ potu, ac similibus. Transferantur etiam huc quæ ad seminis profluuium in uiris, & ad seminis in somno effusionem suprà relata sunt.

De uteri debilitate, Sorani. Cap. LXXIII.

Queadmodū aliæ corporis partes, ita etiā uterus aliquādo debilitatur. Cōsequitur ad hanc affectionē, fastidiū ueneris, flatus uētosi excernūtur, menses exuberant, & singulis mensibus bis, aut ter inordinate deferuntur, nigri & aquosi. Neq; semen uiri iniectū diutius detinetur, sed à concubitu defluit, aliquibus statim, quibusdā post aliquot dies. Quędā abortū faciunt, aliquæ nō abortientes gracilē, ac imbecillē fœtum generāt. Menstruorū uerò tēpore pectinis, lumborum, ac crurū grauitas adest, & stomachus male habet, & hinc uaporibus ad caput eleuatis aliquādo delyria succedūt, similesq́ sunt harū uexationes his, quæ ab utero strāgulantur. Quādoq; etiā uelut atra bile percitæ desipiunt, ac furore aguntur. Oritur hoc malū ex assiduo partu, ac uteri distētione, præsertim ubi fœtus insignis fuerit magnitudinis. Curatio earū faciēda est, per ea quæ firmādi, ac debiles partes corroborādi uires habēt. Insessiones itaq; adstringētes ad tactū tepidæ, & uteri elotiones conueniunt. Et rosaceum oleū tepidum, aut narcissinū, aut melinū, aut susinum, & huiusmodi, pectini ac lumbis illinātur. Et mulier per congruos motus assiduè exerceatur, & alimentis utatur paucis quidē, sed quæ cum leui quadam adstrictione carnis copiā generant. Vinum autem

autem suluũ adstringens parcissimè potet. Est enim sitis huic affectioni commoda. Omnem uerò lactis esum, & obsonia è caseo parata uitare oportet, uniuersas itẽ purgationes, atq; alui ductiones recusare.

De furore uterino, eiusdem. Cap. LXXIIII.

Furor uterinus est uteri intẽperies, ad affectionis cõsensum cerebrũ trahẽs, ad quã rabiosum delyriũ consequitur. Differt ab uteri strangulatione primũ causa. neq; eñ hic uterus sursum tractus principalẽ aliquã partẽ ad affectionis cõsensum ducit, aut cõpressione, aut morsu, aut uapore, sed eodẽ loco permanẽs: per medullã spinalẽ, aut alias sibi insertas propagines, uitiosam qualitatẽ quãcunq; tandẽ ad cerebrũ mittit. Deinde etiã signis ab uteri strãgulatione differt. Aegrotæ eñ minimè in hac sicut in illa affectione mutæ, ac sine sensu decũbunt, sed potius garrulæ, iracũdæ, ac inquietæ fiunt. Differt etiã à furore nõ per cõsensum, sed primario cerebrũ impetente. Harũ enim amẽtia tota in uenere uersatur, & nihil aliud imaginantur, aut loquũtur, q̃ de coitu, pruriẽsq; pudendũ habẽt, eiusq; attactu mirũ in modũ delectãtur. Accidit hæc affectio tẽperatura calidis, ætate uigentibus, uirginibusq;, ac castitatẽ seruãtibus, & quę optimis edulijs uescũtur, & in delicijs ac animi uoluptate uersantur, pcipue si alias libidini, ac ueneri adsuetæ fuerint. Nihil eñ aliud est hæc affectio q̃ ardor, & feruor uteri, ad cerebrũ & totũ corpus distribut⁹. Proinde q̃ suprà ad calidã uteri intẽperiẽ relata sũt utero adhibẽda, huc transferatur. Irrigationes aũt capitis, & alia auxilia furori cõgrua, Sermone sexto retulim⁹. Peculiariter aũt huc facit pastillus Trigonus, cũ ęquis portionib. crocomagmatis, ac cypheos aromatici. Facit & hydrorosati potus. Et hoc medicamẽtũ. Smyrnę, croci, spicę nardi, sing. unc. I. excipe diacodio, aut hydrorosato, & dra. II. põdus ieiunis exhibe cũ coriãdri decocto. Quòd si ob corrupti seminis redũdantiã affectio contigerit, nitrũ & cardamomũ cerato excipito, ac pudẽdis subdito. Saliuę eñ simile qđ elicitur, & affectio sedatur. Ruta uerò cũ castorio in myrteo cerato supposita, genituram siue semẽ cõtrahit, & furorẽ mitigat. Sed & diacodium aceto aut solani succo ammixto subditũ ardorẽ extinguit.

De uteri resolutione, eiusdem. Cap. LXXV.

Vterus sæpe etiã ob alias causas, sed maximè ꝑpter frequẽtes abortus resoluitur. Cõsequitur ueneris odiũ, oris uteri frigefactio, eiusdẽq; plenus, pinguis, & uelut infartus habitus, ceruicis itẽ laxitas ac stupiditas. Sæpe etiã mẽses supprimũtur, aut ægre prodeũt. In cõgressu uiri, uel nihil omnino seminis in uterũ immittitur, uel infectũ uelut ex inanimato loco stati effluit. Aliquãdo etiã urina & stercus importune prodit. Curatio aũt similis est ei quã de mẽstruorũ stillicidio diximꝰ: facit & assiduus castorij potus, & pessorũ calefacientiũ, elotionũq; ac unctionũ adhibitio.

De Vteri prolapsu, eiusdem. Cap. LXXVI.

Prolabi uterum dicimus, quum ita euertitur, ut foras promineat. Neq; enim totus à suis appẽdicibus exolutus, uelut imperiti putãt, excidit. Nã si ita procideret restitui nõ posset. Quòd autẽ procidit struthocameli ouo simile est, iuxta maioris, ac minoris differẽtiã, prout uiolẽta euersio cõtigit. Sunt autẽ prolapsus causæ multæ. Ab alto enim delapsa mulier, & in coxas delata, diruptis pelliculis, ac ligamentis, quæ uterũ continent, ac uicinis partibus cõnectunt, hoc malo corripitur. Corripitur & ob uiolentã secundæ extractionẽ, quod præcipue in abortibus cõtingit. Præterea inartificiosa fœtus extractio, aut nimia spiritus detẽtio, aut immẽsi oneris eleuatio, aut plaga, uteri prolapsum inducit. Sæpe etiã ob humoris plurimi, ac lenti defluxũ, & ob partuũ frequentiã, appendices ex quibus uterus dependet, laxãtur, ac soluuntur. Quin & ob uehemẽtes animi affectus, uelut si liberorũ amissio, aut hostium incursus nuncietur, aut ob periculosam nauigationẽ, aut eiusmodi quandã causam, mulieres toto corpore exolui solẽt, ita ut uterus simul prolabatur. Aliquãdo etiã citra ullã eiusmodi causam partes debilitãtur, ut propter pellicularũ, ac musculorũ uterũ sustinẽtiũ resolutionẽ, hęc affectio cõtingat, qđ inclinata ætate maxime fieri solet. In principio itaq; plurimus sanguis erũpit, deinde cõsequitur dolor ꝑcordiorũ, lũborũ, imi uẽtris, ac pudẽdorũ, & periculũ est ne ꝑfrigeratis locis cõuulsio inferatur. Vbi uerò tẽporis ꝑgressu affectio inualescit, & loci callosi facti fuerint, neq; conuulsionis periculũ imminet, neq; dolor infestat. Quũ ergo adhuc recẽs est affectio, conari oportet, ut uulua ipsa cõtrahatur. In principio eñ facile dirigitur, & recte locata ꝑmanet, pręcipue in uigoris ætate. Nã ætate prouectiorib. cõtrahitur qdẽ, sed ex leui occasione rursus ꝑlabitur. Si itaq; durũ stercus in recto intestino esse suspicaberis, per clysterẽ euacuabis. Similiterq; si in uesica lotiũ collectũ fuerit, ꝑ fistulã uesicę adaptatã euocabis. Cõtingit eñ plerũq;, ut illarũ superfluitatũ detẽtione, uterus inter utrũq;, rectũ inquã intestinũ, ac uesicã situs, cõprimatur ac coarctetur, & impediatur, ne repelli, & ad ꝑpriũ situ reduci possit. His aũt peractis ægrã supinã collocabimus, coxis altioribus, reflexis poplitibus, ac cruribus disparatis. Deinde, ꝑlapsam uteri partẽ oleo tepido, aut butyro, uel betæ, maluæ, althęę, fœni græci, seminis lini, aut similiũ decocto fouebimus; & lanã cõuolutã figura ac crassitudine muliebri pudẽdo correspõdentẽ accipiemꝰ, eãq; linteolo inuoluemus, & acacię, aut hypocysthidis succo uino diluto intingemus, ac utero apponemus, & citra uiolẽtiã totum quod prolapsum est reprimemus, donec tota moles intra sinũ recipiatur. Postea lanã in pudendũ subdemus, & aliũ lanę hapsum uino adstringente imbutũ supponemus, atq; totũ pectinẽ spõgijs ex posca expressis integemus, & mulierem reclinabimus crura extẽsa, ac coaptata habentẽ, ita ut alterũ alteri incumbat. Tutius tamẽ fuerit ꝑ fasciã ad genua usq; cõstringere. Aliqui uterũ recens prolapsum cucurbitæ domesticæ, ac betæ decocto, cum urina graueolẽti, aut acri aceto, aut re aliqua fœtida proluunt. At uerò si prolapsus uterus tẽporis progressu intumuerit, plurimoq; humore refertus fuerit, ut præ tumore reduci nõ possit, betarũ decocto ipsum rigamus, deinde acetũ affundimus, & salẽ tenuissimũ inspergimus, & postea sedato tumore, eodẽ decocto ꝑfusũ retrudimus. Deinde cucurbitas umbilico, & utriq; lateri cum plurima flamma affigimus, & odorata assiduè naribus admouemus. Tertia uerò die lana adhuc intra pudendi sinum existente, mulier in uino nigro austero aliquatenus tepefacto, aut in myrti, lentisci, rubi, ac malicorij decocto insideat. Et post insessionem rursus supina coxis altioribus locetur, & sublata ex pudendo priore lana, alia rursus eodem

Eadẽ penè ortã ex Paulo

dem medicamento imbuta subdatur. Cataplasmata uerò forinsecus imponãtur ad imũ uentrem, ex palmulis, polenta, lẽticula, ac malicorio, cũ aceto mulso. Atq; hæc rursus tertia die fiãt, usq; ad perfectã curationem. Porrò uteri crebrò prolabẽtes posca abluantur, in eademq; mulier diutius insideat. Deinde omnia relata fiant. Sæpe uerò ob locorũ sensus subtilitatẽ, reiecto aceto terram nigrã quã in lentibus reperimus aqua diluimus, & ex ea partẽ affectam plurimum fouemus, ac postea eadẽ medendi forma utimur. At uerò si uterus ob humorũ lentorem difficulter repellitur, uini fecem ustam, aut nitrũ lixiuio permixtum obluimus, & cũ decocto aliquo adstringente, aut cum prædicta terra aqua diluta fouemus. Deinde plumbi cremorem oleo myrteo, aut melino ammixto, parti prolapsæ illinemus, ac in sinum pudendi retrudemus. Loci insuper interni, ægra undiquaq; circumtecta rebus fœtidis suffiãtur. Naribus autẽ odoratissima quæq; admoueantur. Et cibi boni succi, & uina odorata tenuia offerãtur. Ferũt torpedinis coriũ recẽs detractũ, parti prolapsæ obuolutũ, ipsam repellere: atq; idẽ posse pastinacæ marinæ aculeũ cũ hyoscyami succo illitũ. Illud autẽ obseruãdũ est, ne aluus nimiũ subducatur. Exoluũtur em̃ laxãturq; uicinæ partes, & uterus recidit. Si uerò pars prolapsa tẽporis ꝓgressu ꝑ negligentiã cõputruerit, & ex assidua urinæ irrigatione & adhærẽtibus sordib. exulcerata fuerit, auferatur citra ullius periculi formidinẽ. Narrãt em̃ totũ uterũ putrefactũ aliquãdo ablatũ esse, & mulierẽ nihilominus superuixisse.

De reclinatione, auersione, ac recursu uteri, Aspasiæ. Cap. LXXVII.

Suppressis mẽsibus necesse est uenas, & arterias ad uterum tendẽtes repleri. Nã sanguis usq; ad uasorum oscula accurrit quidem, uerũ intra uterum prodire non potest, aut eò quòd nimia crassitudine osculis impingitur, & grumosus fit: aut quòd ipsa oscula clausa sunt, & transitũ impediũt, ita ut uenæ humore refertæ extendãtur, & uicinos uteri appẽdices humectent, quorũ extẽsione uterus retrahitur. Si itaq; ex utraq; parte æqualis retractio fiat, reclinatio, aut reuulsio, siue recursus uteri æqualis cõtingit. Si uerò in alteram partem maior retractio fiat, alterum è uisceribus his in causa est, splen uidelicet aut hepar, quorũ uenæ superfluo sanguine extentæ à suis partibus uterũ retrahunt, hepaticæ uenæ è dextris, splenicæ è sinistris, prout alteræ magis fuerint repletæ. In utram uerò partẽ uterus declinauerit, digitorum admotione, & signis insequẽtibus cognoscemus. Si enim in obliquum declinauerit, propinqui femoris distentio, dolor, perfrigeratio, impedimentũ, & torpor indicio erit. Aliquando uerò etiã eiusdem arefactio, & ad innitendum, ac ambulandũ impotentia consequitur. Si uerò retro, aut infrà inclinat, torpor ac difficilis utriusq; cruris motus sequitur, sæpe etiã motus penitus intercipitur, & ingens uexat dolor. Aluus etiã supprimitur, neq; clysterem admittit, nisi genibus innitatur ægra. Flatus item retinentur, & dolores inter sedendũ acuuntur, præsertim si uersus anum reclinatio contigerit. At si ad pubem uergit, imus uenter, ac pecten extẽditur, & dolores ibidem percipiuntur, aliquando etiam urina supprimitur. Quomodocunq; igitur uterus retractus, ac inclinatus fuerit, eodẽ modo uelut inflãmationes in exacerbationibus curare oportet. In remissionibus autem & declinationibus, magis emollientibus utendũ est. Perseuerante uerò affectione, his quæ ex alto attrahere, & corporis habitum mutare possunt. At uerò auersionem uersus anum ita curabimus. Primũ obstetrici imperabimus, ut digito in anum immisso uterum propellat. Deinde glãdem ano subdat quatuor digitorũ longitudine, ex galbano & cera paratam, cuius extremitati filum extractionis gratia sit annexum. Aut castoriũ aqua dilutum, & lana exceptum similiter subdatur. Aut bitumen aridum, aut pix liquida. Postridie uerò irinũ, aut susinũ oleum tepidum, in uterum & intestina infundatur. Et loci aromatum, aut marrubíj, aut conyzæ decocto foueantur, & ex eodẽ uterus eluatur. Postea ceratũ rosaceum adhibeatur. Si uerò in obliquũ retractio inclinat, primũ eadem fomenta adhibeantur. Deinde obstetrix specillo cum digito subimmisso, uteri collũ dirigat. Ægra uerò in cõtrarium parti affectæ latus, aut supina decumbat. Pessis insuper molliẽtibus aperiẽtibusq; utemur, & ex prædictis oleis aliquod infundemus, & pectini lanã uino, & rosaceo imbutam, aut succum seminis lini cerato exceptum imponemus. Et castorium cum aniso, aut cumino, aut nigella, aut pæoniæ radice, aut smyrníj, aut dauci semine, aut aristolochia, aut gentiana, aut helenio, ex aceto mulso propinabimus. Eadem etiã ad repentinos uteri dolores faciunt, nõ singula solũ per se, sed etiã simul coniũcta. Mulier autẽ accliui capite decũbat, & si cõpositus rectè uterus rursus retrahatur, fœtida statim naribus admoueantur, & sternutationes prouocentur. Et si urina supprimatur, fistula uesicæ ad hoc destinata proliciatur. Et si ab his exacerbatio fuerit exoluta, quiescendum est. Cæterum pro afflictionis magnitudine, si ægram adolescẽtem & sanguineam nacti fuerimus, considerabimus an cubiti uena sit secanda. Deinde menses prouocantia propinabimus, & pessis mitioribus utemur.

De uteri inflatione. Cap. LXXVIII.

Vterus aliquando ex partu perfrigeratus flatu impletur, osculo ipsius concluso, aut grumo sanguinis in ipso impacto. Flatus autẽ ipse quandoq; in uteri cauitate cõcluditur, quandoq; in corporis ipsius uteri angustíjs cõtinetur. Cõsequitur pectinis, ac imi uentris tumor, uelut in hydrope tympanite, cum dolore pungitiuo, perpungẽte usq; ad septum transuersum, & stomachum, & nihilominus utrinq; in lateribus extento, & sæpe ad alterũ, sępe ad utrunq; inguen se extẽdente. Vmbilicum item lumbosq;, ac pectinem idem infestat, & caput quoq; per consensum afficit. Quandoq; uerò flatus per muliebre pudendũ erumpit, ut ægre id percipiãt. Si itaq; flatus in uteri cauitate fuerit conclusus, strepitus, ac sonitus quidam in corporis flexu auditur, qualis in intestinis cõtingit, quæ torminibus uexantur: & ad digitorũ pulsationem sonus tympani redditur. Si uerò intra uteri angustias cõtinetur, dolores uehementiores, ac curatu difficiliores infestant. Huiusmodi autẽ affectiones fame, ac olei dulcis calidi irrigatione, in quo ruta & anethũ decocta sũt, curãtur. Et nisi ætas, regio, & anni tẽpus obstiterint, uena secetur. Insessionesq; in rutę, pulegíj, calaminthes, marrubíj, thymi, artemisiæ, altheæ, ac caricarũ decoctis fiant. Et corpus per hierã Rufi, & Archigenis ex colocynthide euacuetur.

In exacer

In exacerbationibus autem uulua his colluatur, quę laxandi, ac flatus discutiendi uires habet, quale est oleum gleucinũ, & pessus eiusdem facultatis plurimo oleo dilutus, & per uteri fusoriũ clysterem immissus. Cataplasmata etiã leuia ex caricis, hyssopo, ruta, ac nitro imponantur. At uerò si flatus ob impactos grumos fuerit cõclusus, postquã ægra in aliqua ex relatis insessionibus diutius cõsedit, obstetrix digitũ illitum in pudendi sinum immittat, & grumũ sensim dissoluat, ac educat. Perseuerãte uerò inflatione, in exacerbatione efficaciora adhibeantur, interpositoq; temporis spatio, illitionibus calidioribus, crurumq;, ac affectorũ locorum frictionibus utemur. Et lumbis ac pectini dropacem adhibebimus. Aut rubefactoriũ è sinapi & caricis. Aut farinã ordeaceam cum caricis, ruta, hyssopo, & melle coctã. Aut epithema ex seminibus, aut ex baccis lauri. Aut polyarchiũ cerato cyprino exceptũ. Aut postea etiam per se solum. Pessi quoq; eiusdem facultatis subdãtur, ex terebinthina, galbano, iride, ruta, & œsypo. Et qui ex pulegij, nitri, mellis, fellis taurini, æquis portionibus paratur. Maxime autẽ cõuenit hic. Caricarum pinguiũ probè cõtusarum, ut granula non percipiãtur, drachmã unam, cumini drachm. duas, spumæ nitri albę drachmam unam. Verum ad acrimoniam obtundendã, pessum hunc in lac prius immergere oportet. Cucurbitę quoq; affigãtur, & uiolenter detrahantur. Aliquãdo etiam scarificatio fiat. Vtendumq; est omnibus quæ ex alto materiam attrahere possunt, & balnearũ naturalium aquis primum calidis, deinde frigidis ut corpus ad tolerandã frigiditatẽ sensim alliciatur, & affectæ partes paulatim firmẽtur. Alimẽta quoq; attenuãtia, ac flatus discutientia exhibeãtur. Et medicamẽtũ diospoliticũ, ac ex calamintha cõstans aliquãdo exhibeatur. At uerò auxilia amplius medicata, & aromatũ suffitꝰ, tãquã capiti noxios reprobamus. Sed & epithemata adstringẽtia, qualia sũt quę ex palmulis, ac malis cotoneis parãtur, & similia, ad hãc affectionẽ inepta sũt.

De uteri hydrope. Cap. LXXIX.

Quum menses longo tempore fuerint suppressi, & impregnatio impedita, sæpe humoris copia in uterum confluit, & aliquãdo corpuscula quædã uesicæ fellis similima in ipso generãtur, in quibus humor colligitur. Sequitur affectionem hanc, tumor circa imũ uentrem amplus, laxus, flatuosus, & murmura uelut in intestinis, in ambulando grauitas, & spirandi difficultas, alui recremẽta graueolẽtia sunt, & mẽses ac cõceptus impediuntur, & quæ prodeũt nullo ordine seruato deferũtur. Vbi uerò uiolẽter excernuntur, ruptis aliquãdo paruis illis corpusculis, quæ uesicis similia diximus, uiscosa quędã, ac aquosa erumpunt. In quibus itaq; humorẽ in utero collectum ex proprijs signis cognoueris, decubitu quieto, mox uomitu, ac ualidis elotionibus utẽdum est. Proinde corticis radicis tithymalli myrtei sicci dra. II. per se, uel cũ radicis panacææ obolo propinabis. Et in uterum infundes quę mucosos humores attrahũt, qualia sunt, grani cnidij grana decem, cum oleo irino & modico melle. Aut ueratri nigri drach. II. cum irino aut cyprino, aut narcissino oleo, cum modico melle per uteri fusoriũ clysterem infundito. Verũ ante has elotiones, cardamomũ cũ sale, aceto mulso, thymo, pulegio, calamintha, aut simili quopiã bibendũ dabimus. Deinde humorum copia per aluum excreta, prædictæ elotiones infundantur. Aut pessi eiusdem facultatis subdãtur. Et postea sinus pudẽdi aqua marina proluatur, primũ sola, deinde addito aceto, & aliquo ex prædictis in ipsa cocto. Elotione peracta, ac locis probè detersis, pudẽdo ac femoribus oleum cyprinum illinatur. Medicamẽta uerò ijsdem cõuenientia hæc sunt. Pulegij drachmã unã, cum modico pipere. Aut gentianę uel origani drachmas duas, cum semine dauci, uel smyrnij, cum uino mulso, aut aqua mulsa in potu dentur. Salis præterea cõmunis loco alimentis inspergatur hoc. Hyssopi trientẽ, pulegij quadrantem, origani, cumini, singulorũ sextantem, seminis ammij, spicę nardi, singulorũ unc. unã, salis tosti quadrantẽ. Trita misce, ac utere. Sed & pudendi sinus resina, myrrha, & amomo suffiatur. Pessis autẽ huiusmodi utendũ est. Nitri, colocynthidis, singulorũ quadrãtem. Melle excipe, & pessum inde paratũ oleo cyprino tinctum subde. Alius. Cumini & nitri ęquales portiones melle excipe. Potest & uiolæ albæ semen addi. Alius. Colocynthidis quadrantẽ, salis unc. I. pinguiũ caricarũ carne excipe, ut sit iuglãdis magnitudo, & inde pessum paratũ subde. Humorẽ enim fœtidum attrahit, ac mirifice prodest. Idem sedi inditus, stercoris & humorũ, ac flatuum copiã elicit, & uterum leuat. Alius. Comæ absinthij, ammoniaci thymiamatis, singulorũ dra. I. æris usti, nitri, singulorũ drac. III. melle excepta subdito. Hoc autẽ placidissimè & citra omnẽ dolorem attrahit. Cicutæ semen, aristolochiã, cuminũ, salem, carne caricarũ excipe & subde. Cæterũ ad aquæ receptacula, eas uidelicet uesicas quas in utero generari diximus, fomẽtis utemur ex aromatibus, quę mẽses eliciũt, & pessis sanguinẽ trahẽtibus. Ex quorum numero hic est. Cneori, quod est grani cnidij radix, aut illo nõ præsente, chameleæ, elaterij, casiæ, singul. dra. IIII. aluminis scissi, misyos, sãdarachę, myrrhę, costi, croci, singulorũ drac. III. melle excipito, atq; aluo pridie euacuata per clysterẽ, pessum inde paratũ subdito, integramq; diẽ, ac noctem sinito. Et si semel parum eduxerit, rursus subdito. Si uerò mordacitatem induxerit, cẽtaurij decocto tepido sinus pudẽdi foueatur, ac eluatur. Et mitigãdi gratia pessus mollitorius subdatur. Aut cicutæ semẽ cũ aristolochia, cumino, sale, ac caricis, uelut paulò antè diximus subijciatur. Mitissimũ uerò omniũ ad huiusmodi pelliceas & aqua refertas uesicas, est mercurialis masculę semẽ, cũ modica myrrha, sale, ac melle, lana exceptũ, & multis diebus subditũ. Post harũ autẽ eductionẽ, exercitijs, sudoris ꝓuocatione, & ualidis totius corporis, & pręcipuè imi uẽtris frictionibus utẽdũ est.

De mola uteri. Cap. LXXX.

Quæ mola appellatur, tumor est uteri induratus, aliquãdo prægressa inflãmatione succedẽs, aliquando post locale ulcus, cui caro superexcreuit. A` motus autem difficultate & grauitate, molæ nomẽ accepit. Cõsequitur hũc tumorẽ, detractio partiũ superincũbentiũ, gracilitas, coloris uitiatio, & appetitus prostratus. Et primũ sanè cõceptus suspitionẽ de se præbet. Nã & menses supprimuntur, & mãmæ intumescunt, & stomachus subuertitur, & lumbi grauãtur, uẽterq; attollitur, uerũ tẽporis ꝓgressu discernitur. Molã eñ dolor pũctionis sensũ inferẽs subsequitur: Nec in ea motus ullus, uelut in utero conceptu percipitur

cipitur. Quin & postea toto corpore imminuto, ac uentre ampliato, hydropis imaginē prae se fert. Discernitur tamen ab illo per tumoris duritiā, & quòd tumor hic ad digitorum appresionē, ac pulsationē non cedit, necq; tympani sonū, uelut in hydrope edit. Et quòd necq; ad manus contactum ulla fluctuatio percipitur. Aliquando tamen temporis progressu hepar perfrigeratur, & hydrops superuenit. Quidā uerò tradunt in quibusdam mulieribus caruunculas ad iuglandis nucis magnitudinē per pudendum excretas esse, aliquando singulis mensibus, aliquando bimestres, aut trimestres. Hanc affectionem alĳ uelut incurabilem penitus reliquerunt. Alĳ incipientem tantū curari posse confidunt, negligenda tamen non est, sed omnia quę cōuenire uidebuntur, facienda. Cataplasmata igitur laxandi uiribus prædita, fomenta, elotiones mitigatorias, pessos mollitorios, ad duritias infrà descriptos, insessiones eiusdē facultatis, & cerata ex althea & oleo cyprino parata adhibebimus. Et malagma ex succis, & quod Mnaseæ inscribitur imponemus. Deinde cucurbitas cū scarificatione apponemus, & alimenta boni succi offeremus. Atq; hæc quidē in ipsis exacerbationibus adhibere oportet. In interuallis autem corpus reficiendum est per ea quæ id præstant, gestationē uidelicet, deambulationē, balnea, & cibos conuenientes, ac uini potum. Partibus item affectis dropaces adhibebimus, & nitro ac sale inspersis easdē insolabimus. Et per medicamentū ex sinapi, ac caricis rubificabimus. Epithematis insuper mollitorĳs ex seminibus, ex baccis lauri, & polyarchio, ac similibus utemur. Suffitum etiā uaporis aquæ marinæ, aut muriæ adhibebimus, aut decocti foliorum, ac baccarū lauri, pulegĳ, thymi, hyssopi, saluiæ, marrubĳ, artemisiæ, centaureæ, dictamni, scordĳ, polĳ. olla autem operculo perforato arūdine inserta sellę supponatur, atq; inde per arundinem uapor intra pudēdum recipiatur. Pessi item subdātur ex œsypo, butyro, adipe anserino, medulla, aut cerebro ceruino, melle, caricis pinguibus, uuis passis, cum oleo antiquo cyprino, irino, sampsuchino, amaracino, susino. Perseuerante uerò malo, acrium eduliorum esus assumatur, & innatationes aquarum calidarum, & aquæ marinæ. Et ab acceptis raphanis uomendū. Pessos tamē & insessiones acriores uitare oportet, ne loci ex assiduo eorum usu exulcerentur. His autem transactis, sæpe plurima atri ac grumosi sanguinis copia repente excernitur, & affectio dissoluitur. Philosophus uerò detentis inquit uxoris amici cuiusdā mensibus, arbitrabar primū ipsam concepisse. Postea aucto amplius tumore, hydropē suspectū habui, quia totū corpus, ac pedes tumescere uidebā. At ubi tandē id affectionis genus esse deprædhēdi, quod alĳ laterem, alĳ molā uocāt, rutā & anethū in uino ueteri fuluo odorato coxi, & abiectis herbis, uinū calidū bibendū dedi, & ferme aquæ loco exhibui, statimq; mulier excreta sanguinis copia salutem adepta est.

De tumore uteri laxo, Sorani. Cap. LXXXI.

Vteri tumor laxus pallidus, ac albus est, ad tactū mollis, & digitorū cōpresioni cedēs, secq; rursus paulatim attollēs, & cutis uētris manu appræhēsa facilè attrahitur. Loci itaq; oleo cōmuni calido, aut irino, aut cyprino rigētur, & pessi subdātur, ac reliqua auxilia adhibeātur, quę suprà de uteri inflatione retulimus.

De Satyriasi, eiusdem. Cap. LXXXII.

Mulieribus quoq; satyriasis & tētigo accidit, qualē uiris fieri suprà retulimus. Cōsequitur ad hanc ingens pudēdorū pruritus cū dolore, ita ut mulier locis assiduè manus admoueat. Atq; ideo intolerabili ueneris desiderio cōtabescit, & salsi humoris effluentis acrimoniā, ac mordacitatē pcipit. Et loci utero uicini inflāmātur. Illud uerò ardēs coēundi desideriū sęuiorē reddit affectionē. Quum enim partes affectæ distētæ sint, & semē excerni nō posit, quoniā meatus per inflāmationem obturātur: maior materię copia frustra ad locū attrahitur. Statim igitur à principio uena ipsis secāda est, & alimentū cōtrahendum: Et pubi, ac lumbis illinēda quæ leniter refrigerāt, ac cōtrahūt. Caput aceto & rosaceo irrigetur. Et in potu aqua tepida exhibeatur. Cibi uerò sint sorbiles, omnis prorsus flatus, ac uenereæ cōcitationis exortes. Duobus uerò à uenę sectione diebus, cucurbitæ cū scarificatione affigātur. Reliqua uerò curatio eadē sit cū ea quā ad inflāmationē uteri mox referem⁹.

De uteri inflāmatione, Philumeni. Cap. LXXXIII.

Vteri inflāmatio ob multas causas cōtingit. Nā & ex plaga, & mensiū suppresione, & abortu, ulceratione, nimio coitu, sellę durioris insessu, longa ac intenta ambulatione, frigiditateq;, ac flatuositate oboritur. Indicāt hanc muliebriū locorū, pubis, imi uentris, ac lumborū dolores ardentes. Et si digitus in os uteri submittatur, occurrit ad contactum durū, clausum, feruēs, ac retractum, præsertim si in ipso, aut in collo fuerit inflāmatio. Nā ubi cauitas, aut fundū uteri inflāmatur, imi uētris dolor ostendit, ut ne cōtactū quidē foris admittat. Et plerunq; uterus ad inflāmatū locū retrahitur, atq; hāc ob causam os, & collū eius auertitur. Differt autē ab ea quā suprà uteri retractionē appellauimus, quia in inflāmatione febris est acuta, & ardor intensus. Si uerò posterior ipsius pars inflāmata fuerit, dolor circa spinā magis hæret, & cōpresso intestino recto stercora detinētur. Anteriore autē parte inflāmata, urinæ difficultas, aut stillicidium cōsequitur ex cōpressa uesica, præsertim si dolor pectinē affligit. At ubi obliquos laterū locos inflāmatio occuparit, inguina distēduntur, & crura grauātur, ac ęgre mouētur. Inualescēte uerò inflāmatione, febres accedunt, dolor capitis, stomachi afflictio per cōsensum, imi uētris tumor, ardor, distēsio, grauitas coxarū, lumborum, præcordiorum, inguinum, femorū, horrores discurrētes, ac pungentes, pedum torpor, genuū perfrigeratio, extremarū partiū exudatio, pulsus parui, ac densi, animi deliquiū, exolutio. In augmento uerò etiam singultus dolor tendinis, colli, maxillarū, sincipitis, oculorū præsertim in fundo. Vrinaq;, ac stercorum recrementa supprimuntur. Et inflāmatione adhuc magis aucta, febres augescunt, delyrant, dentibus frendunt. In principio itaq; curationē aggresi, ægrotam in domicilio obscuro, & moderate tepido collocabimus, quietem imperātes, & omni crurum motu interdicentes. Deinde artus manuum contrectatione demulcebimus, & pedum, ac manuū iūcturas fouebimus, irrigabimusq;, ac lana pura integemus. Aluum autem eluemus, & molli infuso euacuabimus. In potum uerò & ad oris collutionē, aquam calidā, & ptisanæ succum dabimus. At si uehementior inflāmatio fuerit, & necq; ętas, necq; habitus, necq; anni tēpus obstiterit,

necq;

neq; inflammatio post abortũ, aut nimiam sanguinis euacuationẽ superuenit. Cubiti uena secetur, & sanguis pro uiriũ ratione detrahatur, licet&q; in secunda die uenam incidere, in tertia uerò detractionẽ repetere. Deinde alica ex aqua mulsa, aut pane loto, aut ouo sorbili, ægra alternis alatur, omnibus his moderatè exhibitis, feruẽte inflãmatione lana succida uino & oleo, aut aceto & rosaceo imbuta, imo uẽtri, ac pubi imponatur. Aut palmulæ uino coctę. Aut mala cydonia in posca cocta, cerato melino, aut rosaceo ammixta. Cataplasma uerò imponatur sic paratũ. Melilotũ in passo coquito, ac terito, & uitellos ouorum assatorũ addito, & cum rosaceo, aut melino, aut crocino imponito. Aut palmulas uino diluto feruefactas, cum polentæ farina, & aliquo ex prædictis ungentis terito, ac imponito. Cæterũ ad inflãmationes erysipelatas igneo ardore cognobiles, utendũ est cataplasmatis ex polenta, & intubo, perdicio, umbilico ueneris, sedo, polygono, pampinis uitis, portulaca, plantagine, & similibus præparatis. Et lana aliquo harũ herbarũ succo, cũ rosaceo, aut melino oleo imbuta, in pudẽdũ subdatur. Quòd si cataplasmatũ onus loci nõ tolerent, aqua rosaceo ammixto ex modicis interuallis affundatur. In exacerbationis declinatione totũ corpus inungatur, & ægra in aqua tepida usq; ad lumbos insidere iubeatur. Deinde pesi subdãtur ex aliquo ungẽto leniter adstringẽte parati, rosaceo uidelicet, melino, lẽtiscino, ac œnanthino, adiectis ouorũ uitellis crudis siue assatis, & croco. Potest & ex prędictis succis aliquis ammisceri. Caput præterea rosaceo cũ modico aceto irrigetur. Mitigata uerò inflãmatione, mulier in aqua oleo ammixto insideat, & pessos ex narcissino, aut susino ungento paratos subdat. Et lanã oleo calido imbutã pectini, ac lũbis adhibeat. Interdum & cucurbitæ lumbis affigantur, & tumore magno existente, etiã scarificatio fiat. Postquam autẽ inflammatio declinare incœperit, ad ea deueniemus quæ laxare, ac discutere possunt. Proinde in fœni græci, altheę, seminis lini, interdum etiã pulegij, marrubij, saluiæ, artemisię decoctis, ægra insideat. Et ad imum uentrẽ, ac pubem, farinã ordeaceã cum fœno græco & lini semine, in aqua mulsa coctã, imponat. Aut caricarũ decoctũ adhibeat. Quæ uerò cataplasmatum grauitatem, ac calorẽ ferre nõ possunt, in aqua tepida insideant, & rosaceo locos illinant, ac pessos subdant moderatè refrigerãtes, ex adipe gallinaceo, rosaceo, ac uino præparatos. At his quæ calorẽ ferunt, ceratum nardinũ adhibeatur, & infusiones inijciantur, ac pesi subdantur, ex œsypo, butyro, medulla ceruina, adipe anserino, ungento susino, & cera tyrrhenica. ubi uerò curatio processerit, tenuis uictus & ciborũ parsimonia tollatur, & manifesta iã facta declinatione, balneũ ac uinũ concedi possunt, & cibi reficiẽtes exhiberi, malagmataq; adhiberi, uelut est quod ex meliloto paratur, & quod ad Mnaseam, & quod ad Serapionẽ refertur. Pesi porrò ad sedãdos inflãmationũ dolores uteri, tales sunt. Fœnũ græcũ madefacito, & prima ac secũda aqua diffusa, cũ tertia pura, ac dulci coquito, ac excolato, & ad decoctũ adipẽ anserinũ, uel gallinaceũ recẽtem addito, & ad prunas liquari sinito. Et ubi frigefacta fuerint, cõcretũ adipẽ tollito, ac seruato, atq; usus tẽpore spathula in manu subactũ pesso excipito, ac subdito. Alius dolores sedãns. Papaueris capita passo coquito, & flaccida facta exprimito, & ad decoctũ excolatum medullã ceruinam liquatã ammisceto, ac utitor: si ceruina medulla defuerit, uitulinã accipito. Alius. Fœni græci aridi triti, ac cribrati drach. IIII. in passo cretico, aut sapa coquito. Et terebinthinæ, adipis anseris, singul. drac. IIII. rosacei sesquiũciã accipito, & omnia simul liquefacito, & fœni gręci decocto ammixta pesso excipito, ac subdẽda dato. Alius pessus soporifer, dolorẽ mitigãs, & oẽm duritiã molliens. Tria papaueris capita magnitudine mediocria in quatuor pasi cyathis ꝑ biduũ macerato. Deinde coquito, donec capita flaccescãt, & passum ad tertias redigatur, postea expresis & reiectis capitibus passũ excolato, & galbani, myrrhæ troglodyticæ, thuris, opij, singul. sesquidrachmã, casiæ drach. III. accipito, & singula seorsim primũ, deinde simul probè terito, & capitulorũ papaueris decoctũ paulatim adstillato, donec omnia ad mellis cõpagẽ redigãtur. Tum œsypi, medullæ ceruinæ, adipis anserini, singul. dra. IIII. oĩa simul colliquata ammisceto, ac adseruato. Vsus autẽ tempore medicamẽtũ hoc rosaceo dilutũ pesso excipe, ac subde. Oẽm eñ dolorẽ & uehementes inflãmationes statim mitigat, uteri strãgulationi medetur, duritias mollit, & somnũ conciliat. Alius pessus somnũ inducẽs, ualẽs ad inflãmationes. Musci quẽ etiã hypnõ dicũt, in aqua feruefacti, expresi ac triti, panis aqua mulsa macerati, ac cõtusi, emplastri basilici, emplastri ex succis, ungenti nardini, adipis gallinacei, ęquales partes liquefacito, ac utitor. Facit ad urinariũ meatũ ac uterũ inflãmatũ, & ad uteri declinationes. Ego uerò pro pane fermentũ purisimũ nõ omnino acidũ sine sale, in aqua mulsa macero, ac utor. Pessus aureus appellatus. Ad inflãmationes & uteri retractiões siue declinationes. Ouorũ assatorũ uitellos sex, medullæ ceruinæ dra. IIII. croci dra. II. œsypi dra. II. cerę albę, terebinthinę, adipis anserini, sing. dra. I. Crocũ cum modico uino dulci terito, & oua trita adijcito, & liquabilia liquefacta ammisceto ac adseruato. Vsus autẽ tempore medicamentum oleo nardino dilutũ pesso excipito, ac subdito. Alius pessus. Ceræ tyrrhenicæ drach. XXIIII. adipis anserini, porcini, terebinthinæ, singulorum dra. sex, decocti capitũ papaueris dra. quatuor, rosacei quantũ satis est, aut irini, si calfactione ac discusione opus est. Alius. Adipis anserini trientẽ, cerati rosacei aut susini sextantẽ, uitellorum ouorũ assatorũ, croci, singulorũ unc. I. myrrhæ drach. IIII. opij obolos duos, aut pro opio, capitũ papaueris decoctum. Alius. Ceræ tyrrhenicæ, medullæ ceruinæ, singulorũ drach. C. adipis anserini, terebinthinæ, singul. trientẽ, croci obolos quatuor, opij obolos duos, oui assati uitellũ unum, olei susini, aut telini ex fœno græco parati, quantũ satis est. Pessus Enneapharmacus appellatus, ad inflãmationes. Adipẽ anserinũ, & bubulum, cerã albã, terebinthinam, butyrũ, medullam ceruinã, mel, oleũ rosaceum, & cicinũ. Omnia recentia æquis portionibus liquefacito. Pessus ad feruentiores inflãmationes. Emplastrũ ex succis cũ rosaceo liquatũ succo plãtaginis ammisceto, & pessum formato. Si uerò plãtago defuerit, senecionis aut intubi succũ accipito. At si plurimũ excãduerit, & ad erysipelatis naturã tẽderit inflãmatio, solani folia tenera cũ lacte mulieris trita supponito. Alius pessus ad inflamma

inflammationes. Lilij flores tritos cerato rosaceo liquido excipito, & medullã ceruinã, ac adipem anserinum adijcito. Alius. Ex semine lini, fœno graeco & althea, succũ crassissimũ parato, & crocũ illi ammisceto. Deinde adipem anserinũ liquefactũ addito, unito, ac utitor. Cæterũ butyrũ, medullã, & adipẽ, omnia recẽtia ad pessos deligenda sunt. Antiqua enim dum liquãtur nidorosa fiunt, ac calidiora euadũt, & inflãmationes exacuunt. At uerò nec in distentionibus, neq; in inflãmationibus uteri, mẽses prouocãdi sunt. Loci enim magis distendũtur, & quũ ob inflãmationẽ cõclusi sint, sanguinis transitũ impediunt. Quin & tetrapharmacũ ad uteri inflãmationes commodè subditur, aut infunditur rosaceo dilutũ. At si inflãmationi ulcus cõiunctũ fuerit, ceratũ rosaceum ex cera alba cũ tertia adipis anserini parte pparatũ, albumine oui quãtũ ei9 capere potest ammixto, infundito. Sedata demũ inflãmatiõe, mẽses puocẽtur.

De utero in scirrhi tumorem indurato, Sorani.

Cap. LXXXIIII.

Induratur uterus aliquãdo derepẽte nullo præindicio facto, plerũq; uerò inflãmatione pręgressa, quę neq; soluta est, neq; in abscessum trãsmutata. Est aũt huius indurationis in scirrhi tumorẽ species, ea duritia quę in uteri ceruice ut plurimũ consistit, & tumorẽ quidem similiter habet, sed minus renitentẽ, & cũ moderato dolore. At uerò ubi in scirrhũ induratus tumor uteri fundum occupat, tumor uehemens, & tactui renitẽs occurrit, cũ grauitate, ac ægro motu, nõ solum crurũ, sed totius corporis: & segnicies ad omnes uitæ functiones. Quòd si nõ recto ductu tractentur, cõsequitur uitiatus corporis habitus, decolor, & ad similitudinẽ hydropis. Duritiæ itaq; circa os & collũ uteri cõsistentes facile curãtur, circa fundum uerò difficulter. In principio itaq; si nihil obstiterit, neq; ætas, aut uires prohibuerint, sanguinis mediocrẽ copiã à cubiti uena secta detrahemus: aut per Hierã Archigenis purgabimus. Insessionibusq; utemur ex fœni græci, seminis lini, pulegij, artemisię, foliorũ sambuci, radicis & foliorũ cucumeris syluestris, decoctis. Et aromatum uapore fomẽta faciemus. Et uterũ oleo susino, narcissino, irino, gleucino, adipe anserino, gallinaceo, suillo recenti, aliquo ungento ammixto. Itẽ lacte bubulo, aut caprino cũ adipe anserino colluemus. Cataplasma quoq; imo uentri apponemus, è caricis, hyssopo, nitro, & absinthio. Et cucurbitas cũ scarificatione affigemus. Malagmate item polyarchio utemur, & eo quod è seminibus cõstat, & quod ex baccis lauri paratur, de quibus paulò pòst agemus. Pessi uerò mitigatorij & aperientes subdãtur. Facit & is quẽ infrà ad uteri condylomata describemus, è lycio, ac œsypo paratus, & quẽ suprà retulimus è tribus papaueris capitibus cõstans. Cui similis est hic. Duo papaueris capita passo per triduũ macerato, deinde ad tertias coquito, & expressis capitibus, ad decoctũ excolatum adijcito, galbani drac. I. casiæ, succi mãdragoræ, singul. drac. tres, myrrhæ, thuris, singul. drac. I. Et postea medullæ ceruinæ, œsypi, adipis anserini, sing. simul liquefactorũ dra. III. ammisceto, ac in plũbeo uase seruato. Vsu uerò postulãte ex hoc medicamento oliuæ magnitudinẽ rosaceo diluito, & bis aut ter quotidie tepidũ subdito. Bene facit & tetrapharmacũ, heptapharmacũ, enneapharmacum, emplastrũ Azanitæ, & emplastrum ex succis. Omnia oleo susino, aut cyprino diluta. Pessus Libanus appellat9 mollitorius. Ceræ albæ quadrantẽ, olei nardini, gleucini, susini, medullæ ceruinæ, adipis anserini, singulorũ sextantem, œsypi, butyri, nitri, singulorum drach. IIII. Aliqui oui assati uitellum addũt. Alius pessus Titianus uocatus. Ceræ sexuncem, colophoniæ sesquiunciã, adipis taurini trientẽ, picis, terebinthinæ, singul. quadrãtẽ, medullæ ceruinæ, ammoniaci thymiamatis, singul. unc. I. Ammoniacũ aqua dissoluatur. Alius pessus mollitorius. Ceræ albæ, ungẽti nardini, singul. quadrantẽ, olei irini, gleucini, cyprini, adipis ursi, pinguedinis porci, singulorũ sextãtem, butyri, medullæ ceruinæ, œsypi, terebinthinæ, singul. trientem. Alius pessus ad duritias. Ceræ albæ, terebinthinæ, medullæ ceruinæ, adipis gallinacei, anserini, butyri, ungenti nardini, susini, myrrhę, æquales portiones excipe melle, ac utere. Si susinum oleũ siue ungentum nõ fuerit ad manũ, telinum pro ipso succedat. Pessus aureus uocatus, mollitorius. Ceræ trientem, medullæ ceruinæ, adipis anserini, singulorũ unciam unã, œsypi drac. IIII. croci drac. I. myrrhæ, galbani, singulorum drac. I. olei susini quantũ satis est. Alius, ad omnes diuturnas uteri affectiones. Myrrhæ drach. I. bdellij drac. II. spicæ nardi, croci, singul. drac. III. casiæ, ladani, singul. drac. II. meliloti drach. VIII. carnium palmularũ decem, uini dulcis cyathũ, olei susini, rosacei, cyprini, singulorũ trientẽ. Aridis cum uino dulci tritis olea ammisceto, & molli igne coctis utitor. Ad imum uerò uentrẽ epithemata uelut diximus imponãtur, polyarchium, è seminibus, ex baccis lauri, ex meliloto. Bene facit ad duritias, ac uteri inflationes & hoc. Resinæ pinus lib. III. ceræ unc. XX. apochymatis, fermẽti acidi, singulorum lib. I. galbani quadrantẽ, ammoniaci thymiamatis, opopanacis, singul. sextãtem, muriæ acerrimæ quãtum satis est. Opopanacẽ & ammoniacum in muria coquito, & fermentũ adijcito, ac aliquatenus dissoluito. Deinde liquabilia liquata ammisceto, & spathula donec frigefiãt agitato. Et in mortariũ translata probè subigito ac utitor. Aliud Epithema è miscis panis, laxãdi ac diffundendi uim habens, faciens ad omnes duritias quocunq; loco fuerint, & inflammationes duriores discutiens. Radicis altheæ, carniũ palmularũ quæ Nicolai appellantur, singul. libr. II. fœni græci, seminis lini, singulorũ lib. I. chamęmeli, meliloti, singul. sexuncẽ, uini antiqui adstringentis sextar. VIII. spumæ argẽti, cerussæ, colophoniæ, singul. lib. II. ceræ, terebinthinæ, singul. lib. I. olei antiqui lib. V. panis siliginei sicci contusi ac cribrati lib. V. Herbæ in uino maceratæ coquãtur, & succus exprimatur. Et in hoc succo panis madescat. postridie uerò spuma argenti, & cerussa conteruntur, & oleo affuso coquuntur, donec nõ amplius inquinẽt. Et ad hæc liquabilia liquata adijciũtur. Et sublatũ ab igne medicamẽto panis, præmadefactus commollitur, ac paulatim reliquis ammiscetur, & per spathulã agitãdo unitur. Hoc itaq; modo ad duritias stomachi, alui profluuiũ, ac dysenterię principiũ, præparari solet, ad quas omnes affectiões secure adhibetur. Verũ ad uteri, ac cæterorũ locorũ duritias, uisceribus exceptis, ad prædicta hæc addimus. Aeruginis, floris salis, thuris, singul. sexuncẽ, iridis, aristolochiæ, singulorũ quadrãtẽ, terebinthinæ lib. I. Et terebinthina quidem

quidem reliquis liquabilibus ammiscetur. Arida uerò trita, ac cribrata insperguntur, medicamento ab igne ablato. Et postremum panis madefactus adijcitur, & omnia probè per spathulā agitata uniuntur, frigefacta uerò in mortario primū pistillo, deinde manibus subigūtur. Pessus ad uteri duritias. Cerę, resinæ pinus, picis, terebinthinæ, butyri, olei rosacei, irini, nardini, mellis, singul. lib. I. nitri sextātē, & semunciā. Alius pessus, molliendo efficax. Ceræ, olei susini, rosacei, adipis anserini, singul. lib. I. iridis, terebinthinæ, adipis leonini, ursini, singul. sexuncē, medullæ ceruinæ trientē. Habet hic pessus ex toto libr. VI. & trientē. Pessus ex Archigenis scriptis, facit ad duritiā, debilitatē, maciēq; uteri, præ omnibus quos ego noui efficacissimè, & ad omnes fermè uteri affectiones, & ad neruos affectos cōmodissimus est. Et est acopon quoq; insigne. Olei irini, susini, cyprini, ceræ, singul. lib. I. mellis Attici quincuncē, ungēti foliati, nardini, singul. trientē, adipis anserini quadrantem, medullæ ceruinæ, œsypi, sing. sextantē, terebinthinæ sesquiunciā. Oesypum & medullā cum melle subigito. Deinde cerā cū oleis liquefacito, & postea terebinthinā, & adipē, & cōsequēter preciosa ungenta, nardinū ac foliatū addito. Et in mortariū translata probè unito. Hoc si usq; ad exactā curationem uteris, magnā laudē consequeris. Sed & post adeptā sanitatē aliquanto tēpore postea maioris securitatis gratia adhiberi potest. Ego uerò etiā pro malagmate forinsecus impono, & ad prædicta ammisceo thuris, ceræ, ammoniaci thymiamatis, myrrhę, floris iunci odorati sing. dra. VIII. picis dra. XVI. galbani, opopanacis sing. drac. III. thus, galbanū, opopanacē, uino odorato adstringente terito, & ad œsypū & medullā, ac mel adijcito, & omnia simul rursus terito, deinde cerā cū preciosis ungentis liquato, & ammoniacū tritū resinamq;, ac reliqua ammisceto. Et ablato ab igne medicamēto ac frigefacto, myrrhā & florem iūci odorati inspergito, unito ac utitor. Epithema Oribasij è baccis lauri, facit ad duritias. Cerę, resinæ pinus, picis, nitri, baccarū lauri, adipis taurini, ammoniaci thymiamatis, æquales portiones. Ammoniacū & nitrum & baccas lauri, sing. seorsim terito, ac cribrato, & reliquis liquatis ammisceto. Ego uerò, inquit Oribasius, dimidium nitri accipio.

De uteri abscessu, Archigenis. Cap. LXXXV.

Abscessus in utero uelut in cæteris corporis partibus, præcedēte inflāmatione generatur: primū igitur inflāmationis notæ apparebūt: Deinde circa puris generationem dolores augētur, febresq; cum horrore, plerūq; ad uesperam ingruunt, tumor attollitur, dolor punctorius adest, aliquando urina, aliquando stercoris recrementa supprimuntur, aut utraque simul. Dolor autem localis affectum locum indicabit, proinde si discuti non potest, citius suppurationi auxilium ferēdum est. Itaq; semen lini, fœnum græcū, farinā ordei, caricas coctas, altheæ radicē, terebinthinā, in cataplasmate imponemus. Aliquādo etiam columbinū stercus cū oleo, & melle adhibebimus. Hæc autē cataplasmata imo uētri, ac lumbis imponātur. Et pudēdi sinus per spongiā assidue foueatur, & uapores per arūdinē operculo ollæ perforato insertā intra pudendū recipiātur. Insessionesq; frequentes fiant, decoctis in aqua his quæ uim attractoriam habent, uelut est pulegiū, marrubium, laurus, saluia, artemisia, dictamnus, cētaurea. Quòd si dolor uehemētius infestauerit, papaueris capita in aqua coquātur, & contusa cataplasmatis ammisceantur. Caricæ item crudæ in mortario cū resina pinus, terebinthina, ac modico nitro tritæ imponantur, pessis autem utemur ex terebinthina, myrrha, œsypo, ac butyro paratis. Verū optimus ad uteri abscessus sic præparatur. Carnis caricarū pinguium, adipis anserini, olei irini, singul. drac. II. terebinthinę drac. I. rutæ dra. III. myrrhæ, iridis, nitri, singul. obol. II. possunt etiā pro caricis uuæ passæ ammisceri. Excipiūtur lana in pessum, qui oleo irino, aut cyprino tepido tinctus subditur. Est & ad hūc usum efficacissima cōpositio, Cyphoides appellata, & suprà ad hepatis abscessum descripta. Itemq; Enneapharmacū ad duritias paratum. Et Malagma polyarchiū, & alia huiusmodi, oleo susino aut telino diluta, & pesso in uterū subdita. Imus item uenter, ac pecten assiduè prædictis decoctis foueatur. At uerò rupto abscessu, si pus ad uesicam fuerit delatū, & cū urina excernitur, lactis potu utendū est, & cucumeris semē propinandū. Et cataplasmata prædicta adhibenda, cerataq; emollientia, ac odorata. Si uerò ad intestinū rectum progreditur, & cū stercore, uel per se egeritur, lentiū & malicorij decoctū per clysterē infundemus. Si uerò in pudendi sinum erumpit, & purū est pus, rosaceum, aut tetrapharmacū cum butyro recēti, ac rosaceo infundatur. Et loci rosarū aut lentiū decocto, aut ptisanæ succo eluatur. Sin tenuis & fœtida destillat sanies, uelut à noma, & ulcere depascēte, magis adstringens sit quod infunditur, uelut est baccarum myrti, palmularū, lentium, & malicorij decoctū. Quòd si post humorū excretionē inflāmatio perseuerauerit, perseuerandū quoq; est in cataplasmatis & insessionibus suprà relatis. At si inęqualia fuerint quæ prodeunt, fomenta & insessiones ex aqua mulsa fiant, in qua absinthiū, marrubiū, eruum, cētauriū, aut lentes sunt decoctæ. Loci uerò ptisanæ succo eluantur, addito melle & rosaceo. Vteri uerò os & anus cerato rosaceo, aut butyro inungatur, cui spodij, aut stibij, aut plūbaginis, aut spumæ argenti aliquid, cū muliebri lacte sit ammixtum, facit & plumbi succus. Si uerò proflues humor fœtidissimus fuerit, uino mulso pudendi sinus eluatur, & in eo usque ad exactam curationem perseuerandum est.

Abscessus oris uteri chirurgia. Cap. LXXXVI.

Si circa osculum uteri abscessus cōstiterit, ut sub chirurgiam duci possit, nō prompte ad sectionē festinandum est, sed perfecta affectione, & inflāmatione plurimum aucta, & partibus puri incumbentibus attenuatis. Atq; tū mulier locetur in sella supina, ut crura habeat ad uentrē contracta, & femora inter se dissparata. Et cubiti ipsius poplitibus subijciantur, & idoneis uinculis ad ceruicem relingentur. Et hoc ad clarā lucē fiat: assideatq; è dextris chirurgus & per dioptram instrumentū, pro ętate cōmodum, ad pudendi diductionē speculetur, & per specillum sinus muliebris profunditatē dimetiatur, ut ne maior dioptræ tibia uterū comprimat. Et si reperta fuerit tibia eius sinu maior, lanæ conuolutæ labijs siue alis pudendi imponātur, ut in ipsis dioptra firmetur: oportet autem tibiam immittere, cochlea ad supernā partem uergente, & dioptram quidē à chirurgo teneri, cochleam uerò per ministrum circūuerti, ut diductis

tibiæ plicis sinus distendatur, postquam autē occurrerit abscessus ad tactum lenis, & tenuis, apex eius scalpello uel acicula dissecetur, & excreto pure limniscus linamentum tenerrimū rosaceo tinctum in sectionem indatur, aut potius extra sectionē in muliebrem sinum citra impulsionem. Extra uerò pudendi labia ad pectinem, & lumbos lanæ succidæ, aut puræ oleo imbutæ imponātur, tertia deinde die ægra in aqua & oleo calidis insideat, aut in maluæ decocto. Et detersione facta, limniscus tetrapharmaco per se, aut cum melle illitus, in sectionis fissuram leniter indatur. Sit autem tetrapharmacum butyro, aut rosaceo dilutum. Cataplasmata autē forinsecus imponantur, donec abscessus ab inflammatione liberi, ac puri fiant. Si uerò difficulter repurgētur, per auricularem clysterē iridis decocto eluantur. Et per emplastrum ex cadmia, aut ex ladano paratum, aut id quod ex ordeo usto constat, singulis rosaceo dilutis, ad cicatricem perducantur. Quòd si intra uteri os abscessus fuerit, chirurgiam reprobamus, & curationem paulò antè relatam adhibemus.

Abscessus uteri inter intestina, & peritonæum membranam, rupti curatio. Cap. LXXXVII.

Eruptionē inter intestina, & peritonæū membranā alluum, ac intestina ambientē, indicat tumor circa illas partes magis hærens. Si uerò intra uterū rumpitur abscessus, dolor quiescit, & os uteri ad tactū lenius occurrit. Eruptio itaq; ad superficiē tendens adiuuāda est, & cutis postquàm satis fuerit attenuata specillo in summo apice dissecanda, qua parte effluxū cōmodiorem fore speramus. At si sanguinis eruptionis tumor est, pro specillo siue scalpello, cauterium eminētiori loco adhibebimus, & ita pus educemus: plurimū enim ad totā curationē cauterium confert, post excretum autē & probè expressum humorem: ægra collocetur ut residuū cōmode excerni possit, & sectio aqua mulsa eluatur, & posteà bis quotidie ac semel in nocte spongijs foueatur. Interdū & in aqua calida ægra insideat, & uterus oleo cyprino calido eluatur. Reliqua uerò curatio cæteris ulceribus similis fiat. Alimēta autē exhibeantur boni succi, & quæ nō facilè difflātur, uelut est lac cū amylo, alica, oryza, pedes porcini in alica, aut ptisana ad flacciditatē cocti, auiculæ & pisces boni succi. Et nisi febris obstiterit, uinū etiā dulce antiquū cōcedem⁹. Balnea aūt & alimēta quę exulcerationes exacerbāt, uitētur.

De uteri exulceratione, Archigenis. Cap. LXXXVIII.

Vlceratur uterus sępe ex fluxione erodēte, aut ab acribus medicamentis, aut ex abscessibus ruptis, aut ob partus difficultatē, aut fœtus extractionē, aut eiusdē corruptionē. Aegrotæ uerò in affecta parte dolorē punctoriū perceptant, & ex interuallis fœtidi, ac saniosi humores ab ulcere sordido prodeunt, & cōsequuntur etiā alia utero affecto peculiaria accidentia, uelut est capitis, ac præsertim sincipitis dolor. Ligamentorū item ac radicis oculorū dolor, qui ad manus usq; ac digitos se extēdit, & reliqua suprà de inflāmatione relata. Vlcus itaq; expositū, per dioptræ usum deprehēditur. In profundo uerò reconditum, humores qui excernuntur indicant. Non autē aliter huiusmodi ulcera curantur, quàm insessionibus, irrigationibus, cataplasmatisq; ac pessis suprà relatis, priuatim tamen cōmodum est hoc medicamentum. Crocus optimus cū muliebri lacte teritur, & cerato excipitur, ex cera tyrrhenica, & rosaceo, aut susino oleo, cum anserino adipe parato, & in pesso subditur. Hoc autē adhuc efficacius est, & ad dolores magis congruū, quod sequitur, papaueris capita decem in passo diluto, per triduū macerātur, deinde donec flaccida fiant coquūtur, & postea expressa teruntur, cum seminis, aut foliorū rosarū drac. V. croci drach. III. ammixto etiā inter terendū ipso decocto. Deinde ceratum ex ceræ sextāte, & rosacei aut narcissini olei sextante ad ea affunditur, & medicamentum in stannea pyxide seruatur. Vsu uerò expetente, rosaceo, aut narcissino oleo dilutum, & in pessum exceptum subditur: facit & pessus suprà relatus, ex croco, rosaceo, adipe anserino, & medulla ceruina paratus. talia enim dolores mitigāt, & ulcera sanant. Philosophi medicamentū. Ad mulieris pudendū exulceratum, & ob acrium humorum influxum pruriginosum, plumbaginis sextātem, glaucij unc. I. cum succo hyoscyami terito, & olei myrtei, aut rosacei quantum satis est ammisceto, uterecq; uel manu illinens, uel in passo subdens.

Vlcerū uteri carbūculosorū curatio. Cap. LXXXIX.

Carbunculosis uteri ulceribus priuatim prosunt lētes, & oleæ folia, sine melle. Lupini in uino austero cocti. Insessiones in eorundem lupinorum decocto.

Ad sordida uteri ulcera, Archigenis. Cap. XC.

Ad sordida uteri ulcera emplastro Aegyptio utēdum est, citra æruginē preparato. omnia enim mordacia, quemadmodū & crustas inducentia, utero aduersa sunt. Vtemur etiā eo quod ex melle, terebinthina, rosaceo aut susino oleo & butyro constat, quibus aliqui etiā crocū addunt. Ad ulcera repurgāda efficax est & iris illyrica cum melle imposita, & aristolochiæ decoctū per se, uel cum melle infusum. Pessus optimus ad sordida ulcera repurgāda. terebinthinæ drach. IIII. adipis anserini drach. VII. myrrhæ drach. I. croci drac. III. medullæ bubulæ, œsypi, singulorū drach. II. mellis, olei cyprini, aut irini, singulorum drachm. XVI. thuris, radicis panaceæ, iridis, singulorum drachmas duas, cyperi drachm. IIII.

Ad humorē à muliebri pudēdo profluētē. Cap. XCI.

Ordei usti, amyli, thuris, singul. unc. I. aluminis scissi drac. IIII. Minutissimè terito, ac cribrato, & asinino lacte diluito, ac in pudendi sinū per uteri fusoriū clysterem infundito. Quòd si ulcus dolorē intulerit, tale medicamētū adhibeatur. Rosarū siccarū tritarū, capitū papaueris paululū torrefactorū, sing. drac. III. croci, styracis, sing. dra. II. farinę fœni græci, œnanthes, sing. dra. IIII. thuris dra. II. oīa cū passo cretico, ac oleo rosaceo paulatī affusis, ad mellis cōpagē conterendo redigito, & in pesū excepta calida subdito.

Ad uteri nomas, Aspasiæ. Cap. XCII.

Nomæ uerò & ulcera depascentia, ac efferata, equino aut asinino lacte recēs mulcto eluatur. Et in utriusq; penuria, quodcunq; haberi potest recens, coctū accipiatur. Duabus autem lactis heminis mellis hemina dimidia addenda est, & quatuor iridis drachmæ inspergendæ, & tale infusum calidū sæpe singulis diebus infundēdum. Idem facit aqua mulsa, in qua absinthium, aut calamus aromaticus, aut leucanthemū uel chamæmelum, aut buphthalmū decoctū est. Et ubi quod infusum est excretum fuerit, loci protinus maluæ decocto eluatur. Deinde pessus subdatur ex farinæ erui, iridis, singulorū dra. duabus, cum melle subactis,

subactis, & pesso exceptis. Alius pessus. Melilotum in uino aquae marinae experte coctũ terito, & melle ammixto subdito. Alius. Farinã lentium cum melle subdito. Alius. Oleae folia cum uino trita, & melle ammixto subdito. Alius. Vuarum passarũ carnes tritas cum melle subdito. Alius. Hederae aureum florem habẽtis folia in uino cocta cũ melle indito. Asclepiadae medicamentũ in puluilli forma, ad uteri nomas praecipuũ. Lupinos amaros tritos, ac cribratos seruato, & usus tẽpore sine ullo liquore subdito, uel melli ammisceto. Alius pessus optimus. Hederae aureũ florẽ habentis fasciculũ, in umbra paululum siccatũ in uas fictile cõijcito, idq; undiq; oblinito, ac torreto, & eo cinere utitor. Alius ad humida ulcera. Aristolochiae longae tritae drac. VI. rubricae sinopicae hepatis colorẽ referẽtis dra. VIII. misce, & cum melle ad cerati crassitudinẽ redige, & panniculo attrito excepta deliga, & sub prunis exure. Et ubi optime assata fuerint, tere ac utere. Aut panniculum deligatũ in ollã mitte, ac probè opertam, & oblitam in ignẽ pone, donec medicamentũ ad carbonis speciem fuerit exustũ: & deinde tritum serua. Vsu uerò expetente ad nomas subde, & breui contrahentur. Hoc usque ad inductam cicatricem idoneum est. Alius. Seminis tamaricis partẽ unam, nitri rubri tantundem, terito ac cribrato, & simul mixtis aridis utitor, aut rosaceum ammisceto. Vbi uerò nomę fuerint cohibitę, adhibeatur ea quae paulò antè ad ulcera repurganda relata sunt.

Quae ad cicatricem ducũt, Asclepiadae. *Cap.* XCIII.

Postquam ulcera fuerint repurgata, utendũ est his quę ad cicatricem perducunt, primũ mitioribus, postea efficacioribus. Ceratum cicatricẽ inducens. Cerae albae quadrantẽ, rosacei optimi dodrãtem, ad prunas liquefacito, & quadantenus refrigerato. Deinde in mortarium cõijcito, ac lacte muliebri, aut asinino, aut caprino recens mulcto affuso, cũ pistillo subigito, donec totũ inalbescat. Deinde diffuso priore lacte, nouum infundito, ac rursus subigito, & croci ad drac. I. ammisceto. Quòd si magis mitigatorium facere uolueris, rosacei olei septũcem, adipis anserini, & medullae eiusdẽ sing. unc. I. accipito, potes & pro rosaceo, melinũ, aut susinũ ammiscere. Medicamentum ex ordeo ad uteri ulcera. Ordei usti, ac triti, spumae argenti lotae, cerussae lotae, sigulorũ lib. I. adipis anserini lib. IIII. adipis caprę recẽtis lib. III. olei myrtei libras II. mellis despumati bessem, terebinthinae quadrãtẽ siue triẽtem. Hoc etiã ad ardores, & ulcera pudẽdorũ facit. Nec minus utendũ est his quę ad sedis affectiones, ex pompholyge & plũbo usto praeparatur. Itẽq; eo quod ex cadmia & q^d ex ladano p̄paratur, singulis myrteo aut rosaceo oleo dilutis.

De cancris uteri, Archigenis. *Cap.* XCIIII.

Canceratorũ uteri tumorũ aliqui ulcerati sunt, aliqui nõ ulcerati, quẽadmodum de mammis suprà diximus. Itaq; in nõ exulceratis, tumor circa os uteri reperitur durus, ad tactũ renitens, inaequalis, eminẽs, colore feculentus, ruber aut subliuidus, uehemẽtes dolores inducẽs circa inguina, summũ uentrem, pectinem, ac lumbos: qui ad manuũ contactũ, & medicamentorũ uarietatem exacerbantur. Si uerò ulceratus est cancer, supra dolores duritiasq;, ac tumorem, ulcera corrosa & inaequalia uidentur, plerunq; sordida, eminẽtia, albicãtia. Quę uerò pura putãtur, feculenta, liuida, rubicũda, & cruenta apparent. Excernitur autem ab ipsis sanies tenuis, aquosa, nigra, aut fulua graueolẽs. Aliquãdo & sanguis defertur, & alia signa adsunt suprà de uteri inflãmatione relata. Proinde affectio quidẽ haec incurabilis est, uelut etiã Hippocrates pronũciauit: mitigari tamen ac leniri potest, insessionibus in foenigraeci, ac maluę decocto, & cataplasmatis similibus. In exacerbationibus aũt ualdè mitigat malua, aut althea in aqua mulsa ad flacciditatẽ cocta, & cum modico rosaceo trita ac imposita. Et cataplasma è caricis, meliloto, ac ruta paratum. Et quod ex palmulis paratur in passo coctis, ouorũ uitellis, ac polenta ammixtis. Aut papaueris capita trita & cribrata, cũ polygoni aut intubi, aut coriãdri succo. Aut solani folia tenera cum lacte muliebri imposita. Aut solanũ cerato rosaceo exceptũ, frigida aqua paulatim cerato instillata. Aut maluae folia cũ lacte muliebri trita, & rosaceo cerato excepta. Atq; hęc omnia in dolorũ uexationibus sunt adhibẽda, postea uerò ceratũ imponatur ex rosaceo, aut myrteo, aut melino, aut oenanthino cũ palmulis in passo coctis, facit & cataplasma ex ouis, & quod ex ordeo paratur, quibus etiã ad ambusta utimur: peculiariter autẽ conuenit id quod ex fece uasorũ aereorũ in quibus aqua coquitur, paratur. Haec enim fex assata teritur minutissimè, & cerato rosaceo excipitur. Et haec q̃dẽ forinsecus. Intrinsecus aũt mitigat locos, ubi ulcerati fuerint, lac muliebre, aut asininũ infusum, & plãtaginis succus tepidus. Si uerò cruentati fuerint, polygoni succus cũ modico thure. Idẽ faciunt etiã pessi ex croco, & lacte muliebri, succoq; papaueris, ac oesypo pręparati. Omnibus autem praestat etiã ad sedis affectiones hoc. Spumae argenti lotae sexuncẽ, thuris masculi, oesypi, adipis porcini recẽtis, butyri recẽtis, cerae tyrrhenicae, sing. sextantẽ, rosacei trientẽ. Seruatur hoc medicamẽtũ pyxide plũbea, & arefactũ rosaceo diluitur. Ego uerò, inquit Archigenes, spumã argẽti cũ seridis succi hemina diluo, & ubi mellis spissitudinẽ habet, liquatis alijs ammisceo: utere etiã medicamẽtis ad sedis affectiones pręscriptis. Optimũ est & id quod suprà ad mammarũ nomas descripsimus, ex uino, rhoẽ coriario, pilulis cupressi, ac galla pręparatũ, quod muliebri aut asinino lacte dilutũ adhibetur. Philosophi medicamentũ ad cancros uteri. Cancros fluuiatiles tres, aut quinq;, impari numero, sub prunis exurito, & cum oleo cyprino tritos per pennam illinito.

De uteri obturatione. *Cap.* XCV.

Obturatio circa os, aut collũ uteri fit, aut propter ulcerationẽ praegressam, aut ob inflãmationẽ induratã, per quã loci adeò angusti fiunt, ut semẽ nõ amplius admittant, uel admissum non retineant: ob callosam enim duritiã uterus cõtrahi nõ potest. Aliquãdo semen admissum, & intra angustissimũ os cõtentũ foetus causa est. Verùm haec cõceptio praegnãti mortis causam inducit, quũ ob nimias locorũ angustias foetus prodire non possit. Insessiones itaq; ex oleo, & aqua & foeni graeci decocto adhibeãtur, & p̄ cerata, ac pessos emolliẽtes ex oesypo, terebinthina, ac nitro praeparatos, laxetur. At uerò si loci ad tactũ molles fuerint, spõgiã siccã funiculo appẽso intra locorũ angustias dilatãdi gratia indemus. Et si ea exciderit, aliã crassiorem immittemus. Et ea de causa plures, ac diuersas spongias siccas paratas habere oportet, &

postea tale medicamentũ spongię illinemus. Sandarachæ, aluminis scisi, sing. drac. I. auripigmēti drac. III. omnia simul cõtrita melle excipito, & spongiae indendæ illinito. Quòd si sublata spōgia locus non satis apertus uidebitur, inflāmatioq́ oborta fuerit, subiectū medicamētū spongiæ illinatur. Iridis drac. II. adipis anserini, terebinthinæ, thuris, olei irini, ceræ, singul. drac. II. Iridem primū, deinde thus minutisime terito, ac cribrato, & terebinthinā, adipem, ceram, cū oleo liquato, ac omnia simul unito. Vbi uerò inflāmatio quieuerit, & locus apertus fuerit, ceratum ex oleo rosaceo, & adipe anserino paratū spōgiæ illinatur, in quo usq; ad inductā cicatricem persistendum est, ut locus paulatim consolidetur.

De utero non perforato. Cap. XCVI.

Quædā à natiuitate uterū non perforatū habēt, & hoc trifariā contingit. Quibusdā enim in ipsius pudendi alis siue labijs, mēbrana aut caro obturās enascitur. Alijs in ipso pudēdi sinu idem cōtingit. Alijs circa ipsum uteri osculū eadē obturatio fit. Quibus itaq; in pudendi labijs, mēbrana excreuit, eas curaturi supinas pro more reflexis ac diductis cruribus locabimus, & operientem membranā specillo dissecabimus, donec figura pudēdi ad naturalē dimēsionem deueniat: postea linamētis cōuulsis sectionē replebimus, ac deligabimus, & curationē suppuratoriā per cataplasmata aliquot diebus adhibebimus. Deinde linamētis cerato rosaceo liqdo imbutis utemur. At si post sectionē pudendi alas carnosis partibus propinqs unitas esse senserimus, utrinq; excoriabimus, & per linamēta dilatabimus, eodēq; curationis modo utemur. Mulier uerò supina puluinar intra femora habēs, usq; ad cicatricē inductā permaneat. Si uerò pudēdi qdē figura externa aperta est, in sinu uerò caro innata locū obstruit, ut angustū foramen relinquatur, muliere eodē modo collocata, stylū in uteri ceruicē maioris tutelæ gratia immittemus, ne p errorē altiorē sectionē faciamus: atq; ita infra signatū per stylū locū dissecabimus, per specillū latū, donec sinus secundū naturā habere uideatur. Deinde labia dissectæ carnis p uolsellā distēta ad quadrāgularem figurā circumcidemus. Et erectā mulierē diductis cruribus statuemus, ut humor in utero collectus cōmode profluat. Quòd ubi sufficiēter factū fuerit, ægrā ad priorem decubitus formā reducemus, & linamentū uino & oleo imbutū in sectionē indemus, habeat autē hoc filum alligatum, quo facile extrahi posit, & loco probè deligato quietē imperabimus. Sequentibus uerò diebus locus cū aqua mulsa eluatur, & pharmacū suppuratorium linamēto intorto illitum indatur. Et ubi cicatrix inducēda est, canalis ex stanno indatur, ac alligetur, donec locus fuerit cōsolidatus. Quòd si partes rursus inter se coiuerint, ac rursus uteri os claudatur, spongiā siccam indito, donec callus fuerit obductus. Si uerò mēbrana ipsum uteri os obstruxerit, mulier in eodē situ locata, dioptra immissa sinus dilatetur, & membrana per uolsellam arrepta, ac extēta intorqueatur, ut tota simul colligatur, & lato specillo amputetur, & medicamētum siccū floridū inspergatur, & linamentū tortum alligato filo indatur, & eadem curatio fiat. Quòd si quid de membrana relictū fuerit, florido aut psaro appellato medicamēto cōsumatur. Repurgatis autē locis, hoc pharmaco linamēta tingito. Ceræ, terebinthinæ, adipis anserini, singulorū dra. II. iridis, thuris singul. drac. I. croci dra. III. olei irini dra XVI. Iridē, crocum, & thus cū passo terito, & liquabilia liquata ammisceto. Dioptra uerò asiduè immittenda est, ac cauendū ne caro superexcrescat, quæ tali medicamento reprimatur. Squamæ æris, æruginis, corticis thuris, singul. drac. II. terito, unito, ac utitor. Aut æruginē, & squamā cū plumbi succo subige, & adhibe. Sed nec spōgiæ siccę usus omittatur, donec labijs callus obducatur. Stanneus itē canalis immittatur.

De Hæmorrhoidibus uteri, Aspasiæ. Cap. XCVII.

Hæmorrhoides quandoq; in osculo uteri, quādoq; in collo, & aliquādo in ipso utero, & aliquando, licet raro, in pudendo cōtingunt. Atq; hæ etiā tactu, melius tamen per dioptram depræhēduntur, & eadem accidentia inducūt, quæ reliquæ in sede ortæ inducere solēt. Et præterea sterilitatē, ac lumborū grauitatē tēpore purgationis inducūt. Varicosas itaq; ac malignas dimittere oportet: reliquæ uerò non aliter curentur, q̃ quæ in sede sunt, duris quidem ac modicū sanguinē fundētibus, neq; uasis annexis, statim amputatis. His uerò quæ multū sanguinis emittūt, circa fundū circūcirca scarificatis, & uolsella eleuatis, ac funiculo constrictis, & postea paulatim resectis, atq; hoc facto floridū medicamentū siccum inspergatur. At uerò si citra chirurgiam malueris hæmorrhoidas resiccare, ac excæcare, huiusmodi sicca apponito. Spodiū & rosas siccas terito & inspergito. Aut acaciā uino austero tritā. Aut terrā lemniam sigillū appellatā, cū aceto illinito. Aliud. Stibij besſem, rosarū siccarum, pollinis thuris, singul. sextātē, cytinorū unc. I. Aliud. Balaustiorū torrefactorum sexuncē, malicorij quadrātem, florū rosarū, spodij, singul. drac. II. Aliud ad hæmorrhoidas efficacius. Succi mandragoræ, aluminis rotūdi, acaciæ, singul. drach. II. cum uino terito, & in pastillos efformato, eosq; uino dilutos illinito. Aliud. Succi cicutæ, succi hyoscyami, aluminis scisi, rubricæ sinopicæ, singulorū drac. II. sandicis dra. I. cū uino terito & excipito. Et usus tempore uino item diluito. Aliud. Diphrygis drac. VI. cerussæ, spumæ argēti, plumbi usti & loti, succi hypocisthidis, singulorū drac. III. Excipe succo cicutæ, & cū uino adhibe. Vtere etiā medicamentis ad hæmorrhoidas sedis relatis, & præsertim eo quod Hippocrati inscribitur. Et potiones exhibeto ad sanguinis reiectionē descriptas. Insesiones quoq; in decoctis adstringentibus adhibeto.

De calculo uteri. Cap. XCVIII.

Calculi aliquando tofacei in ipso utero generantur, quos si extrahere uolueris, aluum prius per clysterem stercoris eductoriū euacuato. Deinde fœni gręci ac maluæ decocto, rosaceo ammixto, uterū eluito, & muliere supina disparatis crurib. locata duos longiores sinistræ manus digitos in ani foramē immittito: dextra uerò superiorem uentrem comprimito, calculumq; extrorsum cogito, ac propellito, simul per digitos in anum missos deducens, ac extrahēs. At uerò tofaceam substantiam extra in uteri collo, aut osculo agnatam, muliere rite locata, & locis per dioptram dilatatis, scalpello resecare oportet, & florido medicamento sicco inspersо curare.

De calculo uesicæ muliebris. Cap. XCIX.

In uesica muliebri raro oriūtur calculi, latiorem enim & rectiorem urinæ meatum habent. Atque huius extractionem,

extractionem si forte innatus fuerit, ita facias. Mulier supina coxis decliuibus ac cruribus reclinatis locetur, quo facto duos longiores sinistræ manus digitos in pudendū mittito. Dextra uerò uesicā superne cōprimito, & calculū uersus uesicæ collū expellito, & ut extra musculum uesicę collū adstringētem prodeat cogito, & tunc paululū supra pudendi alas, quo loco calculus occurrit, sectionem facito, & per calcularium forcipem extrahito. postea uerò sectionē māna thuris repleto, & lanam purā oleo calido imbutā uentri ac lumbis imponito ac deligato, & quotidie bis aut ter, & nocte semel exoluito, & oleo calido perfundito, tertia die aridis medicamētis lenibus & incarnātibus usq; ad perfectam incarnationē uulnus explemus, & per emplastrum ex aceto & oleo paratum cicatricem inducimus. Optime autē huiusmodi locos & omne cauū ulcus incarnat hoc. Mannæ thuris sextantem, colophoniæ minutissime tritę unc. I. Ex hoc arido totam uulneris cauitatē expleto.

De hernia aquosa mulierum, Aspasiæ. Cap. C.

Hernia aquosa circa pudendi alas cōsistit, inflationi similis, debili ac molli tumore. Et aliquando alteram tantum, quādoq; utrāq; partem occupat, ad cōtactū fluctuationis apparentiā quandā exhibens: primum itaq; discussoria adhibeantur, suprà ad hernias in uiris aquosas relata, præsertim in uirginibus. At si parū successerit, muliere rite locata sectionē rectā tumori congruā faciemus. Dissecta aūt cute, subiectas tunicas paulatim excoriato, & uolsella arreptas distēdito, & membranam humorē continentem dissecato. Excreto humore sectionem membranæ ad myrtei folij figuram facito, & labijs sectionis duabus aut tribus suturis adductis, suppurantia medicamenta adhibeto. Vtere & olei irrigatione, ac reliqua curatione, ad aquosas uirorum hernias suprà tradita.

De hernia inguinis mulierum. Cap. CI.

Fiunt & mulieribus herniæ inguinis, circa dextrū maxime pudendi sinum. prominet his tumor durus immurmurans, ac premens, præcipue ubi mulieres crura dilatauerint, aut supinę decubuerint. Et has quoq; cōgruis deligamētis ac medicamētis curare oportet, uelut dictū est in hernia uirorū intestinali ac inguinali. At si hæc parū profecerint, ad chirurgiā ueniendū est. Mulier itaq; supina decliuibus cruribus locetur, & repulso intestino locus circa inguen oblique secetur, & tunicę cuti subiectę sensim excorietur, atq; ita laxata peritonæi mēbranę pars attrahatur ac extēdatur, & intestinū diligēter repellatur, & quod superfluum est de peritonęo deligetur, ac cōsuatur, & tūc quod supra suturā extat superuacuum resecetur. Deinde labia sectionis cutis duabus aut tribus suturis adducātur, & linamēta indātur, lanaq; succida uino & oleo imbuta imponatur, & deligamenta congrua fiant, postea medicamēta suppurantia & repurgādi & incarnādi uim habentia. Irrigationes item ac cataplasmata adhibeātur, donec inflāmatio quiescat. Et inde ad cicatricem inducentia progressus fiat.

De hernia uaricosa, Aspasiæ. Cap. CII.

Hernia quoq; siue ramex uaricosus in pudendi alis nasci solet, & est uenarū ampliatio, similis uaricibus in cruribus fieri solitis. proinde in huius curatione sectionem rectam in superficie pro uasis figura facias: deinde tunicas uasi adhęrentes sensim excoriato, & denudatum uas cæca uolsella eleuato, & duobus uinculis, altero superne, altero inferne deligato. Deinde uenam secato, uelut in uenæ sectione ad sanguinē auferendum fieri solet, & detracto sanguine, mediū uasis inter duo uincula superuacuū amputato. Atq; hoc sanè omnibus uasis in uaricum formam transgressis commune est. Deinde linamentis sectioni inditis, spongiam aceto aut posca imbutam adhibeto. Et deinceps ad puris generationem, ac reliquā uelut ulceris curationem progreditor.

De nymphæ sectione. Cap. CIII.

Nympha substātia quędā est musculosa, aut pelliculosa supra alarū pudēdi cōmissurā sita, quo loco urinarius est meatus. Hęc in aliquibus mulieribus ad tātā magnitudinē augetur, ut deformitatē ac pudorē inducat. Quin & à uestimētorū cōtactu assiduo arrigitur, & ad uenerē ac coitū prorītat. Quapropter Aegyptijs uisum est, ut antequā exuberet, amputetur: tūc pcipue quū nubiles uirgines sunt elocādæ. Amputādi uerò modū hunc tradunt. Virgini in sella locatæ retro assideat adolescens robustus, qui brachia sua poplitibus uirginis subijciat, cruraq; eius ac totū corpus regat. Et tū chirurgus ante ipsum stans, forcipe ampliori nymphā corripiat, & per sinistrā manū distendat, per dextrā uerò prope forcipis dētes resecet. Mēsurā aūt resectionis eandē quā in columellæ sectione seruare oportet, ut ne funditus ipsam resecemus, sed superuacua tātum pars amputetur: proinde prope dētes forcipis nymphā resecādā esse diximus, quoniā quum pelliculosa sit, plurimū extenditur, & nisi quis diligēter obseruet, facile ultra quàm oportet amputationē faciet, atq; hinc carūculæ decrementum, rhœada greci uocāt, cōsequitur: peracta chirurgia, spōgia ex uino adstringēte aut aqua frigida expressa uulnus detergeatur, & manna thuris inspergatur, & linamentū posca madefactū indatur. Et spongia ex posca expressa superdeligetur. Post septimam uerò, cadmiam minutissime tritā per se, aut cum rosarum floribus insperge. Aut siccum ex lapide phrygio paratum, & ad pudendorum fissuras descriptū. Aut cinerem ossium palmularum insperge.

De cauda. Cap. CIIII.

In quibusdā mulieribus carnosa quædam substantia ab uteri osculo exoritur, & muliebre pudendum replet. Aliquando etiā extrà progreditur instar caudę, unde etiam nomē habet. Mulier itaq; uelut in nymphæ amputatione dictum est, locetur, & prominens carūcula forcipe extēdatur, & tota ex basi resecetur: post chirurgiā curatio uelut in nympha peragatur.

De thymis, & uerrucis tum alijs, tum formicarijs uteri, Philumeni. Cap. CV.

Thymus aut in alis pudendi, aut in ipso pudendo, aut in uteri osculo, aut collo generatur. Et est aspera quædam eminentia thymi cacumini similis, in quibusdam mitis, in alijs maligna, rubra, cruenta, præcipue post concubitum aut deambulationes, & sanè moro maturo assimilatur, uisuq; depręhenditur, aliquādo sine ulla arte, aliquādo dioptra immissa, oblata. Huiusmodi igitur eminentias in principio curabimus, quemadmodum de reliquis thymis ac uerrucis diximus. Verum ubi diutius perseuerāt, chirurgiā adhibemus. Muliere itaq; recte locata, eminentiam uolsella extentam, totam funditus resecamus, deinde curationem cruentis uulneribus aptam facimus. Thymos autem in abdito reconditos, quum chirurgiæ

subijci non possint, medicamentis curabimus, suprà ad totius corporis thymos & uerrucas formicarias relatis. Ad uerrucas autē formicarias pudendorum summè cōfert hoc. Capræ iugulatæ recens oculos cōpungito, & humorē inde profluentem assiduè illinito, & intra sex dierum spatium formicariæ uerrucę extirpabuntur. Sed & bubulū stercus calidum illitum, formicarias in muliebri natura uerrucas sanat. Aliud, quod ego in uxore mea expertus sum, & ipsas radicitus tollit. Origani festucā ad lucernā accēdito, & formicariæ uerrucæ admoueto, ut non inde incendatur, sed fumū solū suscipiat. Et hoc ter singulis diebus facito. Aliud, ad pudendi ac sedis thymos. Soleas ueteramentarias, & cucurbitam siccatā exurito sigillatim, & minutissime trita paribus portionibus permisceto, & locis uino prius elotis inspergito. Experientia hoc cognitum est. Cęterum malignorū thymorū sectionē, ob eruptionis sanguinis periculū reprobare oportet: nō malignos autē tutò resecamus. Neq; em̄ hic sanguinis eruptionis timor est. Cauendum tamē est ne uterus à scalpri acie lædatur, quod facile uitare est, si thymus distentus prope uolsellæ dentes amputetur, sicut in nymphæ sectione diximus. Resectione uerò facta, ad desiccandos locos pharmacū quoddā sanguinē sistēs adhibebimus. Humectatio enim causa est ut thymi regenerentur, sicut etiā pinguiū medicamentorū usus: proinde per totā curationē, laxātia ac pinguia sunt fugienda. post chirurgiā protinus galla trita, aut alumen scissum, cū pari thuris pondere admoueantur. Deinde medicamento florido, ex stomomate ferri aut rosarum flore, & cytinis siccis parato utemur. Nā hæc contrahunt, & quadātenus repurgant, & ulcera ad cicatricē ducunt.

De condylomatis, Aspasiæ. Cap. CVI.

Condyloma est rugosa eminētia. Rugæ enim circa os uteri existentes, dum inflammantur, attolluntur & indurantur, tumoremq; ac crassitudinem quandam in locis efficiunt: pręcipue uerò dū mēses prodeunt, & post partus attolluntur, & p tactū facile cognoscūtur. Ad has igitur fomēta adstringētia, & eiusdem facultatis pessi subdantur, quæ omnia suprà ad sedis condylomata sunt relata. facit & pessus è malicorio & butyro pręparatus, & qui ex lycio indico ac œsypo paratur.

De rimis, ac fissuris uteri. Cap. CVII.

Rimę circa os uteri ex uiolentis partubus ob magnitudinē capitis infantis fiunt. Sed & ex acriū humorū influxu locos rūpente ac corrodente fieri solent. Et primum quidē latent, dolore à partu adhuc recente, postea uerò paulatim ad sensum perueniunt. Nā & ad manuū contactum, & in coitu dolores excitātur, quādo sanè ex affrictu cruētātur, depręhēduntur aūt dilatato sinu, fissuræ enim circa uteri osculū per ambitū uisuntur. In harum itaq; curatione chirurgiā, & omnia mordacia pharmaca reprobare oportet: talia em̄ inflāmationes ac cōuulsiones inducūt: & insessionibus simplicioribus ac pessis uti, & medicamentis ad sedis rimas descriptis, præcipue eo quod è pōpholyge, stibio, & plūbo usto paratur. Quòd si callosæ fuerint, medicamento ex charta usta utendū est plurimo rosaceo diluto: callos enim exterit, & ulcera repurgat. Si uerò nimiam eius acrimoniam nō ferunt, iridem illyricam terebinthina exceptam inde: postquam autem cicatrix ulceribus inducta est, cōuenit id quod ex cadmia constat, aut quoddam sedi destinatum: uelut est quod ex spuma argenti lota præparatur, pauló ante ad cancros uteri à nobis relatum. Aut hoc quod ad rimas sedis, & muliebrium locorum condylomata præparatur. Stibij, acaciæ, singu. drach. VI. passo excipe ac utere. Sæpe & hoc utimur. Aloës, opij, sing. dra. XVI. stibij dra. VI. myrrhę dra. IIII. thuris, æruginis, sing. dra. II. uino excipe & utere cum passo. Aliud cito conferens. Stibij, acaciæ, plumbi usti, & loti, sing. dra. XVI. spodij, pompholygis lotæ dra. VIII. fructus ericæ, aluminis scissi, atramenti sutorij, thuris, myrrhæ, opij, sing. dra. VIII. cū uino terito uelut collyrium, ac pastillos formato, & cum passo dilutis utitor. Aliud ad omnes pudendorum muliebriū ac sedis affectiones. Sistit etiā hęmorrhoidas. Spumæ argēti lotæ, cerussæ lotæ, plūbi usti & loti, sing. dra. XXV. stibij loti dra. IX. pōpholygis lotæ dra. VIII. cadmiæ lotę dra. V. Hęc omnia primū seorsim, deinde simul terito, & uini ac olei myrtei sing. lib. I. paulatim adstillato, ac probe terito, & unita in plumbea pyxide seruato, & uelut optimo medicamēto utitor. Nos uerò, inquit Archigenes, ceræ tyrrhenicæ lib. I. & adipis anserini tantundem adijcimus. Quidam etiam plumbaginis drac. XX. addunt.

De tuberculis uteri miliaribus. Cap. CVIII.

Aliquando in collo aut osculo uteri, aut in ipso pudendo, miliares quædam eminentiæ enascuntur, ad tactum quidem occurrentes, uerum certius ad dioptrā patentes. Solentq; ex coitus affrictu, tum menses, tū conceptionem impedire. In his aluus primum purgāda est. Deinde linteolo locus detergendus, & glās ex carne caricarum pinguiū ac alumine scisso subdenda. Aut pessus ex alumine & felle. Aut medicamenta ad concoquenda ac discutienda tubercula cōmoda illinenda. Elotiones quoque ex aqua mulsa, & aliquo aromatum decocto adhibeantur.

De scabris uteri pustulis. Cap. CIX.

In pudendo & uteri osculo scabræ pustulæ oriri solēt, furfuraceas squamas reijcientes, pruritumq; inducētes, & calidæ aquæ affusione gaudentes. In his aluus asinino lacte purgetur. Vomitus à cœna fiat. In balneo exudatio fiat, & in calidam insessus. Et loci uino calido cum nitro eluantur, & post uinum aqua calida infundatur. Et licium indicū, aut amurca, aut butyrum cum sulphure, aut ceratum myrteum cum spuma argenti, aut alumen rotundum cum melle, aut malicorium cum myrrha & melle illinatur. Squamas autem & furfures exterit, cyclamini radix cum melle illita. Cæterum in cibis omnia acria, salsa, & acida cauenda sunt.

De alarum pudendi muliebris abscessu. Cap. CX.

Si in muliebris pudendi alis siue labijs abscessus ortus fuerit, & uersus sedem declinauerit, sectionem eius uitare oportet. Nam ex eorum locorum sectione, quum rugosi sint, facile fistula generatur. Si uerò sursum ad urinarum meatum uergit, tutò secare licet.

Ad umbilicum prolapsum. Cap. CXI.

Ammoniacum thymiama cum modico cumino ex uino tritum apponito ac deligato. Aut buphthalmum cum succo mori tritum imponito. Aliud. Bituminis drachm. XII. carnium caricarum pinguium tantundem, primum seorsim, deinde simul trita imponito.

Ad rugas

Ad rugas uentris, rimasq́; ac nigredines à partu exortas. Cap. CXII.

Adiantum & spumam nitri albam exactissime trita inspergito, & uenter nō corrugabitur. Hoc & in balneo, & extra balneum utendum est. Aliud. Narcisi bulbos cortice detracto concidito, & in umbra siccato, & de his sumito dra. VIII. radicis struthij contusæ, farinæ ptisanę, farinæ fabarum, maxime Aegyptiarum, singulorū drac. X. radicis bryoniæ, radicis ari, radicis cucumeris syluestris, costi, singulorū triētem, terito & cribrato, ac uentri per erui farinam deterso inspergito, & rursus affricando detergito. Nā & rugas & rimas generari non sinit, & genitas tollit. Maculas etiam ac nigredines in quauis corporis superficie exterit. In puerperis igitur uentrem oleo antea probe confricato, & postea chartam medicamēto cōspersam adhibeto, & fascia deligato, ac post quartum diem exoluito. Deinde totū corpus in balneo detergito, & omnes nigredines ac rugas abolebis. Aliud, ad uentres à partu nigrefactos. Ostreorum ustorum partem I. farinæ fabarum, maxime Aegyptiarum, partes II. misce ac utere in balneo. Aliud. Nigellæ, nitri, æquas portiones ad strigmētitiam spissitudinem cum aqua terito. Aliud. Scillę ustæ drach. VIII. cornu cerui usti, aluminis scisi, salis cappadocici, myrrhe stactes, nigellæ, singulorum drach. II. farinæ ordei drachm. XIIII. Vsus tempore melle excipito, & panniculo detrito infartum uentri adhibeto, & per dies septem sinito. Octaua uerò abluito, ac rursus apponito, & totidem diebus sinito.

Smegma faciei ac reliqui corporis. Granorum ricini, bulborū narcisi decorticatorū ac resiccatorū, sing. drach. VIII. similaginis drac. IIII. thuris drac. II. ouorum albumina II. misce ac utere. Smegma aliud efficax. Floris iunci odorati, iridis, sing. drac. II. mastiches dra. I. terito, & ptisanæ succo excipito, ac pastillos formato, quos usus tempore aqua dilutos illinito, et per interuallū frigida abluito. Aliud smegma ad corporis rugas, Rufi. Caricarū pinguiū, radicis bryoniæ, farinæ erui, testarum sepiæ ustarum, singulorū æquales portiones. Terenda terito, & ad caricas in mortario contusas ammisceto. Hoc in balneo utendum est. Aliud. Vitem albam farinæ erui ammisceto ac utitor. Smegma, ad defricandas nigredines multo usu cognitum. thuris sesquunciā, cerussæ lotæ, spumæ argenti lotæ, amyli, scobis marmoris præconesij, mastiches, spumæ nitri albæ, testarū sepiæ, sing. unc. I. saponis gallici unc. XII. ouorum albumina X. omnia sapone excipe, & utere in quacunq; corporis parte. Smegma admirandum. Cutis superficiem exterit & illustrat. Farinæ fœni greci, amyli, tragacanthæ, singulorum trientē, terræ samiæ quæ Stella uocatur, ammoniaci thymiamatis, singulorū quadrantem, mastiches, medullæ ceruinæ recentis, singulorū trientem. Tragacantham lacte macerato, & reliqua minutissimè trita ammisceto, ac pastillos formato, eosq; in umbra exiccato. Vtere etiam smegmatis Sermone octauo relatis, ubi habetur etiā ea quæ ad alarum ac oris fœtorem conferunt.

Præparationes unguentorum siccorum, moschatorum. Item conditorum, œnanthariorum, ac suffumigiorum uariorum. Cap. CXIII.

Xeromyrum, hoc est, ungentū siccum, Beredrias appellatum. Arnabo, amomi, spicæ nardi, singulorum quadrantem, folij malabathri, styracis, singulorum quadrantem, croci, caryophyllorum, singulorum sesquiunciam, opobalsami sexuncem, rosarum uiridium unc. XXV. misce. Xeromyrum moschatum. Folij malabathri, casiæ, croci, styracis, arnabonis, amomi, spicæ nardi, singulorum sesquunciā, caryophyllorum drachm. IIII. moschi scrup. III. opobalsami unc. I. olei indici aut similis quadrantem, rosarum siccarum sextantem, aut uiridium trientem. Compositio Arabica. Masuaphij, caryophyllorum, costi, singulorum sextantem, spicę, folij, rosarum, sing. scrup. XII. amomi, styracis, singu. unc. I. gummi sextantem. arida terito ac cribrato, gummi uerò madefacito, & ad styracē in mortario tritum arida ammisceto, & cū gummi pilulas rotundas ad ciceris madidi magnitudinem formato, easq; acu perforato, ac filum traijcito, & arefactas de collo suspēdendas præbeto. Xeromyron rosatum. Rosarum aridarum libr. I. costi, folij, caryophyllorum, hypni, cassami odorati, unguium aromaticorum, styracis, singulorum sextantem. Aliud. Folij, rosarum siccarum, amomi, costi, caryophyllorum, spicæ nardi, arnabo, croci, singulorum unc. I. hypni, styracis, opobalsami, singul. drachm. III. Aliud. Rosarum libras tres, hypni lib. I. styracis flaui & pinguis, unguium aromaticorum, singulorum unciam I. Xeromyrō leucophyllon appellatum. Cuius usus ad collum & axillas est. Terræ samiæ librā I. styracis, folij, opobalsami, singulorum sextantem. Styracem cum opobalsamo subigito, folium uerò terito ac cribrato. Et ad omnia simul in mortario probè permixta, succi rosarum quantum satis est adijcito ac utitor. Hygromyron, hoc est, liquidum ungentum, quo mulieres ad aures utuntur, folij, spicę nardi, masuaphij, mastiches, caryophyllorū, singulorū unc. I. scru. XII. styracis pinguis, opobalsami, singulorū sextātem, croci scrup. VI. moschi scrup. I. olei salca electi trientem.

Olei salca præparatio preciosa. Cap. CXIIII.

Olei omphacini sextar. XX. iridis illyricæ lib. I. amomi sexuncem, aspalathi, hypni, sing. lib. I. cassami aromatici lib. II. caryophyllorū, folij, carpobalsami, singulorum lib. I. xylocasiæ quincuncem, casiæ trientem, costi, styracis pinguis, croci, sing. unc. I. myrrhæ, arnabo, singulorum quadrantem, spicæ nardi trientē. omnia in aqua coquito. Modus autem præparandi habetur Sermone primo, ubi etiam aliam olei salca descriptionē, & ungēti nardini pręparationē habes.

Hygromyri præparatio. Olei salca lib. II. opobalsami libr. I. spicæ nardi, folij, singulorum trientem, carpobalsami, arnabo, amomi, ambræ, ligni aloës, singulo. sextantem, mastiches, moschi, sing. scrup. VI. quòd si caphuræ copia fuerit, sextantem ex ea addito. Hoc ad axillas utūtur, & in aures cum auriculario specillo indunt. Leucophylli siue xeromyri albi præparatio. Lapidis specularis lib. I. folij, spicæ nardi, caryophyllorum, singulorum scrup. VI. succini scrup. XII. moschi siliquas VI.

Olei siue unguenti foliati, ac spicati præparatio. Cap. CXV.

Opobalsami lib. I. styracis, amomi, singulorū quadrātem, casiæ trientē, lilia XX. simul terito ac utitor, & si crassius fuerit, cum oleo salca diluito. Alia foliati descriptio. Ceræ libr. I. nardini olei cyziceni libr. III. picis brutiæ quincuncem, ladani unc. I. styracis pinguis

pinguis quadrantem, costi, casiæ, singulorum sextantem, cardamomi, folij, sing. unc. I. spicæ nardi semunciam, croci, uini Aminæi, singul. unc. I. opobalsami quadrantẽ. Foliati præparatio ex Oribasio. Casię sexuncem, folij quadrantem, amomi, ladani, singul. unc. I. piperis grana quadraginta, myrrhæ troglodyticę unc. I. ungenti nardini libr. I. Arida terito, & tenuissimo cribro excutito. Deinde nardinum addito, ac rursus probè terito, & ut nigrius reddatur medicamẽtum, iuglandium cortices ustos ac tritos ammisceto, & opobalsami cochlearia III. instillato, ac utitor. Facit etiam eximiè ad resolutiones Spicati præparatio. Amomi sextãtem, myrrhæ troglodyticæ, costi, sing. unc. I. folij, casię, ungenti, foliati aut salca, singulorum quadrantem, spicæ nardi unc. I. spicę celticæ trientem, ungenti nardini sexuncem, ceræ albę quantum satis est, & ut compages liquidior fiat, opobalsami quadrantem addito.

Oenanthariorum præparationes. Cap. CXVI.

Costi sextantem, casiæ, carpobalsami, spicę nardi, sing. unc. I. amomi quincuncem, nardi celticæ trientem, ungenti spicati & foliati, aut salca, singulorum quadrantẽ. Ceræ albæ quãtum satis est, & ut compages liquidior euadat, opobalsami quadrantem ammisceto. Alia œnantharij descriptio. Costi sextantem, casiæ, carpobalsami, masuaphij, myrrhæ, sing. unc. . amomi quincuncem, spicæ nardi, styracis, singulorum trientem, caryophyllorum sesquiunciam, opobalsami sexuncem, lilia XL. uini adstringentis odorati sextar. XII. salis cappadocici sextantem. Folia liliorum croceo ipsorum ac unguibus demptis probè detergito, & in sindone pura inuoluta per diem ac noctem in umbra siccato, donec marcescant. deinde ad myrrhã in mortario cũ uino subactã arida trita ammisceto, & pariter cum uino subigito. Et his postea styracẽ in minutissimas partes contusum addito, & omnia opobalsamo affuso unito. deinde lilia quoq; ammisceto, & omnia in uitreũ uas trãsfusa cõcutito, & uino postea in idẽ uas infuso rursus cõcutito, & uas ipsũ moscho aut hypno diligẽter obturato, deligato, luto oblinito, & ꝑ dies quadraginta insolato.

Absinthati siue rodabsinthati præparatio salubris. Cap. CXVII.

Spicæ nardi scrupu. II. folij, amomi, singulorũ scrupu. I. mastiches scrupulos III. rosarum siccarum scrupu. VI. mellis sextarium I. uini sextar. IIII. aut ut alij habent, quinque. Quidam pro amomo costum adijciunt. Aliud. Rosarum resectis unguibus, & in sindone per diem ac noctem resiccatarum libr. I. mellis optimi sextarium I. uini antiqui sextarios VI. Rosas in uino ad dies quindecim macerato, & quotidie uas ipsum ad solem exponito. Deinde uino excolato, spicæ nardi scrupul. II. & folij aut casiæ scrup. I. ammisceto. Sint autem hæc prius cum uino trita. Postea uerò mel adijcito, unito, ac utitor. Aliud rosatum. Rosarum exemptis unguibus in umbra siccatarum libr. I. uini antiqui ac splendidi sextar. V. mellis sextar. I. Rosas in uino per diem ac noctem macerato. deinde ad uinum excolatum mel adijcito, & post triduum exhibeto. Quidam mastiches scrupul. VI. addunt, & ita aluum mollit.

Conditi purgatorij præparatio. Cap. CXVIII.

Hoc cõdito ad pituitosos hyemis tẽpore uteris. Mellis sextariũ unũ, uini sextarios V. piperis grana XLVI. styracis calamitæ scrupul. III. Styracem ad prunas cum modico melle diluito, deinde in mortario cum pipere probè terito, & mel paulatim adstillato, ac postea uinum ammisceto. Eius uerò meminisse operæ precium est, quòd mel nisi ualde purum fuerit, non permittit ut potio ex ipso præparata desideat, ac pura & clara fiat. Proinde despumandum est mel, ac purum faciendum: si enim despumatum fuerit, potio eadem die desidebit ac pura euadet. Alia absinthati præparatio. Spicæ nardi scrupulos V. croci siliquas III. absinthij drachm. I. mastiches scrupul. VII. mellis sextarios IIII. uini sextar. XXIIII. Alia conditi præparatio. Piperis scrupulos VI. spicæ nardi scrupul. I. croci si libuerit, siliquam I. uini sextar. V. mellis sextarium unum. Mastichati ac cuminati præparatio. Cumini scrup. XII. mastiches sesquiunciam, uini sextar. V. mellis sextarium unum. Anisati præparatio. Anisi scrupul. VIII. spicæ nardi scrupul. VII. uini sextar. V. mellis sextarium I. Citrati præparatio. Corticis citri electi, uel foliorum eiusdem bessem, uini sextarios VIII. mellis sextar. I. corticem aut folia in uino per dies septem macerato, deinde uino excolato mel ammisceto. Apiati præparatio. Seminis apij scrupul. XII. seminis rutæ scrupul. VI. mellis sextar. I. uini sextar. IIII. aut V. pro abstemijs uini loco, aquam accipito.

Rhodomeli præparatio. Cap. CXIX.

Succi malorum cotoneorum, dempto cortice & granis siue medulla, expressi sextar. II. succi rosarum sextar. I. aquæ ad tertias decoctæ sextar. IIII. mellis sesquisextarium. Succum malorum suo tempore exprimito ac excolato, eiq; mel ammisceto, & ad rosarum tempus seruato. In uere autem cum aqua ad tertias decocta, & rosarum succo, asseruatum cum melle, malorum succum unito, ac utitor.

Mustati præparatio. Cap. CXX.

Similaginis sextar. XVI. olei omphacini sextar. V. piperis quincuncem, folij malabathri, caryophyllorum, sing. unc. I. musti dulcissimi sextar. III. mellis lib. II. ex his omnibus uelut placentulę paruæ efformãtur.

Gari præparatio pro abstemijs. Cap. CXXI.

Aquæ sextar. XXXI. salis sextar. II. cicerum nigrorum siccorum sextar. IIII. amanitarum libr. II. caricas quinquaginta, præparato, excolato, ac seruato.

Suffumigij moschati præparatio. Cap. CXXII.

Rosarum uiridiũ lib. VI. mellis Attici excolati lib. III. & quadrantem, folij sexuncem, amomi trientem, caryophyllorum sextantem, spicæ nardi trientem, costi bessem, unguium aromaticorum unc. I. carpobalsami trientem, asari sextantem, aloës unc. I. calami indici sexuncẽ, nuces indicas tres, sandalorũ scrupulos XVI. ambræ unc. I. styracis pinguis libr. III. quidam pro styrace, ladani pinguis, & stactes myrrhæ sing. lib. I. aut ut alij habẽt, dextantẽ accipiunt. croci unc. I. mastiches quadrantẽ, moschi scru. IIII. Ad arida trita ac cribrata, ladanum, styracem, stacten, myrrham, & mel in mortario ammisceto, deinde ambrã liquefactam adijcito. Postea moschum aqua calida dissoluito, & partem eius addito, & partẽ ad pastillorũ efformationẽ seruato, deinde manibus omnia probè subigito, ac cum moscho efformato. Suffumigium regium. Styracis calamitæ lib. I. ligni aloës sexuncẽ, ambrę unc. I. moschi scru. IIII. quidã ita pręparant, styracis calamitæ libr. I. ligni aloës triẽtem, ambræ,

ambræ unc.I.moschi scrupul.IIII.& addunt succi rosarum quantũ satis est. Suffumigiũ moschatũ, Theopompi. Styracis pinguis dextantem, caryophyllorũ,costi,rosarum siccarum,folij,mastiches,sing.unc.I.moschi siliquas quatuor. Ego uerò inquit, moschi scrupulos III.& balsami quantum satis est adijcio.

Aliud suffumigium moschatum. Folij,costi,rosarum siccarum,hypni,spicæ nardi,singul.unc.I. croci,unguium aromaticorum,caryophyllorum, amomi,casiæ, singul. scrup. XII. carpobalsami, bdellij, singul.scrup.XII.styracis scrupulos XX.moschi scrupulos III.Rhodomelitis,hoc est,mellis rosacei quantum satis est. Suffumigium Moschatum in ecclesia usurpatum. Costi libras IIII.& dimidiam, caryophyllorum lib.IX.folij sesquilibram,spicæ nardi tãtundem,cassami unc.XIIII.styracis liquidi lib.XVI. aspri lib.III.croci dextantem,moschi,ambræ, singulorum sextantem. Cæterum princeps Orientis sic præparat. Costi quadrantem,spicæ nardi unc.I.folij unc.I.caryophyllorum sesquunciam,cassami semunciam,aspri sextãtem,styracis liquidi electi quincuncem,croci scrup.II.moschi,ambræ,singul. scrup. II. Suffumigium bonum rosatum. Foliorum rosarum aridorum,costi,mastiches, singulorum sexuncem,spicæ nardi,amomi,opobalsami,singulorũ sesquiunciam,croci,myrrhæ,singul.unciam I. styracis dextantem. Vini odorati antiqui,& mellis, quantũ satis est. Suffumigij ungentarij præparatio. Costi sesquilibram,elenij,rosarum siccarũ,nigellæ,singulorum libr.I.carpobalsami,aspalathi, singulorũ lib. II.myrrhæ sesquilibram,tari,hoc est,ligni aloës,ladani,singulorum libr.IIII.amomi libr. I. mastiches bessem,ligni caryophyllorum sexuncem, foliorum scylmatis,hypni,singulorum libr.XII. myrrhæ stactes libras V.bdellij libras II. unguium aromaticorum,croci, singulorum trientem. Suffumigium ungentarium insigne. Costi sesquilibram,cassami lib. I.ligni caryophyllorum,foliorum scylmatis, spicæ nardi,singulorum sexuncem,corticis aspalathi, rosarum siccarum, singulorum quadrantem, mastiches chiæ,bdellij, singulorum sextantem,ladani lib.III. stactes nigræ lib.VI.croci scrupulos VI.ego uerò inquit,pro stacte nigra,albæ libr.II.& styracis libras IIII.ammisceo. Suffumigium ualde amabile. Costi unc.XIX.caryophyllorum trientem, ladani lib.I. spicæ nardi, folij, singulorum sexuncem, styracis lib.III.aspri unc.XVI.croci sexuncẽ,moschi bessem, mellis quincuncem. Suffumigium dominæ Romulæ. Styracis calamitæ lib.II.costi,stactes albæ,singulorum sexuncem,caryophyllorum, tari, singulorũ sextantem, spicæ nardi sextantem & semunciam, croci trientem,ambræ drachm.IIII.succini unciam unam, moschi scrupul. IIII. uel quantum accipere uolueris. Suffumigium rosatum, Embularchi.

Casiæ,myrrhæ,bdellij,arnabo,calami indici,succini,carpobalsami,ladani pinguis,hypni,folij,singulorum quadrãtem,caryophyllorum, unguium aromaticorum magnorum,mastiches,singulorũ trientem,croci sextantem,spicæ nardi,opobalsami,singulorum sexuncem,rosarum siccarum, styracis,singul. lib.I.rosarum uiridium libr.II.uini odorati ueteris, & mellis Attici,singulorum quantum satis est. Suffumigium Pamphili Episcopi. Folij,caryophyllorum,hypni,ladani pinguis,singulorum sextãtem & semunciam,calami indici,spicæ nardi,unguium aromaticorum magnorũ, bdellij,carpobalsami, croci, casiæ,singulorum quadrantem,amomi, mastiches, singulorum quincuncem,costi sesquiunciã, arnabo tantundem,succini unciam unam, opobalsami quadrantem,styracis pinguis lib.III.rosarum uiridium resectis unguibus libr. VI. uini mulsi quantum satis est. Sit autem mel electum, & uinum antiquum odoratum, ex quibus uinum mulsum parari debet.

Myrrhatio ad cadaueris conseruationem. Cap. CXXIII.

Aloës,myrrhæ,gummi,singulo.lib.I.sarcocollæ libr. II.acaciæ sesquilibram,thuris sexuncem, opobalsami quadrantem.

DECIMISEXTI AC VLTIMI SERMONIS AETII FINIS, IANO CORNARIO MEDICO PHYSICO INTERPRETE.

PONDERA IN AETIO VSVRPATA.

Libra	habet	uncias XII.
Deunx		unc.XI.
Dextans		unc.X.
Dodrans		unc.IX.
Bes		unc.VIII.
Septunx		unc.VII.
Sexunx		unc.VI.
Quincunx		unc.V.
Triens		unc.IIII.
Quadrans		unc.III.
Sextans		unc.II.
Vncia		drach.VIII.
Semuncia uel semisis		drach.IIII.

Reliqua pondera ac mensuræ iuxta Pauli traditionem usurpata sunt.

DE PONDERIBVS AC MENSVRIS, EX PAVLO AEGINETA,

IANO CORNARIO Medico Physico Interprete.

*



PONDVS, grauitatis mensu iudicatur. Mensura autem, uasculi capacitate. Vasculum uerò, tum aridæ, tum liquidæ quantitatis mensura existit. Quare tres omnino dimensæ quantitatis sunt differẽtiæ: una quidẽ ponderis: altera uerò rerum aridarum, utpote quæ uelut in aggerem accumulantur: tertia autem liquidorum. Cæterum quum penè infinita pondera ac mensuræ, tum pro locorum, tum pro eorum qui eis utuntur consuetudine, existant; de his saltem quæ omnibus maximè familiaria sunt, nobis sermo erit.

De ponderum ac mensurarum notis.

VERVM quum quidam non integris literis, sed per notas hæc ipsa pondera ac mensuras significent, pręstiterit fortasſis & nos in hac parte ueteres imitari, atque primum characteres ipsos declarare. Primum igitur litera χ ubi α literam habuerit incumbentem, Chalcum, id est, Aereum, significat: hoc modo, $\overset{\alpha}{\chi}$. Si uerò ο ipsi χ incubuerit, Choa, id est, Congium, demonstrat: sic $\overset{o}{\chi}$. Si οι Chœnicem, $\overset{oi}{\chi}$. Si η Chemam $\overset{\eta}{\chi}$. K uerò litera, si incumbens ε habeat, & linea recta inferiorem ipsius apicem per obliquum secet, Ceratium, id est, Siliquam, significat: hoc modo $\overset{\epsilon}{\kappa}$. Quod si υ ipsi κ incumbat, Cyathũ significat, sic $\overset{\upsilon}{\kappa}$. Si uerò ο, Cotylã, id est, Heminam, $\overset{o}{\kappa}$. Porrò linea circumflexa, quam nihil aliud circũstat, & quæ omnino per obliquum ponitur, Obolum denotat, ∽. Si uero duæ sunt lineæ, quas nihil circumstat, duos obolos signant, ≈. Qui Gramma, hoc est, scrupulũ, faciunt, quod per literam γ quæ ρ adiectum habet denotatur, recta amplius linea ipsum ρ secante, hoc modo γρ. Duæ autem lineæ iuxta alteram extremitatem consertæ, angulumque cõstituentes, ad similitudinem duorum apicum, qui in ipsius K literæ pictura, ad rectam lineam adscribuntur, Drachmam significant, quæ & Holca cognominatur: hoc modo ∠. Propriè autem Holca per λ literam notatur, ο litera medium eius occupante: hoc modo $\overset{\lambda}{o}$. Quòd si ι litera ad λ apponatur, libra significatur, λι. Aliqui tamẽ alteram ipsius λ lineam per obliquum alia linea secantes, Libram denotant: sic λ. At uerò litera γ intra angulum suum ο literam habens, Vnciam significat, γο. M autem iuxta medium ipsius ν habens, Minam denotat, $\overset{\nu}{M}$. Si uerò υ habeat, Mystrum, $\overset{\upsilon}{M}$. Si ε Medimnum, $\overset{\epsilon}{M}$. Si ο Modium, $\overset{o}{M}$. Porrò τ literam ρ complectens, & υ incumbens habens, Tryblιũ significat, $\overset{\upsilon}{\tau\rho}$. Ξ autẽ supra se ε habens, Xesten, id est, Sextarium, designat, ξε. Si uero ο habeat suprascriptum. Oxybaphum, id est, Acetabulum, ξο. Aliqui tamen Xesten per ξ denotant, recta linea dissectum, hoc modo, ξ. H autem incumbens μ habens, Heminam indicat, $\overset{\mu}{H}$. K uero cum ρ connexum incumbente ipsis litera μ, Ceramium signat, $\overset{\mu}{\kappa\rho}$.

DE PONDERIBVS.

MNA Attica & Aegyptia habet Vncias		XVI
Mna Romana Vncias		XX
Libra	Vncias	XII
Vncia	Drachmas	VIII
Drachma	Scrupulos	III
Scrupulus	Obolos	II
Obolus	Siliquas	III
Siliqua	Aereos	II duasque tertiȷ partes: ita ut obolus æreos octo complectatur.

DE MENSVRIS LIQVIDORVM.

ITALICVM Ceramium habet Choas VIII
Chus siue Congius Sextarios VI
Sextarius Cotulas II. quæ & Tryblia appellantur.
Cotula autem siue Tryblium, Magna Mystra III. Acetabula uero IIII
Magnum enim mystrum continet Acetabulum I. & Drachmas VI
Acetabulum uerò Sesquicyathum habet.
Cyathus Chemas paruas, aut Mystra parua II habet.

Quod si uelis liquidorum iuxta pondus scire dimensionem; multæ enim rerum liquidarum differentiæ iuxta lancis momentum existunt; idipsum ex olei, uini, & mellis exemplo docebimus. Mel igitur uino grauius est quarta ampliusque decima parte, quod ferè totum tertiam eius partem facit: habet enim eadem mellis ad uinũ mensura totum uini pondus, accedente insuper tertia eius ponderis parte. Ad oleum autem mel dimensum, dimidia eius parte ponderosius existit: habet enim totum olei pondus, atque insuper dimidiam eius põderis partem. Vinum uerò nona parte oleum excedit: habet enim pondus ipsius totum, ampliusque nonã eius ponderis partẽ. Quę res ut magis euidens & manifesta fiat, omnium mẽsurarum pondus sigillatim subiecimus, uelut in tabella depictum: ita ut manifestè constet, quòd per pondera quæ singulis mensuris subiecta sunt, Oleum,

Vinum

Vinum, & Mel, ex ordine demonstrantur.

Olei	Vini	Mellis
	Ceramium Italicum habet.	
libras LXXII	libras LXXX	libras CVIII
	Chus siue Congius habet	
libras IX	libras X	libras XIII & dimidiam
	Sextarius habet	
uncias XVIII	uncias XX	uncias XXVII
	Cotula siue Hemina habet	
uncias IX	uncias X	uncias XIII & dimidiam
	Magnum mystrum habet	
uncias III	uncias III scrupulos VIII	uncias IIII & dimidiam
	Acetabulum habet	
drachmas XVIII	uncias II scrupulos XII	uncias III scrupulos IX
	Cyathus habet	
drachmas XII	sesquunciam scrupulos IIII	uncias II drachmas II
	Paruum mystrum habet	
drachmas VI	scrupulos XX	drachmas IX

Oribasius autem iuxta Adamantium, Sextarium Italicum uini quidem iuxta mensuram Vncias uiginti quatuor habere ait: iuxta pondus uerò Libram unam, Vncias octo. Sextarium autem mellis Librarum duarum & dimidiæ pondus habere tradit.

DE MENSVRIS ARIDORVM.

AEGYPTIA Artaba continet Modios III
Modius Aegyptius & Italicus habet Chœnices VIII
Chœnix, Sextarios II
Sextarius habet Semisextarios II. qui & heminæ appellantur.
Hemina autem habet Cyathos VIII
Atticus Medimnus continet Hemiecta XII
Hemiectū autem seu Semodius, Chœnices IIII. quo fit ut Medimnus habeat Modios VI. chœnices XLVIII. sextarios XCVI.

Cæterum pondus harum mensurarum non facile est proferre, quòd immensa diuersitas rerum aridarum iuxta lancis inclinationem existat.

FINIS EORVM QVAE PAVLVS AEGINETA de ponderibus & mensuris tradidit, interprete IANO CORNARIO Medico Physico.

QVATVOR AETII TETRABIBLΩN, ID EST SERMONVM XVI. INDEX, in quo præter cætera ad Medicinam spectantia, Simplicium nomenclaturæ tam Grecè quàm Latinè indicantur, iuxta Alphabeti ordinem.

A

Anethinum

Carda

D

Heptap

I

Isatis

P

physici fol. seq.

T

V

FINIS INDICIS.

Lugduni excudebant Godefridus & Marcellus Beringi fratres, M. D. XLIX.


SINE
FRAVDE.